BIBLIOTHECA
CARMELITANA.

TOMUS PRIMUS.

BIBLIOTHECA CARMELITANA,

NOTIS CRITICIS

ET

DISSERTATIONIBUS

ILLUSTRATA

Curâ & labore

UNIUS È CARMELITIS PROVINCIÆ TURONIÆ

COLLECTA.

TOMUS PRIMUS.

AURELIANIS,

Excudebant M. Couret de Villeneuve & Joannes Rouzeau-Montaut, Regis, Sereniſſimi Aurelianenſium Ducis, Regiique Aurelianenſis Collegii Typographi & Bibliopolæ.

M. DCCLII.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIS.

EMINENTISSIMO PRINCIPI

DOMINO D.

FRIDERICO,

TITULI SAN-PANCRATII,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

PRESBYTERO CARDINALI

LANTO A ROVERE,

TOTIUS ORDINIS CARMELITANI

PROTECTORI COLENDISSIMO.

SUMMO *planè gaudio affectus est Ordo noster, cum ei datum est patrocinio* EMINENTIÆ TUÆ *gloriari, ac fulciri præsidio. Gemina siquidem fuit lætandi causa, tum propter* EMINENTISSIMI LAMBERTINI *Exaltationem, quo Patrono jucundè utebamur; tum*

quia in ejus locum suffectus es, Carmeli Protector designatus, & paternæ sollicitudinis quasi Vicarius. Noverat sapientissimus Pontifex, à quo Tibi Cura hæc demandata est, Affectum in nos Tuum, nostrum ergà Te summum & flagrans studium; nec alterius providentiæ melius credi posse, quam in se priùs susceperat, Ordinis Eliani tutelam. Ecquid verò Tibi deesse potuit ad hoc pietatis officium? Numquid exempla virtutis ad imitationem? An incitamenta laboris ad æmulationem? Num copiosa doctrinæ supellex? An exquisiti Litterarum fructus? Num insitus Religionis amor? An longa rerum experientia? Num aurei mores? An excultissimum ingenium? Quibus omnibus accedunt singularis comitas, aditus facilis, & prodiga sui, maximè in litteratos beneficentia.

Quem ergò alium Mæcenatem ambiant è Carmelo Scriptores, in hac nostra quam Eminentiæ Tuæ offero, Bibliotheca redivivi? Parùm est densis è tenebris operosius erutos in lucem prodire, nisi sub Tuis erumpant Auspiciis. Et hanc quidem opem, EMINENTISSIME PRINCEPS, suo quasi jure pollicentur sibi, quòd æquâ pietatis & scientiæ laude floruerint.

Sanè mirabitur Orbis Christianus tot ac tantos Viros, de Ecclesia, de Litteris benè meritos, ingratâ oblivione deseri posse; nec illis, cum Te favente innotuerint, suum inter pios ac doctos locum iniquus denegabit. Quis enim iis venerabundus non assurget, quos Tibi probari semel intellexerit? Tanti ponderis esse norunt omnes judicium doctissimi simul & sapientissimi CARDINALIS, qui cum sit perspicacioris ingenii & integerrimæ lancis, nihil favori, totum causæ tribuere consuevit.

Singulares Animi Tui dotes, eximiaque ornamenta, dum tacitus mecum reputo, EMINENTISSIME PRINCEPS, in avita decora, quibus refulges, excurrere non vacat. Quamvis Tibi LANTIANA Domus ortum dederit, eademque pro vetusta Nobilitate insignis, Heroüm ferax, in præcipuis Ecclesiæ, Reipublicæque muneribus egregiè versata, ipsisque Romæ Hierarchis cum affinitate tum sanguine copulata: Hæc omnia in Te complexus, Avorum gloriam novo splendore cumulas, ut meritò dubitari possit, plusne dignitatis in Te contulerint, quàm decoris in Eos refundas. Testis inclyta Le-

gatio, quam apud Christianissimum Regem strenuè obiisti: Testis ingens fama, quam Nomini Tuo conciliasti, Anconitis Præfectus & Urbino. Quanto enim applausu Rempublicam administraveris, quàm vigili studio, præcaveris annonæ difficultatem, quàm solerti curâ plebem inter confluentium aliundè militum turmas servaveris illæsam, quàm prudenter civium rixas compescueris, dissidia composueris, quot demùm beneficiis gentem illam Tibi devinctam habeas, nemo nescit.

Magna quidem illa, & summo digna Sedis Apostolicæ Legato. Dicam tamen, EMINENTISSIME PRINCEPS, aliud esse quod in Te magis venerentur, longéque præ cæteris gloriæ titulis suscipiant Viri Deo sacri & Litteris dediti, Religionem scilicet, probitatem, sanctimoniam, pronumque in Litteratos animum. Humaniorum, sanctiorumque disciplinarum studio naviter ac feliciter incubuisti; Leges Civiles & Pontificias rimatus es; Academiæ Pisaurensis decus instaurasti, splendoremque pristinum restituisti, accitis undequaque Magistris, vitâ & doctrinâ selectis, ad studiosæ juventutis educa-

tionem;

tionem; præter hæc, Musæum aperuisti Libris magno pretio conquisitis refertissimum, idemque publicæ utilitati consecrasti: Quod ut in dies auctius fieret, magnis ditasti proventibus.

Indè non mirum, EMINENTISSIME PRINCEPS, *quod omnes cujuslibet ordinis amatores bonarum artium in admirationem Tui converteris. Hos inter Carmeli Familia caput suum attollere, verùm etiam gestit, ne tam benefici* PROTECTORIS *humanitas grati ac memoris animi testimonio defraudetur. Ideóque factum est, ut meas qualescunque lucubrationes, hanc verò imprimis Carmelitarum Scriptorum Bibliothecam nuncupare Tibi ac dicare summoperè cuperem. Votis annuisti: Jam prodit Liber Tuo Nomine insignitus. Utinam pariter elucescat ardor, quo Mæcenatem amplissimum diu vivere salvum atque incolumem precor,*

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Humillimus, obsequentissimus & addictissimus famulus,
Fr. COSMAS DE VILLIERS A S. STEPHANO,
Carmelita Provinciæ Turoniæ.

DE CARDINALIBUS

ORDINIS CARMELITANI

PROTECTORIBUS

ANNOTATIO.

CARDINALIS PROTECTORIS Ordinum Religiosorum origo ducitur, inquit SS. DD. Noster Benedictus XIV. in Oratione, quam habuit die 23. Maii 1744. ad Carmelitas Romæ congregatos pro electione Prioris Generalis, à temporibus Divi Francisci; qui in Regula cum præcepisset suis fratribus, ut à Romano Pontificé Ordinis à se instituti Protectorem precibus impetrarent, aliis quoque Religiosis Ordinibus hoc ipsum ab Apostolica Sede obtinendi normam dedit.

GERVASIUS GIANCOLETUS, Gallus Cœnomanensis ortu, & Parisiensis Ecclesiæ Archidiaconus, creatus à Martino II anno 1281. Cardinalis Presbyter tituli S. Martini in Montibus, suo Carmelitas patrocioio apud Sedem Apostolicam adjuvit, ut ab Honorio IV. facultatem obriouerint assumendi Chlamides, sive Cappas albas, quas tunc temporis gestabant polymitas, sive variegatas. Qua de facultate certiores fecit Petrum Æmilianum Priorem Generalem, cæterosque Patres & Fratres, literis ad eos datis die 9. Februarii 1286.

BERENGARIUS FREDOLI, Bitterensis Episcopus, S. R. E. Cardinalis, à Clemente V. creatus anno 1305. tituli Sanctorum Nerei & Achillei, anno autem 1312. Episcopus Tusculanensis, Epistolam ad Carmelitas Londini congregatos eodem anno scripsit ad commendationem Gerardi de Bononia illorum Prioris Generalis.

PANDULPHUS, aliàs LANDOLPHUS MARAMAURUS, Bariensis Archiepiscopus, ab Urbano VI. mense Decembri 1381. creatus Cardinalis Diaconus tituli S. Nicolai in carcere Tulliano, concessit Carmelitis, in Provincia Angliæ constitutis, ut carnibus vesci possent diebus; quibus cæteris fidelibus hujusmodi esus non est interdictus.

BARTHOLOMÆUS MEZZAVACA Bononiensis, Theatinus Episcopus, ab Urbano VI. mense Decembri 1381. creatus est S. R. E. Cardinalis tituli S. Marcelli: ei Nicolaus de Luca, Ordinis Carmelitici Procurator Generalis, nuncupavit Tractatum adversùs Ordinis sui titulum calumniantes. Bartholomæus obiit Romæ die 20. Maii 1396.

BALTHASAR COSSA, Neapolitanus, Bononiensis Archidiaconus, à Bonifacio IX. die 7. Februarii 1402. S. Rom. Eccles. creatus est Cardinalis tituli S. Eustachii, & paulò post Bononiam Legatus, concessit Indulgentias visitantibus Ecclesiam & Monasterium S. Martini de Aposa Bononiensi, Ordinis Carmelitarum.

GUILIELMUS ESTOTEVILLÆUS, Cardinalis S. R. E. tituli S. Martini in Montibus ab Eugenio IV. die 18. Decembris 1439. creatus; Rothomagensis autem Archiepiscopus anno 1453. electus, & ideò sæpè dictus Cardinalis Rothomagensis, à Francisco Philelpho vocatus *columna & columen S. Romanæ Ecclesiæ*, Litteras encyclicas die 15. Octobris 1457. dedit; quibus ad universos & singulos Christi Fideles testaretur Calixtum III. Pontificem Maximum vivæ vocis oraculo indulsisse: ut S. Albertus Drepanensis Carmelita coleretur more Sanctorum; quamvis nulla præcesserit solemnis Canonizatio. Anno 1473. Guillelmus tum Episcopus Ostiensis simul ac Rothomagensis, vigore Constitutionis Sixti IV. unà cum Christophoro de Martignono, Carmelitani Ordinis Priore Generali, divisionem Provinciarum fecit, & reformationem instituit.

JOANNES-BAPTISTA DE CIBO, Genuensis, à Sixto IV. die 7. Maii 1473. creatus est S. R. E. Cardinalis. Anno 1483. tanquam Carmelitarum Protector Sententiam & Decretum tulit de tunicis coloris nigri, quas in posterùm ii Fratres gestare tenerentur. Anno 1484. die 9. Augusti, ad Summum Pontificatum electus; Innocentius VIII. nomne appellatus, obiit anno 1492. die 15. Julii.

GEORGIUS COSTA, Ulissiponensis, à Sixto IV. Cardinalium albo inscriptus est. Georgio huic tanquam Carmelitarum Protectori Innocentius VIII. anno 1491. die 8. Novembris Apostolicum direxit Breve; ut attenderet, ne Fratres de Observantia Congregationis Mantuanæ, transirent ad antiquiores Conventuales, juxtà Constitutionem Sixti Papæ. Georgius obiit Romæ, anno 1508. die 14. Septembris, anno ætatis suæ 102.

SIGISMUNDUS DE GONZAGA, Mantuanus, à Julio II. Cardinalis creatus, in Carmelitarum Protectorem institutus, Apostolicum Breve à Clemente VII. accepit anno 1524. die 2. Aprilis, ut cum Nicolao Audet Priore Generali, concederet facultatem confirmandi Provinciales ultrà triennium. Obiit Sigismundus Mantuæ, anno 1525.

NICOLAUS DE FLISCO, sæpiùs DE FIESCO, Genuensis, ab Alexandro VI. mense Maio 1503. creatus est S. R. E. Cardinalis, tituli S. Nicolai *inter Imagines*. Anno 1524. die 28. Martii, veluti Carmelitarum Vice-Protector Decretum edidit, quo Definitores & Priores Congregationis Mantuanæ, qui per biennium non vacaverint ab officio, possent in Priores eligi. Nicolaus obiit eodem anno 1524. die 14. Junii.

LAURENTIUS PUCCI, Florentinus, à Leone X. creatus est anno 1513. S. R. Ecclesiæ Cardinalis tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum. Anno 1524. Vice-Protector Carmelitarum asseritur deputatus Commissarius ad dirimendam controversiam de Generalatûs officio inter Heliodorum, Neapolitanæ Provinciæ Vicarium, & Jacobum Flamingum, Provinciæ Lugdunensis Provincialem, ortam: ast anno 1526. die 12. Januarii, Laurentius à Clemente VII. vocatur simpliciter Carmelitarum Protector, & ad eamdem controversiam dirimendam deputatur Judex. Obiit Romæ Laurentius anno 1531. die 16. Septembris.

ANTONIUS PALAVICINUS, Genuensis, ab Innocentio VIII. inter Cardinales S. R. E. nominatus fuit mense Martio 1503. Protector Carmelitarum obiit anno 1508. & in eodem munere successorem habuit Sigismundum de Gonzaga; sicut observat Julius II. in Bullario Carmelitarum, *tomo 1. pag. 439.* citatus.

NICOLAUS PANDOLPHI, aliquandò RIDOLFI, aliquandò DE RODULPHIS, Florentinus, Leonis X. ex Sorore Nepos, ab eodem Summo Pontifice inter S. R. E. Cardinales, tituli Sanctorum Viti & Modesti *in Macello* Martyrum connumeratus est anno 1517. die 1. Julii. A Clemente VII. anno 1532. die 2. Aprilis, Carmelitarum Protector declaratus, deputatur Judex & Commissarius Apostolicus ad pacem promovendam inter Nicolaum Audet, Priorem Generalem, & Fratres Congregationis Mantuanæ. Obiit Ridolfus ineunte anno 1550.

BERNARDINUS MAFFEUS, Romanus, à Paulo III. inter Cardinales S. R. E. creatus est, die 8. Aprilis 1549. & à Julio III. die 10. Decembris 1550. in Protectorem Carmelitarum institutus; atque inde Præses Capituli Generalis, quod Bergomi anno 1553. Mantuana Congregatio celebravit.

JACOBUS PUTEUS, (Gallicè *Jacque du Puy*), Gallus, & in Provincia natus, & in Provincia Niciensis Episcopus, à Julio III. Cardinalis creatus, obiit anno 1563. Carmelitarum Protector; ut animadvertit Pius IV. in assignando ad id munus successore S. Carolo Borromæo.

S. CAROLUS BORROMÆUS, Mediolanensis, Pii IV. ex Sorore nepos, ab eodem Pontifice Maximo creatus est S. R. E. Cardinalis, 1560. Ad postulationem Joannis-Baptistæ de Rubeis Prioris Generalis institutus est Carmelitarum Protector die 5. Maii 1563.

PHILIPPUS BONCOMPAGNUS, Bononiensis, Gregorii XIII. ex Fratre nepos, ab eodem Summo Pontifice S. R. E. Cardinalis creatus est anno 1573. & ob liberam S. Caroli Borromæi abdicationem institutus Carmelitarum Protector, die 5. Februarii 1573. ad preces Joannis-Baptistæ de Rubeis, Prioris eorum Generalis.

DOMINICUS PINELLUS, Genuensis, Picenus Episcopus, S. R. E. Cardinalis nominatus à Sixto V. anno 1585. & ad votum Joannis-Baptistæ Caffardi, Carmelitarum Supremi Moderatoris, Protector eorum institutus est, die 13. Junii 1586. Cujus quidem ratione muneris & patrocinii confirmavit die 29. Novembris 1589. Statuta; quæ Joannes-Stephanus Chizzola & Hieronymus Aleottus, Commissarii & Visitatores Apostolici ediderant Parisiis in Regio Carmelo Maubertino, pro reformandis Galliæ Provinciis. Anno 1590. die 26. Junii, ad postulationem Magistri Laurentii Laureti, Ordinis Procuratoris, Decretum Apostolico Brevi Gregorii XIII. consentaneum tulit: Quo Mulieres in solemnioribus certis quibusdam Beatæ Virginis Mariæ festivitatibus possent ingredi & egredi Ecclesiam Carmeli Majoris Neapolis, per januam primi Claustri ejusdem Conventûs. Anno 1593. die 27. Martii, statutum edixit, ut Vicarius Generalis Mantuæ Congregationis accederet ad Capitulum totius Ordinis Generale cum duobus sociis, ad instar aliarum Provinciarum. Anno 1605. ad postulationem Philippi Theobaldi, Prioris Rhedonensis, reformationem inchoantis, à Paulo V. Apostolicum Breve obtinuit, quo decernebatur, ut quicumque Reformationem amplexus accederet, ad votorum renovationem teneretur, post annum Noviciatûs emensum, calculo communitatis probatus. 2°. Nullus Provincialis, &c.

JOANNES GARCIAS MELLINI, Rhodensis Archiepiscopus, anno 1605. à Paulo Quinto creatus S. R. E. Cardinalis tituli SS. Quatuor Coronatorum. Carmelitarum Protector, eorum Comitiis anno 1610. Romæ celebratis, ex Apostolica Commissione præfuit, & ibi primævas Rhedonensis incboatæ Reformationis Constitutiones ad examen revocari jussit, quo expletn & accuratè consmmmatn, eas posteà ipse probavit. Nomen ejus reperitur inter Cardinales qui Canonizationi S. Teresiæ subscripserunt anno 1621. die 12. Martii.

MARTIUS GENETTUS, Veletranus, anno 1616. die 19. Januarii, ab Urbano VIII. inter S. R. Ecclesiæ Cardinales nominatus, & anno 1617. die 30. Maii, declaratus tamquam Carmelitarum Protector, Decretum edidit anno 1634. die 12. Augusti, ut deputarentur Conventus pro Novitiatu Fratrum Laïcorum in Provinciis Italiæ. Eorum Comitiis Generalibus præfuit anno 1645. 1646. 1660. 1666. Obiit autem anno 1671.

PALUTIUS DE ALTERIIS, Romanus, anno 1664. ab Alexandro VII. S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis creatus est tituli Sanctorum XII. Apostolorum, ex Apostolica delegatione Innocentii XI. præfuit & Protector Carmelitarum Comitiis Romæ celebratis anno 1680. & aliis eorumdem Generalibus Comitiis anno 1686. approbavitque Decreta, quæ Pater Seraphinus à Jesu Maria, Commissarius Generalis, condidit pro reformatione Provinciæ Poloniæ, & Provinciæ Pedemontanæ: Anno 1692. ab Innocentio XII. institutus est Præses Capituli Carmelitarum Generalis.

JOSEPH SACRIPANTES, Narniensis, ab Innocentio XII. inter Eminentissimos Purpuratos annumeratus die 12. Decembris 1695. & mensis Novembris die 21. an. 1698. Carmelitarum Protector declaratus, eorum Capitulo Generali præfuit anno 1698. celebrato, ex Commissione Apostolica summi ejusdem Pontificis, sicut & Comitiis aliis Romæ celebratis anno 1704. Idem Eminentissimus Cardinalis anno 1715. die quintâ Aprilis, donatione irrevocabili dedit Ecclesiæ & Parocho S. Mariæ Carmelitarum Transpontinæ Oratorium cum omnibus suis pertinentiis factum ab eodem Eminentissimo Cardinali & constructum propè dictam Ecclesiam S. Mariæ Transpontinæ; quæ quidem Donatio Chirographo Summi Pontificis Clementis Papæ XI. munita fuit. Ab eodem Pontifice anno 1716. die 19. Maii constitutus est & deputatus, ut nomine Pontificis ejusdem præesset Capitulo Generali dictorum Fratrum in alma urbe mox celebrando.

NICOLAUS GIUDICIUS, Hispanus, anno 1725. die undecimâ Junii à Benedicto XIII. inter Eminentissimos Purpuratos accitus, & Carmelitarum Protector nominatus mense Januario 1727. obiit die 30. 1743.

PROSPER LAMBERTINI, Bononiensis, quem Deus Optimus Maximus ad Ecclesiæ suæ sanctæ decus & incrementum diu incolumem servet, in summum Pontificem electus die 17. Augusti 1740. proprium Carmelitarum patrocinium, singularemque illorum curam cum universalis Ecclesiæ supremo regimine in se retinere non fuit dedignatus. Unde & illos Romæ ad Comitia Generalia in Aula Capitulari Conventûs S. Mariæ Transpontinæ die 23. Maii 1744. congregatos alloquens: » Profectò, *inquiebat*, nos Carmelitarum Or- » dinem plurimi facimus, eum diligimus, & singulari studio prosequimur: cum ante ocu- » los habeamus præclara illius merita, non minus ergà Catholicam Fidem, & hanc sanctam » Sedem, quam etiam ergà Bononiam Patriam nostram, &c.

FRIDERICUS LANTIUS à ROVERE, Anno 1743. à Sanctissimo Domino D. Nostro Papa XIV. Benedicto inter S. Rom. Eccles. Eminentissimos Cardinales aggregatus fuit. Eminentissimus hic est Princeps, quem sua Sanctitas in sui ipsius locum suffecit, Carmeli Protectorem designans, & paternæ sollicitudinis quasi Vicarium. Hunc Deus Opt. Max. ad tutelam & gloriam Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo diu servet incolumen.

PRÆFATIO.

I. STUDIUM cum divinæ tum humanæ scientiæ plerosque apud solitariæ ac asceticæ Professores vitæ etiam tenaciores semper viguisse certa probant Historiæ monumenta : neque defuit in Veteri Testamento inter eos, *qui* (*a*) *primas hujus sanctæ conversationis lineas præfiguravere*. Ut enim hos omittamus filios Prophetarum, qui in (*b*) Bethel & Jericho Kalendis & Sabbatis pios agebant Conventus, in quibus de animarum salute tractantes, suam de rebus spiritualibus intelligentiam & eruditionem prodebant. An non (*c*) Propheticis Divinisque sermonibus multos alios liberos spirituales instruebant, ipsius ad instar Eliæ, qui se (*d*) in exemplum ad ascesim Eliseo & filiis Prophetarum, in Carmelum secedens, exhibuerat. Rechabitæ quoque præcepta regularia tradiderant, quibus ut obedirent suos hortabatur Monachos (*e*) Macarius. (*f*) Esseni quidem Philosophiæ partem ratiocinatoriam, ut parandæ virtuti minimè necessariam relinquebant; sed in morali sese exercebant sub Pædotribis, legibus patriis, quas non potest concipere humanus animus absque afflatu numinis. Has autem addiscebant, & alio tempore, sed præcipuè recurrente die septimo, quem sacratum existimabant. Ex illorum sanè numero, *qui summum* (*g*) *studium Veterum Scriptis adhibebant*, annumeratur iste Judæus, quem (*h*) Aristoteles non solùm continentiâ in cibis & castitate mirabilem, sed eruditione & eloquentiâ etiam præclarum inter Philosophos commendat. I. Monachi studio scientiarum semper dediti.

II. DE THERAPEUTIS quid refert Philo Platonici sermonis imitator ? » (*i*) Versantes sacra Volumina, *inquit*, dant operam Philosophiæ per manus » acceptæ à Majoribus, scrutando ejus allegorias : quoniam sub apertis ver» bis latere credunt secreta naturæ conjecturis explicanda probabilibus. Habent » etiam priscorum Commentarios, qui hujus sectæ Autores multa monumen» ta reliquerunt de allegoriis hujusmodi, ad quorum imitationem posteri se » accommodant. Itaque non solùm contemplantur, sed etiam Cantica, Hym» nosque in Dei laudem componunt, vario metrorum carminumque genere, » rithmis concinnatos in augustiorem ac religiosam speciem. Indè quot genera scientiarum colerentur, judicaveris. Elucescente autem Evangelii radio, dixeris indè illos à cœlestis studio sapientiæ prosequendo abstinuisse ? Minimè. Quos enim, ait Philo, penès istos fuisse veterum quorumdam Commentarios, verisimile est, teste (*k*) Eusebio Cæsariensi, ipsa esse Evangelica & Aposto- II. Therapeutæ.

(*a*) Cassian. *Institut. Lib. I. cap.* 8.
(*b*) 4. *Reg. cap.* 2. *v.* 3. & *cap.* 4. *v.* 23.
(*c*) Origen. in *Ezechiel. Homil.* 4.
(*d*) Athanas. *Apolog. de fuga*, *num.* 20.
(*e*) Macar. *Serm.* 50. *de Institut. Monachor.*
(*f*) Philo, *Lib. quod omnis probus sit liber.*
(*g*) Joseph, de *Bello Judaïco*, *Lib. II. cap.* 12. *alias* 7.
(*h*) Idem, *contrà Appio. Lib. I. cap.* 5. *aliàs* 8.
(*i*) Philo, de *vita contemplativa.*
(*k*) Euseb. Cæsar. *Hist. Ecclesʃ. Lib. II. cap.* 17.

lorum Scripta & Expositiones quasdam veterum Prophetarum: cujusmodi plures cum aliis Pauli Epistolis, tum in illa quæ ad Hebræos scripta est, continetur. Quapropter illustriss. & eruditiss. Dom. Daniel Huetius ex Philone ac Eusebio animadvertit (*l*) Therapeutis, qui Ascetæ erant Christiani Ægyptum incolentes, totos in meditatione Philosophiæ dies traducere solitum fuisse, & in præceptis sapientiæ sibi traditis allegoricè explanandis, quippequi verba existimarent signa esse rerum abditarum, quæ allegoriarum ope sint eruendæ: atque hanc porrò consuetudinem Therapeutas illos à Majoribus accepisse.

III. Idem & Ascetæ

III. Idem aliis terminorum involucris enuncians (*m*) Autor Libri de Ecclesiastica Hierarchia postquam initiandorum omnium excellentiorem & sublimiorem asseruit Ordinem Monachorum esse sanctam distinctionem, statim addit. » Undè sancti Præceptores nostri, divinis eos appellationibus sunt » profecuti; nunc Therapeutas, id est, cultores, à sincero Dei famulatu & » cultu; nunc Monachos ab individua & singulari vita appellantes: utque » illos sanctis divisibilium complicationibus, sive sensibilium affectuum depres» sionibus & abnegationibus, in divinam & Deo gratam monadem seu spi» ritualem intelligentiam, perfectionemque promoveat. (*n*) *Monadica enim cognitio*, inquit, Clemens Alexandrinus, *est tendentia in unionem Dei-formam, quam acquirimus per fidem*... (*o*) *Sunt autem Therapontes & Therapeutæ, sive Dei Servi & Cultores*... (*p*) *qui liberalissimum & maximè regalem cultum exhibent, qui fit per piam ac religiosam mentem & cognitionem*... (*q*) *qui enim fuerit perfectus, exempla habet Apostolos... in eo quod vitam elegerit Monasticam.* Ad hujus autem modi cognitionem monodalem, & regalem cultum, atque liberalissimam servitutem discutiendam simul ac peragendam, maximo quis opus esse studio, & continuâ in volvendis sacris Voluminibus diligentiâ negaverit?

IV. Monozontes.

IV. Hanc quidem Monasticam sive Asceticam scientiam callebant (*r*) *Monozontes*, quam Sanctus (*s*) Serapion, Antiochiæ Episcopus, circà annum 200. brevibus sed congruentibus Epistolis interpretatus est: & eam, quam à majoribus adolescens, anno 207. discere cœpit Magnus Antonius, discipulos post annum 305. non solùm exemplo, sed verbo & scripto edocuit; quandò (*t*) Monasteria, quæ anteà tam frequentia nondum erant in Ægypto, in montibus illo hortatore plurima excitata sunt, Eremusque à Monachis habitata est, qui relictis suis omnibus, cœlesti instituto nomen dabant: Antonius, inquam, qui priùs adeò attentus erat lectioni, ut nihil Scriptorum excideret, sed retineret omnia; ita ut ipsi deindè memoria Librorum loco esset: Is deinceps Monachis omnibus ad eum accedentibus, rogantibusque, ut illum sermocinantem audire liceret, Ægyptiacâ Linguâ *Scripturæ sacræ*, aiebat, *Sunt ad doctrinam satis: Sed operæ pretium est nos mutuò in fide cohortari, atque verbis concitare. Vos itaque, ut filii, ea referre patri quæ nostis. ego verò utpote natu grandior, quæ novi, quæque experimento didici, trado vobis.* Et verò quâ scientiâ suas rationes (*u*) exemplis & sacræ Scripturæ monitis comprobat, distinctionem Angelorum exponit, Dæmonum astutias detegit, bonæ visionis à mala secernendæ viam aperit? Quâ doctrinâ Monasteria visitans, Monachos quasi xeniis donabat, utiliaque iis impertiebat?

(*l*) Huet. Origenia. *Lib. II. num.* 3. *pag.* 173.
(*m*) Dionys. *de Ecclesf. Hierarch. cap.* 6. §. 1.
(*n*) Clemens Alexandr. Strom. *Lib. III. pag.* 428. *C. Edit. Paris. in-folio.*
(*o*) Ibid. *Lib. III. pag.* 594. *A.*
(*p*) Ibid. *Lib. VII. pag.* 741. *B.*
(*q*) Ibid. *Lib. VII. pag.* 741.
(*r*) Athanas. *Epist. ad Lucifer. Episc. & Cassian. pag.* 965. *collat.* 18. *cap.* 5.
(*s*) Hieronym. *de Scriptor. Ecclesf. cap.* 41.
(*t*) Athanas. in *Vita S. Anton. num.* 3. 14. 16. 36. 43.
(*u*) Ibid. *num.* 55. *& seqq.*

Quâ argumentorum vi subtilitatem (*x*) Philosophorum reprimit, objecta confutat, technas aperit, fallacias enodat, & sophismata contundit? Neque solùm & unum putemus inter Monachos scientiâ præditum, atque sacrarum Literarum peritum: Nam teste S. Athanasio, (*y*) *erant in montibus Monasteria, quasi Tabernacula repleta divinis choris psallentium, lectionis studiosorum*, quos morti proximus adhortabatur Antonius: *custodienda est*, inquiens, *pia fides in Christo, & Patrum religiosa traditio, quam ex Scripturarum lectione & crebro meæ parvitatis didiscitis admonitu.*

V. Ex inferiori Thebaide si ad Sienem conscendes in Vicum Tabennam, minora studiorum vestigia non reperies, ubi à Pachomio (*ʒ*) statutum fuit ut Monasterii Œconomus tribus per hebdomadam vicibus mysteria fidei exponeret, Sabbato semel, ac bis in quavis Dominica. Illud etiam insigniter adjecit Pachomius, ut Ecclesia erigeretur in pago quodam deserto, ad quam Sabbato & Dominico quovis die pauperes à vicinia pastores verbum Dei audiendi causâ convenirent. Sacrasitaque constitutis diebus ad congregatum populum lectiones habebat vir sanctissimus, cum fratribus suis ad Ecclesiam progressus, ad istud muneris obeundum, designatus foret. Multùm (*a*) quoque fratribus Pachomius proderat, cum de rebus sacris dicturus, locum cepisset. Nam Sacræ Scripturæ Sermones iisdem exponebat, maximè si qui intellectu occurerent difficiliores aut magis abstrusi, de Domini Incarnatione, de Cruce, de Resurrectione. Orationem (*b*) quoque habuit ad eos, ne Libros amarent seculari scientiâ ad persuadendum ornatos. Cumque (*c*) finem dicendi fecisset, unà cum fratribus suas ad Deum preces fudit, quibus id videlicet postulabat, ut divinorum sermonum in animarum salutem suarum nunquam non meminissent. Exinde suam quisque cellulam repetiit, diutius secum meditaturus quæ audierat. Locum vero inter eos invenire nullum poterat otiosa de rebus ad mundum spectantibus confabulatio: sed vel scripturæ alicujus solutionem, vel quomodo secundùm sanctissimam Dei voluntatem in virtute proficerent disquirebant. Hac porro consideratione seu meditatione finitâ, in unum omnes convenire, & inter se quæ dicta erant conferre instituerunt. V. Monachi Tabennenses.

VI. Quoniam (*d*) autem sæpiùs ad fratres suos Dei verbum loquebatur Pachomius, nonnulli multas ejus in divinam scripturam cogitationes literis mandarunt. Ipse etiam Pater multas epistolas ad Monasteriorum Præfectos dedit: ipsi quoque simili modo eidem respondebant. Præterea Libri non deerant Monasteriis, sed omnes (*e*) suis accuratè loculis disponebantur, & eorum cura ad Œconomos spectabat. Neque absque præpositorum licentiâ frater à fratre codicem (*f*) ad legendum mutuum postulare poterat. Qui (*g*) rudis in Monasterium ingressus fuerat, dabant ei viginti psalmos, aut duas epistolas Apostoli, aut alterius scripturæ partem; & si literas ignorasset, horâ primâ, tertiâ, & sextâ conveniebat magistrum ad id muneris præfectum, à quo discebat studiosissimè cum omni gratiarum actione. Postea scribebantur ei elementa, syllabæ, verba ac nomina; & etiam nolens, legere compellebatur: & omninò nullus erat in Monasterio, qui non disceret literas, & de scripturis aliquid teneret, quod minimum est, usque ad novum testamentum & psalterium. Omne quoque quod in conventu fratrum audiissent VI. Iidem Tabennenses.

(*x*) Ibid. *num.* 72.
(*y*) Ibid. *num.* 44.
(*ʒ*) *Vita S.* Pachomii *apud* Bolland. *tom.* 3. *Maii*, *pag.* 303. *num.* 19. 20.
(*a*) Ibid. *num.* 36. *pag.* 311.
(*b*) Ibid. *num.* 39. *pag.* 312.
(*c*) Ibid. *num.* 37. *pag.* 311.
(*d*) Ibid. *num.* 63. *pag.* 320.
(*e*) Ibid. *num.* 38. *pag.* 311.
(*f*) *Regula* Pachomii, *art.* CIV. *ad calcem operum* Cassiani, *pag.* 1142.
(*g*) Ibid. *art.* 80. *pag.* 1140.

diſputatum, cogebantur inter ſe, ut recolerent. Nemo (*h*) vadens in congregationem ad veſcendum, dimittebat codicem non ligatum. Codices poſt nonam attendebat ad quem pertinebat. Manè (*i*) conferebant inter ſe quæ præpoſitos audiiſſent diſputantes: & omnes (*k*) memoriter retexebant, quæ ſibi fuiſſent imperata: de quibus ſi quis oblitus aliquid fuiſſet, aut hæſitaſſet in dicendo; negligentiæ & oblivionis increpabatur. Pueri (*l*) in domo Monaſterii, ſi eſſent dediti luſibus & otio, & correpti non potuerint emendari, tenebatur præpoſitus uſque ad dies triginta ipſe eos monere & corripere: & qui non timebant confundi pro peccato, verberabantur quamdiu diſciplinam acciperent, & timorem.

VII. Alii Tabennenses.

VII. Ex hac docendi & diſcendi ratione facile quis intelliget quod ipſi Tabennenſium Monachorum ſcientiam Philoſophi demirarentur, adeò ut ex eis unus Panopolitanus (*m*) diſcipulo Pachomii Cornelio diceret: » ea de vobis » fama percrebuit, quod Monachi ſitis qui multa & ſubtiliter intelligere, & » ſapienter profari poſſitis. Alius autem experiri cupiens quàm probè ſacra» rum literarum arcana perciperent, quæſitum Theodoro Thebæo propoſuit » iſtud dicens? Quis, autem more cæterorum natus, nunquam deinde » mortuus eſt? Quis denique mortuus nunquam fætuit? Ad quæ cum Theo» dorus repoſuiſſet, hominem, mortuum quidem, ſed numquam natum, » dici poſſe Adamum: ac natum quidem, ſed mortuum nequaquam, eſſe » Enochum: Lothi denique uxorem poſt mortem ſuam nihil emiſiſſe fœtoris, » quæ ſcilicet in ſtatuam ſalis ſit converſa. Hæc autem cum diceret Theo» dorus, mox eum deſerens Philoſophus è loco diſceſſit. Hic Theodorus in diſciplinam Pachomii ſeſe tradiderat, audito quodam Monacho de tabernaculo (*n*) Moyſi & de ſanctis Sacrificiis diſſerente, qui finitæ diſſertationi addiderat: *Quodcumque ad vos modo dixi, jam ante à patre noſtro Pachomio, auditu ipſe percepi.* Theodoro, (*o*) quem Pachomius poſteà præfecit Tabennenſi Monaſterio, conſuetudo erat, ut diebus ſingulis ſub veſperam in Pabau ſeſe conferret, auditurus ibidem ſermones, quos de rebus divinis è ſcripturis ſacris proponebat Pachomius, quoſque ipſe deinde ad ſuos in Tabenna Monachos reverſus exponeret, priuſquam illi ſe ad ſomnum capiendum conferrent.

VIII. Alii Tabennenses.

VIII. Consuetudo (*p*) enim illis jam inde ab initio erat, circa veſperam, manuali opere ac cœnâ peractis, in unum ſimul conſidere ad ſcrutandas ſcripturas, ab omni alia ſolicitudine tunc liberi præterquam ab ea, quæ ſalutem eorum concernebat. Contigit autem aliquando, ut mortui Pachomii ſucceſſore Orſiſio Abbate ſedente, & pulchris ſermonibus fratres confirmante, in promiſcua turba adeſſet ipſe Theodorus, quem vidimus (*q*) *inquit Caſſianus*, ſummâ ſanctitate & perfectâ ſcientiâ præditum, notitiâ ſcripturarum, quam ei non tam ſtudium lectionis, vel literaturi mundi ſola puritas conſulit, ſi quidem vix ipſius quoque Græcæ linguæ perpauca verba vel intelligere poſſet, vel proloqui. Alter fuit Theodorus, Eccleſiæ (*r*) Alexandrinæ Lector & aſceta, nonnunquam ideò *Politicus* (*ſ*) dictus, quia ex civitate Alexandria oriundus. Hunc inter Monachos ſuos adſcriptum, cuidam è ſenioribus fratribus, Græcæ linguæ haud ignaro, ſolatii causâ, Pachomius adjunxit ſocium, & eodem utrumque contubernio uti voluit, donec Thebaïci idiomatis cognitionem ſufficientem eſſet aſſecutus. Virum porrò

(*h*) Ibid. *art.* 56. *pag.* 1139.
(*i*) Ibid. *art.* 7. *pag.* 1136.
(*k*) Ibid. *art.* 4. *pag. ead.*
(*l*) Ibid. *art.* 96. *pag.* 1142.
(*m*) *Vita* Pachomii *loco cit. num.* 51. *pag.* 316.
(*n*) Ibid. *num.* 24. *pag.* 305. *num.* 50. *pag.* 315.
(*o*) Ibid. *num.* 56. *p.* 317.
(*p*) Ibid. *num.* 79. *pag.* 317.
(*q*) Caſſian. *Inſtitut. Lib. V. cap.* 33. *pag.* 134.
(*r*) *Vita* Pachomii *num.* 60. *pag.* 319.
(*ſ*) Ibid. *num.* 79. *pag.* 327. *cit.*

porrò illum pulchrè perseverantem, singulari amore prosequebatur Pachomius: ideoque dedit operam ut Græcè loqui posset etiam ipse, Deo juvante, quo posset eum frequentiùs solari. Denique eumdem Præfectum fecit eorum, quos secum habebat Alexandrinorum, cæterorumque externorum. Theodorus igitur hic Alexandrinus vicem interpretis apud eos omnes subibat, qui Æpyptiacæ linguæ erant ignari, quibus cunctos Pachomii sermones fideliter omnino proponebat.

IX. Inde patet Monachos Tabennenses, non solùm sacrarum literarum, XI.
sed etiam exoticarum linguarum, & scientiarum aliarum studio non segniter Monachi Nitrienses.
occupatos fuisse. Unde & animadvertit Sozomenus, *Lib. VI. Hist. Eccl. cap. 28. pag. 678.* Quod Theonas à S. Petronio (*t*) visitatus sit circa annum 394. Ægyptiorum & Græcorum Romanorumque literis ac disciplinis eruditus, annis triginta silentium exercens. His autem Tabennensibus utrùm Nitrienses & Schetienses cesserint, inspiciamus. Cum Ammon quidem *ingressus* (*u*) *est interiora montis Nitriæ, nondum illic erant frequentia Monasteria: aucta* (*x*) *tamen & adeò amplificata sunt ab isto sanctissimo viro* qui circa annum 355. devixit, ut in eo monte quinquaginta (*y*) ferè, & non multo minus Monasteria cernerentur, in quibus habitarent ad (*z*) quinque millia virorum sub anno 396. apud quos *scripturarum divinarum*, inquit Rufinus, *meditationes & intellectus, atque scientiæ divinæ nusquam tanta vidimus exercitia, ut singulos penè eorum Oratores credas esse in divina sapientia.* Inter eos autem claruit Ammonius (*a*) adeò studiosus, ut Origenis, Didymi, & aliorum Ecclesiasticorum Scriptorum libros diligenter volveret. Cum illo familiariter vixit *Evagrius*, vir doctus imprimis & tum intelligendi facultate, tum dicendi copiâ præditus, qui & sacras literas didicit sub Gregorio Episcopo Nazianzi. Abbas quoque *Hor* (*b*) sub se habens mille fratres habitu Angelico præditos, scripturas memoriter expromebat, & earum multa interrogantibus capitula solvebat. *Marcus* (*c*) etiam Ascetes seu exercitator, eò quòd conscribendis potissimùm opusculis ad vitæ asceticæ perfectionem tendentibus occupatus sit, à Palladio jam centenarius visitatus est. Celebres illic fuerunt quatuor Pambonis discipuli, Dioscorus, (*d*) Ammonius, Eusebius & Euthymius, quatuor fratres cognomento *Longi* ob proceritatem corporis, tantâ præditi scientiâ, ut nihil Scripturarum eos fugeret, quæ plerisque imperviæ sunt. Ammonius præsertim vetus, novumque Testamentum memoriter retinens, etiam libros (ut mox diximus) eloquentissimorum virorum Athanasii, Basilii, Didymi, Pierii, atque Stephani usque ad sexcenta millia versuum legendo transivit. Theophilus (*e*) ipse, Alexandrinus Episcopus, vitam monasticam aliquandiu exercuisse fertur in eodem Nitriæ monte, ad quem posteà S. Cyrillum (*f*) ex sorore nepotem & in Episcopatu successorem misit sacris literis instruendum à sanctis Patribus illius loci incolis: ubi etiam instituti fuerunt duo Monachi nomine *Isaac*; (*g*) quorum unus presbyter, discipulus & successor Cronii presbyteri, ducentos & decem Monachos rexit, quorum plurimi Episcopis sunt annumerati. Alter presbyter Macarii discipulus, scripturam omnem memoriter tenens, centum & quin-

(*t*) Ruffin. *Vit. Patr. cap.* 4. Tillemont. *tom.* 15. *pag.* 32. *lin.* 6.
(*u*) Pallad. *Histor. Lausf. cap.* 8.
(*x*) Socrates, *Histor. Eccles. Lib. IV. cap.* 8.
(*y*) Rufin. *Vit. Patr. cap.* 21.
(*z*) Pallad. *ibid. cap.* 12.
(*a*) Sozom. *Lib. VII. cap.* 30.
(*b*) Pallad. *cap.* 9.
(*c*) Ibid. *cap.* 20. Tillem. *tom.* 16. *pag.* 449. 467.
(*d*) Ibid. *cap.* 77. Pallad. &. Pallad. *vit. Chrysost. cap.* 17. *pag.* 157.
(*e*) Tillemont. *tom.* 11. *pag.* 445. 476.
(*f*) Renaudot, *Histor. Patriarch. Alexandr. pag.* 106. & 108.
(*g*) Pallad. *Vit. Chrysost. cap.* 17. *pag.* 161. & *seq.*

quaginta sub se Monachos habebat, cujus discipulos septem & octo Episcopos constituit Theophilus.

X. Alii Nitrienses.

X. *Copres* (*h*) Sacerdos & Monachus annos 80. aut 90. natus, Manichæum disputatione superavit circa annum 394. & à Patribus Scethiensibus ad conferendum de Melchisedech invitatus, certum eis subministrat argumentum hos solitarios à studio divinarum & Ecclesiasticarum etiam abstruso non abstinuisse. Certam quidem scientiam probant Abbatis Isaïæ Regula, Epistolæ & Homiliæ; sicut & Macarii (*i*) Alexandrini doctrinam demonstrant ejus homiliæ quinquaginta & opuscula septem. *Paphnutius* (*k*) cognomento *Bubalus* in Scethi Eremo Abbas, vice luminaris magni, claritate scientiæ coruscans presbyter, ab adolescentia sua usque ad annum nonagesimum, Cœnobiorum scholis tanto ardore sese tradidit, ut Monasteriorum instituta, vel antiquissimorum Patrum doctrinam apprimè calleret. Theophilus (*l*) Alexandrinus Patriarcha, cum hæresim Antropomorphitarum in Epistola Paschali oppugnasset longâ dissertatione: Monachi, qui in Egypti Monasteriis scientiâ & perfectione omnibus præeminebant, hanc epistolam refutare conati sunt; ut præter hunc Paphnutium, nullus eam cæterorum Presbyterorum qui in Eremo Scethiensi aliis tribus Ecclesiis præsidebant, ne legi quidem aut recitari in suis Conventibus permiserint. Alter fuit *Paphnutius* (*m*) cognomine *Cephala*, magni Antonii discipulus, qui donum cognitionis divinarum Scripturarum habuit, eas omnes interpretans. Celeberrimus est alius *Paphnutius* (*n*) Episcopus, qui in Concilio Nicæno protestatus est non esse grave Clericis & Sacerdotibus imponendum jugum de continentia servanda: Hic à puero in monasterio educatus fuerat, & ob singularem castimoniam ab omnibus laudatus: In superiori Thebaïde Episcopatum gerebat, cum aggregatus est numero eorum Confessorum quos Maximinus Imperator anno 311. ad opus in metallis faciendum damnaverat, dextris prius oculis effossis, & sinistro poplite succiso. Ideóque putat Bollandus (*o*) eundem esse cum Paphnutio, qui in Vita S. Antonii vocatur Confessor & Monachus. Synesius (*p*) etiam Ptolemaïdis in Lybia Episcopus, congratulatoriam Epistolam scripsit cuidam Joanni, quòd *Ganus* Abbas ei monachicum vitæ institutum tribuisset, ac libros eorumque sensum qui quidem ad Theologiam pertinet; quódque adeundæ urbis Alexandriæ facultatem ideò confirmasset.

XI. Monachi Palæstini.

XI. IMPAR non fuit scientiarum studium apud Mesopotamiæ, Syriæ, Palæstinæ & Arabiæ monachos. Nam S. Ephrem (*q*) Nisibi natus, in monastica philosophia ab ineunte ætate sese exercuit; & cum nec ab ullo doctus fuisset, repentè in Syrorum lingua ad tantam eruditionem pervenit, ut philosophiæ quidem difficillima quæque Theoremata facilè perciperet: facultate verò ac splendore orationis & sententiarum crebritate simul atque sapientiâ Græcorum Scriptores longo intervallo superaret. Multa (*r*) Syro sermone composuit, & ad sanctam venit claritudinem, ut post lectionem Scripturarum publicè in quibusdam Ecclesiis ejus scripta recitentur. Dicitur (*ſ*) porrò hic Edessenæ Ecclesiæ Diaconus circiter tricies centena versuum millia in universum scripsisse, multosque habuisse discipulos, qui doctrinam ejus studiosè æmulati sunt. S. Hilario, S. Hieronymo (*t*) teste, Scripturas memoriter tenens, post orationes & psalmos quasi Deo præsente recitabat. Hujus

(*h*) Tillemont. *tom.* 7. *pag.* 417. *& seqq.*
(*i*) Ibid. *pag.* 431. *tom.* 8. *pag.* 619. *& seq.*
(*k*) Cassian. *Collat.* 3. *cap.* 1. *&* 2.
(*l*) Idem, *Collat.* 10. *cap.* 1.
(*m*) *Histor. Lauf. cap.* 91.
(*n*) Socrates, *Lib. I. cap.* 8. 11. *&* Sozom. *Lib. I. cap.* 10 *&* 11.
(*o*) Bolland. 17. Januarii, §. 17. *& vita Antonii num.* 58. *pag.* 840.
(*p*) Synes. *Epist.* 146. *pag.* 283.
(*q*) Sozom. *Lib. III. cap.* 16.
(*r*) Hieronym. *de Scriptor. Ecclesiast. cap.* 115.
(*ſ*) Sozom. *loco citato.*
(*t*) Hieron. in *vita S. Hilarion. pag.* 77. *tom.* 4.

discipulus & sodalis S. Epiphanius, (*u*) juxtà Besanducem, in territorio Eleutheropolitano vicum, ex quo ortus fuerat, Monasterium construxit. Qui cum ab ineunte adolescentia præstantissimis Monachis institutus fuisset, ejusque rei causâ diutissimè moratus esset in Ægypto in monastica philosophia celeberrimus extitit, non apud Ægyptios solùm & Palæstinos, verùm etiam apud Cyprios, apud quos electus est, ut in Metropoli totius Insulæ Episcopatum administraret. Quâ ex re per universum, ut ita dixerim, orbem terrarum maximam nominis famam adeptus est: *Pentaglottos* (*x*) appellatus, quia linguas Græcam, Syram, Hebræam, Ægyptiacam, & ex parte Latinam noverat.

XII. At verò quemadmodùm Ægyptiis Monachis Historiam (*y*) Arianorum aliaque Sancti Athanasii Opera, ab illo ista postulantibus anno 358. debemus; ita desiderio, studioque Monachorum Syrorum referenda sunt S. Epiphanii tum *Panarium* quod adversùs hæreses circà annum 375. scripsit, (*z*) tum epistolæ nonnullæ quas eis dedit. Silvanus (*a*) ex Palæstina ortus, cum aliquandiu in monte Sina moratus fuisset, tandem Geraris juxtà torrentem, maximum & nobilissimum Monasterium plurimorum bonorum virorum simul degentium constituit: ubi ex Scripturis (*b*) divinis Fratres lapsos ad pœnitentiam provocabat. Discipulum habuit & successorem nomine Zachariam, qui sub anno 415. (*c*) in præfato Geraris monasterio præerat, (*d*) quando repertum est corpus Zachariæ, Joïadæ filii, in vico Caphar in finibus Eleutheropolis, & ex vetusto quodam Hebræorum Libro, non tamen Canonico, explicuit quisnam esset infans qui sub pedibus Prophetæ jacebat, regiâ sepulturâ honoratus. Ad alium Silvani Syrum Abbatem Zenonem (*e*) venerunt quidam Fratres, & interrogaverunt eum dicentes: Quid est quod scriptum est in Libro Job, *nec Cœlum mundum esse in conspectu Dei?* In Syria quoque Palladius vitæ monasticæ prima recepit rudimenta sub Sancto Elpidio Abbate in monte Luca, ad regionem Amorrhæorum propè Jericho, sicuti refert ipse in sua *Historia Lausiaca, Cap. 4. & 106.*

XIII. RUFINUS autem, qui monasterium in monte Oliveti fundavit circà annum 377. quamplurimos Fratrum habere se affirmat in cellulis suis illic manentes, qui pro S. Hieronymo plurimos (*f*) Ciceronis dialogos describebant: » Quorum ego, inquit, quaterniones cum scriberent, frequenter in » manibus tenui & relegi: & quod mercedes multò largiores quàm pro aliis » scripturis solent, ab isto eis darentur, agnovi. Mihi quoque ipsi aliquandò » cum de Bethleem Hierosolymam venisset, & codicem secum detulisset, in » quo erat Dialogus Ciceronis: Et idem ipse Græcus Platonis quod dederit » ipsum Codicem, & aliquandiu fuerit apud me, nullo genere negare potest. » Sed quid immoror tandiu in re, quæ luce est clarior? Cum ad hæc omnia » quæ suprà diximus, etiam illud addatur, ubi cesset omnem commentum, » quòd in monasterio positus in Bethleem, antè non multo adhuc tempore » partes grammaticas executus sit: Maronem suum, Comicosque ac Lyricos » & Historicos Auctores . . . puerulis exponebat. » Deindè refert idem Rufinus, quod sex annis Dei causâ Alexandriæ commoratus fuisset, ubi Dydimum, ubi alios nihilominùs illo non inferiores Serapionem & Menitem, viros naturâ & moribus & eruditione germanos audiret præceptores: quod- XIII. Monachi Palæstini.

(*u*) Sozom. *Lib. III. cap.* 14. & *Lib. VII. cap.* 32.
(*x*) Hieronym. adversùs Rufin. *Lib. II. pag* 417. & *Lib. III. cap.* 443. *tom.* 4. *parte* 2.
(*y*) Athan. *tom.* 1. *pag.* 343.
(*z*) Epiphan. *tom.* 1.
(*a*) Sozom. *Lib. VII. cap.* 32.
(*b*) *Vita Patr. Lib. V. cap.* 10. §. 83. *pag.* 605.
(*c*) Tillem. *tom.* 10. *pag.* 453.
(*d*) Sozom. *Lib. IX. cap.* 17.
(*e*) *Vita Patr. Lib. V. cap.* 10. §. 22. *pag.* 598. & Tillemont. *tom.* 10. *pag.* 454—458.
(*f*) Rufin. *Apolog. Lib. II. tom.* 5. *Oper. Sancti Hieronymi*, 287.

quæ ad Eremi Magiſtros veniſſet, quibus & attentiùs & frequentiùs vocaverat; ubi Macarius Antonii diſcipulus, & alter Macarius, & Iſidorus, & Pambo, omnes amici Dei, qui eum huc docuerant, quæ ipſi à Deo didicerant.

XIV. Ipse S. Hieronymus (*g*) inter Opera Monachorum recenſet *Scriptionem Librorum, ut & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur.* Et ad Lucinium (*h*) ſcribens: *Si pergamenta*, inquit, *vel minùs aliqua deſcripta ſunt quæ ſenſum legentis impediunt, non mihi debes imputare, ſed tuis & imperitiæ Notariorum, Librariorumque incuriæ: qui ſcribunt non quid inveniunt, ſed quod intelligunt; & dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos.* S. Nilus, in monte Sina eruditus Abbas, Monachum acedioſum deſcribens: » Acedioſus (*i*) lectitans, *ait*, ſæpiùs oſcitatur, & » in ſomnum demergitur facilè: confricat faciem, & manus extendit, & » oculos avertens à codice, parietem intuetur; & rursùs rediens, incipit » paululùm legere, & aperiens ultimam partem Libri, curioſus inquirit, » enumerat folia, quaterniones ſupputat, ſcripturam vituperat & ornatum: » poſtremò complicans Librum, capiti ſuo ſuppoſuit, & obdormit ſoporem. » È contrà Palladius laudat Philoromum, (*k*) Monachum & Presbyterum Galatam, cujus auſteritate, conſtantiâ delectabatur S. Baſilius magnus, & in opere diligentiâ: quippequi à calamo & charta non receſſerat, cum eſſet natus annum octogeſimum. Alius Ancyræ in Galatia monachus cognomine Eleemon, (*l*) ſive miſericors aut eleemoſinarius, ſi quis ei ex Fratribus donaſſet codicem, continuò hunc vendere conſueverat. Iis autem ſciſcitantibus cur vendidiſſet, dicebat: Unde probabo magiſtro meo, me ejus artem accuratè didiciſſe, niſi illo ipſo uſus fuero ad artem rectè exercendam.

XV. Quid ſenſerit S. Baſilius.

XV. S. Baſilius (*m*) monet ſuos Monachos, ut approbatos Libros lectitent, apocryphos ne attingant quidem omninò. Quâ verò diligentiâ ſtudere deberent, ſic explicat. » Vos (*n*) quoque nihil debetis prætermittere, undè » non fructum aliquem capiatis, aut ubi non induſtriam veſtram exerceatis: » ſed prætereà, quæ communiter cum cæteris diſcitis, etiam ſeorſim de rebus » ad utilitatem veſtram ſpectantibus interrogare... Nolimus quæſo nos ad » aliquid opus convertere, neque ſomno, rursùm tradamus corpora noſtra, » ſed in attenta meditatione & exquiſitione rerum neceſſariarum eam, quæ » reliqua eſt noctis partem traducamus... Si qua (*o*) autem inter Fratres » controverſia ſit, ea aut communiter in medium omnibus diſceptanda pro- » ponatur, aut ſeorſim de iis cum Magiſtro Conventûs communicetur. » Et hæc (*p*) ſolvendi quæſtiones ratio ſervetur etiam inter hoſpites jubet S. Antiſtes, ita ut ſermocinatio, (*q*) atque veritatis inquiſitio fiat abſque ulla animi contentione, aut alta vocis prolatione.

XVI. Monachi puerorum Magiſtri.

XVI. Non ſolùm natu majores & Monachos S. Baſilius ad ſtudium provocat, atque ad rectam ſtudendi rationem efformat, necnon ad ſcientiam differendi mutuam dirigit: verùm & ipſos pueris in Monaſterio inſtruendis præfectos Magiſtros edocet quomodò ergà iſtos adoleſcentulos gerere ſeſe debeant. » Cùm Dominus (*r*) dicat, ſinite parvulos venire ad me, & Apoſtolus eum » laudat, qui ab infantia ſacras Literas didiciſſet.... Qui à parentibus ad nos » adducuntur.... educandi, illi quidem cum omni caritate, non ſecùs ac ſi communes

(*g*) Hieron. *Epiſt. ad Ruſtic. olim.* 4. *nunc* 95. *pag.* 774.
(*h*) Idem, *Epiſt. olim* 28. *nunc* 52. *pag.* 578.
(*i*) Nilus, de *octo vitiis*. *cap.* 6. *ad calcem vitæ S. Chryſoſt. Edit. Bigot. pag.* 376.
(*k*) Hiſt. Lauſ. *cap.* 113.
(*l*) Ibid. *cap.* 115.
(*m*) Baſil. de Aſceſi, *tom.* 2. *pag.* 383. C. *Ed. Vet.*
(*n*) Idem, *Præm. in Reg. brev. pag.* 623.
(*o*) Idem, in *Reg. ſuſ. ad Interrog.* 49. *pag.* 600.
(*p*) Ibid. *Interrogat.* 45. *pag.* 597.
(*q*) Idem, *Epiſt. ad Gregor. Nazianz. tom.* 3. *pag.* 44.
(*r*) Idem, *Reg. ſuſ. Interog.* 15 *tom.* 2. *pag.* 552.

» communes totius fratrum Collegii filii essent; seorsúmque ipsis & locus in » quo habitent, & victûs ratio quam teneant, assignari debet.... His autem » (*s*) qui tales sunt præficitur is, qui cum ætate, tum usu etiam rerum cæ» teris antecedat, cujusque omnibus testata morum facilitas sit: quo videlicet » cum paterna lenitate, tum prudenti etiam sermone, errata corrigat ado» lescentulorum, appositis ad singula errata remediis adhibendis.... Atque » illud quoque considerandum est, ut literarum commentatio instituto nostro » conveniens sit: ut & Magistri scilicet vocabulis in sacris Literis usitatis » apud ipsos utantur; & loco fabularum, Historias ipsis rerum mirabiliter à » Deo gestarum enarrent: itemque sumptis in Proverbiis sententiis ad virtutem » erudiant. Profuerit illis, si proponentur præmia memoriæ cum rerum, tum » etiam verborum.

XVII. Non ita tamen adolescentes à lectione Gentilium Librorum arcendos existimavit S. Basilius, quin aliquam putaret indè futuram fuisse utilitatem, quæ ad animæ Monachorum conferret ædificationem. » Poëtis (*t*), » *inquit*, & Oratoribus, & omnibus hominibus utendum est... His externis » præinitiati; deindè sacras & arcanas doctrinas audiemur & assequemur... » Certè, quemadmodùm plantæ propria virtus est fructu abundare tempestivo; » at folia nihilominùs ramis conjuncta quemdam ferunt ornatum: sic & ani» ma, cui præcellens quidem veritas fructus est, non abs re tamen exteriore » sapientia circumdatur, sicut foliis quibusdam umbram fructui ac aspectum » non intempestivum præbentibus. Dicitur enim & Moyses... Ægyptiorum » disciplinis mentem exercitatus, ita ad ejus, qui est, contemplationem pro» cessisse: similiter autem & in sequentibus temporibus Danielem Babylone, » Chaldæorum sapientiam dicunt didicisse, tunc denique divinas attigisse do» ctrinas. Similia dixerat Origenes Homil. 6. in Genesim & Homil. 14. necnon Homil. 2. in Exodum, atque Philocal. cap. 13. similia S. Hieronymus Epist. olim 82. nunc 83. pag. 654. Gregorius Nissenus in vita Moysis: Augustinus, Lib. II. de Doctrina Christiana, cap. 40. & Gregorius Nazianzenus, Orat. 20. in laudem S. Basilii. XVII. Monachi scientiarum exoticarum periti.

XVIII. Si autem quid hic Theologus senserit de Monachis in scientiarum inquisitione occupatis sciscitari volueris: recogita illos haud dubiè allocutum fuisse, cùm diceret. » Turpe (*u*) est profectò cum in veste ac victûs » ratione non magnificentiam, sed utilitatem amplectaris, ac genuum callo, » & lacrymarum fontibus, jejuniis item & vigiliis, lectulique in terra strati » asperitate, laboribusque, atque omni corporis maceratione & subactione, » humilitatem infirmitatisque tuæ sensum ostendas ac per se feras: in divinis » disputationibus principatum ac tyrannidem tibi vindicare, nec quicquam » fasces submittere, ac suprà omnes legis Doctores supercilium attollere: » ubi hmilitas non solùm gloriam habet, verùm etiam securitatem. Quid » igitur? Interpellabit quispiam ex iis qui animo præditi sunt? An tu hac » oratione nobis, ne de Deo loquamur, interdicis? Et quidnam ore versa» bimus? Aut quo loco illud ponemus? *Semper* (*x*) *laus ejus in ore meo:* » &, *Benedicam* (*y*) *Dominum in omni tempore:* & *Veritatem meditabitur* » *guttur meum:* &, *Ecce* (*z*) *labia mea non prohibebo:* aliaque in eamdem » sententiam meditata ac definita testimonia producet. Cui leniter ac sine » animi acerbitate, ut hinc quoque animi moderationem doceamus, occur- XVIII. Gregorii Nazianzeni opinio.

(*s*) Ibid. *pag.* 554.

(*t*) Homil. 24. aliàs 23. *tom.* 2. *pag.* 492. *Edit. nov. aliàs* 173.

(*u*) Gregor. Nazianz. Orat. 26. *de moderatione in disputationibus servanda.*

(*x*) Ps. 33. *v.*

(*y*) Ps. 29.

(*z*) Ps. 39. *v.* 10.

» rendum est. Non ad silentium te hortor, Vir sapientissime, sed à pertinaci » contentione deterrere suadeo : nec te veritatem perimere atque occultare » jubeo : sed ne præter legem doceas, veto. Nam & ipse vel primus inter eos » nomen profiteor, qui sapientiam & doctrinam laudibus efferunt, atque in » divinis sermonibus sacrisque studiis tempus conterunt. Ac Deus faxit, nè » quid unquam huic occupationi pervertendum ducam, nè ab ipsa sapientia » miser & infelix pronuncier, ut sapientiam & eruditionem aspernans. Inte- » rim tamen excessum vito, cupiditatemque inexplebilem coerceo : animoque » ita sum affectus, ut si mihi utrumque vitium fugere, ac mediocritatem asse- » qui non liceat, ignarus esse malim, quàm curiosus; ac nimis timidus, quàm » nimis audax & temerarius. . . Quare si consilio meo obsequamini, juve- » nes & senes, plebis præfecti & subditi, Monachi & vitam communem » amplexi, supervacaneas & inutiles ambitiones valere jubebitis.

IX. S. Augustini Assertio.

XIX. Idem porrò Gregorius Evagrium (a) monachum, de Divinitatis simplicitate interrogantem, his laudibus extollit : *Prudentiam tuam vehementer laudo, summèque admiror, qui talibus tantisque quæstionibus causam præbeas, accuratis interrogationibus, nobis dicendi necessitatem, probationisque laborem imponens; dum necessarias atque utiles quæstiones in medium affers.* Undè S. Augustinus (b) scientiam & doctrinam Monachorum in Oriente & Ægypto commorantium demiratus dicebat : » In Oriente maximè atque » in Ægypto.... quis non illos miretur & prædicet, qui contemptis atque » desertis mundi hujus illecebris, communem vitam castissimam, sanctissimam- » que congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, lectionibus, » in disputationibus... concordissimam vitam & intensissimam in Deum, gra- » tissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt... Operantur » manibus, ex quibus & corpus pasci possit, & à Deo mens impediri non » possit... Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam divinâ » doctrinâ excellentissimi, omnibus excelsi, nullâ superbiâ consulunt iis quos » filios vocant.

XX. SS. Sabæ & Joannis Climaci doctrina.

XX. S. SABAS ideò, cum (c) seculares quosdam qui mundo renuntiare vellent, admittebat, in Laura, in cellulis eos habitare non permittebat : sed in parvo Cœnobio illos manere jubebat; donec Psalterium & psallendi regulam didicissent, ac exactam Monachalis disciplinæ eruditionem accepissent. Dicebat autem semper, Monachum celliotam seu in cella residentem debere esse vi discernendi præditum, studiosum... aptum ad docendum, non indigentem doctrinâ. Sanctus etiam Joannes Climacus : » Dogmatum (d), aiebat, » ingens est alta profunditas : mens autem Solitarii non absque periculo in- » siliet in ea. Tutum non est cum veste natare, neque cum passione aliqua » Theologiam attingere..... Solet (e) lectio non mediocriter illum illuminare, » atque colligere mentem... Sit tibi operanti lectio, quæ informet actionem... » Noli, antequam virtute spiritali præditus sis, eos libros legere qui menti » nocere possint : nam cùm verba reverà tenebrosa sint, imbecillioribus tene- » bras obducunt. Ampliora & copiosiora Sanctorum Patrum, qui primis Ecclesiæ sex seculis floruerunt, testimonia proferre supervacaneum foret : cum alia longè plura sequentibus temporibus adduci posse omnes fateantur eruditi viri, idque palàm loquantur Monachorum recentiorum Opera.

XXI. Monachi

XXI. ILLORUM studium & scientiæ acquirendæ desiderium assidua etiam in vestigandis perquirendisque Codicibus & scribendis sat indicat diligentia,

(a) Orat. 45.
(b) August. *de moribus Eccl. cap.* 31. *n.* 65. & 67.
(c) Vita S. Sabæ, *num.* 28. *tom.* 3. *monum. Eccles. Græca, pag.* 258.
(d) Joan. Clim. *Gradu* 27. *num.* 10.
(e) Ibid. *num.* 79. *in Biblioth. Patr. Parif.* 1644. *tom.* 5. *pag.* 279. *A.* & 283. *C.*

ad exemplum Alexandri (*f*) Episcopi Hierosolymitani, qui primus Bibliothecam hujus Æliæ Urbis Ecclesiasticam construxisse legitur. Pierium (*g*) quidem Alexandriæ Ecclesiæ Presbyterum appellare possem, qui in tantam sermonis diversorumque tractatuum venit elegantiam, ut Origenes junior vocaretur: constat enim hunc miræ Asceseos, & appetitorem voluntariæ paupertatis fuisse. At certiora subministrant argumenta Pachomii discipuli Tabennenses Monachi, Zacharias Silvani discipulus, Philoromus Galata, Eleemon pariter Galata Ancyranus, Rufinus, Hieronymus, eorumque discipuli, quorum mentionem superiùs (*h*) fecimus. Inter Schetienses Monachos celebratur Marcus (*i*), qui die quodam cum Abbatis sui Silvani vocem pulsantis audiisset, mox relicto Codice quem scribebat, foras egressus est: ingressus autem Abbas in cellam Marci, reperit quaternionem in quo literam (*k*) quam reliquerat mediam quandò vocatus est, ut obedientiam impleret, completam. Ad eumdem Silvanum (*l*) adveniens quidam frater peregrinus dicebat fratribus: Quare *operamini escam quæ perit: Maria enim optimam partem elegit*: tunc Abbas dixit discipulo suo Zachariæ: *Da illi Codicem* ut legat, & mitte illum in cellulam quæ nihil habet. Codicum & Bibliothecarum studiosi.

XXII. De Anastasio (*m*) Abbate refertur, quod haberet Codicem in pergamenis valdè optimis scriptum, qui totum Vetus & Novum Testamentum complecteretur. Theodorus (*n*) Anachoreta operarius factus est, & de mercede diurna minuta trium numismatum comparavit, quibus emit Librum Novi Testamenti. Cyriacus (*o*) Abbas Presbyter Lauræ Calamonis juxtà Fluvium Jordanem, librum accepit mutuò ab Hesichio Presbytero Hierosolymitano: evolvens autem istud volumen, duos invenit in ejus fine Libros Nestorii heresiarchæ: Quapropter statim abiit, & librum reddidit Hesichio, qui duos Nestorii Libros ex volumine protinùs proscidit, eosque igne tradidit. Cosmas (*p*) Lauræ Pharan Abbas, vir singularis religionis & fidei, rectorumque dogmatum valdè tenax & zelator, ac divinarum Scripturarum scientiâ non mediocriter instructus, dicebat Joanni Moscho, qui eadem in Laura mansit annos decem: *Cum inveneris aliquid ex opusculis Sancti Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis tuis scribe illud.* Anno (*q*) 531. scripta sunt Opera Sancti Ephrem Diaconi, manu Jonæ Monachi, jussu Niconis Abbatis. S. Stephanus (*r*) junior, martyrio coronatus, anno 766. dum Abbatem gereret in monte Auxentio, more Apostolorum, connectendi & contexendi atque etiam eleganter scribendi artem didicit: ut ne alicui gravis & molestus esset, sed potiùs è propriis laboribus indigenti largiretur. Anno 787. Concilium Nicænum (*f*) secundum celebratum fuit, in quo *Act. 1. 4. & seqq.* memoratur Stephanus Monachus custos Librorum Patriarchii. Nihil dixi de S. Pachomio, qui fertur (*t*) aliquandò reperiisse volumen Origenis, & in aquas misisse continuò: atque dixisse, quod omnis (*u*) homo qui legit Origenem, & consentit his quæ pravè disseruit, in profunda perveniet inferorum. Nihil dixi de Codice epigrapho S. Athanasii de *Incarnatione Domini*, in quo Christus vocatur Homo (*x*) Dominicus: acce- XXII. Alii Codicum studiosi.

(*f*) Euseb. *Hist. Eccles. Lib. VII. cap.* 20. *pag.* 181.
(*g*) Hieronym. *de Scriptor. Eccles. cap.* 76.
(*h*) Supra *num. VI. XIII. XIV.*
(*i*) Vita Patr. *Lib. III.* §. 143. & *Lib. V. cap.* 14. §. 5. *pag.* 521. & 618.
(*k*) Ibid. *Lib. III.* §. 55. *pag.* 509.
(*l*) Ibid. *num.* 30. *pag.* 503.
(*m*) Prat. Spirit. *cap.* 134.
(*n*) Ibid. *cap.* 46.
(*o*) Ibid. *cap.* 40.
(*p*) Oudin. de *Scriptor. Eccles. tom.* 2. *pag.* 465.
(*q*) Vita S. Stephani, in *Analect. Græc. pag.* 428.
(*r*) *Tom.* 7. *Concilior. pag.* 82. 246. *&c.*
(*f*) Vita Pachomii, *cap.* 27. *apud Rosweid. pag.* 123.
(*t*) Ibid. *cap.* 44. *pag.* 132. & *apud Bolland.* 14. *Maii.*
(*u*) Rufin. *Apolog. pro Origen. tom.* 5. *Oper. S. Hieronym. pag.* 253.

pto autem isto Codice Appolinarista quidam, locum istum de quo erat quæstio, rasit; & eadem verba rescripsit quæ raserat. Codex redditus simpliciter receptus est: Movetur item pro eodem sermone quæstio: Ad probationem codex profertur: invenitur sermò de quo erat quæstio, ex litura in codice positus: fides Hieronymo proferenti talem codicem derogatur, eò quòd litura illa corruptionis ac falsitatis videretur indicium. Hæc Rufini narratio, quam S. Hieronymus *Fabellam* (*y*) appellare voluit, clarè probat huic & aliis monachis solitum fuisse scribere Opera sanctorum Patrum.

XXIII. Monachi Operum Autores.

XXIII. Circa annum 620. Antiochus, Palæstinæ Monachus, Homilias centum & triginta elaboravit, quas Monachi exscribere curarent, inquit *Baronius*, (*z*) ut eis uno loco non valentes consistere sub barbarorum grassationes, huc atque illuc per loca deserta salutem sibi quærentes, uti possent. Non solùm antiquariorum & librariorum munere, sed etiam auctorum eruditione atque labore illustratos fuisse quis nescit? Ex Scriptorum Catalogo monachos expungis? Illum deficient Antonius, Pachomius, Theodorus, Arsisius, Ammonius Canopræus, Ammonius alter, Nitriensium Monachorum Pater, Serapio Episcopus Thmuensis, Basilius magnus, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius Iconiensis, Macarius Scethiensium Monachorum Institutor, Ephremius Edessenus, Evagrius Ponticus, Gregorius Nyssenus, Paphnutius, Epiphanius, Rufinus, Palladius, Hieronymus-Panodorus, Ananus, Joannes Cassianus, Nilus Abbas, Sinaïta, Cyrillus Alexandrinus, Acacius Beræus, Pameus Ægyptius, Isidorus Pelusiota, Theodorus Cyrensis, Marcellus, Acemetarum Institutor, Auxentius, montis Olympi Abbas in Bithynia, Euthymius, Cœnobiarcha Palæstinus, Dorotheus Alexandrinus, Jobius, Operum S. Dionysii Areopagitæ laudator, Cosmas Indicopleustes, & alii quorum vitam monasticam, & Opera diligenter exponit R. P. Dom. Remigius Ceillier, Ordinis S. Benedicti, in Congregatione S. Vitoni & S. Hydulphi, Prior titularis Flaviniacensis, in egregio Opere Gallicè inscripto: *Histoire Générale des Auteurs Sacrés & Ecclésiastiques*, Tom. IV. & seqq. usque ad XVI. inclusivè.

XXIV. Monachi alii Autores Operum.

XXIV. Persis autem primùm devastantibus, deinde Saracenis occupantibus Persidem, Syriam, Arabiam, Palæstinam, Egyptum, Pontum, Galatiam, Cappadociam, & majorem Asiæ, durum quidem jugum sunt experti Monachi, undequaque vel occisi, vel expulsi & vagabundi; plurimi tamen Libris aut scribendis aut elaborandis, ant colligendis non abstinuerunt. Testes occurrunt Sophronius (*a*) primò Sophista, posteà Monachus, tandem Hierosolymitanus anno 635. Patriarcha ordinatus, anno 644. defunctus.

Maximus (*b*) Constantinopolitanus Abbas, in exilio defunctus anno 662.

Thalassius, (*c*) S. Maximo præfato Martyri, synchronus & familiaris.

Anastasius (*d*) Abbas, ejus S. Maximi discipulus, ejusque itinerum, calamitatum & exiliorum comes individuus.

Theodosius (*e*) & Theodorus fratres, Monachi Orientales, circà annum 670. Scriptores.

Anastasius (*f*) Sinaïta, Patriarcha Antiochenus, hoc nomine tertius, circà annum 685.

Bartholomæus (*g*) Edessenus, in Syria Monachus, Legis Mahumedicæ confutator circà annum 730.

Joannes

(*y*) Hieronymus, *Lib. II. adversùs Rufin. cap.* 6. *tom.* 4. *pag.* 415. *f.* Tillemont. *tom.* 12. *pag.* 58. & 628.

(*z*) Baron. *tom.* 8. *an.* 614. *num.* 27.

(*a*) Oudin. de *Scriptor. Eccles. tom.* 1. 1606.

(*b*) Ibid. *pag.* 1635.

(*b*) Ibid. *pag.* 1619.

(*c*) Ibid. *pag.* 1652.

(*d*) Ibid. *pag.* 1654.

(*f*) Ibid. *pag.* 1663.

(*g*) Ibid. *pag.* 1783.

Joannes (*h*) Damaſcenus anno 740. Presbyter ordinatus.

Coſmas (*i*) Hieroſolymitanus, Joannis Damaſceni ſocius, & ſub altero Coſma Præceptore Monacho condiſcipulus, atque ex Abbate ordinatus Majumenſis Epiſcopus, apud Græcos Hymnographus celebris.

Anaſtaſius (*k*) Monaſterii S. Euthymii in Palæſtina Abbas ſub anno 745.

Georgius (*l*) Abbas, ab officio quo Taraſio Patriarchæ Conſtantinopolitano inſerviebat Syncellus dictus, anno 790.

Nicephorus (*m*) ex Monacho Conſtantinopolitanus Patriarcha ordinatus, anno 806.

Theophanes (*n*) in regione Sigriana Abbas *Agri*, & Confeſſor, atque ſacræ Chronographiæ Scriptor, anno 813.

Theodorus (*o*) Studita, Conſtantinopolitanus Abbas & Confeſſor, ſub anno 820.

Joſephus (*p*) Theodori Studitæ Frater, ex Monacho Theſſalonicenſis Epiſcopus iiſdem temporibus.

Naucratius (*q*) Monachus, Cœnobii Studienſis alumnus, & Theodori Studitæ diſcipulus.

Theoſtherictus (*r*) Cœnobii Medicienſis in Bithynia Monachus, ad annum 828.

Chriſtophorus (*ſ*) ex Monacho Patriarcha Alexandrinus, ſub anno 830.

Georgius (*t*) *Hamartolus*, ſive *Peccator* vulgò dictus, Monachus Græcus, circà annum 840.

Methodius (*u*) ex Monacho Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 842. creatus.

Theophanes (*x*) Graptus, ex Monacho Hieroſolymitano Nicænus Epiſcopus, circà annum 840.

Ignatius (*y*) ex Monacho Diaconus & magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Scerophilax, anno 840.

Sabas (*z*) Monachus Græcus S. Joannicii Anachoretæ ac Abbatis diſcipulus, ad annum 850.

Andreas (*a*) ex Monacho Hieroſolymitano Cretenſis Archiepiſcopus, ad hæc tempora protelatur.

Theognoſtus (*b*) Monachus, Patriarchæ Conſtantinopolitani Exarchus, ſive Legatus, circà annum 858.

Theodoſius (*c*) ex Monacho Patriarcha Hieroſolymitanus, anno 869.

XXV. Sequuntur & alii non pauciores Monachi ſuis Scriptis illuſtres, inter quos recenſentur Michaël (*d*) Monachus, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diaconus, & Ignatii Patriarchæ Syncellus, ab anno 842. ad annum 880. clarus; cautè diſtinguendus ab altero Michaële Syncello, qui monaſticam amplexus vitam in Monaſterio S. Theodori Studitæ, vitam ejus ſcripſit, & ſimpliciter *Michaël Monachus* appellatur, ſub anno eodem 842. Michaël Syncellus ſcripſit vitam S. Ignatii Patriarchæ.

(*h*) Ibid. *pag.* 1714.
(*i*) Ibid. *pag.* 1785.
(*k*) Ibid. *pag.* 1796.
(*l*) Ibid. *pag.* 1933.
(*m*) Idem, *tom.* 2. *pag.* 2.
(*n*) Ibid. *pag.* 19.
(*o*) Ibid. *pag* 32.
(*p*) Ibid. *pag.* 173.
(*q*) Cave, *Hiſt. lit. pag.* 437.
(*r*) Ibid. *pag.* 444.
(*ſ*) Oudin. *tom.* 2. *pag.* 67.
(*t*) Ibid. *pag.* 81.
(*u*) Ibid. *pag.* 88.
(*x*) Ibid. *pag.* 167.
(*y*) Ibid. *pag.* 105.
(*z*) Ibid. *pag.* 173.
(*a*) Ibid. *pag.* 174.
(*b*) Cave, *pag.* 465.
(*c*) Ibid. *pag.* 468—469.
(*d*) Oudin. *tom.* 2. *pag.* 334.

Georgius (*e*) Monachus, Basilii junioris Ascetæ discipulus, circà annum 896.

Epiphanius (*f*) Monachus & Presbyter Hagiopolita sive Hierosolymitanus, ab anno 956. ad annum 969. clarus.

Georgius (*g*) Monachus Græcus, qui vitas Imperatorum, quas Continuator Theophanis scripsit, contraxit anno 950.

Nicon (*h*) Armenus, *Metaneites* vulgò dictus, errantium Armenorum prædicator sub anno 990.

Olympiodorus (*i*) Monachus, natione Græcus, Scholæ Peripateticæ Philosophus, scripsit circà annum 990.

Epiphanius (*k*) Monachus & Presbyter Constantinopolitanus, vitam S. Andreæ Apostoli dedit ad annum 1020.

Anastasius (*l*) Sinaita, Antiochenus Patriarcha nomine Quartus, eodem tempore floruit, si Oudino credes.

Marcus (*m*) Hieromonachus, atque Lauræ S. Sabæ Præpositus, circà annum 1020.

Simeon (*n*) junior Theologus, Presbyter Constantinopolitanus S. Mamantis in Xerocero Monasterii Abbas seu Præpositus sub anno 1030. *Junior* vocatur; ut à *Simeone Metaphraste* secernatur, quem vulgaris opinio vixisse anno contendit, dissentiente Oudino & afferente hunc Metaphrastem scripsisse anno 1141.

Joannes (*o*) Xiphilinus, anno 1066. Patriarcha Constantinopolitanus, invitus ordinatus dicitur, cum vitam in olympo religiosis exercitiis deditam agebat, Trapezunte oriundus.

Joannes (*p*) Mauropus, à nigris pedibus dictus, primùm Monachus, deindè Euchaïtarum Metropolita, anno 1054.

Georgius (*q*) Cedrenus Monachus, natione Græcus, scripsit Annales sub anno 1054.

Philippus (*r*) Solitarius Græcus sub anno 1090. ad Callinichum Monachum sibi fratrem scripsit.

Gregorius (*s*) Monachus & Præpositus Monasterii in Oxia sive Oxea Propontidis Insula ad annum 1110.

Jacobus (*t*) Monachus in Monasterio Coccinopati, floruit ad annum 1101.

Euthymius (*u*) Zigabenus Monachus Constantinopolitanus scripsit circà annum 1116.

Cyrus (*x*) Theodorus Podromus Scriptorem agebat iisdem temporibus.

Joannes (*y*) Zonoras in Aula Imperatoria Orientali magnus Vigilum Præfectus, posteà Monachus, anno 1110.

Elias (*z*) Cretensis junior & ultimus Orationum S. Gregorii Nazianzeni Commentator ad annum 1120.

Nicetas (*a*) Bizantinus, ex vitæ instituto dictus vulgò Philosophus, id est Monachus, eodem floruit tempore.

Alexander (*b*) natione Græcus, professione Monachus, nonnulla opuscula dedit circà annum 1120.

(*e*) Ibid. 403.
(*f*) Ibid. *pag.* 455.
(*g*) Ibid. *pag.* 461.
(*h*) Ibid. *pag.* 462.
(*i*) Ibid. *pag.* 513.
(*k*) Ibid. *pag.* 542.
(*l*) Ibid. *pag.* 558.
(*m*) Ibid. *pag.* 584.
(*n*) Ibid. *pag.* 585. & 1302.
(*o*) Ibid. *pag.* 684.
(*p*) Cave *pag.* 527.
(*q*) Idem, *pag.* 529.
(*r*) Oudin. *tom.* 2. *pag.* 851.
(*s*) Ibid. *pag.* 972.
(*t*) Cave *pag.* 559.
(*u*) Idem, *pag.* 567.
(*x*) Idem, *pag.* 593.
(*y*) Oudin. *tom.* 2. *pag.* 983.
(*z*) Ibid. *pag.* 1066.
(*a*) Ibid. *pag.* 1070.
(*b*) Ibid. *pag.* 1071.

Nilus (*c*) seu Nicolaus cognomento *Dokapatrius*, Ecclesiæ Græcæ primùm Archimandrita, postmodùm Notarius Patriarchalis magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & Propædus Syncellorum, anno 1140.

Gerardus (*d*) à Nazareth, natione Judæus, Antiochenus Eremita, deindè Laodicensis Episcopus, anno 1140.

Theodorus (*e*) cognomento Ptochoprodromus, assumpto habitu Monachico, *Hilarion* dictus, anno 1150.

Joannes (*f*) Phocas Creta oriundus, factus Monachus invisit Loca sancta anno 1186.

Joannes (*g*) Camaterus, Canielejo Monasterio Præfectus, Astronomus circà annum 1190.

XXVI. *Brocardus patriâ Hierosolymitanus, Palæstinorum Doctor, natione Hebræus*, inquit Conradus (*h*) Gesnerus, Ordinis Carmelitici secundus è Latino Prior Generalis, bellorum turbinibus, Saracenorum insultibus, & suorum Eremitarum ex uno ad alium locum persecutionis fugiendæ causâ diversionibus, non modicè forsàn aliquos tepuisse, & alios, tyrones præsertim instructione, & vitæ regularis methodo cùm indigere nosset, anno (*i*) 1491. sui Ordinis Canonem, seu quædam, quæ observare tenerentur, eisdem *Latinè composuit*. Hic metam imponat Orientalibus Monachis, qui suis illustrem scriptis famam ad posteros transmiserunt, è quorum laterculo fortè non expungendus esset Simeon (*k*) Siracusanus, cujus in itinere socius fuerat Cosmas Antiochenus Monachus: Simeon enim Treviris in Germania defunctus anno 1035. Palæstinæ anteà Monachus & in monte Sinaï Eremita, fuit Pentaglottus, sive Linguarum quinque peritus, Ægyptiacæ, Syriacæ, Arabicæ, Græcæ & Latinæ. Occidentales autem Monachos studio scientiâque illustres hactenùs omisimus: rem enim absolvit & eruditè confecit R. P. nunquam sine laude memorandus Domnus Joannes Mabillonius, duobus in Operibus Gallicè inscriptis: *Traité des Etudes Monastiques*, Paris. an. 1691. *Réflexions sur la Réponse de M. l'Abbé de la Trappe au Traité des Etudes Monastiques*, Paris. 1692. *in*-4°. Quibus non minores nec pauciores suppetias sparsim addidit alter ejusdem Ordinis S. Benedicti Monachus, Congregationis S. Mauri Presbyter, R. P. Domnus Antonius Rivet, veterum monumentorum perscrutator sagacissimus, in exquisito & eruditionis oculatissimæ perito Opere Gallicè inscripto: *Histoire Litéraire de la France*, tomis plurimis contento, quorum primus Parisiis prodiit *in*-4°. anno 1733. & octavus, 1747. quos alii prelo laborantes secuturi sunt. Sed heu! Hunc invida mors nobis abstulit, anno 1749. die 7. Februarii.

XXVI. Brocardus Carmelita.

XXVII. Aliud scientiæ Monachorum argumentum desumitur ex adunatione atque Instituti Monastici societate cum Ordinibus sacris & Ecclesiasticis Officiis, vel ipso ab Antonii tempore, cujus discipuli Macarius, Pambo, Isaac, Paphnutius & Cronius Sacerdotio sunt insigniti. Quid enim certò certiùs constabit (*l*), ex quo orbi illuxit firma & determinata hujus vitæ institutio, amantissimos quosque purioris Ecclesiasticæ disciplinæ Episcopos, non aliud antiquius habuisse, quàm ut Instituta Monastica sacris muneribus, Monachos Clericis consociarent? Anno 311. Paphnutius alius Episcopus in inferiori Thebaïde damnatus est ad Metalla cum aliis Confessoribus à Maximino

XXVII. Monachi sacris muniis aggregati.

(*c*) Ibid. *pag.* 1181.
(*d*) Cave *pag.* 580.
(*e*) Idem, *pag.* 585.
(*f*) Oudin. *pag.* 1602.
(*g*) Ibid. *pag.* 1655.
(*h*) Gesner. *Bibliothec. univers. pag.*
(*i*) Lezana, *tomo* 4. *Annal. an.* 1171 *num.* 8. 9. *& an.* 1191. *num.* 9. *pag.* 71. & 115.
(*k*) Bolland. 1. Junii, Fleury, *tom.* 12. *Lib. LIX. num.* 27 *pag.* 504. Rivet, *Hist. Lit. de la France*, *tom.* 7. *pag.* 27. 67. 114.
(*l*) Thomassin. *Disciplin. Eccles. parte* 1. *Lib. III. cap.* 13. *pag.* 667. *num.* 1. Latinè.

Imperatore. Antè annum 325. Jacobus (*m*) Nisibiensis ex anachoresi ad infulam assumptus fuit. Solitarius Abrahamus (*n*) Presbyter in Edessena Diœcesi plebem regebat anno 1334. verùm & anno 354. S. Athanasius (*o*) Dracontio Abbati Episcopatum fugienti scribebat : » neque enim tu solus ex » Monachis es ordinatus: neque tantùm Monasterio præfuisti, vel solus à Mo- » nachis dilectus es ; sed nosti Serapionem Monachum esse , & tam multis » præfuisse Monachis. Nec te præterit quot Monachorum pater fuerit Apollos. » Nosti Agathonem, nec ignoras Aristonem, ac meministi Ammonii cum » Serapione profecti. Fortassis etiam ad te pervenit fama Muiti in superiori » Thebaïde commorantis, atque dicere potuisti quid Paulus qui Lati degebat, » egerit : ac similiter alii plurimi , qui tamen ordinati, non repugnaverunt ; » sed Elisæi exemplo ducti , nec ignorantes quid egerit Elias.... nec mini- » sterium aspernati sunt.

XXVIII. Alii Monachi honoribus Ecclesiasticis insigniti.

XXVIII. AMMONIUS Elæarchiæ Episcopus, de quo S. Athanasius mox loquebatur secernendus ab alio Ammonio juniore Episcopo, qui ad Theophilum Alexandrinum Patriarcham Epistolam (*p*) scripsit de conversatione & vita SS. Pachomii & Theodori ejus discipuli atque successoris. Hic enim Ammonius annos septemdecim natus , nomine Christianæ religioni dato , ad præfatum Theodorum Thebæum , Tabennesiotarum Abbatem adiit, anno 352. in Monasterio Pabau, ubi traditus est alteri Theodoro Alexandrino , & Ausonio, qui secundas ab eo partes tenebat : ad quem Theodorus Abbas, *da (q) operam*, inquit, *ut in divinarum Scripturarum intelligentia præclarè erudiatur ; neque enim in Monasterio semper versabitur , sed rerum sacrarum in Dei Ecclesia minister fiet.* Verùm & anno 348. in Synodo Latorum ipse Pachomius accusatus, eò quod diceretur dignoscere occulta, videns eos qui circà se contendebant; silentium diu tenuit : tandem ab Episcopis Philone & Mobe , ut sua seque defenderet , jussus , hoc modo respondit. *Numquid (r) antè etiam quàm Episcopatûs curam susciperetis, Monachi mecum in Monasterio? An ignoratis, &c.* A Joanne Cassiano celebratur » Panephysis op- » pidi in Ægypto Episcopus Archebrius districtione omni ævo suo proposi- » tum solitudinis custodivit, ut nihil de præteritæ humilitatis tenore laxaverit, » aut de adjecto sibi honore blanditus sit. Non enim tanquam idoneum se ad » istud officium testabatur ascitum : sed velut indignum ab illa Anachoreseos » disciplina quærebatur expulsum ; eò quod triginta septem annis in eadem » commoratus ad puritatem tantæ perfectionis pervenire potuisset.

XXIX. Alii Monachi.

XXIX. PRIMUS Saracenorum Episcopus , anno 373. ordinatus est Moyses (*ſ*) Raïthuensis Monachus, cujus successor in Pharan Episcopus fuit Natyrus sive Netreus, montis Sinaï Abbas. Dies haud dubiè me deficeret enumerantem quot Episcopi ex Monachis fuerint recentioribus temporibus ordinati : Quantò autem plures (*t*) ad Presbyteratum, plures ad Diaconatum asciti ? Nam *Sacerdotium ex Virginum ordine* , inquit S. Epiphanius (*u*), *præcipuè constat ; aut si minùs ex Virginibus, certè ex Monachis.* Sanctus etiam Hieronymus (*x*) refert quod S. Paulæ ad oppidum Nitriam advenienti occurrerunt Sanctus & Venerabilis Episcopus Isidorus , & innumerabiles Monachorum , ex quibus multos sacerdotalis & Leviticus sublimabat gradus. Anno 394. Rufinus (*y*) vir Consularis ad Quercum sive suburbanum Chalcedonis &

(*m*) Tillem. *tom. 7. pag.* 262.
(*n*) Ibid. *pag.* 589.
(*o*) Athanas. *tom.* 1. *pag.* 267. *A.*
(*p*) Bolland. 14. Maii , *tom.* 3. *pag.* 347.
(*q*) Ibid. *num.* 4. *pag.* 344.
(*r*) Ibid. *pag.* 323. in Vit. Pachom. *num.* 72.
(*ſ*) Tillem. *tom.* 10. *pag.* 454. & *tom.* 7. *pag.* 595. *vit. Patr. Lib. V. cap.* 10. §. 36.
(*t*) Thomassin. *loco cit. cap.* 13. *num.* 12.
(*u*) Epiphan. in *Exposit. Fidei Cathol. cap.* 21.
(*x*) Hieronym. *Epist. olim* 27. *nunc* 86. *pag.* 677. *F.*
(*y*) Sozom. *Lib. VIII. cap.* 17.

& Ecclesiam maximam in honorem Apostolorum Petri & Pauli construxit: & juxtà eam Monachos collocavit, qui Clericorum in Ecclesia ista munera explerent. Anno 399. cùm S. Joannes Chrysostomus (ʒ) audiisset, incolas Phœnices circà cultum Idolorum adhuc insanire, Monachos quosdam zelo Dei ferventes collegit; eosque Imperialibus Edictis munitos, adversùs simulacrorum templa direxit. Et anno 405. coadjutores etiam exul mitti curavit; atque ut alii plures mitterentur, ad Simeonem & Marim Monachos, & in Diœcesi Apamiensi Presbyteros, suam scripsit Epistolam sanctissimam.

XXX. IPSE S. Hieronymus (a) Ecclesiam oppidi Bethleemitici Presbyter anno 404. regebat, quo Abraames (b) Cyrensis regionis Abbas, postquam vicum quemdam montis Libani ad Fidem Christianam convertisset, & Sacerdotio insignitus gubernasset tribus annis, ad Monasticum rediit habitaculum: sed Carrarum posteà Pontifex in Mesopotamia creatus, obiit circà annum 422. Alios mitto, quos jam superiùs (c) videre est, & in vitis Patrum, putà Danielem (d), quem Paphnutius Bubalus coæquare sibi etiam Sacerdotii ordine festinavit: Eulogium (e), qui in offerendis Sacramentis, uniuscujusque accedentium ad altare, merita culpasque cognoscebat; sicut & Dioscorus (f) habens in Monasterio centum ferè Monachos summam curam habebat, ne quis eorum accedens ad Sacramenta, in aliquo deferret conscientiæ maculam. Legimus etiam quod Juvenalis (g) Hierosolymitanus Patriarcha è Monasterio S. Euthymii assumens Monachos Stephanum & Cosmam, Diaconos sanctæ Resurrectionis ordinaverit, posteà eumdem Stephanum Samniæ Episcopum, Cosmam Presbyterum ordinatum Staurophylacem, id est, sanctæ Crucis custodem constituerit: quodque idem Cosmas ab Anastasio Juvenalis successore creatus fuerit Scytopolis Episcopus: cujus duos Fratres ex Laura præmemorati Euthymii accersitos Eudocia Augusta curavit ordinari Presbyteros; Gabrielem quidem Ecclesiæ S. Stephani Præfectum, Chrysippum autem in Ecclesia S. Resurrectionis Staurophylacem.

XXX. Monachi Librarii.

XXXI. VERUM insuper quàm frequens esset in Oriente atque probata deinceps Monachorum ad Presbyteratum vocatio indicat usus ille ad administrandum Pœnitentiæ sacramentum solos accersendi, solos adeundi Monachos seculo duodecimo: adeò ut Marcus (h) Alexandrinus Patriarcha inter complura alia dubitationum suarum capita, de hoc quoque Theodorum Balsamonem Antiochenum Patriarcham percontatus sit, an Presbyteri monasticam professionem nunquam amplexati, possent permittente Episcopo confessiones audire: nam desueverant omninò Presbyteri seculares ab audiendis confessionibus. Quod & confirmari videtur formulâ (i) usitatâ, quâ Episcopi & copiam faciebant audiendi confessiones, & monita suggerebant saluberrima iis, quibus id munus defungendum mandabant, ad servandos religiosissimè Canones: adhibitâ tamen eâ dispensandi sapientiâ & caritate, quæ ita eos urgente necessitate aliquantulùm relaxet, ut cessante necessitate pristinus vigor revocetur. Atqui hæc formula (k) solis destinatur Monachis. Ex quo conjicias apud eos plerumque celebratas fuisse Confessiones. » Quantumcumque (l) autem invidiam incurrerint Orientales Monachi, quod ad eos » tota confessionum potestas & pœnitentiarum administratio devoluta esset:

XXXI. Monachi Pœnitentiæ Sacramenti Ministri.

(ʒ) Theodoret. *Lib. V. Hist. Eccles. cap.* 29. Tillem. *tom.* 11. *pag.* 155. & 301.
(a) Sulpic. *Dialogo* 1. *cap.* 4.
(b) Theodoret. *Vit. Patr. cap.* 17. Tillemont. *tom.* 7. *pag.* 785. & *tom.* 12. *pag.* 407. & *seqq.*
(c) Suprà *num.* 9. & *seqq.*
(d) Cassian. *Collat.* 4. *cap.* 1.
(e) Rufin. *Vit. Patr. cap.* 14.
(f) Rufin. ibid. *cap.* 18.
(g) Vita S. Euthymii, in *Analectis Græcis*, *pag.* 30. 41. 44. 67. 76.
(h) Balsamon, in *Jure Orient. Interrog.* 19. *p.* 373.
(i) Ibid. *pag.* 457.
(k) Thomassin. *loco cit. Lib. II. Cap.* 12. *num.* 15. *pag.* 257.
(l) Ibid. *num.* 16.

» fatendum tamen debere eis plurimùm Ecclesiam universam eo nomine, quod » apud eos & eorum studio atque industria vigeant etiamnum in Oriente » Canones Pœnitentiales, tum ad privatas, tum ad publicas pœnitentias, sive » de manifestis, sive de occultis criminibus, cum toto Occidente, tota illa » sanctimoniæ disciplina labefactata sit.

XXXII. Monachi aliorum Magistri. Monachi Hæreseon debellatores.

XXXII. UBI adolescentes erudiendos committi peroptabat Chrysostomus (*m*)? in Monasteriis. Ubi edocti fuere Epiphanius, ipse Chrysostomus (*n*), Theophilus, Atticus, Cyrillus, & alii sexcenti Episcopi & Patriarchæ? in Monasteriis; adeò ut subsecutis seculis usus invaluerit in Oriente, ut eorum plurimi & plerique (*o*) indè assumerentur Episcopi. Ubi Catholicæ Fidei defensores & hæreseon debellatores? in Monasteriis. Hic attende quid egerint adversùs Arianos Antonius, Pambo, Macarius, Pachomius, Theodorus; & adversùs Nestorianos Diodorus, Cassianus, Dalmatius, Maximianus & eorum Monachi; adversùs Eutychianos, Faustus, Martinus, Marcellus cum illorum Ascetis; adversùs Severianos & Acephalos, Nephalus, Euthymius, Theodosius, Sabas, Cyriacus, aliique Palæstinæ Archymandritæ cum illorum Cœnobitis & Lauratis. Annon inter insigniores Monothelitarum adversarios inscribuntur Sophronius, Maximus & Anastasius uterque; sicut inter sacrarum Imaginum defensores Damascenus, Stephanus junior, Theodorus & Theophanes cognomine Grapti, Plato & Theodorus Studita? Annon ad Concilia ab Episcopis & Imperatoribus vocati & rogati sunt Monachi, non definitiones solùm audituri, sed vota etiam aut sententias consignaturi vel prolaturi? Novimus certè quod Dalmatius (*p*) Presbyter Archimandrita Constantinopolitanus, qui annos quadraginta octo reclusus, extrà monasterii sui septa nunquam pedem extulerat, exiit tandem periclitantis fidei discrimine excitatus, & quod Cleri Constantinopolitani ducem se præsidemque agens, scripsit ad Concilium Ephesinum, à quo Epistolam Catholicam acceperat, Cyrillo adversùs Nestorium & Joannem Antiochenum suffragaturus. Novimus quod Abrahamius (*q*) Presbyter & Archimandrita in Concilio Constantinopolitano sub Flaviano, *Act. IV.* egit adversùs Eutychetem; cujus condemnationi idem *Act. VII.* subscripsit viginti duos alios Archimandritas habens socios. Sacram novimus Epistolam Theodosii junioris ad Archimandritam Barsumam (*r*) in Concilio Chalcedonensi recitatam *Act. I.* quâ juberetur adesse Concilio Ephesino utpotè Presbyter puritate & Fide Catholicâ probatissimus, nomine omnium Orientis Archimandritarum. Novimus præfatæ Synodo Chalcedonensi (*ſ*) Œcumenicæ, *Act. IV.* consedisse duodeviginti Presbyteros & Archimandritas.

XXXIII. Monachi ad Concilia vocati.

XXXIII. OCCURSANT quoque magno numero Archimandritæ & Monachi secundæ Syriæ, qui libellum miserunt supplicem ad Hormisdam Pontificem, ut ejusdem tuitione munirentur adversùs Hæreticos, qui Orientem depopulabantur. Eadem mente alium libellum supplicem Agapeto (*t*) Pontifici apud Constantinopolim tunc temporis versanti obtulerunt Marianus Presbyter, & Primas monasteriorum regiæ civitatis, & cæteri Archimandritæ, Monachi Hierosolymorum ac Orientales in Synodo Constantinopolitana congregati. Habemus S. Martini (*u*) Pontificis Romani Epistolam ad Georgium Archimandritam monasterii S. Theodosii datam, quâ laudat eum ob Apostolicæ Sedis Legatum Stephanum defensum à Monachis illius. In

(*m*) Chrysost. *Lib. III. advers. Vit. Monast. vituperat.*

(*n*) Socrat. *Lib. VI. Cap.* 3.

(*o*) Thomassin. *loco citato*, *Cap.* 17. *num.* 13.

(*p*) Ibid. *Cap.* 13. *num.* 2. Concil. *tom.* 3. *pag.* 751—754.

(*q*) Ibid. *pag.* 104—105.

(*r*) Ibid. *pag.* 518.

(*ſ*) Ibid. *pag.* 1481.

(*t*) Ibid. *tom.* 5. *pag.* 22. 118.

(*u*) Ibid. *tom.* 6. *pag.* 33.

Concilio Constantinopolitano Generali tertio, anno 680. celebrato inter Patres recensentur Stephanus (*x*) Presbyter & monachus, discipulus Archiepiscopi Theopoleos Antiochiæ; Georgius Presbyter & Monachus & Apocrisarius Theodori Vicarii Sedis Hierosolymorum; Petrus Presbyter & Monachus, & locum tenens Sedis magnæ Alexandriæ civitatis; Anastasius Presbyter & Monachus Oratoriorum Patriarchii Constantipolitani. In Synodo (*y*) Nicæna secunda, quæ fuit œcumenica septimo anno 787. congregata Monachi plurimi, præter Hegumenos sive Abbates decem referuntur, *Act. II.* suam post Episcopos professionem Fidei recitasse, & sequentibus (*z*) Actionibus suam edixisse sententiam, quos inter emicuisse videtur Joannes presbyter & monachus, locum tenens Orientalium Patriarcharum. Ad Synodum octavam, Constantinopoli adversùs Photium habitam anno 869. in Sess. VIII. die 5. Novembr. attulit Petrus (*a*) monachus libellum quo assereret, se neque adversùs Romanam Ecclesiam quidquam scripsisse, neque Synodo Photii anno 861. congregatæ interfuisse. Actioni seu Sessioni IX. die 12. Februarii 870. celebratæ adfuit primâ vice Josephus (*b*) monachus & Archidiaconus ac Vicarius Michaëlis Patriarchæ Alexandriæ. Ad calcem ejusdem Concilii prodiit Libellus (*c*) de tota Ignatii causâ missus ad Nicolaum Papam Romanum, Ignatii Patriarchæ nomine à Theognosto monacho & Exarcho Constantinopolitano scriptus. In Concilio Lemovicensi, anno 1031. 14. Decembris sive die 8. Novembris celebrato, Clericus quidam Engolismensis narravit quomodò ante annos plures quidam ex fratribus (*d*) de monte Sinaï, quorum alter *Simeon*, alter nomine *Cosmas*, utriusque Linguæ Græcæ & Latinæ periti, doctrinâ Catholicæ Fidei perfluentes, consono ore dixissent, Sanctum *Martialem* extitisse Apostolum *unum de septuaginta duobus.* Quo quidem testimonio comprobatur quantæ fuerint æstimationis doctrina & scientia monachorum etiam in Conciliis, sed & majoris in Occidente.

XXXIV. QUAMVIS autem Carmeli Eremitæ, quos S. Bertholdus, favente Aymerico Antiocheni Patriarcha, paulò post annum 1543. ad novam regiminis formam adunatos collegerat, *simplices* (*e*) fuerint, *non litterati, pauperes, membranas fortè non habentes, nec Scriptores; orare potiùs consueti quàm scribere:* posteà tamen quàm è Syriæ littoribus ad Europæas plagas translati, ab Innocentio (*f*) IV. ad Ecclesiastica munera vocati fuere anno 1254. quo *plures jam Fratres hujus Ordinis in Theologica Facultate instructi competenter* dignoscebantur primariis in Academiis adscripti, adeò illustrem cucurrerunt palæstram, nomenque suum ita celebre illustrarunt, ut non aliis solùm Universitatibus erigendis recentioribus & sacræ Theologiæ facultatibus augendis suppetias qui contulerint, idonei fuerint accincti, sed ad Fidei Articulos tuendos, & errores condemnandos & hæreses profligandas à Summis Pontificibus & Reverendissimis Præsulibus tum in Congressibus Ecclesiasticis, tum in Conciliis adsciti & commissi, atque simul à Principibus & Regibus connumerati. Hinc Viennensi Concilio anno 1311. adfuit Gerardus (*g*) de Bononia, totius Ordinis Prior Generalis, qui *sic in conspectu summi Pontificis & Fratrum Cardinalium* (ut loquitur Berengarius Episcopus Tusculanensis Cardinalis), *multiplici virtutum odore redoluit, ut ob multimoda scientiarum fluenta, ab ipso Domino nostro & Fratribus suis in reputatione non modica; & pro uno de mundi hujus literatis elegantioribus reputetur.* Eidem Œcumenicæ Synodo interfuit Guillelmus (*h*) Ra-

XXXIV. Carmelitæ scientiâ clari.

Carmelitæ ad Concilia vocati.

(*x*) Ibid. *pag.* 610. 618. 622. & *seqq.*
(*y*) Ibid. *tom.* 7. *pag.* 154.
(*z*) Ibid. *pag.* 159. 167. 104. 118. &c.
(*a*) Ibid. *tom.* 8. *pag.* 1101. & 1354.
(*b*) Ibid. *pag.* 1114.
(*c*) Ibid. *pag.* 1263.
(*d*) Ibid. *tom.* 9. *pag.* 878.
(*e*) Joan. Hildesheim. in *Defensorio, Cap.* 1. *apud Specul. Carmel. tom.* 1. *pag.* 146. *num.* 647.
(*f*) Bullar. Carmelit. *tom.* 1. *pag.* 13.
(*g*) Lezana *tom.* 4. *anno* 1311. *num.* 2. & *anno* 1312. *num.* 3. *pag.* 500. & 502.
(*h*) Ibid. *num.* 5. *pag.* 503.

dingius Anglus, qui anno sequenti Londinum vocatus est à Winchelseio Cantuariensi Archiepiscopo ad examen Templariorum prosequendum.

XXXV. Carmelitæ Errorum damnatores.

XXXV. GUIDO (*i*) de Perpiniano præfati Gerardi successor in supremo ejusdem Ordinis Regimine, anno 1318. constitutus, Artaudus Supprior Conventûs Fratrum Carmelitarum Massiliensium, & Simeon Angelicus itidem Carmelita recensentur inter Prælatos & Magistros qui damnationis causam egerunt adversùs Articulos ex postilla Fratris Petri Joannis Olivi super Apocalypsi extractos, & ejus Sectatores. Anno 1333. aliàs 1334. cùm Gerardus Odonis minister (*k*) Generalis FF. Minorum palàm determinasset visionem animarum beatificam protelandam esse ad ultimum usque judicii diem, Prior Maubertini Collegii Matthias de Colonia, & Henricus de Aquila cum Regente & Baccalaureis dogma Catholicum prædictæ opinioni contrarium propugnarunt, & inter Magistros (*l*) atque Doctores Parisienses, quos Rex Philippus VI. propterea congregavit apud nemus Vicennarum, annumeratur Petrus de Casa, tum quidem Prior Generalis ejusdem Ordinis Fratrum Carmelitarum. Anno 1360. Joannes de Venetta, secundæ continuationis Nangis Auctor, dum loquitur de Anglorum vastatione circà villas Parisiis vicinas, ait: » tunc (*m*) enim populus de villis campestribus fugerat Parisiis, quod erat » lamentabile, mulieres, parvulos & homines desolatos videre; in die sancto » Paschæ vidi in monasterio Fratrum de Carmelo Parisius Populum & Sa» cerdotes de decem parrochiis campestribus Sacramentum ministrantes, & » Pascha suum ibidem per diversas Capellas & alia loca celebrantes. Anno 1382. in Synodo Londinensi (*n*), quam Guillelmus de Courtenay, Cantuariensis celebravit adversùs Joannem Wiclefum, die 17. Maii nominantur inter magistros Theologos Robertus Glaunvile, Willielmus Dys, Joannes Lorey, Joannes Kiningham; & inter Baccalaureos in Theologia, Joannes Chiseldene atque Joannes Toniston Carmelitæ. In alia autem ejusdem Concilii Sessione quæ habita fuit die 27. Junii interfuerunt Joannes Kyningham, Joannes Lorey, Petrus Stokes & Walterus Dys, itidem Carmelitæ. Hæc Synodus à Wiclefo (*o*) vocata est *Terræ motus frustrà conatus*.

XXXVI. Carmelitæ ad Sorbonicas & Regias vocati congregationes.

XXXVI. ANNO 1381. seditiosi *Malleatores*, Gallicè *Maillotins* dicti, sibi timentes confugerunt ad Episcopum & ad Universitatem, ut apud Regem furentis populi vesaniam excusarent, flagitiisque veniam impetrarent. Orator ab Universitate delectus est magister Joannes (*p*) Goyleyn, qui propositionem primam ad Carolum VI. apud Vincennas tunc hospitantem, & honoratiorem semper locum tenuit. Anno 1387. Urbano VII. & anno 1390. à Bonifacio IX. præfatus Walterus Dys, aliàs Gualterus (*q*) Disse Anglus, variis privilegiis auctus, in Hispanias Legatus Apostolicus fuit deputatus. Anno 1394. aliàs 1395. die 2. Februarii Rex Galliæ Carolus VI. ex cunctis (*r*) oris Franciæ Prælatos Ecclesiasticos, & ex Universitatibus solemniores Doctores, apicibus regiis Parisios evocavit, ut sciretur qualiter maximum Ecclesiæ Schisma sopiretur: illos inter Doctores recensentur Petrus de Conne Prior de Carmelo, & Dominicus Herboly de Arragonia, dicti Ordinis de Carmelo. Ad idem Schisma sedandum convocata Sinodus Pisana, anno 1409. die 25. Martii, & 7. Augusti absoluta suos inter Magistros Theologos accenset

(*i*) Baluz. Miscellan. *tom.* 1. *pag.* 208. 213. 270.

(*k*) Lezana *anno* 1333. *num.* 2. & 3.

(*l*) Baluz. *Vita Paparum Avenionens. tom.* 1. *pag.* 792.

(*m*) Continuatio altera Chronici Guillelmi de Nangis, *tom.* 11. *Spicileg. Acher. pag.* 868.

(*n*) *Tom.* 11. *Concilior. Edit. Labb. pag.* 2054. & 2060.

(*o*) Wiclef. 3. *parte serm.* 48. *apud Th. Waldens. tom.* 3. *tit.* 11. *cap.* 105.

(*p*) Du Boulay, *tom.* 4. *Hist. Universit. Paris. pag.* 585.

(*q*) Lezana, *an.* 1387. *num.* 6. & *anno* 1390. *num.* 3. *pag.* 724. 729. Fleury, *tom.* 20. *l.* 98. *num.* 40. *pag.* 404.

(*r*) *Tom.* 11. *Concilior. pag.* 2512. & *Histor. Universit. Paris. tom* 4. *pag* 734. *lin.* 1.

censet Matthæum (*s*) de Bononia, Ordinis Carmelitici Priorem Generalem partis Citramontanæ, Andræam de Luca, Procuratorem dicti Ordinis; Joannem de Florentia, Vicarium Generalem Provinciæ Tusciæ; Bartholomæum de Florentia, Syndicum Universitatis Bononiæ; Joannem Grossi, Priorem Generalem partis Ultramontanæ; Raymundum Aquarium, Procuratorem Generalem ejusdem Partis; Thomam (*t*) Netterum cognomine Waldensem, qui peroravit, disputavit de pace & concordia ineunda, conciones habuit, & multùm ad unionem Ecclesiasticam conciliandam elaboravit.

XXXVII. Carmelitæ Conciliis Generalibus intersunt

XXXVII. CONSTANTIENSI (*u*) Concilio, quod anno 1414. inchoatum fuit, constat interfuisse Joannem Grossi, Priorem Generalem, præmemoratum Thomam Waldensem, Robertum Marescallum & alios ex diversis Regnis accersitos. Nicolaus de Spica (*x*), sacræ Theologiæ Professor, unus fuit à Doctoribus Universitatum primariis, quos Martinus V. Pontifex Maximus, anno 1422. consuluit an liceret census & reditus alienare & vendere: Hi autem cùm respondissent licere, tum Pontifex extravagantem *regimini* protinùs condidit. Concilium Basileense (*y*) convenerunt Joannes Faci, Prior Generalis, Natalis de Venetia Provincialis Romæ, & Procurator Generalis; Simon Rizer, Germaniæ Vicarius Generalis; Petrus de Nova Ecclesia, inferioris Germaniæ Superior Provincialis; Joannes Keningalus, Provincialis Angliæ; Hieronymus de Castellano, Provincialis Lombardiæ; Joannes Langatonus Anglus, Joannes Gauver Theutonicus: quorum nonnulli ab Eugenio IV. Ferrariam & Florentiam vocati advenerunt, anno 1438. & comites habuerunt Jacobum (*z*) de Villeto & Gualterum Hantum seu Venantium; atque Bardinum Samsonis Procuratorem tunc Generalem. Eodem tempore florebat Joannes (*a*) de Vernone, qui numeratur inter Doctores Parisienses congregatos anno 1429. die 30. Martii in Capitulo apud S. Mathurinum, ubi Franciscus-Joannes Sarazin, Dominicanus, in Theologia Licentiatus, suos revocavit errores. Idem Vernonius cum Joanne Foreste, ejusdem Ordinis Professore Theologo, annumeratur selectis Doctoribus (*b*) Parisiensibus, qui deputati fuerunt, anno 1455. ad causam retractandam *Joannæ Darciæ*, vulgò *Puellæ Aurelianensis*, memoriam vindicandam, necnon innocentiam probandam. Nomenque Joannis ejusdem de Vernone reperitur inter Doctores sacræ Facultatis Parisiensis qui anno 1444. die 12. Martii censuram tulerunt adversùs *Festum Fatuorum*.

XXXVIII. Carmelitæ Universitatum Fundatores.

XXXVIII. QUI adfuerint recentioribus Synodis & Congregationibus cum Ecclesiasticis, cum Doctoralibus, testes & Doctores, utpote notiores omittimus; sed eos expungere alienum videretur qui ad Universitatum Theologicarum erectionem fundationemque primas compararunt. Nam S. Petrus (*c*) Thomas Aquitanus, Pacensis Episcopus & Constantinopolitanus Patriarcha, atque Innocentii VI. & Urbani V. Legatus, ex Academia Parisiensi in qua Lauream Doctrinalem acceperat, anno 1346. *Sorbonicam* desumptam quæ *Actus Sorbonicus*, à Francisco Mairone, Ordinis Fratrum Minorum, anno 1313. institutus dicitur, Bononiæ primus omnium plantavit: imò ex monumentis (*d*) ejusdem Universitatis Bononiensis primus refertur sacram

(*s*) *Tom.* 11. *Concilior. pag.* 2210.
(*t*) Pitseus, de *Illustr. Angliæ Scriptor. Ætate* 15. *num.* 796.
(*u*) Lezana, *an.* 1413. *num.* 4. *pag.* 777. & *seqq.*
(*x*) Du Boulay, *Hist. Universit. Paris. tomo* 5. *pag.* 363.
(*y*) Lezana, *an.* 1431. *num.* 2. *pag.* 820.
(*z*) Idem, *an.* 1438. *num.* 2. *an.* 1439. *num.* 2.
(*a*) Du Boulay, *Histor. Universit. Paris. tom.* 5. *pag.* 389. *lin.* 8.
(*b*) Nicolaus Gillius, in *Carolo VII. an.* 1455.
(*c*) Du Boulay, *Histor. Universit. Paris. tomo* 4. *pag.* 985. & 995.
(*d*) Lezana, *an.* 1364. *num.* 13. *pag.* 646.

Facultatem Theologiæ ibi instituisse cum aliis octo Doctoribus, quorum è numero quartus nominatur Magister Thomas de Padua, textualis eximius & eloquentiâ clarus, Ordinis itidem Carmelitarum, anno 1364. Henricus de Hoïta (*e*) in Academia Viennensi Austriæ Professor Theologiæ Facultatis institutus est sub initium hujus Universitatis, anno 1365. nascentis: cujus ex primis quatuor Fundatoribus & Professoribus recensetur Fridericus (*f*) Wagner. Joannes Brammart Doctor Parisiensis, Germaniæ inferioris Prior Provincialis, fuit unus ex primis Professoribus Universitatis Coloniensis circà annum 1388. institutæ à tredecim Doctoribus Parisiensibus, quibus adjunctus est Simon de Spira, Professor Studii Carmeli Coloniensis. Inter primos sacræ Theologiæ Professores in Academia Pictaviensi, anno 1431. fundata connumeratur Sevinus Cousin, Doctor Theologus. Anno 1463. Mathurinus Courtois & Natalis Piter Carmelitæ, cum Bartholomæo Franciscano initium dederunt sacræ Facultati Bituricensi. Anno 1476. Dietherus Archiepiscopus originem præbuit Universitati Moguntinensi, in qua Matthias Emich unus annumeratur cum primariis Theologicæ Facultatis Professoribus.

XXXIX. Eodem anno devixit *Joannes Beetz*, Doctor quidem Coloniensis, verùm è Carmelitis secundus in Academia Lovaniensi Theologicam Cathedram conscendit. Hæc quidem Universitas à Joanne IV. Brabantiæ Duce fundata anno 1426. & à Martino V. confirmata: sed anno 1462. dumtaxat Carmelitarum Collegium fundatum est, confirmante Pio II. (*g*) die 13. Februarii, approbante Theologicâ Facultate, & promovente *Godefrido de Lor* (*h*), aliàs à *Loë*, Carmelita, sacræ Theologiæ Doctore, qui primus ex illo Ordine Academicus illic & Professor fuit ad annum 1468. Academia Tolosana per. Sanctum Regem Ludovicum, anno 1228. erecta suos inter accepit Carmelitas primùm in suburbano anno 1242. fundatos, anno autem 1264. in civitatem translatos; sicuti constat ex Bulla Clementis IV. (*i*) datâ die 23. Julii 1265. verùm quia Statuta nova essent huic Academiæ condenda, deputati sunt Lectores è Dominicanis, Franciscanis et Carmelitis prout legere est in recentiori Occitaniæ Historia Gallicè inscripta: *Histoire Générale du Languedoc, in-folio.* 1740. *tom.* 4. *Lib. XXX. num. 39. pag. 214. ad annum 1309.* Ubi quoque annotatur quod anno 1287. in Carmelo (*k*) Montispessulani commorarentur viginti suprà centum Presbyteri præter Clericos & Fratres Laïcos, & sex Professores; quia Ordinis Collegium tum Generale.

XL. Primi è Carmelitis Doctores.

XL. Anno 1260. è Carmelitis primus omnium in Academia Parisiensi Lauream Doctoralem jam obtinuisse fertur Gerardus (*l*) de Bononia; in Oxoniensi Petrus (*m*) Swyngthonus & in Cantabrigiensi Humfridus (*n*) Nektonus. In Academia Parisiensi, juxtà statuta Roberti (*o*) de Courceone, anno 1215. promulgata, sex annis saltem studuisse oportebat ad Artes docendi obtinendam facultatem, Theologiæ verò ad Magisterium obtinendum. Quibus expletis hic promovendi modus apud FF. Prædicatores servabatur. » Primo » (*p*) anno quis Baccalaureus vel à Capitulo Generali, vel à Magistro Or- » dinis nominatus sententias in Schola alicujus Theologiæ Magistri legebat: » nam Scholæ non erant nisi Magistrorum. In fine anni Prior Parisiensis cum » Magistris actu legentibus Baccalaureum illum Cancellario præsentabat,

(*e*) Oudin, *tom.* 3. *pag.* 1264.
(*f*) Specul. Carmelit. *tom.* 2. *pag.* 1096. & 1110. *num.* 3877. & 3898.
(*g*) Bullar. Carmelit. *tom.* 1. *pag.* 267.
(*h*) Lezana, *an.* 1455. *num.* 3. *pag.* 886.
(*i*) Bullar. Carmelit. *tom.* 1. *pag.* Lezana, *an.* 1242. *num.* 3. & *an.* 1264. *num.* 3. *pag.* 300. & 376.
(*k*) Hist. Gen. du Langued. *tom.* 4. *Lib. XXVIII. num.* 3. *pag.* 60.
(*l*) Lezana, *an.* 1297. *num.* 3. *pag.* 470.
(*m*) Idem, *an.* 1270. *num.* 14. *pag.* 406.
(*n*) Idem, *an.* 1259. *num.* 6. *pag.* 378.
(*o*) Fleury, *Discours* 5. *sur l'Hist. de l'Eglise, num.* 2.
(*p*) Echard, *S. Thomæ Summo vindicato*, *p.* 230.

» affirmantibus illis etiam sub Sacramento credere se dignum illum esse, qui » licentiam, id est facultatem docendi, ut Magister acciperet. Servatis ser» vandis, examinibus publicis & aliis, Licentiatus ille ac Laurea suo ordine » donatus principium suum habebat, cui Magistri omnes aderant: unde id » dicebant *Conventum in Theologia recipere*; & secundo illo anno ut Ma» gister in Schola tunc sua Sententias legere pergebat. Tertio anno jam eme» ritus regebat quidem adhùc Scholam, verùm Baccalaureum substitutum » habebat, sub se Sententias legentem: cui in fine anni testimonium reddebat, » ut ipsi aliàs redditum fuerat, eumque licentiandum præsentabat, ut ipse » aliàs à Magistro suo fuerat præsentatus: eoque triennio totus Magisterii » cursus absolvebatur. Quam tamen sententiam lecturam necessariam fuisse » intelligas, absque præjudicio agonum aliorum Scholasticorum, qui ipsis » sustinendi erant; quorum numerum & ordinem ex antiquis Facultatis mo» numentis eruas. Addo solùm lecturam illam non ita accipiendam, quasi ex » quaternione scripta sua auditoribus legerent ac dictarent: quod nonnisi à » reformatione *Tutavillæana*, anno 1452. permissum est. Aliàs planè veterum » illorum mos fuit, qui lectiones suas summo studio priùs compositas me» moriter proferre tenebantur; ac eâ ratione quâ sermones dicuntur quasi » nullus scripto exciperet: Quas tamen lectiones quidam auditorum, celeri » ad scribendum manu pollentes excipiebant, quæ dicebantur *reportata* vel » *reportationes*.

XLI. Carmelitas ad Gradus Academicos promovendi forma.

XLI. QUO pacto, haud scio, contigerit ut à Carmelitis diuturnior temporis mora in stadio Theologico postularetur: verùm anno 1343. Petrus Raymundus Ordinis Prior Generalis Libellum supplicem obtulit summo Pontifici, petens ut sui Fratres Carmelitæ in eamdem palæstram currentes, similem temporis metam, quâ cæteri Mendicantes fruebantur, obtinerent. Ideóque Clemens VI. votis ejus annuens in Bulla 7. Martii data ait: » Sanè (q) » petitio vestra nuper Nobis exhibita continebat: quod cum à personis vestri » Ordinis lecturis Bibliæ .... in Parisiensi studio per dilectos filios Cancel» larium Ecclesiæ Parisiensis, ac Magistros Facultatis Theologicæ studii ante» dicti, sex in ipso studio, & in aliis generalibus studiis duodecim annorum » sub juramento mora temporis requiratur, & à personis aliorum Ordinum » Mendicantium ipsi Cancellarius, & Magistri moram hujusmodi minimè re» quirant, Nobis humiliter supplicastis, ut Personas vestri Ordinis Personis » dictorum aliorum Mendicantium Ordinum quò ad hoc parificare de benigni» tate Apostolica dignaremur .... Nos itaque vestrum Ordinem, & Perso» nas ipsius paternæ dilectionis brachiis amplectentes, ac volentes propterea » vos gratiosè prosequi in hac parte, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut » quicunque Fratres ipsius vestri Ordinis ad hujusmodi lecturam Bibliæ in » dicto studio faciendam per te, fili Prior, & successores tuos Priores Gene» rales dicti vestri Ordinis, qui erunt pro tempore, fuerint præsentati ad » eamdem Lecturam, sine cujuscunque requisitione temporis ab eisdem Can» cellario, & Magistris proinde liberè admittantur, sicut Personæ aliorum » Mendicantium Ordinum prædictorum, quacunque constitutione contrariâ » per ipsos Cancellarium, & Magistros editâ, etiamsi foret juramento vallata, » nequaquam obstante, devotioni vestræ auctoritate Apostolica de speciali » gratia indulgemus, &c. . . . Datum Avenioni, Nonis Martii, Pontifica» tùs nostri anno primo. »

XLII. A Carmelitis quanta requiritur scientia.

XLII. QUEM fuerit hæc Bulla sortita effectum non mihi innotescit: verùm adhuc reperio anno 1351. Joannem (r) Goleim in Capitulo Generali Tolo-

(q) Bullar. Carmelit. *tom.* 1. *pag.* 576.

(r) Lezana, *an.* 1355. *num.* 4. *pag.* 612.

ſano Lectorem Biblicum Pariſiorum Cœnobii pro anno nono deſtinatum. Hinc quàm inſtructum eum eſſe omni ex parte oporteret, qui ad Lauream doctoralem contenderet, rectus rerum æſtimator perpendat: propertereaque in Ordine Carmelitico ad id bravium & onus non nominabantur, niſi jam longo tempore exercitati, quique alibi pluribus jam annis cum laude, eaque non medioeri, docuiſſent. Neque rationem quiſpiam deinceps ſciſcitaturus eſt, cur tot eùm in ſacram Scripturam, cùm in Libros Sententiarum Commentaria noſtrorum Auctorum recenſeantur præter alia de rebus aliis Philoſophicis, Aſtronomicis, Mathematicis, Hiſtoricis, Polemicis & Aſtericis volumina.

Carmelitarum Autorum Catalogi & Indices.

De his qui ſcripſerint tùm univerſim, tùm ſpeciatim Provinciis, Regnis, Nationibus & Congregationibus ad totum Ordinem Carmeliticum coaleſcentibus, non deſunt Elucubratores, putà de Doctoribus Pariſienſibus Joannes Triſſa circa annum 1363. de Neapolitanis, Franciſcus Sixtus ſub anno 1573. de Hiſpanis Valerius ab Embun, de aliis Illuſtribus Carmelitis Philippus Ribotti ad annum 1370. Joannes Groſſi an. 1430. Arnoldus Boſtius an. 1490. Laurentius Burellus anno 1495. Conradus Tremonius, Hieronymus Toſtatus, Hugo Durandi, Auguſtinus Biſcarettus, Joſeph Falco, Emmanuel Tanures, & ſparſim Joannes de Lezana in ſuis Annalibus, &c. Sed qui primus expreſſo *Carmelitanæ Bibliothecæ* nomine, *ſive Illuſtrium aliquot Carmelitanæ Religionis Scriptorum, & eorum Operum Catalogum* juri fecit publico, Petrus Lucius eſt Belga, patriâ Bruxellenſis. Hic jam pridem à Trithemio hunc centeſimo pôſt anno magna ex parte auctum, recognitum, & annotationibus illuſtratum, ordine alphabetico digeſtum, typis commiſit Florentiæ apud Georgium Mareſcotum anno 1593. *in*-4°. foliis octoginta tribus, pagellas ſex & centum ſexaginta complentibus.

XLIII. Ludovici Jacob Bibliotheca.

XLIII. AMPLIOREM longè copioſioremque R. P. *Ludovicus Jacob* à S. Carolo anno 1670. defunctus allaborabat prelo paratum, & titulo inſcriptum: *Bibliotheca Carmelitana, in qua agitur de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum, qui claruerunt ab anno 1141. ad noſtra uſque tempora.* Illius Codices Manuſcripti nonnulli ſervantur in Bibliothecis Carmelitanis, v. g. unus in Romano B. Virginis Tranſpontinæ Monaſterio; alius in Ferrarienſi; duo apographi in Majori Pariſienſi plateæ Maubertinæ Regio Conventu. Utrùm aliquem præ manibus habuerit R. P. *Andreas à S. Nicolao* anno 1713. ſicut affirmare, ita & negare non fuerim auſus: verùm certò conſtat operam ſimilem ab eo fuiſſe tentatam, iſtâ provinciâ anno 1700. à Reverendiſſimo Priore Generali *Carolo Philiberto Barberio* acceptâ: diſtractas tamen & deperditas ejus Schedas eſſe, Lugduno miſſæ ad nos literæ affirmant; eas niſi obtinuerit R. P. *Joannes-Baptiſta Archietti*, eruditus Ferrarienſis Mantuanæ Congregationis Carmelita, qui de Opere præfati Andreæ tamquam viſo & poſſeſſo loquitur in Epiſtola encyclica ad omnes Priores Ordinis ſui Provinciales die 25. Januarii 1746. miſsâ, ſuppetias petens congruas ab eis pro ſimili Collectione perficiendâ. Autographam autem cùm P. Ludovici Jacob Bibliothecam, quæ in Archivæo Conventûs SS. Sacramenti Pariſienſis, vulgò *des Billettes* nuncupati, ſervatur, exceptis duabus & triginta paginis, indè infeliciter detractis & omninò deperditis, præ manibus obvolveremus; eam recognoſcendam, augendam, & typis mandandam animo recogitantes, variis etiam Reverendis Ordinis Carmelitici Superioribus Provincialibus encyclicam menſe Maio anni 1741. ſcripſimus epiſtolam, quâ meſſem opellæ noſtræ ſuccreſcentem expoſtularemus; accuratâ, quam potuimus, ſuperadditâ recentiorum Bibliographorum Romæ, Florentiæ, Mediolani, Liguriæ, Pedemontii, Siciliæ, Hiſpaniæ, Belgii, Germaniæ & Galliæ Authorum lectione, qui poſt antedicti Ludovici Jacob obitum potiſſimè fuerunt editi, adhibitis etiam plurimis Manuſcriptis

in

in angulo hactenus absconditis, erogatis pariter undequaque virorum eruditorum, qui sua nos consuetudine cohonestant curis & annotationibus.

XLIV. Neque vacua nos omninò spes decipit, quos succedanea seges opplevit, & larga manus ditavit. Benefici vero nostri cooperatores, quos sincera nostræ mentis gratitudo perpetuâ dignos memoriâ celebrandos agnoscit, obviant extranei quidem Viri clarissimi DD. *Bernardi*, Doctor Sorbonicus, Gallorum Authorum Anonymorum & Pseudonymorum indagator diligentissimus; *Le Bœuf*, Altissiodorensis Canonicus, Voluminibus plurimis eruditione reconditiori plenis editis sat notus; *Daniel Poluche*, Aurelianensis, Societatis Literariæ inter Aggregatos celeberrimus, & multis publico juri ductis Dissertationibus illustris; R. P. Domnus *Ludovicus Fabre*, Ordinis Sancti Benedicti Monachus & publicæ Bibliothecæ Aurelianensi Præfectus; R. P. Domnus *Guillelmus Gerou*, ejusdem Congregationis S. Mauri Monachus, & Historiæ Bituricensis accuratissimus perscrutator: Domestici autem Scriptores Carmelitæ adveniunt Reverendissimi Patres, *Elias de Amato*, Calaber, in suo Ordine primariis honoribus decoratus, sed nuper defunctus, anno 1748. mense Augusto; *Andreas Gargsi*, Genuensis, non solùm in majori Neapoleos Carmelo Magister & Professor Theologus, sed & Neapolitanæ Academiæ Sodalis; *Seraphinus Pontenza*, Sacer in Romano Transpontinæ Ædituus, & Ordinis Parthenographus; *Agatangelus-Joannes-Baptista De la Faurie*, sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & in alma Universitate Burdigalensi Antecessor Regius, atque suæ Provinciæ Vasconiæ ter Prior Provincialis; *Joannes-Baptista Charmes*, Theologicæ Facultatis Parisiensis Doctor, & in Majori Regio Carmelo Professor; *Philippus Chaudeau à S. Claudio*, sacræ Theologiæ Professor & Lugdunensis Prior; *Illuminatus à S. Spiritu*, Flandro-Belgicæ Provinciæ Procurator Syndicus, ibique pluries Prior: sed præ cæteris Reverendus admodùm Pater Timotheus Bergerot, Reverendissimi Prioris Generalis *Aloysi Laghi*, Assistens, qui non solùm benignas, subsidii nobis adducendi causâ, literas undequaque misit; verùm & ipse tametsi omnibus Gallicæ nationis Carmelitarum negotiis Romæ gerendis onustus, & recentiori Operum Thomæ Waldensis (ad autographum Manuscriptum) editione promovendâ detentus, locupletes manu propriâ scriptas Aureliam ad nos Schedas transmisit. Neque nostro grati & memoris animi testimonio uspiam defraudabuntur Aurelianenses Reverendi Patres Societatis-Jesu, qui non facilem solummodò & liberum intrà suam Bibliothecam aditum nobis fecerunt; verùm & urbanum & locupletem, & opportunum suorum Codicum usum commodatum addiderunt.

XLIV. Qui huic nostræ Bibliothecæ opem contulerunt.

XLV. Omittendus nec est R. P. *Cosmas l'Evêque à Cruce*, Parisiensis Provinciæ Carmelitarum Excalceatorum cùm Prior Provincialis, tum Commissarius & Visitator Generalis, qui laboris nihil abstulit, ut aliquod à suis Sodalibus juvamen Operi nostro superadderet. Si quis ulteriùs inquireret qua de causa Carmelitis antiquioris Instituti Scriptoribus Excalceati Autores inserantur? Obvia præstò se præbet ratio. Quia 1°. Ex vetusto Carmeli trunco verè prognati sunt rami. 2°. Suæ illos Bibliothecæ P. Ludovicus Jacob honorificè seduloque immiscuit; cujus ne minima quidem fragmenta perirent, expungendi nullatenùs obstabant. 3°. Excalceatos Carmelitas ab extraneis potissimùm Gallicis Scriptoribus citatos perpetuus reperio, absque ullo Congregationis Discalceatæ designato discrimine. 4°. Si diversarum alios Congregationum Autores Mantuanæ, Albiensis, Montis Oliveti, Montis Sancti, Siciliæ, &c. Scriptores nostram in Bibliothecam diligenter adduximus, nulla officit mora de fratribus nostris & Sanctæ Teresiæ filiis omittendis, quorum vitæ sanctitas, & scientiæ honos montem illuminant Carmelum atque splendidiori augent fulgore.

XLV. Carmelitæ Discalceati cur huic Bibliothecæ inserti.

DISSERTATIO

FACULTAS R. P. GENERALIS.

NOS FR. ALOYSIUS LAGHIUS, sacræ Theologiæ Magister, & Doctor; humilis Prior Generalis, necnon Commissarius, ac Visitator Apostolicus totius Ordinis Fratrum Beatissimæ, semperque Virginis DEI Genitricis MARIÆ de Monte Carmelo, antiquæ Observantiæ Regularis.

AUCTORITATE nostrâ harum serie Facultatem facimus R. Patri COSMÆ A S. STEPHANO, in Provincia nostra Turoniæ Priori Aurelianensi, typis mandandi Opus à se elucubratum, cui titulus: BIBLIOTHECA CARMELITANA, in qua recensentur Scriptores Ordinis Carmelitici, eorum lucubrationes, cum Notis Historicis, Topographicis, & Criticis, à seculo XIII. ad nostra usque tempora; prævià tamen Approbatione R. admodùm Patris Provincialis, & duorum Ordinis nostri Theologorum ab ipso designandorum, servatisque aliàs de jure servandis. Datum Romæ in Conventu nostro Generali Sanctæ Mariæ Transpontinæ, die 21. Augusti, anno reparatæ salutis, 1747.

Fr. ALOYSIUS LAGHIUS Generalis Carmelitarum.

Fr. TIMOTHEUS BERGEROT, Assistens Generalis pro Gallia.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

FR. SIMPLICIANUS A S. GUILLELMO, Prior Provincialis Provinciæ Turoniæ; Ordinis Carmelitarum.

NOSTRI auctoritate officii, & tenore præsentium facimus R. Patri COSMÆ A S. STEPHANO, Provinciæ nostræ Turoniæ alumno Sacerdoti, S. Theologiæ Professori Emerito, Societatis Litterariæ Aurelianensis Socio & Decano, necnon Provinciæ nostræ Definitori, in lucem edendi, typis mandandi Opus arduis ipsius elucubrationibus confectum, cui titulus: BIBLIOTHECA CARMELITANA, Notis Criticis & Dissertationibus illustrata, modò priùs à duobus Provinciæ nostræ Theologis revisum & approbatum fuerit; servatis aliàs de jure & consuetudine servandis. Datum Parisiis in nostro Billetarum Conventu, die vigesimâ sextâ Junii anni 1749.

FR. SIMPLICIANUS A S. GUILLELMO, Provincialis.

APPROBATIONES DOCTORUM ORDINIS.

SAPIENTIAM antiquorum exquirere, & narrationes virorum nominatorum conservare sapientis est; hoc præstitit indefesso labore, egregio eloquio, veritate minimè fucatâ, Autor Bibliothecæ Carmelitanæ, Notis Criticis & Dissertationibus illustratæ, R. admodùm P. COSMAS A S. STEPHANO, Carmelita, Definitor Provinciæ Turonensis; qui eximio & nunquam satis laudando opere Patrum suorum scriptorum Carmelitarum, corporibus jam in pace sepultis, faciet nomen vivere in generationem & generationem. Hic viros gloriosos & parentes suos dum memorat, ipsorum gloriæ se adjungit, & virtutem suam meritis patrum suorum confortatam ostendit, eò uberiùs quò antecessoribus in uno genere præstantibus, ipse solus omnium ingenia & mentes posteris admirandas præbet, & sic omnibus prodest, Patrum memoriam quasi consopitam revocat, contemporaneis in quo gloriari possint, in quo obstruatur os loquentium iniqua, ostendit. Posteros quod arma militiæ nostræ non sint carnalia docet, & in quibus exerceantur præest. Omnibus tum fratribus, tum externis exempla insignis pietatis, assidui studii, scientiæque omnia complectitur, eò feliciùs præbet, quo patrum suorum virtutes propriâ pietate, parique scientiâ in sua exprimit persona. Tantis ducti momentis testimonium hoc damus & Autori & Operi ab ipso elaborato. Datum in Regio Collegio Maubertino, die Decembris decimâ secundâ, anno Domini 1749.

Fr. JOANNES-BAPTISTA-GERALDUS CHARMES, Carmelita, sacræ Facultatis Parisiensis, Doctor Theologus, & majoris Conventûs ac Regii Collegii Maubertini Theologiæ Professor & affiliatus.

QUO labore ac industriâ concinnatus est Liber, cui titulus, BIBLIOTHECA CARMELITANA: pari studio ac voluptate legendum confidimus. Id sanè debetur & Operis scopo & modestæ indefessæ Auctoris eruditioni. Hæc nostra spes, fore, ut è redivivis Patrum nostrorum Scriptis ac exemplis accendantur omnium nostrûm mentes ad sacrarum Literarum amorem & virtutis religiosæ normam. Datum in Regio Collegio Maubertino, die 29. Decembris, anno Domini 1749.

Fr. TIMOTHEUS FAOST, Carmelita, Doctor Parisiensis, & Majoris Conventûs, ac Regii Collegii Maubertini antiquus Theologiæ Professor & affiliatus.

APPROBATIO CENSORIS.

LEGI ex jussu Illustrissimi Galliarum Cancellarii Librum, cui titulus est : BIBLIOTHECA CARMELITANA : Opus maximis curis elaboratum & toti Carmelitano Ordini perhonorificum, in quo nihil mihi visum est quod Catholicæ Fidei, aut morum integritati contradicat. Datum Parisiis, die decimâ mensis Octobris, anni millesimi septingentesimi quadragesimi noni.

J. TAMPONNET, sacræ Facultatis Parisiensis Doctor & antiquus Syndicus.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amez & féaux Conseillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand Conseil, Prévôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra ; Salut. Notre bien amé le R. P. *** Nous a fait exposer qu'il désireroit faire imprimer & donner au Public un Ouvrage qui a pour titre, *BIBLIOTHECA CARMELITANA, Notis Criticis & Dissertationibus illustrata*, s'il nous plaisoit lui accorder nos Lettres de Privilége pour ce nécessaires. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter l'Exposant, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer ledit Ouvrage en un ou plusieurs volumes, & autant de fois que bon lui semblera, & de le faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de neuf années consécutives, à compter du jour de la datte desdites Présentes. Faisons défenses à tous Libraires, Imprimeurs, & autres personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'Impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance ; comme aussi d'imprimer ou faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire ledit Ouvrage, ni d'en faire aucun extrait, sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement ou autres, sans la permission & par écrit dudit Exposant ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Exposant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & intérêts ; à la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la datte d'icelles ; que l'Impression dudit Ouvrage sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon Papier & beaux Caracteres, conformément à la Feüille imprimée, attachée pour modele sous le contre-Scel desdites Présentes ; que l'Impétrant se conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celuy du 10. Avril 1725. qu'avant de l'exposer en vente, le Manuscrit qui aura servi de copie à l'Impression dudit Ouvrage, sera remis dans le même état où l'Approbation y aura été donnée, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur Daguesseau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres, & qu'il en sera ensuite remis deux exemplaires dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notre très-cher & féal Chevalier, le Sieur Daguesseau Chancelier de France : le tout à peine de nullité des Présentes; du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Exposant & ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement, ou à la fin dudit Ouvrage, soit tenuë pour duement signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez, féaux Conseillers & Secrétaires, foy soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelles, tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission, & nonobstant clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires ; Car tel est notre plaisir. DONNÉ à Paris, le quinzieme jour du mois de Novembre, l'an de grace mil sept cent quarante-neuf, & de notre Regne, le trente-cinquiéme. Par le Roy en son Conseil. *Signé*, SAINSON.

Registré sur le Registre XII. de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, N°. 357. fol. 236. conformément au Reglement de 1723. qui fait défenses, art. IV. à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, autres que les Libraires & Imprimeurs de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres pour les vendre en leurs noms, soit qu'ils s'en disent les Auteurs, ou autrement, & à la charge de fournir à la susdite Chambre huit Exemplaires prescrits par l'art. 108. du même Reglement. A Paris, ce 25. Novembre 1749. Signé, LEGRAS, *Syndic.*

DISSERTATIO
PRÆVIA
DE VITÆ MONASTICÆ ORIGINE.

I. MONASTICES nomen laxiori vel ſtrictiori ſignificatione ſumi poteſt. Laxiori quidem ſignificatione Monaſtica vita dicitur à monade, ſivè ab unione (*a*) indiviſibili, quâ in Deiformem monadem ita colliguntur & perficiuntur Monachi; ut is dicatur Monachus, qui in tali unitate & communitate cum aliis unum cor babens, unum ſolum hominem faciat, juxtà illud Pſ. 132. *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare Fratres in unum.* » Iſte (*b*) etenim dulcis ſonus, inquit S. Auguſtinus, Monaſ» teria peperit: Ad hunc ſonum excitati ſunt Fratres, qui habi» tare in unum concupierunt. Iſte verſus fuit tuba ipſorum: Ex » voce hujus Pſalmi appellati ſunt & Monachi. . . . Monaſteria (*c*) enim ſunt appellata novis » nominibus: res tamen ipſæ aote nomina ſua erant. *Monos* enim ſolus eſt: Qui ergo ſic » vivunt in unum, ut hominem unum faciant, ut ſit illis verè quod ſcriptum eſt: cor unum, » anima una; multa corpora, ſed non multa corda: rectè dicitur *monos*, id eſt unus ſo» lus. An vis diſcere quinam fuerint primi, quorum anima una & onum cor in Deum? » Audi Pſalmum 132. qui incipit: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare Fratres » in unum.* Centum viginti, qoi ſimul erant in uno loco poſt Reſurrectionem Domini & » Aſcenſionem in cœlum, quibus in uno loco conſtitutis ſupervenit Spiritus Sanctus die » Pentecoſtes, ipſi primi habitaverunt in unum: Qui omnia quæ habebant, vendiderunt, » rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt. Et quid eſt in unum? Erat » illis, inquit, anima una, & unum cor in Deum. Ergo ipſi priùs audierunt: *Ecce quàm bo» num, & quàm jucundum habitare Fratres in unum.* Primi audierunt, ſed non ſoli audie» runt. Non enim uſque ad illos tantum iſta dilectio & unitas Fratrum venit: venit enim » & ad poſteros iſta caritatis exultatio.

II. STRICTIORI SIGNIFICATIONE Vita Monaſtica vocatur ea, quam ducit is qui cum externarum abdicatione rerum, propriæ etiam voluntatis arbitrium abdicavit, ut fiat membrum alicujus religioſi cœtûs, ſub obedientia viventis, cum obligationis perpetuæ vinculo, quantum ex ſua quidem eſt parte, ioſolubili. Et hoc ſenſu, Sanctus Antonius dicebat: »Quo ego (*d*) primùm tempore Monachum cœpi agere, nullum uſpiam extabat » Cœnobium, in quo de aliorum ſalute curæ aut metùs cuiquam erat: Sed quiſque vete» rum Monachorum, perſecutione jam finitâ privatim exercebatur: poſteà verò tantum bo» num, Deo adjuvante, effecit Pachomius, qui intra unius Monaſterii ſepta, magnam col» legit Monachorum multitudinem, ſub uno capite communiter victuram.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

De vita Monaſtica ELIÆ *Prophetæ.*

III. Altero vel utroque ſenſu acceptam Monaſticam vitam præfiguravit (*e*) Elias Propheta, & hujus primas profeſſionis lineas adumbravit. Dum (*f*) enim ad Carmelum montem ſecederet, vice ſui Eliſeum inunxit, ſeque in exemplum ad aſceſim filiis Prophetarum exhibuit. Undè & Saoctus Antonius (*g*) *dicebat apud ſemetipſum oportere Aſcetam ex magni Eliæ vitæ Inſtituto ſuam ipſius vitam quaſi in ſpeculo quotidie ediſcere.*

(*a*) Dionyſius Areopagita vulgò dictus, *cap. 6.* de Eccleſiaſtica Hierarchia.
(*b*) Auguſtinus in *Pſ. 132. num. 26.*
(*c*) Idem Sanctus Auguſtinus, *97. tract.*, in Joannem, *num. 4.*
(*d*) S. Antonius, *in vita S. Pachomii*, apud Papebroch. die 14. Maii, *tomo 3. pag. 326. num. 77.*
(*e*) Caſſianus *de Inſtitut. Monach. Lib. I. cap. 2. & 8.*
(*f*) S. Athanaſius in *Apologia de fuga ſua*, *num. 20. tomo 1. pag. 332.*
(*g*) S. Athanaſius in *Vita S. Antonii*, *num. 7. tomo 1. pag. 802.*

S. Macarius S. Antonii discipulus ad suos Monachos dicebat: » Fratres (*h*) carissimi, » Eliam & Eliseum ac filios Prophetarum, quos constat veraciter Veteris Testamenti Mo» nachos, imitari curate.... Hos secuti sunt Paulus & Antonius, & multi hujus propositi » Sectatores; qui idcircò laudibus extolluntur, quia à cœpto Ordine nullatenùs leguntur » deviasse.

Auctor Vitæ S. Pachomii circa annum 380. scribebat: *Erat* (*i*) *per id tempus*, quo persecutiones Gentilium desierunt *Beati Antonii Vita cunctis ad imitandum præclarè proposita, qui magni Eliæ & Elisei, necnon Joannis-Baptistæ æmulator* existens, &c.

S. Nilus (*k*) in Ascetico: » Elias, *inquit*, relictâ Judæâ, montem Carmelum deser» tum & ferarum plenum incolebat, & præter arbores nullum habebat victûs solatium. » Harum fructibus usum explebat necessarium. Eliseus iridem eamdem vivendi rationem » servabat: à Magistro enim suo cum reliquis virtutibus didicerat, & solitudine delectari.

S. Paphnutius (*l*) in Vita S. Onuphrii: *Profectò*, inquit, *Vitam Beati Patris nostri Eliæ venerabiles Fratres nostros audivi frequenter laudare.*

S. Chrysostomus scribit, *Lib. VI.* de Sacerdotio, *cap. 7. Si talem mihi aliquem adducas Monachum, qualis Elias fuit, non tamen comparandus est ei, qui traditus populis curam gerit Pastoris.* Hunc textum adhibet S. Thomas 2. 2. *quæst. 84. art. 8. ad primum*; ut probet statum Parochorum longè perfectiorem esse statu Monachorum: Si attendatur difficultas, quam importat secum animarum cura; sicut animadvertit Thomas Waldensis, *tomo 3. tit. 9. cap. 82.*

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

Elianam Monasticen imitantur Filii Prophetarum.

IV. Ante Christum natum anno circiter 915. surrexit Elias Propheta, qui Acbabo Israëlis Regi, & Jezabelæ ipsius conjugi excidium denunciavit.

Anno 916. post reditum de monte Horeb, & assumptum Eliseum in Discipulum, Elias alios etiam Discipulos, inquit Salianus, in Monte Carmelo collegit, eosque ad vitam religiosè traducendam, nominatimque ad laudes Deo jugiter decantandas; undè & prophetare dicebantur, instituit; habitu à profanis hominibus, cultu, conversationeque distincti.

Addit Tirinus in *caput 17. Lib. III. Reg.* » Elias extrà Montem Carmelum, Religio» sum habuit Cœtum, quem tamen posteà in Montem Carmeli situm adduxit; ubi Disci» pulis, qui posteà filii Prophetarum vocati sunt, Monasticæ vitæ formam indixit.

V. S. Bernardus suos Monachos alloquens: » Magnum (*m*) sanè, inquit, prophetandi genus, » cui vos deditos esse conspicio. » Quid illud? Nempe juxtà Apostolum, non considerare quæ videntur, sed quæ non videntur, sine dubio prophetare est. Ambulare in Spiritu, ex fide vivere, quæ sursum sunt quærere, non quæ super terram, oblivisci quæ retrò sunt, & extendi in anteriora, ex magna parte prophetare est. Sic *Elias* (*n*) *in Monte Carmelo se in exemplum ad ascesim, filiis Prophetarum exhibuit.*

» VI. Nos habemus, (*o*) *inquiebat S. Hieronymus*, propositi nostri principes, Pau» los & Antonios, Julianos, Hilarionem, Macarios. Et, ut ad Scripturarum auctoritatem » redeam, noster princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filii Prophetarum, qui habi» tabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula, prope fluenta Jordanis, » in Bethel, in Jerico, in Monte Ephraïm, & in aliis longè remotioribus locis. » Nam teste S. Gregorio Nysseno *Eliæ* (*p*) *Collegia sese extenderunt à mari, cui adhæret Carmelus, ad Flumen usque Æthiopiæ, ad quod usque mons Galaad protenditur.*

Sanctus etiam Augustinus (*q*) animadvertit, quod ii Prophetarum filii *essent Israëlitis pro Philosophis, & homines vitæ severioris, abstracti à vulgo*, qui (*r*) *simul habitabant cum Eliseo, quasi solitariam vitam ducentes; ne mundanis occupationibus impedirentur à dono Prophetiæ.*

Quamvis autem à conjugio & familia non abstinerent omnes, generatim tamen loquendo, cœtus quosdam in Collegiis efformabant, vitam duram, castam, pauperemque ducebant sub uno præceptore, quem Patrem nominabant, in villis & castris rusticis. Ita suam enunciant opinionem clarissimi & eruditissimi Scriptores Angli *Historiæ Universalis, tom. 2.* Gallicè edito, *pag. 595.*

VII. Ex illorum Collegio haud dubiè ii erant filii Prophetarum, qui anno antè Christum natum 895. venientes in occursum Elisei, adoraverunt eum proni in terram. Quos (*s*) *cum aleret vates Eliseus, vitis agrestis grumulis mensas onerabat, & sylvestribus oleribus hospitalis humanitatis implebat officium.*

(*h*) S. Macarius, *Sermone quinquagesimo ad Monachos.*
(*i*) Auctor Vitæ S. Pachomii apud Rosweyd, *pag. 113.*
(*k*) Nilus in *Ascetico tom. 5. Biblioth. Patrum, Edit. Paris. 1644. pag.* 361. C.
(*l*) Paphnutius apud Rosweyd, *pag. 100.*
(*m*) Bernardus, *Serm. 37. num. 6. tomo. 1. pag. 1161.* E.
(*n*) S. Athanasius, *superiori num. 1.* citatus.
(*o*) S. Hieronymus, *Epist. 49.* olim 13. *ad Paulinum.*
(*p*) Gregorius Nyssenus *in caput 4. Canticorum, Vers. 4.*
(*q*) S. Augustinus, *Lib. XVIII. de Civitate Dei, cap. 42.*
(*r*) D. Thomas 2. 2. *quæst. 172. art. 4.*
(*s*) Sanctus Ambrosius *de Elia & jejunio, cap. 6.*

Quod equidem perceperunt ii duo (t) adolescentes ex filiis Prophetarum, qui de monte Ephraïm advenerunt anno 830. in Collegium Eliæ.

Lotiori-ne mensâ Prophetæ alebantur alii? Jonas qui prophetavit anno 778. Micheas anno 707. Nahum eodem tempore, Sophonias anno 637. Abacuc anno 605. imò & Rechabitæ qui tempore Jeremiæ, anno 601. ante Christum habitabant in tabernaculis, vinum & siceram non bibentes?

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Elianæ Monastices exercitia nonnulla servant Rechabitæ.

VIII. S. Hieronymus, (u) postquam suos inter duces & Monachos Veteris Testamenti annumeravit Eliam, Eliseum & filios Prophetarum, statim addit: De his sunt & illi filii Rechab, qui vinum & siceram non bibebant, qui morabantur in tentoriis, qui Dei per Jeremiam voce laudantur. *Qui cum (x) multa vidissent exempla, Eliam, Eliseum, illos æmulati sunt.*

» Rechabitæ, (y) *inquit Macarius*, qui, quantum in eis fuit, in Veteri Testamento vi» tam Monasticam servarunt, eò quod patris sui Jonadab obedierunt, à Domino collau» dantur. Hos Rechabitas, dilectissimi Fratres, imitari studete; ut & vos præceptis regu» laribus, & monitis Magistrorum spiritualium sitis obedientes. » Eadem verba refert Bartholomæus, Urbini Episcopus, in Milleloquio S. Augustini, verbo, *Monachus*.

» Eliseum, *ait Cassianus, Collat.* 21. *cap.* 4. ac reliquos ejusdem propositi viros Mo» saïca legimus superasse mandata, de quibus Apostolus dicit: *Circuierunt in melotis*, &c. » Quid de filiis Jonadab filii Rechab dicam? Qui omnes offerre possessionum suarum de» cimas non contenti, sed ipsa prædia respuentes, semetipsos potiùs Deo ac suas animas » obtulerunt.

Rechabitas (z) animadvertit Nicolaus Serarius, *alios exstitisse genere ac stirpe, alios disciplinâ & instituto*: Sed monet S. Gregorius Nazianzenus (a) quod *fœcunditas in cælibatu præstantiores habet fœtus, qui secundùm Deum existunt, quàm qui à carne ortum ducunt.*

Non desunt Interpretes & Scriptores, qui affirment Rechabitas non defecisse per excidium Jerosolymitarum; sed eorum plurimos solutâ captivitate Babylonicâ rediisse & habitasse in Jabes, prout innuit Sacra Scriptura, 1. *Paralipp.* 2. *vers.* 55. sic opinantur Hugo Cardinalis, *in caput* 35. *Jeremiæ, versu* 19. Cornelius à Lapide *ibidem*: Joannes-Stephanus Menochius, Jacobus Tirinus, Alfonsus Tostatus &c. quibus recentiores accedunt Angli anonymi auctores *Historiæ Universalis, tom.* 3. *pag.* 97. Isaacus de Beausobre in *Historia* Gallicè scripta: *de Manichée & du Manicheisme, tom.* 1. *pag.* 456. Augustinus Calmet in *Dissertatione prævia ad Jeremiam Prophetam, pag.* xliij *in*-4°. ubi & originem Instituti Monastici trahere se gloriatur à viris tam Sanctis Veteris Testamenti, quales fuerunt Elias, Eliseus, filii Prophetarum, Rechabitæ, Joannes-Baptista, hujus professionis Principes.

PARAGRAPHUS QUARTUS.

Elianam Monasticen delibant Esseni.

» IX. Usus invaluit, *inquit Hugo Grotius*, (b) ut Assidæi appellarentur non solùm pii » homines qui legem observabant, sed etiam ii qui ultrà Legem, institutis quibusdam sive » votis se distinguebant, quæ dicerentur quasi mantissæ legis: Quales Jeremiæ temporibus » Rechabitæ. Unde & pietatis homines Essenos, qui ab antiquo valde tempore fuerant, » ponit Josephus, *Lib. XIII.* Antiquitatum, *cap.* 9. respiciens Rechabitas.

Josephus quidem de Essenis, quorum laudes & instituta fusè prosequitur, quatuor in locis habet mentionem, scilicet *Lib. XV. Antiquitatum, cap.* 13. *Lib.* 16. earumdem *Antiquitatum, cap.* 13. *Lib. XVIII. cap.* 2. & *Lib. II. de Bello Judaico, cap.* 7. aliàs 12. nam variæ hujus Auctoris editiones admodùm variantur.

Libro autem de Bello Judaïco, *cap.* 7. ant 12. refert Essenorum Novitium, antequam in consortium admittatur, tribus annis exerceri ad ostensionem continentiæ, & priusquàm incipiat habere communem cibum, magnis execrationibus adjurare se primùm quidem colere Deum, deinceps quoque erga homines servare justitiam.

Porphyrius Tyrius, *Lib. IV.* de Abstinentia, scribit Essenos conjugium non amplexos fuisse, sed omnem voluptatem aversatos tanqnam malum, virtuti sibi decentes esse temperantes, neque vinci passionibus. Interim (pergit idem Porphyrius) acceptos aliorum liberos adhuc teneros & molles, ad disciplinam suis instruunt moribus, non minus ac si ipsorum

(t) 4. *Reg.* 5. *Vers.* 22.
(u) Hieronymus *in Epist. ad Paulinum citatâ.*
(x) S. Chrysostomus apud Michaelem Chilerium, in Catena Græca ad *cap.* 35. Jeremiæ, *vers.* 5. *pag.* 750.
(y) S. Macarius, *Sermône quinquagesimo ad Monachos.*
(z) Serarius in Minervall *Lib. V. cap.* 22.
(a) Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 12. *num* 2.
(b) Grotius in primum Librum Machabæorum, *cap.* 2. *vers.* 42.

essent. . . . Opes despiciunt, suscipiunt communem rerum usum; & non invenias apud illos unum qui altero plus babeat . . . Si quis hanc sectam amplecti velit non statim admittitur, sed foris expectare per annum debet. Peracto novitiatu, priusqnam novus Dei cultor ad communem mensam admittatur, per professionem debet se constringere juramentis terribilibus se sequentem regulam servaturum.

X. Quas *magnas execrationes* Josephus appellat, & Porpbyrius *juramenta terribilia*, S. Augustinus, (*e*) & post S. Augustinum Hugo Grotius vocat *Vota*.

XI. Essenorum nomen innotescere cœpisse anno ante Christum 163. innuit idem Grotius; (*d*) quod & confirmat Augustinus (*e*) Calmet, post Flavium Josephum, (*f*) quem sequuntur anonymi Angli (*g*) Scriptores Historiæ Universalis. Nominis autem etymon S. Chrysostomus (*h*) deducit *à vitæ honestate*, S. Nilus (*i*) *à eantemplatione*, S. Cyrillus (*k*) Alexandrinus, *à pietatis exercitatione*. Et Photius, *Cad.* 104. de Libris Philonis scribens: » *Lecta*, inquit, *& eorum vivendi ratio, qui Philosopharum vitæ genus apud Judæos, sive cantemplando, sive agendo secuti sunt. Hi Esseni, illi Therapeutæ appellabantur, ac proximi quidem, non Manasteria tantum atque Semneia ædificarunt, sed etiam normam iis qui nunc solitariam degunt vitam, præscripserunt.*

XII. Idem sapiunt S. Hieronymns in Epistola ad Eustochium 22. aliàs. 13. & *Lib. II.* adversùs Jovinianum: S. Epiphanius, *hær.* 29. *num.* 2. Dionysius Petavius in hunc locum Sancti Epiphanii: Cardinalis Baronius ad annum 64. *num.* 9. Humfredus Prideaux, *Lib. XIII.* Historiæ Judæorum, anno ante Christum 107. Daniel Papebrochius in Responsisad Patrem Sebastianum Carmelitam, *articula* 16. *num.* 69. Hippolytus Heliot in Dissertatione prævia ad Historiam de Ordinibus Religiosis, *tam.* 1. *pag.* 24. Angli Scriptores, *tom.* 7. *pag.* 228. Augustinus Calmet in Dissertarione prævia Commentariorum ad Evangelium Sancti Marci, *articulo* 3. *pag.* 39. Clarissimus Dominus d'Artigny, in Opere Gallicè inscripto: *Nauveaux Mémoires d'Histoire, &c. tom.* 1. *pag.* 220. Bernardus de la Monnoye in Notis ad *tom.* 2. Menagiana dictum, *pag.* 199. Ubi probat ex Plinio, *Lib. V.* Historiæ Naturalis, *eap.* 17. vitam Monasticam non esse novam; cum *Esseni Palæstinæ fuerint Eremitæ, quorum gens æterna, in qua nemo naseitur.*

» XIII. Essæi, *inquit Suidas*, (*l*) Judæi Ascetæ, à Pharisæis & Scribis in ascesi è diametro differentes, Abnepotes Jonadabi Rechab illius Justi, inter sese amantes, voluptatem aversantur, temperantiam verò & continentiam, & ab animi perturbationibus vacuitatem, virtutem putant, in contemplatione plerumque perseverant: Undè Essæi vocantur, hoc est contemplatores.

Quapropter definire minimè fuerim ansus an Rechabita, utrumvefu erit Essenus is Judæus, cnjus Aristoteles (*m*) laudavit mirabilem continentiam, sapientiam & castitatem. Rechabita (*n*) verò expresse asseritur is Judæus, qui interfuisse refertur neci Sancti Jacobi, quam occisoribus ceu injustam exprobravit.

Essenus autem erat is Judæus, (*o*) nomine Judas, qui ante Cbristum natum anno 106. vaticinatus est & prædixit Antigonum, Aristobuli Regis Fratrem, esse moriturum in *Stratone*. Nam Antigonus equidem cæsus est in cella subterranea *turris*, quæ *Stratonis* vocabatur.

Essenns celebris fuit ante Christum natum anno 16. Manahemus, (*p*) qui Herodi Regnum Judaïcæ gentis prædixit, & eum præmonnit de justitia & pietate ac æquitate erga subditos servanda.

PARAGRAPHUS QUINTUS.

Therapeutæ fuerunt Essenorum Successores in Eliano Instituto.

» XIV. Postquam, *inquit Philo Judæus*, (*q*) de Essæis disseruimus, qui vitam activam » exercent, Ordo postulat ut deinceps dicamus quæ dicenda sunt de contemplatione de» ditis . . . Institutum antem hujus Pilosophiæ mox apparet ex ipsis appellationibus. Vo» cantur enim Therapeutæ, Therapeutidesque, hoc est Curatores & Curatrices vero no» mine: vel qnia profitentur medicinam præstantiorem, quæ animos liberat morbis gra» vibus, & adversùs medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates, concupiscentiæ, » dolores, timores, avaritiæ, insipientiæ, injustitiæ, & cæteræ perturbationes, vitiorum» que

(*c*) S. Augustinus *in Ps.* 70. *num.* 2. & *in Ps.* 132. *num.* 2.
(*d*) Grotius superiori *num.* 9. *citatus.*
(*e*) Calmet in *Historia Veteris Testamenti*, *tom.* 2. *pag.* 150.
(*f*) Josephus *Lib. VII. Antiquitat. cap.* 9.
(*g*) Angli Scriptores, *tom* 1. *pag.* 223.
(*h*) S. Chrysostomus, in *Acta Apostolorum, Homil.* 46.
(*i*) S. Nilus, in *Ascetico.*
(*k*) S. Cyrillus Alexandrinus, *Lib. V. contrà Julianum Imperator.*
(*l*) Suidas in *Lexico*, verbo, *Essaici.*
(*m*) Aristoteles *apud Josephum*, *Lib. I. adversùs Apionem, cap.* 5.
(*n*) Eusebius Cæsariensis, *Lib. II. Hist. Eccles. cap.* 23.
(*o*) Josephus, *Lib. XIII. Antiquitatum, cap.* 19.
(*p*) Idem Josephus, ibidem *Lib. XVI. cap.* 13.
(*q*) Philo Judæus, *Libro de vita contemplativa*: juxta versionem Latinam Sigismundi Gelenii.

» que agmen innumerabile : Vel quia didicerunt à natura, & è facris legibus colere illud » *Ens*, & bono melius, & uno fincerius, & unitate in generando antiquius, atque (ut ita » dicam) principalius. . . . .

» Relictis facultatibus & avocamentis omnibus, fugiunt fine refpectu Fratrum, libero» rum, parentum, uxorumque, & deferunt numerofas cognationes, focietates, amicitias, » ipfafque patrias, in quibus geniti, educatique funt. Demigrant autem extrà mœnia, de» gunt in hortis aut villis folitariis, amantes folitudinem, non hominum tædio, fed ad ca» vendos congreffus cum diffimilibus, quos fciunt moribus bonis officere.

» Hoc genus reperitur in multis orbis regionibus; maximè tamen in Ægypto frequen» tatur per Præfecturas fingulas, præfertim circa Alexandriam. Ex omnibus autem locis » optimus quifque Therapeutarum, tanquam hujus generis colonus mittitur in locum » quemdam aptiffimum, fitum ad Stagnum Mariam in terreno colle acclivi leniter, tutum » fimul & laudatum ob aëris temperiem.

» Domicilia convenarum funt admodum frugalia, parata contra æftum tantummodò » & frigora, non contigua ut in urbibus; nec tamen longè remora, ut fibi poffint invicem » fuccurrere contra latrunum incurfus improvifos & fortuitos. Singuli autem habent facras » ædiculas, quæ Semneïa vocant five Monafteria; ubi Solitarii Sanctæ vitæ myfteriis dant » operam. Nec cibi potufve quidquam inferunt, aliudve in ufum corporis, fed legem tan» tùm & Prophetarum oracula divinitùs prædicta, hymnofque, & quædam alia pietati, » fcientiæque promovendæ utilia. . . .

» Verfantes Sacra Volumina dant operam Philofophiæ per manus acceptæ à Majori» bus, fectando ejus allegorias : Quoniam fub apertis verbis latere credunt fecreta naturæ » conjecturis explicanda probabilibus. Habent etiam prifcorum commentarios, qui hu» jus fectæ auctores multa monumenta reliquerunt de allegoriis hujufmodi, ad quorum » imitationem pofteri fe accommodant. Itaque non folùm contemplantur, fed etiam Can» tica, hymnofque in Dei laudem componunt, vario metrorum, carminumque genere ry» thmis concinnatos in anguftiorem ac religiofam fpeciem.

XV. Eufebius (*r*) Cæfarienfis loquens de tempore, quo S. Marcus Evangelifta prædicavit Evangelium in Ægypto, quod Therapeutarum plurimi fuerunt amplexi : Cum Philo, inquit, Philofophorum Afcetarumque noftrorum vitam defcribit, fatis fuperque indicat fe non modò vidiffe, fed etiam vehementer probare & mirari Therapeutas illos, qui Propheticam vivendi rationem æmulari ftuderent.

Illuftriffimus juxta & peritiffimus Daniel (*f*) Huet, eadem, quæ Eufebius, verba repetens, Multa Philo, ait, de Therapeutis, qui Afcetæ erant Chriftiani Ægyptum incolentes commemorat; fed illud præcipuè, totos in meditatione Philofophiæ dies traducere folitum fuiffe ipfis, & in præceptis fapientiæ fibi traditis allegoricè explicandis, atque hanc confuetudinem Therapeutas illos à majoribus accepiffe.

» XVI. S. Hieronymus (*t*) de iifdem Therapeutis à Philone memoratis ait : Philo Ju» dæus Librum de prima Marci Evangeliftæ apud Alexandriam fcribens Ecclefia, in nof» trorum laude verfatus eft, & habitacula eorum dicens Monafteria. Ex quo apparet ta» lem primùm Chrifto credentium fuiffe Ecclefiam, quales nunc Monachi effe nituntur & » cupiunt; ut nihil cujufquam proprium fit, nullus inter eos dives, nullus pauper. Patri» monia egentibus dividuntur, orationi vacatur & Pfalmis, doctrinæ quoque & continen» tiæ; Quales Lucas refert, primùm Jerofolymæ fuiffe credentes. . . . . Tales, (*u*) in» quam, Philo, tales Jofephus Effenos refert; ita ut *vitæ (x) genus quod ducebant Effeni & Therapeutæ fimile prorfus effet vitæ Cænobitarum & Monachorum.*

Sozomenus *Lib. I.* Hiftoriæ Ecclefiafticæ, *cap.* 12. Sermonem inftituens de converfatione Monachorum, apud quos adolefcens & juvenis fuerat enutritus & inftitutus in Monafterio Bethelix (*y*) in Palæftina, fic loquitur : » Hujus excellentis Philofophiæ prin» ceps fuit, ut quidam memorant, Elias Propheta & Baptifta Joannes. Verùm Pythagori» cus Philo fuâ ætate Hebræorum præftantiffimus, undique collectos in locum quemdam » fupra Mareotem in colle fitum Philofophatos effe fcribit. Eorum autem domicilia, vi» tam, & converfationem ejufmodi refert, qualem nunc ab Ægyptiorum Monachis obfer» vari videmus. . . . . Et Philo quidem, cum ad hunc modum narrat, indicare videtur » Chriftianos *quofdam* fui temporis, qui ex Hebræis, *Effenis & Therapeutis* converfi, ad» huc Judaïco more vivebant, eorumque ritus *nonnullos* cuftodiebant. Unde conjicio » hanc Philofophiam apud Ægyptios ex eo tempore Floruiffe.

XVII. Hæc autem de Effenis & Therapeutis quibufdam ad fidem Evangelicam con-

(*r*) Eufeb. Cæfarien. *Lib. II. Hiftoria Ecclefiæ*, *cap.* 16. & 17.

(*f*) Daniel Huet, in *Origenianis*, *Lib. II. quæft.* 13. *num.* 3. *pag.* 173.

(*t*) S. Hieronymus, *Libro de Scriptoribus Ecclefiafticis*, *cap.* 11.

(*u*) Idem Hieronymus, in *Epiftola ad Euftochium* 22. alias 18. *tom.* 4. *pag.* 46.

(*x*) Bouhier, *Epift.* 2. *ad Patrem de Montfaucon*, *pag.* 329.

(*y*) Sozomenus, *Lib. V. Hiftor. Ecclefiaft. cap.* 15. *pag.* 617.

versis opinio, inquit clarissimus Dominus Tillemontius, (ʒ) tametsi non omnimodâ donetur certitudine; eo tamen certitudinis gradu vestitur & eâ dote, quâ nec possit exui, quia nec confutari potest.

De qua etiam opinione differens alter eruditus Scriptor Claudius Florus, (a) notat certum esse, à tempore S. Marci plurimos extitisse viros, quos ferventior perfectionis Cristianæ sequendæ zelus, & amor solitudinis ad viciniam Alexandriæ allexit; ubi domibus inclusi, orationi vacantes, sacram meditantes Scripturam, suisque manibus operantes, cibum nonnisi post Solis occasum sumebant.

Cum ex Essenorum Judaïcâ factione, inquit Dionysius Petavius, (b), plerique se ad Christianos aggregassent, quodnam iis aliud nomen affingerent Gentiles Historici. Nam & diu posteà Christiani omnes à Græcis & Romanis Judæi nominati, & pro Judæis habiti sunt: ut non absurdum sit Philonianos præsertim illos Essæos Theoriticos, Christianos fuisse. Quæ autem adversùs ea magno cum strepitu ac stomacho disputatur, cum aut levia sint, aut facilè dissolvi possint, nihil erit quod nos vetustissimæ illius opinionis, ac tantorum Patrum auctoritatis ac confessionis pœniteat.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

Primo Ecclesiæ Seculo viget Elianum vitæ Monasticæ Institutum.

XVIII. Vitam Monasticam præfiguravit Elias Propheta, & primas hujus lineas professionis adumbravit, quas secuti sunt Eliseus, filii Prophetarum, Rechabitæ, Esseni & Therapeutæ; uti probant Sanctorum Patrum testimonia hactenus illata. Essenus equidem erat is Simon, (c) qui anno Christi sexto somnium Archelaï Tetrarchæ explicuit, & hujus Principis mox futuram deturbationem indicavit.

XIX. Ab Essenorum habitatione non longè distabat Urbs Hebroensis, (d) in qua natus dicitur S. Joannes-Baptista, & inter eos vixisse in *desertis usque ad diem ostensionis suæ*.

Essenorum vitam Christo Domino nostro gratam probatamque fuisse ideò conjectant eruditi Scriptores (e) quòd ii Esseni mansueti, humiles, ab hominum cœtu remoti, quieti & solitarii, nec Domino Jesu Christo, nec ejus Discipulis ullum vel minimum facescere negotium moliti sint, sed & Mosaïcam servarint legem sincerè, sine fraude, sine dolo, absque hypocrisi, abs ullius probro culpæ alieni, utpotè homines integerrimi.

In die Pentecostes, *Jesu nomine audito*, inquit S. Epiphanius, (f) *conspectisque quæ ab Apostolis fierent portentis ac miraculis, in illum plurimi crediderunt*. Idem affirmat Josephus Antiochenus, inferius (g) citandus, & in Speculo perfectæ Militiæ primitiæ Ecclesiæ, *cap. 12.* dicens: *Perfectorum militum Christi Apostolorum Coadjutores surrexerunt strenuissimi viri solitarii, contemplationique dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei imitatores, qui, &c.*

XX. Anno Christi 49. in Ægyptum peragrasse fertur S. Marcus, & Evangelium illic prædicasse. Ab hoc Sancto Evangelista ad lumen Evangelicæ fidei adductos fuisse Therapeutarum plurimos, qui *propheticam vivendi rationem æmulari studuerunt*, scribit Eusebius Cæsariensis, *Lib. II. Hist. Ecclesiast. cap. 17.*

Opinionem eamdem confirmat S. Hieronymus: (h) Eamdem affirmat Joannes Cassianos. (i) » Cum in primordiis fidei, *inquit*, pauci quidem, sed probatissimi Monachorum no-» mine censerentur, qui sicut à beatæ memoriæ Evangelista Marco, qui primus Alexandrinæ » Urbi Pontifex præfuit, normam suscepere vivendi, non solum illa magnifica retinebant, » quæ primitùs Ecclesiam vel credentium turbas in Actibus legimus celebrasse: etenim fece-» dentes in secretiora suburbiorum loca, agebant vitam tanto abstinentiæ rigore districtam, » ut etiam his qui erant religionis externæ, stupori esset tam ardua conversationis eorum » professio.... Illa (k) instituta in quibus ab exordio prædicationis Apostolicæ à sanctis & » spiritualibus patribus fundata Monasteria ad nos usque perdurant.

Hinc Cardinalis Stanislaus Osius in Confessione fidei Catholicæ, *cap. 74.* (l) *Apostolorum sectatores vocat Therapeutas, quibus testimonium tribuit Philo Judæus*. Et *cap. 88.* (m) *Certè Cassianus Lib. II. cap. 5. à Marco Evangelista Monachos normam vivendi suscepisse scribit.*

R. P. Daniel Papebrochius in Responsis ad patrem Sebastianum Carmelitam, *articulo*

(ʒ) Tillemontius, *tom. 2. Histor. Eccles. pag. 103. & 550.*
(a) Fleury, *tom. 1. Hist. Eccl. Lib. II. num. 6. pag. 178.* Edit. *in-4o.*
(b) Petavius, in *Notis ad S. Epiphanium, hæresi 29. num. 5.*
(c) Simon Essenus apud Josephum, *Lib. II. de Bello Judaico, cap. 6.*
(d) Calmet dans le *Dictionnaire de la Bible*, au nom *Esseniens.*
Angli Scriptores Historiæ Universalis, *tom. 7. pag. 228.*
(e) Baronius, *anno 64. num. 9.*
Angli Scriptores, *loco citato.*
D'Artigni, *Nouveaux Mémoires, tom. 2. pag. 213.*
Humfredus Prideaux, *Lib. XIII. Histor. Judæor. anno Christi 107.*
(f) S. Epiphanius, *Hæresi 29. num. 5. citato.*
(g) *Tom. 2.* hujus Bibliothecæ, *pag. 153.*
(h) Hieronymus, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis; cap. 11.* superius citato, *num. 16.*
(i) Cassianus, *Lib. II.* Institut. *cap. 5.*
(k) Idem Cassianus, in *Epistola ad Castorem, Aptensem Episcopum, scripta.*
(l) *Pag. 151.* Edit. Antuerpiens. 1571. *in-folio.*
(m) Ibidem, *pag. 166.*

16. num. 69. Therapeutas Alexandriæ vicinos, *Alios*, inquit, *quos in aliis regionibus inter Græcos & barbaros indicat Philo, aliorumque Apoſtolorum vel Apoſtolicorum virorum fuiſſe diſcipulos nequaquam ambigo; & veros omninò Monachos, (licet hoc nomen necdum uſurparetur) id eſt ſolitarios agnoſco.* Hunc Papebrochii textum exſcribit & approbat Hyppolitus Helyot, in Diſſertatione prævia ad Hiſtoriam de Ordinibus Religioſis, *tomo primo, cap. 24.*

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.

Tribus Eccleſiæ Seculis elucent quædam Eliani veſtigia inſtituti.

XXI. Res (*n*) omnis non ſolum naturalis, ſed etiam moralis habet initia, ab eo quod paulatim efficiuntur, diſſimillima. Et illa diſſimilitudo aliquando tanta evadit, ut res inchoata & res eadem ſuis ornara complementis, diverſis nominibus induatur, vel ſpolietur. Hinc vita monaſtica ſive ſtrictiùs ſive laxiùs intellecta, & ab Elia Propheta inchoata & adumbrata ſectatores allexit, quos nomina diverſa texerunt & ornarunt. Quos enim inſpeximus appellatos Filios Prophetarum, Rechabitas, Eſſenos & Therapeutas, hos Aſcetas, Cœnobitas, Monazontes & *Monachos* (*o*) *quædam quaſi rudimenta gratiæ fecerunt exordientis;* ut loquitur Lucas Holſtenius.

XXII. Nam inprimordiis fidei, pauci, inquit Caſſianus, (*p*) ſed probatiſſimi Chriſtiani in locis ſuburbanis ac ſecretioribus ſegregati à credentium turbis, & à parentum ſe conſortio, mundique iſtius converſatione ſecernentes, Monachi ſive Monazontes ſingularis ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt: unde conſequens fuit, ut ex communione conſortii Cœnobitæ, cellæque ac diverſoria eorum Cœnobia vocarentur.

Nondum enim tam frequentia erant Monaſteria, inquit S. Athanaſius; (*q*) neque ullus norat Monachus vaſtam eremum; haud procul ſuo pago is ſeſe exercebat ſolus. Iſtud (*r*) antiquiſſimum Monachorum genus, quod per annos plurimos ſolùm inviolabile uſque ad Abbatis Pauli vel Antonii duravit ætatem.

Hi ſolitarii, contemplationi dediti, utpotè Sanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſei imitatores, propheticam vivendi rationem æmulari ſtuduerunt; ſicuti ferunt peritiſſimorum allata (*ſ*) virorum ſuffragia.

SECULO SECUNDO.

XXIII. Anno CXI. Dio (*t*) Chryſoſtomus Eſſenos commendat, beatam prorſus civitatem incolentes, quæ ad mortuum mare ſita eſt juxtà Sodoma in Paleſtinæ mediterraneis; ſive, ut loquitur Caius Plinius, (*u*) » Ab occidente littora lacus Aſphaltitæ Eſſeni fugiunt » uſque quà nocent..... Ita per ſeculorum millia (incredibille dictu) gens æterna eſt, in » qua nemo naſcitur; tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt. Infra hos Engadda op» pidum fuit, ſecundum ab Jeroſolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, alterum » buſtum. » Quem Plinii textum afferens vir clariſſimus Dominus Bernardus de la Monnoie, (*x*) probat inde vitam Monaſticam non eſſe novam; cum *Eſſeni Palæſtinæ fuerint Eremitæ, quorum gens æterna, in qua nemo naſcitur.* Eſſeni etenim non Monaſteria tantum atque ſemneia ædificarunt, inquit Photius, (*y*) ſed etiam normam iis qui nunc ſolitariam degunt vitam, præſcripſerunt.

Anno 112. obiiſſe perhibetur Sanctus Narciſſus (*ʒ*) Jeroſolymorum Epiſcopus; qui cum infamiam ab homuncionibus graviſſimam perpeſſus & infamiam ſuſtinere non poſſet, atque alioqui Philoſophicæ vitæ jamdudum amore teneretur, relictâ Eccleſiæ plebe, in ſolitudine ac in deviis agris plurimos annos delituit: ſive, ut ſcribit Baronius, (*a*) *multis annis vitam annachoreticam duxit.*

Anno 145. Marcio ſuam equidem hæreſim ſpargere cœpit: ſed *initio vitæ ſuæ caſtitatem præ ſe ferens, Monachorum inſtituta profeſſus eſt*, inquit Sanctus Epiphanius, (*b*) cui adhærent Florus (*c*) & Tillemontius. (*d*)

Anno 162. Celſus Epicureus Librum, qui inſcribitur: *ſermo verus* adversùs religionem Chriſtianam promens, dicebat: *Pythagoras cum diſcipulis ejus fabis ſibi interdixit, animantiſque omnibus; nec tamen credibile eſt illos ideò laudandos magis eſſe, aut Deo cariores præ cæteris, non item alios.*

(*n*) Papebrochius, in *Notis ad Vitam S. Pachomii, die 14. Maii, tom. 3. pag. 293. num. 22.*
(*o*) Holſtenius apud Papebrochium, *Ibidem, pag. 292. num. 19.*
(*p*) Caſſianus, *Collatione 18. cap. 5.*
(*q*) Athanaſius, in *Vita Antonii, num. 2. pag. 795.*
[*r*] Caſſianus, *loco citato.*
[*ſ*] Allata ſuffragia, *ſuperiori Paragrapho 6.*
[*t*] Dio Chryſoſtomus, apud
[*u*] Plinius, *Lib. V.* Hiſtoriæ Naturalis, *cap. 17.*
[*x*] De la Monnoye, *in Notis ad tom. 2. Menagiana; pag. 199.*
[*y*] Photius, *Codice. 104.*
[*ʒ*] Euſeb. *Lib. VI. Hiſtor. Eccleſ. cap. 9. & ſeqq.*
[*a*] Baronius, *tom. 2. ann. 199. num. 5.*
[*b*] Epiphanius, *hæreſi 42.*
[*c*] Fleury, *tom. 1. Hiſt. Eccleſ. Lib. III. num. 34.*
[*d*] Tillemont, *tom. 2. pag. 301. & tom. 7. pag. 103.*

Respondet autem Origenes: (*e*) *Hic considerandum discrimen, quid Pythagoricos, quid nostros Ascetas ad abstinentiam ab animantis moveat. Illi abstinent propter fabulam de migratione animæ in varia corpora. Nos autem, dum aliquid tale facimus, sugillamus corpus nostrum, & in servitutem redigimus.* Ex his autem Ascetis paulò post exorti sunt Monachi, inquit Florus, *Lib. VI. Histor. Ecclef. num.* 20. *tom.* 2. *pag.* 172.

De iisdem Ascetis locutus fuisse Origenes (*f*) creditur *Homil.* 25. in Numeros dicens: *In populo Dei sunt quidem, sicut Apostolus dicit, qui militant Deo. Illi sine dubio se non obligant negotiis secularibus.... Pugnant autem orationibus & jejuniis, justitiâ & pietate, mansuetudine, cunctisque continentiæ virtutibus, tanquam armis bellicis communiti.*

Tempore scilicet Origenis, inquit Tillemontius, (*g*) nomen Ascetæ frequens adhibebatur ad solitarios designandos. Hinc

Anno 190. S. Serapio, qui Sedem Antiochenam tenere cœpit ad annum 211. quasdam *breves* (*h*) *epistolas scripsit Asceticæ vitæ congruentes.*

Eodem tempore florebant Therapeutæ vel eorum discipuli à S. Marco Evangelista plurimi conversi, qui, teste Sozomeno, (*i*) soli deorsum degentes, Deum Psalmis & hymnis venerabantur studiosè suis in Monasteriis & semneiis; ita ut Philosophorum, Ascetarumque subsequentium vitam degerent.

PARAGRAPHUS OCTAVUS.

Annis subsequentibus, Elianum perseverat institutum.

XXIV. Essenos à Rechabitis ortos fuisse, & ab Elia originem proinde accepisse satis superque certum constat ex dictis, indicatque non obscurè Philo scribens eos habuisse priscorum commentarios, qui hujus sectæ auctores multa monumenta reliquerunt, quorum lex & Prophetæ primò numerantur.

SECULO TERTIO.

XXV. Caius Solinus, (*k*) quem anno 209. scripsisse ferunt, hos Essenos summis extollit laudibus, tamquam *præditos memorabili disciplina.*

Anno 210. S. Clemens (*l*) Alexandrinus monet *totam Ascefeos perfectæ praxim contineri præviis virtutum exercitiis.* » Beatus (*m*) autem Joannes, inquit, pilos camelorum elegit: » Ovinâ etiam pelle Elias utebatur, & ovinam pellem stringebat zonâ factâ ex pilis.... » fixis (*n*) ergo oculis eos intueamur, qui magnificæ Dei gloriæ perfectè serviérunt.... » Therapeutæ (*o*) Dei affectatores & cultores sunt omnes, qui sunt virtute præditi.... » Perfectus (*p*) reverà vir iste probatur non in eo quod vitam elegerit Monasticam; verùm » ille, qui indivulsus est à Dei charitate, insurgitque adversus omnem tentationem, quæ » affertur per filios, uxores, famulos, & possessiones.... Is totus est hospes & peregri» nus in tota vita.. Vivit in solitudine, ut non locus eum cogat, sed liberum eligendi ar» bitrium eum justum ostendat.

Monachi autem, inquit Alardus Gazæus, (*q*) à Græcis Patribus vocantur Ascetæ, id est, pugiles seu exercitatores: eò quòd tota eorum exercitatio velut quædam virtutum palæstra esse debeat. Idem asserit amplissimus Dominus Joannes Bouhier, in Epistola Gallicè scripta ad Bernardum de Montfaucon, *pag.* 23. ubi animadvertit Monachos à prima sua institutione nomen Ascetarum speciatim fuisse sortitos.

Hinc etiam Eosebius (*r*) Cæsariensis Petrum Apselamum appellat *Ascetam*: Quia hoc nomine, inqnit Tillemontius, (*s*) illis temporibus designabantur Christiani, qui vitam austeriorem, reconditioremque & puriorem ducerent: unde ad Monachos & Solitarios delatum est. Et Ludovicus Cousin Gallicè vertit: *Pierre Moine, surnommé Apselame.* Joannes quoque Christophorsonus textum Græcum Eusebii vertit Latinè: *Petrus, qui & Apselamus, dicebatur Asceta; id est Religiosus vel Monachus, vitam solitariam & meditationi deditam secutus.*

Hæc confirmantur ex S. Athanasio (*t*) scribente quod S. Antonius diceret oportere Ascetam ex magni Eliæ vitæ instituto suam ipsius Vitam quasi in Speculo quotidie ediscere: quia

(*e*) Origenes, *Lib. V. contrà Celsum, tom.* 2. *pag.* 487. F.
(*f*) Origenes idem, *Homil.* 25. *in Numeros, tom.* 1. *pag.* 168. L.
[*g*] Tillemont, *tom.* 7. *Hist. Ecclef. pag.* 103.
[*h*] S. Hieronymus, *Libro de Scriptoribus Ecclef. cap.* 41.
[*i*] Sozomenus, *Lib. I. Histor. Ecclesiast. cap.* 12. Eusebius Cæsar, *Lib. II. Hist. Ecclef. cap.* 17.
(*k*) Solinus, in Poly-Historia, *cap.* 36.
(*l*) Clemens Alexandrinus, *Lib. IV. Stromatum, pag.* 527. *B.*
(*m*) Idem Clemens Alexandrinus, *Lib. II. Pædagogi, pag.* 203. *B.C.*
(*n*) Idem, *Lib. IV. Stromatum, pag.* 516.
(*o*) Idem, *Lib. V. Stromatum, pag.* 594. *A.*
(*p*) Idem, *Lib. VII. Stromatum, pag.* 741. *B.* & 745. *B.*
(*q*) Gazæus, in *Notis ad Librum primum Joannis Cassiani, cap.* 2.
(*r*) Eusebius, *Libro de Martyribus Palæstinis, cap.* 10. *pag.* 274.
(*s*) Tillemont, *tom.* 5. *Hist. Ecclef. pag.* 417.
(*t*) Vide superiorem *paragraphum primum, num.* 3.

quia & ipse magnus Elias in Carmelum montem secessit, ut vice sui Eliseum inungeret, seque in exemplum ad Ascesim filiis Prophetarum exhiberet.

Dominica etenim *Ascesis*, inquit Clemens (*u*) ipse Alexandrinus, *gratè oc lubenter animam abducit à corpore, siquidem ipsa quoque seipsam transferendo avellit, si modo nostram fragilitatem applicemus od Dei corruptionem .... Qui* (*x*) *seipsum castravit, hoc est qui castitatem delegit, ... ipse sibi Deo majorem acquiret dignitotem .... Qui* (*y*) *enim seipsum continuit, instar est viduæ, quæ est rursus virgo per temperantiam. Nam virgines quidem sunt, quæ expectant Dominum propter charitatem, suumque accendunt lumen od rerum contemplationem, prudentes Virgines.*

XXVI. Anno 230. De iisdem Asceris scribebat Origenes: (*ζ*) » In populo Dei sunt » quidam, sicut Apostolus dicit, qui militant Deo, ... pugnant autem castitate, cunc» tisque continentiæ virtutibus, tanquam armis bellicis communiti.

Anno 250. Porphyrius, *Lib. IV.* de Animantibus animadvertit, quod Esseni sui temporis *per professionem sese constringerent juramentis terribilibus se regulam sectæ suæ servaturos.*

Anno eodem 250. Sanctus Paulus in eremum secessit, in qua illum sequenti seculo medio S. Antonius reperiit, & inde rediens ad suos Monachos exclamabat: *væ mihi* (*a*) *peccatori, qui falsum monachi nomen fero : vidi Joannem in deserto, & verè vidi Paulum in Paradiso.*

Vitam hujus Pauli S. Hieronymus (*b*) adoritur bis verbis: » Inter multos sæpè dubita» tum est, à quo potissimùm Monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altiùs » repetentes, à beato Elia & Joanne sumsere principium. Quorum & Elias plus nobis vide» tur fuisse, quàm Monachus: & Joannes ante prophetare cœpisse, quàm natus sit. Alii » antem, in quam opinionem vulgus omne consensit, asserunt Antonium hujus propositi » caput: Quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo » omnium incitata sunt studia.

Anno 271. S. Antonius (*c*) decem & octo annos natus, antè domum suam, vitæ asceticæ operam dare cœpit; atque attentus sibi, asperum vitæ genus toleranter egit. Nondum enim tam frequentia erant in Ægypto Monasteria; neque ullus Monachus vastam Eremum: sed unus quisque sibi ipsi vacare si cuperet, is baud norat procul suo pago sese exercebat solus.

Erat autem tunc temporis in vicino pago senex homo, qui à juventute Monasticam egerat vitam. Hunc cum videret Antonius, probo ejus imirandi studio incensus, primùm cœpit ipse in locis pago vicinis commorari. Atque hinc si quem audiret alicubi degere ad virtutem strenuum, hunc prudentis apis more perquirebat; neque ante ad sedes remigrabat, quàm hominem vidisset, atque hinc accepto ceu viatico, ad virtutisiter instituendum revertebatur.

Cum ita vitam suam instituerer Antonius, diligebatur ab omnibus: ipse verò sedulis quos adibat fratribus, libenter obsequebatur, abdiscebatque in quo quisque eorum virtutis & asceseos genere se exerceret. Quòd ex scripturis didicisset, multas esse inimici insidias, asceticæ vitæ cum contentione operam dabat.

Ex isto S. Athanasii textu, initia describentis vitæ Sancti Antonii, constat Ascetas, Solitarios & Monachos longè antiquiores extitisse ipso Antonio, tametsi nondum tam frequentia extitissent in Ægypto Monasteria.

Anno 288. ut legitur apud Theophanem, vel anno 296. ut opinatur Tillemontius, (*d*) à bellica expeditione adversùs Ægyptios suscepta reversus Diocletianus (*e*) Augustus, *suum furorem omnem emisit contra Asceteria.* Ascetas qnidem ab initio Ecclesiæ semper substitisse fatetur idem Tillemontius, (*f*) qui Ascetas notat adjungi Therapeutis, de quibus loquitur Cæsariensis Eusebius, illosque Ascetas vel in pagis aut villis vixisse vel solos, vel plures in eadem domo simul duos vel tres, vel sex, vel etiam aliquando decem, sed absque ulla dependentia aut determinata regula, solo Dei timore ductos, ad observationem mandatorum ejus.

XXVII. » Asceteria (*g*) igitur erant secessus exercitationis, & Monasteria; Asceta » proinde idem ac exercitator, Monachus & Religiosus: vox scilicet Græca *Aschein* à ludis » veterum ad res sacras translata est: Erat enim se exercere, idem quod præparare se ad » certamen: inde de omnibus dici cœpit, qui in studio pietatis præ cæteris desudarent.

» Quemadmodùm (*h*) enim omnes Christiani vocabantur *Teleioi* seu *perfecti*, ex verbis

(*u*) Clemens Alexandrinus, *Lib. IV. Stromatum, pag. 484. C. D.*
(*x*) Ibidem, *Lib. III. pag. 459. A.*
(*y*) Ibidem, *Lib. VII. pag. 742. A. C.*
(*ζ*) Origenes, *Homil. 25. in Numeros, tom. 1. pag. 368. L.* Edit. Genebrardi, *in-folio.*
(*a*) Hieronymus, *in vita Sancti Pauli, tomo 4. pag. 69.*
(*b*) Hieronymus *ibidem, pag. 68.*
(*c*) Athanasius, *in vita S. Antonii, num. 2. pag. 795. & seqq.*
(*d*) Tillemont, *Hist. des Empereurs, tom. 4. pag. 43.*
(*e*) Nicephor. Callist. *Lib. VII. Hist. Ecclesiast. cap. 6. pag. 34.*
(*f*) Tillemont, *tom. 7. Hist. Eccles. pag. 103. & 177.*
(*g*) Matthias Martinius, *in* suo *Ethymologico, pag. 80.*
(*h*) Casaubon *adversus Baronium, Dissertatione 2, num. 41.*

» Christi apud Matthæum, *cap. 5. vers. 48.* & ex Apostolo in Epistola ad Colossenses, *cap. 1. vers. 28.* peculiari tamen notione Christiani vocati sunt illi, qui mundo renuntiassent, & » vitæ austerioris propositum suscepissent. Sic planè usu venit in vocibus *Aschein*, & *Asceta* » vel *Asceteria*. Nam omnis Monachus appellabatur *Asceta*, & omnis Sanctimonialis *Asceteria*: quamvis non omnis *Asceta* esset Monachus, nec omnis *Asceteria* Sanctimonialis. Usu » tamen venit ut hæ voces usurparentur peculiariter de Monachis & Sanctimonialibus: quia » studio pietatis præ cæteris incumbebant, duriorisque vitæ genus ducebant.

XXVIII. *Monasteria*, (*i*) quidem *ab exordio Prædicationis Apostolicæ, à sanctis & spiritualibus Patribus fundata ad nos usque perdurant*, inquiebat Joannes Cassianus; cui assentiens Socrates (*k*) asserit *Monasteria Ægypti ab ultima antiquitate trahere originem*. Eamdem opinionem subindicant Scriptores superiori *paragrapho quinto* laudati; quotquot mentionem egerunt de *Therapeutarum Monasteriis*.

Licet autem à nonnullis soleant indifferenter Monasteria pro Cœnobiis appellari, hoc tamen interest, inquit Joannes (*l*) Cassianus, quod Monasterium nomen est diversorii, nihil amplius quàm habitaculum significans Monachorum: Cœnobium verò etiam professionis ipsius qualitatem disciplinamque designat. Monasterium enim potest etiam unius Monachi habitatio nominari; Cœnobium autem appellari non potest, nisi, ubi plurimorum cohabitantium degit unita communio.

XXIX. Inde est quòd Philo Judæus, ut animadvertit Sozomenus, (*m*) appellet Therapeutarum ædes, Monasteria. Ruffinus, *Lib. II.* de vitis Patrum, *cap. 5. Venimus*, inquit, *ad civitatem quamdam Thebaïdis, nomine Oxyrinchum, in qua erant multò plura Monasteria quàm domus.* Palladius in Historia Lausiaca, *cap. 9. Abbas Or*, inquit, *sive Hor habebat fratrum Monasteria mille.* Monasteria enim non illic intelliguntur ampla ædificia, quorum ambitu plurimæ continerentur officinæ, sed Monæ seu unius solitarii mansiones; sicuti notarunt Tillemontius, *tom. 7. Histor. Ecclesiast. pag. 702* & *679.* Amplissimus Dominus Boubierus, in *Epistola prima* ad Bernardum Domnum Patrem de Montfaucon, *pag. 75.* Ipse Bernardus de Montfaucon, in *Notis* ad Librum Philonis, *de Therapeutis, pagg. 79. 80. 114.* &c. ubi hæc Monasteria dicuntur eadem esse atque Semneia, Asceteria, Eremitoria, &c.

PARAGRAPHUS NONUS.

Quarto Seculo effloreſcit vitæ Monasticæ Institutum Elianum.

XXX. (*mm*) Elianum institutum pro vita Monastica fuisse ab antiquioribus Scriptoribus usurpatum; ita ut utraque phrasis voces Synonymas aut salten analogas significarer, apertè denotant cùm allata, tum afferenda eorumdem Scriptorum suffragia; verbi gratiâ:

Anno 304. Sanctus Gordius Martyrium passus, *relictis honoribus*, inquit S. Basilius, (*n*) *& rebus aliis, invia loca* priùs *contendebat, vitam inter feras mansuetiorem societate convictuque Idololatrarum existimans, Eliæ Prophetæ secutus* fuerat *exemplum.*

Anno 305. Sanctus Antonius (*o*) quinquaginta quinque annos natus, è Castello, in quo vitam Asceticam annis viginti seorsim duxerat, egreditur tanquam ex adyto mysteriis, atque divino afflatus numine. Tuncque multis persuasit Monasticam ut eligerent vitam; atque ita demum in montibus excitata sunt Monasteria, eremusque à Monachis habitata est. Antonius autem *dicebat* (*p*) *apud semetipsum oportere Ascetam ex magni Eliæ vitæ instituto suam ipsius vitam quasi in Speculo quotidie edificere.*

Eamdem vitæ normam suorum in animum instillavit haud dubiè Antonius discipulorum, (*q*) quorum alii in Ægypto ac Lybia, alii in Palæstina atque Arabia floruerunt plurimi ac probatissimi.

Anno 307. Apollonius (*r*) Monachus, cum vitam magnificam egisset inter Fratres, etiam Diaconus ordinatus est. Tempore autem persecutionis Licinii Imperatoris, singulos circuire Fratres solebat, & illos cohortari ad Martyrium. Cumque fuisset etiam ipse comprehensus, Præside inferioris Thebaïdis Arriano, & in carcerem trusus, quemdam Philemonem choraulam famosissimum ad fidem Christianam convertit, & ambo ignibus traditi sunt. Appollonium autem sive dixeris unum ex illis Ascetis, quos S. Antonius initio suæ vitæ perquirebat prudentis apis more, ut aliquem audiret ad virtutem strenuum; sivè unum affirmaveris Monacbum ex ipsius S. Antonii discipulis; instituto ab Eliano alienum non removebis.

(*i*) Cassianus, *in Epistola ad Castorem, Aptensem Episcopum.*
(*k*) Socrates, *Lib. IV. Hist. Ecclef. cap. 23.*
(*l*) Cassianus, *Collatione 13. cap. 9. & 10.*
(*m*) Sozomenus, *Lib. I. Histor. Ecclef. cap. 12.*
(*mm*) Vide inferiorem *num. 53. ad ann. 762.*
(*n*) S. Basilius, *in Homilia de S. Gordio, tom. 1. pag. 446.* Edit. Vet.

(*o*) S. Athanasius *in vita S. Antonii, num. 14. pag. 807. & 808.* Edit. Recent.
(*p*) Idem S. Athanasius *ibidem, num. 7. pag. 802.*
(*q*) Sozomenus, *Lib. I. Histor. Ecclesiast. cap. 13. pag. 421.*
(*r*) Ruffinus, *in vitis Patrum, cap. 19.*
Tillemont, *tom. 5. Hist. Eccles. 353. & 362.*
Fleury, *tom. 2. Lib. IX. num. 36. pag. 674.* Edit. in-4°.

Anno 313. Martyrio coronatus est S. Petrus Alexandrinus Archiepiscopus; cujus post mortem, per (*s*) omnes regiones, omnesque insulas, constitutis ubique Ecclesiis, diffundi cœpit Christi fides, tunc & Monasteria cœpta sunt construi, & Ascetarum habitacula in vitæ innocentia, & rerum omnium abdicatione fundari.

Anno 314. Palæmon (*t*) inter antiquiores Anachoretas celeberrimus, Sanctum Pachomium Monacborum habitu induit. Ex illis, inquam, antiquioribus erat Palæmon anachoretis, quos Sanctus Onuphrius (*u*) *audierat frequenter laudare vitam Beati Patris Eliæ Prophetæ.*

Anno 317. S. Chariton Lauram condidit prope fluenta Jordanis in via Hierichuntina, à Hierosolymis distantem sex milliaribus versùs Orientem. Quam quidem Lauram consecravit S. Macarius, qui Sedem Hierosolymitanam tenuit Episcopus ab anno 313. ad annum 331. Hic autem Chariton Abbas distinguendus est altero Charitone, qui Martyrium passus est anno 275. sub Aureliano Præfecto: ut animadvertit Tillemontius, *tom. 3. Historiæ Imperatorum, pag. 548. & 718.* atque *tom. 4. Historiæ Ecclesiasticæ, pag. 354. & 682.* sicut & *tom. 11.* ejusdem *Historiæ Ecclesiasticæ, pag. 501.* necnon Daniel Papebrochius, *tom. 3. Maii, in Historia Chronologica Episcoporum Hierosolymitanorum, pag. 17. col. 1. num. 73.* Ex babitatione autem Abbatis Sancti Charitonis conjicimus eum & ejus discipulos aliquam habuisse successionem cum Elia, Elisæo, & filiis Propbetarum, *qui teste* S. Hieronymo, (*x*) *habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula, propè fluenta Jordanis.*

Anno 325. S. Pachomius Tabennense (*y*) Cœnobium construxit. Tabenna vicus erat in Nomo Diospolitano superiori, ad Diœcesim Tentyritem pertinens. Cum autem Monasterii constructi spatia multitudini Monachorum nequaquam esse videret Pachomius, nonnullos è suis in alium quemdam desertum locum, *Prou* vocatum traduxit, quorum operâ usus, aliud ibidem exstruxit Monasterium. Œconomum quoque & duos alios, qui Fratrum istis degentium curam baberent, Monasterio præfecit: distinxit Præfectos contuberniorum, & subpræfectos constituit, ad formam Tabennesiensis Monasterii.

Post hæc, cum in Monasterio etiam *Prou* (*ʒ*) Fratrum numerus non parùm excrevisset, senex quidam Asceta, qui & ipse Monasterio antiquiorum Monachorum cum potestate præerat, & *Eponymus* vocabatur, ad Pachomium venit, utque Monasterii ad id usque tempus à se administrati, curam suscipere vellet, plurimùm rogabat. Nomen autem Monasterii erat *Chenoboschiorum.* (*a*) Hujus itaque administratione susceptâ, alios etiam Fratres eò deduxit, iisque ipso in loco precatus, divinæ eos providentiæ commisit: statuens ut cum Fratribus, qui jam antè istic fuerant commorati, ipsi quoque habitarent, eâdemque uterentur vitæ regulâ. Ibidem similiter Œconomum, & qui secundum ab eo locum teneret, necnon contuberniorum Præfectos & subordinatos designavit.

Quin & in quartum etiam Monasterium, quod *Monchosin* nuncupabant, Fratres dimisit, secundùm traditam aliis omnibus vivendi normam ibidem victuros. Hoc autem fecit rogatus à præcipuis Asceterii illius moderatoribus, & Regulas præscripsit Monacbis illis, inter quos erat etiam senex qnidam *Joannes* (*b*) nomine, in vita spirituali admodùm exercitatus. Sic autem magna cum diligentia Fratres visitans Pachomius, si quos spiritu valentiores deprebendebat, bosce per singula Monasteria, quanto tempore erat absuturus, aliis jubebat præesse, non aliter quàm in suo ipse Monasterio cum potestate præerat. Qua de causa S. Pacbomius & ejus discipuli pertineant ad Eliamum institutum, explicatur inferiùs, *num. 31. anno 380.*

Anno 326. Sanctus Ammon, cum esset adolescens, ad montem Nitriæ se contulit, in quo illa pauca Monasteria, (*c*) quæ ab ultima forsitan antiquitate trabebant originem, aucta plurimùm & amplificata sunt ab isto Sanctissimo viro, qui S. Antonium frequenter invisebat, & à quo vicissim ipse invisebatur; tametsi à Nitria mons S. Antonii tredecim dierum itineris intervallo distaret, sicuti notat S. Athanasius. (*d*) Indè montes Nitriæ atque Scethis, qui ad Æthiopiam & Mauritaniam, quibus & affine extabat desertum Cellarum, protendebant, Monachorum multitudine repleti sunt, qui juxta Eliæ exemplum sese invicem virtutibus superabant, & tanto se studio exercebant, ut *Carmelus campus, Nitria, Scethe, Scithicaque regio appellarentur.*

Cum Abbas Ammon ingressus est in interiora montis Nitriæ, inqnit Palladius, (*e*) nondnm illlc erant frequentia Monasteria; sed aucta atque amplificata sunt mirum in modum

(*s*) Auctor *vitæ Pachomii apud Bollandistas, tomo 3. Maii, pag. 295. num. 1.*

(*t*) Ibidem, *cap. 1. pag. 297. num. 4.*

(*u*) Paphnutius, *in vita S. Onuphrii apud Rosweyd, pag. 100.*

(*x*) Hieronymus, *in Epistola ad Paulinum 49.* olim. 13.

(*y*) *Vita S. Pachomii, cap. 5. num. 35.* die 14. Maii, *tomo 3. pag. 310. num. 35.*

(*ʒ*) Monasterium *Prou* vel *Proou*, vel compendiosè *Bau, Baum*; aliquandò *Pabam*, & *Pibi* legitur.

(*a*) Chenoboscia civitas, quæ & *Anserum pastus*, significat: habebat vicinum Monasterium.

(*b*) Joannes nonnunquam appellatur *Jonas.*

(*c*) Socrates *Lib. IV. Historiæ Ecclesiast. cap. 24.*

(*d*) S. Athanasius, *in vita Sancti Antonii, num. 60. pag. 841.*

(*e*) Palladius, in *Historia Lausiaca, cap. 8.*

ab isto præfato viro Sanctissimo. Porrò hic Nitriæ mons, addit Rufinus (*f*) est famosissimus, in quo quinquaginta & non minus cernebantur vicina sibi, & sub uno posita Patre tabernacula, in quibus aliqui plures simul, aliqui pauci, nonnulli etiam singulares babitabanc. Et Sozomenus (*g*) pariter ait : *Phila undique collectos viros in locum quemdam suprà Mareotem locum in calle situm Philasaphatos esse scribit. Eorum autem damicilia, vitam & conversationem ejusmadi refert, qualem nunc ab Ægyptiorum Monachis observari videmus.*

Undè verisimillimum est, inquit Dominus Bouhier (*h*) Monachos bos Nitrienses exemplo Therapeutarum instructos, piâque stimulatos æmulatione, idem quod alii seniores pridem observassent, in suis recentioribus Cœnobiis statim imitatos, vitam Cœnobiticam instituisse. Neque ullum esse dubium potest, addit Bernardus de Montfaucon, (*i*) quin Ægyptii Monachi Tberapeutarum tamquam successores habeantur, & eadem Cœnobia aut iis alia vicina loca incoluerint.

Anno 328. S. Hilario celebris esse cœpit in Palæstina. Ejus patria fuit Tabatha, (*k*) vicus ad austrum Urbis Gazæ situs. Cum autem Alexandriæ Grammaticam edisceret, magni Antonii visendi causâ, in solitudinem annos natus quindecim ad eum perrexit. Quem ut statim vidit, mutato habitu pristino, duobns ferè mensibus cum eo mansit, & anno 306. ad patriam cum Monachis reversus est : ubi sacco tantùm cooperiens membra, & pelliceum habens ependyten, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, *æmulabatur Ægyptiorum Manachorum disciplinam*, quæ Sozomeno (*l*) præbuit causam cur scriberet, *Palæstinam quoque philosophari cæpisse ab Ægiptiis eruditam.*

Anno 330. S. Epipbanius (*m*) inter discipulos aut sodales annumeratus, à Monachis præstantissimis in Ægypto ab ineunte ætate institutus ad vigesimum usque annum ætatis, Monasterium condidit in Eleutheropolitana regione, ad quam fuerat reversus. Salaminensis in Cypro Episcopus ordinatus est anno 367. ubi defunctus est anno 403. die 12. Maii. Hic autem adversùs Origenistas scribens, *Hæresi 63. num.* ait : *Elias in desertis locis assiduè vivebat, quemadmodùm Eliseus, & Joannes-Baptista ; ac cæteri omnes, qui, ut præclarè ex Evangelico Damini mandata, insignem illam imitationis angelicæ notam atque formam exprimerent, semetipsos propter regnum cæleste castraverunt.*

Anno 334. Abrabam (*n*) Solitarius & Presbyter in Mesopotamia, quam discipulis S. Antonii novimus fuisse illustratam, & proinde Eliano instituto per eos ditatam, florebat ; & ad conversionem suæ neptis laborabat, atque pro fidelibus ad fidem Christinianam à se adductis Ecclesiam construebat.

Anno 349. Tabennenses (*o*) nonnulli Monachi Sanctum Antonium inviserunt, qui eos interrogavit quomodò ageret ac valeret Abbas Pachomius : illis autem lamentantibus, intellexit Antonius eum obiisse, & dixit : nolite flere. Equidem affirmo ; magnum is suscepit ministerium, cum tantam Fratrum multitudinem in suam admisit disciplinam, Apostolorum viam ingressus. Respondit Abbas Zacbæus ; Quin tu potius ipse, O Pater, mundi quà patet, lumen clarissimum dicendus es, cujus ad ipsos usque Imperatores fama pervasit, qui tuâ causâ debitas Deo laudes persolvere minimè dubitant. Cui Antonius ; non ita, Zachæe, sentio.

» Etenim quo ego primum tempore Monachum cœpi agere, nullum uspiam extabat » Cœnobium, in quo de aliorum salute cura aut metus cuiquam erat : sed quisque anti» quorum Monachorum, persecutione jam finitâ, privatim in vita sese Monastica exerce» bat. Posteà verò Pater vester tantum bonum, Deo adjuvante, effecit. Alius quidem an» te, cui Aotæ nomen voluit tale ministerium suscipere : verùm quia non ex toto corde ei » rei studuit, successu conatus ille caruit. De Abbate porrò vestro multorum sermonibus » accepi, in divinis eum Litteris apprimè fuisse versatum.

Neque hoc tantùm præstitit Pachomius, (*p*) ut intrà unius Monasterii septa magnam colligeret Monachorum multitudinem, sub uno capite communiter victuram (quod & Antonius in suo Montis exterioris Monasterio, Ammonius in Nitria, & Serapion in Palæstina, & alibi alii ad imitationem Pachomii fecere) sed etiam ut plura ejusdem formæ ac regulæ Monasteria, sub unius Patris communis (Generalem nunc diceremus) colligeret regimine. Addidit etiam tertium quidpiam, quod, tamquam plenum difficultatibus ferè insuperabilibus, consequentiam & imitationem apud alios quam Tabennesiotas non habuit ; ut septem Monasteria virorum, quæ ipse formavit, quæque usque ad decem Tbeodorus auxit, præter tria vel quatuor Monasteria mulierum, uni, majoris in Pabau Monasterii Œconomo, omnem manuum laborem penderent, ab eoque vicissim acciperent omnia

(*f*) Rufinus, *Lib. II. in vitis Patrum, cap.* 22.
(*g*) Sozomenus, *Lib. V. Historia Ecclesiast. cap.* 15.
(*h*) Bouhier, *in Epistola* 1. *ad Patrem de Montfaucon, pag.* 75.
(*i*) Montfaucon, *in Notis ad Librum Philonis de Therapeutis, pag.* 114.
(*k*) Hieronymus, *in vita S. Hilarionis, tom. 4. parte 2. pag.* 75.
(*l*) Sozomenus, *Lib. III. Hist. Eccl. cap. 14. pag.* 519.
(*m*) *Vita S. Epiphanii apud Bollandistas, tom. 3. Maii, pag. 33 num.* 10.
(*n*) Tillemont, *tom. 7. Hist. Eccles. pag.* 589.
[*o*] *Vita S. Pacomii, num. 77. pag.* 326. apud Bollandistas, *tomo 3. Maii.*
Tillemont, *tom. 7. citato, pag.* 480.
[*p*] Papebrochius, *in Notis ad vitam S. Pachomii ; tomo 3. Maii, pag. 293. num.* 24.

nia ad victum & vestitum necessaria ; ita ut tota Tebennesiutarum cummunitas vocaretur.

XXXI. Annn 350. S. Frontonius in montem Nitriæ duxit Fratres circiter septuaginta. Quod equidem contigisse sub Antonino Imperatore, tertio decimo anno imperii ejus, sive anno Christi 150. asserit anonymus vitæ S. Frontonis Scriptor, apud Heribertum Rosweydum citatus, *pag.* 251. Sed dixerim ego, inquit Papebrochius, (*q*) aut appendiculam istam, merum esse imperitumque glossema ; aut potius non integrè transcriptam à librariis, misèreque truncatam fuisse, & sic restituendam : *Hæc sub Ammonio, Nitriensium Monosteriorum Præfecto oc primo institutore, & Constontio Imperatore gesta sunt, tertio decimo anno Imperii ejus, qui esset Christianæ æræ onnus* CCCL. Ast admittentne hanc Papebrochii interpolationem Auctores paulo superiùs citati, qui Monasteria in monte Nitriæ admittunt fundata *ab ultimo antiquitate?*

Anno 359. quo Sabianus esset Dux Mesopotamiæ, Malchus Senex, cujus varios casus & infelices eventus descripsit S. Hieronymus, (*r*) vitam Munasticam in Chalcidensium Cœnobio dudum jam egerat. Ejusdem aut alterius Malchi apud Chalcidenses & Antiochenses Monachos degentis mentionem habet Theodoretus, *Lib. IV. Historiæ Ecclesiasticæ, cop.* 28.

Anno 360. S. Julianus Sabas florebat apud Syros in Mesupotamia, ubi *Aon* Abbas *perinde ac S. Antonius apud Ægyptios ouctor fuit solitariæ*, inquit Sozomenus (*ſ*) *& arctioris philosophiæ* illius, *cujus fuit ouctor Elios Propheto.*

Anno 364. Macarii (*t*) duo in Sceti & in monte regionis illius præfuerunt. Horum alter *Ægyptius* dictus est, alter *Politicus*, id est *Urbicus* appellatus, quia oriundus ab Urbe Alexandriæ. Ægyptius philosophari cœpit in Cœnobio *Pispir* circa annum 340 & in solitudine sexaginta annos vixit, ætatis anno moriens nonagesimo. Alter vero seriùs quidem, sed omnibus ferè arctioris disciplinæ exercitationibus perfunctus, creditur anno 364. ætatis annos octoginta natus habitationem Sethicæ sulitudinis primus (*u*) invenisse. Macarium jam audivimus suos discipulos hortantem, (*x*) ut *Eliam, Eliseum, & filios Prophetorum imitorentur, qui à cæpto Ordine nullotenùs leguntur deviosse.*

Anno 370. Abbas Pambo inter Nitrienses & Scethienses Monachos celebris, interrogatus quid sentiendum esset de quodam solitario, qui facultates suas & opes Monasteriis, Ecclesiis, incarceratis distribuerat, eum respondit (*y*) *suscepisse firmissimum & constontissimum zelum Eliæ Prophetæ, ut Deo placeret:* sive ut habet Heraclidis Paradisus, præfatus Monachus *Eliæ moribus vixit.*

Anno 375. in Chalcide ad extremas Syriæ limites vivebat Sanctus Marcianus, de quo Theodoretus in Historia Religlosa, *cop.* 3. ait: *Num Marionum conjungemus cum Elia & Joanne & similibus, qui circuibant in ovinis & coprinis pellibus errantes in solitudinibus & montibus, & speluncis, & foraminibus terræ?* Duos admisit contubernales, *Eusebium*, qui sacri illius tugurii fuit hæres, & *Agapetum*, qui has leges Angelicas transtulit Apameam, ubi duo instruxit maxima philosophiæ gymnasia; in quibus in hudiernum usque diem degunt plusquam quadringenti viri, virturis Athletæ, & amatures religionis, verique Dei cultus, & qui suis cœlum coëmunt laboribus.

Anno 380. Auctor (*z*) vitæ S. Pachomii scribebat » Patris nostri Antonii, Ascetæ clarissimi, & in omni virtutum genere excellentis, ea fuit vitæ ratio, quam & magnus Elias » & Eliseus & Joannes-Baptista quondam tenuere : Quod de Antonio, postquam is è vita mi- » graverat, orbi testatum voluit Sanctissimus Archiepiscopus Athanasius, cum præclarè ab » eo acta describeret, quibos etiam scriptis Sancti Patris Ammon conversationem comple- » xus est (ejus videlicet qui primus fuit fratrum in munte Nitriæ solitariè degentium); » Sed & Pachomius quidam extitit in Thebaïde, & Monachus evasit in paucis insignis.

Annn 379. obiit S. Basilius Cæsariensis, in Cappadocia Archiepiscopus, cujus verba jam superiùs retulimus *num.* 30. anno 304. verùm insuper de illo ejus Frater S. Gregorius Nissenus ait: *An etiam ad sublimem Eliam sermone nostrum Doctorem suæ vitæ instituto illius gratiæ ossimilari dicemus?* Sanctus quoque Gregorius Nazianzenus in *Oratione* 19. de eodem Sancto Basilio: *Nobiscum*, inquit, *in Pontum secessit, & Monasteriis, quæ ibi sunt, præfuit, solitudinemque cum Elia & Joonne, qui admodùm philosophi fuerunt, mirè amplectebatur.* Ipse S. Basilins, in *cop.* 3. *Isayæ, vers.* 15. ait: *Nonnulli sunt pouperes beati dicti, ordore tuendæ religiosæ pietatis, omnia contempserunt, & mundialem offluentiam nihili duxerunt: cujus modi erat pauper Elias; cujusmodi fuerunt singuli quique sanctorum illorum, qui circuirent in melotis, in pellibus coprinis egentes, offlicti, dolore malè offecti.*

[*q*] Papebrochius ibidem, *in vitis ad vitam S. Pachomii, tomo 3. Maii, pag.* 296. *col.* 1. *Litera*, 9.

[*r*] Hieronymus, *in vita Sancti Malchi, tomo 4. parte* 2. *pag.* 96.

[*ſ*] Sozomenus, *Lib. I. Histor. Ecclesiast. cap.* 12. & *Lib. VI. cap.* 33.

[*t*] Sozomenus ibidem, *Lib. III. cap.* 14. *pag.* 515.

[*u*] Tillemont, *tom.* 3. *pag.* 574. & 648. Cassianus, *Collatione*, 15. *cap.* 3.

[*x*] Macarius *superius citatus, num.* 3.

[*y*] Palladius, *in Historia Lausiaca, cap.* 7. *pag.* 715. & 949.

[*z*] Anonymus Auctor vitæ S. Pachomii, *apup Bolland. die* 14. *Maii, tom* 3. *pag.* 295. *col.* 2.

Anno 389. obiit S. Gregorius Nazianzenus, qui in Oratione 25. de ſeipſo ait: *Me quoque Eliæ, qui igneo curru abreptus eſt, fallebot, & Eliſei melote, quæ plus virium habuit, quàm filia ſerica, & aurum veſtibus per vim aſſutum.* Idem in Oratione 5. quæ vitæ Monaſticæ commendatio eſt: *Ut ob omni negotio feriatus*, inquit, *tranquillè philoſopharer, mecum ipſe cum ſpiritu colloquium hoberem, Eliæ Carmelum animo agitabam.* In Oratione 13. *Carmelum Eliæ conſiderabam, &c.*

In Carmine de vita ſua, *num. 21. pag. 5.* Edit. Morelli, Pariſ. 1630.

Ac jam quidem ſtatueram, haud me dare
Carni: ſubibat Elias menti meæ,
Carmelus ejus, & novum victûs genus;
Et ſolitudo prodromi dulce opus
Ac vita ſimplex filiorum Jonadab
Rechabus (a) etiam filiis vitam indigam
Celſamque ſuadens (quippe jam norat genus
Vitæ altioris perſequi) in pretio licet
Tum nondum egeſtas eſſet ac miraculo . . . . .
- -
O mea (b) progenies, ſed Regi vive ſuperno,
Divitiaſque omnes in eo conſumque repone.

De Æde Eliæ, nomine *Dominicum* vel *Xereion*, vel *Syriacum*, aut *Eliæ Martyrium* nuncupata, extat Epigramma S. Gregorii Nazianzeni quartum, in Editione Leuclavii Baſileenſi anno 1571. Sed in Editione Morelli Pariſienſi anno 1630. *tom. 2. pag. 195.* His iambis verſibus Latinis donatum:

EPIGRAMMA IN TEMPLUM ELIÆ.

Hoſpes ſareptam cernis hic Sidoniæ
Viduæque Turrim, qua pium vatem Dei,
Cum premeret urbes aſpera vindex fame,
Per quam hoſpitali pectore excepit domo:
Cui nihil habebat vas niſi olei poululum,
Præter farinæ pabulum, nil hidria.
Quod cum dediſſet hoſpiti, haud parca manu;
Hoc munus ipſum nutrit totam & domum.
Hujuſce natum, dum eſſet in vivis, alens,
Poſt luce caſſum à morte revocovit ſtatim.
Et quæ parens onte orbitatem luxerat,
Effecta rurſus mater eſt, partu ſine.

Anno 390. Sancti *Ephrem* diſcipuli Meſopotamienſes, cum Ægyptiorum Monachis contendentes, in immenſam excreverant multitudinem; non ſolùm ab Abbate Aone in viam Eliani inſtituti apprimè ducti; ſed etiam ab eodem Edeſſeno præfato Ephrem eruditè ſtimulati. Is enim Sanctiſſimus Diaconus anno 378. defunctus, illos adhortatus in *Paræneſi 41. pag. 415.* ſcripſerat » Quid Elias poſtulavit à vidua? Nonne modicum aquæ » in vaſe, & buccellam panis, & quidem cum anguſtia: omne quippe ſtudium ponebat » in bonis, quæ ipſi in cœlo repoſita erant. Diligamus igitur & nos vitam Sanctorum, » Fratres chariſſimi. » Ab eodem ſcopo vix diſcedit, dum ſuos Monachos ad exemplum S. Antonii, Eliam ſibi proponentis, revocat.

Nam in Epiſtola ad Joannem Monachum ſcripſerat, *pag. 272. Cur non oculos dimittimus ad vitam Abbatis Antonii? Et ipſum cuncta ex divina egiſſe revelatione comperiemus.*

(a) Gregor. Nazianzenus. Idem *Iamb. 18. num. 61. pag. 212.*

(b) Idem Gregor. *Carmine 3. pag. 58.*

Nonne discipulos habebat? Horum vitam & mores, etiam nos regiâ viâ incedentes, æmulamur.

Anno 392. Sanctus Paphnutius (*c*) Solitarium & Anachoretam inquirens, à quo vitam perfectiorem edoceretur, hæc à S. Onuphrio (*d*) qui in Thebaïde ad Hermopolitanum Monasterium annos septuaginta vixerat, & obiisse creditur cira annum 370. audivit: » Pro» fectò vitam beati Patris nostri Eliæ venerabiles Fratres meos audivi frequenter laudare, » qui se in eremo in tanta abstinentia & oratione studuit affligere, ut maximam virtutem » à Deo meruisset accipere, & igneo curru transvectus, Spiritûs Sancti dona quæ habue» rat, discipulo impartiri, & adhuc longævus senio, mortis pœnam non videre.

Anno 394. obiisse creditur S. Gregorius Nyssenus Episcopus, qui in Oratione de Baptismo Christi ait: *Elias Carmelum incolebat; Clarus autem Mons propter virtutem inhabitantis, & famâ celebratus . . . . . Elias* (*e*) *ille, qui de Galaad, sideris instar exorsus est, in horrido squalidoque corpore, caprinis pellibus tectus . . . . Quicunque igitur ad imitationem generosi in hoc vate animi seipsos supra modum hunc attollunt, egentes, pressi, afflicti in montibus, antris, cavernis terræ, quibus denique mundus non est dignus, hi gregatim circa universi hujus caput conspecti, Ecclesiæ gloria fiunt.* Eundem Gregorium jam audivimus superiori *num. 6.* dicentem: Eliæ Collegia sese extendisse à mari, cui adhæret Carmelus, ad flumen usque Æthiopiæ, ad quod usque mons Galaad protenditur. Æthiopiam autem, Mauritaniam & Lybiam dicebamus superiori *numero trigesimo ad annum 326.* non longè distare à deserto Cellularum, quod triginta leucis erat dissitum à regione Scethica, quæ terminus erat montis Nitriæ.

PARAGRAPHUS DECIMUS.

Quinto Seculo Vita Monastica Eliæ Prophetæ memoratur.

XXXII. Anno 402. Eusebius (*f*) Teledani prope Antiochiam Monasterii Abbas, & Juliani Sabæ, de quo mentio facta est anno 360. obiit apud Syros & Mesopotamienses Monachos famâ celebris. Julianus hic, cujus tamquam recenter defuncti laudes effert S. Chrysostomus *Homiliâ 21. in Epistolam ad Ephesios*, Ecclesiam (*g*) & Monasterium construxerat in Monte Sinaï, in quo posteà vixit Sanctus Nilus, necnon Sanctus Joannes Climacus.

Anno 406. Sanctus Joannes Chrysostomus, (*h*) apud Arabissum exul, plures scripsit litteras Phœnichiæ Monachis, qui Christiana in Religione Gentiles & paganos instruerent. *Scimus autem*, inquit Theodoretus (*i*) *quod magnum quoque Eliam, qui hanc vitam* Monasticam *persequebatur, Deus jusserit versari in medio impiorum; & secundum Eliam, tantoperè celebratum Joannem, qui amplectebatur solitudinem, transmiserit ad ripas Jordanis, illic baptisare jubens & predicare.*

Anno 417. Joannes Cassianus, ad postulationem Castoris, Aptensis Episcopi, suos de Cœnobiorum institutis Libros duodecim scripsit, secundùm eam quam viderat Monasteriorum regulam, per Ægyptum & Palæstinam antiquitùs fundatorum, quæ à tempore S. Marci Evangelistæ, ad sua usque ipsius Cassiani tempora perdurabant.

Petit quidem Tillemontius ut suam Cassianus narrationem probet: Verùm & hanc probavit narrationem Cassianus ex seniorum testimonio quos audivit in Ægypto ad quam perrexit anno 394. & ibi septem annos permansit, & à discipulis cum Antonii, tum Pachomii superstitibus, testantibusque audivit Antonium & Pachomium non fuisse primarios vitæ Monasticæ auctores, sed incitatores & tamquam reformatores: audivit ab ipso scriptore vitæ S. Pachomii, tunc temporis superstite, Monasticæ vitæ lineas primas in Veteri Testamento præfiguratas fuisse ab Elia Propheta, ab Eliseo, à filiis Prophetarum, prout relatum est superiori *num. 3.* Tillemontius (*k*) ipse fatetur ex Therapeutis, qui tempore S. Marci Evangelistæ Christianam religionem amplexi sunt, ortos fuisse Ascetas & Monachos: fatetur (*l*) veros Monachos ad exemplum Hierosolymitanæ primorum Ecclesiæ formatos fuisse: fatetur Sinaïtas Monachos à saracenis occisos, S. Antonio antiquiores extitisse, æquè ac S. Palæmonem, Sancti Pachomii præceptorem, qui ab aliis senioribus in eadem vita fuerat instructus. Quam autem continuam habuerint Monasteria successionem, probabilibus ostendimus argumentis usque ad S. Antonii ætatem, & à temporibus S. Antonii usque ad annum 417. quo Cassianus suos scripsisse Libros supponitur.

Anno 420. die 30. Septembris obiit S. Hieronymus, (*m*) qui inter vitæ Monasticæ

(*c*) Paphnutius apud Rosweydum, *pag. 99. & 100.*
(*d*) Tillemont, *tom. 10. pag. 49. & 723.*
(*e*) Gregorius Nyssenus, *in caput 4. Cantic. vers. 4.*
(*f*) Tillemont, *tom. 7. pag. 584. & 585.*
(*g*) Tillemont, *ibidem, pag. 583.* Ex Theodoreto, *in Lib. de vitis Patrum, cap. 3.*
(*h*) Chrysostomus, *tom. 5.* Edit. Lugdun. *pag. 662.* Tillemont, *tom. 11. pag. 304.*
(*i*) Theodoret, *in Historia Religiosa, cap. 3. citato.*
(*k*) Tillemont, *tom. 2. Histor. Ecclesiast. pag. 102. & 550.*
(*l*) Idem Tillemontius, *tomo 7. pag. 102. 103. 104. & 172. 173. 177.*
(*m*) Hieronymus, in *Epist. ad Paulinum 49.* olim 13.

duces & principes recenset non solùm Paulos, Antonios, Julianos, Hilariones & Macarios; verùm etiam Eliam, Eliseum, & filios Prophetarum qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluenta Jordanis. Imò & addit Terapeutas & Essenos de quibus scripserunt Philo Judæus & Flavius Joseph, tales fuisse, (n) *quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt.*

Anno 421. Palladius (o) Helenopoli in Bythinia natus, suam scripsisse fertur Historiam Lausiacam. Vitam anteà Monasticam primùm duxerat in Cappadocia, in Monasterio S. Basilii, posteà in Amorrhæorum spelunca, sub magistro Sancto Elpidio in monte Luca prope fluenta Jordanis, in Laura Sancti Charitonis. Mansit (p) quoque tres annos in montibus Nitriæ, novem annos in Cellis ad interius desertum constructis. Quibus in locis plurimos inspeximus Elianæ Monastices sectatores floruisse.

Anno 422. Sanctus Zozimus (q) sive Sozimus, funus S. Mariæ Ægyptiacæ curavit. Hic Monachus ab incunabilis anachoreticam annos quiquanginta tres vitam priùs duxerat; cum in Monasterium Palæstinæ perrexit, in quo asceticam exercuit disciplinam, & in severioris abstinentiæ opere factus est probatissimus. Hujus autem juxtà Monasterii consuetudinem, Dominicâ Quadragesimæ, unâ die Jordanem transmeavit, vinginti dierum exigens iter; cum in cœlum inspiciens intentis obtutibus, vidit à parte dextrà, ubi orabat, umbram quasi humani corporis apparentem, &c. De quibus consulendi sunt Heribertus Roswoydus, *in vitis Patrum, pag. 382. col. 2. lineâ 12.* Franciscus Pagi, *tomo. 2. Criticæ in Annales Baronii, tomo 2. anno 525. numero 10. pag. 526.* Claudius Fleury, *in additionibus ad tomum 5. Historiæ Ecclesiasticæ, pag. 5.* Adrianus Baillet in *Vitis Sanctorum* Gallicè editis, *ad diem secundum Aprilis, &c.*

Anno 423. adscribitur mors Sanctæ Euphraxiæ seu Euphrasiæ, Antigoni, Theodosii Junioris Imperatoris consanguinei, filiæ. Hæc virgo, patre defuncto, à matre in Thebaïdem inferiorem ducta est ad Monasterium habens cellulas centum tringinta, quas incolebant Sacræ Muniales, apud quas Euphrasia septennis veste Monachali induta, virtutibus, miraculisque clara, perseveravit ad annum ætatis suæ trigesimum, quo defuncta est. Hujus vitam edidit Heribertus Rosweydus, in vitis Patrum, *Lib. I. pag. 351.-361.* Joannes Bollandus, *die 13. Martii, pag. 265.* Ludovicus Bulteau, in *Historia Monastico Orientali, pag. 105.* Tillemontius, *tom. 10. pag. 725.* Eamdem vitam laudavit Sanctus Joannes Damascenus, in *Oratione 3. de Sanctis Imaginibus, pag. 814.* Adrianus autem Baillet, *ad 3. diem Martii*, Chronologicam Seriem perturbat, Sanctam Euphrasiam scribens Theodosio Magno natam fuisse anno 380. & circa annum 431. defunctam fuisse.

Anno 427. S. Nilus (r) in monte Sinaï florebat inter Monachos, *qui animo cogitantes Eliam, magno studio contendebant, æquum esse arbitrantes, ut quorum incolebant regionem, eorum quoque imitarentur virtutem . . . Porrò autem inclytus Elias hùc venit fugiens Jezabel; & hanc ille habuit Speluncam, melote corpus induit antiquo majorum indumento.* Ejusdem Sancti Nili alterum dedimus textum superiori *num. 3.*

Anno 428. S. Euthymius (s) Abbas, Lauram construxit, quam anno sequenti Juvenalis, Patriarcha Hierosolymitanus consecravit. Euthymius anno Christi 377. natus Melitenæ, quæ urbs erat Armeniæ ad Euphratem Metropolis; postquam ab Acacio & Synodio tunc ejusdem Ecclesiæ Lectoribus per labores asceticos anteà exercitatus, educatus & eruditus fuisset, atque omnem Ecclesiasticorum graduum Seriem percurrisset, invitus ab Otreïo Episcopo, nondum annos novem decim natus, Presbyter Melitenensis Ecclesiæ ordinatur, eique Monasterium urbi vicinum demandatur regendum. Hæc autem idcircò illi demandata est, quòd à pueris Monasticæ vitæ amator extitisset. Quadragesimæ tempore, in monte secedere solebat, *Eliæ & Joannis philosophiam æmulaturus.* Jerosolymam venit anno Christi 405. & *Pharan* Lauram, olim ab Abbate Charitone fundatam habitavit: & in ea quinque annis transactis cum beato Theotisto, in *Curtilam* profectus est anno 410. Apud ipsum duo primi discipuli Martinus & Lucas Fratres seculo renunciaverunt, qui Monasterium illic construxerunt circa vicum *Metopa* dictum. Anno 420. Euthymius venit in solitudinem *Ruban* juxtà mortuum mare: deinde in solitudinem *Ziphorum*, propè vicum *Aristobuliadem* ad illas speluncas, quæ olim Davidem exceperant à Saule insectatum; & loco delectatus Euthymius, illic Monasterium extruxit. Ex locis igitur & conversatione, S. Euthymius Eliæ successor apertè declaratur.

XXXIII. Anno 429. die 7. Aprilis, adversùs errores Nestorii Epistolam encyclicam scripsit S. Cyrillus, (t) Alexandrinus Patriarcha. Is Theophyli decessoris ex Fratre nepos, liberalibus studiis instructus, ab eo jam anteà fuerat missus ad montem Nitriæ, ubi

(n) Idem Hieronymus, in *Epistola ad Eustochium 18.* olim 22. *tom. 4. parte 2. pag. 45. 46.*
(o) Tillemont, *tom. 11. pag. 501. & 638.*
(p) Palladius, in *Hist. Lausiaca, cap. 8. 20. 106. &c.*
(q) Papebrochius, *tom. 1. Aprilis, pag. 68. num. 7.* Ludovicus Bulteau, in *Historia Monastica Orientali, pag. 285.*

(r) S. Nilus, *in Historia cædis Patrum in Sina;* apud Bollandum, *die 14. Januarii, tom. 1. pag. 358. num. 21.*
(s) Vita S. Euthymii, *num. 28. 29. 42. tom. 2. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ, pag. 223. 224. 233.* & Analecta Græca, *pag. 26. & 31.*
(t) Tillemont, *tom. 14. pag. 267. & 330.*

ubi Scripturarum (*u*) divinatum meditationes & intellectus, atque scientiæ divinæ tanta vigebant exercitia, ut singulos penè Monacbos credidisses Oratores in divina fuisse sapientia. Cyrillus illic annis quinque in Eremo Sancti Macarii mansit, Scripturarum lectioni intentus sub Serapione præceptore, tanto ediscendi studio accensus, ut sæpè insomnis unâ nocte quatuor Evangelia, Catholicas Epistolas, & eam ad Romanos legeret: cumque felici memoriâ pollcret, scripuras ferè omnes didicit. Postea Theophilus Alexaodriam illum revocavit, & apud se in cella Patriarchali habuit, scripturasque io Ecclesia legere ac interpretari jussit: sicuti refert Severus, Aschmoninæ Episcopus, cujus testimonio utuntur Florus, *tamo 12. Historiæ Ecclesiasticæ, Lib LVIII. num. 30. pag. 390.* Renaudot in *Histaria Patriarcharum Alexandrinorum, pag. 106. 108. & 367.* Isaac de Bausobre, Calvinianæ Sectæ Minister, in *Opere* Gallice inscripto: *Histoire Critique de Manichée & du Manichéisme, tom. 1. Lib. I. cap. 5. pag. 65. & 66.*

Eo quidem tempore, quo Nitrienses inter Monachos degebat S. Cyrillus, scripsit Commentarios in Micheam Prophetam. Hujus autem Prophetæ caput septimum versu decimo quarto verba interpretans: *Pasce papulum tuum in verba tua, gregem hæreditatis tuæ, habitantes salas in medio Carmeli*, ait: » Habitant quidem separatim segregati & electi, » & digressi ab aliis qui sola terrena sapiunt, & possessionem temporalem magni fa» ciunt.... Quam ob rem, tranquillum possidentes aoimum, ... venerandam & ad» miratione dignam vitam agitamus, & seorsim sumus ... habitamus autem nos solita» rii, quasi in saltu & monte: ac saltum quidem abundantem ligno, & bene florentem » geminam institutiooem, moralem, inquam, & dogmaticam: Montem verò quodam » modo, quod io eo excelsum & sublime est. Nihil enim eorum quæ nos philosopha» mur, & quibus in Ecclesia non injuria suadetur, humile ac depressum est.

Hæc Sancti Cyrilli verba magnam exhibent affinitatem, cum Essenorum doctrina, quorum & *Asceteria* ipse incolebat, regionem frequentabat, & interpretationes admittebat, ex quibus *institutionem moralem* hauriebat *& dogmaticam*, qualem iisdem solitariis adjudicat Philo Judæus. Undè oon omnioò contemnendi essent ii Scriprores, (*x*) qui Sanctum Cyrillum analogicè saltem *Carmeli incolam* appellaverunt. Nam & ipse se recenset inter Carmeli Solitarios, de quibus loquitur Micheas Propheta, & annis quinque vixit inter Monachos montis Nitriæ, qui vocarus est *Carmelus campus.*

XXXIV. Anno 434. Lybiam vastantibus Mazicis, S. Arsenius (*y*) Scethicam Solitudinem, quam ab annis quadraginta incolebar, deserere, coactus est, & illam deseruit plorans dicensque: *Perdidit mundus Ramam, & Monachi Scethim.* Porrò quâ ratione Monachi Scethici, æque ac Nitrienses, & deserti Cellarum pertinerent ad Elianæ Monastices asseclas & successores, dictum fuit superiori *num. 31. ad annum. 364. & 370. pag. 13.*

Anno 439. vivere desiit Petrus Galata, cujus celebrem habet mentionem Theodoretus, (*z*) & eum recenset inter Monachos prope Antiochiam commorantes, quorum & mentionem fecimus *num. 32. ad annum. 402. pag. 15.*

Anno 440. S. Alexander, Acæmeta cognominatus, obiit. Is Coostantinopolitanus origine, cum audiisset in Syria Cœnobia esse Sanctorum Monachorum, quorum præclara & laudabilis esset conversatio, illuc perrexit: cum suum io Monasterio desiderium explevisset quadrennio, salutatis Fratribus, in interiorem solitudinem *Eliæ vatis exemplo* recessit: indè ad conciliandos Chisto gentiles, Rabbulum & ejus socios triginta latrones atque alios convertit. Postea viginti annos præfuit Mooasterio trans Euphratem extructo, & quadringentos in eo Monachos ad virtutem instruxit. Tum peregrinus in solitudine Euphratensi, Antiochensi, Palmyrensi, atque variis in Monasteriis quinque annos transegit, quibus expletis venit Constantinopolim, ibique annis aliis quinque absolutis, Monachos Acæmetas instituit & gubernavit. De illo consule Joannem Bollandum, die 15. Januarii, Baronium in *Appendice tami quinti* ad annum 436. Tillemontium, *tam. 15. pag. 52.*

Anno 444. S. Cyrillus, Alexandriuus Patriarcha, scripsit ad Calosyrium, Arsinoëtam Episcopum, de Monachis montis Calamonis ejusdem Diœceseos, opinantibus & asserentibus, mysticam benedictionem nihil ad sanctificationem juvare, si quid ex ea fieret residui, & relinqueretur in alium diem. Ast *insaniunt qui hæc asserunt*, inquiebat S. Cyrillus (*a*) in sua Epistola: *neque enim alteratur Christus, neque sanctum ejus carpus immutatur: sed benedictianis vis ac vivificans gratia perpetua in ipsa existit.* (*aa*)

Calamonis Monasterium à Scethica regione, habitatisque locis remotissimum, opinatur Tillemontius (*b*) eum esse Calami eremum aut Porpbyrioois cœnobium, qnod Cassianus (*c*)

(*u*) Ruffinus, *Lib. II. de vitis Patrum, cap. 21.*
(*x*) Speculum Carmelit. *tom. 2. pag. 142. 143. num. 526. & seqq.*
(*y*) Tillemont, *tom 14. pag. 693.*
(*z*) Theodoret in *Historia Religiosa, cap. 9.* & *Lib. IV. Histor. Ecclesiast. cap. 28.*
(*a*) Cyrillus Alexandrin. *tom. 6. pag. 365.*

(*aa*) Remigius Ceillier, *de Scriptoribus Ecclesiast. tom. 13. pag. 358. & 403.*
(*b*) Tillemont, *tom. 10. pag. 444. & tom. 14. pag. 663.*
(*c*) Cassian. *collat. 3. cap. 5. & collat. 24. cap. 4.* Fleury, *tom. 6. Hist. Ecclesiast. tom. 6. Lib. XXVII. num 1. pag. 263.*

invisit anno 390. Non longè à Calamonis Eremo, & inter Scethiotas (*d*) Solitarios degebat Joannes *Nanus*, *Colobus*, seu *Curtus* & staturâ *Brevis*. (Gallicè *Saint Jean le Nain*) qui ad pœnitentiam convertit S. Paësiam, cujus equidem pœnitentia unius horæ, refertur Deo fuisse gratior, quàm aliurum pœnitentia prolixior, sed non æquè fervens & ardens.

De Altero Calamonis Monasterio propè Jordanem constructo, in quod se contulerunt Sophronius & Joannes Moschus, sermo redibit inferiùs, *num. 39. ad annum 566.*

Anno 445. die 8. Maii juxtà Græcos, die 19. Julii: juxtà Latinos obiit in *Throë*, propè Canopum in inferiori Ægypto, S. Arsenius (*e*) cujus ad obitum lacrymans Abbas Pœmen, sive Pastor Abbas Pambonis in Cellis & Scethica regione, Monachi discipulus exclamavit: *Beatus es, Abba Arseni, qui flevisti temetipsum in seculo isto; Qui enim se in hac seculo non fleverit, sempiternè plorabit illic.*

Ad eamdem societatem æque ac ad eamdem regionem revucari potest obitus S. Achillæ in solitudinibus Nitriæ & Scethi, S. Arsenio familiaris & celeberrimi, cujus & frequentem reperies mentionem in *vitis Patrum*, apud Heribertum Rosweydum, *pagg. 514. 516. 518. 197. 598. &c.* apud Joannem Coteletium, in *Manumentis Ecclesiæ Græcæ, tam. 1. pag. 388. & seqq.* apud Luduvicum Bulteau, in *Historia Monastica Oriemtali, pag. 136.* apud Claudium Fleury, *tom. 1. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, pag. 5. & seqq.* apud Ludovicum Nanum de Tillemont, *tam. 14. Hist. Ecctes. pag. 702. 703.* ubi & obitum S. Achillæ assignat anno 450.

Anno 449. obiit S. Isidorus, ideò Pelusiota cognominatus, quia in Monasterio *Lychnos* prope Pelusium vitam Monasticam illic à S. Hilarione (*f*) introductam servavit, pilusâ veste indutus, ad imitationem Eliæ Prophetæ & Joannis Baptistæ; ut ipse notat *Lib. I. Epist. 5.*

Anno 457. Martyrius in monte Nitriæ instructus, & in spelunca postea Lauræ S. Euthymii ad vitam Anachoreticam formatus, successit Anastasio Patriarchæ Hierosolymitano; prout scribit Papebrochius, in *Historia Chronologica Patriarcharum Hierosalymitanorum, tom. 3. Maii præfixa, pag. 25. num. 105. & 113.*

Anno 460. die prima Januarii obiit S. Simeon Stylites, orbis terrarum miraculum, appellatus à Theodoreto (*g*) teste coætaneo. Primis Monasticæ vitæ præceptis Simeon instructus fuerat in Teledano prope Antiochiam cœnobio, cujus mentio facta est superiori *num. 32.* ad annum 402. & in quo *Eliæ Prophetæ imitatio* Monachis tenenda proponebatur; adeò ut in ipsa, quam pro matris defunctæ anima effundebat, oratione Simeon diceret: *Domine* (*h*) *Deus virtutum, qui Eliam corvis deferentibus escam pavisti, suscipe animam ejus in pace.*

„ Simeon Stylita (*i*) mortuus, ejus discipulo Danieli per somnum visus est, qui eum ad „ columnarem vitam vocaret, columnamque ascendere illi præciperet. His visis, è lectulo „ consurgens statim, ut visio ipsi declarabat, sic ascendere in columnam constituit, eam- „ demque vitæ rationem, quam Simeon priùs servaverat, inivit: visus *novus Eliseus*, qui „ *Eliæ* sibi *exemplum* proposuit.

Anno 470. Sancta Euphrosina (*k*) virgo defuncta est. Hæc Alexandriæ nata, suæ anno ætatis decimo octavo, sexum sub habitu virili celans, vitam Monasticam Smaragdus nomine appellata, triginta & octo annos egit in Monasterio Alexandriæ vicino, in quo trecenti quinquaginta duo Fratres commorabantur. Monasteria autem Ægypti ab ultima antiquitate, & à tempore S. Marci Evangelistæ perseverabant, uti probatum est ex testimoniis Philonis Judæi, Socratis, Hieronymi, & Joannis Cassiani. Sanctam Euphrosynam, cujus reliquiæ dicuntur asservari in Parthenone Monialium *Regalis-loci* Gallicè (*l*) *Réaulieu*, propè Cumpendium in Gallia, multi cum Sancta Euphraxia, de qua locuti sumus *num. 22.* ad annum 423. perperàm confundunt.

Anno eodem 470. die 14. Februarii è vivis excessit S. Auxentius, (*m*) è Perside oriundus, sed in Syria natus. Anno ætatis suæ vigesimo quinto in montem (*n*) *Oxiæ* à Chalcedone dissitum lapide milliario secessit, in antro profundo pelle ovinâ indutus, *ad imitationem Sancti Joannis-Baptistæ*, manens ad annum usque 451. Deinde in montem altiorem & asperiorem nomine *Siopam* conscendit: in quo intrà cellulam ligneam inclusus, plures instruxit discipulos & discipulas; quarum duæ primæ, Eleutheria & Cosmia, nobiles; & in aula Sanctæ Pulcheriæ Imperatricis, insignes. Originem dederunt sacello & ibi-

(*d*) Idem Tillemont, *tom. 10. pag. 427. 437. & 438.*
(*e*) Idem Tillemont, *tom. 14. pag. 696. & 697. tom. 15. pag. 147. - 170.*
(*f*) Hieronymus, *in vita S. Hilarionis, tom. 4. parte 2. pag. 84.*
Cotelier, *in Monumentis Ecclesiæ Greca, tom. 1. pag. 602.*
Cellier, *de Scriptoribus Ecclesiast. tom. 13. pag. 600.*
(*g*) Theodoretus, *in Historia Religiosa, cap. 26.*
Evagrius, *Lib. I. Historiæ Ecclesiastica, cap. 13.*
Tillemont, *tom. 15. pag. 357.*
(*h*) Vita S. Simeonis Stylitæ, *apud Rosweydum, pag. 172. col. 2. sub finem.*
(*i*) Vita S. Simeonis Stylitæ, apud Bollandum, *cap. 11. num. 41. die 5. Januarii, tom. 1. pag. 282.*
(*k*) Bollandus, *die undecimâ Februarii, pag. 636.* Rosvveydus, *pag. 364.*
(*l*) Tillemont, *tom. 10. pag. 50.*
(*m*) Bollandus, *die 14. Februarii, pag. 772.*
(*n*) Baronius, *tom. 6. ad annum 451. num. 117. 118.*

dem fundato Partheoni Monialium, intrà quod feptuaginta facræ virgines in eodem monte *Siope* manferunt. Qui mons *Siope* propter vivendi rationem, quam incolæ fervabant, appellatus eft *alter* (*o*) *Carmelus*, ficut & ipfe Auxentius *alter Elias*.

Anno 473. vivere defiit S. Euthymius(*p*) Lauratum in via Hierichuntina & in aliis folitudinibus propè fluenta Jordanis, quas filii Prophetarum incoluerant, fundator. Fuit etiam focius S. Theoctifti, Cœnobiorum Palæftinæ Fundatoris aut Promotoris. Euthymius porrò ab adolefcentia, *Eliæ & S. Joannis Philofaphiam imitatus*, ut dictum eft *ad annum* 428. Monachorum deindè Archimandrita declaratus eft omnium, quia in Diœcefi Hyerofolimitana commorabantur.

Anno 474. die 5. Martii moritur (*q*) S. Gerafimus, qui ex Licia oriundus, poftquam in patrio Monafterio præclarè fefe geffiffet, ab omnibus fermè Anachoretis de Magni Euthymii corufcante gratia certior factus, hunc in *Rubam* adiit, deindè Lauram; & in medio Lauræ Cœnobium condidit ad ripas Jordanis: plures Solitarios & Anachoretas collegit, & inftituit.

Anno 492. (*r*) Saluftius, Hyerofolimitanus Patriarcha, communi omnium affenfu qui ad fe convenerant ex folitudine, ftatuit ut Monafteriis quæ erant circa fanctam Civitatem, præeffent Sabas & Theodofius; atque hic quidem Cœnobitis qui communiter vivebant, ille verò Anachoretis qui feparatim degebant. Undè S. Sabas conftitutus eft Exarcha Anachoretarum Diœcefis Hyerofolimitanæ, Theodofius verò Cœnobiarcha illorum Monachorum qui vitam communem agebant.

Anno 493. Saluftio defuncto, (*f*) Elias in Patriarcham Hyerofolimitanum electus eft. Hic S. Euthymii difcipulus, Cellam propè Hyerichuntinam urbem conftruxerat, & celeberrima ædificaverat Monafteria: fed Patriarcha factus, omni ftudio contendit, ut circà fe congregaret bonos Monachos fanctæ Refurrectionis, circà turrim David difperfos in aliquibus cellis: Monafteriumque conftruxit ad Epifcopatum, & cellas ædificavit ad illos excipiendos, unicuique eorum qui conveniebant, abundè fuppeditans neceffaria.

PARAGRAPHUS UNDECIMUS.

Sexto Seculo frequens Elianæ Monafticæ habetur memoria.

XXXV. In fequentium decurfu temporum celeberrima Laurarum fit mentio. *Lauram* diftingunt à Cœnobio, inquit Henricus Valefius, (*t*) eò quòd Laura quidem conftat multis cellis longè à fe invicem disjunctis: Cœnobium verò uno clauditur muro. In Laura degebant Anachoretæ: in Cœnobio Monachi fimul vivebant.

Joannes autem Bollandus, in *vita S. Charitonis*, *ad diem* 11. *Januarii*, *pag.* 643. Et in Notis ad *vitam S. Theodofii*, §. 4. *num.* 18. *ibidem pag.* 683. animadvertit nomen Lauræ repetendum effe videri à fluvio *Laura*, qui regioni vicinæ quam præterfluit, & Monafteriis in ea ædificatis nomen dedit. Unde & Cyrillus (*u*) Scytopolitanus in vita S. Quiriaci ait: » Divinus Cyriacus in eam fe confert folitudinis partem, in qua Anachoretarum nul- » lus neque manferat, neque pertranfierat aliquando. Nominabatur locus ab accolis *Sufa-* » *cim*: in quo & *Sucæ* & *Novæ Lauræ* ambo fluvii, eorum quos novimus maximi & pro- » fundiffimi, conjunguntur & confluunt.

At verò Gloffator (*x*) Epiftolæ Antiochi Monachi ad Euftatium Abbatem, notat quòd fuo tempore Neoterici Græci *Lauram* dicerent *infignia Monafteria*, *pro magna hominum copia*, *quæ devotionis ergo inftar multarum aquarum confluunt*.

XXXVI. Anno 501. Sanctus Sabas (*y*) ab Elia Hierofolymitano Patriarcha fuam ad Lauram *Caftelli* revocatus atque reftitutus. Is Sanctus tot Laurarum fundator, ortum habuit ad vicum *Mutalafcum* in Diœcefi Cæfarienfi Cappadociæ, anno 439. In omni regula Monaftica, quam ibi edocuit Sanctus Bafilius ad Elianum inftitutum efformatum, decem annis exercitatus, Hierofolymæ civitatis defiderio videndæ accenfos, anno 457. in Monafterio S. Paffarionis, fub Elpidio Abbate, hyemavit; fed famâ S. Euthymii pervulgatâ delectatus, ad eum acceffit anno 458. Euthymius autem Sabam judicans juniorem, ut in Laura admitteretur, in Monafterium ad Theoctiftum mifit: cujus poft obitum anno 466. ad S. Euthymium rediit, & in ejus Laura remanfit. Euthymio pariter defuncto die 20. Januarii 473. Sabas in Solitudinem feceffit anno 474. & annis quinque fpeluncam propè Tor-

(*o*) Bollandus, *pag.* 777. *menfis Februarii.*
(*p*) Analecta Græca, *tom.* 1. *pag.* 13.
(*q*) Analecta Græca, *tom.* 1. *pag.* 59. 60. & 107. Evagrius, *Lib. I. Hiftor. Ecclef. cap.* 21.
(*r*) Vita S. Sabæ, *cap.* 29. in *Monumentis Ecclefiæ Græcæ*, *tom.* 3. *pag.* 260.
(*f*) S. Sabæ, *cap.* 31. *in Monumentis Ecclefiæ Græcæ*, *tomo* 3. *pag.* 262.
(*t*) Valefius, in *Annotationibus ad primum Librum Evagrii*, *cap.* 21. *pag.* 64. *col.* 2. *C.* Tillemont, *tomo* 16. *pag.* 79.
(*u*) Cyrillus, *in Analectis Græcis*, *pag.* 414.
(*x*) Gloffator, *apud Baronium*, *tom.* 8. *ad annum* 614. *num.* 28.
(*y*) Vita S. Sabæ, *in Monumentis Ecclefiæ Græcæ*, *tom.* 3. *pag.* 222. Bulteau, *in Hift. Monaftica Orientali*, *pag.* 645.

rentem *Cedron* habitavit; ubi accitis discipulis centum & quinquaginta, Ecclesiam erexit, quam anno 491. Salustius, Hierosolymitanus Patriarcha, consecravit. Rumore de Sabæ morte sparsu ab æmulis, Sabas petiit Jerosolymam ad Eliam Patriarcham, qui eum, ut diximus, ad Lauram *Castelli* remisit anno 501. sed non minus odii passus est à discolis. Hi enim nec illum ejicere, nec præsentem sustinere valentes, turrim quam propè Torrentem *Cedron* ædificaverat, diruerunt, & eremi supellectilia tollentes, in Lauram *Sucæ* aufugerunt. At verò ab Aquilino hujus Præfecto, ne hospitum quidem jure admissi, in *Cellas* Lauræ Thecuæ dirutas abierunt.

Anno 502. Monachi præfati discoli, cellis dirutis, alias addiderunt, quæ postea *Novam Lauram* composuerunt. Eorum tamen rebellium Monachorum de salute anxius Sabas, summam pecuniæ ad illos misit, & cellularum dominium eis ab Elia Patriarcha obtinuit, templumque magnificum eis construi curavit, & per hæc beneficia ad mansuetudinem obedientiamque reduxit; eis anno 503. Abbatem præfecit nomine Joannem, qui primus ipsius discipulorum extiterat.

Anno 518. S. Sabas invisit (ζ) Eliam Patriarcham, qui in exilium ad *Hæclam* seu *Ailam*, Arabiæ petrosæ Urbem, pulsus fuerat. Cum autem uno die venisset ad congressum, ut consueverat; cunctabatur ingredi ad ipsum Patriarcham, usque ad mediam noctem: tùm verò lacrymosos habens oculos, & acerbè ejulans Elias, » heu! Pater, inquie » Sabam intuens, hâc horâ mortuus est Imperator Anastasius; & oportet me quoque de- » cimo die post eum excedere, ut causam nostram agamus ante horribile tribunal. » Et mors quidem Imperatoris statim fuit audita; deinde etiam vitâ excessit Patriarcha, sicut prædixerat.

Anno eodem 518. ducenti (*a*) Monachi secundæ Syriæ, quorum viginti quinque Archimandritæ, & eorum primus Alexander Sancti Maronis præfectus, libellum miserunt ad Hormisdam summum Pontificem, quem *Caput omnium fidelium* appellant & interpellant, pro fide Catholica tuenda adversùs Eutychianos hæreticos: Qui aliis Monachis euntibus ad mandram Sancti Simeonis Stylitæ pro causa Ecclesiæ, insidiati sunt in itinere, & ex eis trecentos quinquaginta viros occiderunt.

Anno 519. juxta Bollandum, obiit S. Theodosius (*b*) Cœnobiarcha, de quo mentio jam facta est ad annum 492. Hic Theodosius in Cappadocia circà annum 423. natus, transiit in Palæstinam anno 551. ubi primùm se cuidam Recluso Longino instruendum tradidit; deinde Magistros accepit Martinum & Lucam, qui primi fuerunt S. Euthymii duo discipuli, athletæque in vico Lazariorum inter Ascetas maximè refulserunt, atque Monasterium extruxerunt.

Theodosii famâ pervulgatâ, plures ad eum accurrebant, & eorum causa Lauram efficere similem cogitabat ei, quæ jam in *Pharan* erat fundata. Sed præfecturam reformidans, in *Rubam* fugit, secus mare mortuum; in excelsum montem ascendit, ubi annos triginta sine pane vixit, agrestibus herbis & radicibus cum aqua contentus. Tribus primùm, sex postea discipulis, & deinde accedentibus quinquaginta, Theodosius Lauram condidit & maximum Monasterium, speciem urbis exhibens; utpotè in quo non solùm artes ad vitam necessariæ exercebantur, sed & Xenodochia ad infirmos curandos, Ecclesiæ quatuor extabant: una pro Græcis, secunda pro Bassis seu Europæis è Tracia & Mæsia advenientibus, tertia & quarta pro Armenis; ita verò ut unusquisque Monachorum *Sancta Evangelia in sua Ecclesia simul & lingua divinam audirent vocem.*

Theodosius magnam habuisse necessitudinem aut analogiam cum Eliano instituto indicatur ex eo quod 1°. In Cappadocia primùm accepit initia vitæ Monasticæ à S. Basilio fundatæ. 2°. Vitam imitari satagebat magni (*c*) Basilii, & ejus sermonum lectione plurimùm delectabatur: Sanctus autem Basilius (ut dictum est superiùs, *num.* 30. ad annum 379.) *ad sublimem Eliam assimilari suæ vitæ institutum satagebat, solitudinemque cum Elia & Joanne-Baptista philosophiam sustinebat.* 3°. Theodosius Lauras & Monasteria condidit in Palæstina, propè fluenta Jordanis, ubi habitarunt filii Prophetarum. 4°. Vixit in Rubam, secus mare mortuum, à quo plurimùm non distabat Essenorum habitatio; ut asserit Caius Plinius super. *num.* 23. *anno* 111. citatus, *pag.* 7.

Anno 524. (*d*) Palæstinæ Samaritani bello aggressi Christianos, Neapolim cingunt, ubi Tyrrannide assumptâ, sibi Regem coronaverunt Julianum nomine quemdam, suæ gentis hominem. Tunc Episcopum Neapoleos *Ammonam S. Sabæ* quondam *discipulum* jugulavere; quosdam verò presbyteros comprehensos atque concisos, unà cum reliquiis Sanctorum Martyrum frixerunt, multaque hujusmodi atrocitatis perpetrarunt facinora.

Anno

(ζ) Papebrochius, *in Historia Chronologico Patriarcharum Hierosolymitanorum*, *tom.* 3. Maii, *pag.* 25. *num.* 114.

(*a*) *Tomo* 4. Conciliorum, *pag.* 1461.
Baronius, *tomo* 6. *anno* 517. *num.* 29.
Fleury, *tom.* 7. *Lib. XXX. num.* 32. *pag.* 214.

(*b*) Vita S. Theodosii, *apud Bolland. die* 11. *Januarii.*
Bulteau, *pag.* 680.
Fleury, *tom.* 7. *Lib. XXX. num.* 25. *pag.* 49. & *seqq:*
Analecta Græca, *pag.* 16. 17. 24. 25. 34.

(*c*) Vita S. Theodosii, *citata apud Bollandum*, *cap.* 9. *num.* 39. *pag.* 672.

(*d*) Vita S. Sabæ, *cap.* 79. *in Monumentis Ecclesiæ Græcæ*, *tom.* 3. *pag.* 339.

Anno 525. Monasterium (*e*) Eunuchorum in regione Hierosolymitana conditum est hâc occasione. Julianâ videlicet patriciâ defunctâ in urbe Constantinopolitana, relictis ingentibus pecuniæ summis, Eunuchi ejus venerunt Hierosolymam, & ad Sanctum Sabam in magnam Lauram perrexerunt, cum multa quam ferebant pecunia, rogabantque illum in Cœnobio ut accenserentur. Quapropter ad Monasterium S. Theodosii dimissi sunt in quo vitam edocti Monasticam, rogaverunt Petrum Patriarcham, ut daret ipsis locum ad servandam quietem idoneam. Archiepiscopus accersivit Alexandrum, præpositum Monasteriorum Eliæ Patriarchæ, circà Hyerichuntem fundatorum, suasitque illi ut ad paucos dies admitteret illos incolas. Quibus equidem Alexander divisit Monasteria, atque ab eo tempore divisum *Monasterium Eunuchorum*, appellationem accepit.

Anno 528. Sanctum Sabam, (*f*) tametsi annos nonaginta natum bortati sunt Petrus, Hyerosolymitanus Patriarcha, & ejus comprovinciales Episcopi, ut Costantinopolim proficisceretur, Justinianum Impetatorem precaturus de tributorum Palæstinæ remissione. Accurrens obviam Imperator, reverenter salutavit Sabam, & cum gaudio atque lacrymis caput ejus deosculatus est; tum ab eo acceptâ benedictione, de illius manu suscepit libellum supplicem Palæstinorum Episcoporum, & quæcumque Sabas petiit, absque mora concessit; multum quoque adhibuit studium in exequendo quarto senis postulatu. Nam Hyerosolymam misit Theodorum quemdam, machinarium & architectum, qui novam B. Virginis Mariæ Ecclesiam ædificaret, atque tractatoribus Palæstinæ præcipit, ut aurum ad edificium absolvendum subministrarent necessarium. Ad quintum Sabæ postulatum Imperator constitutionem effecit, quâ mille aureos ex Palestinæ tributis dari juberet Abbati Sabæ in *Castri* constitutionem, necnon tribui præsidium militare, quod ex publica pecunia aleretur, & ejusdem Sabæ Monasteria custodiret.

Anno 529. S. Euthymius (*g*) Cœnobiarcha, obiit, si Papebrocbii computationem admittes. Petrus antem Patriarcha intellectâ Euthymii morte, cum aliis quibusdam aliatum civitatum Episcopis, festinavit ad Monasterium, ut exequias celebraret.

Eodem anno S. Sabas, (*h*) Scythopolim venit, hospitatus apud parentes Cyrilli, qui vitam ejus & vitam S. Euthymii scripsit. Is Cyrillus à S. Saba benedictionem petiit & obtinuit, dicente patri ejusdem Cyrilli: *Hic puer à præsenti tempore discipulus meus est, patrum solitudinis filius.* Annos tamen tredecim Cyrillos priùs transegit, quàm Hyerosolymam peteret, & ex matris mandato, Joannis Silentiarii disciplinæ sese committeret, qui eum in Monasterium S. Eutbymii priùs misit, ubi à Leontiu (*i*) Præfecto, inter Monachos cooptatus fuit.

Anno 531. die 5. Decembris moritur S. Sabas, (*k*) anno ætatis suæ nonagesimo quarto. In Palæstinam venerat anoos natus decem & octo, manserat in cœnobio annis septemdecem: io variis solitudinibus & in magna Laura annos egit quinquaginta novem. Composuit *Typicum* seu *Rituale*, in quo tamquam in Indice notaverat primis tantum verbis ea festa quæ celebranda occurrerent, & hymnos ac alia officia, quæ festis his diebos essent recitanda. Morti proximus, (*l*) in propria decumbens turricula, convocatis Lauræ Patribus, dedit illis quemdam præpositum, Berytium genere appellatione *Melitam*; adhortatus eum, ut *Constitutiones* suis Monasteriis traditas inviolatas servaret, qoas ei scriptas tribuit.

XXXVI. Anno 535. Justiniano Imperatore, floruisse dicitur Cosmas Egyptius, cognomine *Indicopleustes*; quia primùm mercator, negotiationis & quæstûs causâ, Æthiopiam, Indiam, Orientalesque alias regiones peragravit, & Monachale institutum dein amplexus, multa scripsit, quorum nonnulla edi curavit Domnus R. P. Bernardus de Montfaucon, in secunda Græcorum Patrum collectione.

Paginâ 229. Lib. V. Cosmas commemorat melotem, per quam Elias Eliseo discipulo suo duplicia dona concessit. *Lib. II. de Mundo, pag. 141.* Cosmas recenset quemdam negotiatorem *Menam* dictum; qui, postquam in Raithu Monachus factus est, paulò post è vivis excessit.

Ipse autem Cosmas vixit inter Monachos Ægyptios eorum successores, quos S. Antonius in *magni Eliæ instituto suam ipsorum vitam quosi in speculo ediscere docuerat.* 2°. Teste S. Gregorio Nysseno, *Eliæ collegia obtinuerunt, & sese extenderunt à mari, cui adhæret Carmelus, ad flumen usque Æthiopiæ, ad quod usque mons Galaad protenditur.*

3°. Anonymus auctor vitæ Sanctorum Barlaam & Josapbat, *cap. 12.* asserit in Indiis extitisse magni Eliæ, atque Elisei, necnon & Sancti Joannis-Baptistæ instituti æmulatores, quorum & S. Hieronymus (*m*) mentionem habet dicens: » Quid referamus Armenios,

(*e*) In eadem S. Sabæ vita, *cap. ibidem, paginâ eadem 339.*

(*f*) Ibidem, *cap. 31. pag. 262. cap. 70. pag. 340. & seqq.*

(*g*) Papebrochius, in *Historia Chronologica* citata, *pag. 27. num. 120.*

(*h*) Vita S. Sabæ, *cap. 75. eodem, tom. 3. pag. 350.*

(*i*) Ibidem, *cap. 135. in Monumentis Ecclesiæ Græcæ; tom. 2. pag. 315.*

(*k*) Vita S. Sabæ, *cap. 77. tom. 3. pag. 354. & cap. 88. pag. 371.*

(*l*) Ibidem, *cap. 76. pag. 353.*

(*m*) Hieronymus, in *Epist. 44. aliàs 17. ad Marcellam de sanctis locis, tom. 4. parte 2. pag. 551.*

» quid Persas, quid Indiæ & Æthiopiæ populos, ipsamque juxtà Ægyptum fertilem Mo» nachorum, Pontum & Cappadociam, Syriam Cælen & Mesopotamiam, cunctaque Orien» tis examina? Vox quidem dissona, sed una religio. Tot penè psallentium chori, quot » gentium diversitates. » 4°. In Raithu non longè à monte Sinaï florebant ii Monachi, quos Sanctus Nilus revocabat ad *imitationem & exemplum Eliæ, qui montem Carmelum incoluit*. Elianæ igitur successionis in testem frustrà non adducetur Cosmas Ægyptius; à quo etiam discimus persecutionem, quam circà annum 522. suscitavit Indiarum Tyrannus DHOU NAOVAS, adversùs Homeritas seu Christianos; quorum Sacerdotes Monachos & virgines in fossas & fornaces ignitas injici fecit.

Eamdem persecutionem referunt Claudius Fleury, *tom. 7. Hist. Ecclesiast. Lib. XXXI. num. 60. pag. 272.* Bartholomæus d'Herbelot, in *Bibliotheca Orientali, pag. 465.* Ludovicus Bulteau, in *Historia Monastica Orientali, pag. 691. &c.*

XXXVII. Anno 536. Agapeto Romano Pontifici, in Urbe Constantinopolitana tunc temporis immoranti, Libellum supplicem obtulerunt Monachi cùm hujus Regiæ civitatis, tùm & Hyerosolymorum, qui illic aderant. Inter eos subscripserunt (*n*) *Silas, Presbyter & Prior Monasterii Eliæ; Jacobus, Presbyter & Archimandrita Manasterii Abibi Syrus; Damitianus, Presbyter & Archimandrita Monasterii Martyrii qui sunt in Eremo Sanctæ civitatis; Cassianus Presbyter Lauræ beati Sabæ; Daminicus, Presbyter & Prior Manasterii de Turribus Jardanis; Thamas, presbyter Montis Sinaï, & Legatus Ecclesiæ Pharan & Lauræ Raithu.*

Anno 537. obüisse fertur (*o*) Cassianus, cujus mentio mox facta. Hunc enim mortuo S. Saba, Patres qui in maxima Laura relicti fuerant, ex sententia Petri Patriarchæ, præposuerunt Abbatem, qui eo tempore *Sucæ* congregationem gubernabat, virum à teneris ungulis Monachum, à S. Saba eruditum, quique Presbyter fuerat maximæ Lauræ, & annos octo Lauram *Sucæ* rexerat. Gregis autem Sancti Sabæ pastor dormiit & requievit post obitum Sancti Senis, anno decimo sexto.

Anno 542. S. Euthycius, (*p*) ex regione Phrygum, natus in villa Theii seu Amasiæ, amplectens re atque habitu ac sermone Philosophiam illam, quam ex utero matris adamaverat, imitatus est *Eliam Thesbitem, atque Jaannem-Baptistam*, qui Asceticam vitam imitari valentibus ostendentes, solitudinem primi coluerunt. Ast quamquam non desertum, non Carmelum habitavit, sed Amasæorum Metropolim elegit, ubi desiderio suo faceret satis, & Monasterium ibi construxit.

Anno 545. Patres maximæ Lauræ S. Sabæ præpositum designarunt Abbatem (*q*) Cononem, virum Monasticis virtutibus, rectisque dogmatibus celebrem, qui post mortem ejusdem Sancti Sabæ venerat ad Sacra loca adoranda, & in præfatam maximam Lauram à Deo fuerat adductus; ubi cunctos Patres temperamento Spiritualis intelligentiæ ac discretionis ædificavit. Prætereà, Neolauritas Origenistas ejecit, & Orthodoxos Sabaïtas per regionem dispersos undique congregavit, imminutumque Sancti Sabæ gregem ad paucos redactum auxit, & illustriorem effecit.

Anno 546. (*r*) Origenistæ Neolauritæ, seu Novæ Lauræ Monachi, dirum adversùs Sabaïtas, sive Catholicos maximæ Lauræ S. Sabæ Monachos bellum & schisma moverunt, & eos fatigaverunt. At verò post quintam Synodum Constantinopolitanam, Justinianus Imperator Hyerosolymam cum misisset ea, quæ in hac Synodo fuerant gesta, & ab omnibus Episcopis Palestinæ manu oreque confirmata, ii Neolauritæ Monachi à communione Catholica segregari cœperunt. Nam Eustochius (*s*) Patriarcha, diversis modis eos aggressus, & octo per menses admonitione ac hortatione usus, adhibitisque Imperatoriis jussionibus, sed frustrà; per Anastasium Ducem, omnes à Nova Laura illos ejecit, procul amandavit, tamquam communem perniciem hominum.

Anno 547. novam Lauram cum nollet Eustochius (*t*) relinquere, centum viginti Monachos collegit; sexaginta nimirùm è maxima Laura, ex quibus *Joannem* quemdam, qui *Scholarius* fuerat, præpositum in ea ordinavit & constituit; alios verò sexaginta è reliquis Eremi orthodoxis Monasteriis, quorum unus erat ipse Cyrillus Scythopolitanus, de quo mentionem habuimus *ad annum 529.* & quem Patres maximæ Lauræ de sententia & permissione Sancti Joannis Silentiarii, è Monasterio Sancti Euthymii evocaverunt.

Anno 554. Paramonus, S. Cyriaci (*u*) discipulus, in solitudine, quæ jacet inter *Susacim* & Lauram *Sucæ*, nonaginta stadiis distantem, in Spelæo inter myricas agrestes sito, reperit quamdam Sanctam pœnitentem, nomine *Mariam*, quæ *Psaltria* cum anteà fuisset,

(*n*) Tom. 5. *Conciliorum, pag.* 22. 34. & 250. Fleury, *tom. 7. Histor. Eccles. Lib. XXXII. num. 54. pag. 381.*

(*o*) Vita S. Sabæ, *cap. 88. pag. 371.*

(*p*) Acta Sanctorum, *die Aprilis, tom. 1. pag. 555. num. 14. & seqq.* Ceillier, *tom. 16. de Scriptor. Ecclesiasticis, pag. 628.*

(*q*) Vita S. Sabæ, *cap. 89. pag. 371.*

(*r*) Ibidem, *cap. 60. pag. 375.* Concilium Nicænum secundum, *Art. 2. tom. 7. pag. 83.* Baronius, *tom. 7. ad annum 552. num. 9.* Fleury, *tom. 7. Lib. XXXIII. num. 20. & 53. pag. 432. & seqq.*

(*s*) Papebrochius, in *Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymit. tom. 3. Maii, pag. 28. num. 125.*

(*t*) Vita S. Sabæ, *cap. 90. citato, pag. 375.*

(*u*) Vita S. Cyriaci, in *Analectis Græcis, pag. 123. 124. & 125.*

multis occasionem præbuerat delinquendi: sed illic post defunctam in *Sucæ* Lauram transtulerunt, & quæ de more fiunt ad sepulturam, domum ei fecerunt sepulchrum Monachi, reliquiis in spelunca ipsa depositis.

Anno 557. S. Cyriacus (*x*) in Spelæo S. Charitonis, annos septem & centum natus occubuit. Is in Græcia ortus Corinthi anno 448. Jerosolymam venerat, & ad Lauram S. Euthymii accesserat anno 467. qui eum ad Gerasimum dimiserat propè Jordanem. Defuncto S. Gerasimo anno 474. Cyriacus in Lauram S. Euthymii rediit, in qua ab Elia Præfecto benignè acceptus est. Divisione autem inter Fratres ortâ, recessit anno 484. in *Sucæ* Lauram: in qua variis ministeriis præclarè gestis, anno ætatis suæ quadragesimo, ad presbyteratûs honorem provehitur, deindè sacrorum Vasorum custodiam & Ecclesiæ curam decem & octo annos gessit. Dein in Eremum *Natupha* secessit, in qua quinque annis mansit, undè abiit in Lauram *Susacim*, ubi annis septem transactis, in Lauram *Sucæ* advenit; & indè in Cella S. Charitonis annos quinque transegit, ubi ne tantillum quidem de statione ad divinos hymnos, & ministerio eorum qui ad ipsum accedebant, remittebat, etiam in gravissima senectute sua.

Anno 558. S. Joannem Silentiarium, qui Lauræ suæ custodem diu tenuit Leonem, obiisse credit Baronius; (*y*) cum existiment alii eum fato functum fuisse anno 548. ætatis suæ nonagesimo nono expleto. In Armenia Joannes natus Nicopoli anno 450. die 8. Januarii, Episcopus Coloniensis ordinatus fuerat anno 481. Episcopatu abdicto, Jerosolymam petit anno 491. & in Lauram S. Sabæ, occultatâ dignitate ingressus, ereminticam anno sequenti vitam amplexus est. Absente autem aliquot annis Sancto Saba, Joannes in solitudinem *Rubæ* secessit, in qua quinquennio mansit. Sanctus Sabas Constantinopoli reversus, non ægrè suasit Joanni, ut in suam priorem Lauram rediret, in qua quadraginta & amplius annos peregit.

Anno 559. Jacobus Eremita (*z*) florebat propè oppidum Porphyrionem, in loco Solitario, non procul à monte Carmelo: & ideò in Opere Gallicè inscripto: *Martyrologe Universel*, vocatur à Claudio Chastelain, *Jacques du Carmel*. Hujus autem Jacobi vita celebris adeò affulgebat ore omnium, ut è viginti aut triginta Monasteriis, Clerici atque Monachi accurrerent, ab eo benedictionem accepturi: Quorum quidem Monasterium plurimum in Carmeli vicinia, aut ad ejus radices extitisse notat & animadvertit Joannes Bollandus, in Notis ad vitam S. Cyrilli, die 28. Januarii, §. 2. *num.* 14.

Anno 560. Isaac Anachoreta Syrus, Acephalorum hæresim fugiens, Italiam transiit, ubi propè Spoletum in Umbria, fundato Monasterio, vixit saltem usque ad tempora penè Gothorum extrema, id est ad annum 552. quo Totilas Ostrogothorum in Italia regnavit. Hic Abbas Isaac *Lib de contemptu mundi*, *cap.* 18. Monachis imitandum proponit *Eliam Zelotem, qui cum zelaret pro lege Dei, in jejunii armatura reducebat ad memoriam possessoris sui mandata Spiritûs Sancti.*

Hæc verba sat ostendunt Isaacum pro Elianæ Monastices traditione testem: Ast insuper Syrus erat: Syri autem inquit Sozomenus, (*a*) contendebant cum Ægyptiorum Monachis, quos S. Antonius (*b*) *in magni Eliæ instituto suam ipsarum vitam quasi in speculo edificere docuerat.*

Idem Abbas Isaac, sollicitus suæ paupertatis custos, (*c*) *fortem sententiam tenebat* ad exemplum Eliæ, dicens: *Monachus, qui in terra possessiones quærit, Monachus non erit.* Quam quidem sententiam adducunt, ad commendandum pauperum Monachorum statum, S. Gregorius Magnus, Sanctus Thomas (*d*) & S. Bonaventura. (*e*) Enim verò, *Quid Elia pauperius*, inquiebat Chrysostomus? (*f*) *Sed propterea omnes divites vincebat, quoniam pauper hic erat. Ipsam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit. Idcircò Rex* Achab, *pauperis indigebat, & verbis nihil plusquàm melotem habentis inhiabat, qui tantum habebat auri: adeò splendidior trabeâ erat melote, & regalibus aulis justi spelunca.*

Abbatis Isaaci successores in *Monte-Lucano*, propè Spoletum, etiamnum perseverare testatur Bernardus de Montfaucon, *suo in Diario Italico*, *cap.* 26. *pag.* 373. Qui & ejus Operum catalogum assignat in *Bibliotheca Bibliothecarum Mss. tom.* 1. *pag.* 268. *col.* 1. B. necnon Casimirus Oudin, *tom.* 1. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *pag.* 1401.

Anno 561. vivebat Joannes in Chusibæ Laura, à Monasterio S. Euthymii duodecim millenis passibus dissita, in extremitate vallis ad Septentrionalem partem viæ publicæ, quæ Hierosolymis ducit Hyericuntem. Hic Monachus vitam asceticam ab omni materia secretam exercens, Cæsariensis Episcopus ordinatus est, teste Joanne Moscho, *in Prato spirituali*, *cap.* 24. & 25.

(*x*) Ibidem, *pag.* 101. & *seqq.*
(*y*) Baronius, *tomo* 7. *anno* 538.
(*z*) Surius 28. *Januarii.*
Papebrochius, in *Historia Chronologica citata*, *pag.* 30. *num.* 132.
Speculum Carmelit. *tom.* 2. *pag.* 184. *num.* 184.
(*a*) Sozomenus, *Lib. VI. Hist. Ecclesiast. cap.* 33.
(*b*) Athanas. in *vita S. Antonii*, *num.* 7. *pag.* 802.
(*c*) S. Gregorius, *Lib. III. Dialogorum*, *cap.* 13. & 14.
(*d*) S. Th. in *Opusculo* 17. *capp.* 6. 14. 15. & 16.
(*e*) S. Bonaventura, in *Opusculo* 19. *cap.* 6.
(*f*) Chrysostomus, *Homil.* 2. *ad Populum Antiochenum*, *sub finem.*

Chosibæ autem Monasterium seculo duodecimo in admiratione perstitisse asseverat, Joannes Phocas. » Namque, *inquit*, speluncarum ipsa foramina Monachorum sunt cellæ, » & Templum ipsum & cæmeterium in petræ scissura excavantur, adeò solis calore deus- » ta, ut ex saxis illis ad modum pyramidum ignis lingulæ exilire conspiciantur; aquaque » Monachorum potui congesta talis sit, qualem è stagno hauries, cum sol æstate mediâ » laculus insistens, eos ignitis radiis æstuque ferventissimo incendit. In hoc Monasterio di- » versos sanctitate conspicuos viros invisimus: inter eos unum signiferum, coràm cum Deo » colloquentem, cui *Lucæ Senis* nomen est.

Anno 562. Abbas Zosimus (*h*) Cilix florebat in Monte Sina; à quo Sanctus Dorothens (*i*) plurimas salutares sententias se accepisse testatur, & inter eas hanc refert. » Ad- » huc in animo nostro vigent mundi blanditiæ, adhuc in nobis ipsius affectum abscondi- » mus . . . . si fortè fabrile aliquod instrumentum pulchrum fuerit, immodicè illo affi- » cimur; & ut dixit Abbas Zosimus, permittimus ut illud instrumentum fiat nobis loco » centenarii.

Zozimus hic Cilix non idem est aque Abbas alter Zosimus (*k*) ex Phœnice, quæ maritima dicitur, ortus. Patriam iste habuit *Sindem vicum*, ab urbe Tyro vigioti ferè stadiis distantem. Vir tum ciborum abstinentiâ & usu ciborum, tum aliis virtutibus tam illustris, ut non modò ea quæ futura erant prævideret, verum etiam ab omni animi perturbatione liber esset per Dei gratiam.

XXXVIII. Anno 563. Sanctus Dorotheus in Monasterio Sancti Seridi jam dudum instructus prope Gazam & Majumam extrui curavit Monasterium, in quo S. Dositheum ipse instruxit discipulum, quem infirmum & ægrotantem adhortans, dicebat: *Dei memor esto, eumque tibi præsentem considera*. Hac autem Dei præsentis recordatione uti solebat magnus Antonius, suam exemplo Eliæ vitam efformans, ut animadvertit Sanctus Athanasius. (*l*)

Undè Sanctum Dorotheum inter Eliani instituti sequaces annumerans Joannes Bollandus, anno 1656. die 16. Novembris ad Priorem Carmelitarum Mechliniensem scribebat: » Reverende in Christo Pater, veni nudius tertius vesperi huc Antuerpiâ. Unum rogo, » ut si Reverentia vestra habeat tertium tomum R. Patris Lezanæ, eum mihi usque in diem » crastinum commodet. Ego crastino die ipse referam, vel certè referam, vel certè re- » mittam. Est mihi nunc sub prælo vita S. Dosithei; quem uti Sanctum Dorotheum ejus » magistrum babeo fuisse Ordinis vestri in ditione Gazensi in Palæstina.

Idem Bollandus, in *Commentario ad vitam Sancti Dosithei*, quam die 13. Februarii, *tom. 3.* edidit Antuerpiæ, anno 1658. ad idem propositum scripsit: » Miror Joannem- » Baptistam de Lezana, accuratissimum Scriptorem Annalium Ordinis Carmelitici, nec » quinto nec sexto Seculo, Barnasuphii, Siridi, Dorothei & Dosithei meminisse: cum » utrumque Zosimum aliosque quàm plurimos commemoret sui instituti professores, & » magni Eliæ imitatores: Quod de Dositheo sociisque potiori jure asserere poterat.

De illis Sanctis fortè Lezana tacuit; vel quia Dorothei opera præ manibus non habuit: vel quia clarè distinguere non valuit varios nomine Dorotheos, quales sunt:

DOROTHEUS, Antiochenus presbyter, anno 304. de quo tractat Tillemontius, *tom. 5. pag. 155. & 657.* necnon Casimirus Oudin, *tom. 1. pag.* 1378.

DOROTHEUS, Sacrarum Monialium, anno 330. in Antbribe, Diœceseos Alexandrinæ civitate Director, de quo agunt Palladius, in *Historia Lausiaca, cap. 36.* & Tillemontius, *tom. 11. pag. 519. & tom. 14. pag. 247.*

DOROTHEUS, S. Siridi & Barnasuphii discipulus ab anno forsan 501. de quo loquitur domnus Remigius Ceillier, *tom. 16. de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 603.*

DOROTHEUS, Eutycheris fautor, quem Marcianus Imperator anno 451. in exilium misit; uti referunt Tillemontius *tom.* 15. *pag.* 437. 613. 669. 672. Remigius Ceillier, *tom.* 14. *pag.* 667. 668.

DOROTHEUS, Alexandrinus Monachus, quem Anastasius Imperator ad insulam Oasim exulem fecit, anno 510. dequo Tillemontius, *tom.* 16. *pag.* 686. Ceillier, *tom.* 16. *pag.* 193. Bulteau, in *Historia Monastica Orientali, pag.* 660.

DOROTHEUS, Arianorum Constantinopolitanorum Episcopus, anno 407. defunctus, de quo Socrates, *Lib. VII. cap.* 6. Tillemontius, *tom.* 12. *pag.* 420.

DOROTHEUS, Neocæsariensis Episcopus, qui anno 449. Ephesino Latrocinio per Legatos interfuit; sicuti refert Tillemontius, *tom.* 15. *pag.* 676. 678.

DOROTHEUS, Ancyranus Episcopus Catholicus, anno 536. de quo Tillemontius, *tom.* 16. *pag.* 728.

DOROTHEUS,

(*g*) Joannes Phocas, in *itinerario de locis Sacris num.* 19.

(*h*) Moschus, in *Prato Spirituali, cap.* 123. & 124.

(*i*) Dorotheus, *Doctrinâ* 1. 2. & 8. *tom.* 11. Biblioth. Patrum, *pag.* 762. 764. 784. & 797. Edit. Paris. 1644.

(*k*) Evagrius, *Lib. IV. Histor. Eccles. cap. 7. pag.* 483. Moschus, in *Prato Spirituali, cap.* 40. Bulteau, in *Histor. Monastica Orientali, pag.* 705.

(*l*) S. Athanasius, in *vita S. Antonii, num.* 7.

(*m*) Vide Speculum Carmelit. *tom.* 1. *pag.* 840. *num.* 2908. & *tom.* 2. *pag.* 853. 2907.

DOROTHEUS, Tyrius Episcopus, qui consuluit Leonem Imperatorem de Concilio Chalcedonensi anno 451. de illo agit Tillemontius, *tom.* 15 *pag.* 678. 798.

DOROTHEUS, Palæstinæ Præfectus, qui Accephalos ejecit anno 452. De illo mentionem habet Tillemontius, *tom.* 15. *pagg.* 735. 736. 741. 755.

DOROTHEUS, Marciopolitanus Episcopus, Nestorianorum fautor anno 434. de quo Tillemontius, *tom.* 14. *pag.* 573. Fleury, *tom.* 6. *pag.* 212. 498.

DOROTHEUS, Anachoretarum præfectus circà annum 646. de quo Remigius Ceillier, *tom.* 16. *pag.* 602. Casimirus Oudin, *tom.* 1. *pag.* 1630. 1634. 1635.

DOROTHEUS, Pont-Euxinus, Monachorum Abbas seculo decimo: uti videre est apud Adrianum Baillet, die 9. Septembris.

XXXIX. Anno 566. Antonius Abbas, Monasterium Eliotarum condidit propè Hierosolymam, in quo Joannes Moschus annos decem versatus est, totidemque annos (*n*) Cyriacus Abbas, qui Lauram Calamonis incoluit: ubi duos Libros Nestorianâ hæresi infectos detexit, & eos igni tradi curavit ab Isychio, presbytero Hierosolymitanæ Ecclesiæ. Laura hæc Calamonis distiguenda est à Monasterio Calamonis, de quo mentio facta est *superiori num.* 35. *ad annum* 444. *pag.* 18.

Anno 570. Vivebat Joannes ideò *Sabaita* dictus; quia Lauram S. Sabæ suæ annis ætatis extremis incoluit. In Bythinia ad montem *Latrum*, (*o*) in Monasterio sub disciplina cujusdam senis duri & asperi novem annos asceticam duxit vitam, tum Achatius sive Acacius nomine appellatus. Dein in Ponti Monasterium recessit, annos tredecim ibi personam *Stulti* simulans: posteà in Palæstinam adveniens, Antiochus nomine Lauram S. Sabæ habitavit; ubi à S. Joanne Climaco (*p*) frequentatus, nonnullas vitæ suæ circumstantias ei retulit.

Anno 580. florebat Joannes Byzantinus, S. Theodosii Cœnobiarchæ discipulus, qui ex *primo Scholarium ordine* (Gallicè, *Capitaine des Gardes du Corps de l'Empereur*) vitam elegerat Monasticam. Eam autem vivendi rationem postquàm exercuisset in maxima Laura S. Sabæ, Cœnobium construxit in Turri, quam anno 458. Eudoxia Augusta, Theodosii Imperatoris conjux, triginta stadiis distantem à Laura S. Euthymii construi curaverat. Præfatum autem Cœnobium Scholarium dictum est à *Joanne Scholario*, qui & illud ædificavit, & annis triginta rexit & incoluit. Scholares enim dicebantur Milites, qui ad Imperatoris custodiam eligebantur magnoperè distincti.

Anno 582. S. Eutycius, Constantinopolitanus Patriarcha, obiit. Ab eo fundatum fuisse anno 542. Monasterium in Amasæorum Metropoli, postquam ipse jam ab ineunte ætate, *ad imitationem Eliæ & Joannis-Baptistæ*, vixerat, ut animadvertimus *ad annum* 542. Non hujus autem solius Monasterii, verùm ex mandato sui Episcopi provinciam admisit *Totius Monachalis ordinis* in ea Metropoli gubernandi; ex eoque munere *Catholicus* seu *Generalis* appellatus est anno 552. Constantinopolitanus eligitur Patriarcha: anno 556. in exilium pellitur à Justiniano Imperatore, hæresim Aphthordocitarum seu Incorruptibilium profitente: revocatur anno 566. à Justino Imperatore. Constantinopoli moritur anno 582.

Anno 583. Eutychi Patriarchæ panegyrim recitavit Eustathius, presbyter familiaris domesticus, qui cum eo in exilium profectus, atque indè reversus, ab ejus latere nunquam discessit, annosque, menses, dies & horas illius vitæ accuratè descripsit.

Anno 584. decesserat à duobus annis Cosmas, Lauræ Pharan Abbas, dum Antiochiæ degeret. Hic vir singularis religionis & fidei, Catholicorumque dogmatum valdè tenax & zelator, atque divinis in scripturis non parùm instructus, dicere solebat Monachis eum visitantibus: *Cum inveneris aliquid ex opusculis Sancti Athanasii, nec habueris chartas ad scribendum, in vestimentis illud scribe.*

Sanctum autem Athanasium fuisse Monasticæ Elianæ locupletissimum testem, probant ejus restimonia sæpiùs allata. Præterea, Lauram Pharan jam pridem fuisse celebrem, sex milliaribus ab Hierosolyma distantem, probant monumenta quæ descripsimus ex vita Sanctorum Charitonis, Euthymii, Sabæ, Cyriaci & aliorum Anachoretarum qui laudantur in Monumentis Ecclesiæ Græcæ apud Joannem Cotelerium, *tom.* 2. *pag.* 209. 210. 232. necnon apud Joannem Moschum, in *Prato spirituali*, *cap.* 40. *&c.*

Eodem in cœnobio obierat anno 570. die 1. Julii *Simeon Salus*, de quo illustrem habet memoriam Evagrius, *Lib. IV. Histor. Ecclesiast. cap.* 34. Hic Simeon, Emissæ in Syria natus, ab adolescentia vitam Asceticam ducens in Monasterio Chusibæ admirabili, de quo mentio facta est ad annum 561. *Stultus* videri voluit propter Christum, ut majori sapientiæ dote, atque certiori gratiæ divinæ abundaret dono. Deindè annos non paucos in columna intrà ejusdem Monasterii septum egit.

Anno 590. Nicolaus (*q*) Abbas in Palæstina circà fluvium Arnonem celebrabatur, qui

(*n*) Pratum Spirituale, *cap.* 46.
(*o*) Baronius, *tom.* 10. *ad annum.* 956. *num.* 8. Bulteau, *in vita Monastica Orientali*, *pag.* 795.
(*p*) Joannes Climacus *gradu* 4. *num.* 109.
(*q*) Pratum Spirituale, *cap.* 155. & 112.

seipsum Saracenis tribus obtulit pro liberatione cujusdam adolescentis, quem illis renuentibus miraculosè liberavit. Ast alter Abbas Cappadox nomine Leo, non tantummodò se obtulit, sed etiam seipsum dedit, & mortem passus est pro redemptione trium aliorum Monachorum.

Unde S. Joannes Climacus (r) suos Monachos instruens dicebat: » Nemo præceptis » Evangelicis impossibilitatem querulus objiciat. Sunt enim animæ, quæ plus quàm præ- » ceptum fuerit illis per Evangelium, fecerunt. Persuadebit tibi id penitùs is, qui plus- » quàm seipsum proximum dilexit, ac pro eo animam posuit, & cum imperium Dei de » hoc non accepisset.

Anno 593. Barsanuphius Ægyptius vitam ceu carnis expertem in cella Monasterii S. Seridi propè Gazam quinquaginta & amplius annis reclusus, transegit; adeò ut nec visus apparuerit, nec terrestre quidquam gustaverit, inquit Evagrius Scholasticus, *Lib. IV. cap. 33.* qui suam Historiam hoc anno 593. scribebat.

Barsanuphius discipulum habuit *Joannem*, cognomine *Prophetam*, qui Præceptor & Magister fuit S. Dorothei. Contemtaneus autem, & in ea regione instructus Sozomenus (s) juxtà Betheleam, expressè asserit monasticæ *Philosophiæ Principem fuisse, ut quidam memorant Eliam Prophetam.*

Anno 596. moritur S. Simeon Stylita (t) junior die 24. Maii, ætatis suæ anno 75. A teneris ungulis, inquit Evagrius *Lib. VI. cap. 23.* asperum vivendi genus in columna excoluerat, præceptore Joanne itidem stylitâ, in columna intrà Monasterium Montis-Mirabilis, ab Antiochia Syriæ novem milliaribus distans: » (u) Mons quidem admirandus, in- » trà urbem & mare elatus. Res egregia ac spectabilis, & advenientium oculis delicium » conspicitur. . . . Orontes fluvius innumeris inflexionum vorticibus ad pedes montis pro- » fluit, & in mare aquas immittit. In montis hujusce vertice magnus ille vir, tranquillè vi- » tam agens, & in corde assensiones disponens, corpore sublimis extollitur, & cum ipso » corpore æthereus fieri, interque Deum & homines medius esse contendit. At quâ tatione » Deo dedito viro ista res admiratione digna evenerit, ipse dicam.

» Lapicidarum opera summitate montis admirandi excavata, Monasterium ex uno con- » flatum, compaginatumque lapide extruxit. In medio Monasterii inter excisos lapides suâ » sponte nata columna gradus appinxit, super petram, ut sacro eloquio traditur, pedi- » bus firmatis. Versùs exorientem solem Templum pulcherrimum Deo erexit, in quod » discipulos convocabat. Atque ita sub dio ipse commorans, illi totâ nocte in templo stan- » tes, ut decebat Sanctos debitum Deo cultum offerebant.

Hæc minimè confundenda sunt cum Monasterio Chosibæ, cujus sermo factus est superiori *num. 37. ad annum 561. pag. 23.* & 24.

PARAGRAPHUS DUODECIMUS.

Septima Secula Elianæ Successionis continua series agitur.

XL. Totus Monachalis Ordo sex prioribus Ecclesiæ seculis ad Eliæ Thesbites imitationem & cultum aut venerationem referendus esse visus est pluribus, qui vitam Asceticam colere studuerunt; sicuti nuper dicebat *ad annum* 581. Eustachius, Constantinopolitanus presbyter, in vita S. Euthycii Patriarchæ.

Neque verò seculis sequentibus alia videbitur alteri Monasticæ professionis Principi aut Magistro imputatio adjudicata; tametsi Antonii, Pachomii, Amonis, Arsenii, Basilii, Theodosii, Euthymii, Sabæ, & aliorum titulo decorata propagari videatur per Ægyptum, Syriam, Palæstinam, Arabiam, Indiam, Cappadociam, Pontum, Armeniam; & per alias Orientis regiones. Quia fluminis instar, indesinenti fluxu, intrà sui alvei primarii limites sese continentis, hæc professio primum & originalem fundatoris Eliæ alveum retinebit continuum, non illum absorbentibus, sed perpetuò servantibus in immensum auctis Monasteriis, cœnobiis, eremitoriis, asceteriis, Lauris & aliis sedibus solitariis, quæ veluti Torrentium accessione, priorem & antiquiorem denominationem aliquandò sæpiùsque occultant, aut vulgari eloquendi modo interrumpunt, sed nunquam delent penitùs, nec tollunt.

XLI. Raithu vel Raithi, regio in Arabiæ Petrosæ plaga meridionali, erat locus duorum dierum itinere distans à Monte Sinaï versùs Occidentem; ubi multos Monachos occiderunt saraceni circà annum 373. die 14. Januarii, prout animadvertit Tillemontius, *tom. 7. pag. 573. & seqq.* Illos autem Raithienses æquè ac Sinaïtas Monachos *Elianæ asceticæ imitatores* fuisse affirmat S. Nilus superiori *num.32. ad annum 427.* citatus.

(r) Climacus, *Gradu 26.*
(s) Sozomenus, *Lib. V. cap. 15. Lib. VI. cap. 32.* & *Lib. I. cap. 12.*
(t) Ceillier, *tom. 17. pag. 568.* Fleury, *tom. 8. Lib. XXXV. num. 30. pag. 71.*
(u) Joannes Phocas, *de locis Sanctis, num. 2.* apud Papebrochium, in limine, *tomi secundi Maii, pag. 3.*

Anno 600. ad Abbatem Sinaï Palladium S. Gregorius Magnus Epistolam scribit, in qua hunc obloquentium verbis contristatum solatur, docet quid ergà detrahentes agendum sit, orationes ab eo petit, & ad illum vestes mittit. Hæc Epistola *olim 45. Lib. VIII. Indictione 3. Nunc autem Epist. 2. Lib. XI. Indictione 14. mense Septembri, pag. 1092.*

Anno 600. florebat *Joannes*, cognomine *Pastor* Abbas Raithu, ad quem S. Joannes Climacus Epistolam direxit, postulans ab eo, ut suis Raithiensibus Monachis præscriberet, quæ in divina speculatione, sicut olim Moyses in ipso hoc Monte Sinaï videret; ac veluti tabulas quasdam divinitùs scriptas, librum à se mitteret, atque doctrinam novo Israëli proponeret, eis scilicet Ascetis qui perfectè atque integrè de spirituali Ægypto, sive de laborioso bujus vitæ mari exierant. Joannes hic distinguendus est ab Abbate *Pæmen*, qui *Pastor* etiam appellabatur, prout annotavimus superiori *num.* 34 *ad annum* 445.

Anno 600. ad Joannem Climacum Montis Sinaï Abbatem scribit S. Gregorius Magnus Epistolam, in qua summus Pontifex orationibus Joannis sese commendat, æterna bona ei precatus; simulque mittit lectos & lectisternia in peregrinorum usus. Hæc Epistola erat *olim 16. Lib. XII. Indictione VII. nuper autem prodiit prima Lib. XI. Indictione IV. mense septembri, tom. 2. Operum S. Gregorii, pag. 1091. Edit. Patrum Benedictinorum.*

Anno 604. aut priùs S. Joannes Climacus ad postulationem Joannis Raithu suam Paradisi scalam, & eidem *Pastori* Epistolam nuncupavit. Ipse Joannes Climacus à pueritia ob scientiam *Scholasticus* dictus, & cognominatus posteà *Climacus* à libro quem *Scalam Paradisi* inscripsit, triginta capitibus conflatam, quibus tamquam tot gradibus ad religiosæ Monasticæque perfectionis culmen ascenditur.

Natus creditur in Judæa circà annum 525. Prima vitæ asceticæ rudimenta in Eremo ad Montis Sinaï declivium annos quatuor didicit ab Abbate *Martyrio*, & anno suæ solitudinis quarto, ætatis suæ vigesimo, professionem emisit. Annis novemdecim ibi peractis, suo Magistro defuncto, vitæ genus Anachoreticum in planitie seu campo (*x*) Tholæ dicto, in Cellula quinque milliaribus dissita ab Ecclesia quam Justinianus Imperator extru, curaverat, annos quadraginta secutus est. Verùm anno 600. Christi, ætatis suæ 75. in Abbatem Monasterii præfati Montis Sinaï electus est. Regiminis tamen affectus tædio, suo germano Fratre *Georgio* in Abbatem successorem constituto, pristinam in solitudinem rediit, in qua diem extremum obiisse creditur anno 605. aut 606.

Anno 606. Cyriacus Abbas, de quo mentio jam facta est superiori *num. 39. ad annum 566. & num. 37. ad annum 554.* ab annis decem in Monasterio manens, Lauram Calamonis incolere cœpit, Catholici dogmatis adversùs Nestorianos devotissimus sectator & defensor.

Anno 607. (*y*) Abrahamius, Monasterii *S. Mariæ Novæ* propè Hiericuntem à S. Saba constructi, Abbas, factus est Episcopus Ephesinus. Constantinopoli cœnobium construxit *Abrahamitarum* Monasterium dictum; cum anteà in Diœcesi Hierosolymitana Cœnobium ædificasset, quod *Byzantinorum* fuit dictum.

Anno 608. florebat (*z*) Anastasius, presbyter & Monachus Montis Sinaï, & ideò *Anastasius Sinaita* vulgò appellatus. Porrò in Hodego, seu in Libro qui Latinè inscribitur: *Dux viæ*, ait: *Quot millia vitam Monasticam agentia, sicut Elias, & Eliseus, & Daniel in veteri Testamento?*

Anno 613. moritur Sanctus Theodorus (*a*) Siceota, in Galatia natus propè Anastasiopolim, Theodosio Diœcesano Episcopo presbyter ordinatus, in desertum *Choseba* seu *Chusibæ* (de quo fuse dictum est *super. num. 37.* ad annum 561.) secessit, ubi & vitam Monasticam gessit: deindè Siceonum reversus, plurima construxit Monasteria, quorum curam Archimandrita sustinuit. Circà annum 590. ab Ancyræ Archiepiscopo factus est Episcopus Anastasiopolitanus: sed anno 500. à Cyriaco, Constantinopolitano Patriarcha, dimissione obtentâ, Anachorisim resumere cogitans, in Lauram S. Euthymii advenit: Ast ex revelatione Sancti Georgii jussus est suam ad Diœcesim remeare: in qua miraculis clarus, obiit præfato anno 613. die 22. Aprilis.

Anno 614. Sanctâ civitate (*b*) Hierosolymitanâ à Persis captâ, pretiosoque Sanctæ Crucis ligno asportato, Monachi aut cæsi, aut fugati sunt; & ipse Antiochus Lauræ Sabæ asceta, mala perpessus est multa.

Anno circiter 620. Præfatus (*c*) Antiochus, rogante Eustatio, Monasterii Atalinæ Ancyranæ tunc Abbate, scripsit *Pandectem Scripturæ Sacræ*, sive Compendium Moralis Christianæ è sacris Scripturis petitæ, homilias cxxx. comprehendens; quibus præmittitur Præfatio necnon Epistola ad eundem Eustathium nuncupatoria. Homilias istas observat Baronius ita elaboratas, ut Monachis prodessent, uno loco non valentibus consistere, sub

(*x*) Bulteau, *pag. 808. & seqq.*
(*y*) Pratum Spirituale, *capp. 66. 68. 97. & 142.*
(*z*) Ceillier, *tom. 16. de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 431.*
(*a*) Bollandistæ, *in Actis Sanctorum die 22. Aprilis, cap. 4.* Fleury, *tom. 7. Lib. XXXIV. num. 46. pag. 621.* Bulteau, in *Historia Monastica Orientali, pag. 759.*
(*b*) Baronius, *tom. 8. ad annum 614. num. 27.* Fleury, *tom. 8. Lib. XXXVII. num. 24. pag. 302.*
(*c*) Ceillier, *tom. 16. pag. 605.*

barbarorum grassationes, huc & illuc per loca deserta salutem sibi quærentibus.

Antiochus autem *homil. 21. de Virginitate* ait: (*d*) » Ne Legis quidem tempore, facilè » quis ullum enumeret Virginem, nisi Angelum illum terrestrem, ac planè cœlestem ho- » minem Eliam Thesbitem, & hujus discipulum Eliseum.

Homil. 89. de Inopia: (*e*) » Qui peculio exuit se . . . . Qui se exuit possessione fa- » cultatum, Eliæ comperitur esse imitator, Joannis item & eorum qui dicunt: Ecce nos » reliquimus omnia, &c.

Homil. 103. de Silentio: (*f*) » Monachus silentii & quietis amator, non potest non à » Deo diligi . . . Qui nullo non tempore expetunt adeuntque solitudines . . . . Mag- » num illum imitari conspiciuntur Eliam, ac præcursorem & Baptistam Domini Joannem.

Homil. 112. de Renunciatione: (*g*) » Sicut amicos addecet Christi, illorum fac æmule- » ris vitæ rationem & institutum. Fac repræsentes Joannem illum Christi præcursorem... » Quin Eliæ etiamnum & Elisei, atque aliorum non paucorum vitam nihil dissimilem com- » peries fuisse.

Anno 612. Georgius, Alexandrinus Patriarcha, die 23. Januarii electus, & fato functus anno 360. scribebat vitam S. Joannis Chrysostomi, in qua hunc Sanctum Patriarcham Constantinopolitanum, primis annis Asceticæ vitæ sequacem, exhibet; atque Monachos propè Antiochiam commorantes hortantem repræsentat, (*h*) *ut Sanctorum conversationem piâ æmulatione imitarentur, præcipuè quidem Eliæ & Elisei prophetarum*: *Qui quidem Angeli terrestres effecti, pretio inopiæ & extremæ penuriæ mercati, regnum cœlorum consequuti sunt.* Hæc autem hortamenta penitùs consona sunt aliis ejusdem Chrysostomi verbis superiùs relatis *ad annum 360. pag. 23.*

Anno 613. Joannes Moschus, a tribus annis Romæ defunctus, anno scilicet 620. creditur. Is vitam Monasticam primùm egit in Monasterio S. Theodosii. Abbate jubente, in Ægyptum negotia sui cœnobii tractaturus petivit, & ad Oasim usque perrexit, visendi causâ Leonem Cappadocem, cujus mentio superiùs facta est *ad annum 590.* Indè reversus Moschus, apud Eliotas annis decem mansit; dein propè Jordanem in deserto, posteà in Laura S. Sabæ. Auditis autem Persarum incursionibus, se contulit Antiochiam, deindè Seleuciam, & pervenit ad Monasterium alterius *Theodosii in Scopulo.* Rediit in Palæstinam, & absque mora ad montem Sinaï, posteaque in Raithu. Anno 606. in Ægyptum cum Sophronio petiit Alexandriam, ubi magno & honorando nomine apud S. Joannem Eleemosynarium valuerunt. Alexandriâ relictâ circa 616. annum; Samum navigio pergentes, Romam advenerunt: Ubi Moschus scripto Libro, qui *Pratum Spirituale* inscribitur, mortem oppetiit anno 620.

Anno 614. notus erat Marc-Abrahamus, ex Cascara oriundus, qui vitam Monasticam professus fuerat apud Chaldæos, inter quos *Aon primus fuisse vitæ Monasticæ promotor, perindè ac S. Antonius apud Ægyptios auctor fuit arctioris philosophiæ, cujus principes* memorantur à Sozomeno (*i*) *Elias Propheta & Joannes-Baptista.*

Mar apud Syros idem sonat, quod apud Hispanos *Dom. Aon* autem sive *Aones* est nomen fictitium: hic enim Monachus apud Sozomenum appellatus vero nomine, dicebatur *Eugenius*, qui à Syris cognominatus est *Avum* aut *Abum*, id est *Pater.* Ita suam interpretationem exponit Isaac de Beausobre, in Opere Gallicè inscripto: *Histoire Critique de Manichée & du Manichéisme, tom. 1. Lib. I. cap. 12. pag. 136.* & *141. in* suis *Notis.*

Anno 625. florebat (*k*) Justinius Abbas & Præfectus Lauræ S. Sabæ; qui tanto splendore inclaruerat virtutum, inquit Antiochus Monachus, in Epistola nuncupatoria ad Eusthatium Abbatem, ut dignitate Presbyterii cohonestari promeruerit. In illo Monasterio, gratiâ præduce Christi, numerosam admodùm congregationem adscivit. Sic tenax & observans Canonis ac exterarum Constitutionem Lauræ *Laurentii*, ut ab his neutrobi evariet, sui semper similis; adeò ut non facilè quis usquiam inveniat, inter vitæ Cœnobiticæ professores, qui sic tueatur ac servet mordicùs Spiritualem vivendi Sanctionem . . . . Semen est hic Sancti Patris nostri Sabæ.

Anno 628. Sanctus Anastasius, natione Persa, coronam adeptus est Martyrii. Hunc recens Baptisatum, & à via perversa conversum præfatus Justinus, Lauræ S. Sabæ Præfectus, tradidit uni Monacho valdè prudenti & virtutis studioso. Qui cum Anastasium & Græcas Literas & Psalterium docuisset, ejusque rectam animadvertisset institutionem, & optimam propensionem ad Monasticam vitam, tonsis ejus capillis, & expletis in eo documentis quæ lex postulat, sacro illum induit Schemate.

Anno

(*d*) Antiochus, *tom. 12. Bibliothecæ Patrum, pag. 47.*
(*e*) Ibidem, *pag. 157.*
(*f*) Ibidem, *pag. 177. & 178.*
(*g*) Ibidem, *pag. 200.*
(*h*) Vita S. Chrysostomi, *tom. 6. pag. 8. col. 2. B.* Edit. Lugdun. 1687.

(*i*) Sozomenus, *Lib. I. Historiæ Ecclesiæ, cap. 12. Lib. III. cap. 14. Lib. VI. cap. 33. pagg. 419. 516. & 677.*
(*k*) Antiochus Monachus, *tom. 12. Bibliothecæ Patrum citato, pag. 11. col. 2. D.*

Annis ſeptem peractis ſanctiſſimè, Anaſtaſius deſiderio incenſus Martyrii, à Magiſtro facultatem diſcedendi obtinuit, & pro ſuſcipiendo benedictionem poſtulavit Cæſaream Palæſtinæ perveniens, in Templo Deiparæ Virginis diebus duobus remuratur. Deinde velut delator aut exploratur tentus, ad Marzabanum, poſteà in Perſidem ad Choſruam Regem ductus eſt, à quo Martyrii coronà donatus eſt Quinto Kalendas Februarii, anno Chriſti 623.

Anno 635. (*l*) Saraceni ab æſtate Urbem Sanctam Hieroſolymam cinxerunt obſidione, quæ duravit annos duos, ſcilicet ad æſtatem anni 637. quo, fide datà, eam ingreſſus eſt Humar ſeu Omarus hoc nomine primus, qui *populo in ea modica extremis conditionibus pepercit*, inquit Wilelmus Tyrius, *Lib. I. Hiſtariæ Hieroſolymitanæ, cap. 2.*

Anno 644. (*m*) S. Sophronius obiit. Is in Urbe Damaſcena natus ad Philoſophiam Monaſticam variis in Palæſtinæ Monaſteriis duxit, & Joanni Moſcho diu ſe adjunxit Socium in peregrinationibus. Romà reverſus, & mortuo S. Modeſto, ad ſedem Hieroſolymitanam promotus eſt anno 635. Stephanum Dorenſem Epiſcopum ad ſedem Apoſtolicam adverſùs Monothelitas delegavit, eò quòd ipſe propter incumbentem Saracenorum incurſionem id corporaliter agere præpediebatur. Cum decimum annum ſui Patriarchatûs numeraret, eum obiiſſe menſe Martio 645. conjectat Papebrochius ex diſputatione, quam Pyrrhus, Monothelitarum deſenſor, habuit cum S Maximo menſe Julio, *Indictione tertia*, id eſt anno 645. accuſans *Sophronium, paulò ante Patriarcham Hieroſolymarum, tempare impartuno excitaſſe ſermonem de operationibus.* Quæ verba recèns defunctum videntur ſignificare.

Menæorum (*n*) inſtaurator S. Sophronius audit. Sunt autem Menæe Eccleſiæ Græcæ duodecim codices, quibus continentur per ſingulos ſingulorum menſium dies, variæ Dei & Dei-paræ Virginis ac Sanctorum Laudes in Templis Græcorum, ſub diverſis Officiis decantari conſuetæ. Porrò collatis diebus Menæorum cum diebus per Sanctum Sabam in Rituali ſeu (*o*) *Typico* ordinatis, manifeſtè apparet, Cantica omnia, quæ S. Sabas in *Typico* tamquam in *Indice* notaverat primis tantum verbis, integerrimo textu, & eodem prorsùs ordine in Menæis eſſe collocata, quo ea S. Sabas in *Typico* deſignaverat. Cum verò ſucceſſu temporum, maximè autem graſſantium barbarorum furore, Menæa quemadmodùm & *Typicum* ſeu Rituale, penè interiiſſent, à Sophronio, deindè à Joanne Damaſceno priſtino nitori reddita ſunt, additis ab utroque plurimis Odis in laudem Sanctorum, qui poſt Sancti Sabæ tempora vixerunt.

Anno 646. Dorotheus, (*p*) Solitariorum & Anachoretarum Præfectus, aliquot Epiſtolas ſcribebat, quarum in penultima Abbatem Paſtorem citans aiebat : *Præclarè Abbas Paſtor intellixit illud, ne quis curet de craſtino.* In ultima autem Epiſtola ad imbecilliorem quemdam Fratrem, cogitantem de Procuratore qui temporalia Monachis adminiſtrabat, ſic loquitur : *Quod ad neceſſitatem corporis attinet, ſi quis dignus refocillotione ſit, etiam Saracenarum corda flectet Dominus, ut faciant cum ea miſericardiam, juxtà neceſſitatem ipſius.*

Dorotheum hunc Seniorem eſſe S. Joanne Climaco, indicant verba Epiſtolæ penè ultimæ; ſi Abbas Paſtor is ſit, ad quem ſcripſerit Joannes Climacus. Poſtremæ autem Epiſtolæ verba innuunt præſatum Dorotheum ſcripſiſſe poſt Saracenorum imperium, longe latèque in partibus Syriæ & Paleſtinæ dilatatum.

Anno 650. vivebat Joannes, Auctor Hiſtoriæ Sanctorum Barlaam & Joſaphat, quam alii Joanni Climaco, alii Joanni Damaſceno, alii Joanni Abbati Montis Sinaï adjudicant. Hujus autem Hiſtoriæ Auctor, *cap 12.* eadem ferè verba exſcribit, quæ (*q*) in Prologo vitæ S. Pachomii leguntur de origine vitæ Monaſtices; ſcilicet hujus Philoſophiæ principes fuiſſe magnum Antonium & venerandum Pachumium, *magni Eliæ, atque Eliſei, necnan Sancti Jaannis-Baptiſtæ æmulatores.*

Anno 680. (*r*) Joannes, Carpathiorum in Aſia minori Epiſcopus, ſcripſit Epiſtolas conſolatrices, ſive *capito paracletica* ad Monachos, quos novimus fuiſſe propagines Aſcetarum Æthiopiæ, Indiæ, deſerti Cellarum, Scheti & Ægypti; ſicuti jam innuimus ſuperiori *num. 36. ad annum 535.*

Anno 690. non omittendus eſt tam antiquior Leontius Byzantinus, Lauræ S. Sabæ Monachus propè Urbem Hieroſolymam. Hic Leontius, cujus aſceticæ vitæ initia Caſimirus Oudinus (*ſ*) aſſignat ad annum 604. laudatur in ſeptima Generali Synodo, *Actiane quartâ*, his verbis : (*t*) » Hic, qui lectus eſt pater, in una Urbium Cypri, decore ſanctiſſi- » mo claruit, & multa præconia & feſtivos ſermones habemus : cum quibus eſt etiam ſer- » mo ejus in Transfigurationem Salvatoris noſtri. Conſcripſit autem & vitam S. Joannis

(*l*) Papebrochius, in *Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolimit. tom. 3. Maii, pag. 32. num. 141.*

(*m*) Idem Papebrochius, *Ibidem pag. 32. num. 142. & die 11. Martii.*

(*n*) Pagi *in Critica Baronii, tom. 2. ad annum 636. num. 4.*

(*o*) Vide *ſuper. num. 36. ad annum. 531.*

(*p*) Oudin, *tom. 1. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, pag. 1634. & 1635.*

(*q*) Super. *num. 111. Paragrapho primo.*

(*r*) Oudin, *tomo citato, pag. 1670.* Guillelmus Cave, *in Hiſtoria Litteraria, pag. 402.* Bulteau, in *Hiſtoria Monaſtica Orientali, pag. 864.*

(*ſ*) Oudin, *tom. 1. citato, pag. 1575. & 1576.* Cave, *Hiſt. Litter. cap. 352. & 353.*

(*t*) Evagrius, *Lib. IV. cap. 35. tomo 6. Concilliorum;* Edit. Labbean. *pag. 246.*

» Archiepiscopi Alexandriæ, cognomento Eleemonis, id est Misericordis : Quin & S. Simeonis Simplicis, & alia quædam. Atque in omnibus suis Orthodoxus cernitur. » Floruit temporibus Imperatoris Mauricii, qui anno 602. occisus est.

Distinguendus est hic Leontius, qui Neapoleos, vulgò *Lemissæ* vel *Nemosiæ* factus est Episcopus, ab altero Leontio, qui præfecturam accepit Monasterii S. Euthymii, & hujus vitæ scriptorem Cyrillum Scythopolitanum Fratribus hujus Monasterii aggregavit, sicuti dictum est superiori *num. 35. ad annum 529.*

PARAGRAPHUS DECIMUS-TERTIUS.

Octavo Seculo Successionis Elianæ monumenta subsistunt.

XLII. Quamvis Saracenorum dominium in Ægypto, Syria & Asia tum Christianorum tum Monachorum paci & habitationi tranquillæ plurimum hoc Seculo & Seculis futuris obstiterit, non deficiunt tamen vestigia Monasteriorum, aut Laurarum illic perseverantium, in quibus Monachi aut Eremitæ manserint, vel indè aliò transmigraverint.

Anno 705. S. Joannis Damasceni præceptor (*u*) Joannes, Patriarchæ Anastasio successit in sede Hierosolymitana. Joannes autem Damascenus in Laura S. Sabæ vitam exercuit Monasticam, cujus Socium & sequacem habuit Cosmam, qui ex Abbate factus posteà est Episcopus Majumensis circà annum 730.

Anno 713. florebat (*x*) Joannes in monte *Siope* Bythiniæ, qui & Carmelus aliquandò dictus est: ubi S. Auxentium habitasse annotavimus *superiori num. 34. ad annum* 470. Post obitum S. Auxentii, Sergius ejus discipulus in eadem spelunca commoratus est, cui successit Vindemianus : Vindemianum secutus est Gregorius, quem excepit præfatus Joannes.

Anno 715. Solimanus (*y*) Abdelmelici filius, Mahumedanorum Califa, ad regendam Ægyptum misit Asamam antecessoribus crudeliorem, qui vetuit ne Monachi fierent ulli, & ad habitum nemo suscipiendum admitteretur. Omnes Monachos censu habito numeravit, eosque manicam ferream in dextera ferre jussit, ut agnoscerentur, inscripto simul Ecclesiæ nomine aut Monasterii ; & si qui fugientes, aut absque manica ferrea reperirentur, eos aut membris truncatos inutiles reddebat, aut oculos eruebat.

Anno 719. è medio sublatus est (*z*) Omar nomine secundus, seu Homar vel Humar, aut Amrus, Abdel-Azizi filius, & Solimani Califæ successor, qui auditâ Tyrannide quam Asama in subditos præsertim Monachos exercebat, in Ægyptum misit, & comprehendit eum, & collo ejus injecit torquem ferream, manibus autem pedibus compedes ligneas ; atque ita cum portaretur, sub tormento in viâ obiit.

Omarus initio imperii benignus ergà Christianos fuit, Ecclesias & Episcopos à tributis immunes esse voluit. Sed paulò post, litteras misit, quibus edicebat, ut qui securi in Ægypto & Syria manere vellent, Mahumedanam religionem amplectentur ; qui nollent, regione exederent. Omari nomine primi Califæ, qui Sanctam civitatem Jerosolymam cœperat anno 637. renovavit Edictum, quo Judæi & Christiani prohiberentur ne vestimenta sine segmentis furvi coloris induerent, & ne cidares candidas capiti imponerent.

Anno 720. S. Stephanus (*a*) junior clarere cœpit in monte S. Auxentii. Quemadmodùm autem, inquit ejus vitæ scriptor, Eliâ assumpto, confestim Eliseus melotes & gratia in duplo agnitus est ; simili modo, Joanne ex hac vita egresso, ejus vivendi moris, loci & gratiæ in duplo multò cumulatiùs heres fuit venerandus Stephanus.

Anno 730. Bartholomæus inter Edessæ Monachos, quorum decessores instruxerat S. Ephrem, eamdem philosophiam edoctus, scripsit confutationem *Hagareni* seu Mahumedicæ Legis, quam Al-*Coranum* vulgò vocant.

Anno 735. (*b*) Sinaïtæ Monachi, ob Saracenorum incursus, in Bythiniam Dei monitu aufugerunt ad montem *Latrum*, cujus mentio facta est *superiori num. 39. ad annum 570.* In isto monte invenerunt Lauram & Ecclesiam *S. Eliæ nomine* dicatas. Vide inferiùs ad annum 959.

Anno 740. Stephanus (*c*) Abbas, ex Oriente profectus, à puero religiosam vitam æmulatus, cœnobia virorum ad Jordanis solitudinem habitantium, & Sanctorum Euthymii, Sabæ & Theodosii asceteria lustravit ; & exploratâ singulorum vivendi ratione, posteà Leone Isaurico imperante, Constantinopolim venit, hospes à Sanctissimo Germano acceptus ; apud quem aliquandiu moratus, plurima ab eo didicit, magnumque indè fructum percepit, atque in rebus agendis circà reformationem Monasteriorum eidem Germano subditorum perficiendam ad normam Cœnobiorum Palæstinorum, salutari consilio illum

(*u*) Papebrochius, *in Historia Chronologica Patriarchar. Hierosolymit. citatâ, pag. 35. num. 157.*
(*x*) Vita S.ti Stephani junioris, in *Analectis Græcis, pag. 417.*
(*y*) Renaudot, in *Historia Patriarcharum Alexandrinorum, pag. 198.* Herbelot, *in Bibliotheca Orientali, pag. 821. col. 1.*
(*z*) Idem Renaudot, *ibidem.*
(*a*) Vita S. Stephani citata, *pag. 425.*
(*b*) Baronius, *tom. 10. ad annum 956. num. 8.*
(*c*) Idem Baronius, *tom. 9. ad annum 730. num. 7.* Bollandus, *die 14. Januarii, pag. 976.*

adjuvit. Hinc illud Monasterium, quod *Anserum lacus* dictum est, in quo ipse vixit, & magno Monacborum auxit numero; & ad disciplinam præditorum Ascetarum Palæstinorum ità piis exhortationibus adduxit, ut ad perfectionem pristinam singuli alacriter properarent.

Anno 746. mensis Januarii die decimo octavo, horâ quartâ, magnus terræ motus in Palæstina, circâ Jordanem, & in omni Syria factus est; adeò ut multæ hominum myriades penè infinitæ perierint, & Ecclesiæ Monasteriaque conciderint, & maximè circâ Sanctæ Civitatis solitudinem. (*d*)

Anno 746. Christianorum hostis (*e*) Merwan Ægyptum invadens, delusus est à Sanctimoniali quadam captiva: quæ ne violaretur, unguentum ei promisit adversùs vim cujuscunque gladii, idque in suo collo experiri jussit, ptout fecit; sed eo successu, qui monstraret maluisse eam mori quàm pollui.

Sanctimonialium autem statum ne putaveris hoc seculo incœpisse. (*f*) Philo Judæus commemorat Therapeutides, quæ in semneis & asceteriis manentes, ad extremam usque senectutem virgines perseverant. S. Ignatius Martyr, in Epistola ad Smyrnæos, salutat Virgines. S. Victuria, (*g*) quæ sub Decio Imperatore Martyrium passa est, Monasterio constructo, mater septuaginta Virginum facta est. (*h*) S. Antonius Sororem suam Virginibus notis sibi atque fidelibus commendavit, atque ad Parthenonem duxit, ut illic educaretur. S. Pacbomius (*i*) imperavit suis Monachis, ut Sorori suæ procul à se Monasterium construerent. Quod ubi factum est, convenerunt ad eam plurimæ, & brevi tempore magnæ multitudinis Mater effecta est. (*k*) Maximianus furebat in omnia Asceteria; & omnia crudeliter dirui jubebat; Virgines verò turpiter probris afficiebantur. In Perside, (*l*) sub Sapore Rege circâ annum 325. innumerabilis multitudo virginum, pro fide Catholica martyrio consummata est. S. Basilius, vel Auctor libri de virginitate; *Cum ferveret*, inquit, *persecutionis immanitas, electæ virgines ad illudendum impus hominibus traditæ, corporibus inviolatæ perdurarunt.*

In civitate Ancyra Galatiæ, inquit Palladius, (*m*) erant multæ aliæ virgines, nempè ad duo millia, vel plura, quæ exercebantur asceticè, & in omni virtutis institutione militabant. Notus est (*n*) Elias, qui in Athlebe civitate magnum ædificavit Monasterium, in quo trecentas Virgines, in omnibus curam gerens, suppeditans omnia, quæ ad usum pertinent necessaria. Notum est (*o*) Monasterium à Melania Seniore Hyerosolymis anno 378. ædificatum, in quo virgines quinquaginta degebant. Notus est mos, de quo loquitur S. Hieronymus, (*p*) in Ægypti & Syriæ Monasteriis, ut virgines crinem Monasteriorum matribus offerrent descandum, tecto posteà incessuræ capite, ligato pariter ac velato. Notum est Monasterium Sanctæ Euphraxiæ, in quo septuaginta virgines anno 423. divinum certamen currebant. Notum est in urbe Hierosolymitanum, ad quod accessit Imperatrix (*q*) Eudocia, Melaniam juniorem visitatura. Notum est Montis Siope Monasterium anno circiter 460. à S. Auxentio ædificatum, in quo Eleutheria & Cosmia nobiles, & in Aula S. Pulcheriæ Imperatricis insignes, originem dederunt Parthenoni Monialium septuaginta.

XLIII. Anno 750. (*r*) Anastasius, Monasterii Sancti Eutbymii in Palæstina Abbas, S. Joanni Damasceno præbuit occasionem scribendi Opusculum de *Trisagio*, illud totum ad filium Dei referens, & Petri Cnapbei hæresim imprudenter fovens.

Anno 726. Bagdadius Eremita honorificè habebatur in Chaldæa, ubi ejus nomine jussit ædificari civitatem *Bagdadum* in ejusdem Eremitæ tugurio Abu-Giafar-Almanfor, è Dynastiæ Abassidarum secundus nomine. Quâ autem ratione Chaldæi Monachi Elianum ad institutum pertinuerint, dictum est superiùs ad annùm 535. idque confirmatur opinione Baronii (*s*) non sulùm proponentis vitam Monasticam tanquam ab Elia Propheta ortam, & à S. Antonio edoctam, sed etiam asserentis (*t*) discipulos S. Antonii tamquam palmites replevisse terrarum orbem tam sanctâ propagine, nimirum in Palæstina, Syria, Asia minore, Cappadocia, Ponto, Mesopotamia, usque ad latrones Bessas & Dacos &c. De Bagdadensis porrò urbis ædificatione legere poteris Elmacinum, *Lib. II. Saracen. Histor. cap.* 3. Franciscum Pagi, *tom.* 3. *Critic. Baronii, pag.* 317. *num.* 7. Bartholomæum d'Herbelot, in *Bibliotheca Orientali, pag.* 163. Claudium Fleury, *tom.* 9. *Histor. Ecclesf. Lib. XLIV. num.* 9. *pag.* 478.

(*d*) Theophanes apud Fraciscum Pagi, *in Critica Baronii, tom.* 3. *pag.* 268. *num.* 1. *col.* 2.

(*e*) Papebrochius, in *Historia Chronologica citata, pag.* 34. *col.* 2. *num.* 152.

(*f*) Philo, *Lib. de vita contemplativa*, apud Eusebium Cæsariensem, *Lib. II. Hist. Eccles. cap.* 17.

(*g*) Petrus de Natalibus, *Lib. I. cap.* 83. apud *Tillemontiam, tom.* 3. *pag.* 329. 704.

(*h*) S. Athanasius, in *vita S. Antonii, num.* 3. *pag.* 796.

(*i*) Vita S. Pachomii, *cap.* 3. apud Bollandum *die* 14. *Maii, pag.* 304. *col.* 2. *num.* 22.

(*k*) Baronius, *tom.* 2. *ad annum* 301. *num.* 31.

(*l*) Sozomen. *Lib. II. Hist. Eccles. cap.* 13.

(*m*) Palladius, *in Historia Lausiaca, cap.* 133.

(*n*) Idem, *ibidem cap.* 35.

(*o*) Idem, *ibidem cap.* 118.

(*p*) Hieronymus, *in Epistola ad Sabinianum* 93. olim 48. anno 409. scripta.

(*q*) Tillemont, *tom.* 6. *Hist. Imperat. pag.* 81. 86.

(*r*) Papebrochius, *in Historia Chronologica citata, pag.* 35. *num.* 156.

Oudinus, *tom.* 1. *de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag.* 1796.

Fleury, *tom.* 9. *Hist. Eccles. Lib. XLII. num.* 42. *pag.* 316.

(*s*) Baronius, *tom.* 3. *ad annum* 340. *num.* 7. & 8.

(*t*) Idem, *ibidem* seu *eod. tom.* 3. *ad annum* 328. *num.* 18.

Anno 765. (*u*) S. Stephanus junior Constantinopoli coronatus est Martyrio. Is in vertice Montis Siopæ, S. Auxentii Eremnm seu potiùs caveam effodit, in qua (*x*) *novus iste Eliseus*, inquit ejus vitæ Scriptor, *antiqui Eliæ, ut in Monte Carmeli, melotâ angustius tabernaculum fixit.*

Anno 767. S. Joannis Damasceni obitus adjudicari (*y*) potest, quia S. Stephani junioris defuncti laudes cecinit. Inter Sabaïtas in solitudine vivens, doctos Libros scripsit, quorum vim ferre non valens Constantinus Copronymus, absentem primùm annuo cœpit ferire anathemate; deindè propiùs congredi ausum exiliis, carceribus maceravit: à quibus, anno 775. mortuo Copronymo, solutus Joannes, clam reversus est Constantinopolim; neque multò post vitâ excessit, prius saltem quàm imaginibus cultus suus & pax Orthodoxis redderetur, quibus sub Leone Chazaro, Copronymi filio, quædam veluti induciæ obtigerunt, mitigatâ quæ priùs ferbuerat persecutione.

Jam animadvertimus ad annum 531. & 646. quomodo (*z*) S. Sabas divinum Officium in certum quemdam *Typum*, seu *formam* Scriptis traditam, reliquerit, quam à Sanctis Euthymio & Theoctisto per traditionem acceperat: hi porrò à majoribus suis & Charitone præsertim Abbate desumpserunt. Hanc vero divini Officii normam, à S. Saba in literas missam, cum ob irruptionem vastantium omnia barbarorum interiisset, S. Sophronius studio, laboreque suo restituit; ac post eum S. Joannes Damascenus renovavit, & denuò in literas misit, qui Græcos Ecclesiasticæ Hymnodiæ Libros sic restituit, ut videatur ei tribui posse, quidquid de Sanctis aut festis, ætatem ejus præcedentibus, absque auctoris nomine continent. Hinc est quod Simon Wagnereckus, (*a*) post Leonem Allatium existimet *Typicum Hierosolymitanum pro nomothetis habere Sanctos Sabam & Joannem Damascenum.*.

Anno 780. S. Andteas florere desiisse creditur. Ex Urbe Damasco oriundus, sed Hierosolymitanus sæpissimè appellatus, propter vitam Monasticam quam in regione Hierosolymitana duxit, Ecclesiæ Cæsariensis in Cappadocia fuit promotus: sed quo anno non conveniunt Scriptores. Eum enim dicunt floruisse anno 712. Claudius Florus, *tom. 9. Hist. Eccles. Lib. XLI. num. 23. pag. 167.* Franciscus Pagi, in *Critica Baronii, tom. 3. ad 712. pag. 175. anno 720.* Philippus Labbeus, *Lib. de Scriptor. Ecclesiasticis*: Anno 850. Casimirus Oudinus, *tom. 2. de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 174.* Anno 680. Guillelmus Caveus, in *Historia Litteraria, pag. 350.* annu 761. adrianus Baillet, *in vitis Sanctorum, ad diem 17. Octobris.*

Anno 785. Monachi (*b*) Syriæ, in quos primi inciderunt Legati à Tarasio Constantinopolitano Patriarcha ad Patriarchas Antiochenum, Alexandrioum & Hierosolymitanum missi ad Synodum Nicænam hos convocaturi: Hi, inquam, Syriæ Monachi, sibi, Legatis & suis Patriarchis ab ea legatione metuentes, utpotè ansam daturâ suspicantibus & crudelibus Mahumedanis, consilio inter se inito, ipsorum Patriarcharum nomine, cum Legatis remittendos ad Synodum censuerunt illorum Syncellos; quibus & literas suas tradiderunt, quas legere est *tom. 7. Conciliorum, pag. 171.*

Anoo 709. septimæ Synodo Œcumenicæ intersuere plures Monachi Joannes & Thomas, à Patriarchis Antiocheno & Alexandrino deputati, Theodoretus à Hyerosolymitano, Plato Hegumenus *Sacundionis*, alter *Elias* vocatus, Theophanes auctor Chronographiæ, Euthymius Sardium in Lydia Metropolita; & alii plures, quorum nomina refert Franciscus Pagi, *tom. 3. Criticæ Baronii, pag. 378. num. 2.* necnon Philippus Labbeus, *tom. 7. Conciliorum in Actis Synodi Nicænæ, Actione 1.*

Anno 796. orto dissidio (*c*) in Palæstina inter Saracenorum Principes & Calisas, bifariam exercitibus constitutis, varias urbes vastaverunt Saraceni. Depopulati sunt Eleutheropolim, Ascalonem, Gazam, Sariphæam, abductis in captivitatem universis. Tandem tempore Quadragesimæ ad Lauram Sancti Sabæ accessere; cumque frustrà peterent pecuniam, quam Monachi non habebant, telorum imbres in eos effudere, quibus triginta circiter (*d*) Sabaïtæ patres sauciati sunt, lethaliter plerique. Iterùm posteà in Lauram irruerunt, & demum Monachos viginti intrò inclusos copioso fumo diu cruciarunt, & exanimarunt.

Anno 798. S. Plato, (*e*) à S. Theodoro Studita vocatus *suus Elias*, propter barbaræ gentis incursionem, ex priori Monasterio *Symbolorum* Montis Olympi, cujus mentio facta est ad annum 720. Constantinopolim ad venit: ubi ad regimen habendum teneretur, vitam Reclusam

(*u*) Vide superius *ad annum 720.*

(*x*) Vita S. Stephani junioris, in *Analectis Græcis, pag. 433.*

(*y*) Papebrochius, in *vita S. Joannis Damasceni die 6. Maii, tom. 2. pag. 110. col. 2. num. 44.*

Baillet, *Vie des Saints le 6. Mai.*

Fleury, *tom. 9. Histor. Ecclesiast. Lib. XLII. num. 42. pag. 321.*

(*z*) Papebrochius, *tom. 2. Maii citato, pag. 111. col. 1. num. 17.*

(*a*) Wagnereckus S. J. Presbyter, in *Prologomenis ad Marianam Græcorum pietatem.*

(*b*) Papebrochius, in *Historia Chronologica citata, pag. 38. col. 2. num. 169.*

Fleury, *tom. 9. Lib. XLIV. num. 26. pag. 515.*

(*c*) Pagi, in *Critica Baronii tom. 3. pag. 411. num. 30.*

(*d*) Bollandistæ *ad diem 20. Maii.*

(*e*) Vita S. Platonis, *cap. 5. die 4. Aprilis, tom. 1.* Bollandist. *pag. 367. & seqq.*

clusam elegit in cella tam angusta, ut æstativo tempore adeò calida, ut altera Babylonica fornax crederetur, propter inflammationem & ardorem plumbi, quo tegebatur.

Anno 799. Georgius Hierosolymitanus Patriarcha sedulò cogitans & vehementer oprans Christianos Principes ad Terræ-Sanctæ liberationem excitare, Monachum misit, qui (*f*) *de Hierosolymis veniens, Reliquias multas ottulit* Regi Francorum & Longobardorum Carolo, *qui eumdem Monachum remisit, & cum eo Zachariam Presbyterum de Palatio suo, & per illum multam pecuniam misit per illa Sancta loca, ubi Dominus noster corporaliter est conversatus.*

Anno 800. Idibus Decembris, » Zacharias (*g*) Presbyter cum duobus Monachis, uno » de Monte Oliveti, altero de Bethleem, Romam venit. Quos Episcopus Hierosolymita» nus ad Regem Carolum direxit: qui benedictionis causâ claves etiam civitatis cum ve» xillo detulerunt. Quos Rex benè suscipiens, aliquot dies secum detinuit, & mense Aprilis » remuneratos absolvit.

PARAGRAPHUS DECIMUS-QUARTUS.

Seculo nono Successionis Eliæ Series perseverat.

XLIV. Anno 801. vivere desierat *Stephanus* (*h*) *Sabaita* ideò dictus à Laura S. Sabæ, in qua diu vixit. Is Sancti Joannis Damasceni nepos & Thaumaturgus appellatus, Eliæ restitutionem ad sedem Hierosolymitanam prædixerat, sicut reipsâ contigit anno 795. & duobus post eam annis defunctus est ipse Joannes.

Anno 805. Monachos sexaginta (*i*) è Patalaria insula in Hispaniam asportatos Mauri vendiderunt: Eorum autem aliqui per liberalitatem Imperatoris Caroli Magni ad sua loca reversi sunt anno sequenti. Patalariæ extrà Gangem in India, insulæ Monachos fuisse propagines Monachorum Æthiopiæ, Scethi, Nitriæ & Ægypti probant monumenta, quæ superiùs allata sunt ad annum 535.

Anno 807. Legatus (*k*) Regis Persarum, nomine Abdella (hunc sub nomine Haronis vel Aaronis sæpiùs appellamus) cum Monachis de Hierusalem ad Carolum Magnum XI. Kalend. Septembr. pervenerunt, Legatione Thomæ Patriarchæ fungentes; quorum nomina fuere Georgius & Felix. Georgius Abbas erat de Monte Oliveti, & erat natione Germanus.

Anno 809. Harone defuncto (*l*) Califa, duo ejus filii de Imperio certantes non solummodò inter se euncta cæde miscentes, sed Christianos cædibus, incendiis, rapinis infestantes, magnorum malorum causa fuere. Ac per hoc Ecclesiæ, inquit Theophanes, quæ in Sancta erant civitate, desertæ factæ sunt; & Monasteria duarum, videlicet memoriæ, Charitonis & Cyriaci, atque S. Sabæ, necnon & reliqua Sanctorum Cœnobia Euthymii & Theodosii, quæ erant in desertis Palæstinæ, pariter Monachis destituta fuere ad annum usque 813.

Eam (*m*) calamitatem prædixisse dicitur *Joannes* quidam *Reclusus* in Monasterio Nitriæ, finem accepturam vaticinans sublatis tyrannis, sed majori aliâ calamitate, quod ita successit. Nam ex Romanorum insulis, hoc est ex Archipelago, vel etiam ex omni tùm Græcorum quàm Latinorum ditione collectus exercitus (*n*) Alexandriam appulit, urbemque depopulatus est, tum multa captivorum millia in servitutem abduxit, quos inter inventi sunt sexenti & ampliùs Monachi, qui ad *Stagnum Mariam* commorabantur, heredes aut successores Therapeutarum, aut Essenorum, quorum Monasteria suam ad ætatem perseverasse scribebat Joannes Cassianus, *Lib. II. Institut. cap. 5.*

Anno 813. Theophanes (*o*) suam absolvit Chronographiam. Constantinopoli natus anno 758. *Polydironium* Monasterium propè *Sigrianam* petit anno 780. ac Monasticam vitam deinceps coluit. Ex Polydironio in *Calonimum* insulam discessit, ubi paterno prædio in Monasterium commutato, sexennium egit. Indè regionem Sigrianam repetens, prædium quod *Ager* vocabatur, comparavit; constructoque Monasterio, ipse Abbatis vicem obiit, & ideò à posteris Theophanes, *Agri Abbas*, aliquando denominatus est; atque à malis quæ pro cultu Sanctarum imaginum passus fuit, *Confessor* dictus. Anno 817. vel 818. fractus miseriis & ærumnis, ad Samothracem insulam relegatus, diem supremum obiit.

Anno 820. S. Theodorus (*p*) Studita scripsit ad Hierosolymitanum Patriarcham Tho-

Tom. I. i

(*f*) Annales Metenses *apud Duchesnium, tom. 3. pag. 288.*
Papebrochius, *in Historia Chronologica citata, pag. 40. num. 174.*
(*g*) Annales Metenses, *loco citato, pag. 289.*
Papebrochius, *loco citato.*
Baronius, *tomo 9. ad annum 800. num. 31.*
Fleury, *tom. 10. Lib. XLV. num. 22. pag. 40.*
(*h*) Pagi, *tom 3. citato, pag. 379. num. 6.*
Papebrochius, in *Historia Chronologica citata, pag. 39. num. 172.*
Bollandistæ, *die 13. Julii.*

(*i*) Annales *Metenses* citati, *pag. 293.*
(*k*) Iidem Annales Metenses, *apud Duchesnium, tom. 3. pag. 292.*
Papebrochius, in *Historia Chronologica citata, pag. 448. num. 4.*
(*l*) Baronius, *tom. 9. anno 800.*
(*m*) Pagi, *tom. 3. citato, pag. 473. num. 23.*
(*n*) Renaudot, in *Historia Patriarcharum Alexandrinorum, pag. 251.*
(*o*) Oudinus, *tom. 2. de Scriptoribus Ecclesiasticis, pag. 19.*
(*p*) Baronius, *tom. 9. anno 817. num. 41. & 45.*

mam, ſignificans quanta paterentur in Oriente Sanctarum Imaginum defenſores. Alias addidit ad Moderatorem Lauræ S. Sabæ, hoc titulo inſcriptas : *A Deo honorato, dilecto & ſpirituali Potri meo, Moderotori celebris Lauræ beatiſſimi Patris noſtri Sabæ, & iis qui ſub eo ſunt Sanctis Patribus Theadorus minimus presbyter & præpoſitus ſtudiani.* Alias quoque iis adjunxit literas ad Abbatem Lauræ Sancti Charitonis, ejuſdem pariter argumenti.

Quàm altè fuerint menti S. Theodori inſculpta Eliæ Propbetæ exempla, S. Antonii & S. Baſilii præcepta, clamant ejus ubique admonitiones & hortamenta.

Nam Catecheſi X. (*q*) notat Martyres obedientiæ ac pietatis eſſe omnes, quotquot vitam obeunt divinam, de quibus ait Apoſtolus : *Circuierunt in melatis, in pellibus caprinis, &c.*

Catecheſi XXVIII, (*r*) monet *ut juxtà præceptum Divi Antanii comparemur procincti ad iter; ne quis deinceps dies temerè atque diſſalutè labatur, qui inertem nabis & ſine fruge vitam conſumat.* Hanc autem vigilantiam ex imitatione vatis Eliæ hauſit S. Antonius, ſicut animadvertimus ſuperiùs ad apnum 563. ubi de Sancto Dorotheo egimus.

Catecheſi LV. (*ſ*) de Abſtinentia S. Theodorus ait : *Fabulæ ſanè quidem haud nos Dominus juſſiſſet panem paſcere quotidianum perpetem; non Elias quotidie in deſerto epulum à corva, non Poulus qui ante Divum Antonium ſalitudinem incaluit, diurnum panem divinitùs accepiſſet, non magnus Antanius plus diurno oc ſeptimano jejunio prætuliſſet quotidie paulò quàm neceſſitas fuerat, comeſſe minus.*

Aſt indè minimè ſuſpiceris Regularum diverſitatem officere nnitati aut denominationi Eliani inſtituti. Nam, ut animadvertit Lucas Holſtenius, (*t*) *Illæ* Regulæ *à ſingulis, ut præſens uſus paſcebat, Patribus ſcriptæ in commune proponebantur; ut ex his quique, pro locorum & nationum differentia, vitam uniformi, quood præcipua, diſciplinâ temperorunt;* remanente antiquioris Eliani denominatione inſtituti æquè ac origine.

Anno 821. In Laura S. Sabæ florebant duo pietate ſimul & eruditione celeberrimi Fratres, (*u*) *Theodorus* cognomine *Graptus*, & ejus germanus *Theophones.* Thomas autem Hieroſolymitanus Patriarcha, zelo accenſus pro Sanctarum Imagioum cultu, ad earum defenſionem valdè aptum invenit Theodorum; ut qui & virtute eſſet celebratus, & in dicendo exercitatus, & Zelum ſpiraret ferventem ac juvenilem. Et reipsà Theodorus, *Ecce me,* dicit Pontifici, *mitte me, & proficiſcar; & tuis adjutus precibus, pudore afficiam impietatem.* Illum igitur Antiſtes mittit cum Theophane, qui eum ſequeretur Conſtantinopolim, & quæ erant fraterna ſentiebat, & pro pietate cum eo conſpirabat.

Imperator autem Leo Armenus in iram & furorem erumpens, ambos diu flagris cœſos ad Ponti oſtia exilio relegandos decernit. Eo autem necato, Conſtantinopolim venerunt, anno 821. & cùm rursùs liberè defenſionem ſacrarum imaginum prædicarent, à Michaële (*x*) Balbo iterum pulſi ſunt civitate.

Anno 829. Abrahamitæ (*y*) Monachi, ab Abrahamio Abbate aut potiùs fundatore (de quo egimus ad annum 607.) ſic appellati, dura propter ſacrarum imaginum cultum, multa perpeſſi à Theophilo Imperatore, cui & vitæ Monaſticæ antiquitatem à tempore Apoſtolorum ſtantem probarunt, relegati ſunt ad Pontum-Euxinum, ubi flagris tamdiu cœſi ſunt, ut extremum ſpiritum paulò poſt exhalarint. Abrahamius (*z*) autem ſucceſſoribus Elianis adjungitur; quia Cœnobii S. Mariæ prope Hiericuntem Antiſtes ſive Abbas fuerat, priuſquàm ad ſedem Epheſinam promotus, Monaſterium Conſtantinopoli condidiſſet.

Anno 835. Theodorum & (*a*) Theophanem Imperator Theophilus, cujus impietatem arguebant, juſſit ſibi ſiſti, & eorum non ſolùm vultibus, ſed & pectori carmina inſcribi, tamquam ſi viri ſeditioſi eſſent, eoſque in exilium egit; ubi Theodorus poſt quadriennium obiit Apameæ in Bythinia. Hi porrò dno Fratres *Grapti* cognomine dicti ſunt : quia ïambis verſibus inſcripti facies, punctim cute ad carnem ac aſperſo atramento; eo ferè modo quo Turcæ hodiè Chriſtianos inviſentes loca ſacra ad pugnum inſcribunt.

Anno 840. Theophanes (*b*) Theodori Grapti Frater, à Methodio Conſtantinopolitano Patriarcha Epiſcopus Nicænus ordinatns eſt. » Cum autem quidam eam ægrè ferrent ordinationem, atque dicerent : Homo Syrus eſt; & quis novit an ſit Orthodoxus, cum nemo ei teſtimonium deferat. Ad quos Methodius : Ego nullum aliud meliùs teſtimonium deſidero quod ille præfert, oſtendens ïambis inſcriptum vultum.

Anno 846. (*c*) S. Joannicius vivebat Anachoreta in Monte Olympo, ubi S. Plato, S. Theodorus Studita, S. Auxentius, S. Stephanus junior, & alii quorum habita eſt ſuperiùs

[*q*] Tom. 2. *Bibliothec. Patrum, pag.* 626.
[*r*] Ibidem, *pag.* 640. & 726.
[*ſ*] Ibidem, *pag.* 865.
[*t*] Holſtenius apud Papebrochium, *tom.* 3. *Maii, pag.* 193. *col.* 1. *num.* 20. *lineá ſeptimá.*
[*u*] Baronius, *tom.* 9. *anno* 817. *num.* 40.
[*x*] Pagi, *tom.* 3. *citato ad annum.* 821. *num.* 15. *pag.* 504.
[*y*] Fleury, *tom.* 10. *Lib. XLVII. num.* 32. *pag.* 334.
[*z*] Pratum Spirituale, *cap.* 68. & 97.

[*a*] Pagi, *tom.* 3. *citato ad annum* 435. *num.* 12. *pag.* 564.
[*b*] Pagi, *ibidem.*
Baillet, in *Vitis Sanctorum, die* 27. *Decembris.*
Fleury, *tom.* 10. *Lib. XLVI. num.* 33. *pag* 212. & 404.
[*c*] Baronius, *tom.* 9. *anno* 782. *num.* 3.
Bollandus, *tom.* 1. *Aprilis, die* 4. *in Notis ad vitam S. Platonis, pag.* 367. *F.*
Baillet, *Vie des Saints* 4. *Novembre.*
Fleury, *tom.* 10. *Lib. XLVIII. num.* 23. & 38. *pag.* 434. & 463.

mentio, magni vatis Ellæ memoriam renovaverant celebrem. Postea Joannicius Eristai in eadem Bythiniæ Provincia Cœnobii Monachus fuit & Abbas.

Anno 850. Sabas (*d*) Monachus Græcus, Sancti Joannicii discipulus, vitam ejus scripsit, quæ extat Græcè manuscripta in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter Codices Historicos Græcos, *Codice XIX.* Eamque in pergameno scriptam servari in Bibliotheca Sfortiana, & in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi, asserit Bernardus de Montfaucon, in *Bibliothecæ Bibliothecarum Manuscriptorum tom. 1. pag. 500. col 1. C.* & *pag. 700. col. 1. E. &c.*

Anno 860. Georgius (*e*) *Hamartolus*, Monachus Græcus, quem Latino eodem cognomine *Peccatorem* appellamus, quo passim ad sui contemptum exprimendum Græci & Latini Monachi à seculo nono ad seculum duodecimum utebantur, scripsit *Chronicum* ex variis auctoribus & interpretibus sacris *contextum*, ab exordio mundi usque ad annum circiter 866. In hoc autem Chronico, ad tempora Claudii Imperatoris animadvertit *Essenos* propagasse *vitam duram* quidem, *solitoriam & laboriosam, sed piam & sanctam.* Quapropter à nostro proposito alienum non est, ut Georgium in testem apellemus pro tuenda Essenorum vita Monastica.

Anno 869. (*f*) Theodosius è suo Monasterio, quod ab Hyerosolymis lapide decimoquinto distabat, ob virtutum merita raptus, ad sedem hujus Sanctæ civitatis Patriarchalem promotus fuit, *super omnes Christianos, qui sunt in Terro Pramissionis*, inquit Bernardus Francus, cujus loca Sancta sequenti anno visitantis Itinerarium vulgavit Joannes Mabillonius, *tom. 2. seculi* Benedictini tertii, *folio 423.*

Anno 881. (*g*) Elias nomine tertius, Patriarcha Hyerosolymitanus, scripsit *ad Carolum juniorem Imperatorem, & ad cunctos Episcopos & Principes & Nobiles Regni Galliæ*, in qua notat Saracenorum adversùs Christianos vexationem adeò invalescere, *ut* MONAZONTES *fame tabescant, atque in captivitate multi non redempti deficiant.* Ast ex S. Athanasio, (*h*) ex S. Basilio, ex Joanne Cassiano & aliis Asceticis Scriptoribus novimus MONAZONTES eosdem fuisse atque solitariè viventes seu Monachos. Ii autem quorum meminit Elias Patriarcha, cum degerent in Palestina, facilè judicaveris eos extitisse successores filiorum Prophetarum, qui juxtà fluenta Jordanis casas humiles incoluerunt, successores Essenorum: successores discipulorum S. Hilarionis; & discipulos Sanctorum Charitonis, Euthymii, Theodosii, Sabæ, Cyriaci, & aliorum Abbatum Elianæ Monasticæ heredum.

Anno 882. collocari potest Arsenius (*i*) Pegadensis, vel Policarpus Asceta, vel alius quisquis auctor vitæ *S. Syncleticæ*. Is enim Scriptor refert Sententias & monitiones quæ leguntur *Lib. V. de vitis Patrum*, necnon inter monita S. Dorothei, & in Scala S. Joannis Climaci; & in aliorum antiquiorum Patrum scriptis, in quibus Elianæ successionis frequentissima celebratur memoria. Quam haud dubiè renovatura fuisse crederetur ipsa Sancta Syncletica, si constaret eam S. Antonio conterraneam coætaneam que aut paulò supparem fuisse; sicuti arbitrari videntur ii, qui pòst Nicephorum (*k*) Calixtum, vitam ejus adjudicant magno S. Athanasio. *Qui in vita Syncletices fecit, ut sicut in hoc* libro *mulieres, ita in* libro vitæ S. Antonii *quod sequerentur viri institutum, tamquam in commentario expressum, haberent.*

» Habuit autem Antonius discipulos multos probatos admodùm, inquit Idem Nice» phorus, & qui magistrum vitæ institutione, sapientiæ studio & virtute reliqua satis » feliciter retulerunt. Qui partim In Ægypto & Libya, partim in Syria & Arabia sunt » Philosophati ... (*l*) verùmenimverò auctorem divinæ istius Philosophiæ quidam lau» dant Eliam illum æmulatorem, quidam verò Joannem Baptistam. Philon autem Ju» dæus, temporibus suis Judæos quosdam, viros graves & venerandos, dicit circà La» cum Maræoticum ad Alexandriam pertinentem, novum philosophandi morem comple» xos esse: quorum domicilia, vitæ consuetudinem, aliaque omnia instituta, talia aliquis » esse ex descriptione ejus colligat, qualia prisci apud Ægyptios Monachi sunt confecta» ti .... Propè eos Virgines etiam vetulas fuisse scribit, Philoquæ Philosophiæ ejus amore, » eumdem vitæ cursum diligerent, & consilio voluntario cælibatum consectatæ vitam ita » transigerent.

Anno 886. S. Germanus (*m*) Hegumenus in Vico *Sarnie* juxtà Philippopolim in Asia minori construxit *Monasterium Cosinitrense*. Ab adolescentia Germanus veniens ad loca sancta, ad Eremum progressus est, in Monasterio S. Joannis-Baptistæ, juxtà Jordanis

[*d*] Oudin, *tom. 2. pag. 173.*
[*e*] Oudinus idem, *eodem tom. 2. pag. 81.*
[*f*] Papebrochius, in *Historia Chronologica citata, pag. 41. col. 2. num. 380.*
[*g*] Idem, *Ibidem pag. 42. col. 1. num. 381.*
Ex *tom. 2. Spicilegii Acheriani, pag. 370.*
[*h*] Athanasius, in *Epistola ad Luciferum Episcopum, pag. 965.*
S. Basilius, *De Institutis Monachorum, cap. 2.*
Cassianus, *Collatione 18. cap. 5.*

[*i*] Auctor vitæ S. Syncleticæ, *inter Opera S. Athanasii, tomo 2. pag. 709. & seqq.*
Tillemont, *tom. 8. pag. 227. 710. & 711.*
Baillet, *dans les Vies des Saints du 5. Janvier.*
[*k*] Nicephorus Callixtus, *Lib. VIII. Histor. Ecclesf. cap. 40.*
[*l*] Idem, *ibidem cap. 39. pag. 610. & 611.*
[*m*] Daniel Cardon, in *Actis Sanctorum, die 12. Maii, tom. 3. pag. 161. & seqq.*

fluenta, ubi Abbas Zozimus, qui S. Mariæ Ægyptiæ funus curavit, manserat, vitam Monasticam professus est ad annum ætatis suæ usque trigesimum, quo in confinio Macedoniæ & Thraciæ Cœnobium Cosinitrense construxit, ubi ad senilem ætatem perveniens, & suam è vita emigrationem præsentiens, suos Monachos hortatus est, » ut pacem ad » invicem inter se haberent, atque si possent cum omnibus; ut mundum vili pretio ha- » berent, & ex animo abnegarent; paupertatem volentibus animis exciperent, quia hæc » Ascetam Deo arctiùs astringit; ut senioribus obsequerentur juniores, & juniorum vitia » seniores patienter tolerarent.

Anno 887. obierat S. Josephus (n) Cantor, seu Hymnographus, Sancti Theodori Studitæ frater, & in vita Monastica socius. A S. Gregorio (o) Decapolitano & aliis Sacrarum Imaginum cultoribus Romam fuerat missus: sed nonnullis navigiis cum eo quo Sanctus Josephus vehebatur, ipse captivus in Cretam abducitur, ibique gravissimis catenis vinctus, in carcerem conjicitur. A sua captivitate reversus, Thessalonicam venit, in loco vasto, desertoque Monasterium ædificavit, in quo Elianum institutum, quod à fratre Theoduro Studita didicerat, memorare non fuit oblitus, nec inscius. Hic est Josephus, qui anno 823. visitavit in Monte Olympo (p) S. Joannicium, à quo mortem proximam suam ipsius Josephi didicit.

PARAGRAPHUS DECIMUS-QUINTUS.

Decimo Seculo Elianæ successionis hæreditas conspicitur.

XLV. Anno 940. Basilius (q) Scholiastes Homiliarum seu Orationum Sancti Gregorii Nazianzeni floruit, & ideò tanquam testis adduci potest opinionis ejusdem S. Gregorii, circa Eliæ Prophetæ vitam in Carmelo Monasticam; sicuti probant superiùs allata testimonia, ad annum 389.

Anno 944. è Cappadocia Constantinopolim (r) translatum est corpus Sancti Gregorii Nazianzeni: cujus quidem translationis anonymus coætaneus Scriptor imitationem Eliæ Prophetæ laudibus Sancti ejusdem Gregorii inserit dicens: » subitò me quædam quasi à » Sinæo monte depellunt tonitrua & fulmina cogitationum.... Quis verò mente in res » tantas intentus non cogitet aut ignem Eliæ è Cœlis prorumpentem, aut currum ig- » neum, ipsum in sublime tullentem. » Aliàs vidimus eumdem Sanctum Gregorium, Elianæ Monastices imitatorem fidelissimum.

Anno 945. S. Lucas (s) junior, Thaumaturgus appellatus *Soterii* in Attica, ubi septem annis vixerat, beatam emisit animam. Per septem annos Solitarius egerat in monte *Joannitza*, propè Corinthum sito. Sanctus autem Joannicius vitam Anachoreticam duxerat circà annum 800. in monte Olympo, quem habitatum fuisse vidimus à Sanctis Platone & Theodoro Studita, Elianæ imitationis sequacibus; prout superiùs dictum est ad annos 798. & 820. atque 846.

Anno 952. Basilius (t) in *Elea* civitate, Pergamo proxima in Asia natus, patrem habuit Anthiocum, navalis exercitus Comitem, matrem verò Eudociam, Sancti Joannicii consanguineam. Pridie suarum nuptiarum aufugit in Montem *Olympum*, & in *Laura S. Eliæ* vitam duxit Monasticam: sed suorum visitationibus affinium pertæsus, ad Brachianam, propè montem (u) *Latrum* recessit, ad Petrum frequentissimi Monasterii Abbatem, cujus & servitio sese mancipavit. Mortuo Petro, Basilius in montem Olympum rediit, ubi Abbas præfatæ Lauræ S. Eliæ electus, diem extremum solvit ad annum 953.

Anno 957. floruisse creditur Epiphanius, (x) Monachus & Presbiter Hagiapolita ideò dictus, quia Hyerosolymis inter Elianæ institutionis successores & discipulos Sanctorum Charitonis, Euthymii, Theodosii, Sabæ, Cyriaci & aliorum vixit.

Anno 958. obierat Paulus Eremita, Basilii (y) Eleensis frater, parentibus iisdem Antiocho & Eudocia natus; uxore defunctâ, in Bythiniam propè *Maritatem* secessit ad montem *Latrum*, in *Laura S. Eliæ* monasticam ducens vitam. Egregia eum vita conspicuum ita effecit non Orientali tantùm Orbi, sed etiam Occidentali, ut summi Pontificis & Principum salutationibus frequentaretur; eò quòd imprimis andiret fide Catholicus, & Apostolicæ Sedi summè addictus atque unitus.

Anno 959. Constantinus Porphytogenneta Imperator, Nicæam urbem appulit, & inde ad

[n] Pagi, *tom. 3. ad annum.* 883. *num.* 13. *pag.* 738. & *num.* 18. *pag.* 494.
[o] Oudin, *tom. 2. citato, pag.* 24.
[p] Baronius, *tom. 9. ad annum.* 823. *num.* 36. *pag.* 733.
[q] Idem, *ibidem & eod. tom.* 2. *pag.* 438. 439.
[r] Bollandistæ, *ad diem 9. Maii, tom. 2. pag.* 454. *col.* 1. *lineá primá.*
Tillemont, *tom. 9. pag.* 555. & 726.
[s] Bollandus, *die 7. mensis Februarii.*
Pagi, *tom. 3. citato, ad annum* 945. *num.* 4. *pag.* 849.
Fleury, *tom.* 12. *Lib. IV. num.* 33. *pag.* 58.
(t) Idem Fleury, eodem *tom.* 12. *Lib. IV. num.* 52. *pag.* 101.
(u) Vide superiùs *ad annum* 584. 735.
(x) Oudin, *tom. 2. pag.* 455. 456.
Cave, in *Historia Litteraria, parte 2. pag.* 170.
(y) Basilius, de quo dictum est superiùs *ad annum* 952.
Fleury, *tomo 12. citato, Lib. LV. num.* 52. *pag.* 101. & 108.

ad montem Olympum transfit; cujus tortuosis anfractuosis, præruptis ac quàm difficillimis ad ascensum collibus vix superatis, ad Sanctorum Monachorum cellas pervenit: Quibus visis ac salutatis, eorumque salutaribus precibus communitum, hi Sancti Patres monent, in ejusdem Olympi summo vertice seniorem Ascetam in Spelunca signis effulgentem.

De monte Latro Olympi vicino (z) loquens Baronius occasione Pauli Eleensis, ait: » Paulus verticem montis Latri conscendit, in cujus vertice saxum attollitur, columnæ » instar, in quo vitam Angelis parem exercuit annis pluribus: locus haud ignotus, quem » anteà S. Athanasius Anachoreta, tempore Michaëlis Imper. Iconoclastæ, petit; & colum» nam hanc nullius manu laboratam conscendit. Saxum id præcelsum erat, nubes ipsas » penè attingens, in cujus vertice nativa spelunca visebatur, quam subiens, duos viginti » annos inclusus in ea mansit. » Porro illustrem montem illum reddiderunt Monachi Sinaitæ, qui ob Sarracenorum incursus indè profecti, Dei monitu illuc migrarunt anno 735. In eoque habitavit Acacius, de quo Joannes Climax scribit, *Gradu 4. num. 109.* ut animadvertimus ad annum 584.

Anno 960. Monachorum montis (a) Thaboris memoria celebris habetur. Cum enim *Muazzus* Califa misisset in Palæstinam *Cosmam Minæ* filium, ut pecunias ad fiscum spectantes colligeret, Cosmas ducenta aureorum millia ex tributis confecit, & eam pecuniam deposuit in Monasterio montis Thaboris.

Monasterium autem illud sub nomine S. Eliæ perstitisse seculo duodecimo affirmat Joannes (b) Phocas anno 1185. & seculo decimo-tertio Guillelmus (c) Tyrius.

Anno 969. Joannes (d) ex Monacho ad Sedem Hierosolymitanam, pro more Græcorum, promotus est. Saraceni autem eum virum combusserunt, eò quòd ipsius monitis putarent, fore ut ipsos Nicephorus Imperator invaderet. Vitam S. Joannis Damasceni, argumento ex Arabica quadam ad simplicissima narratione accepto, scripsit hic Patriarcha, duobus fortè Seculis post mortem Damasceni: sed nondum Constantinopoli illa innotuerat vita quando suum jam cultum ibi habebat Damascenus, & elogium in Synaxariis.

Anno 980. Elias (e) Cretensis junior, Orationes S. Gregorii Nazianzeni commentatus est. Scripsisse quoque dicitur Scholia in Opera S. Joannis Climaci, in quibus ad gradum Scalæ octavum ait: (f) » Elias & Joannes sunt perfectæ conversationis typus & for» ma. Qui seorsum orantes, & à mundo solitaria loca, & à secularium tumultibus segre» gata quærentes & colentes, docuerunt perfectionis amatores locum & modum, virtutumque studium.

Elias hic junior appellatur, ut secernatur à seniore altero Elia, Cretensium Archiepiscopo, qui Œcumenicæ Synodo Nicænæ secundæ anno 787. interfuit: hanc tamen distinctionem non animadverterunt Approbatores Interpretationis Gallicæ Operum S. Joannis Climaci, quam edidit Arnaldus d'Andilly, Parisiis 1658.

PARAGRAPHUS DECIMUS-SEXTUS.

Undecimo Seculo Elianæ Successionis testimonia perhibentur.

XLVI. Anno 1000. Hegesippus junior, ab Hegesippo Seniore Apostolicorum temporum vicino distinguendus, de Excidio Urbis Hierosolymitanæ Libros quinque scripsit; in quibus ita Flavii Josephi Judæi vestigiis insistit, ut magis interpretis, quàm Exscriptoris officio videatur fungi. Ad nostrum propositum duo illius testimonia referri sufficiet. Nam *Lib. I. cap. 6.* memorat illum *Judam Essenum*, probitate vitæ & mysticâ observatione celebrem, qui ex vaticinio prædixit Antigonum Aristobuli Regis Judæorum Fratrem, moriturum in Turri Stratonis: *Lib. II. cap. 3.* refert alterum *Essenum*, interpretem Somnii, quo Archelaus vidit spicas novem & plenas magnas à bobus vorari, respondisse novem spicis signari novem annos, quibus potestatis usus eidem Archelao, Herodis magni filio, fuit maximus & amplissimus datus. Quæ quidem testimonia ex Flavio Josepho (g) retulimus, ad probandam existimationem quâ pollerent Esseni tempore nostri Jesu Christi, *num. 13. pag. 4.*

Neque minùs valere possunt pro tempore quo vixit noster Josippus seu Hegesippus, quem juniorem fuisse anno 1118. suspicantur ex eo quòd vocet, *Lib. III. cap. 5.* Antiochiam, *Persarum quondam caput, nunc repulsorium*, ex quo ab Occidentalibus Cruce-signatis post diuturnam & laboriosam obsidionem occupata fuit.

(z) Baronius, *tom. 10. ad annum 956. num. 7. pag. 741.*
(a) Renaudot, in *Historia Patriarcharum Alexandrinorum*, *pag. 371.*
(b) Joannes Phocas, de *Locis Sanctis cap. 11.*
(c) Guillelmus Tyrius, *Lib. XXII. Historia Hierosolymitanæ*, *cap. 26. pag. 1037.*
(d) Papebroc. in *Hist. Chronol. cit. pag. 62. num. 183.* Idem Papebroch. in *Notis prævils ad vitam S. Joannis Damasceni*, *tom. 2. Maii*, *pag. 109. col. 1. num. 3.* Oudin, *tom. 2. pag. 474.*
(e) Idem Oudin, *eodem tom. 2. pag. 1066. & seqq.*
(f) *Tom. 5. Biblioth. Patrum*, *pag. 752. A.*
(g) Superius, *num. 13. & 18. pag. 4. & 6.*

Anno 1010. Hakemus, Ægypti & Syriæ Califa, jussit Hyerosolimis destrui Ecclesiam, templum atque alias Ecclesias : sive, ut loquitur Joannes Scylitzes Curopalates, is Hakemus *religiosa perdidit Monasteria, & in iis qui piæ vitæ exercitationibus erant dediti, eos per omnem terram extorres egit*. Idem referunt Baronius *ad annum 1009. num. 4.* Renaudotus in *Historiâ Patriarcharum Alexandrinorum*, *pag. 391.* Papebrochius in *Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum*, *pag. XLIII. num. 186.*

Hakemus idem leges promulgavit contrà Judæos & Christianos de (*h*) furvis vestibus, de crucibus ferendis pondo librarum quinque; uti legere est apud Renaudotum, *pag. 393. 396. 397. 399.* necnon apud Bartholomæum d'Herbelot, in *Bibliotheca Orientali*, *pag. 411.*

Ast decem post annos Hakemus à præfatis legibus immunes Christianos fecit edicto promulgato: Quo hæc libertas permansit integra ad annum 1052.

Anno 1011. Ad Monasterium montis Sinai, ubi quingenti & amplius Monachi sub disciplina Abbatis manebant, habentes ibidem Episcopum, venerunt Saracenorum decem millia armatorum, ut Monachos perimerent, habitaculum eorum cum Ecclesiis diruerent. Propinquantes autem, à quatuor millibus, conspiciunt totum montem ardentem & fumantem, flammasque in cœlum ferri, & cuncta ibi posita cum hominibus remanere illæsa. Quod cum renuntiassent Regi Babylonio, pœnitentiâ ductus tam ipse quàm populus Saracenus, valdè doluerunt de his, quæ contra Christianos egissent. Ita scribunt Radulphus Glaber, & Ademarus apud Franciscum Pagi, *tom. IV. pag. 100. num. 5.*

Anno 1020. Marcus Hyeromonachus, magnæ Lauræ Sancti Sabæ Asceta, composuit *Commentarium in Typicon* ejusdem Sancti Sabæ; de quo mentio facta est ad annum 644. & 767. Composuit, inquam, Marcus *Syntagma* de dubiis, quæ ex Typico suborirentur, capitibus centum absolutum. Arbitratur equidem Casimirus Oudinus (*i*) Marcum Hyeromonachum, non tantum scripsisse *Commentarium in Typicum*, sed ipsum *Typicon* nomine *S. Sabæ* insignitum; in quo utpotè agitur *de Tribus Græcorum Quadragesimis*, quæ institutæ fuerunt sub Seculi decimi finem, & undecimi initium, circa annum 1010. vel 1020. quò floruit Marcus Hyeromonachus: *Constitutiones* (*k*) autem, quas S. Sabas suis Monasteriis inviolatè servandas tradidit, Oudinus contendit longè diversas fuisse à *Typico*. Verùm jam animadvertimus, *locis citatis*, successu temporum superaddita fuisse multa Typico S. Sabæ: undè tota Oudini evanescit ratio.

Anno 1050. Itinerarium Antonini Placentini collocari nihil vetat. Nam *censeo*, inquit Papebrochius, *decimi vel undecimi Seculi scriptum istud videri, tum ex stili Barbarie, tum ex aliis adjunctis*.

Auctor autem hujus Itinerarii, *num. 25.* de monte Hermon, cujus ad pedes ascendit de Fluvio nubes, ait; » in ipsa ripa est fons, ubi baptisavit S. Joannes. In ipsa Valle in» ventus est Elias, quando Corvus ei deferebat panem & carnes. In circuitu autem Val» lis ipsius multitudo Eremitarum.

Quæ verba commentans præfatus Papebrochius, addit: » est verisimile satis, ad locum » memoriâ absconditi quondam ibi Eliæ celebrem, aliquando habitasse Eremitas, quos ibi » collegerit, volens post se relinquere Monasticæ vitæ successores, ut dicitur *in Libro I. de* » *Institutione* (*m*) *Monachorum*, *cap. 5.*

Indè patet quàm alienus fuerit uterque Scriptor (Antoninum dico & Papebrochium) ab opinione (*n*) Vanderhandi & aliorum asserentium Corvus Eliæ fuisse *Orebinos* seu *Arabes negotiatores*, sive *Cives* Urbis *Arabo* in vicinia *Bethsan* aut *Scythopoleos*.

Anno 1070. Theophylactus, Acridæ in Bulgaria Archiepiscopus, collegit ex S. Joanne Chrysostomo commentarios in Sacram Scripturam. In illis autem Commentariis super Epistolam Divi Pauli ad Hebræos, *cap. VI. v. 37.* ad illa verba: *Circuierunt in ovium & caprarum exuviis*, &c. ait: » ut Elias, & qui cum eo erant . . . adeò nihil fa» cultatum possederunt: Melote autem, pecudis vel ovis est pellis . . . penuriâ laboran» tes, ut ipse Elias & Eliseus . . . *in solitudinibus errantes*, & montibus & speluncis & ca» vernis terræ; ut Elias, & qui clanculum Prophetæ ab Abdia in spelunca alebantur. » Clarum illud est suffragium traditionis continuæ & non interruptæ, pro vita Monastica Eliæ Prophetæ, Elisei & filiorum Prophetarum.

Anno 1072. Nicetas Serronius, Heracleæ Archiepiscopus, Theophylactus æqualis, commentarios edidit in Orationes S. Gregorii Nazianzeni, quarum in 28. in Maximum Philosophum habitâ, hæc leguntur: *Elias libenter in Carmelo cælesti Philosophiæ operam dabat, & Joannes in Deserto.*

Anno 1097. die 21. Octobris obsideri cœpit ab Occidentalibus Cruce signatis Antioche-

(*h*) Vide superiùs *ad annum 719.*
(*i*) Oudin, *tom. 2. citato*, *pag. 585.*
(*k*) Cyrillus, in *vita Sancti Sabæ*, *cap. 76.* in *Monumentis Ecclesiæ Græcæ*, *tom. 3. pag. 353.*
(*l*) Papebrochius, in *Notis ad Itinerarium*, præfixum *tom. 2. Maii*, *pag. 18. col. 2. lineâ sextâ.*
(*m*) *Tom. 9. Bibliothecæ Patrum*, *622.* Vide Bibliothecam Carmelitanam, *tom. 1. pag. 705.*
(*n*) Vanderhand, in Libro inscripto: *Paradoxa Biblica:*

na civitas, cujus à Septentrione *Montana nigra*, ubi & priscis temporibus, inquit Williermus (o) Tyrensis, multa traduntur fuisse Virorum religiosorum Monasteria; & usque in præ» sens Deum timentium loca plura fovet & nutrit venerabilia: » quorum facta est meotio, annis 402 . . . 596 . . . & futura est inferiùs ad annos 1140. & 1150. &c.

Anno 1099. Idibus Julii, Godefridus Bollonius Sanctam Civitatem Hierosolymam è manibus Infidelium eripuit. Rex iste qui anno sequenti 100. sexto Idus Julii obiit, jussit eleemosinam omni die Sabbato exhiberi Eremitis, qui tuoc incolebant Montana Judeæ; sicuti constat ex ejusdem Godefridi Regis decreto, quod secum ex Cypro attulit Jordanos (p) de Mantua. Constat insuper ex Joanne (q) Phoca, in via quæ ab Hierusalem ad Montana Judeæ ducebat, extitisse & Cœnobiarcham, & Monasterium, & Lauram.

PARAGRAPHUS DECIMUS-SEPTIMUS.

Duodecimo Seculo Eliana Successio notior affulget.

XLVII. Anno 1124. » Cœpit Orientalis Ecclesia reviresceado, *inquit Cardinalis » Jacobus Vitriacensis*, (r) florere, & cultus religionis in partibus Orientis ampliari . . . » Alii ad exemplum & imitationem Sancti viri & solitarii Eliæ Prophetæ in monte Car» melo, & maximè in parte illa, quæ supereminet civitati Porphyriæ, quæ hodie Cay» phas appellatur, juxtà fontem, qui fons Eliæ dicitur, non longè à Monasterio Beatæ Vir» ginis Margaretæ, vitam solitariam agebant in alvearibus modicarum Cellularum, tanqoam » apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes . . . Alii in moote Thabor, in quo » Dominus præsentibus Moyse & Elia transfiguratus, gloriam futuræ resurrectionis osten» dit, propter loci revereotiam & honorem Monasterium extruxerunt. Alii propter Jor» danis fluminis sanctitatem & aquarum opportunitatem vicinarum, construxerunt ha» bitationes: Alii desertum Quarentenæ elegeruot; Alii in Eremo illa, quæ adjacet » Galileæ, solitariam acceperunt.

Anno 1130. Gerardus à (s) Nazareth, patriâ Galilæus, prosapiâ & origine Latinus, Anachoreticam agebat vitam in Montana nigra: obi ad Guilielmom Presbyterum; *de conversatione Servorum Dei in Terra Sancta* librum scripsit; in quo hæc leqontur: *Aliud est genus Religiosorum, qui singillatim habitabant à Seculi rebus alieni. Hi sunt, qui ad exemplum Prophetæ Eliæ silentium solitudinis præferunt tumultibus Civitatum*, &c. His poriò Montanæ Nigræ Solitariis alios Aymericus Aotiocheous Patriarcha Eremitas adjunxit, quos è Carmelo adduxit circà annum 1160. At omnes fugati fuot anno 1267. quo Monasterium illorum dirutum est à *Chorasmianis*; sicuti refert Guillelmus de Sanvico, in suo *Chronico*, *cap.* 2. & 8.

Anno 1140. Josephi (t) Antiocheni de Primitiva Ecclesia liber adjudicari potest, qui laudatur à S. Brocardo, Carmelitarum Priore Generali secundo, in Statutis anno 1191. scriptis. Nam sesqui-Seculum elabi debuit, tempusque sufficiens intercedere ad majorem antiquitatem & auctoritatem libro Josephi Aotiocheni conciliandam, inquit Papebrochius. Præfati autem libri capite XII. hæc leguntur:

» Perfectorum Militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt strenuissimi viri » solitarii, cootemplationi dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei sequaces: qui » de monte Carmeli descendentes, per Galilæam, Samariam, & Judæam, fidem Chris» ti constantissimè sparserunt.

Huic opinioni plurimùm favent Eusebius Cæsariensis, Hieronymus, Epiphanius, Sozomenus, ipse Papebrochius, Baronius, Cassianus, Nicephorus Callixtus, illustrissimus Daniel Huet, Petavios, & alii superiùs citati, *pag.* 5. 6. 7.

Aono 1143. Haimericus sive (u) Aymericus, Ecclesiæ Antiochenæ Decanus, RADULPHO ejusdem Ecclesiæ Patriarchæ sublato suffectus est: sed à RAINALDO DE CASTELLIONE, (x) Aotiocheno Principe, malè, paulò post tractatus, Antiochiam deseruit anno 1144. & io regnum se contulit Hierosolymitanum: ubi à BALDUINO III. Rege, ac ejus matre MELISENDE, atqoe Regni universis Episcopis benignè acceptus est; nec Antiochiam rediit, nisi metu solutus per Rainaldi Principis captivitatem, quæ sub finem anni 1160. contigit.

Non desunt tamen (y) Scriptores, qui Aimerici Patriarchæ electionem assigunt anno

(o) Guillelmus Tyriensis, *Lib. IV. Histor. Hyerosolymit. cap.* 10. *pag.* 687. *lineâ* 50.
(p) Vide Biblioth. Carmelitanam, *tom.* 0. *pag.* 150.
(q) Joannes Phocas, *de Locis Sanctis*, *num.* 07. apud Papebrochium, *tom.* 2. *Maii*, *pag.* 8.
(r) Jacobus Vitriacensis, in *Historia Orientali*, *cap.* 52. *pag.* 1074. & 1075.
(s) Vide Biblioth. Carmelitanam, *tom.* 1. *pag.* 554. Antonium Rivet, in *Historia Literaria Franciæ*, *tom.* 9. *pag.* 162. *num.* 212.
(t) Ibidem, *tom.* 9. *pag.* 162. Papebrochius, in *Historia Chronologica citata*, *tom.* 3. *Maii*, *pag* 21. *col.* 2. *num.* 93.
(u) Guillelmus Tyrensis, *Lib. XV. cap.* 16. & 18. Baronius, *tom.* 12. *ad annum* 1143. *num.* 25. *pag.* 883.
(x) Guillelmus Tyriensis, *Lib. XVIII. cap.* 1. *pag.* 950. 951.
(y) Lezana, *tom.* 4. *Annal. anno* 1154. *num.* 3. *anno* 1163. *num.* 4.

1137. quia hanc desumunt vel ab initio causæ Radulphi, quæ moveri cœpit apud Sedem Apostolicam anno 1137. vel ab ejusdem depositione per Sententiam Alberici, Ostiensis Cardinalis, & in Terram Sanctam Apostolici Legati, consummatam & latam anno 1140. mense Decembri, quò electus est AIMERICUS, potentiâ RAINALDI Principis Antiocheni, & PETRI ARMOINI, qui Castelli Antiocheni custos erat, & Aimerici patruus aut avunculus.

Anno 1545. Aimericus Antiochenus (ʒ) Patriarcha, toto regno Hierosolymitano gratiosus, facile potuit à Frederico Acconensi Episcopo impetrare ut *Bertholdus de Malfaida* Lemovicensis, de Villa *Solmiacum* aut *Soligniacum* nuncupata (in qua duabus leucis à Lemovicis ad Orientem distante, prædium etiamnum possident Carmelitæ) ejus consanguineus, in Priorem Eremitarum Carmeli montis institueretur. Aimericus autem cum esset opulentissimus, suppeditavit Bertholdo sumptus ad Monasterium (*a*) extruendum, inquo Eremitæ jam non sparsim per montis antra & Spelæa instar Palæstinorum Anachoretarum morarentur, sed simul convenirent, ut facilius Bertholdi & successorum regimini atque obedientiæ subderentur.

Anno 1540. Liber *de Institutione primorum Monachorum, in Lege veteri exortorum, & in Nova perseverantium*, de Græco in Latinum idioma translatus est curâ & diligentiâ Patriarchæ Antiocheni Aimerici. (*b*) » Hic enim intelligens quosdam Eremitas eorum » qui ab Occidenre supervenerant, spretis Seniorum monitis, non rectè ambulare ad ve- » ritatem Religiosæ vitæ Eremiticæ, in prædicto libro descriptæ; & perpendens hoc ideò » maximè contingere, quia Græcas literas ignorantes, nesciebant codicem legere, fecit. » librum illum de Græco in Latinum transferri.

Notus quidem est Joanoes Hierosolymitanus Episcopus XLII. juxtà supputationem Reverendi Patris Papebrochii, quamvis in Catalogis Latinis numeretur 44. Ast utrùm huic Joanni præfatus liber adjudicandus, non una vox est eruditorum virorum, quos recenset Bibliotheca Carmelitana, *tom. 2. pag. 27. - 40.*

Cur autem Latina præmemorati libri translatio assignatur anno circiter 1150. quia facta est quo tempore Aimericus in regno Hierosolymitano commoratus, Bertholdum Eremitarum Carmeli Priorem constituit, & statuit ut eis deinceps præesset, & ut quilibet eorum obedientiam devoveret, atque sub cura illius & regimine omnes viverent. Ipso autem (*c*) Papebrochio asserente, Aimericus post sex aut annos quinque exilii rediit Antiochiam: vel juxtà narrarionem Guillelmi Tyrensis, rediit anno 1160. quo Rainaldus Princeps (*d*) Antiochenus in captivitatem incidit; ut alibi fatetur idem Papebrochius.

Anno 1560. Aimericus Antiochiam revertens, Eremitas Carmeli nonnullos secum adduxit, & jamdudùm constitutis in Montana Nigra aliis Anachoretis adjunxit, quorum Priori Eusebio Epistolam posteà scripsit S. Cyrillus, Carmelitarum Socius. Nam illarum regionum *omnes* Monachi, inquit Guillelmus de Sanvico, *cap. 2.* sui Chronici, *quamvis essent locis separati, eamdem vitam solitariam servare satagebant, quam servabant Eremitæ Montis Carmeli.* Neque tamen rectè asseruit (*e*) Papebrochius, Eremitas quos Aimericus secum in Montanam Nigram adduxit, Albertinâ Regulâ fuisse informatos: Hæc etenim Albertina Regula data fuit anno 1209. sicut animadvertit idem Reverendus Pater (*f*) Hagiographus.

Anno 1573. S. Cyrilli Constantinopolitani Presbyteri accessum ad Montem Carmelum assignant nonnulli Scriptores (*g*) Carmelitæ, qui hunc fuisse salutatum à S. Brocardio Vicario, dicente: *In monte hoc omnis Religio primordialiter effluxit; ipse est caput, & principium omnium Religiosorum, qui cæteris cujuscumque habitûs formam vivendi præstitit, normam, regulam, statuta, & omnia, quæ à quacumque Religiosa institutione noscuntur approbata.*

De forma quidem habitûs Carmelitarum scripsit præfatus S. Cyrillus in Epistola ad Eusebium *Montis Neroi* seu *Montanæ Nigræ* Priorem, his verbis capite secundo: » Saraceni molestè ferebant, quod nostræ Religionis Professores, veste albâ desuper induti incederent; cum soli eorum Satrapæ hujusmodi coloris habitû desuper uterentur. Propter » quod gestationem pallii albi dictis Professoribus interdixerunt: pro quo Professores » prædicti pallium barratum tunc unanimiter assumpserunt. Quod pallium, sicut scis, » ex septem partibus duplicis coloris ad invicem distinctis, sed consutis, ipsum tota- » liter

Speculum Carmelitarum, *tom. 1. pag. 897. num. 3268.*
Baronius, *tom. 12. anno* 1136. *num. 30.*
Tom. X. Conciliorum Edit. Labbean. *pag. 1026.*
Fleury, *tom. 14. Lib. LXVIII. num. 52. & 74.*
(ʒ) Papebrochius, in *Notis ad vitam S. Alberti, die 6. Aprilis, pag. 785. num. 85.*
Vinea Carmeli, *pag. 17. num. 22.*
(*a*) Speculum Carmelit. *tom. 1. pag. 900. num. 3276.*
Lezana, *ad annum 1542. num. 4.*
(*b*) Cyrillus, in *Epistola ad Eusebium Montis Neroi Priorem, cap. 4. edito in vinea Carmeli, pag. 7. - 28.*
(*c*) Papebrochius, in *Historia Chronologica, tom. 3. Maii, pag. 64. col. 2. Lit. C.*

(*d*) Guillelmus Tyriensis *Lib. XVIII. de Bello Sacro, cap. 28. pag. 951.*
Pagi, *tom. 4. ad annum* 1163. *num. 9.*
Papebrochius, in *Notis ad vitam S. Alberti, die 8. Aprilis, pag. 785. num. 85.*
(*e*) Idem, in *Notis ad Chronicon Guillelmi de Sanvico, tom. 3. Maii, pag. 65. col. 1. lit. G.*
(*f*) Idem in vita S. Alberti, *tom. 1. Aprilis, cap. 12. pag. 796. E. num. 124.*
(*g*) Speculum Carmelit. *tom. 1. pag. 286. col. 2. num. 1052. Not. A.*

» liter integrantibus, perpendiculariter à collo usque ad talos descendentibus constat.

Hæc Cyrilli verba omninò consonant legibus, quas Salabadinus (*h*) tunc Imperio potitus adversùs Christianos renovavit de vestimentis duplici colore distinctis, & de candidis prohibitis, ut jam animadvertimus ad annum 719. & 1010.

Dederat (*i*) Muhamed Pseudopropheta Hamzæ avunculo suo vexillum candidum: colorque ille in Haliadarum familia, & Sectis quæ Halim sequuntur, perseverat. Omar autem Ben-Alkebat, sive filius Elkittabi, qui Sanctam civitatem Hierosolymam cœpit anno 637. (*k*) *& populo qui in ea erat modico, extremis conditionibus pepercit*, (*l*) in omnes provincias scripsit ut Christiani compellerentur zonariâ induere, & vestibus suis pannorum segmenta assuere.

Anno 1183. (*m*) ex Salahadini exercitu nonnulli milites in Montem *Thabor* (quod prius fuerat inauditum) ascenderunt, & Monasterium Græcorum, quod dicitur *Sancti Eliæ*, pro libro tractantes arbitrio, ipsum etiam majus cœnobium effringere tentaverunt.

» Mons Thaborius, *inquit Joannes Phocas*, terrestre cælum ... Collis est rotundus » & moderatè sese erigens: in vertice duo extructa sunt Monasteria: in his extraneæ lin» guæ laudibus Christiani, solitariam vitam amplexati, numen propitium reddunt, Mo» nasterium, inquo salutaris Christi Transfiguratio accidit, Latinorum Monachorum mul» titudo tenet: lævum, qui nostrâ consuetudine Monachum induerint Nazareni, Sacro» sanctum illum locum sanctificati sanctificant.

Istud Græcorum Monasterium idem forsan censeri posset, quod superiùs memoratur ad annum 960. Alterum autem Latinorum, idem quod anno 1124. celebratum est.

Anno 1185. Joannes Phocas, Cretâ oriundus, postquam in Patmo insula vitam exercuit Monasticam, Sancta loca Syriæ, Phœniciæ & Palæstinæ peragravit, compendiariam horum descriptionem Leo Allatius Latinam fecit, quam & Græco-Latinè edidit Amstelodami Bartholdus Nihusius anno 1653.

» Mons Carmelus, *inquit Phocas*, *cap.* 31. de quo in veteri recentioreque Scriptura plu» rimus sermo est, jugatur Mons, ab ipso maris sinu, qui circà Ptolemaïdem & Caï» pham incurvatur, initium ducens, & ad Galileæ fines perveniens. In extrema parte ju» gi quæ mare respicit, PROPHETÆ ELIÆ SPELUNCA spectatur: in qua Angelicam vitæ » rationem cum exegisset mirificus ille vir, in aëra sublatus est. Erat eo loci antiquitùs » MONASTERIUM MAGNUM, ut structurarum vestigia ad hæc usque tempora commons» trant. Sed illud, tempore quod omnia in senium impellit, & gentium variis excursioni» bus penitùs abolitum. Verùm ante aliquot annos quidam Monachus, dignitate Sacer» dos, capillitio albus, è Calabriâ oriundus, EX PROPHETÆ REVELATIONE in Montem » appellens, ea loca, Monasterii nempè reliquias, vallo perparvo cinxit, & turri ædifi» catâ, temploque non ingenti extructo, Fratribusque fermè ad decem collectis, etiamnum » sanctum illum ambitum colit.

Hic Joannis Phocæ textus fusiùs discutitur in *Bibliotheca Carmelitana*, *tom.* 1. *columnâ* 685. & *seqq.*

Anno 1187. Sanctus Bertholdus, primus Latino more Prior Generalis Eremitarum Montis Carmeli, obiisse creditur, GUIDONIS DE MALEFAYDA, nobilis Equitis filius, in vico *Salaniac*, Diœcesis Lemovicensis natus, animarum zelo accensus, Cruciatâ signatus, in Orientem è Calabria profectus est, militiâ Ecclesiasticâ insignitus.

Cum sacer Christianorum exercitus anno 1097. die 21. Octobris Antiochiam Syriæ Metropolim obsidere cœpit: sed mox alterâ die, ab ipsis Saracenis ac Turcis vicissim obsideri cœperunt Christiani; adeò ut fame ac morbo miserè per dies viginti sex afflicti fuerint. In hac tribulatione Bertholdus promisit se Deo, & B. Mariæ Virgini jugiter in Monte Carmeli serviturum, si Dominus respiceret plebem suam.

Sanctâ Hierosolymitanâ Civitate liberatâ anno 1099. quàmplures devoti peregrini, Eremitarum Montis Carmeli (ab ea civitate quinquaginta milliaribus distantis) famâ permoti, mundo renunciarunt, & eorum contubernio se junxerunt. Inter eos illustrior BERTHOLDUS, jam voto constrictus, Religionis habitum postulavit, induit, & virtutibus atque sanctitate in eo adeò profecit, ut Aimericus, Antiochenus Patriarcha, Comitiis congregatis, Fratrum qui diversas Terræ-Sanctæ solitudines incolerent, Priorem (*o*) Generalem eum præfecerit circà annum 1145. Ordinis autem Carmelitani regimen cum Bertholdus tenuisset annis quadraginta duobus, animam Deo lætanter in Carmelo redidit anno ætatis suæ centesimo decimo quinto.

Anno 1188. ineunte, vel potiùs anno 1187. declinante, obiit Aimericus seu Haymeri-

(*h*) Renaudot, in *Historia Patriarchar. Alexandrinor. pag.* 340. *lineâ* 19.
(*i*) Idem, *ibidem pag.* 219. & 229.
(*k*) Willelmus Tyriensis, *Lib. I. Histor. Hierosolymit. cap.* 2. *pag.* 629.
(*l*) Renaudot, *loco citato*, *pagg.* 293. 594. 300. 393. 540. 608.
(*m*) Willelmus Tyrius, *Lib. XXII. cap.* 26. *pag.* 1037.
(*n*) Joannes Phocas *de locis Sanctis*, *cap.* 11. apud Papebrochium, *tom.* 2. *pag.* 4.
(*o*) Onuphrius Panvinus, in *Chronico Ecclesiastico ad annum* 1141.

cus, Antiochenus Patriarcha, qui Eremitis Carmeli præfecit S. Bertholdum more Latinorum, Priorem primum Generalem, & in eodem monte ad honorem B. Mariæ Virginis Monasterium ædificari fecit, muro alto circulariter circumdatum: in quo quidem eos includere intendebat; sed priusquam hoc Monasterium consummasset, sustulit eum de mundo Deus, inquit S. Cyrillus *in Epistola ad Eusebium*, Priorem *Montis Neroi* propè Antiochiam, *cap. 4.*

Quapropter » constantior illa videtur assertio, (*p*) *ait Baronius*, quod Ordo religiosorum Carmelitanorum, qui in Palæstina in ipso Monte Carmelo fixere sedes sub Alexandro Romano Pontifice sumpsit *innovati status* originem. Horum autem promotor, » propagator, & custos fuit ille, qui fungebatur in Oriente legatione Apostolicæ Sedis, » Haimericus Patriarcha Antiochenus; qui considerans complures ex Occidente, qui venerant Eremiticam acturi in Terra-Sancta, hinc indè dispersos barbarorum incursibus, » collegit eos in unum, duxitque in Montem Carmelum, Eliæ habitatione egregiè olim » *ita* nobilitatum, » ut ubi recentiores ab antiquioribus successionem (*q*) *per annos circiter bis mille ducentos continuam* & nullatenùs interruptam accipientes, eumdem Eliam Prophetam jure profiterentur suum Parentem & Magistrum quoad locum & habitationem, quoad exemplum & institutionem, quoad cultum & venerationem; alio quocunque omisso & excluso Principe atque fundatore; ut innuunt testimonia Sanctorum Patruma & scriptorum hactenus allata; non solitudinem tantùm Eliæ, sed & alias virtutes ad perfectionem status Monastici conducentes proponentium atque diligenter describentium.

Anno 1189. S. Brocardus, Hierosolymitanus patriâ, Carmeli Eremita, qui vices Prioris, absente S. Bertholdo, gerebat anno 1193. quo Sanctum Cyrillum Constantinopoli illuc advenientem recepit & salutavit dicens: *In hoc monte omnis Religio Monastica primordialiter effluxit; ipse est caput & principium omnium Religionum &c.* Sanctus, inquam Brocardus anno 1189. mortuo Sancto Bertholdo, Comitiis in generalibus electus est in Secundum Eremitarum Priorem Generalem; qui suos Tyrones agnoscens instructione & vitæ regularis methodo indigere, bellorum præsertim turbinibus, & Saracenorum insultibus sæpius grassantibus; ideò *statuta quædam* eis latinè tradidit *anno 1191.* è quibus nonnulla postea Regulæ Albertinæ fuerunt inserta capita.

Hæc Statuta, quæ ab Alexandro IV. vocantur *Constitutiones Ordinis*, *cap. 1.* exscriptum referunt textum ex Josephi Antiocheni libro desumptum, in quo dicitur: » Perfectorum (*r*) militum Christi Apostolorum Coadjutores surrexerunt strenuissimi Viri Solitarii, contemplationique dediti, Sanctorum Prophetarum Eliæ & Elisei imitatores: qui » de monte Carmeli descendentes per Galilæam, Samariam & Judæam, fidem Christi » constantissimè sparserunt. » Qem etiam eumdem textum referens Joannes Bacho (*s*) addit: sicut *in prima Constitutione dicti Ordinis* Carmelitani, *edita ab antiquo, invenitur.* Statutis autem S. Brocardi antiquiorem agnoscunt nullam Carmelitæ Constitutionem. Quæ cum diceretur jam edita ab antiquo, dum Joannes Bacho scriberet anno 1330. Satis adversatur illorum (*t*) Sententiæ, qui librum Josephi Antiocheni assignant anno 1320.

Opinionem porrò Josephi Antiocheni de successoribus Eliæ florentibus tempore Christi, plurimùm invaluisse apud Scriptores etiam Orientales, S. Brocardo æquales & fermè coætaneos, probant testimonia Ruperti Abbatis, Guillelmi à Sancto Theodorico, Petri Comestoris & aliorum paulò recentiorum.

1°. Quidem Rupertus Abbas Tuitiensis anno 1133. circiter defunctus, in suis Commentariis ad *Caput 4. Cantic. Versu 1°. ait*: » Greges Caprarum quæ apparuerunt de monte Galaad, utique Greges sunt rationales, qui tunc apparuerunt, cum Viri illi esse cœperunt, de quibus Apostolus dicit: *circuierunt in melotis & in pellibus caprinis, egentes, angustiati, &c.* Apparuerunt, inquam, de monte Galaad, . . . cujus habitator » fuit Elias, . . . ille primus auctor & institutor eorum, qui dicti sunt filii Prophetarum, » quos fuisse Monachos in Veteri Testamento consentit autoritas Patrum. » Hæc Ruperti verba haud dubiè consona sunt iis, quæ superiùs relata sunt ex Sancto Gregorio Nysseno. (*u*)

2°. Guillelmus, S. Theodorici Remensis Monasterii Abbas, in Epistola ad Carthusianos de monte Dei, loquens de vita Monastica: » Res est antiqua (*x*) *inquit*, . . . antiqua hereditas Ecclesiæ Dei, à tempore Prophetarum præmonstrata, jamque novo gratiæ sole exorto, in Joanne-Baptista instaurata . . . Post passionem verò Domini, calore adhuc in cordibus fidelium effusi ejus Sanguinis recenti memoriâ, solitariam hanc vitam eligentibus, paupertatem spiritûs sectantibus, & in spiritualibus exercitiis, & in contemplatione

(*p*) Baronius, *tom. 12. ad annum 1181. num. 15.*
(*q*) Guillelmus de Sanvico, in *suo Chronico*, *cap. 8. apud Papebrochium tom. 3. Maii, pag. LXIV. col. 1. lineâ 9.*
(*r*) Vide super. *num. 19. pag. 6. & num. 47.* ad annum 1540. *pag.* . . .
(*s*) Joannes Bacho, in suo *Compendio Historiarum*, *cap. 2.* edito *tom. 1. Speculi Carmelit. pag. 261. num. 718.*
(*t*) Vide Bibliothecam Carmelitanam, *tom. 1. pag. 301. & tom. 2. pag. 155. & 156.*
(*u*) Superiori *num. 30. ad annum 394. pag. 15.*
(*x*) Guillelmus S. Theodorici, inter Opera S. Bernardi *tom. 2. pag. 202. 203. num. 1. 3. & 4.*

Dei pingue otium altero in alterum zelantibus, deserta repleta sunt, ex quibus legimus Paulos, Macarios, Antonins, Arsenios & alios quàmplures in sanctæ hujus conversationis Republica consulares virns. Eadem ferè verba & eodem sensu desumpra reperies apud Joannem Cassianum, *Lib. II. Institut. cop 5. necnon collot. 18. cap. itidem 5.*

3°. Petrus Comestor circà annum 1170. scribens Historiam Evangelicam, *cap. 31.* loquitur de tribus Judæorum Sectis quæ tempore Baptismi Joannis vigebant: *Esseni*, inquit, *ferè in omnibus Monasticam agebant vitam . . . habebant omnia communio . . . simul & cum silentio edebont*, &c.

4°. Joacbimus, Abbas Florensis in Calabria, superstes (y) anno 1200. in capur secundum Apocalypseos scribebat: » eodem tempore appertionis quartæ, inventæ sunt » reliquiæ in Populo Græcorum, & Viri probatissimi, Habitatores Eremi; quorum alii, » qui imitatinne Eliæ antè processerant, omninò jam arescere incipiebant; alii verò qui » successerant in imitatione Elisei, cœperunt fieri patres Monachorum & Virginum, quo- » rum imitatio usque ad Latinos pervenit.

5°. Chronicon Ordinis F F. Prædicatorum, Constitutionibus ejusdem Ordinis adjunctum, sic habet ad annum 1241. » Fuerunt ab initio nascentis Ecclesiæ in Terra Sancta » & maximè in monte Carmeli Eremitæ multi . . . quorum conversationem videns felicis » recordationis D. Albertus, Patriarcba Hierosolymitanus, multum ens spiritualiter in » Domino nurriebat.

6°. Eidem npinioni favent Prælati Terræ-Sanctæ, (z) scilicet Ricbardus Nicosiensis Archiepiscopus, Guillelmus Ebronensis, & Guillelmus Tyberiadensis Episcopi, in lirreris Acone die vigesima-tertiâ mensis Septembris anno 1282. datis ad Martinum IV. Romanum Pontificem, in quibus dicunt: *Ordo Fratrum Beatæ Moriæ de monte Cormelo, qui inter cæteras Sacras Religiones Apostolicæ Sedi devotas claret devotione conspicuâ, fuit in Cismorinis portibus à tempore, cujus non extat memoria, à priscis Patribus in Terræ-Sonctæ solotium institutus.*

7°. Verba eadem leguntur in literis, quas in eadem Civitate Aconensi ad eumdem summum Pontificem Martinum IV. die 12. Julii 1683. dederunt Frater Nicolaus Largius, dnmùs Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani Magister, & pauperum Cbristi custos, ac Frater Guillelmus de Belln-locn, pauperis Militiæ Templi Magister bumilis.

Jam verò institutum duodecimo Seculn dIces Ordinem „ quem Scriptores Seculi decimitertii asseruerunt institutum fuisse à tempore, cujus non extabat memoria? Talis est Ordo Carmelitarum, quorum *Monasterium magnum* in monte Carmelo *antiquitùs* extitisse affirmat Joannes Phocas anno 1185. Aymericum Antiocbenum fuisse Ordinis Carmelitarum promotorem & propagatorem affirmat Baronius, cui & consentit R. P. Dominus Antonius Rivet, *in Historia Literaria Franciæ, tomo IX. pag. 139. num. CLXXIX.*

Reformati autem alios ejusdem Religionis asseclas supponunt antiquiores, qui à Majoribus suum acceperint Institutum. Ii, à quibus S. Bertboldus edoctus fuit imitatiunem Elianam in vita Monastica, gloriantur alios babere Seniores, qui continuâ nec interruptâ serie trahebant originem, cujus perpetua successio gradatim ascendebat ad S. Antonium; à S. Antonio, ad Essenos & Tberapeutas; ab Essenis & Therapeutis, ad Assidæos & Rechabitas; à Rechabitis, ad Prnphetas & filios Propbetarum; quibus Elias Propbeta se in exemplum in Monte Carmelo exhibuit, primas Monasticæ professionis lineas saltem adumbrans; prout allata innuunt hactenùs hujus Dissertationis Historica Segmenta, uniuscujusque sano & prudenti proposita judicio.

(y) Pagi *tom. 4. ad annum, 1190. num. 5. pag. 693.*

(z) Prælati Terræ - Sanctæ, in literis relatis à Thoma Waldensi, *tom. 3. tit. 9. cap. 89.* *Et tom. 1. Speculi Carmelitani, pag. 115. num. 500. & seqq.*

BIBLIOTHECA CARMELITANA,

NOTIS CRITICIS ET DISSERTATIONIBUS ILLUSTRATA.

A.

I.

ADAMUS DE BODROMO, natione Germanus: BODMATICUM enim volgò BODMEN, castrum Germaniæ est in Sueviâ ad Lacum Constantiensem: Floruit circà annum 1350. scribens lecturam Sententiarum Lib. IV. & *Determinationes Theologicas*, Lib. I.

Ita referunt Arnoldus Bostius, *Lib. de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum*; Conradus Gesnerus in *Bibliothecâ universali*: Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annalium Carmelitar. anno* 1350. *num.* 7. *pag.* 598. Paulus ab omnibus Sanctis, Carmelita Excalceatus, in *Catalogo Scriptor. Carmelit. pag.* 65. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1095. *num.* 3870

II.

ADAMUS HEMLINGTONUS, aliàs HEMELENDUNUS, natione Anglus, patriâ Norfolcensis, & ibi Carmelita, Oxonii primùm, deindè Lutetiæ Parisiorum, Scientias, tùm Philosophicas, tùm Theologicas affatim hausit, usque ad supremam lauream, quam consecutus est sub anno 1420. Decessit Norwici, postquam scripsisset,

1. *Conciones*, Lib. I.
2. *Quæstiones ordinarias*, Lib. I.
3. *De Actu Parisiensi*, Lib. I.

De illo loquuntur Joannes Lelandus, & Pitseus, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*: Conradus Gesnerus in *Bibliothecâ universali*, referens Joannem Balæum: Antonius Possevinus, *tom.* 1. *Apparatûs Sacri*, *pag.* 7. *Edit. Colon.* 1608. *in-folio.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 332. Lezana *ad annum* 420. *num.* 8. *pag.* 793. Daniel a Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1114. *num.* 3943. Joannes Albertus Fabricius in *Bibliothecâ mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 1. *pag.* 23.

III.

ADAMUS SAXLINGHAMUS, natione Anglus, in Conventu Carmelitarum Norwicensi Monachus: Vir in scholasticis Concertationibus tùm sacris, tùm prophanis, & in Concionibus ad populum non inelegans: Quas Conciones, ut ex Lelando colligere est, postea Latinas fecit. Scripsisse dicitur circa annum 1350.

1. *Disputationes Philosophicas*, Lib. I.
2. *Disputationes Theologicas*, Lib. I.
3. *Sermones per annum*, Lib. I.

Ejus mentionem habent Joannes Pitseus, Lib. *de illustribus Angliæ Scriptoribus*, ætate 14. num. 567. Conradus Gesnerus in *Bibliothecâ universali*: Antonius Possevinus, *tom.* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 8. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Alegreus Cassanatus, *pag.* 296. Lezana, *tomo* 4. *pag.* 598. *num.* 4. Daniel a Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1114. *num.* 3943. Fabricius in *Bibliothecâ mediæ & infimæ Latinitatis*, *tom.* 1. *pag.* 27. Jacobus Frisius in *Epitome Bibliot. Gesnerianæ*, *pag.* 6. *col.* 2.

IV.

ADRIANUS ARNOLDI, seu DE ARNOLDIS, natione Belga, in Conventu Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, *Brugis* in Flandriâ vitam religiosam professus est, anno à Christi nativitate 1583. Ibidem primùm Deo Missæ Sacrificium obtulit anno 1490. Lector institutus anno 1500. promotus Sacræ Theologiæ Baccalaureus anno 1507. Doctor Parisiensis anno 1515. renuntiatus.

Episcopus ROSSENSIS in partibus Infidelium, anno 1517. die 18. Septembris, cum pensione super mensam Ecclesiæ Cameracensis, ad exercenda Pontificalia in Diœcesi Cameracensi, Vicarius in spiritua-

A.

libus ibi assumptus est, post Trinitatem Dominicâ 24. consecratus ab Episcopo Morinensi (seu TEROANÆ Morinorum) ejusque Suffraganeo, & Episcopo Sareptano, Suffraganeo Tornacensi. Anno 1518. die 18. Februarii, consecravit Altare Venerabilis Sacramenti in Choro Carmelitarum Antuerpiensium, *in honorem Venerabilis Sacramenti, ac Sanctarum Catharinæ & Ursulæ, Virginum & Martyrum.* Anno 1525. die 24. Aprilis, consecravit *Capellam à latere Aquilonari Chori ejusdem Ecclesiæ.* Decessit *Bruxellis*, & ibi in Carmelitarum Conventu sepultus est mense Novembri, anno 1536. Brugenses Carmelitæ Anniversarium ejus hactenùs celebrant infrà Octavam Fidelium Defunctorum. Scripsit,

1. In *Magistrum Sententiarum* Libros IV.
2. *In Biblia Sacra.*
3. *Conciones per annum*, Lib. I.

Adrianum de Arnoldis memorant *Acta Consistorialia Leonis X.* ad diem 18. Sept. 1517. Codex Mſ. Carmelitarum Brugensium. Liber Mſ. *Rerum memorabilium Conventûs Antuerpiensis*, Carmelitanus: Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 906. *num.* 3151. Idem *in Vineâ Carmeli*, *pag.* 506. *num.* 906.

V.

ADRIANUS HECQUET, natione Belga, Attebas ortu, in patriâ Habitum Religionis Carmelitanæ induit, & Conventum suæ Civitatis Prior rexit, Doctor Theologus Coloniensis (Parisiensis FERREOLO LOCRIO;) Poëticæ tamen arti non segniter addictus, & aliàs celeberrimus Ecclesiastes. Post assiduas in studio vigilias, post magnos in sudore labores, post insignia in zelo Catholicæ Fidei sustinendo probamina, post longam in observantiâ regulari perseverantiam, obiit *Atrebati*, anno 1580. Scripsit,

1. *Peripetasma argumentorum insignium*: nimirùm de *immortalitate*, *æternâque felicitate*; de *Evangelii semine*; *Funera potissimùm doctorum Virorum illustria*: De *erapulæ vitio*; *jocos & sales*; *Epigrammata*, & *Carmina miscellanea*, &c. *Lovanii*, *Typis* Joannis Bogardi, *anno* 1564. *in*-4°. Hanc editionem citat Georgius Daudrius in *Bibliothecâ Classicâ*, *pag.* 158. sed aliam anni 1557. *in*-8°. Lovaniensem appellat, *pag.* 1497.

2. *Scenam rerum inversam*, versu heroïco & prosâ editam *in*-8°.

3. *Enarrationes locupletissimas*, seu *Homilias in Evangelia quadragesimalia. Parisiis*, *apud* Michaelem de Roigny, *anno* 1570. *in*-8°. Extat in Bibliothecâ Carmelitarum Aurelianensium. Aliam tamen nominant Parisiensem, anni ejusdem 1570. apud Michaëlem Sonnium, editionem factam ibidem *in*-8°. Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis*, *pag.* 92. & Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliothecâ Belgicâ*, *pag.* 13. Auctor Ethicæ Amoris, *tom.* 3. *pag.* 515.

4. *Revocationem Hæreticorum à Lutheranismo*, reliquisque Hæreseum generibus ad *Evangelicam & verè Catholicam Ecclesiæ Fidem.* Antuerpiæ, anno 1557. *in*-8°. apud Bellerum, & Gravium.

5. Gallico idiomate, *Le Chariot de l'Année*, hoc est Latinè, *Anni Curriculum*, in quo tractatur de proprietatibus quatuor anni temporum; deque historiis ac materiis dierum Festorum per annum occurrentium, Lib. IV. *Lovanii*, *apud* Joannem de Winghe. *anno* 1552. *in*-12.

6. *L'Arrêt du Cœur*, hoc est, *Moram* seu *Refrænationem cordis*, in quâ explicatur quo pacto verus Christianus debeat in suo requiescere Creatore, &c. *Antuerp. apud* Guillelmum Simonis, 1557. *in*-16.

7. *La forme de parfaite Pénitence pour apprendre à soi bien confesser, & mettre la conscience en bon état.* A Anvers, chez Guillaume Simonis, 1569. *in*-16. Item, *à Lyon*, *chez* Benoist. 1569. *in*-16.

8. *De l'instruction des Paroisses*, *contenant des Prônes pour toutes les Fêtes & Dimanches de l'année*; hoc est Latino sermone, *Instructiones* sive *Institutiones Parochiarum*, sive *Sermones familiares in Epistolas & Evangelia dierum festivorum & dominicalium per annum.* Antuerpiæ, Typis Plantinianis, *in*-16. & *Lugduni*, 1574. Parisiis anteà 1572. si credes Possevino.

9. *L'Ordinaire du vrai Chrétien*, hoc est Latinè, *Ordinaria veri Christiani Methodus ad Deum orandum.* Parisiis, *in*-16. *anno* 1570. si Dupino fidem adhibueris; *anno* 1576. si Foppens credideris; & Georgio Draudio in *Bibliotheca Exotica*, *pag.* 35.

10. *Orationes funebres*, quæ citantur in Athenis Belgicis, *pag.* 97.

11. *Epistolas varias* ad PIUM IV. Pontificem, aliosque Ecclesiæ Præsules, editas ad calcem Enarrationum in Evangelia quadragesimalia, *pag.* 244. & *seqq.*

12. *Conciones*, quas Lovanii *de ipsis Evangeliis Dominicalibus* publicè habuit, ac latinè pronuntiavit, ibidem promittit typis edendas, *pag.* 293. Enarrationum: Ast aliæ non videntur ab Institutionibus Parochialibus, quas latino prælo dedit, etiamsi *num.* 8. gallico idiomate annuntiaverimus, quia hoc sermone annuntiat Dupinus.

Adrianum Hecquet laudant Ferreolus Locrius in *Catalogo Scriptorum Artesiæ*, ad calcem *Chronici* sui *Belgici* edito: Antonius Possevinus, *tom.* 1. *Apparatûs Sacri*, *pag.* 10. Georgius Daudrius in *Bibliothecâ Classicâ* primæ editionis, *pag.* 158. 543. & 1497. Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis*, *pag.* 97. Ludovicus Ellies Dupin in *Tabulâ universali Scriptorum Ecclesiasticorum*, *tom.* 1. *pag.* 1153. & *tom.* 2. *pag.* 2870. Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliothecâ Belgicâ*, *tom.* 1. *pag.* 13.

Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 401. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptor. Carmelit. pag.* 65. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1106. *num.* 3923. *&c.* sed præcipuè Petrus Lucius in *Carmelitanâ Bibliothecâ*, *pag.* 33. *versâ*; ubi *Artesiæ oppidum mihi cum primis charum*, inquit, eò *quod ob nomen & Christi fidem Bruxellâ exularem, illud unicum refugium & receptaculum mihi fuerit*; anno 1581. die 23. Aprilis, ut ipse refert ad Rmum. Joannem-Stephanum Chizzolam, in Epistolâ nuncupatoriâ, *ad Librum Joan. Trithem. de laud. Ord. Carmel. præfixâ.*

VI.

ADRIANUS SAREMBIUS, natione Polonus, Carmelita Cracoviensis patriâ, in divinis apprimè Vir litteris excultissimus, Fidei Catholicæ ingenuus zelo, quem sui vulgò Hæreticorum Contusorem uno ore vocarunt. Regius fuit eloquii cœlestis Concionator in Regno Poloniæ notissimus circà annum 1626. scribens:

1. *Hæreticorum Malleum*, id est, *De Sacramentis Ecclesiæ.* Cracoviæ, *anno* 1626. *in*-8°.

2. *De arte benè moriendi*, Polono priùs, deindè Latino idiomate Librum unum *ibidem* editum.

Ita exhibent Relationes Mſſ. Carmelitarum Polonorum ab Alegreo Cassanato laudatæ in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 492. Eumdem proindè nominarunt Sarembium Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Carmelitarum Scriptorum*, *pag.* 65. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1105. *num.* 3918.

A.

Paulò antè, imò eodem tempore florebat in Poloniâ ADAMUS FRANCISCUS WISINSKI, magnæ famæ Carmelita, Vir Apostolicis Missionibus totus deditus, cui PAULUS V. Pontifex Maximus permisit, ut in itinere Altare portatile habere posset, ac super eo, ubi Ecclesiarum commoditas non foret, sacro-sanctum Missæ Sacrificium per quemcunque Sacerdotem approbatum Secularem, seu de Superiorum suorum licentiâ, Regularem, in suâ ac familiæ suæ præsentiâ celebrari facere liberè & licitè valeret. Hàc de facultate concessæ die 13. Novembris 1620. Litteræ Apostolicæ referuntur *tom. 2. Bullarii Carmelitarum, pag. 383.*

VII.

ÆGIDIUS CROSEOL, natione Gallus, Provinciæ Turoniæ Carmelita, Cœnobii Rupellensis alumnus, Supprior, Vicarius, & successivè Prior, in sacrâ Facultate Pictaviensi Licentiatus, in divinis Scripturis perscrutandis velut apis argumentosa solersque factus, mirabiles sapientiæ protulit favos: dum concionabatur fax erat ardentissima; in doctrina sana instruebat omnes, multa sua bona Rupellensi Cœnobio & spiritualia, & temporalia procuravit, & ad senectam venerabilem perductus, in pace quievit sub anno 1556.

Scripsit *ad Henricum Secundum, Galliæ Regem Christianissimam, Libellum supplicem, pro sui Conventûs Rupellensis conservatione, Ms.* Cùm enim situs hujus Cœnobii à portu Marino non longè distantis, ad constructionem Arcis aptus, Regio Suæ Majestatis in Consilio judicaretur; jussio Domino DE STISSAC Rupellensi Pro-Regi intimata fuit. Intimationem sibi factam Pro-Rex significavit nostro ÆGIDIO CROSEOL, ejusdem Conventûs Vicario; qui statim totis nervis & Regem à Decreto, & Pro-Regem ab executione Decreti divertere contendit, ad hoc libello supplici de die 16. Januarii anno 1556. oblato eidem Pro-Regi. Quo in libello & Conventûs splendorem, & divini cultûs majestatem, & Religionis observantiam, & Navigantium devotionem fuse exponebat. Cui tamen libello nihil deferens Pro-Rex, jussit & præcepit Carmelitis è suo Conventu recedere, & ad Xenodochium Sanctorum JULIANI, THOMÆ, NICOLAI A FONTE, & JOB se recipere & transferre: clavibus ejusdem Xenodochii illis Religiosis ab Eleemosinario, die decimo Kalendas Februarii ejusdem anni 1556. præ manibus datis. His autem discedentibus, sine morâ demolitionem ædificiorum aggreditur dictus Dominus DE STISSAC. Quam demolitionem ægrè ferentes Rupellensium MAIOR & DECURIONES, intercessionem suam intimant prædicto Pro-Regi: a quo minimè auditi & repulsi, ad Regium Tribunal accurrunt, Conventûs Carmelitarum conservationem submissè deprecantes, tùm ob loci reverentiam, tùm ob Ascetarum pietatem allegantes; insuper pactum inter CAROLUM V. Galliæ Regem, & Rupellenses Cives quondam initum fuisse asseverantes, ut Arx tunc temporis in medio Rupellæ erecta, solo adæquaretur, novaque nusquam reædificaretur.

Quibus verbis & pactis commotus Rex HENRICUS SECUNDUS, demolitionem jussam fieri vetat; sed heu! tardiùs vetat. Jamjam etenim CARMELI præcipuæ moles RUPELLENSIS ædificiorum prostratæ erant, nulloque ad habitandum apto superstite loco, in Xenodochio suo Carmelitæ remanere sunt coacti. Dominium tamen fundi DU PERROT non abnegarunt.

Ægidium Croseol commendant *Archiva Carmeli Rupellensis.* Mathurinus Aubron in *Annalibus Carmelitarum Provinciæ Taron. Mss. cap. 5.* Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Descriptione Ms. Conventuum Carmelitarum Provinciæ Taron. pag. 8.* Hugo à S. Francisco in *Vita Philippi Thibault, cap. 57. pag. 414.*

In eodem *Encomio Ms. pag. 11.* recensetur ÆGIDIUS BIZEUL, Nannetensis Carmelita, inter suos insignis tùm ob non vulgarem doctrinam, tum ob pietatem extraordinariam. Divini verbi præco excellens, celebriores Pictavienses, Andegavenses & Aremoricos suggestus, magno cum Auditorum plausu conscendit. Carmeli sui Nannetensis electus Prior anno 1590. conversatione suâ affabili & sanctâ de omnibus promeritus est. Annis & meritis onustus, octogenarius obiit versùs annum 1600. relictis *Concionibus Mss.* in eodem Carmelo.

Eadem in pagina hujus *brevis Encomii Ms.* laudatur ÆGIDIUS CHRONAVS, Aremoricus Brito, patriâ Dolensis Carmelita; vir selectâ sapientiâ illustris, virture multiplici ornatus, notâque probitate clarus. Puritatis Angelicæ imitator, illo castior nemo, in divino recitando Officio præcipuè devotio illius elucebat. Electus Dolensis Prior, vigilantiâ suâ magnum observantiæ obrulit incrementum. Defunctus est anno 1601. conscriptis ad *Deum piis Orationibus Mss.*

VIII.

ÆGIDIUS FABER, vulgò DE SMEDT, *Bruxellis* natus, ibidem Carmelitanæ Militiæ nomen dedit; ubi post consueta Scholarum curricula, Doctor Theologus Lovaniensis, Matriculæ Universitatis inscriptus est anno 1468. adeò divinis & humanis Literis profecerat, ut cunctis non solùm charus, sed & venerabilis exstiterit. Celeberrimus sui seculi Ecclesiastes cùm esset, ut audiretur ipse concionaturus, loca omnia in subsellis occupabantur, & Templa replebantur auditoribus adstantibus erectis & intentis.

Et verò, quæ tria M. Tullius in Oratore desiderat, Lib. ad M. Brut. num. 13. *ut doceat, ut delectet, ut moveat;* ea summè Ægidius Faber Carmelita, Doctor Lovaniensis tenuit, sic, ut rem illustraret differendo, & animos audientium devinciret voluptate, eos denique promoveret atque incitaret. Erat enim in eo, ut illis temporibus, eximia doctrina, divina memoria, summa cùm Sacræ tùm Prophanæ Historiæ cognitio; atque hæc omnia vitæ decorabat gravitas & integritas morum, atque conservationis sagacitas, quibus virtutum momentis nomen apud omnes celebre comparavit.

Tantam auctoritatem apud MAXIMILIANUM Imperatorem est assecutus, ut Cæsarea Majestas suis eum Consiliis adhiberet, & plurimis Carmelitana Cœnobia beneficiis afficeret; atque Bruxellense solemni etiam Equitum aurei Velleris inauguratione illustraret. Illustravit autem ipse suum & Ordinis nomen multis voluminibus, quæ scripsit ad annum usque 1506. quo *Bruxellis* defunctus, sepulturam perhonorificam accepit, eleganti Sarcophago rectus; ubi cernebatur effigies Viri sculpta. Quod honoris signum anno 1572. Hæretici sustulère, & ad profanos usus lapidem addixère: hujus Fratribus Cœnobii in exilium, ob Fidei defensionem, miserè actis. Scripta ejus referuntur à Trithemio & aliis Scriptoribus Bibliothecariis:

1. *Commentarii in Ruth, & Job*, Lib. II.
2. *Commentarii in Evangelia & Epistolas D. Pauli*, Lib. VIII. de quibus Commentariis mentionem habet Jacobus Lelong in *Bibliotheca Sacra tomo 2. pag. 719. col. 2. A.*
3. *Commentarii in Magistrum Sententiarum*, Lib. IV.
4. *Quæstiones ordinariæ.*
5. *Determinationes Theologicæ.*
6. *Orationes ad Clerum.*
7. *Sermones ad Populum.*
8. *De Testamento in Cruce.*

A.

9. *Contrà Proprietarios.*
10. *De ortu Religionum.*
11. *Præcepta Vitæ Religiosæ.*
12. *Chronicon Ordinis sui.*
13. *Historia Brabantiæ Mſ.* quæ citatur à Jacobo Lelong in *Bibl. hist. Gal. pag.* 814. *num.* 15721.

Ægidium Fabri collaudaut Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum.* Possevinus, *tom.* 1. *Apparatûs Sacri*, *pag.* 14. Guillelmus Eisengreuius in *Catalogo testium veritatis.* Conradus Gesnerus in *Bibliothecâ Universali :* Ludovicus Guicciardinus in *Descriptione Civitatis Bruxellensis :* Cornelius Callidius, *Lib. de Scriptoribus illustribus.* Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis*, *pag.* 106. Andreas Valerius, & Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliothecâ Belgicâ*, *pag.* 29. Aubertus Miræus in *Elogiis Belgicis.* Dictionarium Moretianum, verbo, *Fabri.* Dupinus in *Tab. univers. de Scriptor. Eccles. tom.* 1. *pag.* 910.

E Carmelitis Petrus Lucius in *Carmelitanâ Bibliothecâ*, *pag.* 2. *revers.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 380. Augustinus Biscaretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli :* Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annalium*, *ad annum* 1306. *num.* 8. *pag.* 1019. Paulus ab omnibus Sanctis ad Caput 7. Auberti Miræi *de origine & incrementis Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 211. Daniel à Virgine Mariâ in *Vineâ Carmeli*, *pag.* 511. *num.* 916. Idem *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1106. *num.* 3923.

IX.

ÆGIDIUS FERNANDIUS, natione Hispanus, Provinciâ Bæticus, Patriâ Requenensis, *Pintiæ* Conventûs Filius, & posteà Prior. Vir sapientissimus, & Religionis amans: à Consultationibus sacri fidei Senatûs: Complutensi in Academiâ quondam sacræ paginæ Interpres, omni excultus scientiarum eruditione. Quod probavêre mirabiles hujus Religiosi Viri, publicæ Pintiæ, Salmanticæ, Compluti, Romæ, & Cremonæ Disputationes habitæ cum adstantium gratissimo plausu. Circà annum 1605. scripsisse fertur,

1. *De Metaphysicis.*
2. *De Theologicis.*
3. *De variis Fidei Mysteriis*, Opera Mſſ. quæ in Bibliothecis Carmelitarum asservari subinnuunt. *Relationes Baticæ Mſſ.* quas citat Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *p.* 452. & 453.

X.

ÆGIDIUS HONESTUS, sive DE HONESTIS, natione Siculus, Patriâ Drepanitanus, ibi Carmelitanam Religionem professus est. In nonnullis Ordinis sui Cœnobiis graviores disciplinas Regentis munere docuit, & Sacræ Theologiæ Magister renuntiatus, apud suos refulsit. Bis in Siciliâ Provinciæ S. Alberti gubernacula annis octo moderatus est. Visitatoris, Commissarii Generalis, & Reformatoris munus quinque per lustra egit eâdem in Insulâ: & in Provinciâ S. Angeli, Vicarii Generalis Provinciam rexit. Per hosce honorum gradus, prudentiâ, morum suavitate, ac virtutum ornamento conditis, omnium amorem, ac venerationem sibi conciliavit.

In Generalibus Comitiis Romæ coactis anno 1598. Generalem totius Ordinis Moderatorem Patrum vota pro meritis creare decreverunt: eique postmodum S. R. E. Cardinalis MONTEPULEIANUS, Episcopalem Infulam *Policastri*, quam resignare cogitabat N. INCOMELLI Romanus, obtulit non immeritò: at agnoscens ÆGIDII humilitas se tantorum onerum moli imparem, utramque dignitatem constanti animo recusavit.

Ad Ordinis sui splendorem memorabilia dedit Opera: nonnullis ornamentis celeberrimum SS. Virginis Templum & Cœnobium Drepanitanum, cui præfuit, cohonestavit; & capite S. Viti Martyris, memorati Cardinalis dono locupletavit, extructo in ejus honorem Sacello. *Drepani*, & *Panormi* Cœnobia Sancti ALBERTI, & S. MARIÆ DE ITRIA fundavit. Tandem tantorum meritorum merce gravidus, animam *Drepani* exoneravit die 19. Maii, anno 1611. Scripsisse fertur,

De septem post mortem receptaculis animarum.

Id testatur Leonardus Orlandinus in *Descriptione Drepani*, *pag.* 63. & in *Epistolâ nuncupatoriâ ;* prout legitur apud Antoninum Mongitorem, in *Bibliot. Sicul. tom.* 1. *pag.* 3. ubi alii quoque Auctores referuntur nostri Ægidii Honesti qui laudes dicunt; nempè Petrus Lucius in *Carmelitanâ Bibliotheca*, *pag.* 81. *revers.* Rocchus Pirrhus in *Notis Eccles. Mazar. pag.* 550. Octavius Caetanus in *Vitis Sanctorum Siculorum*, *tom.* 1. *animadv. pag.* 82. & *tom.* 2. *pag.* 208. Vincentius Nobilis in *Thesauro abscondito pro Sanctissimâ Virgine Drepani*, *cap.* 23. *pag.* 200. & 790. Quibus adde Danielem à Virgine, *tom.* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 659. *num.* 2528.

XI.

ÆGIDIA A SANCTO FRANCISCO, in inferiori Armoricâ orta Nobilibus & piis Parentibus JOANNE DU RUFLAY DE LA CORNILLIERE, & ÆGIDIA DE PLEUMOGAT, anno 1600. die 22. Januarii; ab anno ætatis sexto peculiariter delectabatur aspectu Cœli, quò meliùs frui rata in locis elevatioribus, ea ascendebat; hinc terram quasi vilem despiciebat. Etiam à pueritiâ singulariter in eâ eluxit devotio ad gloriosam Dei Matrem, nec-non ergà S. Prophetam ELIAM, eò quòd in libro quodam legisset, ipsum in Carmelo honorasse Virginem Deum parituram. Et indè promota fuit, ut huic se daret Ordini. Nam anno 1618. die 22. Augusti in Parthenonem Venetensem apud Armoricos, qui vulgo NAZARATH vocatur, ingressa est, & ad diem 7. Januarii anno 1618. postulatricis ratione ibi servatâ, sacrum Religionis Habitum induit, & anno 1619. infra Octavam SS. Sacramenti, solemnia sua vota dixit. Virtutibus decorata variis, extases & charismata cœlestia recepit à Deo, plurimisque probata tentamentis. Cum aliis sex Monialibus destinata ad novam Rhedonensis Parthenonis fundationem, illuc pervenit die 16. Aprilis, anno 1622. ubi sanctissimè vixit, & obiit anno 1647. die 16. Januarii, non sine magnâ sanctitatis opinione.

Hæc Monialis est nostra ÆGIDIA quam indicat Mathurinus à S. Annâ in *Vita* Venerabilis Fratris JOANNIS A S. SAMSONE, Carmelitæ, *cap.* 14. *pag.* 144. dicens: » Visus est Fr. Joannes semel » & iterùm, à Sanctimoniali summæ perfectionis, » eique (hoc utique vinculo) dum viveret, arctissimè » conjuncta. Primò vidit eum in aere sublatum, » vestitum cappâ albâ, multùm radiante & fulgidâ, » manuque suâ Conventum suum benedicentem; » deindè ei & secundò apparuit cùm esset in gravi » quâdam angustiâ, eamque est consolatus, certiorem » faciens de suâ cum eo, glorioso & honorifico nexu, » futurâ Societate, & statim evanuit. Eadem verba Gallicè describit Donatianus à S. Niculao in *Vita* Ejusdem Fr. Joannis à S. Samsone, *pag.* 14.

Scripsit Gallicè,

1. *De la Divine Providence*, *Mſ.*
2. *Des Mystéres de la Très-Sainte Trinité*, *& de l'Incarnation*, *Mſ.*
3. *De le Solitude du Carmel*, *Mſ.*
4. *Des loüanges de la Sainte Vierge*, *Mſ.*

Vita ejus prodiit uno Gallico Libello descripta, quam laudat Daniel à Virgine Mariâ in *Vinea Carmeli*, *pag.*

A.

pag. 558. *num.* 999. Idem *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1056. *num.* 3651. Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Anno Carmelitica Mss. ad diem* 16. *Januarii.* Hugo à Sancto Francisco in Vita *R. P. Philippi Thibault*, *cap.* 41. *pag.* 292. ubi vocat eam ÆGIDIAM DU RUFLAY A S. CLARA. Quæ verba eadem exscribit Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. Monasteriarum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 219. Eadem mentio habetur in Concordato Provinciæ Turonensis cum Monialibus in Armoricâ, quod prodiit *tom.* 2. *Bullar. Carmelitar. pag.* 475. *col.* 1. *lin.* 50.

XII.

ÆGIDIUS LEONDELICATUS, natione Siculus, Saccæ natus, & Ordinis Carmelitici Professus Religiosus, Sacræ Theologiæ Magister, nedùm doctrinâ præclarus, verùm etiam vitæ integritate illustris; historicâ etiam eruditione dives enituit. In Sicilia nonnulla rexit Ordinis sui Cœnobia, Prioris monere. Obiit Saccæ, anno 1597. posthumo relicto Opere Italicè conscripto; scilicet,

Giardino Carmelitana Parti Quattro, nel quale si cantengono l'Historia dell' Origine, Continuatione, e Multiplicatione della sacra & antichissima Religione Carmelitana. Panormi, apud Joannem-Baptistam Maringum. 1600. *in-4°.*

Hujus meminerunt Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annaliam*, *ad annum* 1200. *num.* 3. *pag.* 155. & *ad annum* 1503. *num.* 9. *pag.* 1012. Idem *an.* 1307. *nam.* 3. *pag.* 487. Roccus Pirrus in *Notis Eccles. Agrigent. pag.* 336. & 339. Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. Conventuum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 232. Antonious Mongitor in *Bibliot. Sicul. tom.* 1. *pag.* 4. Augustinus Biscarettus in *Palmitibus Vineæ Carmeli.* Daniel à Virg. *tom.* 2. *Specali Carmelit. pag.* 535. *num.* 1928. Daniel Papebroch. *tom.* 2. *mensis Maii*, *pag.* 719. *littera*, A & *pag.* 342. *num.* 17.

XIII.

ÆGIDIUS DE MERICA, natione Germanus: *Emmericum* enim Urbs est munita Germaniæ in Circulo Westphaliæ, in Clivensi Ducatu, ad Rhenum Fluvium, antea subacta dominio Belgarum. ÆGIDIUS noster professione fuit Conventûs Mechliniensis in Belgio, eo tempore, fulgore strictioris Observantiæ a Joanne Sorethio, Ordinis Priore Generali stabilitæ, illustris. Conventus autem Antuerpiensis, Mechliniensis, & alii in Brabantia & Hollandia siti, tunc temporis erant sub Carmelitarum Provinciâ Germaniæ, seu Allemaniæ inferioris.

ÆGIDIUS probationis anno ibì completo, tribus solemnibus Votis Deo & B. Virgini Mariæ se tradidit anno 1485. die 6. Februarii. In vigilia Assumptionis, anno 1497. deputatus fuit ut haberet solemnem Orationem ad Universitatem Coloniensem, & institutus ibì Lector atque Baccalaureus, in Capitulari Congregatione die 6. Maii anno 1498. habitâ, Lector principalis Antuerpiæ, nec-non etiam in Comitiis Generalibus eodem anno ad Conventum Nemausensem celebratis die 3. Junii à PONTIO RAINAUDO, Prior secundus jam Antuerpiæ factus, ad promotionem Doctoralem postulatus. Quo quidem Prioratûs tempore, augusti Chori ac ambitûs structuram magno animo inchoavit: verùm anno 1499. sexto Idus Maii assumptus est in Episcopum Beritensem, ac Suffraganeum Cameracensem; consecratusque fuit eodem anno, Festo die Nativitatis B. Virginis. Ex hac vitâ migravit anno 1505. die 5. Februarii. Scripsit,

1. *Orationem solemnem ad Universitatem Coloniensem*, jam deperditam arbitror.

2. *Commentarios in Biblia sacra*, quos Biblicus Lector Coloniæ dictavit; sed perierunt.

De Ægidio Emmericano loquuntur Alexander VI. in Bullâ ejus promotionis, *Lib.* 261. *fol.* 214. Codices Mss. Carmelitarum Mechliniensium & Antuerpiensium: Antonius Sanderus in *Chorographia Brabant.* sub titulo, *Charographia sacra Carmeli Mechliniensis.* Daniel à Virgine, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 907. *num.* 3154. Idem Daniel in *Vinea Carmeli*, *pag.* 505. *num.* 905. Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. Episcoporum Ordinis Carmelitarum*: ubi animadvertit Ægidium de Merica, Beritensem Episcopum, fuisse Cameracensem Suffraganeum sub Henrico de Berghes, & Jacobo de Croy, Archiepiscopis: Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annalium*, *an.* 1493. *nam.* 8. *pag.* 982. Idem Lezana, *tom.* 4. *anno* 1505. *num.* 5. *pag.* 1017. ubi refert Ægidium de Merica sepultum fuisse Antuerpiæ in Choro Carmelitarum Ecclesiæ quem inchoaverat; perfecit autem R. P. Magister Sebastianus Grays, Electus Prior anno 1502.

Porrò Antonius Sanderus jam citatus in Chorographia sacra Carmeli Antuerpiensis, sic loquitur:

» Ægidius de Merica, Episcopus Beritensis, & » Suffraganeus Cameracensis, ob magnum pietati ad- » junctum doctrinæ decus, ad Cameracensis Ecclesiæ » regimen assumptus, perfecta gregis sui forma fa- » ctus. Dum hìc Priorem ageret, uti publicum omni- » bus oraculum erat; indéque delicium binc fuit, » quod incolere incipientibus Antuerpiam, tam sta- » bili, tam magnifico Claustrorum & Chori ædificio » ausus fuerit dare, & dederit initium; sicut Antuer- » piæ, ita & Cameraci venerationi fuit & amori. De » *illo Ægidio* Liber, qui Priorum hujus Conventûs se- » riem continet, ita habet:

Quem studium & pietas, quem mens sine felle doloque,
Ad Cameracensem sustulit Ecclesiam:
Quam, Birutinensis jam factas Episcopas, Urbem
Diù docuit sanctis moribus & monitis.

XIV.

ÆGIDIUS RICHARDUS, natione Belga, Gandavensis Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, Lector Apostolicus in Sapientia, totius Ordinis Procurator Generalis constitutus anno 1534. à Nicolao Audetho, Priore Generali: vivere desiit post annum 1540. postquam edidisset Opera, quæ inscribuntur:

1. *De Romano Pontifice*, in Oratione habitâ Romæ ad Paulum III. Pontificem Maximum & Eminentissimos Cardinales, in Sacello Pontificio; sicut refert Abraham Bzovius in *Pontifice Romano*: quem scripsit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Pontificia*, *Lib.* 2. *pag.* 242.

2. *De Functione Apostolica*: Qui tractatus non fortè differt à præcedenti.

3. *De Regno Christi.*

4. *De Gloria Hierosolimæ.*

5. *De Dignitate Hominis.*

6. *De Ecclesiastica Unione.*

7. *De Dignitate Sacerdotali.*

8. *De divinæ vocis virtute.*

9. *De Sapientia Spiritûs.*

10. *De inscrutabilibus Dei viis.*

11. *De Fœcunda Ecclesiæ sterilitate.*

Quæ omnia prodierunt Venetiis, anno 1540. ut notant Aubertus Miræus, in Bibliotheca *de Scriptoribus Sæculi decimi sexti*, *cap.* 51. & Ludovicus-Ellies Dupinus, *tom.* 1. *Tabulæ universalis de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *pag.* 1034. Sed hunc non designant Carmelitam: hoc tamen Ordine Professum

A.

appellant Abraham Bzovius in Tractatu de *Romano Pontifice*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Pontificia*, *pag.* 142. Idem in *Catalogo Procuratorum Generalium Ordinis Carmelitarum Mss.* Augustinus Biscaretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annalium*, *anno* 1287. *num.* 4. *pag.* 439.

X V.

ÆGIDIUS ROSSENSIS, Episcopus, ex Ordine Carmelitano assumptus, Illustrissimi ac Reverendissimi Wilhelmi Episcopi, & Principis Argentoratensis Suffraganeus: Ast dùm Diœcesis & patria ista per bella adeò attrita esset, ut ipsemet D. Episcopus & Princeps Wilhelmus, pro suâ dignitate subsistere in eadem vix posset, ex speciali Sedis Apostolicæ licentiâ Dominus noster Ægidius transiit in Diœcesim Trevirensem, ibique Pontificalia administravit usque ad annum 1441. quò mortuus fuit, & Conventui Trevirensi sua legavit: pro quibus dictus Conventus Trevirensis, se, ad memoriam ipsius in quatuor anni temporibus servandam, perpetuis temporibus obligavit.

Hæc scribuntur in Codice Ms. *Actorum Capitularium Provinciæ Allemaniæ inferioris*, & ex illo retulit in *Historiam Provinciæ Carmelitanæ*, præfatæ *Allemaniæ* Jacobus Milendunck, Prior & Provincialis, teste Daniele à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1105. *num.* 3919.

X V I.

ÆGIDIUS SCRINIUS, natione Siculus, patriâ Drepanitanus Carmelita, meritò laudum Præconis celebratus: fuit enim prudentiæ, ut scientiarum omnium refertissimum Scrinium. Persæpè Prioris munere, Ordinis Cœnobia gubernavit. Provinciæ Siculæ S. Angeli præfuit Provincialis. In Romana Curia Procuratorem Generalem sub Joanne-Baptista Rubæo, Priore Generali anno 1564. electo egit: ibique magnam nominis famam & æstimationem assecutus est. Pluries in Pontificio Sacello Orator, & in Archigymnasio Romanæ Sapientiæ publicus Scientiarum Professor, sui laudem excitavit. Fuit etiam in Sicilia Vicarius Generalis; ubi senex apud suos Drepanitanos Fratres obiit die 6. Aprilis, anno 1589. postquam scripsisset pro suo Procuratoris Generalis munere, *Orationes habitas in Sacello Pontificio*.

Eum commendant Carolus Cartarius in *Athenæo Romano Ms.* Prosper Mandosius *in Relatione Ms.* Ludovicus Jacob *in Catalogo Ms. Procuratorum Generalium Ordinis Carmelitarum*; ubi eum vocat *Ægidium Scrigneum*: Roccus Pirrus in *Notis Ecclesiæ Mazariensis*, *pag.* 550. Antoninus Mongitor in *Appendice prima ad Bibliothecam Siculam*, *pag.* 2. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *fol.* 31. *reverf.* ubi eum vocat *Ægidium de Scrineis*.

X V I I.

AGATANGELUS A JESU MARIA, Carmelita Discalceatus, alias AUGUSTINUS SPINULA, AURELII ac ELEONORÆ SPINULÆ, Patritiorum Genuensium Filius, anno à partu Virginis 1580. mense Martio in lucem editus, divino se famulatui devovit in Ordine Carmelitico Teresianæ Observantiæ, mense Aprili anni 1595. in quo Provincialis, Definitoris Generalis, Visitatoris in Gallia, Apostolicique Curatoris, jussu Urbani VIII. Pontificis Maximi apud Camaldulenses Etruriæ munere functus, sui Ordinis Cœnobia plura fundavit, Evangeliique Præco, præcipuas Italiæ urbes illustravit. Genuæ morbo extinctus die 18. Junii 1641. posteris reliquit *Conciones*, tùm *Quadragesimales*, tùm *Annuales Mss.* quæ apud suos Religiosos viros summo studio custodiuntur.

Hæc ad verbum refert R. P. Augustinus Oldoinus Societatis Jesu, in *Athenæo Ligustico*, anno 1680. Perusiæ edito *in-4°. pag.* 4. & 5. ubi sponsores adhibet Petrum de Crescentiis, Placentinum, in *Præsidio Romano*, & Michaëlem Justinianum Genuensem, in *prima Parte Scriptorum Ligurum*.

X V I I I.

AGATANGELUS A S. TERESIA, natione Polonus, in seculo dictus ALEXANDER PINOCIPIUS, Carmelita Excalceatus: scripsit post annum 1672. Opera Latino prælo parata:

1. *Meditationes de Beatissimâ Virgine & Sancto Joseph.*

2. *Responsionem ad quemdam Religiosum Ordinis Sancti Francisci, in suis editis Concionibus contendentem Monita spiritualia Sanctæ Teresiæ, non suis Carmelitis, sed Reformatis S. Francisci fuisse tradita.*

Hæc leguntur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, per R. P. Martialem à S. Joanne-Baptista, Burdigalæ edita anno 1730. *in-4°. pag.* 5.

X I X.

AGNES A JESU, natione Hispana, ortu Cæsaraugustana, ex nobili CASANATORUM Familiâ genita, Carmelitana Excalceata, magnis decorata virtutibus, sanctissimè decessit *Cæsaraugustæ*, anno gratiæ 1620. die 18. Junii: postquam scripsisset suâ vulgari linguâ,

1. *Relationem de statu animæ & Orationis suæ & favoribus quos sub illâ à Deo recipiebat.*

2. *Certamen pro Domini solemnitate.*

Hæc prodierunt cum ejus Vitâ à nobilissimo ac eruditissimo Equite Michaële Baptista de Lanuza, editâ Mantuæ Carpentanorum, *Typis Regiis*, 1638. ut notat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca personata Ms. pag.**8.

X X.

ALANUS BEUCLIFFUS, natione Anglus, & ideo BRITO dictus ex iis unus Anglis fuit Crucigeris, qui loca Palæstinæ sacra, devotionis causâ peragrantes, Carmelum montem conscenderunt, & hujus incolis Eremitis nomen suum dederunt. Anno 1231. mortuo Bertholdo istius nominis secundo, illorum Priore Generali quarto, nostrum Alanum communi consensu ad supremam totius Ordinis dignitatem evexerunt, Pastorem sibi eligentes non mediocri prudentiâ præcellentem, qui tanto in Terræ Sanctæ discrimine, totque calumniantium Ordinem Carmelitanum turbinibus vexatum, is solus præ aliis Director moderatus fuerit.

Anno 1237. Comitia Ordinis Generalia in eodem Carmeli Conventu celebravit: ubi decretum fuit, omnibus & singulis Fratribus Carmelicolis licitum esse, ob frequentes Saracenorum incursiones tyrannicas, ad Europam sese transferre, ibidemque suam Religionem ulteriùs propagare: quod hactenùs in particulari sæpiùs factum fuerat, nunquam tamen ex generali Ordinis decreto. Quapropter anno sequenti quidam natione Cyprii ad eam Insulam pervenerunt: Alii in Sicilia nati, eò etiam navigarunt: Alii quoque natione Galli, Galliam & Provinciam, undè oriundi erant, appulerunt.

Ipse Alanus anno 1244. assumpto secum Simone Stockio, qui jam suum anachoreticæ vitæ in Carmelo sexennium compleverat, ut nonnulli referunt, cum multis aliis sui Ordinis Fratribus in Angliam transmigravit; ubi tunc quinque ad minùs extabant ejusdem Ordinis Monasteria, sive potiùs Eremitoria, ejusque

A.

sedem primariam fixit; sed non diù eam tenuit; nam anno sequenti, Capitulo Generali Aylesfordiæ celebrato 1245. Officio sui, libens volensque Generalatûs se abdicavit: & Angliâ relictâ, Coloniam Agrippinam convertit; ibique apud Fratres suos convixit, ac tandem sancto fine quievit; & in Choro Fratrum, antè summum Altare sepulcrum obtinuit. Scripsit,

1. *Decretum Capituli Generalis, anno 1237. celebrati:* quo licentiam aliquibus Fratribus concessit Terram Sanctam deserendi, & ad proprias regiones redeundi, illicque Monasteria hujus Religionis ædificandi: ut loquitur Guillelmus de San-vico in *Chronico de perditione Monasteriorum Terræ Sanctæ, ac de multiplicatione Ordinis per Europam, cap. 3.*

2. *Convocationem Fratrum* suorum anno 1244. factam *ad Capitulum sui Ordinis Generale pro futuro anno 1245.* apud *Aylesfordiam in Cantia celebrandum.* De hac convocatione loquitur Segerus Pauli in *Chronologia Vitæ S. Simonis Stockii, anno 1244.*

3. *Libellum supplicem ad Summum Pontificem Innocentium IV.* In quo rationem suæ transmigrationis exponebat, privilegia, ac favores pro Ordinis sui confirmatione atque ampliatione postulabat. Hujus meminit Joannes-Baptista de Lezana, *tom. 4. Annalium, anno 1244. num. 2. pag. 303.* Votis Alani & Fratrum Carmelitarum annuit Pontifex Maximus anno 1245. per Bullam quæ incipit: *Ex Officii nostri debitâ, &c.* Datum Lugduni sexto Idus Junii. Originale extat in Conventu Carmelitarum Tolosano: prodiit autem Veneriis, anno 1507. in antiquo *Speculo Ordinis Carmelitarum, pag. 61.* & nuper Romæ, anno 1715. *tom. 1. Bullarii Carmelitarum,* cujus in *pag. 6. num. 2. & 3.* hæc Pontificis Romani leguntur: » Quieti quoque vestræ providentes, & paci adjici» mus, ut nullus in eâdem Eremo Priorem instituere » absque Fratrum vel majoris, & sanioris partis ipso» rum assensu præsumat.

» Ad hoc etiam Regulam approbatam à bonæ me» moriæ Honorio Papâ Prædecessore nostro, & ab eo » vobis traditam in remissionem peccaminum obser» vandam, auctoritate Apostolicâ confirmamus, & in » eodem loco perpetuis temporibus præcipimus obser» vari.

4. *Institutionem Hilarionis* Carmelitæ in *Vicarium Generalem, seu Provincialem Terræ Sanctæ,* anno 1244. factam: Quò ipse Alanus ad propria Angliæ loca reversurus, Carmeli, & Palæstinæ Cœnobiorum curam commisit huic viro sancto Hilarioni: à quo posteà Sanctus Galliæ Rex Ludovicus IX. anno 1254. Fratres Carmelitas sex in Gallias secum ducendos impetravit. Quæ leguntur *tom. 4. Annalium* hujus Ordinis, *an. 1244. num. 2. pag. 302. & an. 1256. num. 10. pag. 363.* Quamvis ibidem *anno 1254. num. 10. pag. 356.* nonnulli Scriptores Carmelitæ suspicentur Priorem Carmeli eo 1254. anno fuisse Nicolaum Gallicum, qui S. Simoni Stockio posteà successit in Generalatûs Officium.

Alanum Britonem commendant Joannes Pitseus, & Balæus de Scriptoribus Angliæ, *Cent. IV. cap. 7.* Joannes Grossi, in *Viridario, Clavi 2. Partis primæ.* Arnoldus Bostius, *Lib. 7. Speculi historialis, cap. 11.* Joannes Palæonydorus, *Lib. 3. Fasciculi tripartiti, cap. 5.* Segerus Pauli in *Chronologia vitæ Sancti Simonis Stockii, anna 1231. & seqq.* Franciscus Voërsius Cherascus, in *Catalogo Generalium Ordinis Carmelitarum:* Philippus Merius, *Lib. de Viris illustribus Ordinis Carmelitarum, num. 5.* Ludovicus à Sanctâ Teresiâ, in *Successione Eliæ, cap. 219. pag. 488.* Joannes-Baptista de Lezana, *tom. 4. Annalium, an. 1231. num. 4. pag. 274. & seqq.* Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag. 528. num. 941.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag. 259.* sed duplici ab errore illuc irrepto cave, quo Alanus dicitur anno 1237. Prior Generalis electus, & anno 1256. defunctus: Ludovicus Jacob, in *Catalogo Ms. Priorum Generalium Ordinis Carmelitarum, &c.* Plurimi Scriptores eum Britonem Aremoricum in minori Britanniâ, non Anglum in Albio natum autumant; sed parvi momenti res mihi videtur, & ideò dubium ad solvendum non immorabor.

XXI.

ALANUS LYNENSIS, natione Anglus, in Comitatu Norfolciensi ad Oppidum *Linum* natus, unde & de *Linna* cognominatus est, propè Ostia Fluvii *Usæ*, in orâ Oceani Germaniei. In hujus civitatis suburbiis, ad stagnum *Tugæum*, Cœnobium Carmelitarum Ordinis ingressus est juvenis; & illud Institutum integro affectu amplexus, ibidem in obsequio divino, regulari disciplinâ, & Bonarum Litterarum studiis reliquam ætatem transegit; Prior ad multos annos suis optimè præfectus.

In Academiâ Cantabrigiensi Doctoralem Gradum suscepit, & magno cum honore sustinuit: erat enim Philosophus & Theologus insignis, qui acutè disputando, & lucidè docendo, nec non eruditè concionando celebrem sibi conciliavit laudem, atque parem multis attulit utilitatem. Vir mirè industrius, & nullis laboribus fessus, sacras summâ litteras pervolvit industriâ, & in divinis eloquiis multa enucleavit, & ad captum humanum faciliora reddidit. In quo pio conatu optimam secutus viam, & alia cum aliis sacræ loca Scripturæ conferens, & ad antiquos Ecclesiæ Patres, sanctosque recurrens Doctores, nihil temerè, solùmque suo genio innixus, interpretatus est.

Sacras enim Traditiones, & perpetuam doctrinæ successionem examinare non omittens, à primis Ecclesiæ primitivæ Doctoribus exordium labores sumens, nunquam interruptâ serie per ordinem usque ad suum tempus devenit. Selectissimos quosque cujusque ætatis perlegit, quid quisque suo tempore crediderit, docuerit, tenuerit, scripserit, accuratè notavit; & omnia, vel ad documenta fidei, vel ad mores rectè formandos, omnemque vitam benè instituendam, piè, prudenter, & eruditè retulit. Quod autem præfatos Doctores non perfunctoriè percurrerit, vel cursim legerit, sed cum attentione perlegerit, argumento est, quòd Indices (Tabulas ille vocat) in plerosque sedulitate incredibili composuerit; ex quibus omnes materiæ notæ melioris apud quemque Doctorem ad Communes Locos referuntur.

Hæc Joannes Lelandus, quibus Abraham Bzovius addit, quòd ad errores Wicleffistarum extirpandos *plurimùm in Angliâ contulêre viri aliquot Illustres ex Ordine Carmelitano: è quibus primas tulit Alanus de Linna,* qui vivere desiit anno 1420. herculeo labore vivere non cessans in suis Scriptis, quæ sunt:

1. *De vario Scripturæ sensu,* Lib. I. qui *incipit:* Quia secundùm Apostolum, 2. *ad Timoth.*

2. *Moralia Bibliorum,* Lib. I. Perfidia abominabilem facit ho.

3. *Elucidarium Scripturæ,* Lib. I. In principio creavit Deus Cœlum.

Horum meminêre non solùm Joannes Lelandus, *de Scriptoribus Angliæ, cap. 29.* Joannes Pitseus, *ibidem ætate 15.* & Joannes Balæus, *ibidem Cent. VII. cap. 54. pag. 552.* verùm etiam Antonius Possevinus in *Bibliothecâ Selectâ:* Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ, pag. 192.* Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scripturâ Sacrâ, pag. 358.* & Jacobus Lelong, *tomo 2. Bibliothecæ Sacræ, pag. 599. col. 2. C.*

4. *Sermones notabiles,* Lib. I. *Incipit:* Veuir ira Dei in filios diffident.

5. *Prælectiones Theologicæ,* Lib. I.

A.

6. *Elucidationes Aristotelis*, Lib. I.

Hos etiam Doctorum Indices, seu Tabulas, ut vocant, fecit pro omni materia apud eos invenienda, scilicet,

7. *In Antiquitates Josephi*, *Tabul.* I. quæ *incipit:* Ad laudem Omnipotentis Dei.

8. *In S. Hieronymum super Josue.* Adventus Christi est duplex.

9. *In Quæstiones S. Augustini.* Achab de suâ deceptione.

10. *In Homilias Sancti Basilii.* Adorant Magi Christum, & quo.

11. *In Moralia S. Gregorii.* Abominabilem facit hominem.

12. *In eumdem super Ezechielem.* Abscondere desiderium cœleste.

13. *In Homilias ejusdem.* Abstinentia; Homilia octava.

14. *In Bernardum*, super *Missus est.* Angelus Gabriel de majori.

15. *In tria Opuscula ejusdem.* Anima quomodò jugulatur.

16. *In eumdem super Cantica.* Ad laudem Dei, Patris cœlestis.

17. *In Homilias Alcuini.* Amicus Dei fit homo, quinque modis.

18. *In Petrum de Aurorâ.* Actus molles diligit diabolus.

19. *In Gerardum Laodicensem.* Abbas Helias constituitur, *Capit.*

20. *In Officiarium Joannis Beleth.* Abstinentia à carnibus recepta.

21. *In Revelationes sanctæ Brigittæ.* Ad laudem Dei, & Mariæ Matris.

22. *In Hugonem de S. Victore.*

23. *In Petrum Blesensem.* Angelorum vox qualis, *Capit.*

24. *In Richardum super Threnos.* Abjicere. Quod abjecerunt Imper.

25. *In eumdem super Somnium Nabuchodonozar.* Actio. Mota de ipsâ. *cap.* 10.

26. *In eumdem super Psalmos.* Amor est duplex. *Cap. octava.*

27. *In eumdem de duodecim Patriarchis.* Amor sapientiæ qualis est. *cap.*

28. *In Sermones Gilberti.* Acquiescere Deo debemus, in quantum.

29. *In Distinctiones Guilielmi Parisiensis.* De abstinentiâ primò & post.

30. *In Sermones ejusdem.* Abstinendum est à multis sermon.

31. *In Cantica Necham.* Ad laudem Genitricis Dei, de cujus.

32. *In Prophetias sanctæ Brigittæ.* Afflictio est utilis, & quare.

33. *In Miracula Sanctæ Mariæ.* Adjutorium Mariæ. *Nota in.*

34. *In S. Thomam Aquinatem, de Perfectione.* Amor. *Nota de eo, cap.* 13.

35. *In Sententias ejusdem S. Thomæ.* Ad Omnipotentis laudem, hæc.

36. *In Ægidium de Regimine Principis.* Ad laudem Christi Jesu, & Sanct.

37. *In Sententias Scoti.* Abstractio ab eodem abstracto.

38. *In Sententias Bachonthorpii.*

39. *In Compendium Theologiæ.* Accusant Christ. diversa genera.

40. *In Sermones Losani.* Abjicere peccata debemus. *Serm.*

41. *In Chronicon Rogeri Howeden.* Abbas de Burgo Sancti Petri.

42. *In Gesta Carmelitarum Philippi Ribboti.* Abiit Helias contrà Orientem. *Lib.*

43. *In Reductorium Bibliorum.* Abominari non debemus duo genera.

44. *In Mariale majus.* Assumptio Mariæ patet sub fine.

45. *In Mariale minus.* Abstinentia Mariæ, *Capite primo.*

46. *In Stimulum amoris.* Ad amorem Dei, quomodo debet.

47. *In Threnos Lathbery.* Abjicere peccata, qualiter conv.

Joannes Lathbery Anglus Minorita, floruit anno 1405.

48. *In Nicolaum Gorrham super Mathæum.* Abiit Jesus de Hierusalem ad.

Nicolaus Gorrham Dominicanus Anglus, floruit anno 1400.

49. *In eumdem super Lucam.* Abnegare se, quomodò quis.

50. *In Quadragesimale Varaginis.* Abscondit se Christus à Judæis.

51. *In Costasi Apocalypsim.* Abscondent se multi, *cap.* 6. Hic Henricus alias Costisay, vel Cosseye, vel Costebius aliquandò vocatur, professione Minorita, Anglus, eujus mentionem habet Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *tom.* 2. *pag.* 787. *col.* 1. *D.* ubi eum vixisse scribit, anno 1360. Sixtus autem Senensis in *Bibliotheca sancta*, *Lib.* 4. *pag.* 239. *anno* 1336. Quo etiam anno illum obiisse refert Balæus, *Cent.* V. *cap.* 38. *pag.* 409. Cui assentitur Jacobus Frisius in *Epitome Bibliotheca Gesneriana*, *pag.* 326. *col.* 2. nec-non Carolus Ducange, in *Indice Auctorum ad Glossarium mediæ & infimæ Latinitatis* affixo.

52. *In Sermones Antiquorum.* Ambulare coram Deo. *Serm.* 26.

53. *In Sermones proprios.* Abscondere vult Deus mundo.

54. *In Dialogum Augustini*, Tab. I.

Quæstionum sexaginta quinque Dialogus sub titulo Orosii percontantis & Augustini respondentis, rejicitur in *Appendicem Operum S. Augustini*, *tom.* 6. editionis R R. Patrum Benedictinorum.

55. *In Conflictum virtutum & vitiorum*, Tab. I. Hunc Tractatum Ambrosio Autperto adjudicant iidem accuratissimi Editores, eumque rejiciunt in *Appendicem* ejusdem *tomi sexti*, *pag.* 219. Quibus accinit Sodalis Dom. Antonius Rivet in Opere Gallicè inscripto: *Histoire Litteraire de la France*, *tom.* 4. *pag.* 148. ubi animadvertit Anonymum Mellicensem in suo Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 51. annotasse quòd Ambrosius Autpertus scripserit in modum Prudentii *Psycomachia*, quod interpretatur *Pugna animæ*, Librum *de Conflictu virtutum & vitiorum*, quem & misit ad Lantfridum Abbatem.

56. *In Historiam Lombardicam*, Tab. I.

57. *In Proprietates Bartholomæi Glaunuyle*, Tab. I. Has proprietates rerum memorat Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 639. quem secutus est Jacobus Frisius in *Epitome Bibliotheca Gesneriana*, *pag.* 104. *col.* 1. ubi notat Auctorem Minoritam Anglum, qui vulgò vocatur Bartholomæus Anglicus, floruisse anno 1360.

58. *In Origenem, in Hilarium, in Eusebium, in D. Ambrosium, in Rabbanum Maurum, in Sanctum Joannem Chrysostomum, in Cyrillum, in Joannem Cassianum, in S. Joannem Damascenum, in S. Remigium, in Venerabilem Bedam, in Haimonem, in Cassiodorum, in S. Anselmum, in Berchorium, & alios.*

Quæ

A.

Quæ omnia, ſicut & alia multa ejus Scripta diligenter ſervata fuerunt in Anglicanis Bibliothecis, in inſigni præſertim illâ Carmelitarum apud Norwicum.

Alanum de Linna commemorant Joanoes Lelandus, Pitſeus & Balæus: De *Scriptoribus Angliæ*: Guillelmus Eiſengrenius, in *Indice Teſtium Veritatis*, Antonius Poſſevinus, *tomo* 1. *Apparatûs Sacri*, Abraham Bzovius, *tomo* 5. *Annal. an.* 1422. Jacobus de Plebe Ordinis Servorum B. V. Mariæ, in Collegio Piſano circa annum 1592. Theologiæ Profeſſor publicus, in quodam *Indice aliquot Scriptorum illuſtrium Carmelitarum*, R. P. Magiſtro Nicolao Aurifico Carmelitæ tranſmiſſo. Jacobus Friſius, in *Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ*, *pag.* 17. *col.* 1.

E Carmelitis Petrus Lucius in *Carmelitanâ Bibliothecâ*, *pag.* 3. Alegreus Caſſanatus in *Paradiſo Carmelit. Decor. pag.* 332. Joannes-Baptiſta de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *an.* 1421. *num.* 5. *pag.* 795. Daniel à Virgine Mariâ in *Vineâ Carmeli*, *pag.* 504. *num.* 904. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1114. *num.* 3943. Paulus ab omnibus Sanctis, Carmelita Excalceatus, io *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 65. *&c.*

XXII.

ALBERTUS A S. ÆGIDIO, in ſeculo dictus ÆGIDIUS LEROY, natione Gallus, Provinciâ Aremoricus Brito, patriâ Dolenſis, quartus ſtrictioris Obſervantiæ Profeſſus in Carmelo Rhedonenſi anno 1609. die 2. Junii, ſub R. P. Philippo Thibault, Priore: unus è primis junioribus Provinciæ Carmelitis Turoniæ, qui ſtudii causâ, anno exeunte 1616. *Flexiam* (ubi Cœnobium Carmeliticum anno 1629. erectum fuit) miſſi ſunt, & beneficentiâ Nobiliſſimi Dom. DU ROCHE-PORTAL, Avi materni illuſtriſſimorum Dominorum DE BRISSAC, ibi ſuſtentati. Sacris Literis apprimè imbutus ALBERTUS, variiſque diſciplinis inſtructus, anno 1620. in Conventu Nannetenſi nuper reſormato Lector Theologiæ fuit inſtitutus: ſed ad altiora tendens, & graduum Academicorum cupidus, à ſuo Generali facultatem obtinuit, ut Lutetiam Pariſiorum peteret, in Almâ Univerſitate ſtudiis vacaturus; ubi Lauream quidem Doctoralem aſſecutus eſt, ſuam autem in Provinciam Turoniam difficiliorem expertus reditum, uſque ad Capitulum Provinciale *Andegavi*, die 23. Aprilis 1653. celebratum, in quo, habitâ ratione ſententiæ à R^mo^. Priore Generali ANTONIO PHILIPPINO latæ, ALBERTUS admittitur ad locum & vocem in dictâ Provinciâ; dummodo ſcripto renuntiet, omnibus & ſingulis juribus ac titulis ſui Doctoratûs. Vir aliàs moribus venerandus, ſcientiæ divinæ indagator aſſiduus, deceſſit in Conventu SANCTÆ ANNÆ apud Aremoricos ALRIENSIS, die 14. Novembris, anno 1670. Ejus Opera ſunt Gallica & Latina:

1. *Oraiſon funebre du Roy Très-Chrétien Louis XIII.* A Paris, 1643. *in-4°.*

2. *Paulus prædicans Reſurrectionem Mortuorum*, Latinè. *Rhedonis*, *Typis Jacobi Dionyſii.* 1654. *in-4°.* 1. *vol.* Epiſtola tamen dedicatoria Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo DD. FERDINANDO DE NEUFVILLE, Epiſcopo Maclovienſi, ſignatur die undecimâ Februarii, anno 1656.

Liber iſte eſt *Explanatio Theologica Capitis decimi quinti*, *prioris Epiſtolæ B. Pauli ad Corinthios*, *adverſùs Athæos*, quos adverſùs Author octo præſtare tentat, quæ difficultatem, ut ibi præfatur, & operam poſtulare videntur non mediocrem, ita ad mentem S. Pauli neceſſaria, ut vix eorum uno dempto aliquid certum poſſis ex eâ elicere.

Primum eſt, ut Textûs Græci & Latini phraſim, & vim loquendi ita exprimat ipſe ALBERTUS; ut quoad ejus fieri poteſt, ſermonis proprietate & nitore ſenſum aſſequatur.

Secundum, Ut ſi quæ diſcrepantia inter Textum Græcum & Latinum juxtà Vulgatam oboriatur Verſionem, placidè & benignè attemperetur.

Tertium, Ut leni & facili nexu ſeries Orationis; & rationum Apoſtoli deviociatur, nihilque coactum, diſſonum, hiulcum appareat.

Quartum, Non ſolùm rationum momenta expenduntur, ſed earum principia indicantur, ſuaviter tamen, & abſque ullo ſtrepitu, & interpolatione.

Quintum, Senſui Patrum accommodatè omnia digeruntur, quem delibat magis Author, quàm profundit in Paraphraſi, illum fuſiùs proſecuturus in artificio Capitis quod Paraphraſi ſubjungitur.

Sextum, Deſignatur præcipuum quod in hoc capite probare contendit Apoſtolus argumentum; eòque omnes rationes & ſententiæ ejus collineare oſtenduntur in artificio Capitis, Sanctorum etiam adhibitis Patrum interpretationibus, quæ ad rem faciunt.

Septimum, Omnes rationes Apoſtoli hoc Capite ſparſas colligit Interpres methodo Theologicâ, ut uno quaſi oculorum conjectu vis & efficacia earum, ad Reſurrectionem probandam cernatur: ipſaque ratio ſe Fidei ſubdere non gravetur, perſpectis hinc inde viribus argumentorum, quæ pluſquàm triginta profert Apoſtolus.

Octavum denique, credibilitatem hujus articuli, quò cæteri nituntur, eam eſſe arbitratur ALBERTUS, quam nec Rhetorum, nec Philoſophorum argutiæ evertere poſſint: cum ipſæ, quibus nos petunt, oppugnationes, vel flatu ipſo diſſipentur; undè conſtet Atheiſmum, qui hodie multorum ingenia occupat, non ſolùm à Fide, ſed à ratione deficere, ſpecie tenùs ejus Sectatores eſſe homines, cætera pecudes.

Egregiam hanc elucubrationem & facundam explanationem qui viderint eruditi Viri, in ſacrarum Scripturarum interpretationem, dignam quæ reponatur non abjicient. Authorem autem Virum Græcæ Latinæque Linguæ peritum agnoſcunt Hugo à S. Franciſco, Carmelita, in *Vitâ Philippi Thibault*, *cap.* 10. 15. & 26. *pag.* 70. 119. & 197. Licinius à S. Scholaſticâ, *in Vitâ* ejuſdem *Philippi Thibault*, *cap.* 16. & 18. *pag.* 177. & 208. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1088. *num.* 3825. Columbanus à Noſtrâ Dominâ do Monte Carmelo, in *brevi Encomio Illuſtrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *Mſſ. pag.* 24. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Perſonatâ*, *Mſ. pag.* 10.

XXIII.

ALBERTUS ANNUBA, Beneventanus Carmelita, Sacræ Theologiæ Magiſter & Doctor, atque Commiſſarius Generalis, edidit idiomate Italico,

Trionfi della Chieſa Militante. Beneventi, anno 1700. ſicuti ſcribit Elias de Amato in Schedis Mſſ. ad oos miſſis anno 1748.

XXIV.

ALBERTUS BARRA, Neapolitanus Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor Collegii patrii Academici, ibique Curiæ Archiepiſcopalis Theologus deputatus, nec-non Librorum Cenſor, inſignis item Concionator: Sacram Theologiam Regentis munere docuit in patrio Conventu Neapolitano, & Patavii. Commiſſarium & Viſitatorem Generalem Provinciæ Poloniæ anno 1632. inſtituit R^mus^. THEODORUS STATIUS tunc temporis Vicarius, ſed poſteà Prior Generalis, eumque Apoſtolicâ auctoritate munivit URBANUS VIII. die 16. Novembris ejuſdem anni.

A.

Patavii obiit die 10. Octobris 1665. Scripto dato quod Italicè inscribitur.

Il Compendio della Vita della B. Soror Maria Magdalena de Pazzi Fiorentina, delli Ordine del Carmelitani dell' Osservantia. Neapoli apud Lazarum Scorigium, anno 1627. *in-4°.*

Albertum Barra vocat Urbanus VIII. *de cujus vitæ probitate, prudentiâ, doctrinâ, Religionis zelo, & in agendis dexteritate plurimùm in Domino confidit.*

Hæc verba leguntur in Brevi Apostolico ad ipsum dato Romæ die 16. Novembris 1632. quod prodiit *tom.* 2. Bullarii Carmelitarum, *pag.* 436. Eum quoque laudant Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana, pag.* 6. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1070. *num.* 3720.

X X V.

ALBERTUS CZEPELIUS, aliàs CEPHELIUS, natione Polonus, patriâ & professione Carmelita Cracoviensis, vitâ & moribus vir venerandus; sapientiæ genere vario notus, obiit anno 1639. postquàm Typis commisisset Latino Poëmate, & Polonicâ iterùm Prosâ,

Vitam, Miracula & transitum B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, Lib. II. *Cracoviæ* 1628. Eum commendant Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 501. Relationes Polonorum Carmelitarum MSS. *ibidem citatæ:* Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum, pag.* 65. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1105. *num.* 3918.

X X V I.

ALBERTUS DRAGA, aliis DRAGHIUS, aliis DRACO, natione Longobardus, patriâ Brixiensis, Congregationis Mantuanæ Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister, & io patrio Urbis Gymnasio, atque Bononiensi Professor publicus, post Prioris officium & alia monia, obiit anno 1606. Scripsit,

1. *Opera diversa* sub titulis *Prosarum*, seu partibus seu voluminibus distincta, diversis in locis edita.

2. *Dialogos* tribus aliis voluminibus *absolutos.*

3. *Alia minora* Typis commissa.

Illum memorant Antonius Possevinus, *tom.* 1. *Apparatûs sacri, pag.* 23. ubi animadvertit quod hic DRAGA non est ille ALBERTUS DRAI, qui inter Hæreticos primæ classis proscribitur in Indice CLEMENTIS VIII. Octavius de Rubeis in *Elogiis historicis Brixiæ, pag.* 231. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 4. ubi ex fidâ Relatione se didicisse asserit ALBERTUM DRAGA anno 1592. Conventûs Bononiensis Priorem, multa præter *eruditissimas per Quadragesimam Conciones*, acri suo judicio limanda & expolienda adhuc premere: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 453. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum, pag.* 65. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag.* 510. *num.* 912. Idem *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1070. *num.* 3721. ubi eum obiisse anno 1626. refert; anno 1620. Ludovicus Jacob in *Indice suæ Bibliothecæ Carmelitanæ Ms.* &c.

X X V I I.

ALBERTUS DREPANITANUS, (Sanctus) quia *Drepanensi* Carmelitarum io Cœnobio Habitum Religiosum sumpsit, in MONTE ERYCINO natus est patre BENEDICTO ABBATE seu de ABBATIBUS, & JOANNA POLITIA, apud Siculos, nobilitate clarissimis, qui longam vigioti annorum sterilitatem passi fuerant. At edito voto, quod nasciturum prolem B. V. Mariæ in Ordine Carmelitarum dicarent, optatam fecunditatem impetrarunt.

Voti conscius ALAERTUS, ad Carmelitarum Cœnobium propè Drepanum convolavit, in quo mirabili animi æstu sanctissimum vitæ genus amplexus est. Virtutibus omnibus instructus effulsit: in sacrarum studiis litterarum adeò profecit, ut inter eruditissimos eâ tempestate eminuerit. Concionatoris munere suscepto, innumeros vitiorum cœno ad salutem pœnitentiæ viam revocavit, ac nonnullos Ethnicos, & Judaicâ labe affectos, ad Catholicæ Fidei lumen reduxit.

Eximii viri sanctimoniam quamplurimis Deus miraculis illustravit: illudque inprimis memorabile narrant ejus vitæ Scriptores. Quid? dum ingenti Classe premebatur *Messana* anno 1301. à ROBERTO Neapolis Rege, dira fames Urbem aggressa, supremum exitium minabatur obsessis; ad Civium preces Deum exoravit ALBERTUS, & extempló quatuor onerariæ naves per medios hostes in portum appulsæ, egestatis angustias expulêre, & Urbem à periculo liberarunt. Prophetiæ dono futura prædixit; cordium abdita divinâ luce perfusus penetravit, aliaque mirabilia peregit, quæ sanctitati suæ venerationem, nomini splendorem conciliarunt.

Hinc non immeritò Ordinis sui Fratres Siculæ Provinciæ præfecerunt, quam zeli ardore, eximiâ prudentiâ, ac virtutum splendore illustravit. Demùm in Cœnobio Messanensi, dum ab hominum frequentiâ semotus solitudinis deliciis fruebatur, ingravescente ætate, cœlestis patriæ desiderio æstuare cœpit. Ineunte mortis die, Fratribus convocatis, obitûs sui, ac sororia horam eodem die *Drepani* morituræ prædixit. Instante verò transitu, genibus innixus Deum exoravit, & Salutatione Angelicâ bis ad Sanctam Virginem Mariam recitatâ, ad ea verba *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, animam efflavit, quæ in candidissimæ Columbæ specie rectâ ad Cœlum viâ, videntibus Fratribus, evolavit die 7. Augusti 1306. Corpus verò durissimo cilicio circumseptum, odorem effudit gratissimum. Messanensem populum ad sanctissimi viri exuvias vocavit æs campanum, quod nemine pulsante ejus mortem enuntiavit.

Ad Cathedralem Ecclesiam funebri pompâ delatum fuit; & cùm inter Clerum populumque orta esset contentio, cantandumne Defunctorum sacrum, an verò Confessorum; Deo remissa est quæstionis solutio: jussit enim Archiepiscopus Messanensis ut Deum enixè orarent: annuit Deus populi votis, ideòque duo Angeli lumine radiantes, è Cœlo delapsi, albis amicti vestibus, aureisque stolis præcincti, decantarunt, *Os Justi meditabitur sapientiam:* & statim evanuêre. Itaque patefactâ divini numinis voluntate, confestim Confessorum solemnia celebrata, non sine lætâ lacrymarum effusione: quibus expletis, cadaver ad Carmelitarum ædem redditum, innumerata edidit miracula: quorum famâ permotus CALLIXTUA III. Pontifex Maximus, ad postulationem Reverendissimi Magistri JOANNIS SORETH Prioris Generalis, permisit anno 1454. ut in honorem B. ALAERTI Altaria & Ecclesiæ erigerentor. De cujus quidem Summi Pontificis vivæ vocis oraculo, ipso anouente, consentiente atque mandante CALLIXTO, GUILLELMUS DESTOUVILLE, Cardinalis titulo Sancti Martini in Montibus, Protector Ordinis, attestationem fecit eodem anno, die 15. Octobris publicam & authenticam, per suas patentes Litteras suo sigillo munitas. Quod etiam posteà confirmatum fuit à SIXTO IV. per Bullam *Cœlestis aulæ militum*, Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis 1476. pridiè Kalendas Junii, Pontificatûs anno quinto; ad petitionem CHRISTOPHORI MARTIGNONI Prioris Generalis,

A.

qui JOANNI SORETH immediatè successit anno 1472.

Non solùm inter Sanctos, & egregios vitâ & moribus Viros Albertum recensemus, sed & inter claros Religionis Christianæ atque Carmelitanæ Scriptores illum jure nominare possumus; nam composuit plures *Homilias* videlicet *de piis moribus : de timore Dei : de amore fraterno : de Patientiâ : de Mundi contemptu : de fallaciis diaboli, & similibus.*

Sic testantur Theodoricus de Aquis, Coloniensis Carmelita, in *Vitâ* ipsius S. Alberti anno 1394. scriptâ: Joannes-Maria de Poluciis, quem Polytianum nonnulli indicant, Novolariensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Baccalaureus, in *Vita* ejusdem S. ALBERTI, *Venetiis anno* 1499. *edita in*-8°. Baptista de Cataneis, Carmelita Venetus, Doctor Theologus circà Sæculi decimi sexti initium in suo Ordine clarus, qui creditur Auctor *Codicis Vaticani Mf.* sub *num.* 3813. in quo *Vita* ejusdem S. ALBERTI describitur, cum Vitis S. Andreæ Corsini, S. Angeli Martyris, & S. Simonis Stockii, Carmelitarum : nisi cum Joanne Alberto Fabricio, *tom.* 5. *mediæ & infimæ Latinitatis*, *pag.* 714. dixeris Auctorem Vitæ S. Andreæ Fesulanì tantummodò esse Petrum Andream à Castaneis Carmelitam Florentinum, qui anno 1460. floruerit. Petrus Lucius, Bruxellensis Carmelita, in *Carmelitanæ Bibliothecæ pag.* 3. *reverſ.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 278. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium anno* 1307. *num.* 10. *pag.* 493. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1067. *num.* 3643. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca personata Mf. pag.* 10.

Exteris Scriptoribus annumerantur Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptorib. Carmelit.* Conradus Gesnerus in *Bibliotheca universali :* Joannes Balæus, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*, *Cent.* 4. *Appendice secundâ*, *ad Joannem Rusum ;* Antonius Possevinus, *tomo primo Apparatûs sacri ;* Vincentius Coronelli, *tomo secundo Bibliothecæ universalis*, *num.* 3254. Antoninus Mongitor, *tom.* 1. *Bibliotheca Siculæ*, *pag.* 11. & 12. Alios omitto Auctores, qui vitam ejus scripserunt : sed plerique Joannem Mariam de Poluciis secuti, mortem ejus anno 1291. assignarunt: quibus ipse Adrianus Bailler adhærens, nonnulla S. Alberti miracula audet temerè asserere Chronologicæ Historiæ minimè cohærere. Accuratiorem verò Chronologiam reperies apud Bollandistas in Actis Sanctorum, *tom.* 2. mensis Augusti, *pag.* 219.—225. Nam hæc est

De Sancti ALBERTI ætate Disquisitio.

ANTIQUISSIMA vitæ S. Alberti exemplaria Mſſ. tria tantùm novimus; unum videlicet, quod reperit & secutus est Vincentius Barbarus; alterum, quod etiamnum servari creditur in Bibliotheca Vaticana, Cod. 3813. tertium denique, quo usus est Theodoricus de Aquis, & (nisi fortè Theodoricum ipsum præ oculis habuit) Joannes Maria de Poluciis, qui cum opere Theodoriciano, ut ex editione Surii licet colligere, mirificè congruit. Hæc tria inter se differunt narrationis ordine, stylo, ætate; si tamen ætas diversa dici potest, cujus omne discrimen intrà novennium comprehenditur.

De ætate quidem dubitari non potest quin Mf. Barbari priùs fuerit Vaticano; Vaticanum autem Theodoriciano. Cùm enim singulorum Auctores anonymi vitam integram, quatenùs posuerunt, complecti manifestè voluerint; plus tamen aliquid habet secundus quàm primus; plus tertius quàm secundus : nam de administratione Provinciæ Siculæ S. ALBERTO demandatâ, & non sine illustribus prodigiis ab eo susceptâ gestâque nihil memorat Barbarus; non omissurus utique, si in suo Mf. legisset: de eâdem tamen certò meminit Mf. Vaticanum apud Lezanam ad annum Christi 1270. *num.* 2. sed multò parciùs, quam Theodoricus in *Speculo Carmelitano*, *tom.* 2. *num.* 2197. Quis porrò nescit, istiusmodi auctuaria esse posterioris Auctoris indicia luculenta.

Præterea, in miraculo, quo Catanæ herniâ liberatus fuit anno 1385. ipso Sancti Festo, juvenis quidam Nicolaus, hoc solùm de illo subditur apud Barbarum, *num.* 37. *Quod surrexerit coràm, pristinæ saluti restitutus, & sit eam continuò atque solemniter Religionem* Carmelitanam *ingressus.* Hoc eodem anno scribi potuit; non item quod additur in Mſſ. aliis: illum eumdem videlicet in Religione *laudabiliter* (non vivere, sed) *vixisse ;* adeòque mortuum esse post vitam in religiosa disciplina aliquandiù traductam. Vide Theodoricum, *num.* 2217. & Mf. Vaticanum apud Lezanam ad annum 1385. *num.* 5.

Deindè Mf. Theodorici ad calcem vitæ prodigium de Nobili è furcâ suspenso narrat, quo nullum est in Sancti vita mirabilius. Cur igitur hoc alia Mſſ. non attingunt? Opinor, quia seriùs vel accidit vel innotuit, quàm illa scriberentur. Quare Theodoricianum exemplar ætate tertium inter ea statuimus, non tamen anno 1394. recentiùs; cùm hoc ipso anno fuerit à Theodorico exscriptum; ut probat solidè Daniel à Virgine Mariâ in *Speculo suprà*, *num.* 2173.

Postremò non minùs evidenter id erui potest ex eorumdem exemplarium stylo. Barbarus opusculum suum Nicolao Audetto, Ordinis tum Carmelitarum Magistro Generali dedicans, ita scribit: *Alienum tuæ Amplitudini dicatum laborem . . . exhibemus; alienum, inquam; quòd cum tot annorum marcore & situ obsitam, nec sine Dei providentiâ, divi Alberti vitam in manibus haberemus, quæ vestro Carmeli Ordini hactenùs desiderata est.* (Nondum ulla Typis excusa prodierat; manuscriptam autem aliam ignorabat Barbarus :) *Hanc non solùm à nobis in capita distinctum, verùm etiam novâ quâdam interpretatione sub eodem continuato tenore; velut antiqui textûs tectorio, latinitate donatam, nostroque addito Corollario, Amplitudini tuæ felicitatis condonamus : non enim digna erat, quæ sub veteri exemplari, propter sæcutinam barbariem evanidis cum diverticulis infantilibusque regressionibus exhiberetur, & inordinatæ tandem & situlentæ farraginis feculentia, luminis tui candorem labefactaret.*

Vides hìc, Barbari Prototypon tam putidè scriptum fuisse, ut censuerit ipse, phrasibus barbaris latinas esse substituendas, tum amputandam quoque inanium diverticulorum ac regressionum infantilium ineptam garrulitatem. Atqui hæc vitia non sunt in Mf. Vaticano, ut liquet ex pluribus ejus textibus, apud Saracenum hoc die in Menologio Carmelitarum, & Lezanam ad annos varios, recitatis; multò minùs in exemplari Theodoriciano, quod licet latinitate non splendeat affectatâ; neque barbarum tamen est, nec uspiam luxurians, nedùm inordinatum; sed Vaticano nitidius. Ut ergò primi cujusque operis conatus informes ferè sunt, & secundis tertiisque curis magis ac magis elimari solent ac perfici; ita dubium videri non debet, quin Mf. exemplar Barbari fuerit Vaticano vetustius, & Vaticanum Theodoriciano.

QUOAD ORTUM SANCTI ALBERTI, nemo mirabitur minùs perspectum fuisse primo vitæ ejus Auctori, qui scribere illam cœpisse videtur post annum septuagesimum nonum ab hujus Sancti obitum. Verùm quia S. ALBERTUS anno Christi 1306. *Postquàm appropinquasset ad decrepitam ætatem*, ut est in Codice Vaticano apud Lezanam ad annum 1307. *num.* 4. sive *ingravescente ætate*, ut scribit Barbarus, *num.* 19. è vivis excessit, necesse profectò est, ut

& conjuncti matrimonio parentes, & natus ex iis Albertus regnantem in Sicilia PETRUM I. longissimo intervalio præcesserint: quandoquidem constat hunc anno 1282. qui fuit antè obitum Sancti quartus tantum & vigesimus Atagoniæ, Regno sex annos administrato, Sicuium adjunxisse.

Statuamus autem, quod verisimile est ALBERTUM decessisse sexagenario aliquanto majorem, ac proindè natum circà annum 1240. sequetur, ut BENEDICTI cum JOANNA conjugium, per annos omninò sex & viginti sterile, initum fuerit versùs annum Christi 1214. hoc est annis ut minimùm viginti quatuor antequam PETRUS, JACOBI Primi Aragoniæ Regis Filius, nasceretur, ut certum est ex Annalibus Aragonum Zuritanis ad annum 1234. Cæterum cum conjugio BENEDICTI, & ALBERTI nativitati annum 1240. assignamus, id ex merâ conjecturâ nos facere profitemur; cùm annus aliter determinari non possit: pendet enim hujus rei demonstratio ex ætate, quam Sanctus vivendo attigit: hanc autem certò non exprimunt phrases allatæ: quas Lezana ad annum 1307. *num.* 3. ad illas explicandas putat sufficere annos 57. Saracenus contrà annos 80. procurrit. Nobis, quia nihil obstat, viam placuit mediam inire quidem, at nemini ut certam præscribere.

ANNO ÆTATIS OCTAVO Religiosum habitum suscepisse S. Albertum passim asserunt auctores: verùm ætas provectior inferri videtur ex Actorum Sancti veterum mediatâ lectione. Nam 1°. referunt rogatum fuisse Benedictum, ut ALBERTUM filiolum suum puellæ genere regio claræ desponderet; idque cùm vix octavum ætatis annum ingressus esset. Consulta super hac re à Benedicto conjux fortissimè restitit: quæ filio revelavit votum, quo antè conceptionem Religioni ab utroque parente fuisset addictus. Hæc vir audiens, obstupuit, nec ampliùs de hujusmodi re ullam voluit deinceps facere mentionem. Quæ non obscurè spatium temporis aliquod indicant effluxisse: ridiculum enim fuisset mentionem de illâ sponsione facere, postquam Religiosum ALBERTUS habitum palàm induisset.

2°. Asserunt Acta, SANCTUM à dæmone, mulieris formosissimæ speciem præferente ad Religionis propositum deserendum, adeundasque secum nuptias fuisse tentatum, idque in exordiis suæ conversionis. Hæc autem accommodari pueto non possunt, octo nondum annis nato, sed ad ætatem lubricam usque provecto, ut expressis verbis notat Barbarus *num.* 5.

3°. Qui ad annum octavum ætatis ALBERTI tyrocinium referunt, fateri coguntur vel publicam ejus solemnem emissam fuisse anno ætatis hujus nono; quod absurdum est, ut post annum Christi millesimum repugnet Ecclesiasticæ disciplinæ, annum in masculis Religionem profitentibus saltem decimum quintum ætatis impletum exigenti; ut probat Thomassinus in veteri & nova Ecclesiæ Disciplina, *Parte* 1. *Lib.* III. *Cap.* 55. vel tyrocinium ejus ad annos plures extendendum est, cum Ægidio Leoindelicato in Paradiso (Italicè *Giardino*) Carmelitano, *pag.* 100. & 101. ac Philippo à Visitatione, in Vita SANCTI hujus Gallica, probationem ejus ab anno ætatis octavo usque ad octavum decimum prorogantibus. Quod Actis veteribus, annum unicum ab ingressu ad professionem apud Barbarum, Theodoricum ac Surium adstruentibus, apertissimè refragatur.

Restat igitur, ut Actis vetustioribus hoc loco renuntiet, qui juniorem sententiam, pro verâ certâque tueri velit. Atque hæc fortè causa fuit R. P. Josepho Falconi, cur in *Chronico Carmelitano*, Editionis Italicæ anni 1595. *pag.* 541. relictâ cæterorum opinione, S. Alberti conversionem seu primum ad Cœnobium accessum differendum censuerit usque ad annum ætatis ejus decimum octavum: in quo propius abesse videtur à vero, quamquam difficile est annum certum determinare.

DE LIBERATIONE MESSANÆ, Acta vetera Barbari, Theodorici, Polucii in eo consonant, quod rem hanc evenisse testentur post inaugurationem in urbe Panormitana Friderici Aragonici Siciliæ Regis, hoc est, post VII Kalendas Apriles anni 1296. ut explicat ibidem Barbarus, & confirmat, apud Petrum de Marca in Limite Hispanico, hujus Friderici Legatus olim, Nicolaus Specialis, Rerum Sicularum, *Lib.* III. *Cap.* 1. At quantò hæc Messanensium liberatio inauguratione Friderici posterior fuit? Respondet primò solus Barbarus: *Non post temporis seri circulum:* Quæ quidem phrasis ultrà pauculos annos non videtur extendi posse. Respondet secundo idem cum Theodorico ac Polucio id contigisse, Messanam obsidente Roberto Duce Calabriæ, (qui anno 1309. Siciliæ Rex coronatus est.) Atqui hanc obsidionem accidisse anno 1301. narrant Specialis, *Lib.* VI. *Cap.* 1. & *seqq.* Fazellus, *Decadis posterioris Lib.* IX. & Buonfiglius, *Parte* 1. *Lib.* IX. Non est igitur, quod hîc annus alius inquiratur.

IN TERRAM SANCTAM abiisse anno M. CCLXXXV. asserunt recentiores plerique Auctores ex Actorum exemplaribus, altero Theodoriciano, *num.* 2193. & altero Polociano apud Surium, *Cap.* 12. ubi hæc itineratio refertur ad annum M. CCXCV. Ast locus iste suspectus, imò corruptus videtur ab imperito Librario, qui in Prototypo suo legerit *in Terra Sacca*, putavitque scribendum in *Terra Sancta.* Nam apud Theodoricum, *num.* 2192. Sanctus Drepani sistitur, mox *num.* 2193. absque ullâ descriptione itineris, tribus his tantùm voculis, in *Terra Sancta erat quidam Judæus, qui tenebatur morbo epileptico;* tum *num.* 2194. sine ullâ mentione reditûs è Terrâ Sanctâ, proficisci dicitur *eodem anno versùs civitatem Agrigentinam;* quasi verò Drepanum, Terra Sancta, & Agrigentum in eodem circiter terrarum tractu sita essent, & æquè commodè possent adiri, neque adeò notatu satis digna videretur ex uno locorum illorum ad alterum profectio reditusve. Confirmat verò nostram suspicionem non solùm quod de Terrâ Sanctâ, neque è Codice Vaticano quidquam citatur, neque verbum ullum occurrit apud Mantuanum, sive in Fastis ad hunc diem, sive in Hymno de S. ALBERTO, neque apud Joannem Grossum, aut Palæonydorum; neque in ullo ejusdem Officio proprio: sed vel maximè, quod unicum illud factum, quod Polucius ac Theodoricus in Terra Sancta contigisse scribunt, Barbarus ex antiquissimo omnium exemplari, *num.* 13. disertè cum adjunctis omnibus accidisse narrat in oppido *Sacca.* Hunc autem cum sequantur Falco in Chronico Carmelitano, Leoindelicatus in Paradiso, Octavius Cajetanus in Vita S. Alberti, qui sine dubio saltem Polucianum in Opere Suriano omnes viderunt, vitiatum hîc Polucii textum evidenter agnoscunt.

ANNO 1306. obiisse S. Albertum arbitramur, tametsi Barbari Codex dicat anno 1307. quia Codex iste cum cæteris aliis consentit Sanctum expirasse *septimo idus sextiles (circà horam vespertinam Dominicæ diei)* ut legitur apud Lezanam ad annum 1307. *num.* 4. Atqui ab anno 1306. nunquam dies Dominica incidit in diem septimam Augusti, præterquàm anno Christi millesimo trecentesimo sexto: Videtur ergo omnino hic annus, & non alius, S. Alberto fuisse supremus; atque adeò à Barbaro, vel ejus Typographo, perperàm notatus fuisse unius litteræ adjectione annus M. CCCVII. pro M. CCCVI. qui quidem error in editionem illam faciliùs credi potest irrepere potuisse temerè, quàm in Codicem Vaticanum hæc verba, *circà horam vespertinam Dominicæ diei;* cum

in

A.

in eâdem Barbari editione alius haud absimilis observari possit, quo videlicet *fol.* 28. Libellus impressus legitur anno M. OXXXVII. cum folio 3. & 4. colligatur impressus fuisse M.DXXXVI.

Hæc fuerunt collecta ex R. P. Petri Boschii, S. J. Notis præviis ad vitam S. Alberti datis, *tom.* 2. *Act. Sanct.* die 7. Augusti, *num.* 16. 17. 22. 23. 24. 28. 29. 30. 32. 33. & 36. *pag.* 219.—225. Cur autem Acta S. Alberti anno M.CCCLXXXV. antiqoiora reperiri affirmaverit, quia Barbari Codex omnium antiquissimus desinit ad miraculum Herniæ sanctæ boc anno, ad quem desinit etiam Codex Vaticanus, non item Theodoricus, neqoe Polucius, certò mihi minimè probatur.

Ad hanc Disquisitionem elucidandam non parùm conferunt quæ inferiùs dicuntur, verbo ANDREAE RASOI.

XXVIII.

ALBERTUS DE FARIAS, natione Hispanus, Provinciæ Bæticæ Carmelita, Scholasticæ Theologiæ peritissimus, circa annum 1542. scripsisse dicitur,

1. *Lecturas Theologicas*, Libris duobus.

2. *Dialogos mixta Phrasis, in quibus Sacræ Scripturæ Hebraismos & Græcismos* enodat subtiliter, *Libris duobus.*

Ità testantur *Relationes Bæticæ Mss. ab* Alegreo Cassanato citatæ *in Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 192. Quem exscripsit Nicolaus Antonius *in Bibliothecâ Hispanâ*, *tomo* 1. *pag.* 5. & supponit Paulus ab omnibus Sanctis *in Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 65.

XXIX.

ALBERTUS A SANCTO JACOBO, natione Gallus, in seculo dictus CHRISTOPHORUS MERCIER, natione Burgundus, Carmelita Excalceatos: vir insigni prudentiâ præditus, variis officiis etiam Prioris Provincialis Burgundiæ, edidit Gallicè Libros inscriptos,

1. *La sainte Solitude, ou Description Poëtique de l'Hermitage des Carmes Déchaussés de Marlan.* Bruxellis, 1644. *in-8°.*

2. *La Vie de la Vénérable Mere Marie-Therese de Jesus, Fondatrice des Carmelites en Franche-Comté.* Lugduni, apud N. Liberal. 1673. *in-4°.* Hujus meminit Jacobus Lelong *in Biliothecâ Historicâ Franciæ*, *pag.* 291. *num.* 6315.

3. Transtulit etiam ex Hispanico in Gallicom idioma, Opus inscriptum: *Lumen Vivis, mortuorum experientiâ*, cum notis Illustrissimi Dom. Joannis de Palafox. Lugduni, 1656. *in-8°.* Quod Opus scripsit suâ vulgari linguâ Francisca à SS. Sacramento Pampelonensis Tereslana Monialis, anno 1629. die 27. Novembris defuncta, ut legitur *in Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 2. & 162.

XXX.

ALBERTUS A JESU MARIA, natione Gallus, patriâ Juliodunensis in confinio Agri Pictaviensis, Turonensis, & Andegavensis; in seculo dictus MORTER, Carmelita Excalceatus, Provinciæ Parisiensis Asceta, Lutetiæ Parisiorum obiit anno 1649. die 14. Januarii; postquam Gallicè scripsisset,

1. *Eloge en l'honneur de Sainte Therese sur la Canonization.*

2. *Tragedie de saint Hermenigilde, Martyr.*

3. *Trage-Comedie de la Vie & heureux décès de saint Alexis.*

4. *Exclamations de sainte Therese en Vers.* Parisiis, apud Claudium Sonnium, 1628. *in-8°.*

Hæc refert Ludovicus Jacob in *Bibliothecâ Personatâ Ms. pag.* 10. *ex Schedis Mss.* quas accepit à Ludovico de S. Theresiâ Carmelitâ Discalceato Parisiensi.

XXXI.

ALBERTUS JOANNIS, natione Belga, patriâ Harlemius, Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor Lovaniensis: vir eximiæ virtutis & doctrinæ, qui naturæ debitum solvit Mechliniæ, anno 1496. Operibus scriptis quæ titulo notantur:

1. *Lectura in Ecclesiasticum.*

2. *In primam Joannis Epistolam Canonicam.*

3. *Quæstiones in Magistrum Sententiarum.*

4. *Sermones*, & alia, quæ lucem non viderunt.

Hujus meminerunt Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs Sacri*: Ludovicus Guicciardinus in *Descriptione Brabantiæ*: Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis*, *pag.* 114. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliothecâ Belgicâ*, *pag.* 41. Sixtus Senensis, *Lib.* IV. *Bibliothecæ Sanctæ*: Jacobus Lelong, *tomo* 2. *Bibliothecæ Sacræ*, *pag.* 600. *col.* 2. *C.* Aubertus Miræus *de Scriptoribus Sæculi* XVI. *cap.* 13. E Carmelitis Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Marcus Antonius Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. an.* 1496. *num.* 4. *pag.* 996. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1106. *num.* 3923. *&c.*

XXXII.

ALBERTUS MASSARIUS, natione Italus, patriâ *Medicinensis*, Sacræ Theologiæ Magister post obitum THEODORI STRATII Prioris Generalis, in Vicarium Generalem totius Ordinis Carmelitici fuit ab URBANO VIII. institutus anno 1642. die 8. Maii; & anno seqoenti 1643. die 5. Augusti in supremum ejusdem Ordinis Rectorem, ob grassantia bella quæ Comitiis Generalibus celebrandis obstarent; nec non ad postulationem sociorum Generalium, qui tunc temporis eas vices gerebant Joannis-Baptistæ *de Lezana*, & Joannis *Antonii Philippini*, ab eodem Summo Pontifice confirmatus est atque in Priorem Generalem assumptus; qui dùm sollicitè boni Pastoris munus obiret, & suorum Prædecessorum vestigiis insistens, Regulari Observantiæ, & Reformationi promovendæ incumberet, ex hâc ad aliam vitam præmaturè obiit eodem anno 1643. die 29. Octobris.

Scripsit ad Patres Carmelitas Provinciæ Turoniæ Sententiam judicialem, die 28. Julii 1642. quâ decrevit, ut Definitorium Capituli Provincialis Provinciæ Turoniæ judicet de legitimâ causâ non confirmandi Priores à Conventibus priùs electos; atque ut ad idem Capitulum spectet nova Priorum non confirmatorum electio. Confirmata est hæc ALBERTI MASSARII tum Vicarii Generalis Sententia ab Eminentissimo MARTIO GINETTO Cardinali, Ordinis Protectore, atque munita Apostolicâ auctoritate URBANI VIII. per Bullam, *Exponi nobis nuper*, datam anno 1643. die 2. Junii. Attamen Patres Capituli Provincialis dictæ Provinciæ Turoniæ anno 1644. die 22. Aprilis in Conventu S. Joseph DE CHALAIN congregati, censuerunt verba Sententiæ hujus intelligenda esse de casibus & necessitatibus bonum commune Provinciæ spectantibus, quæ prævideri non poterunt ante Capitulum Provinciale. Sententia ALBERTI MASSARII prodiit Romæ, *tom.* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 493.

De illo mentionem habent celebrem Urbanus VIII.

A.

ibid. pag. 491. & 494. Daniel à Virgine Mariâ, In *Vinea Carmeli, pag.* 541. *num.* 975. Idem, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 156. *num.* 585. Ludovicus Jacob *in Catalogo Mſ. Priorum Generalium Ordinis Carmelitarum:* Columbanur à Noſtrâ Dominâ de Monte Carmelo, *in Catalogo Mſ.* eorumdem *Priorum Generalium*, Gallicè ſcripto: Acta publica MſT. Capitulorum Provincialium Provinciæ Turoniæ *ad annum* 1644.

XXXIII.

ALBERTUS LAZARUS, Romanæ Provinciæ alumnus Carmelita, Veneti Conventûs diù incola, ubi & obiit die 8. Decembris 1675. Scripſit Italicè,

Motiva ferè omnium Bellorum Europæ, aliarumque Mundi partium, ab anno 1499. Opus integrum ſex tomis ab Auctore intentum: ex quibus tres lucem viderunt Venetiis *in*-4°. ut legitur *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1070. *num.* 3722.

XXXIV.

ALBERTUS NAUCLERIUS, Neapolitani Carmeli Majoris alumnus, Prior Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ de Urbe: obiit Neapoli die 5. Auguſti, anno 1571. cujus meminit Philocalus Caputus in Tractatu Italicè ſcripto: *Monte Carmelo*: At quæ prodierint ex eo eruditionis monumenta, non receuſet: ſicut animadvertit R. P. Andreas Gargſi Genevenſis, & in eodem Neapolitano Carmelo Profeſſor Sacræ Theologiæ, & ejuſdem Urbis Academiæ Socius, in Schedis MſT. ad nos miſſis Neapoli Aureliam anno 1747.

XXXV.

ALBERTUS DE NUSSIA, natione Germanus, patriâ Noveſienſis in Diœceſi Colonienſi, Religione Carmelitanâ Franckofordienſis Cœnobii alumnus: Vir modeſtiâ, ac aliis animi corporiſque ornamentis à Deo egregiè dotatus, doctrinæ præſertim ſacræ litteraturæ laudem ſummam promeritus, puriſſimæ Conceptionis Dei-Paræ Defenſor. Agunt de eo & ſcriptis ejus, Jacobus de Plebe Servita, Antonius Poſſevinus, Franciſcus Swertius, & alii, ſed præſertim Trithemius in Libro de *Luminaribus Germaniæ*, ubi addit: *Vivit adhuc in Gymnaſio Colonienſi*, anno 1495. At de illo ſuſiùs agemus verbo: PHILIPPUS ALBERTI.

XXXVI.

ALBERTUS POLEVITIUS, natione Polonus, patriâ & Cœnobio Cracovienſis in declamandis ad Populum Concionibus, ſui temporis, ſine injuriâ, per annos quadraginta & ampliùs, facilè Princeps: religioſâ Vir celeberrimus pietate, aſſiduus ſacrarum litterarum Inveſtigator; obiit *Cracoviæ*, anno 1627. Scripſit autem & prælo dedit Latinè,

1. *Sermones Quadrageſimales*, Lib. I.

2. *Sermones de Sanctis & de Tempore*, Lib. II.

Ita Relationes MſT. Carmelitarum Polonorum quas memorant Alegreus Caſſanatus in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 493. Paolus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum, pag.* 65. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1205. *num.* 3918.

XXXVII.

ALBERTUS DE PORCETO, natione Germanus, Theologus Concionator celebris, circa annum 1445. (ſi idem fuerit atque ALBERTUS DE BURRETO) Scripſit,

1. *Expoſitionem ſuper Magnificat*; quæ Mſ. aſſervatur in Bibliotheca Carmeli Boppardienſis.

2. *Conciones Quadrageſimales*, quæ MſT. ſervantur in Bibliotheca Carmeli Aquiſgranatenſis.

3. *Viridarium Virginis glorioſæ*, Mſ. *Ibidem*.

Sic teſtantur Relationes MſT. Carmelitarum Provinciæ Alemaniæ, quas profert Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1095. *num.* 3870.

XXXVIII.

ALBERTUS SCACHINUS, natione Italus, patriâ & Cœnobio Parmenſis, Congregationis Mantuanæ Carmelita, Sacræ Theologiæ Magiſter, Sanctæ Inquiſitionis Conſultor in Patria; ubi obiit anno 1676. die 26. Octobris; poſtquam ſcripſiſſet Italico idiomate inſcriptum Opus,

Obſcuritas illuminata & illuminans, ex triumpho funebri Sepulchri glorioſi Redemptoris noſtri, tribus partibus diſtinctum. *Parmæ, anno* 1658. *in*-4°.

Hæc leguntur *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1070. *num.* 3722.

Non umittendus mibi hìc non videtur ALBERTUS JANIN, natione Gallus, patriâ Cabillonenſis, Provinciæ Narbonæ Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor Pariſienſis, anno 1540. in Provincialem electus, qui anno 1547. plagis ab Hæreticorum furore ſaucius, occubuit; dum Provinciæ ſuæ habenas adhuc Præſes teneret, & tanquam Martyr habetur; teſte R. P. Philippn Chaudeau à S. Claudio, in *Schedis Mſſ.* ad nos Lugduno Aureliam anno 1741. miſſis.

XXXIX.

ALBIZUS AZOLINUS, natione Italus; Cœnobii Florentini alumnus Carmelita, eruditione, prudentiâ in Monaſtico regimine & vitæ auſteritate conſpicuus; jejuniis, atque vigiliis ſingulariter deditus. Fuit primùm Diffinitor & Provincialis Thuſciæ, & Lector ſententiarum Florentiæ in Capitulo Brixienſi 1387. & in Placentino anno 1396. Diffinitor & Provincialis ejuſdem Provinciæ; ac in Capitulo Sylvarum anno 1399. iterùm Provincialis inſtitutus. Poſt, in Capitulo Bononienſi anno 1405. Provincialis etiam, & Diffinitor Provinciæ ejuſdem Thuſciæ dicitur. Ac tandem in Capitulo Balneolarum anno 1416. etiam Provincialis nominatur; poſteà *Florentiæ* anno 1428. vitæ ſanctimoniâ decorus obiit.

Scripſit, *in Magiſtrum Sententiarum Quæſtiones*.

Vide Archivum Carmelitarum Florentinorum, Lezanam, *tomo* 4. *Annalium, an.* 1418. *num.* 5. & *an.* 1428. *num.* 5. *pag.* 788. & 812. Danielem à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 976. *num.* 3424.

XL.

ALEXANDER BLANCKART, aliàs CANDIDUS, natione Germanus, Ultrajectenſis Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor Colonienſis, ejuſdemque Facultatis publicus & ordinarius Profeſſor, nec non Univerſitatis Decanus anno 1554. electus; patriique Cœnobii Prior & Paſtor in eâdem Civitate ad *S. Nicolaum*; interfuit Concilio Tridentino, anno 1551. ſub JULIO III. inter Theologos à Sereniſſimâ MARIA CAROLI V. Sorore, Belgii moderatrice, miſſus: in quo Concilio habuit Orationem ad Patres die 25. Octobris, & alteram in Dominicâ 4. Adventûs. Obiit Coloniæ anno 1555. die ultimâ Decembris. Scripſit typiſque mandavit,

1. *Orationes duas in Concilio Tridentino* habitas.

2. *Judicium Joannis Calvini de Sanctorum Reliquiis collatum cum Orthodoxorum S. Eccleſiæ Catholicæ Patrum Sententiis*, ad R. P. Dominicum Joannem Hulſs, Munaſterii Campenſis Abbatem.

A.

Coloniæ, 1551. apud Gasparem Geonepæum, *in-8°*. Opus autem Calvini quod impugnare aggressus est Alexander Blanckart, inscribitur: *Admonitio appositissima de perquirendis Reliquiarum, quas vocant, frustulis, ex fide Pontificiorum.* Quem tractatum Calvini tangit pro suo hæretico more Petrus Baylus, *tom.* 4. *Dictionarii Critici*, *pag.* 3041. *edit. Roterod.* 1720.

3. *De retributione Justorum post mortem.* Coloniæ, apud eumdem, *in-8°*.

4. Edi curavit *Biblia sacra Belgicè seu Flandricè*. Coloniæ, 1547. Typis Gasparis Gennepæi: dicata Georgio Egmundano, Episcopo Ultrajectino.

Hæc refert Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula Universali Scriptorum Ecclesiasticorum*, *tom.* 3. *pag.* 249. *&c. tom.* 5. *pag.* 608. cui prævivit Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1195. *num.* 3871. Sequuntur autem *Bibliotheca Belgica* Joannis-Francisci Foppens, *pag.* 44. Supplementum Dictionarii Moretiani 1749. *tom.* 1. *pag.* 219. *col.* 2.

X L I.

ALEXANDER A CONCEPTIONE, Polonus, Carmelita Excalceatus, edidit patrio idiomate,

1. *Orationes Funebres.*

2. Aliud Opus inscriptum: *Castris & Astris militans Eques*, in-folio, 1685. inquit Auctor *Bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 2.

X L I I.

ALEXANDER DORIA, aliis AURIA, antiquiorum Carmelitarum Genuense Cœnobium pluries cum laude, plausuque rexit admirabili, sacræ Theologiæ Doctor, Evangelii Præco eruditus, à studiis Patavii & Romæ, Galliæ Cisalpinæ Provincialis, è vitâ anno 1647. excessit. Reliquit in posterorum commodum,

1. *Quadragesimales Conciones.*

2. *Consultationes Morales*; ut refert Raphaël Sopranus, in *Syllabo Scriptorum Ligurum*, apud Augustinum Oldoïnum, in *Athenæo Ligustico*, *pag.* 9. citatus.

X L I I I.

ALEXANDER A S. FRANCISCO, Natione Italus, in sæculo dictus LÆLIUS UBALDINUS, LEONIS XI. Summi Pontificis ex Sorore Nepos, parentibus MARCO-ANTONIO UBALDINO, & LUCRETIA ex Comitibus GERARDESSIÆ et MEDICEA Familia, ad annum 1588. Romæ natus est decimo quinto Kalendas Novembris. Cum ibi philosophicis disciplinis imbueretur, Concionibus PETRI A MATRE DEI, & exemplo juvenis VINCENTII ex familia CRESCENTIORUM, nobilitate illustris, qui Carmelitarum Excalceatorum habitum anno 1604. assumpserat, permotus, in eodem S. MARIÆ DE SCALA dicto Monasterio admitti postulavit; & à jam memorato Petro vestitus fuit anno 1605. die primâ Aprilis, & ex eo tempore quo ejus Avunculus Summus Pontifex electus, adorationis solemnitate ad Altare S. PETRI honoratus fuit.

Emenso tyrocinii sui curriculo, cum admirabili spiritûs fervore, non minori alacritate ac pietate, per vota solemnia, hostiam se viventem Deo obtulit. Obedientiæ, paupertatis, pœnitentiæ, sui abnegationis, omniumque virtutum cultor eximius, anno 1614. missus Parisios, ut Novitios, ac juniores Fratres ad Instituti sui perfectionem promoveret, potens opere & sermone, doctrinâ & exemplo, tum ibi, tum posteà anno 1617. die primâ Aprilis, CHARENTONII, primævum Excalceati Carmeli spiritum, quo plenus erat, abundè communicavit.

Anno 1619. primo Galliæ Carmelitarum totum Capitulo Provinciali Definitor interfuit; & indè Romam petiit, Conventum S. MARIÆ DE SCALA Prior gubernaturus, ad quod officium electus fuerat in Capitulo Romano Provinciali, & ad primi socii munus in Capitulo Generali. Romanæ Provinciæ posteà Provincialis, dum Neapolitanum Conventum visitaret, à gravi, quâ opprimebatur, infirmitate quasi miraculosè sanatus est. Anno 1629. in Comitiis Generalibus annumeratus est inter Definitores Generales: sed non multò post in lethalem morbum incidit, de quo magnâ perfusus lætitiâ, cum fratribus, qui aderant, Hymnum *Te Deum laudamus* alternatim cantans, votaque sua renovans, dicenti Dom. COCCINO Rotæ Decano, *In domum Domini ibimus*, respondit, *Lætantes*: ac paulò post Sacramentis munitus, purissimam Deo animam reddidit, non sine sanctitatis opinione, die 19. Aprilis 1630.

Omnia ferè ejus Opera *duobus tomis in-4°*. prodière Romæ, annis 1670. & 1671. curâ Philippi Mariæ à S. Paulo, Carmelitæ Excalceati, Congregationis Indicis Consultoris. Præcipua Latino idiomate sunt,

1. *Thesaurus Pauperum, ad thesaurizandos thesauros in Cælo.* Lugduni, apud Claudium du Four, an. 1633. *in-8°*. anteà prodierat Opus mirâ pietate refertum.

2. *De Præsentia Dei.*

3. *Schola Virtutum.*

4. *Horologium Animæ*: Italicè.

5. *Epistolæ* plures, tum Latinè, tum Italicè, ante & post Religionis ingressum, scriptæ.

6. *Soliloquia Animæ* manuscripta Charentonii composita, Parisiis asservata apud suos sodales.

7. Ex Hispano in Italicum idioma transtulit *Opera Ven. P. Joannis à Cruce*, cum ejusdem Vitâ & annotationibus *Didaci à Jesu*. Romæ 1637. *in-4°*. apud Franciscum Corbelleti.

Alexandrum à S. Francisco celebrant Ludovicus à S. Theresia, *Lib.* I. *Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ*, *Cap.* 97. *pag.* 77. & 253. quorum ipse testis fuit: Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiosi* 3. *parte*: Petrus à S. Andrea, *tomo* 1. *Histor. General. Congregat. Carmelit. Excalceat. Italicè*, *Lib.* III. *Cap.* 42. & 43. Philippus Maria à S. Paulo in ejus *Vitâ*, quam Libris quatuor distinctam, Romæ edi curavit, anno 1668. Quibus accedunt alii Carmelitæ ex antiquiori Observantiâ Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Personatâ Ms. pag.* 13. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 3. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1051. *num.* 3638. & *pag.* 1127. *num.* 3961. sed non omittenda *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 2. & *seqq.*

X L I V.

ALEXANDER A S. FRANCISCO, in seculo dictus LUDOVICUS VALLOTA, ex antiqua familia ortus *Mediolani*, AMBROSIO VALLOTA, atque CÆCILIA MERCANTULA parentibus, die 12. Decembris, Æræ vulgaris M. DCLXI. Dixi ex antiqua familia ortum. Nam in Musæo Antiquitatum, præcipuè Mediolanensium, apud *Joannem Sitonum* J. C. C. extat Sententia lata sub die Mercurii decimo quinto mensis Augusti, anno ab Incarnatione M. CCXXIII. indictione XI. ALBERTI VALLOTÆ, Consulis Justitiæ in libera Mediolanensi Republica. Documentum vetè magnificiendum, inquit vir clariss. & peritiss. Philippus Argelatus in sua Bibliotheca omni genere perfecta & absoluta Mediolanensi, ob ætatem; & quia autographum est in Pergamento ALBERTI filii quondam Traversi DE SANCTA MARIA Sacri Palatii Civitatis Mediolani Notarii, ad ostendendam quoque familiæ Mediolanensis vetustatem aptissimum.

A.

Ex eadem gente ortus noster Ludovicus Vallota, Sacris initiatus, primisque studiis optimè imbutus, Religionem Carmelitarum Excalceatorum amplecti decrevit, & in eadem nomine assumpto Alexandri a S. Francisco, professus est die 26. mensis Martii, anno 1679. Vir fuit acris ingenii, optimique consilii, nec non in gerendis rebus summè prudens, literis quoque ac pietati totus deditus; ita ut munera Prioris, Definitoris, ac Provincialis à suis obtinere meruerit. Eximius S. R. E. Cardinalis à Platea Faventiæ Episcopus Alexandrum nostrum à Consiliis, & Theologum suum voluit. Examinator item Synodalis, & S. Officii Consultor pluribus annis in eadem *Faventina* Civitate, cunctis plaudentibus extitit: ex quâ in patriam redux, anno M. DCCXXVI. die 13. in Domino mortuus est. Reliquit post se

Volumen integrum *Consultationum Canonico-Moralium;* quod prælo paratum habebat *Mss. in-folio.* Servatur in Bibliotheca FF. Carmelitarum Excalceatorum Mediolanensi; sicuti refert vir clariss. Dom. Philippus Argelati in Bibliotheca Mediolanensi, tomo secundo, pag. 1561. num. M. DCCXLII.

X L V.

ALEXANDER A JESU MARIA, Polonus Carmelita Excalceatus: Vir summæ eruditionis & eloquentiæ; disputavit acriter contra hæreticos, quos publicè superavit. Edidit,

1. *Metaphysicam*, *in-4°.* anno 1679.

2. *Orationes Funebres in sepulturis Principum & Magnatum.*

3. *Tria volumina exquisitissimarum Concionum*, prælo parata Mss. asservantur in Archivo Provinciæ Poloniæ suorum sodalium; teste Martiali à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum, pag. 7.*

X L V I.

ALEXANNDER KOSLINKIUS, aliis Koslius, aliis Roslinski, Polonus Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor, Provinciæ suæ Præfecturam gerens anno 1636. ejusdem *Provinciæ Poloniæ Relationem* misit Romam: Quâ usus est *Lezana* in suis Annalibus, anno 1397. *num.* 2. *tomo* 4. *pag.* 744. *item anno* 1437. *num.* 4. *pag.* 843. *pro* fundatione Cœnobii Jaslensis:

Ibi in primis traditur Carmelitani Cœnobii Cracoviensis fundatio per *Uladislum* IV. Poloniæ Regem, & *Hedvigem*, Reginam Consortem, facta anno Christi 1397. extra Urbem Cracoviam, in parte Occidentali; in loco nuncupato ad *Arenas:* indè imagini Divæ Virginis inditum nomen in *Arenis*, & à Violis *in Violeta.* Quæ fundatio confirmata est à Bonifacio IX. per Bullam, *Sedis Apostolicæ providentia*, datam Romæ, Nonis Januarii, anno 1401. Idem *Uladislaus* Carmelitis Cracoviensibus, quatuor temporibus cujuslibet anni, quinque Marcas salis ex Zuppis Brochnensibus & Wieliciensibus fodinis contulit anno 1413. & aliam Marcam de custodiâ piscium eis dedit capiendam anno 1430. die 3. Septembris. Alia etiam privilegia hujus Regii Cœnobii à Regibus concessa idem Alexander refert: quorum authentica instrumenta prodierunt *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum*, *pagg.* 156. 617. 618. & 619. atque 411. & 412.

Anno 1492. die 16. Junii Innocentius VIII. per Bullam, *Sacræ Religionis*, permisit Carmelitis Cracoviensibus, ut possint deferre sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum discoopertum per Ecclesiam, & Claustrum singulis feriis quintis, & in quibusdam anni Festivitatibus. Sed Conventus hic, sicut & Polonica Carmelitana Provincia sæva diuturnas calamitates posteà subiit, inter quas non ea prorsus delenda est, quæ anno 1587. sæviit in istud Cœnobium. Nam hostiles eo anno & amicæ acies circumsedebant Urbis Cracoviensis mœnia. Lascius Magister Equitum, seu hæreseos quâ infectus erat, seu temulentiæ vitio, ignem injici jussit in ædes Monasterio & templo vicinas. Hinc mox mirabile spectaculum: Flammæ viscera tenebant ædificiorum vicinorum, & indè corripientes Monasterium & Templum, & jam illa in cineres redegerunt: duntaxat inter horrendum incendium illæsa perstitit *Imago B. Virginis*, & ejus Sacellum. Res fuit admiranda omnibus; hoc unicum pietatis propè monumentum integrum, inter ignes tam subitos, acres, & immensos, & insperatos remansit.

Eidem Monasterio & Templo instauratis haud minus triste accidit infortunium anno 1655. Quando à Suecis Cracovia occupata est. Hi enim pietatis & cultûs erga Dei-param hostes, *Arenensis Virginis* memoriam omninò abolere decreverunt Monasterium & Templum aggrediuntur, & subvertunt: concidunt Cœnobii habitacula, & ambulacra, & Templi vasta moles. Sola, manifesto & admirando miraculo, perstitit illa veneranda Thaumaturgæ Divæ *Virginis imago.* Ast furibundus miles, stricto gladio, *experiar*, inquit, *an vestra Maria miracula adhuc faciat?* Directoque in venerandam faciem Benedictæ Virginis ictu; immanem illam altè eidem, proh dolor! infigit: eamdem rursus, atque iterum contorquens; repetitis vesanâ rabie plagis, dexteram ejus partem validè confodit, & convulnerat. Sed scelestum, non ut Poëta inquit, *insequitur pede, pœna, claudo*, verùm citatissimo impetu assequitur. Trajicitur à Catholicis in fugâ globo bombardæ igneo, momentoque occiditur.

Anno 1657. victricibus Polonorum armis, receptâ Regni sede Cracoviâ, etiam sacræ *imaginis Arenensis* gloriam, sedemque Augustissimæ Virginis ex ruderibus suis, novo splendore, & magnificentiâ consurgentem, videre fuit. Nam 8. Septembris Reverendiss. Dom. Nicolaus Oborski, Episcopus Laodicensis, Suffraganeus, Archidiaconus, & Officialis Generalis, atque sub id tempus Administrator Episcopatûs Cracoviensis, ipso natali Virginis Sanctissimæ, natales redivivas, iterum *Arenensis* gloriæ celebravit, primum hic in illâ adhuc informi vastitate, bustoque tremendum Altaris sacrificium Deo immortali offerens, miro omnium gaudio & plausu; cum cernerent reflorescere inter spinas ruderum virginea Carmeli lilia. Cura deinceps omnium eo præcipuè incubuit, ut locus ille à squallore quantociùs vindicatus, devotioni eò concurrentium adaptaretur, ligneaque primum ædicula, protegendæ utcunque sacræ imagini, subito opere facta: mox advocata operariorum manus, quæ ingentibus ruinis ocyus expurgatis, condendo iterùm Sacello virgineo, locum faceret admirabili omnium fervore, sedulitate, operarumque acceleratione, rem voto publico desideratissimam, brevi perfecit, liberali pecuniarum subsidio, ab illustrissimo Dom. Petro Gembicki, Episcopo Cracoviensi, supremæ voluntatis tabulis assignato, piâque aliorum munificentiâ.

Hæc leguntur in *Historia Imaginis Cracoviensis in Arenis seu Violeto*, scripta à Domino Nicolao Grodzinski, Regis Secretario: postmodùm auctâ & Typis editâ Cracoviæ, anno 1669. apud Michaelem Korybuth. Partim etiam prodiit *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 661. *num.* 2525. & ibid. *tomo* 2. *pag.* 1104. *num* 3914. Alexandri autem Koslinkii mentionem faciunt Joannes Baptista Lezana, *tomo* 4. *Annal. anno* 1397. *num.* 2. *pag.* 744. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1105. *num.* 3918. Ludovicus Jacob *in Indice Scriptorum Carmelitarum Mss.*

XLVII.

A.

XLVII.

ALEXANDER-MARIA BRIANTUS, Mediolanensis, doctrinâ, & morum integritate singulari clarus, sacro Carmelitarum Ordini in Congregatione Mantuana nomen dedit. Seriis autem & amœnis scientiis operam tam sedulam navavit, ut nedùm Oratoriæ facultatis gratiâ in omnium ore versaretur, sed etiam ad Religionis primaria munera, Fratrum suorum accedentibus suffragiis ascenderet. Anno enim 1673. Definitor electus est; tum Cœnobii S. Joannis ad Concam anno 1694. Priotatu decoratus, pluribus eruditionis sacræ præcipuè monumentis nonagenarius in ipso Conventu in Domino quievit. Habemus ab eo conscripta Opera, quæ hic proferimus:

1. *L'Antiparistasi del Santo Amore, o sia dell' Origine, Antichità, Cadute, Rinovazioni, è progressi della Scuola di Santa Maria della Neve, e di San Giovanni alli fonti del P. Alessandro Maria Brianti Carmelitano Milanese.* Milano, per il Monza, 1660. *in*-4°.

2. *Li Sacri Notturni del nove lezioni di Giobbe.* Milano, presso il Ramellati 1669. *in*-8°.

3. *Quadragesimale compiuto Mſ. in-fol.* magnæ molis. Extat in Bibliotheca supradicta Sancti Joannis ad Concam, Mediolanensi.

4. *Quadragesimale nel Deserto, o sia lo stessa Quadragesimale ridotto in CLXXII. Sonetti Mſ. in-fol.* Extat ut suprà, atque in fine sic legitur:

» Trovandomi ottuagenario per passare le ore dell'
» ozio, che mi concede la Religione, ho ristretto le
» moralità del mio Quadragesimale in pochi Sonetti,
» &c. Il mio fine fu di dedicargli alle Sante Teresa,
» e Maddalena de Pazzi, acciò mi fossero assistenti
» nell' ora della mia morte, &c. gli ho dato nome di
» Quaresima nel deserto, perchè osservo, che ella e
» poco osservata, è più perchè, e un fiore d'un ter-
» reno, che patisce la sterilità, &c.

5. *Discorso dell' ingratitudine. Mſ. in-fol.* Ibid.

6. *S. Simon Rappresentazione in Versi Italiani d'Atti V. Mſ. in*-4°. Ibidem

7. *Opuscalum miscellanearum rerum, tam ad eruditionem sacram, quàm ad profanam*, Italico & Latino sermone *spectantium*, Mſ. *in*-4°. *ibidem.*

Agunt de illo Alex. Carolus Vaghus Carmelita, in *Commentario Fratrum & Sororum Ordinis Beatissimæ Virginis Montis Carmeli Congregatianis Mantuanæ, impresso Romæ, anno* 1735. *pag.* 336. & Vir clariss. Dom. Philippus Argelati Bononiensis, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, &c. *Mediolani, anno* 1745. *duobus tomis in-folio, pag.* 227. *tomi secundi, num.* CCCXX.

XLVIII.

ALEXANDER SALICINUS, Ferrariensis, Carmelita Congregationis Mantuanæ, *nonnulla* edidit *Poemata ex Hieronymo Druffaldo*, & *Dialogum super Orthographiam*, ex Monumentis extractum Hieronymi Ruscelli, *in*-8°. Ferrariæ, apud Valentem Panizza; & Mantuæ, anno 1563. Hæc refert Elias de Amato suis in Schedis Mſſ. ad nos Aureliam è Monte Altino missis, anno 1748.

XLIX.

ALEXANDER A S. TERESIA, natione Belga, in seculo VAN-DER-BERGHE dictus, ex Dynastiâ DE GEMERT, Ordinis Teutonici Commendatariâ, natus *Bruxellis* anno 1639. apud antiquioris Observantiæ Carmelitas Professionem Religiosam emisit anno 1658. Annis plurimis Philosophiam & Theologiam suis perlegit Lovanii, & laude multâ

Scripturas sacras exposuit usque ad annum quo mortuus est. Scripta ejus inscribuntur,

1. *Clypeus Religionis.* Coloniæ Agrippinæ, 1679. *duobus tomis in*-4°. In priori parte detegit Novatorum in rebus Religionis mille fallendi artes. S. Augustini authoritatem expendit: perpetuam stabilit concordiam inter Clericos & Religiosos Operarios: propugnat primatum positivè primum Summi Pontificis Romani, ac simplicem ei debitam obedientiam: novitatem in rebus ad Religionem pertinentibus damnat: Parochis sua jura, Regularibus quoque sua asserit privilegia: sanctissimam Dei-param mediatæ concordiæ statuit patronam.

In secunda parte propugnat externum Religionis cultum, sacros ritus, cæremonias, symbola, tesseras, pretiosum ac magnificum templorum ornatum; frequentem SS. Eucharistiæ communionem; cultum Sanctorum, maxime B. V. Deiparæ, earumque sacrarum imaginum; ecclesiasticas processiones; exsequias monitorum salutarium B. V. Mariæ ad suos cultores indiscretos celebrat; agitque de plurimis aliis eâ tempestate, quâ suum scribebat Librum, tum inter Catholicos, tum inter hos & catholicos controversis.

2. *Præco Marianus*, denuncians illustrissima, uberrimaque elogia & præconia, quibus SS. Deipara Virgo ante mille annos à Verbo incarnato, à SS. Patribus fuit celebrata; nec non cultum, quo fuit venerata latinè. Coloniæ Agrippinæ, anno 1681. *in*-4°.

3. *Regula fidei*, contra novam quandam doctrinam, docentem septem esse puncta credenda necessaria necessitate medii. Flandricè, Ypris, anno 1682. *in*-12.

4. *Confutatio justificationis praxeos*, quâ nonnulli sub nomine Parium in Belgio consueverunt anxiâ curâ proponere septem puncta, tanquam necessaria necessitate medii credenda, Latinè. Ypris, anno 1683. *in*-8°.

5. *Hydra profanarum novitatum:* sive descriptio historica Theologica Causarum præcipuarum omnium Hæreseon & Schismatum irrepentium: unaque generalis earumdem profanarum novitatum confutatio, Latinè. *Coloniæ-Agrippinæ, anno* 1684. *in*-8°.

6. *Tempestas Novaturiensis*; singulas percellens novitates nunc grassantes, præsertim circa administrationem Sacramentorum Eucharistiæ. Latinè. *Coloniæ-Agrippinæ*, 1686. *in*-4°.

Hoc Opus censoriâ virgulâ sæpiùs notat Henricus à S. Ignatio, in sua *Ethica Amoris, tom.* 3. *Lib.* V.
Cap. 4. *num.* 17. *pag.* 208. *col.* 2.
Cap. 5. §. 4. *num.* 22. *pag.* 211. *col.* 2.
Cap. 19. *num.* 246. *pag.* 138. *col.* 1.
Cap. 37. §. 4. *num.* 2549. *pag.* 586. *col.* 2.
Ibidem, *num.* 2552. *pag.* 588. *col.* 1.

7. *Sacrarium reclusum:* in quo confutantur ii qui lectionem Sacræ Scripturæ in vernaculâ linguâ cuilibet premiscuè licitam esse contendunt. Flandricè, Ypris, anno 1690. *in*-12.

8. *Sanctam Sanctorum conclusum:* in quo ostenditur illicitum esse Missam, præcipuè Canonem in linguâ vulgari imprimere, legere, &c. Flandricè, Ypris, anno 1690. *in*-12.

Hæc ad nos Bruxellis Aureliam scribebat R. P. Illuminatus à Spiritu Sancto, anno 1741. die 13. Augusti: omissâ tamen Censurâ Henrici à S. Ignatio, quam legere est *locis citatis.*

L.

ALEXIUS A SANCTO ALBERTO, sivè potiùs à S. ANTONIO, Carmelita Excalceatus Provinciæ Genuensis, ejusdemque Reipublicæ Theologus, edidit opus Latinum inscriptum,

A.

Jura Creditorum contra decoctum seu latitantem, omnium bonorum suorum administrationi privatum, nedùm in externo, & judiciali foro, sed etiam interno conscientiæ, ante quamcunque judicis declarationem. Massæ, anno 1725. *in-4°.*

Monet Censor operis, illud tenuem ombram esse magni corporis, quod exuberanti doctrinâ suâ, in Orbe litterario ad commonem utilitatem editurus speratur. Vide *Bibliothecam Carmelitanam Excalceatam*, *pag.* 7.

L I.

ALEXIUS AB ASSUMPTIONE, natione Gallus, patriâ Parisinus, Carmelita Provinciæ Turoniæ: vir mundo sibique omnioò mortuus: virtutibus Christianis & Religiosis acquirendis unicè occupatus, de cætero nihil sollicitus; ad strictiorem observationem in Brasiliæ Provincias introducendam missus est à Reverendissimo Priore Generali PAULO A S. IGNATIO. Galliâ, Hispaniâ, Lusitaniâ peragratis, dum ad *Portum-Calensem*, præstolatur navium discessum, morbo correptus, vivendi finem fecit die 17. Novembris, anno 1688. sepultus apud RR. PP. Dominicanos ejusdem urbis. Id refert Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo in brevi Encomio Ms. *Illustrium Carmelitarum Provinciæ* Turoniæ, pag. 28. Quid autem scripserit Alexius, non exhibetur.

L I I.

ALEXIUS A S. MARIA, natione Pedemontanus, ex oppido *Carruti*, in Diœcesi *Montis-Regalis*, dictus in sæculo JOANNES-MATHÆUS LUBATUS, Carmelita Excalceatus: vir tùm à Religiosis, tùm à sæcularibus, ob eximias dotes ac virtutes, in maximâ veneratione habitus. Ab emissâ professione, usque ad mortem, continuis gravissimisque infirmitatibus, tanquam aurum in fornace probatus, nonnulla tamen Opera, ad animos disponendos per varia pietatis exercitia, diebus novem præcipuas festivitates præcedentibus, edidit Italico idiomate, seipsum continuò ad mortem disponens, quæ ipsi contigit. *Taurini*, anno 1723. die 20. Februarii.

1. *Pietatis Obsequium propositum ad debitè celebrandam S.* Joseph festivitatem, illiusque patrocinium obtinendum. Taurini, anno 1702. *in-8°.*

2. *Debita præparatio pro solemnitate Assumptionis Beatæ Virginis Mariæ.* Ibidem, 1704. *in-8°.*

3. *Animæ Christianæ eruditio, ut Apostolorum exemplo, ad Spiritum Sanctum recipiendum, se disponat.* Ibidem, anno 1708. *in-8°.*

4. *Occursus Spiritualis Verbo Incarnato.* Ibidem, anno 1709. *in-8°.*

5. *Devotæ Reflexiones virtutum S. Teresiæ in apparatum suæ festivitatis.* Ibidem, anno 1710. *in-8°.*

6. *Pia confortatio dolentis Matris Dei, in vitâ & Passione Jesu-Christi, exercitium pietatis distributum, pro singulis feriis sextis Quadragesimæ.* Ibidem, anno 1711. *in-8°.*

7. *Mystica vocatio ad Evangelicam Cœnam, in Eucharistiæ Sacramento præparatam, exercitium devotionis distributum à vigiliâ Festi usque ad ejus Octavam.* Ibidem, anno 1714. *in-8°.*

8. *Sublimitas Mariæ Virginis, in suæ Conceptionis Immaculatæ privilegiis, piis exhibita, ut motivum præparationis, ad hanc festivitatem celebrandam.* Ibidem, anno 1716. *in-8°.*

9. *Sanctitas super alios à Christo magnificata, in suo Præcursore Joanne-Baptistâ.* Ibidem, anno 1718.

10. *Cœlestes Benedictiones super genus humanum defluentes, in felicissimo Beatæ Virginis Mariæ Natalitio.* Ibidem, anno 1722.

11. *Virtus in Aulâ educata, in Claustro ad perfectionem adducta, in duplici statu sæculari & Religioso, vener. Sororis Annæ Mariæ à S. Joachimo* Teresianæ Carmelitanæ Monialis, in sæculo dictæ *Dom.* MARGARITA FORNI, *primæ honorariæ puellæ Serenissimæ Infantis Mariæ Sabaudiæ.* Taurini, anno 1713. *in-4°.*

Hæc Referuntur in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 7. & 8.

L I I I.

ALEXIUS A PASSIONE, natione Italus, Tuderti in Umbriâ, nobilibus ortus parentibus, dum Romæ humanioribus Litteris operam daret, duodenis se Deo inter Carmelitas Excalceatos in Conventu S. MARIÆ DE SCALA consecravit. Professione emissâ, Theologiæ vacans, Superiorum mandato, etsi reluctans, Sacerdotio initiatus est. Celiæ Custos assiduus, aut orans, aut scribens, suis laboribus, Superiorum licentiâ Ecclesiam lampadibus, & reliquiarum thecis argenteis ornavit, & ad aliorum æmulationem inscripsit, *labore calami religiosi*: mortis Tyrocinium insanabili morbo, ad quinquennium extenso, corde in Deum semper elato, didicit. Demùm die 29. Octobris anni 1674. Ecclesiæ sacramentis munitus, animam pœnis corporeis purgatam, Creatori reddidit. Prælo dedit,

1. *Vitam vener. Paulæ à Jesu Carmelitanæ Excalceatæ*, Prioris & Fratrum Carmelitarum Discalceatorum S. Mariæ de Scala nomine. Romæ, anno 1679. *in-4°.*

2. *Vitam vener. Patr. Stephani à Sanctis, Carmelitæ Discalceati.* Ibidem, *in-4°.*

3. *Vitam S. Teresiæ, ære incisis.*

4. *Plura alia Opuscula* spiritualia, aut suo suppresso, aut alio nomine edita.

Hæc habet Martialis à S. Joanne Baptistâ in suâ *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 8.

L I V.

ALEXIUS PORRUS, natione Italus, patriâ Mantuanus, Mantuanæ ipsius Congregationis Carmelita: cujus primùm Procurator Generalis, & anno 1587. Vicarius Generalis extitit. S. Theologiæ Magister, Sancti Officii Inquisitionis Consultor, & in Patria Synodalis Examinator, atque Venetiis diù functus munere Exorcistæ, ut loquitur *Antonius Possevinus. Mantuæ* obiit anno 1609. Scripsit Opera plurima, quæ titulum præ se ferunt, Italico tamen idiomate.

1. *Lectio spiritualis ad illam Salomonis Sententiam, Eccles.* 1. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Parmæ*, apud Erasmum Viottum, an. 1594. *in-4°.*

2. *Lectio spiritualis in quadragesimum octavum Carmen Petrarchæ.* Parmæ, apud Erasmum Viottum, 1594.

3. *Oratio de Purgatorio & suffragiis mortuorum in anniversario generali Confratrum Sodalitatis Sanctissimi Crucifixi.* Ibidem anno, apud eumdem Typographum.

4. *Oratio in laudem S. Hiacinthi Poloni, Ordinis Prædicatorum.* Placentiæ, apud Joann. Basacium, anno 1594. *in-4°.*

5. *Responsio ad quæsita quatuor de S. Paulo. Primum*, Quo tempore, & quomodo conversus est. *Secundum*, Num in ipsa conversione, an posteà fuit raptus ad tertium Cœlum; num tertium Cœlum intelligendum sit illud quod Veneri tribuitur, aut aliud juxta Astrologos. *Tertium*, Quænam fuerint arcana illa, quæ se vidisse D. Paulus scripsit. *Quartum*, Quid

A.

illud sit, quod sibi datum fuisse inquit, nempè stimulum carnis, post raptum ad tertium Cœlum. *Cremonæ*, apud Barucinum Zannium, 1595.

6. *Vas veritatis.* Quo duodecim dubia solvontur de origine, nativitate, vitâ, operibus & morte Antichristi. *Venetiis*, apud Petrum Dusinellum & Hieronymum Porrum, anno 1597.

7. *Discursus adversus Astrologos judiciarios, sive Divinatores. Venetiis*, apud Antonium Rampazettum, anno 1597.

8. *Oratio in laudem Academiæ Venetæ. Venetiis*, apud Petrum Dusinellum, 1597.

9. *De signis & prodigiis admirandis in morte Christi.* Ibidem, apud eumdem Dusinellum, 1598.

10. *Discursus in laudem Rosæ purpureæ Pratorum.* Quæ est oculus & pompahortorum, & gemma juventutis. *Romæ*, apud Guillel. Faciottum, 1599.

11. *Antidotarium adversus Dæmones. Venetiis*, apud Robertum Mejettum, 1599.

12. *Compendium Rhetoricæ, ex insignioribus Oratoribus Græcis & Latinis.*

13. *Tractatus de Sybillis.*

14. *Tractatus in Hymnum*, Ave maris stella.

Hæc Antonius Possevinus Alexii Porri Conterraneus & Coætaneus, *tomo 1. Apparatûs sacri, pag.* 38. & 39. Verùm & alii Porrum celebrant; puta Hyppolitus Donismondi Franciscanus *in Historia Eccles. Mantuan. parte 2. Lib. X. pag.* 437. Georgius Draudius in *Bibliotheca Classica, pag.* 195. & 232. *primæ Editionis:* Guillelmus Crovæus in *Elencho Scriptorum, pag.* 42. Ludovicus Ellies Dupin in *Tabula universali Scriptôrum Ecclesiast. tom 1. pag.* 1408. N. Lengler in *Tabellis Chronologicis, pag.* 30. Supplementi.

E Carmelitis, Petrus Lucius in Catalogo Vicariorum General. Congregat. Mantuanæ: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 430. Joannes Maria Pensa in *Theatro illustrium Carmelitarum Mantuanorum.* Paulus ab omnibus sanctis in *Catalogo Sriptorum Carmelitarum, pag.* 65. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1070. *num.* 3725. Lodovicus Jacob *in Indice Ms. Script. Carmel.*

L V.

ALEXIUS A SPIRITU SANCTO, Neapolitanus, Carmelita Discalceatus, excellentissimæ Vir memoriæ, in Scholastica tam doctus, ut alter Scotus ob subtilitatem æstimaretur; Pluries Prior, bis Provincialis, obiit Panormi, cum bona vitæ integerrimæ opinione post annum 1664. Scripsit Apologiam R. P. Nicolai à Jesu Maria Carmelitæ Discalceati, hoc titulo donatam:

P. Nicolaus vindicatus, sive defensio pro apologia Patr. Fr. Nicolai à Jesu Maria contra Baizam. Autographum asservatur in Archivo Romano; Epigraphum autem in Bibliotheca communi Neapolitana PP. Garmelit. Excalceat. teste Nicolaus Toppi in sua Bibliotheca Neapolitana, annu 1678. edita in-folio, *pag.* 9.

L V I.

ALOISIUS A S. JOSEPH, ex nobili Florentinâ Familiâ MAGALOTTI progenitus, Philosophicis ac Theologicis disciplinis apprimè excultus, utriusque Juris Doctor; cum Romæ D. Coccio, Rotæ Decano in conscribendis decisionibus adjutor esset, magnique nominis umbram sequeretur, divinâ luce perfusus, rerum omnium vanitatem considerans, anno ætatis suæ 27. Christi verò 1614. die 7. Junii, religioso Carmelitarum Excalceatorum habitu, in Tyrocinio Romano S. MARIÆ DE SCALA indutus est, ac sequenti solemnem professionem emisit. Virtutes sic omnes excoluit, ut in spirituali militia inter veteranos accenderetur: dicendi gratiam naturalem cum arte ità conjunxit, ut maximo auditorum fructu, per plures annos Verbum Dei prædicaverit.

Peractâ fondatione TRIDENTINI Conventûs; dum Cœnobii Romani S. MARIÆ DE VICTÔRIA Priorem ageret ab URBANO VIII. AGATANGELO A JESU MARIA, Visitatori Apostolico magnæ CAMALDULÆ, Comes additus, in ea Eremo celebri, regularem Observantiam maximè promovit. Anno 1653. novæ Provinciæ Pedomontanæ à Capitulo generali Provincialis electus, eodem munere in ejusdem Provinciæ Capitulo iterùm insignitus, frustrà se expedire semel & iterùm ab illius regimine tentavit. Procurator ac posteà Definitor Generalis; licet iis officiis imparem se crederet, in iis tamen se dignissimè gessit, virtutum exercitiis, ad virtutis amorem fortiter omnes excitans.

Ob sanctitatis opinionem, quâ in Urbe pollebat, authoritate publicâ juvandis energumenis Præfectus; plurimos à spiritualium nequitiarum tyrannide, per jejunia, macerationem corporis, preces & insignem humilitatem, ac Ecclesiæ remedia liberavit. Matutinis horis ac effractas, cum interesset, corporis vires non attenderet, apoplectico symptomate, ad mortis confinia deductus est: sed morbi vi præsentibus remediis immutatâ, sibi redditus, per medium circiter mensem, se æternitatis itineri, magnu virtutum apparatu, præcinxit; donec iterante morbô, die natali B. VIRGINIS, anno 1669. animam Deo reddidit.

Jussu FERDINANDI III. Romanorum Imperatoris, patrio sermone luculenter scripsit,

1. *Vitam venerabilis servi Dei Dominici à Jesu Mariâ Carmelitæ Excalceati*: Quæ in processibus pro ejus Beatificatione compulsata est. Eo optante in Latinam edi, fortè quia prævenit JOANNES CARAMUAL, lucem noo vidit Ms. Servatur in Conventu Romano S. MARIÆ DE SCALA.

2. Secundi nocturni *Lectiones Officii S. Teresiæ* à nonnullis ei adjudicantur. Hæc omnia describuntur in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 8. & 9.

L V I I.

ALOISIUS LAGHI, in *Foro Livii* vitam auspicatus est. *Forum Livii*, vulgò *Forli*, Urbs est Italiæ in Romandiola Provincia, Episcopalis sub Archiepiscopo Ravennate in Via Æmilia, & sub dominio Summi Pontificis: locum Carmelitis in ea civitate dederunt anno 1347. ad Monasterium construendum *Pepus* (a) *de Orabonis*, & *Catharina ejus uxor, Cives Forlivienses prole carentes*, ut loquitur CLEMENS VI. donationem hanc approbans per Literas Apostolicas eo anno datas Avenione, quinto Idus Novembris.

ALOISIUS piis & honestis parentibus natus, & humanioribus disciplinis apprimè imbutus, Carmelitis nomen dedit, apud quos in Philosophiæ & Theologiæ stadium adeò solerter cucurrit, ut Cathedram istarum Facultatum cum honorifico Magisterii nomine conscendere fuerit promeritus. Lectoris & Prioris munere pluries functus, suæ Proviuciæ Præfecturâ insignitus, in Theologum Eminentiss. PROSPERI LAMBERTINI Cardinalis, tunc Bononiensis Archiepiscopi, qui anno 1740. die 17. Augusti ad Summum Pontificatum electus fuit sub nomine BENEDICTI XIV. assumptus est: Assistentem pro Italia Generalem quinque circa menses, Vicarium Generalem biennio gessit, tandem annô 1744. die 24. Maii ad supremum totius Ordinis moderamen præfecerunt eum Comitia Generalia Romæ celebrata, eodem ipso

(a) Bullar. Carmelit. tom. 1. pag. 385.

Præside jam memorato Summo Pontifice Benedicto XIV. cujus

ORATIO

SS. DD. N. BENEDICTI XIV. Pont. Opt. Max. habita die 23. Maii 1744. in Aula Capitulari Conventûs S. Mariæ trans Pontem, ad PP. Carmelitas in ea congregatos, Capitulum Generale constituentes pro Electione Generalis; quæ coram ipso Pontifice, ipsoque Præside eâdem die facta est.

» VITA functo dilecto Filio nostro Nicolao Cardinali Judice (b) novissimo Carmelitarum Ordinis Protectore, consuetudo postulabat, ut in locum ipsius alius à Nobis sufficeretur Cardinalis, qui Protectoris vestri munus obiret, quæ originem ducit à temporibus Divi Francisci Fratrum Minorum Institutoris, qui in regula cum præcepisset suis, ut à Romano Pontifice Ordinis a se instituti Protectorem precibus impetrarent, aliis quoque Religiosis Ordinibus hoc ipsum ab Apostolica Sede obtinendi normam dedit.

» Quod verò Cardinalem Protectorem à Nobis adhuc non acceperitis, non idcircò factum puteris, quod Nos Ordinem vestrum pauci faciamus. Profectò Nos Carmelitarum Ordinem plurimi facimus, eum diligimus, & singulari studio prosequimur: cùm ante oculos habeamus præclara illius merita, non minùs erga Catholicam fidem; & hanc sanctam Sedem, quàm etiam erga Bononiam Patriam nostram. Ex Historia quippe accepimus B. Petrum Thomam Candiæ Archiepiscopum, Carmelitarum alumnum & ornamentum, labente seculo XIV. plurimùm laborasse, ut pacem, unde publica Bononiæ felicitas maximè pendebat, inter Urbanum Quintum Pontificem, & Barnabam Viscomitem stabiliret. Huc accedit, quod idem Beatus Præsul prædicti Pontificis jussu unà cum aliis ingenio & sapientia præstantissimis viris in Academia Bononiensi, quæ jampridem Legum studiis celebrabatur, Theologicæ doctrinæ studium, quod ad eam diem in celeberrima illa Universitate nemo professus fuerat, primò instituerat.

» Protectionem igitur Ordinis vestri omninò Nobis retinere voluimus, ut Capitulo vestro Generali, quod ex supputatione temporis haud longè abesse intelligebamus, summo animi nostri gaudio, præessemus, vobisque sartam-tectam tueremur libertatem eligendi, quem ad vestri Ordinis regimen magis idoneum judicaretis: non quod veriti simus, ne quicunque Cardinalis vobis in Protectorem obtigisset, libertatem vestram præriperet, aut minueret: sed quod rebus ubique gentium bellorum tumultu perturbatis, & Siciliâ tùm etiam Calabriâ pestilentiæ metu trepidantibus, non injuriâ suspicati sumus, ne novi Protectoris animo insideret Apostolico Brevi Generalem vobis esse constituendum. Quod quidem à Nobis ægrè fit: neque unquam id factum, aut fiet, nisi gravi fortasse difficultate Capitulum Generale impediri contingeret, & major magisque sana vocalium pars id à Nobis fieri deposceret. Optamus enim servari, quantùm potest, Religiosorum Ordinum Constitutiones, & electionis jus ab illis præscriptum haud quaquam disturbari.

» Ecce vobis rerum series, & consilii nostri ratio; ut jam intelligatis, quid faciendum vobis sit, & quid Nos tandem à vobis expectemus. Congregati hìc estis in unum, & ex tot terrarum Orbis partibus post longa & periculosa itinera huc convenistis, ut Ordini vestro caput statuatis. Nos autem huc venimus, ut in quem omnisimodi, aut plura suffragia conveniant, præsentiâ & auctoritate nostra comprobemus. Prestò sumus libertatis vestræ vindices & statores. Neminem proponimus, neminem vobis commendamus. Neque unus præ alio Nobis est magis acceptus: æqualiter omnes respicimus. Hoc unum à vobis petimus, ut unusquisque vestrûm suffragium ferens oculos ad Cœlum erigat, secum ipse cogitans, non sibi fortasse futuram, dum vivet, gravioris momenti occasionem, quâ Ordinem suum juvare valeat opportuniùs, eique magis rependere vices beneficiorum, quæ eidem se debere profitetur.

» Injuriam autem viris probitate ac scientiâ præclaris facere videremur, si ad memoriam vestram revocaremus eligendum à vobis præditum esse debere singulari vitæ exemplo, moribus minimè reprehendendum, sanâ solidâque doctrinâ conspicuum, regularis Observantiæ zelo, tùm etiam Sacras Literas promovendi studio incensum, &, quod caput est, virum prudentiæ laude præstantem, aliisque gubernandis idoneum. At longè gravior injuria vobis fieret præmonendo, in suffragiis ferendis, nullam gentis, aut generis, vel amicitiæ, nullam sive acceptorum, sive obtinendorum beneficiorum habendam esse rationem, sed publicum universi Ordinis bonum unicè respiciendum.

» Agitur his diebus, quod benè nostris, ab Ecclesiæ memoria de electione Sancti Matthiæ ad Apostolicam dignitatem. Apostolus quidem Petrus, ut Ecclesiæ caput a Jesu Christo constitutus, locutus est, dixitque impleri oportere locum Apostolicum Judæ prævaricatione vacuum. Implevit illum Divus Matthias in Apostolorum Collegium coaptatus. Et congregatis adhuc in eodem electionis loco Discipulis, cum Pentecostes festum ageretur, tunc ingens ille factus est de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritûs vehementis, qui totam illam beatissimam Domum implevit. Tunc super Apostolorum aliorumque, qui ibi aderant, capita apparuerunt linguæ tanquam ignis; tunc denique omnes Spiritu Sancto repleti sunt.

» Nos quamquam haud digni, nihilominùs verè ac legitimè in locum Magni Apostoli Petri successimus; & certè sumus, licet immerentes, Ecclesiæ Caput. Vos itaque hortamur, ut locum Moderatoris vestri vacuum impleatis, atque iisdem verbis utimur, quibus usi sunt ii, qui ad Apostolicam electionem congregati orant: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris:* non quidem per sortes, ut tunc peculiari quodam tuo, nobisque impervio consilio factum est, sed per viam suffragiorum, quam deindè Ecclesia tuo illustrata lumine præscripsit: atque illud Nobis Domine permanenter tribue, ut omnes quotquot adsumus, Spiritu Sancto, & donis illius repleti, hoc est repleti Spiritu sapientiæ & intellectûs, Spiritu consilii & fortitudinis, Spiritu scientiæ & pietatis, Spiritu denique timoris tui ex hoc loco discedamus.

Hâc Petri voce instructus totus Carmeliticus Cœtus, supremum sibi Moderatorem alacribus suffragiis præfecit nostrum ALOYSIUM, qui sexennio sagacis, & sui prudentis absoluto regiminis, Comitia Generalia *Bononiam* ex Mandatis SS. D. Nostri BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi, convocavit, ut Successor eligeretur, die 17. Maii anno 1750. Festo sanctissimo Pentecostes. Scripsit,

1. *Prolusiones Theologicas Mss.*

(b) Nicolaus Cardinalis Giudice nominatus est Carmelitarum Protector anno 1727. mense Januario, & obiit anno Christi 1743. die 31. Januarii, ætatis suæ 82. cum mensibus sex & diebus quatuor, natus anno 1660. die 16. Junii.

2.

A.

2. *Epistolas plurimas* suis subditis Carmelitis & aliis, *Mss.* quarum una Romæ in Conventu S. Mariæ Transpontinæ, die 14. Octobris, anno salutis 1749. data est ad convocationem Capituli Generalis proximè futuri: in quâ hæc, inter alia, sunt notanda.

» Appropinquante jam, dilectissimi Fratres, Jubilæi anno, quem ob sacra Mysteria divinitùs instituta, & à Dei populo mysticè celebrata, Veteris Testamenti Scripturæ, tempus Redemptionis, & requietionis appellant, communem nobis omnibus lætitiæ causam advenire intelligimus. Vobis primò quidem, qui memores tanti oneris, quod præterita generalia Comitia infirmis nostris humeris imposuêre, divinâ quasi misericordiâ impulsi, præsentes nostras fractas vires ab hoc Prioris Generalis munere redimere deliberabitis; ac deinceps de alio viro ad Pastorale regimen magis idoneo, cui suprema nostri Ordinis administratio concredi possit, & debeat, consulere habebitis.

» Nobis prætereà tempus istud, vestraque consultatio simul maximi gaudii causa erit. Nam gravissimi periculi magnitudine, & pondere abdicatis; atque ab iis curis, & laboribus, quæ animum torquent omninò vacui, quæque potissimùm ob temporum vicissitudines hactenùs ferè annorum novem spatio patienter, leniterque sustinere debuimus, in posterùm ab omni externarum rerum negotio procùl positi, absque ullâ animi nostri molestiâ, Religiosam quietem, & tranquillitatem colere poterimus, ut in breviori quæ nobis superest præsentis lucis usurâ, soli Deo Optimo Maximo, sanctiùs vacare studeamus.

L V I I I.

ALOISIUS A NATIVITATE DOMINI, in seculo PEANES nuncupatus Bavisii oppidi Diœceseos Montis-Regalis in subalpinis die 16. Aprilis 1685. natus, solemni Professione inter Carmelitas Pedemontanæ Provinciæ die 25. Decembris 1703. annumeratus est. Primùm Philosophiæ ac Theologiæ Professor in Cœnobio Taurinensi, deindè à R. Gaspardo Pizzolanti Priore totius Ordinis Carmelitici Generali missus in Provinciam reformatam Sancti Alberti, statim Syracusis, postmodùm Catanæ suos edocuit Sodales, quos sacrâ efformabat doctrinâ etiam anno 1739. quò *Theologiam Polemicam*, *tribus* ingentis molis *voluminibus*, summâ claritate necnon eruditione refertam composuit, & prælo paratam tenebat; teste Reverendo admodùm Patre Timotheo Bergerot Carmelitarum, Reverendissimi P. Aloisii Laghi, Prioris Generalis pro Gallia Assistente, in Schedis Mss. ad nos Româ Aureliam missis die 17. Septembris 1748.

L I X.

ALOISIUS SADOC, natione Siculus, patriâ Panormitanus Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, doctrinâ instructissimus, & inter illustriores sui temporis Viros clarus; Siculæ Provinciæ pluries præfuit, quàm virtute, ac Litteris plurimùm exornavit. Nam in Capitulo Generali Nannetensi 1430. Definitor; in Comitiis Generalibus Astensibus anno 1440. Definitor simul ac Provincialis; & in Congressu Generali anno 1447. Romæ celebrato etiam Definitor adfuit. Scripta ejus inscribuntur,

1. *Disputationes quædam*, Lib. I.
2. *Sermones plurimi.*
3. *Alia quæ perierunt.*

De eo Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. anno* 1390. *num.* 5. & *anno* 1450. *num.* 9. *pag.* 759. & 875. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi*

Tom. I.

Carmelitani, *pag.* 1067. *num.* 3694. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 66. Ludovicus Jacob in *Indice Mss. eorumdem Scriptorum*: & in *Catalogo Mss. Fundationum omnium Conventuum Carmelitarum*, *pag.* 165. Antoninus Mongitor, *tom.* 2. *Bibliothecæ Siculæ*, *pag.* 23.

L X.

ALPHIUS MATTHIOLUS, natione Siculus, ortu Alcamensis: *Alcamus* enim urbs est ad radices montis *Bonifati* in *Valle Mazaræ*. In Ordine S. Mariæ de Monte Carmelo vir gravioribus disciplinis, divinis humanisque Literis instructissimus, sacræ Theologiæ Magister, Philosophiam ac Theologiam docuit: & præsertim Drepani, Panormi, Neapoli, & Patavii Ordinis Academias, Regentis munere instruxit. In Romano Sapientiæ Lycæo Professorem egit doctissimum: ibique à doctrinæ, & eruditionis præstantiâ magnam nominis celebritatem est assecutus. Conciones in Cinerali Jejunio habuit eloquentiâ & eruditione refertas: etenim Ecclesiastes fuit celeberrimus.

Siculas Provincias S. Alberti, & S. Angeli rexit. In Sicilia etiam, Neapoli, atque Hispaniis Visitator Generalis, & Apostolicus Commissarius. *Romæ* ad munus Procuratoris anno 1593. in Comitiis Generalibus *Cremonæ* celebratis à JOANNE-STEPHANO CHIZZOLA, Generali electo destinatus fuit: anno 1598. HENRICI SILVII Prioris Generalis socius nominatus; aliisque sæpiùs præclarissimis muneribus, ac dignitatibus ornatus effulsit. A Duce FERIÆ, Siciliæ Moderatore, PHILIPPO III. Catholico Regi in Episcopum Agrigentinum oblatus est. Alcamense Cœnobium magnificentissimis ædificiis illustravit. Tandem morum integritate conspicuus, Romæ decessit anno 1620. in Ecclesia S. Mariæ Transpontinæ hoc Epitaphio cohonestatus:

HIC JACET
MAG. ALPHIUS MATTHIOLUS,
SICULUS ALCAMENSIS,
SANCTITATE, DOCTRINA, PRUDENTIA,
REGIMINE ADMIRABILIS,
OMNIQUE VIRTUTUM GENERE
FLORENTISSIMUS,
MULTUM DOCUIT, MULTUM PROFUIT,
MULTUM PRÆFUIT.
OBIIT M. DC. XX.
EX CARMELITANA FAMILIA.

Scripsit,

1. *Lectiones Theologicas & Philosophicas.*
2. *Conciones per sacrum Quadragesimale Tempus.*
3. *Orationes varias.*
4. *Lucubrationes in Metaphysicam*, & *alia multa.*

De eo Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 4. Antonius Possevinus, *tom.* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 43. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 453. Rocchus Pirrus, in *Notis Ecclesiæ Mazariensis*, *pag.* 580. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. an.* 1500. *num.* 5. *pag.* 1004. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mss. Procuratorum Generalium Ordinis Carmelitani*: Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1067. *num.* 3694. Antoninus Mongitor, *tom.* 1. *Bibliothecæ Siculæ*, *pag.* 51. Idem, *tom.* 2. *in additionibus*, *pag.* 34. Franciscus à S. Mariâ, in *Chronico Carmeli Excalceat. tom.* 2. *Lib.* VIII. *Cap.* 67. *pag.* 593. &c. Daniel Papebrochius, *tom.* 2. *mensis Maii*, *pag.* 58. *num.* 10.

A.

LXI.

ALPHONSUS A S. ALBERTO, natione Hispanus, patriâ Ecijensis, alias Astigensis, in seculo dictus TAMARIS, Carmelitis Excalceatis Hispalensibus nomen dedit: Philosophiæ ac Theologiæ Professor, Prior diversis in locis, Provinciæ Bæticæ Præfectus, atque suæ Congregationis Definitor Generalis: Vir sacrarum Scripturarum peritissimus, ac sui ævi inter Concionatores celebris, qui vocem evangelicæ tubæ undequaque emisit, Hispali, Cæsaraugustæ, Barcinone ac Matriti plures animas ad meliorem frugem convertens, obiit anno 1632. Scripta ejus inscribuntur,

1. *Conciones de Dei-Pará:* volumine uno.
2. *Concionum aliarum* volumina duodecim Mss.
3. *In Summam D. Thomæ Commentaria Mss.*
4. *In universam Philosophiam Commentaria Mss.*

Eum celebrant Hyppolitus Marraclus Congregationis Clericorum Regulatium Matris Dei, in *Appendice Bibliothecæ suæ Marianæ:* Niculaus Antonius, *tom.* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 6. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca personata*, *Ms. pag.* 16. Joseph à S. Theresiâ, *tom.* 4. *Hist. General. Congregationis Hispanicæ Carmelit. Excalceat. Lib.* XVIII. *Cap.* 40. Martialis à S. Joanne-Baptista, *in Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 210.

LXII.

ALPHONSUS DE ALFAMA, natione Lusitanus, Ulyssipone natus, Ordinis Carmelitarum Vicarius in Hispaniis Generalis, vir omnium sanè virtutum laude, ac Religionis sacræ dexteritate spectatissimus, atque eo nomine memorabilis, quòd magni illius Lusitanorum Comestabilis NONNII ALVARI PEREIRÆ, post suspensum à se in Ulyssiponensi Carmelitarum Templo fatalem illum tot palmarum gladium, seculo renuntiantis, Sacramentum, religiosam vitam in eodem Ordine profitendi, factus ex munere tantæ rei spectator & auctor, sub JOANNE GROSSI, Priore Generali, anno 1423. susceperit.

Construxerat primùm anno 1387. magnus hic Princeps plurimis victoriis obtentis gloriosus, illustrissimum Ulyssipone Cœnobium sub titulo S. MARIÆ DE VICTORIA, accersitisque Fratribus Carmelitis, in MAURÆ Conventu jam-diù commorantibus, illud tradiderat, donariis & dotationibus dicatum: posteà, anno scilicet jam memorato 1423. habitum Fratrum Donatorum (ut loquuntur) in eo suscepit è manibus ALPHONSI nostri de Alfama, qui ad annum saltem 1438. illic floruisse dicitur scribens,

1. *Super Cassiani Collationes Librum unum*, cui titulus est, *Doctrinale Patrum.*
2. *De Ordinis Carmelitarum progressu* Lib. II.

Alphonsum de Alfama memorant Joannes Pinto de Victoriâ, in *Relationibus Mss.* quarum meminit Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 343. Nicolaus Antonius, *tom.* 2. *Bibliothecæ veteris Hispaniæ. Lib.* X. *Cap.* 5. *num.* 286. *pag.* 359. Ludovicus Jacob, in *Catalago Vicariorum Generalium Ordinis Carmelitici*; ubi eum anno 1438. à Joanne Faci, Priore Generali, Vicarium Hispaniarum nominatum censet. Quod si verum esset, non Vicarius Generalis, sed Provincialis aut Prior Ulyssiponensis Veste Religiosâ Illustrissimum PEREIRAM induisset, ut asserunt alii Auctores memorati: Paulus ab omnibus Sanctis, *ad Caput septimum Auberti Miræi de origine & incrementis Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 212. Idem Paulus, in *Catalago Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 66.

LXIII.

ALPHONSUS AB ANGELIS, natione Hispanus, patriâ *Zecluv*[illegible] in Extremadura, Salmanticæ in Collegio Angelorum trabeam induit, in qua ad litteras & virtutes multùm profecit. Ad altiora vocatus, *Salmanticæ* Carmelitis Nudipedibus annumerari petens, *Pintiam* missus, ibi Deo se vovit & consecravit. Facultates Philosophicas ac Theologicas maximo sapientissimorum plausu, publicè explanavit. Plures Ordinis sui Præfecturas habuit, vivens ipso 1724. anno.

1. *Secundæ parti tomi duodecimi Salmanticensium* Theologorum Carmelitarum Excalceatorum excusi Lugduni anno 1704. manum extremam imposuit.
2. *Tomum sextum cursûs Theologiæ Moralis Salmanticensium* eorumdem Matriti anno 1724. recusi, ad finem usque perduxit: sicuti legitur in *Bibliothecâ Carmelitar. Excalceat. pag.* 210.

LXIV.

ALPHONSUS ALVAREZ, Hispanus, nobili genere, in Oppido *Vallis-Arearum*, vulgò *Valderas*, Diœcesis Legionnensis, die 28. Junii 1619. natus est, parentibus PETRO ALVAREZ, & ELISABETHA BARBA. In Patria quatuordenis vestem induit Carmelitanam, ibique Professionem emisit. Post absolutum Philosophiæ ac Theologiæ curriculum, utramque facultatem ipse Fratres suos docuit Methymnæ à Campo-Abulæ & Vallisoleti. Institutus ad hæc sacræ Theologiæ Magister, lauream doctoralem publicè in Salmanticensi suscepit anno 1656. in eaque publicum Philosophiæ Professorem diù egit. Intereà bis Cœnobium Salmanticense Prior, & semel Provinciam Castellæ Vicarius Provincialis moderatus est.

Assumptus posteà, nominatione Regis Catholici in antistitem, Romam venit, & die 9. Septembris anno 1669. creatus est Archiepiscopus Lancianensis in Regno Neapolitano: consecratus deindè in Ecclesia Transpontina sui Ordinis die 22. ejusdem mensis, & anni, per manus FRIDERICI, Cardinalis SFORTIÆ, assistentibus THOMA SARRIA, Archiepiscopo Tarentino, & JOANNE CARAMUEL, Episcopo Campianensi. Item Pallium archiepiscopale recepit in urbe, die 22. Octobris ejusdem anni, de manibus FRANCISCI, Cardinalis MAIOALCHINI.

Româ egressus, venit *Lancianum*, & possessionem sedis iniit die 7. Decembris labente eodem anno. Post triennium, ad diem scilicet 29. Maii 1673. ex nominatione Regis Catholici, institutus est Archiepiscopus *Brundusinus*, in eodem Regno Neapolitano, cujus sedis possessionem iniit die 2. Julii ejusdem anni. Tandem ab eodem Rege Catholico CAROLO II. promotus est ad Ecclesiam *Salernitanam*, anno exeunte 1675. non longè à Neapoli, cui amplissimæ Ecclesiæ Metropolitanæ Præsul datus fuit hoc ipso anno 1676. die 22. Junii, admissus deindè Possessor per Procuratorem sub 15. diei Septembr. sequentis. Ubi obiit anno Scripsit,

1. *Lectiones varias Theologiæ Mss.*
2. *In universam Philosophiam Commentaria Mss.*

Quæ dictavit Salmanticæ publicos Professor. De eo Historia Brundusina, edita Litii, anno 1674. *Lib.* 5. *cap. ultimo:* Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 907. & 908. *num.* 3156. Ibid. *pag.* 1083. *num.* 3799. Columbanus in *Historia Chronalog. Ord. Carmelit. Ms.*

A.

L X V.

ALPHONSUS BOHORQUEZ, natione Hiſpanus, Wandalus ſeu Bæticus, patriâ Villa-Martinenſis, nobili ſanguine natus, ſed nobiliori apud Carmelitas religioſæ virtutis præſtantiâ decorus; *Martus* eſt oppidum ad rivum *Sallum*, 9. millibus à *Gienna* verſus occidentem: In Lycæo Urſaonenſi publicus, cùm Philoſophiæ, tum Theologiæ, Profeſſor annos triginta & amplius extitit, pro Gaditano Antiſtite Univerſus Diſquiſitor, & Senatûs Fidei clariſſimus à qualificationibus Conſultator. Provinciæ ſuæ Bæticæ præfecit, ubi & floruit circa annum 1617. tandem ſexagenarius obiit in Patriâ *Villâ-Martinenſi*, anno 1620.

Multa ſcripſiſſe fertur, ſed quæ latent adhuc in Bibliothecis Hiſpanis Carmelitarum. Ita loquuntur Emmanuel Romanus: *De Antiquitat. & Scriptar. Carmelitani Ordinis:* Alegreus Caſſanatus, in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 473. ubi citat *Relationes Mſſ.* Carmelitarum Provinciæ Bæticæ: Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hiſpanæ*, *pag.* 10. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 66.

L X V I.

ALPHONSUS A CONCEPTIONE, Hiſpanus, in Veteri Caſtellâ natus, inter Carmelitas Excalceatos aſcitus, in evolvendis SS. Patrum Homiliis ac Concionibus animum intendit, ex quibus præclaros ipſe Sermones ad populum habuit. Poſt adeptam illuſtrem eruditiſſimi Declamatoris famam, obiit *Burgis*, anno 1675. Illius Civitatis Cœnobium ſequentibus voluminibus Mſſ. locupletavit ibi aſſervatis.

1. *De Locis Communibus*, *in-4°. pag.* 376.
2. *De eâdem materiâ*, *pag.* 550. *in-4°.*
3. *Animadverſianes pro Concionibus Adventûs & Quadrageſimæ*, *in-4°. pag.* 332.
4. *Sanctorale & Sermones varii*, *in-4°. pag.* 252.
5. *Alii Sermones varii*, *in-4°. pag.* 368.
6. *Mariale*, *in-4°. pag.* 198.
7. *Feſta Chriſti*, *in-4°. pag.* 152.
8. *Aliud Mariale*, *in-4°. pag.* 183.
9. *Animadverſiones pro Cancionibus Dei-paræ*, *in-8°. pag.* 302.
10. *Alii Loci Communes*, *in-8°. pag.* 294.
11. *Multiplex animadverſio expoſitiva*, *in-8°. pag.* 182. Ita Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, *pag.* 210.

L X V I I.

ALPHONSUS A S. HIERONYMO, Hiſpanus, in Oppido *Manzanares*, Diœceſis Toletanæ, in Novâ Caſtellâ ortus, Carmelitas inter Diſcalceatos profeſſionem emiſit in Paſtranenſi Cœnobio: poſtea in Complutenſi Ordinis ſui Collegio Theologiam docuit; & ibì magnis dotibus decoratus obiit anno 1669. ſummo ſuæ Provinciæ luctu. Edidit, Hiſpanico idiomate,

Vida, Virtutes, y milagros de la prodigioſa Virgen y Madre Anna de S. Auguſtin, Carmelita Deſcalza, Fundadora del Convento de Valera, y Compañera de S. Tereſâ de Jeſus, en la fundacion de Villa-Nueva de la Jara.

Ideſt Latinè; *Vitam, Virtutes, & miracula admirabilis Virginis & Matris Annæ à S. Auguſtino, Carmelitæ Diſcalceatæ, Fundatricis Conventûs Valeræ, & Sodalis S. Tereſiæ de Jeſu in Fundatione Monaſterii Villæ-Novæ de la Jara.* Matriti, apud Franciſcum Nieto, 1668. *in-4°.* Hanc Vitam Alphonſus dicavit Cardinali *Montis-Alti*, & eam Gallicè tranſtulit Bernardus à S. Clemente, Carmelita Excalceatus. *Burdigalæ*, 1685. *in-8°.*

Alphonſum à S. Hieronymo celebrant Nicolaus Antonius, *toma* 2. *Bibliothecæ Hiſpanæ*, *pag.* 336. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1127. *num.* 3961. Martialis à S. Joanne-Baptiſtâ, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceat. pag.* 210.

L X V I I I.

ALPHONSUS A S. HILARIONE, Hiſpanus, patriâ *Carcabacyenſis*, in Bæticâ ſuperiori, anno 1585. piis parentibus in lucem editus, apud Excalceatos Carmelitas Vota ſua in Monaſterio Giennenſi dixit. In Collegiis Provinciæ ſuæ ſuos edocuit ſodales; indè ad Rectoratum Biacenſem, & Hiſpalenſem aſſumptus, omnia rectiſſimè moderatoris munia conſtanter obivit Prior Granatenſis ac Giennenſis. Indè totius Congregationis Definitor Generalis eſt conſtitutus: quo in munere cùm prudentiſſimè ſe geſſiſſet, obiit Antiquariæ, anno 1642. *Anticaria* eſt Urbecula, quæ olim Singlia dicta fuiſſe refertur, in Regno Granatenſi, & in Confinio Wandalitiæ: poſtquam ſcripſiſſet,

1. *De Myſteria SS. Trinitatis. Biatiæ*, anno 1628. *in-4°.*
2. *De Myſterio Incarnationis.* Ibidem, 1629. *in-quarto.*
3. *De Peccatis.* Ibidem, 1630. *in-4°.*
4. *Conciones & Diſcurſus Morales*, tomis tribus, *in-4°.* Mſſ. qui aſſervantur Antiquariæ. Ità Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, *pag.* 211.

L X I X.

ALPHONSUS A JESU MARIA, Hiſpanus, nobili ex ſanguine natus die 14. Julii, anno 1565. Poſthumus in oppido *del Villareſo de la Pennuela*, ad Collegium Carmelitarum Excalceatorum Complutenſe ſe contulit, ubì die 20. Aprilis, anno 1685. Habitum induit, & *Paſtranæ* ſuo tempore profeſſus eſt. Pergens de virtute in virtutem, ad ſupremum totius Congregationis Generalatum quartus anno 1606. evectus fuit, & iterùm ſextus anno 1619. Arctiſſimæ Converſationis obſervantiſſimus Cultor Sententiam tulit in Joſephum à S. Mariâ, quintum Generalem ſuum deceſſorem, qui Comitia Generalia ad annum diſtulerat. Deniquè, anno 1638. ſeptuagenario major, in Collegio Complutenſi, die 8. Decembris vitam cum morte commutavit. Scripſit Hiſpanicè,

1. *Doctrinam de Religioſis, ſeu Doctrinam Religioſorum.* Matriti, anno 1613. *in-4°.*
2. *Peligros, y reparos de la perfecion, y Paz Religioſa:* ideſt Latinè; *Pericula & remedia perfectionis & tranquillitatis Religioſæ.* Compluti, an. 1625. & 1626. apud Joannem de Ordunâ, *in-4°.* Item Barcinone, anno 1636. & 1638. *in-4°.* Italico idiomate donavit Opiatus à S. Carolo Excalceatus Carmelita Neapolitanus. Gallicanum itidem in ſermonem tranſtulit alius Carmelita Nudipes, & prodiit hoc opus Montibus in Hannoniâ, apud Wodre, *in-4°.*
3. Ejuſdem operis partem alteram, Barcinone, ut diximus, *in-4°.* anno 1638. & alibi cum verſionibus citatis.
4. *Otraſdos Cartas Paſtorales:* ſivè *alias tres Epiſtolas.* Compluti, 1621. *in-4°.*
5. *Manual de Prelados:* ſeu *Manuale Prælatorum.* Compluti, anno 1621. *in-4°.*
6. *Advertimientos para las Leies y Capitulos:* ſeu Latinè, *Animadverſiones pro Legibus rectè intelligendis, & Capitulis ritè celebrandis.* Compluti.
7. *Campendium Diplomatam ac privilegiorum Carmelitis Excalceatis conceſſorum.* Veleſii, 1623.

8. *Ordinis Rituale.* Matriti, anno 1608. Distinguendum est ab altero opere inscripto: *Cæremoniale Carmelitarum Excalceatorum*, quod Matriti edidit anno 1679. Sebastianus a Jesu-Mariâ.

De nostro Alphonso Ludovicus à S. Teresiâ in *Successione Eliæ*, *Cap.* 279. *pag.* 648. Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiosi*, *parte* 3. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1127. *num.* 3961. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 24. Idem, *tomo* 2. *pag.* 654. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 511. &c. Vide alios infer. citandos, verbo, ILDEFONSUS A JESU MARIA.

L X X.

ALPHONSUS *LITTA* A S. AUGUSTINO, Mediolanensis, ex ALEXANDRO LITTA, atque ANNA ARCONATA, parentibus nobilibus ortus, in adolescenti ætate illustris adeò singulari pietate claruit, ut spes de eo concepta fuerit, nec ipsa ullum fefellerit. Nam annum tantùm decimum septimum attingens, austeram Carmelitarum Excalceatorum Religionem ingressus est, relicto familiæ nomine, atque à *S. Augustino* vocari voluit, scilicet anno redempti Orbis 1660. In eâ sequenti anno professus die 11. Novembris; vitæ perfectioris exemplis scientias addere instituit, adeò ut Cathedras Philosophicam & Theologicam ascendere meruerit: nec non tam singulari prudentiâ præditus fuit, ut ad moderandos suæ Religionis Conventus nonnullos tam virorum, quam feminarum à suis deligeretur.

Pluries etiam Definitor suæ Provinciæ Mediolanensis extitit: & quamquam Orationis assiduæ, & Regulæ asperitatis assertor studiosissimus foret, attamen calamum tractare nunquam destitit; ut facile agnosci potest ex Opere infrà memorando. Ad ejus gloriam augendam non parùm inter est hic subjicere, Nepotem illius esse Præsulem doctissimum, exemplarissimumque ALEXANDRUM LITTAM, nunc Ecclesiæ Cremonensis Episcopum, ab omnibus laudatissimum. Annorum interim, virtutumque plenus ad superos evolavit Alphonsus, die 27. mensis Januarii, anno 1758. Opus quod reliquit, inscribitur,

Compendium totius Collegii Salmanticensis Theologiæ & Philosophiæ, *Mſ. in-folio*, ingentis molis: quod extat apud suos Mediolanenses in Cœnobio S. CAROLI dicto. Ita refert Joannes Sitonus S. J. in suo *Theatro Genealogico Mſ.* penes Auctorem; nec non in suis Schedis Mſſ. inquit vir clariſſ. Philippus Argelati in Bibliotheca Mediolanensi, *pag.* 807. *num.* 990.

L X X I.

ALPHONSUS LOARTE, apud Cassanatum LAERTA CARRENUS, natione Hispanus, patriâ & Carmelo Toletanus: vir clarâ sapientiâ notus, & clariori Concionandi dexteritate notissimus, PHILIPPI III. Hispaniarum Regis Catholici à concionibus Sacris, ad quem auditores ovanter accedebant dicentem. Obiit Toleti, anno 1619. solemni inter suos Busto reconditus. Doctor Valentinus, & tam insignis Concionator, ut propter eloquentiæ flumen, quo fulgebat, *Cicero*, vel *Demosthenes Toletanus* vocaretur, inquit Lezana, *tomo* 3. *Annal. anno* 1088. *num.* 29. *pag.* 525.

Hujus extant diversorum Sermonum gratissimi Codices Typis dati, inter principum Concionatorum Hispaniæ opera, nomine eorum inserti: inquit Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, pag. 482. Relationes Mſſ. Carpentanorum seu Matritensium Carmelitarum proferens.

L X X I I.

ALPHONSUS A MATRE DEI, in sæculo dictus MARTINEZ, teste Ludovico Jacob, in *Biblioth. personatâ Mſ. pag.* 17. natione Hispanus, in Oppido *S. Romani*, Principatûs Asturiarum natus anno 1568. in Theologiâ Compluti egregiè excultus, apud Carmelitas Excalceatos Segovienses, anno 1587. se recepit; *S. Joanni à Cruce* gratissimus, FERDINANDI A S. MARIA Congregationis Italicæ Præpositi Generalis Germanus Frater; ac in omnibus quæ ad eruditionem, ac observantiam regularem attinet, apprimè similis, atque primus SEGOBIÆ Sectator Excalceatorum familiæ, ubi decessit anno 1636. die 28. Augusti; Didacus de Colmenares dicit, anno 1635. Scripsit Alphonsus, Hispanè,

1. *Chronico de la Reforma de su Religion:* id est Latinè, *Chronicon suæ Religionis reformatæ.* Illos Latinè Scriptos refert Martialis à S. Joanne-Baptistâ, inscriptos Annales Religionis tribus tomis.

2. *Sanctoral Carmelitano*; id est Latinè, *Sanctorale Carmelitanum*, Hispanè.

3. *Vida del V. P. Fr. Juan de la Cruz:* seu Latinè, *Vitam Venerab. Patr. Fratr. Joannis à Cruce*, quæ ad informationes hujus Canonizationis promota fuit.

4. *De Scapulari B. Virginis*, *ejusque favoribus*, *miraculis*, &c.

5. *Bibliothecam Carmelitanam Excalceatorum*, & *animadversiones ad Ordinis martyrologium.* Hanc tamen Bibliothecam vocant Cassanatus, Labbeus, & Teisserius simplicem *Indicem Scriptorum Carmelitarum*, quem Emmanuel Roman antiquioris regularis observantiæ Carmelitarum, edidit in fine Libri de *Viris illustribus Carmelit.* Matriti, anno 1657. *in-4°.* Latinè & Hispanè editi.

ALPHONSUM A MATRE DEI celebrant Didacus de Colmenares, *Lib. de rebus Segobiensibus.* Paulus ab omnibus Sanctis ad *Caput* 7. *Auberti Miræi*, *de Orig. & Increm. Ord. Carmelit. pag.* 215. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 28. Philippus Labbeus, in *Bibliothecâ Bibliothecarum*, *pag.* 198. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 431. Antonius Teisserius, in *Catalogo Authorum*, *pag.* 10. Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 212. &c.

L X X I I I.

ALPHONSUS A MATRE DEI, alter Carmelita Excalceatus, sed Italus in Oppido *Sabioneta*, Diœcesis Cremonensis, circà annum 1570. ortus, humanioribus ac Philosophicis disciplinis instructus, Medicinæ studium, egregiâ cum laude currens, Doctorali Laureâ decoratus est, *Romæque* sic feliciter in praxim deduxit, ut tanquam oraculum in desperatissimis morbis consuleretur. Verùm tricenario major, in tyrocinio S. MARIÆ DE SCALA, salutarem animæ suæ medicum quæsivit Christum, & vota ei dixit die 14. Julii anno 1605. Prioris, Definitoris, Provincialis officiis clarus, dùm sese ad Sacrificium Missæ Sacrum disponeret, apoplexiâ correptus, sacro extremæ-Unctionis oleo munitus, repentinâ quidem, sed non improvisâ morte sublatus est in Conventu *Tusculano* die 15. Januarii, anno 1631. Edidit Italicè,

1. *Instruttione per agiutar à moribondi.* Id est Latinè, *Instructionem ad adjuvandum morti proximos.* Romæ, anno 1618. ex Officinâ Mascardi. Hanc tribus partibus absolutam dicavit Eminentiſſ. Cardinali MELLINO Ordinis Protectori: sed eam Nicolaus Antonius,

A.

Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 28. adjudicat *Alphonso* à Matre Dei Hispano : cui & *Instructionem pro agonizantibus* attribuit *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum.*

2. *De Oratione & Contemplatione*, Opus egregium, cum imaginibus ad vivum exprimentibus operationes animæ in iis exercitiis.

3. *Manuscripta Philosophica ; ac quorumdam Religiosorum Vitas, qui virtute & pietate floruerunt.*

Ita refert Petrus à S. Andreâ, *tom.* 1. *Historiæ generalis Congregationis Italicæ*, *Lib.* III. *Cap.* 47. *pag.* 622.—623. & 624. nec-non Martialis à Sancto Joanne-Baptistâ, *in Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 212. *&c.* Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum :* Ludovicus Jacob, in *Indice eorumdem Ms.*

LXXIV.

ALPHONSUS MORALES, natione Lusitanus, Theologus insignis Carmelita, & Poeta clarissimus, circa annum 1555. floruisse fertur, & paulò post edidisse

Carmen elegantissimum in *laudem Auctoris*, & *Libri S. Ildephonsi Toletani, de illibatâ Virgine Mariâ*, & in Scholiasten illius ; videlicet in Michaelem Alphonsum Carranzam Carmelitam.

Sic Joannes Pinto de Victoriâ, in *Relationibus Mss.* quas citat Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 398. ubi rectè animadvertit, quòd Alphonsi Morales Carmen sese etiam extenderit ad Scholia Michaelis Alphonsi Carranzæ : qui primus edidit prædictum S. Ildephonsi Librum, anno 1556. ut asserit Nicolaus Antonius, *tom.* 1. *suæ Bibliothecæ veteris Hispanæ*, *pag.* 287. *num.* 284. Ibid. *pag.* 295. *num.* 332. Idem, *tom.* 2. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 102. Alphonsi Moralis meminerunt etiam Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 66. & Ludovicus Jacob, in *Indice Scriptorum eorumdem*, *Ms.*

LXXVI.

ALPHONSUS NAVARRO, Bæticus Carmelita : Vir pius, & religiosâ certè venerandus pietate, circa annum 1615. scripsit Librum idiomate Hispanico,

De la Gracia, o Indulgencia quellaman Sabbatina concedida alosque traenel Escapulario de Nuestra Señora del Carmen.

Anno scilicet 1609. in Lusitania tempestas magna exorta est, per annos aliquot continuata. Nam sub finem dicti anni 1609. auctoritate Inquisitionis Generalis suspensæ *Ulyssiponæ* fuit publicatio *Bulla Sabbatinæ*, & prohibiti Concionatores de ejus privilegio tractare. Negotium hoc ad Romanam Curiam delatum fuit, & delecti atque ex Lusitaniâ Romam destinati duo Ordinis Carmelitani S. Theologiæ Doctores : qui cum ad urbem pervenissent, Commissionem R. P. Generali HENRICO SYLVIO remiserunt. Is, ut negotium istud feliciorem sortiretur exitum, extraordinarias indixit preces, pietatisque opera, quibus Beatissimam Virginem Mariam Piissimam Matrem, filiis suis in hoc negotio redderent propitiam.

Patres Commissarii, ubi Tribunalibus Romanis sese insinuarunt, frequentiùs adire Curiam cœperunt, supplicando, ut ad osculum pedum suæ Sanctitatis admitterentur, quo ipsum Pontificem Maximum de controversiæ & causæ totius statu informarent. Eminentiss. Cardinalis FARNESIUS, ei Libellum porrexit supplicem, qui ad sacram remissus fuit Congregationem Sanctæ & Generalis Inquisitionis, cui præsidebat Eminentiss. Cardinalis Dominicus Pinellus; aliis sociis Eminentiss. Cardinalibus, Aldobrandino, Aragonio, Sancti Eusebii, Banchieto, Claramontio, Paravisino, Millino, Ascoli Dominicano, Zapata Archiepiscopo Burgensi, Veraldo, Ara Cœli Dominicano, consultationibus super hâc causâ habitis, cum jam dictis Eminentiss. aderant Reverendiss. Patres Commissarii Sancti Officii, ac P. Procurator Generalis Ordinis S. Dominici, Sacrique Apostolici Palatii Magister, ac Dom. Pegna Romanæ Rotæ Præses, aliique Judices complures.

Sub idem tempus altera specioso titulo, difficultas mota fuit in Hispania coràm Rege Catholico PHILIPPO III. Camerales nonnulli Majestati Regiæ exponebant, è re Cameræ suæ esse, abstinentiam illam ab esu carnium diebus Mercurii, quam PP. Carmelitæ, ratione privilegii *Bullæ Sabbatinæ* prædicabant, & innumeri in inclitis illis regnis observabant, præpedire ne per eam trecenta, & amplius scutorum millia redditibus suis annuatim decederent. Et, ut efficaciùs moverent, addebant exemplum, dicentes, de facto in Lusitaniæ regno publicationem *Bullæ Sabbatinæ*, hujusmodi abstinentiæ fundamentum, publicè fuisse suspensum. Nec quidquam tamen Regis animum supplex supplicatio movit : pro rescripto seu responso habuit illud Hispanorum *Nada*, id est nihil : adjunctâ ratione, regio catholicoque animo dignissimâ, his verbis prolatâ : *Mas quiero Vasallos devotos de la Virgen, que el augmento de mis rentas.* hoc est : *volo potiùs subditos B. Virgini devotos, quam redditnum meorum augmentum.* Litteras insuper exaravit ad summum Pontificem, supplicans, ut privilegia & gratias confraternitati sacri Scapularis in favorem animarum purgatorii concessas confirmare dignaretur. Alias etiam dedit ad Eminentiss. Cardinalem MILLINUM, & ad Dom. FRANCISCUM Comitem de CASTRO, suum apud suam Sanctitatem Oratorem, instando pro expediendo negotio, & controversiâ illâ terminandâ.

Alii etiam Summates ac Prælati, qui in favorem sacri Scapularis laborarunt, & pro Sabbatini privilegii confirmatione, multi hic recenseri possent, quorum numero annumerandus eruditissimus Cardinalis BELLARMINUS non semel Carmelitas Religiosos hortabatur, ad causam suam constanter prosequendam : quod & feliciter promoverunt Reverendissimi Patres Generales Ordinis S. Francisci, & Societatis Jesu CLAUDIUS AQUAVIVA. His quippè mediatoribus actum est, ut sacra Congregatio decreverit, gravissimi hujus negotii summam diligentissimo examini Eminentiss. Sanctæ Rom. Eccl. Cardinalium MILLINI, & S. EUSEBII, ac Reverendiss. sacri Apostolici Palatii Magistri, cum clausulâ *ad referendum* esse remittendam, ac postmodùm suam Sanctitatem pleniùs informandam.

Anno ergo 1611. die 20. Julii prima in ædibus Eminentissimi FERDINANDI TABERNA Episcopi Novariensis & Cardinalis titulo S. EUSEBII Consultatio habita fuit. Si ullibi unquam suæ fuêre difficultates, hìc fuerunt vel maximè ; cum ne unus quidem ex propositis articulis decidi potuerit. Ex quo necesse fuit Patribus in causâ hac Commissariis præcipere, quatenùs pro sequenti consultatione parati essent, respondere & satisfacere cuivis instantiæ in propositâ causâ faciendæ. Ultimâ die jam dicti mensis Julii, in ædibus Eminentiss. Cardinalis MILLINI resumpta fuit consultatio, & propositæ difficultates. Die 6. Augusti ex hac vitâ migravit Eminentiss. Cardinalis PINELLI, Ordinis Carmelitarum Protector, & ejus in locum Pontifex Cardinalem MILLINUM substituit. Deindè indicta fuit sessio post Festum omnium Sanctorum. Dum autem ultimam in hac sessione sententiam Patres Commissarii & definitivam præstolarentur ; en tibi iterum novi mo-

A.

rus, & obstacula, ut totus annus re infectâ defluxerit.

Anno illo sic elapso, novas cum anno novo 1612. Patres Commissarii fecere instantias, quibus id effecerunt, ut tandem in ædibos Eminentissimi Millini ad diem 8. Martij nova publicaretur in causâ hâc Congregatio & simul indicerentur PP. Commissariis, ut rationibus, informationibus & instrumentis ad rem facientibus probè instructi ad dictam diem ibidem comparerent. Comparuêre ii Patres & horum primus Joannes à S. Thoma Ulyssiponensis Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor Conimbricensis ad sacrum Cœtum solemnem habuit orationem in quâ post urgentes rationes, aothoritates Doctorum Universitatum *Sabbatinum privilegium* suscipientium & approbantium adduxit. Fuêre post hanc aliæ plures eâdem super re conventiones & consultationes habitæ: quarum ultimâ die undecimâ Februarii desiderarum causæ finem imposuit anno 1613. promulgando definitivum Pauli V. decretum: quale statim transmissum fuit in Lusitaniam ad supremum Tribunal sacræ Inquisitionis regni ejusdem Lusitaniæ; prout fusius dicemus inferiùs, verbo, Joannes à S. Thoma, tomo secundo.

Alphonsum Navarro memorant Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ pag.* 30. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 473. Paulus ab omnibus Sanctis ad *Caput septimum Auberti Miræi de origine & incrementis Ordinis Carmelitarum, pag.* 212. Ludovicus Jacob in *Indice Scriptorum Carmelitarum.* Daniel à Virgine in *Speculo Carmelit. tom.* 1. *pag.* 568. *num.* 2218. *& seqq.*

LXXVI.

ALPHONSUS PELAEZ, Hispanus Carmelita, Vir pius & doctus scripsit Hispanicè, *Triumpho del Sanctissimo del Bautismo, y revelacion de un insigne Milagroque obro Dios librando de los Espiritus malignos a una muger, quæ havia sido dellos a tormentada por sartalle su gracia.* Id est Latinè, *Triumphum Sanctissimi Sacramenti Baptismi, & manifestationem insignis miraculi, quod Deus per auxilium suæ gratiæ operatus suis in muliere quæ liberata est à spiritibus malignis illam infestantibus.* Pinciæ, apod Andream Merchan, 1605. *in-8o.*

Id esscribo ex unâ Nicolai Antonii *Bibliothecâ Hispanâ, tomo* 1. *pag.* 31.

LXXVII.

ALPHONSUS RAMIREZ, natione Hispanus, ortu & professione religiosâ Carmelita Toletanus, divini verbi præco facundissimus, anno 1621. typis commendavit eruditam,

Orationem funebrem Reverendi admodum P. Mag. Alphonsi Loarte, Carmelitarum novæ Castellæ Provincialis. Qoam à se visam esse testatur Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 484. & post bunc memorant Ludovicus Jacob in *Indice Ms. Scriptorum Carmelitarum*; atque Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo eorumdem Scriptorum, pag.* 66.

LXXVIII.

ALPHONSUS SOBRINO, natione Hispanus, patriâ Hispalensis, Carmelita, divini verbi declamator insignis, sacrarum litterarum benè dives, nobilisque Theologus, Bæticæ suæ Provinciæ nonnunquam Prior Provincialis obiit anno 1628. postquam scripsisset Hispanicè,

1. *Tratado dela immaculada Concepcion de la Virgen Maria Nuestra Señora*: seu latinè, *Tractatum de Immaculatâ Conceptione Beatiss. Virginis Mariæ*, Lib. I. octodecim tractatibus divisum. Petro Quignonio Hispalensi Antistiti nuncupatum. Hispali, 1615. *in-4°.*

2. *Carta a todos los Prelados de Espana en nombre de la Religion del Carmen, para que pidan a su Santitad la Declaracion en el articulo de la Concepcion de Nuestra Señara.* Hoc est Latinè, *Epistolam ad omnes Hispaniæ Præsules, in quâ totius Carmeliticæ Familiæ nomine nuncupat eos, quatenùs summum Pontificem exorent fidei definitionem super Immaculatâ Beatiss. Virginis Mariæ Conceptione.*

3. *Sermones*, volumine uno.

De eo Joannes-Baptista de Lezana in *Apologetico pro Immaculatâ Dei-paræ Virginis Conceptione:* Ferdinandus de Salazar *de Immaculatâ ejusdem Beatiss. Virginis Mariæ Conceptione:* Hyppolitus Maraccius in *Bibliothecâ Marianâ.* Petrus de Alva in *Militiâ Immaculatæ Conceptionis:* Nicolaus Antonius tomo 1. Bibliothecæ Hispanæ, pag. 38. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, pag. 494. Ludovicus Jacob in *Indice Carmelitarum Scriptorum Ms.* Paulus ab omnibus Sanctis, ibid. pag. 66.

LXXIX.

DISSERTATIO

De Manuscripto Alphonsi de Theramo, Carmelitæ.

ALPHONSUS DE THERAMO, de Regno Angliæ, Prior Conventûs Capronensis, Ordinis S. Mariæ de Monte Carmeli in Insulis Majoricis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo vigesimo primo, mense Januarii, die secundâ ejusdem mensis, XV. Indictione, regnante Serenissimo Rege Alphonso, Rege Arragonum, & Siciliæ, Valenciæ, Majoricarum, Sardiniæ, & Corsicæ, Regiminis verò ejusdem anno sexto præsentavit & publicè legi fecit coram Judicibus Regiis Petro de Terrâ Novâ & Paulo de Rubeogerio de Placentiâ, & Notariis publicis, quamdam Bullam Papalem fel. record. Alexandri Papæ IV. impetratam, per dictum Ordinem; petiitque dictus Venerab. Prior à memoratis Judicibus & Notariis implorando, ut ipsam Bullam in formam publicam ad cautelam dicti Ordinis, cujus interest & interesse poterit in futurum, redigere & exemplare vellent. Cujus Bullæ tenor sic talis est:

Alexander Episcopus servus servorum Dei, universis, &c. Tenore cujusdam, &c. Datum Romæ 7. Decembris apud Sanctam Mariam Majorem, Pontificatûs nostri anno primo.

Authenticum apographum hujos instrumenti transsumi curavit anno 1430. die sexto Augusti, indictione octavâ, in Civitate Agrigentinâ, per Judices & Notarios publicos, Matthæum de Montelione & Nicolaum de Ursone, coram R. Patre & Dom. Laurentio, Agrigentino Episcopo, aliisque probis viris testibus R. Pater Magister Gerardus de Trapano, Ordinis S. Mariæ de Monte-Carmeli, & Sacræ paginæ dignissimus Professor, ac totius insulæ Siciliæ ejusdem Ordinis Provincialis; sicuti fusiùs & pleniùs refertur à R. P. Daniele de Virgine Mariâ, *tomo* 1. Speculi Carmelitani, *pag.* 545. *num.* 2161. ad quem hæc omnia instrumenta, quæ apud Genuenses Carmelitas etiamnum asservantur, transmissa sunt singulari curâ R. P. Seraphini à Jesu Mariâ Ordinis Carmelitarum Provincialis Scotiæ; cum anno M. DCLXVIII. Genuæ esset cum R. P. Matthæo Orlando Generali Ordinis ejusdem Commissario ac Visitatore Apostolico: quæ perlata deindè Antuerpiam exhibita fuerunt admodùm R. D. Joanni de Weze, Officiali, & Archi-

A.

presbytero, ac Canonico Graduato Ecclesiæ Cathedralis Antuerpiensis, & ab ipso, atque Graphiario Curiæ spiritualis Antuerpiensis, examinata, authentica judicata, approbata, & ità signata die 1. Septembris, anno Domini M. DCLXXI. atque posteà tradita fuerunt admodùm R. D. Auberto Vanden Eede, ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Antuerp. tùm Archidiacono, & ab eodem examinata, & authentica judicata, approbata, signata, & sigillo munita die 12. Decemb. 1671.

Similia instrumenta authentica Joannis XXII. & Alexandri V. exemplaria alia extant Messanæ in Siciliâ solemniter facta per Matthæum de Pagliarino anno Domini M. CCCCXLIII. Et horum apographa, ex Commissione Reverendissimi præfati P. Matthæi in Belgium transmisit R. P. Magister Jacobus Lombardi Provincialis ejusdem Ordinis Provinciæ S. Alberti in Siciliâ: quæ sunt ejusdem tenoris sicut in præscriptis Genuensibus exemplaribus, si excipies aliquot dictiones seu *Varias lectiones*, & varia variorum testium suffragia & syngrapha; quæ & anno 1633. probata fuerunt die 21. Maii per *Philippum Biundum* publicum Notarium. Similia etiam exemplaria servantur Romæ in Archivis Ordinis Carmelitici, quæ prodierunt *tomo* 1. Bullarii Carmelitarum, pag. 166.

Difficultates nonnullas, quæ fidem horum instrumentorum elevare videntur, opponit vir eruditione clarissimus Dom. Joannes Launoius, Theologus Parisiensis, in *Dissertatione tertia contra Sabbatinæ Bullæ privilegium*, *Cap.* 2. *& seqq.*

I. Sic exponitur: Leo à S. Joanne hanc Bullam Alexandro III. semel atque iterùm tribuit, in *Picturâ vestis Religiosæ*, sect. (non XCI. ut legitur apud Launoium) sed IX. *pag.* 85. *&* 92. Verùm responsio est obvia. Nam ipse Leo in *Mariano fœdere*, quod Gallicè Parisiis prodiit, & alibi ferè quadragesies prælo recusum est, Alexandrum V. expressit perpetuò. Quare in Picturâ vestis Religiosæ error prælo vel authoris memoriæ adjudicandus est, & ab ipso Launoio reipsa fuisset adjudicatus in suarum Dissertationum editione secundâ & posteriori, si uti voluisset lectione operis Latinè inscripti, *Tractatus Theologicus de singulari Immaculatæ Virginis Protectione*, *pag.* 178. quod Parisiis prodiit *in*-4°. apud Dionysium Thierry, anno M. DCL. Auctore P. Irenæo à S. Jacobo Carmelitâ.

II. In publico Notariorum Majoricæ instrumento, Auctor Bullæ vocatur Alexander IV. Ast hic error prælo attribuendus est ex sententiâ perpetuâ & constanti Auctorum qui de Scapulari scripserunt, Bullam hanc Alexandro V. vindicantes.

III. Bulla Alexandri V. apud Marcum Antonium Alegreum Cassanatum, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 79. *num.* 9. nunc Romæ, nunc in Urbe veteri data fuisse dicitur. Sed hic *Paradisus Carmelitici Decoris*, cum in Indicem Romanum Librorum prohibitorum, *pag.* 216. æquè translatus inscribatur, ac Joannis Launoii, de *Simonis Stockii viso*, *de Sabbatinæ Bullæ privilegio*, *& de Scapularis Carmelitarum sodalitate Dissertationes quinque*, &c. *pag.* 352. diù non hìc sistemus.

IV. Bulla *Romæ* data traditur septimo Decembris. Quod evidentissimum suppositionis indicium est, cùm Alexander V. Romam nunquam ierit post suam creationem. Verùm non desunt Auctores qui scripserint Alexandrum V. Romæ fuisse, quales sunt Illustriss. Dom. Petrus le Camus, Bellicensis Episcopus, in *Chronographico* Tractatu Gallicè edito, de *Primatu & Principatu S. Petri atque Successorum*, *seculo* XV. *pag.* 700. Ludovicus Carion in *Chronico*, Jacobus Meyerus in *Flandriæ Annalibus*, Dionysius Mutsaert Præmonstrat. in *Chronico Ecclesiast. ad annum* 1409. *citatus tom.* 1. *Spec. Carmel. pag.* 564. *num.* 2208. Jacobus Estrinchardus in *Vita Ruperti Imperatoris*. Joannes Cochlæus idem innuere videtur, *Lib.* I. *Historiæ Hussitarum*, ubi refert Joannem Hus ab Alexandro Romam fuisse citatum. Quæ verba Cochlæi transcripsit Henricus Spondanus *ad annum* 1409. *num.* 23. Extat etiam Alexandri V. Diploma datum Romæ ad SS. duodecim Apostolos kalendis Decembris, quod penès se habuit Fr. Joannes Jacobus, Ordinis S. Augustini, inserendum suæ *Historiæ Provinciæ Salyum*, teste Theophilo Raynaudo in *Scapulari Partheno Carmel. Parte* 2. *Quæst.* 1. *pag.* 214.

Præterea *Romæ* conscribi posse quidam autumant Canonistæ, Literas Pontificias, si *Curiam*, id est, *Audientiam Literarum & Causarum* Romæ celebrandam reliquerit. Sic enim separari posse *Curiam* à Pontifice colligunt ex Glossa in §. *Porrò*, *Cap.* ubi *de Electione in* 6. Vide Molinam, *tom.* 1. *de Justitiâ & Jure*, *Disput.* 92. Filliucium, *tom.* 1. *tract.* 15. *Cap.* 6. *num* 136. *& seqq.* Bonacinam, *tom.* 2. *Disput.* 10. *Quæst.* 2. *puncto* 8. *Proposit.* 1. *num.* 5. Constat autem ex Raynaldo quòd extremo anno 1409. Alexander V. accepto Urbis Imperio, administrationem illius demandavit Petro, tit. S. Praxedis Presbytero Cardinali, instruxitque illum auctoritate.

Deindè si locorum diversitas, in quibus Bullæ aliæ dicuntur apud graviores viros datæ, nulli vertitur crimini; cur Bullæ Alexandri V. probrosa suppositionis suspicio imputaretur? exempli gratiâ: Bulla Nicolai IV. *Turbato corde*, legitur apud Bzovium ad annum 1288. data *Reate Nonis Septembris*, *Pontificatûs anno primo.* Apud Lucam Wadingum, *tom.* 2. *Annal. Minor. ad annum* 1290. *Apud Urbem veterem*, *quinto Idus Septembris*, *anno Pontificatûs tertio.* Apud Cherubinum, *tom.* 1. *Bullarii*, in Nicolao IV. *Romæ*, *Nonis Septembris*, *Pontificatûs anno primo.* In margine insinuat Cherubinus datam olim fuisse *Reate die tertio Septembris*, *Pontificatûs anno primo.* Bzovius iterùm in margine ait esse *Epistolam* 194. Wadingus eam pariter refert ex Vaticano Regesto, asseritque esse *Epistolam* 379. Undè hoc? Num fallax esse Regestum argues, aut potiùs deceptos Amanuenses? Quî fit ut propter diversitatem locorum ab Auctoribus designatorum, adversùs Bullæ veritatem nemo concludat?

V. Alexander V. Bullas suas Kalendis, Nonis & Idibus consignat: Non igitur *septimo* tantùm *Decembris*, sed *septimo Idus* posuisset in Bulla de qua agitur. At brevitatis causâ si Amanuensis voluit apponere septimo Decembris: quid Bullæ veritati hæc scribendi methodus obstat?

VI. Bulla, de quâ agitur, non extat in Regesto Epistolarum Alexandri V. quod in duos distributum libros habet Bibliotheca Vaticana: vehemens indè suppositionis est argumentum. Id quidem fatentur Carmelitæ: sed instrumenta exhibent authentica, quibus Summi Pontifices Clemens VII. anno 1530. die 12. Augusti, Gregorius XIII. an. 1577. die 10 Septembris, Pius V. an. 1566. die 18. Februarii, & Clemens X. anno 1673. die 8. Maii, atque sacræ Rituum Congregationis Cardinales anno 1672. die 2. Januarii dederunt suum suffragium; cùm Bullam hanc Alexandri Quinti citaverint, & Indulgentias Confraternitati Scapularis concessas approbaverint.

VII. Thomas Waldensis Alexandro V. coævus Opera sua Martino V. dicavit ad annum M. CCCC. XXVII. & in Libro Sacramentalium, tit. IX. cap. LXXXIV. & LXXXIX. Carmelitarum antiquitatem, & prærogativas proponit: deindè eodem titulo cap. XCII. de Religiosorum vestibus, quas in Sacramentalium ordinem redigit; tùm tit. X. cap. XCIII de meritorum & suffragiorum communione ex professo disse-

A.

rit, refertque formulam, quâ fic utitur Carmelitarum Antiftes : *hac item formâ dicit Prælatus Carmelitarum : omnium, quæ per Fratres noftros operari dignabitur clementia Salvatoris, vobis participationem perpetuam concedimus.* At Bulla Alexandri, quæ tunc nota effe debuit, cum aliis Carmelitis, tùm maximè Waldenfi, qui in Angliâ Provincialem Ordinis fui agebat, non meminit Waldenfis ipfe. At in memoratis rerum conditionibus non meminiffe, haud obfcurum fuppofitionis argumentum videtur.

Refpondent Carmelitæ quod 1°. Thomas Waldenfis cap. LXXXIV. probat ex Joanne Jerofolimitano, Lib. V. de Inftitutione Monachorum, cap. 5. Carmeli Eremitas in Cœnaculum Hierofolimitanæ Civitatis conveniffe cum Apoftolis ad Feftum Pentecoftes eo anno quo Chriftus afcendit in Cœlum. Undè infert Congregationes Monachorum non effe fectam novam; ficuti contendebat Wiclefus dicens quod *fivè Benedictus, fivè alius quifquam novam fectam fuprà Chriftianam collegerit, non in hoc eft laudandus; nec perfona ipfum fequens fectaliter, fed culpanda :* Wiclef. lib. de novatione vel fundatione novatum fectatum, cap. 3. Quid ad hanc propofitionem cogit Bulla Alexandri IV?

2°. Thomas Waldenfis cap. LXXXIX. ex ejufdem Joannis Hierofolimitani Lib VI. cap. 3. probat Eliam & Filios Prophetarûm fuiffe primos qui fe caftraverunt propter Regnum Cœlorum, adverfus Wiclefum Lib. de Ecclefiâ & membris ejus cap. VI. dicentem : *Carmelitæ, inquiunt, cum antè Incarnationem Domini fundati & Beatam Virginem Patronam habeant fingularem; patet eorum excellentia fupra cunctos. Nam ut fingunt, Elias fundavis eos in Monte Carmelo tamquam Filios Prophetarum.* Sequitur *Fratres etiam Beatæ Virginis debent dici.* Addit poftea Waldenfis Epiftolam Epifcoporum Terræ Sanctæ, & Epiftolam Magiftrorum Militiæ domus Hofpitalis Sancti Joannis & Militiæ Equitum Templi, fcriptam utramque ad Summum Pontificem ann. 1282. & 1284. pro Carmelitis, *quorum Ordo in Cifmarinis*, inquiunt, *partibus à tempore quo memoria non exiftit à Sanctis Patribus, in ejufdem Terræ Sanctæ folatium extitit inftitutus.* Quid ad hoc Bulla Alexandri V?

3°. Thomas Waldenfis cap. XCII. probat ex S. Auguftino, Lib. XIX. de Civit. cap. 19. indifferens effe quo habitu veftiamur, vel quo more vivamus, dummodo non fit contra divina præcepta, & iftam fidem per quam venitur ad Deum, quifque fectetur; adverfus Wiclefum Lib. citato de Ecclefiâ & membris ejus, cap. 15. dicentem : *Quid rogo facit habitus corporalis, Clauftrum fenfibile, vel quæcumque alia traditio à Fratribus adinventa. Reverà nihil facit ad fanctitatem eorum, fed hypocrifis eorum manifeftum indicium. Cùm enim tam virtuosè & tam ædificatoriè poffunt vivere fine tali figno fenfibili, ipfum facit nihil.* Addit Waldenfis tanquam ex Sancti Auguftini Libro de *verâ Innocentiâ, propofitione* XX. quod apud S. Profperum legitur in *Pf.* 100. ℣. 39. Nec non in Pfeudo-Decretali Epiftola I. Zepherini; fed reverà prodiit ad calcem tomi X. Operum S. Auguftini pag. 224. inter Sententias S. Profperi; propofit. XXI. *De occultis cordis alieni temerè judicare peccatum eft, & eum cujus non videntur nifi opera bona, iniquum eft ex fufpicione reprehendere : cum eorum, quæ homini funt abfcondita, folus Deus Judex fit juftus, qui & Infpector verus.* Deindè fic arguit adverfus ipfum Wiclefum » Poffem » item interrogare te ipfum quid fecerit tibi talare » veftimentum quod induis cum manicis ftrictis aut » amplis? Quid mantellum aut pileum? Quid li» neum aut laneum omne quo nuditatem tuam » tegere confuevifti? Quid grifea tegmenta vel » varia, quibus collolardi tui quotidiè veftiuntur » ea fecta : cùm tam virtuosè & ædificatoriè poffetis » vivere fine tali figno fenfibili? Undè contra te con» cludis nihil hoc vobis efficere, fed hypocrifis vef» træ effe indicium manifeftum. « Quid ad hæc confert Bulla Alexandri V?

4°. Thomas Waldenfis, Cap. XCIV. (non XCIII.) formulæ, quâ Prælatus Carmelitarum utitur, legitimum fenfum probat ex verbis Apoftoli 2. Corinth. IV. ℣. 15. dicentis : *Omnia enim propter vos : ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei : propter quod non deficimus.* Undè fic arguit Waldenfis. » Qui nunquam deficit » orare, & omnia facere propter fratres, & hoc ref» pondet, perpetuam & plenam participationem bo» norum promittit. Quod quia in uno femper impleri » non poteft : ideò fupponit gratiam talem abundare » per multos, præfentes fcilicet & fuâ fucceffione » futuros. « Prætereà hæc formula continetur in orationibus, quas Prælatus Carmelitarum fundebat & etiamnom fundit fuper Confratres Scapularis, quos recipit ad participationem beneficiorum Ordini Carmelitico à fummis Pontificibus collatorum. Hanc igitur Confraternitatem Scapularis, & Bullas fummorum Pontificum eam approbantium fupponebat Thomas Waldenfis. Bullam autem Alexandri V. fi non retulit Waldenfis, dicat ipfe clariffimus Dom. Joannes Launoius, cur alias non retulerit omnes & fingulas priores? An omnes fuppofititiæ ideò cenfendæ funt? Judicet juftus judex; & æquum fufpicionis indicium palàm afferat, proferat, & publicet.

VIII. Baptifta Mantuanus fub annum M. CCCCXC. pro Carmelitis Apologiam fcripfit. Quin autem in ejufmodi Commentario Bullam Alexandri V. producendi opportuna erat occafio. Hic tamen Auctor Italus ne verbo quidem attigit eam Bullam, quam nec ignorare potuit, nec tacere debuit, modò fuppofititiam non crediderit.

Refpondent Carmelitæ, in Apologiâ, quam pro Carmelitis ad D. Sigifmundum Gonzagam, Cardinalem Ordinis Protectorem à Julio fecundo defignatum, *tomo* 1. *Bullar. Carmelit. pag.* 439. *anno* 1508. die 16. Junii direxit Baptifta Mantuanus, centum & amplius Bullarum Bullâ Martini V. recentiorum non meminit, quas citandi major aderat opportunitas adverfus Ordinis Carmelitici detractores illum vocitantes *Gentem obfcuram & ignobilem.* Inferes ne indè fuppofititias has Bullas fuiffe Baptiftæ Mantuano? Poftquam appellavit fummos Pontifices, qui regulam Carmelitarum probarunt, Innocentium, Alexandrum, Nicolaum, Clementem, Joannem, Urbanum, Bonifacium, Eugenium, Sixtum, Innocentium; addit, *& plures alii fummi Pontifices confirmarunt.* Videat jam Launoius quanti valeat fuum argumentum negativum. In rebus enim *quæ ex conditione facti pendent, fi non quadret*, ipfo tefte in præfatione ad differtationem de argumento negativo; *aliquandò probabilitatis habet nihil.* Non quadrare autem hic argumentum Launoii negativum quis inficiabitur?

IX. Joannes Trithemius in Monafterio Spanheimenfi IX. Kalendis Maii, anno Domini M. CCCCXCII. Apologiam Ordinis Carmelitani fcripfit R. P. Joanni Wirici Carmelitarum per inferiorem Allemaniam Provinciali, ac cæteris Patribus in Conventu Agrippinenfi capitulariter congregatis nuncupatam; in quâ de Bullâ Alexandri V. ne unum quidem verbum facit. Trithemius igitur eam ut apocrypham prætermifit, aut certè nondum exierat è falfariorum arculis, ubi recens nata; ufque eò fovebatur, donec difficilioris ad detegendam erroris maturitatem adipifceretur.

Refpondent Carmelitæ Trithemium nullam in fuâ Apologiâ Bullam citaffe nominatim, fed generatim dumtaxat

A.

dumtaxat dicentem, *Cap.* 5. *Quia etsi nos privilegia Carmelitici Ordinis non penitùs lateant, tamen nostri non est propositi, in lucem ea traducere.* Et Cap XII. *Si quis viros sanctissimos, qui in hoc Ordine claruerunt, ex nomine scire desiderat, Historias & Chronica dicti Ordinis legat, & eam præcipuè quam Frater Joannes Mechliniensis Conventus, dictus Oudewater, multo labore composuit*, & Carmelitici Ordinis fasciculum, tripartitum *nominavit*, in quo quidem Opere, Lib. 3. Cap. XI. appellatur instrumentum Genuense Bullæ Alexandri V. ipso farente clariss. Dom. Launoio, sed non verè scribente, quod eam *ut apocrypham prætermisit* Trithemius, &c.

X. Venetiis anno M. DVII. editum est *Speculum Carmelitanum*, ubi reperitur collectio Bullarum nonaginta trium, quæ ut volunt, à variis Pontificibus ad illud usque tempus concessæ fuerant. At in hac collectione Bulla Alexandri V. desideratur. Desiderari verò nec posset, nec deberet, si homo Italus & diligentissimus, ut apparet, Collector eam tenuisset pro verâ, vel dignum fide instrumentum Genuensium Carmelitarum judicasset.

Respondent Carmelitæ *Speculo Carmelitano* insertas non esse omnes & singulas Bullas Ordini huic concessas, ut patet ex recenti Carmelitarum Bullario Romæ edito 1715. & 1718. Nedùm hujus Speculi Collectorem velint Baptistam Cataneum esse *diligentissimam* appellari, quin & *incorrectum* notat Daniel à Virgine Marià, *tomo* 1. *sui Speculi Carmelitani*, *pag.* 823. *num.* 3098. Illumque cùm animadvertisset Joannes-Baptista de Lezana Amanuensem esse Codicis Bibliothecæ Vaticanæ 3813. asserere non dubitavit hunc Codicem, *haud paucis nec levibus mendis scatere*, ut dicemus inferius, verbo *Baptista Cataneus*.

Speculi Carmelitani antiquioris Exemplaria vetusta MSS. extant variis in locis. *Typis editum Venetiis* quidem Speculum Carmelitanum *anno Christi* M. DVII. fuit: *ast valdè incorrectè*, inquit Daniel a Virgine, *tomo* 1. *citato*, *pag.* 6. *num.* 13. Codex Mechliniensis Manuscriptus correctiori limâ exaratus est anno Christi 1484. per Joannem Oudewater, aliàs Palæonydorum: *In eo* autem *Codice Ms. folio* CLXXIII. *pag.* 2. *extat pervetusto charactere exarata Bulla Joannis* XXII. *communiter nuncupata Sabbatina. Et immediatè post subjungitur; hæc est Bulla Joannis* XXII. *quam Alexander* V. *confirmavit; cujus originale dicitur esse in Angliâ, & in Conventu Januensi ejus instrumentum authenticum.* Hæc Daniel ibidem, pag. 125. & 126. num. 535.

X I. Haud inefficax suppositionis ratio comparatur ex contumelioso scribendi modo nonnullorum Carmelitarum. Quis enim nescit cordatos & eruditos viros in eâ versari sententiâ, ut omnino putent calumnias argumentum esse desperatæ causæ ac perditissimæ quam certissimum? Calumniæ si quidem arma sunt eorum, qui vincuntur.

Respondent Carmelitæ; absit ut quemquam *calumnia conturbet Sapientem, & perdat robur cordis illius*, ut dicitur Eccles. Cap. 7. ℣. 8. Verùm antequam adversus clariss. Dom. Launoium ne unam quidem voculam Cheronius, Aquinas & Fesaius, Carmelitæ scripsissent, cur ipse in vetere suo libello de *Origine & confirmatione privilegiati Scapularis Carmelitarum an.* 1642. ea posuit vocabula quæ adversariis bilem movissent, & in posteriori Editione resecanda vel immutanda esse judicaverit, sicuti refert in Præfatione. Perierat ne causa Launoii, an viguerat? Si viguerat: calumniæ non semper arma sunt eorum qui vincuntur. Si perierat, etiamnom periit ex parte Launoii dicentis, pag. 10. *Quæ ex pluribus Carmelitis Historicis narrantur*, incerta & apothrypha demonstrantur.* Pag. 54. *Thomas Aquinas ut Lectoribus minùs cautis tenebrarum aliquid offenderet; excurrit in argumenta inficialia.* Pag. 45. *Ex celebritate famæ, quæ à Virgilio describitur,* (a) *confirmata est visio Stochii.* Pag. 78. *Cheronius parum reverenter habet Scripturam, cum illius veritate lucem accommodat Bullæ, quam aliquis tenebrio sub nomine Joannis* XXII *vulgavit.* Pag. 130. *Hi existimant se posse calumniando ad cœlestia regna pertingere, dummodo id faciant, quod Bulla hæc Sabbatina faciendam præcipit.* Pag. 192. *Cheronius & Aquinas eos, legitimâ ratione contradicunt, perindè vocant in invidiam, ac si in Christianæ Religionis arcem invaderent, aut in immortalis Dei possessionem involarent.* Pag. 164. *Cheronius viam infinitis fraudibus aperit, & nulla non falsa instrumenta, tanquam vera defendendi modum præscribit, tantum abest & consulat veritati.* Pag. 168. *Cheronius, Aquinas & Fesaius, nihil est non insulsi (cum venia dixerim) nihil non absurdi, in quod toto impetu non impingant. Sed nesciant vel dissimulant, insulsis & absurdis responsionibus argumenta confirmari, non dilui atque ità per summam inconsiderantiam & ablepsiam* (cæcitatem) *iras & fremitus suos in se convertunt.*

» *Pag.* 171. Beatus Augustinus in Libri III. de
» Doctrinâ Christianâ, *Cap.* X. prudenter omninò
» scribit: *Si animam occupaverit alicujus erroris*
» *opinio, quidquid asseruerit Scriptura, figuratam ho-*
» *mines arbitrantur.* Ita Fesaius, Aquinas, & Che-
» ronius, & præsertim ultimi duo, cum illorum ani-
» mam occupaverit Bullæ Alexandri V. opinio,
» quidquid Historici omnes asseruerint, figuratum
» arbitrantur ad interpretationes vanas & frivolas
» distinctiones miserâ irreligiosâ methodo detorquent.

» His adjungit se Theophilus Raynaudus in Opere,
» quod Scapulare Stochianum inscripsit. Hic Auctor
» postquam editis Gratianopoli Libris *Anomala pie-*
» *tatis & heteroclita spiritualia*, incredibiliter prose-
» cutus est, ad Scapulare Stochianum & Bullam Sab-
» batinam tuendam, se totum convertit. Ex Libris
» Fesaii, Aquinaris & Cheronii multa corradit, &
» in suos usus derivat, pleraque mea nugis & tergi-
» versationibus involvit, & alia turpiter dissimulat;
» contumelias, probra, cæteraque verborum dehone-
» stamenta passim adhibet, quibus calones, lixæ,
» ganeones uti consueverunt. Et tamen certum est,
» Scapulare Stochianum & Bullam Sabbatinam inter
» pietatis anomala & heteroclita spiritualia reponi
» posse. Sic enim Libros suos inscripsit. Quæ igitur
» hominis constantia? Quæ fides? Quæ religio? Illius
» videlicet qui mortalium vanissimus est omnium, qui
» laureolam in mustaceo quærit.

In aliis controversiis Joannes Launoïus quot injurias & dicteria suo in adversarios è calamo excussit? v. g. in Joannem Guesnæum de Magdalenâ Massiliensi Advenâ scribentem, Cap. 1. Disquisitionum. *O rarissimi judicii virum! qui unâ manu salutem Archiepiscopo suo dicit, alterâ colaphum impingit. Quo in negotio infelici successu prodit se socium illius, non cui dictum est, sed qui dixit:* Ave Rabbi. In Vincentium Baronem Ordinis Prædicatorum, pro tuendâ S. Thomæ opinione loquentem, quartâ parte Epistolarum suarum in Epistola ad Mag. Thomam Fortinum, Doctorem Parisiensem, & Collegii Harcuriani Provisorem, *Cap.* 8.

» Simia* semper erit simia: Calumniator semper
» erit Baro, & Frater Baro semper erit Baro. Tum
» si Fratri nos ita criminari liceat, nunquam poteri-
» mus commissum à Fratre Jacobo Clemente collegâ
» quondam suo parricidium diris atque exectationi-

(a) *Fama, malum quo non aliud velocius ullum:*
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo. Æneid. Lib. IV. v. 174.

A.

» bus insectari, &c. Frater Fratris sui facinus de» testabile vindicaret atque ità qui atroces Baronis » timebit calumnias, parricidia revereri, & Fratri » Jacobo Clementi benedicere cogetur. Quæ certa » erit ineundæ cum Barone nostro familiaritatis & » amicitiæ ratio. « Sic virum doctum & religiosum deridiculè repræsentat Launoïus, neque moderatiori stylo R. P. Milletum pro S. Dionysio Areopagita decertantem exhibet; sicuti referemus infer. *tom.* 2. Ubi *de viso Simonis Stokii. Unde quisquis est, qui maledicendi licentiâ felicem se putat, multò erit felicior, si hoc illi non liceat: cum possit depositâ inanitate jactantiæ, etiam isto tempore, tamquam studio consulendi quidquid voluerit, contradicere; & quantum possunt, ab eis quos consulit, amicâ disputatione, honestè, graviter, liberè, quod oportet audire:* ut loquitur S. Augustinus, Lib. V. de Civitate Dei, Cap. XXVI. *num.* 1. *lineis ultimis, tomo* 7. *pag.* 144. *E.*

XII. Ut Joannis XXII. & Alexandri V. diplomatibus fides concilietur, Instrumenta duo producuntur, quibus nonnulli Notarii & Judices a Carmelitis adhibiti testantur, se Joannis XXII. & Alexandri V. Bullas vidisse. In priori quod Majoricæ anno Incarnationis M. CO XXI. Alfonsi Regis Arragonum VI. indictione confectum est, sic loquuntur: *Testamur, quod ad nostram accedens præsentiam venerabilis Frater Pater Alfonsus de Theramo de regno Angliæ &c. nobis præsentavit, & publicè legi fecit quamdam Bullam Papalem felicis recordationis Alexandri Papæ* V. In posteriori, quod Agrigenti anno Incarnationis M. CO XXX. Alfonsi Regis Aragonum XV. octavâ Indictione scriptum est, idem habetur procurante Gerardo Trapanensi: at multa sunt, quæ his duobus instrumentis abrogent auctoritatem. 1°. Recentioris doli suspicionem augent hæc verba, Frater Pater, quorum usus & connexio vix invenietur ad annum M. CO XXI. pertinere. 2°. Indictiones non consentiunt cum annis Christi. 3°. Si Annus Alfonsi sextus in annum Christi M. CO XXI. incurrit, non decimus quintus ejusdem Regis, quo posterius instrumentum, sed decimus sextus in annum Christi M. CO XXX. incurrit. 4°. Nimia est & affectata cautio, quæ in congerendis illis tam brevi tempore Notariorum instrumentis elucet. Alfonsus de Theramo Notarios convenit Majoricæ anno M. CO XXI. Gerardus de Trapano Agrigenti anno M. CO XXX. alios adidit Notarios, qui omnes Bullam Papalem Papæ (sic enim ineptè loquuntur) publicè lectam testentur, testimoniumque per tabulas impertiantur. Quorsùm verò? Nisi ut Bullæ, quam personatus aliquis Alfonsus composuerat, fides omnimodo compararetur.

Respondent Carmelitæ virum clarissimum Dom. Joannem Launoïum videri adversari Sententiæ S. Augustini, *Lib. I. Quæstionum in Genesim, Cap.* 1. *tom.* 3. *part.* 1. *pag.* 379. *C.* dicentis quod *non disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur.* Nam quoad primum in Concilio Pisano ad annum 1409. die 25. Martii inchoato, & die 7. Augusti absoluto, in quo ipse Alexander V. in summum Pontificem electus fuit, dum Carmelitæ recensentur qui huic interfuerunt, tomo 11. Concilior. pag. 2220. Edit. Labb. legitur, *Rever. Pat. Fr. Matthæus de Bononiâ, &c.*

Quoad secundum si error fuit in assignandâ Indictione, Notariis attribuendus non Bullæ cujus Epigraphum descripserunt.

Quoad tertium satis non sibi attendit Launoïus in supputandis annis Alphonsi Regis Arragonum. Sex enim & novem anni reddunt annos quindecim.

Quoad quartum, nimia non est affectata cautio, ubi error deprehenditur in assignanda indictione, & ubi prudens servandi apographi multiplicis cura urget viros religiosos ad quos spectat Bulla Summi Pontificis. Personatus autem non visus est, sed verus Carmelitarum Conventus Captunensis in Majorica Insula Prior Alfonsus de Theramo, natione Anglus, de quo dubitationem aut suspicionem nullam acceperunt viri docti, quotquot de Bulla Sabbatina testimonium posteà dederunt. Nam ipso docente Joanne Launoio in Præfatione ad suas Dissertationes quinque de Simonis Stochii viso, *pag.* 8. *Alia conditio rerum quæ objiciuntur voluntati, alia quæ intellectui:* supponit quamdam intentionem fingendi, & ex intentione fingendi quam Alfonso adjudicat, concludit Bullam re ipsâ fuisse confectam ab illo. *Videat* igitur Launoïus *si non in corde suo conspexit* incautam voluntatem & fortè *iniquitatem; ne fortè quod reprehendit in altero, cogitaverit facere;* ut loquitur Augustinus in *Ps.* 65. *num.* 11. *pag.* 653. D.

LXXX.

ALPHONSUS DE VILLALOBOS, natione Hispanus, patriâ ex Oppido Manzanillâ Diœcesis Toletanæ Carmelita, publicus Theologiæ apud Salmanticenses Professor, Toletanæ aliquando Domûs Præfectus, circa annum 1570. scripsisse dicitur,

Plura, quæ à morte Auctoris Typis vulgata sunt. Qualia autem non edocent, qui de eo locuti sunt Didacus Coria, in *Dilucidario Carmelit. Antiquit.* Philippus à S. Jacobo, de *Illustribus Viris Ordinis Carmelitici:* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 404. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptor. Carmelit. pag.* 66. Ludovicus Jacob, *ibid. Ms.* Nicolaus Antonius, *tom.* 1. *Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 43.

LXXXI.

AMABILIS A SANCTO JOSEPH, natione Gallus, in seculo dictus JOSEPHUS FOURNIER, ex Diœcesi Tullensi, natus die 27. Octobris, anno 1657. inter Carmelitas Excalceatos Parisiis professus anno 1674. in eàdem Provinciâ pluriès Definitor Provincialis, imò & Prior Provincialis; obiit Parisiis die 11. Martii, anno 1717. postquàm transtulisset ex Italico in Gallicum idioma,

La Vie de S. Jean de la Croix, quæ prodiit Parisiis, anno 1715. *in*-12. sicuti refertur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 9. & 10.

LXXXII.

AMANTIUS A S. ROSA, Provinciæ Neapolitanæ Carmelita Excalceatus, egregius humilitatis, paupertatis, mortificationis ac pœnitentiæ cultor, herbis, oleribus, ac fructibus victitans, à vino prorsùs abstinuit. Extraneis incognitus vixit, etiamdùm Prælectoris fungeretur officio. Sanctè, ut vixerat, obiit mense Aprili, anno 1623. Multa ad ejus tumulum dicuntur patrata miracula. Ejus

Opera spiritualia Italicè tomis tribus *in*-4°. edita sunt Neapoli annis 1615. 1616. & 1619. teste Martiali à S. Joanne Baptista in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 10.

LXXXIII.

AMATOR ARRAIS DE MENDOZA Lusitanus, ex Urbe *Pace-Juliâ*, bodie vulgò *Beja*, in Diœcesi Eborensi, Patrem habuit *Simonem Arrais*, nobili genere natum. Ulyssiponæ in Carmelitarum Cœnobio Religiosam vitam induit, ineunte anno 1545. ad diem 24. Januarii: professionem au-

A.

tem emisit ultimâ die ejusdem mensis recurrentis, sub initium anni 1546. in Collegio Conimbricensi, nuper à *Balthazare Limpo*, item Carmelitâ Episcopo Portucalensi, & posteà Bracharensi Archiepiscopo, à fundamentis extructo. Fuit autem noster *Amator* primus omnium, qui per vota solemnia Religioni nomen dedit in prædicto Collegio.

Ibi etiam sacram Theologiam professus est: quam & legit aqud Canonicos Regulares Sancti Augustini, in amplissimo Cœnobio *S. Crucis* Conimbricensi. Intereà Magistrali laureâ susceptâ concionandi munus magnâ cum nominis fama exercens à *Sebastiano* Rege Lusitaniæ Concionator sui Regis Sacelli institutus fuit, sicuti & magnus Eleemosinarius ab *Henrico* Rege Cardinali *Sebastiani* Successore. Pariter ejus operâ creatus est Episcopus Adrumetinus, titularis in Africâ sub Metropoli Chartaginensi (quem titulum posteà cum *Tripolensi*, in eâdem regione & Metropoli commutavit) necnon suffraganeus Eborensis, decimo Kalendas Augusti, anno 1568. consecrationis munus in suo Conventu Ulyssiponensi suscepit, per manus *Georgii de Ataide* Episcopi *Visensis*, Capellani Regii Majoris.

Deindè ex nominatione Philippi II. Regis, promovetur ad Ecclesiam *Portalegrensem* in Lusitaniâ sub Metropoli Ulyssiponensi, tertio Kalendas Novembris, anno 1581. Plura, eaque insignis pietatis & magnificentiæ Opera, cùm in Urbe, tùm in totâ Diœcesi, incœpit, absolvit. Post hæc, munus dignitati Episcopali misso, in suum Collegium Conimbricense, ubì vitam religiosam inchoaverit, mortem viro per omnia Religioso, planè congruentem expectaturus se recepit an. 1598. ubì Ecclesiam ejusdem Collegii, item & Sacrarium, eximiâ liberalitate ab ipsis fundamentis ædificavit, necnon liberali censu annuo ipsas ædes dotavit: addictus ipse eo tempore lectioni & scriptioni. Demùm præfato Collegio hærede ex asse relicto, suum corpus ibi etiam sepeliendum dimisit; mortuus die 1. Augusti, anno 1600. Jacet in primario Sacello, à se constructo, imposito lapide cum hoc Epitaphio, ex Lusitano in Latinum litteraliter verso.

Sepulchrum D. Fr. Amatoris Arrais,
Episcopi Portalegrensis,
Facturæ Regis D. Henrici
Huiusqua Magni Eleemosinarii:
Qui fuit primus Religionis Professus
Istius Collegii.
Decessit I. Die Augusti, M. DC.

* *Factura* Lusitanicè idem quod Latinè *Scriptura*; Latino vix usu recipitur: legitur tamen Ecclesiasticâ forsan aliâ interpretatione, in Hymno Epiphaniæ, *Facturam morte redimens.*

Animadvertit Nicolaus Antonius, quod cum contigisset Amatoris Arrais tempore infelix Africana Sebastiani Regis expeditio, pluresque è Diœcesi suâ Portalegrensi in Maurorum potestate captivos remansisse certior factus esset, omnes proprio ære redemit. Edidit autem Lusitanicè,

Dialogos Morais. Nempè Latinè: *Dialogos Morales*, quos magni habent Lusitani. Conimbr. 1589. *in-folio*, iterùm recusos anno 1598. Hi *Dialogi decem de Divinâ Providentiâ* Latinè prodierunt anno 1604.

Amatorem Arrais celebrant Rodericus da Cunha, in *Historia Episcoporum Portuensium*, *part.* 2. *Cap.* 42. Ludovicus Babia 3. *parte Pontificali*, *in Vita Gregorii XIII. Cap.* 42. & 49. Georgius Cardusus tomo 3. *Agiologii*, *die* 14. *Maii*, *Lit. a.* Petrus de Alva in *Militiâ Immaculatæ Conceptionis.* Nicolaus Antonius *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 49. ibidem *tomo* 2. *pag.* 279. Acta consistorialia Clementis VIII. ad *annum* 1598. *die* 16. *Februarii.*

E Carmelitis Didacus de Coria in *Chronico Ordinis Carmelitici Lib. I. Cap.* 10. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 417. Daniel à Virgine Mariâ tomo 2. Speculi Carmelitani *pag.* 908. *num.* 3157. Ibidem *pag.* 1076. *num.* 3764. Ibidem, *pag.* 1083. *num.* 3799. Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. Antistitum Ordinis Carmelitarum.* Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptor. Carmel. pag.* 66. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus vineæ Carmeli*, *&c.*

LXXXIV.

AMBROSIUS AB ASSUMPTIONE, Carmelita Excalceatus, Provinciæ Mediolanensis, in quâ muneribus prælecto Prioris & Definitoris functus est, scripsit Italicè *Vitam V. M. Mariæ Franciscæ à Spiritu Sancto*, Teresianæ Monialis, quæ in sæculo dicebatur, Princeps Eleonora d'Est, Mutinæ nata anno 1643.

LXXXV.

AMBROSIUS MARIA A S. BARBARA, Mediolanensis, in seculo Joannes Dominicus Solarius appellatus, die 8. Novembris anno 1645. natus, apud Nudipedes Carmelitas solemnia emisit vota die 15. Aprilis 1664. Ita suos inter sodales vixit, ut de universo Cœtu benè meritus ob exemplarem observantiam, & morum probitatem omnibus effulserit. Proximorum salutem egregiè promovit, sacras Confessiones assiduè excipiens, tam seculares quam religiosos ad viros perfectionis vitam amplectendam incitans, & in exitu animæ laborantibus summâ pietate adstans. Migravit è seculo pridie kalendas Novembris anno 1720. in Cœnobio Bononiensi, cum plures per annos gravissimis morbis afflictus singularis patientiæ præbuisset exemplum. Scripsit & edidit,

1. *La Monaca ritirata.* Bolugna per Giuseppe Longhi, anno 1714. In hoc opere sacris Virginibus decem dierum Exercitia Spiritualia proponit, Meditationibus IV. singulis diebus peragenda. Editionem alteram, scilicet anno 1706. assignat Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum.

2. *Provisione spirituale per il disastroso Viaggio da questa all'altra vita.* Ibidem, apud eumdem 1723. Opus est tam morientibus, quam eos consolantibus in Agone utile satis & aptum: quod anno 1698. *in-*12. editum asserit Martialis à S. Joanne-Baptista.

3. *Il mistico Ritratto di Santa Teresa, ciosè dieci Mercordi in apparecchio alla festivita della Santa.* Bologna, per lo Stesso, & rursus Milano per Marc-Antonio Lucca, *in-*12.

Hæc referuntur in *Bibliothecâ Scriptorum Mediolanensium* per Vitum clarissimum Dom. Philippum Argelati, *pag.* 1423. *num.* 1609. & *pag.* 2035. in Supplemento. Martialis à S. Joanne in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 10.

LXXXVI.

AMBROSIUS MARIANUS A SANCTO BENEDICTO, Bitonti, in Regno Neapolitano, nobilibus, piisque Parentibus ortus, pueritiam in addiscendis humanioribus literis, adoles-

centiam in Rhetoricâ & Mathefi, juventutem in Philofophiâ, Theologiâ, ac Utroque Jure comparandis infumpfit: in fingulis, ut in latinâ Poefi emicuit, ac in Uroque Jure lauream Doctoris obtinuit. In ftudiis condifcipulum habuit HUGONEM BONCOMPAGNONUM, qui pofteà fuit GREGORIUS XIII. & memoriam antiqui amici femper retinuit.

In Concilio Tridentino, cui adfuit, eximium præbuit infignis eruditionis, fapientiæ, ac prudentiæ fpecimen. E Concilio ifto in Belgium, Germaniam & alia Regna Septentrionalia à Patribus miffus, ad expedienda quædam Catholicam Religionem fpectantia: iis peractis, in Poloniâ manfit, Aulæ Reginæ Præfectus. Inter Equites Melitenfes poftea adfcriptus, obfidioni adfuit *Auguftæ Veromanduorum*, ob animi magnitudinem magnum ibi nomen affecutus: imò & in cujofdam honeftæ viduæ domo, duas fic ejus fpeciofas Virgines tutatus eft, ut evaginato, gladio mortem focio minatus fit; nifi abs fuâ impudentiâ defifteret, puellarum honori ac honeftati confulent.

Quià verò acceptus erat Deo, neceffe fuit, ut eum tentatio probaret. Morte namque cujufdam Nobilis, à duobus æmulis, & falfis teftimoniis ei imputatâ, MARIANUS dito mancipatos eft carceri, factum quidem negans, fed contrà falfos teftes nihil comprobans. Tranquillitatem animi judes admiratus, teftes feparatim interrogans, cum difcordes repeririffet, ad atrocis calomniæ confeffionem adegit, MARIANUM liberavit, qui fontes precibus fuis pluribus expenfis pecuniis, à debitâ pœnâ & punitione liberavit.

Veniens indè in Hifpaniam, Præfectus junioris Principis SULMONIS conftitutus eft: fed Aulæ pertæfus, noncium feculo remittere decrevit. Dumque id meditaretur, confpiciens Fratr. THADÆUM, Eremitarum *Tardanenfis* folitudinit Præfidem, ipfum allocutus, illius folitudinis exercitia, ut fibi congrua comprobans, eorum habitum ab anno 1562. ufque ad annum 1570. geftavit: *Paftranæ*, mediante *S. Terefiâ*, Carmelitis Excalceatis fe addixit, inter quos Sanctimoniâ effulfit. Poft graves in ifto reformato Inftituto procellas ortas an. 1576. factâ tranquillitate anno 1581. Provinciale primum Reformationis celebratum eft Capitulum *Compluti*; in quo MARIANUS electus eft Fundator futuri Conventus Ulyffiponenfis, quem facilè perfecit anno 1583. autoritate PHILIPPI II. Regis tunc ibi degentis, cui chariffimus erat.

Anno 1583. alia provincialia Comitia *Amoldovariæ Campeftris*, vulgò *Amoldovar del Campo* Oppidum, in Caftellâ novâ celebrata funt, in quibus electus eft fecundus Definitor; pofteaque Prior Matritenfis, ubi Capitulo congregato anno 1588. electus eft tertius Confultor Generalis. Demùm plenus dierum ac bonorum operum, anno 1594. ad cœleftem Patriam *Matriti* tranfiit.

Scripfit, 1. *Orationem latinam habitam anno 1581. in primo Capitulo Carmelitarum Excalceatorum Compluti celebrato*, fed ab alio pronuntiatam. Prælo fubjecta hæc oratio etiamnum fervatur in Scritano illorum Cœnobio. *Seria* vulgò *Xeres de Guadina*, eft oppidum Wandalitiæ ad *Anam* fluvium: Gallicè *fur la Guadianne.*

2. *Acta & decifiones Tridentinæ Synodi*, eleganti fermone fcripta: quæ MSS. ibidem fervantur. Ambrofium Marianum celebrant S. Terefia, præcipuè *Libr. fundationum Cap.* 16. Ludovicus à S. Terefiâ in *fucceffione Eliæ*, *Cap.* 276. *pag.* 634. ubi notat eum in primo Provinciali Capitulo celebrato Compluti anno 1581. electum fuiffe hujus Congregationis Secretarium. Ibid. *Cap.* 278. *pag.* 646. Francifcus à S. Mariâ in *Hiftor. general. Congregat. Hifpan. Lib.* VI. *Cap.* 2. *& feqq.* Philippus a SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiofi*, *parte* 2. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1052 *num.* 3639. Martialis à S. Joanne Baptifta in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 10. *& feqq.*

LXXXVII.

AMBROSIUS ROCA DE LA SERNA, natione Hifpanus, patriâ Valentinus, Artium ac Theologiæ Doctor ejufdem Gymnafii, ibidemque Philofophiæ & apud fuos Sodales Carmelitas Theologiæ Profeffor; egregius idem falutis animarum tam in Confeffionibus, quam in Concionibus & Confultationibus Promotor, Provinciam Ordinis fui Bæticam vifitavit, Comitiifque anni 1642. Provincialibus præfuit. Legationem etiam Valentinæ gentis publicam apud PHILIPPUM IV. Catholicum Hifpaniarum Regem geffit; in quâ *Matriti* obiit diem fuum die 29. Maii, an. 1649. Scripta ejus,

1. *Luz del Alma*; feu Latinè, *Lux animæ*, prodiit fub nomine Gerardi à Jefu Mariâ, Valentiæ, apud Joannem-Baptiftam Marzal, 1634. *in*-24. & alias ufque ad annum 1644. Deindè infcripto authoris nomine, ibidem apud Joannem-Laurentium Crabtera 1657. & Matriti 1665. *in*-8°. apud Andream Garzia de la Iglefia, cum *additionibus* F. EMMANUELIS *à Zurita Carmelitæ.*

2. *Bofquejo de la Vida de San Andres Corfino Carmelita y Obifpo de Fiefoli*: id eft Latinè, *Delineatio Vitæ Sancti Andreæ Corfini Carmelitæ & Epifcopi Fefulani*; Valentiæ, apud Joannem-Baptiftam Marzal, anno 1630. *in*-8°.

De eo Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliothecæ Hifpanæ*, *pag.* 316. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1079. *num.* 3791. Ludovicus Jacob in *Indice Scriptorum Carmelitarum.*

LXXXVIII.

AMBROSIUS DE VALLEJO, natione Hifpanus, patriâ Matritenfit, nobili ftirpe natus, *Didacum de Vallejo* Capitaneum, & *Elizabetham de Mella* parentes habuit. In patriâ Religiofum habitum induit, & profeffionem emifit die 25. Januarii, anno 1581. Poftquam ipfe ftodiis formatus, Philofophiam, Theologiam, Regentis munere, in fuo Collegio Salmanticenfi diù docuit, Magifterii gradum obtinuit. Deinde primarios fuæ Provinciæ Conventus, Abulenfem fcilicet, Vallifoletanum, & Matritenfem Prior texit. Semel atque iterum Caftellanam Provinciam moderatus eft Provincialit, electus primùm anno 1606. fecondo ad annum 1618. fuperftes in hoc officio ufque ad infulam. Item Procurator Generalis omnium fui Ordinis Provinciarum Hifpaniæ, in Curiâ Regis Catholici extitit: nec non Qualificator fancti Officii Inquifitionis, ad fupremum ejufdem Curiæ Tribunal.

Prædictis officiis egregiè perfunctus, ex nominatione Regis Catholici PHILIPPI III. affumitur in Antiftitem: creatus die 2. Decembris 1619. Epifcopus *Popajanenfis* in Peruviâ, feu Americâ Meridionali, fub Metropoli *S. Fidei de Bogotâ*. Deindè, promovente PHILIPPO IV. Hifpaniarum Rege, tranflatus eft ad Ecclefiam *Truxellenfem*, fub Metropoli *Limanâ*, die 27. Januarii, anno 1631. ubi obiit die 29. Octobris, anno 1635. Dum in vivis effet, Epifcopus, curavit extrui à fundamentis primarium Sacellum, quod *Crucem* vulgò vocant Templi Matritenfis fui Ordinis, ibique ad latus dexterum fupremi

A.

supremi Altaris, sub ipsius imagine, sequens Inscriptio, seu Cenotaphium legitur.

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOM.
FRATER AMBROSIUS A VALLEIO,
SACRI HUIUS CONVENTUS
A PRIMIS ANNIS ALUMNUS,
CONVENTUS PROVINCIÆQUE SEMEL,
ATQUE ITERUM APEXI
IN PERUENSI REGNO,
PRO MERITIS EPISCOPUS DE TRUXILLO DESIGNATUS,
CUI MIRIFICE PRÆFUIT ET PROFUIT:
SACELLUM HOC A FUNDAMENTIS EREXIT,
ET IMMORTALI SECULORUM REGI,
QUA POTUIT PIETATE,
DICAVIT, DONAVITQUE,
ET SIBI EX ULTIMIS TABULIS TESTAMENTI,
IN SEPULTURAM ELEGIT;
RECESSIT A VITA, ET MUNERE XXIX. OCTOBRIS,
ANNO. M. DC XXXV.

De illo Hieronymus de Quintanâ in *Historiâ Matritensi, Cap.* 52. & 137. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 490. Ludovicus Jacob in *Catalogo Mſ. Episcoporum Ordinis Carmelitarum:* Augustinus Biscarretus *in Palmitibus Vineæ Carmeli:* Daniel à Virgine, *tomo* 2. *Speculi Carmeli*, *pag.* 908. *num.* 3158. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 66. Qui fatentur eum scripto illustrem, sed scriptorum elucubrationum titulos non præbent.

LXXXIX.

ANACLETUS A SANCTO JOANNE, natione Gallus, patriâ Andinus, in seculo JOANNES DE LA FONTAINE dictus, Provinciæ Turoniæ Carmelita, Rhedonis vota dixit anno 1625. Vir Observantiâ regulari, in quâ initia hujus Reformationis fervidæ calebant, omnimodâ clarus, multos ad annos perfectiora satagens, & meliora æmulans Charismata, miris ad virtutem gressibus proficiebat; dum *Turonibus* septuagenario major obiit die 7. Junii, anno 1685. Scripsit Gallicè.

De l'Orthographe Françoise: id est Latinè, *De Orthographiâ Gallicâ.* Andegavi, 1637. *in*-8°.

Hujus meminerunt Ludovicus Jacob in *Bibliothecâ Personatâ Mſ. pag.* 22. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1094. *num.* 3862.

X C.

ANASTASIUS COCHELET, natione Gallus, Provinciâ Campanus, patriâ Maceriensis, (vulgò *Mezieres*) ad Mosam fluvium, Provinciæ Franciæ Carmelita, professione Rhemensis, Sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, in utroque Conventu Prior, suæ Provinciæ Provincialis. Vir undequaque doctus, Religionis Catholicæ defensor insignis, adversus hæreticos pugil egregius, tùm in Galliâ, tùm in Belgio, & *Antuerpiæ:* ubi tempore Henrici II. Christianissimi, ob intestinos Galliarum motus, cum Fratribus suis Carmelitis commoratus, verbis & scriptis perfidiam hæreticam insectans, in fide Romanæ Ecclesiæ Catholicos confirmavit. Posteà rediit in Galliam, ubi *Rhemis* anno Christi 1624. ad meliorem vitam transmigravit, ætatis suæ circiter 75. Scripta ejus inscribuntur,

1. *Palæstrita honoris D. Virginis Hallensis pro Justa Lipsia.* Antuerpiæ, 1607. *in*-8°. ibid. 1627. *in*-4°.

Hujus Dissertationis meminit Joannes-Petrus Niceron, *tomo* 24. *suarum Memoriarum*, *pag.* 132.

2. *Calvini infernus adversus Joannem Polyandrum.* Antuerpiæ, apud Motetum 1608. & 1610. *in*-8°.

3. *Cæmeterium Calvini*, *adversus eumdem Polyandrum.* Antuerpiæ, 1612. *in*-8°.

Utrumque Opus istud Gallico idiomate scriptum, referunt Georgius Draudius in *Bibliothecâ Classicâ*, *pag.* 72. 1ª. editionis, & Ludovicus-Ellies Dupin in *Tabulâ universali Scriptorum Ecclesiasticorum*, *tom.* 3. *pag.* 263.

4. Gallicè etiam, *Répétitions du S. Sacrifice de la Messe en forme d'Homelies, contre du Plessis Mornay.* Id est Latinè; *Repetitiones de S. Sacrificio Missæ ad normam Homiliarum scriptæ, adversus Plessæum Marnæum.* Antuerpiæ, apud Joannem Keerbergheum, an. 1601. *in*-8°. Egregium hoc opus continetur *pag.* 930. absque Præfatione & Tabulâ: Exemplar unum asservatur in Majori Carmelo Aurelianensi.

5. *Reponse à l'abjuration de la vraye foy que les Calvinistes font, en apostasiant de la foy Catholique, Apostolique & Romaine.* Sivè Latinè: *Responsio ad abjurationem veræ fidei, quam faciunt Calvinistæ, à fide Catholicâ, Apostolicâ, & Romanâ apostantes.* Antuerpiæ, 1604. *in*-8°. Hoc opus & alterum, *num.* 4. citatum, referuntur apud Georgium Draudium in sua *Bibliotheca Exotica.*

6. *Commentaire Catholique en forme de Discours, sur les deux Lettres missives: pag.* 27. *l'une de Frederic Electeur & Comte Palatin: l'autre de très-Illustre Prince Louis de Bourbon, Duc de Montpensier, sur la fuite de sa fille, Abbesse du Monastére des Religieuses à Jouxrd.* Seu Latinè, *Commentarius Catholicus ad instar Discursus Sermonis concinnatus, in duas Epistolas missivas: quarum una est Frederici Electoris & Comitis Palatini: altera Illustrissimi Principis Ludovici Borbonii, Ducis Monpensierensis, de fugâ hujus filiæ Carolæ, Monasterii Monialium Fotrensis Abbatissæ.* Antuerpiæ, apud Cornelium Verschueren, anno 1616. *in*-8°. Nuncupatus amplissimo Dom. Jacobo Roelans Jurisconsulto, Senatori, & Syndico Civitatis famosissimæ Antuerpiæ: & approbatus per Laurentium Beyerlinck S. Th. L. Archipresbyterum Canonicum, Librorum Censorem Antuerpiensem, die 16. Januarii 1616.

Post Epistolam nuncupatoriam, referuntur præfatæ duæ Epistolæ Gallico idiomate scriptæ: quarum prior Comitis Palatini ad Ducem Monpenseriensem denuntiat hujus filiæ *Carolæ* fugam à Monasterio Fotrensi, & ejus adventum in palatium dicti Palatini, qui eam benignè & sponte à seipso receptam ibi servari, ob singularem sui in illam affectum, & propter honorem Dei ad quem tota videtur hæc Abbatissa tendere: cætera Epistolæ Comitis Palatini partibus Calvinianæ hæreseos irretiti verba eò flectuntur, ut Duci Catholico Monpensierensi suadeat, ad filiam liberâ conscientiâ uti volentem admittendam, in hæreditate bonorum suæ familiæ possidendorum. Epistola hæc signatur *Heldebergæ*, die 25. Martii, 1572.

Posterior Ducis Monpenseriensis Epistola est responsio ad Comitem Palatinum, signata *Aquæ Sparsæ*, *Aqua sparsa* vulgò *Aigueperse*, urbs caput Ducatûs Monpenseriensis, die 28. Martii, eodem anno 1572. In eâ Ludovicus nomine *secundus*, Dux Monpenseriensis cognomento *Bonus*, die 10. Junii, anno 1513. natus, & die 23. Decembris an. 1582. defunctus, suum primò intimum dolorem de suæ profanâ dilectissimæ filiæ fugâ exprimit, quæ in domo paternâ ad fidem Catholicam piissimè educata, & Religiosis pannis induta, atque tredecim aut quatuordecim annos Abbatissæ dignitate præfulgida, ad terram hæreticam, duobus tribus viris scelestissimis comitantibus, aufugerat. Inde est, quod Palatino de Comite dolens conqueritur, eam scribente à se in do-

A.

mum receptam, honoris in Deum refundendi gratiâ: quasi honor Dei ex Sacramento & voto sacrilege violato promoveri, suboririve posset. Siccine Majores nostri, Reges, Dinastæ, aut Principes etiam fœminæ nostræ, nomen *Christianissimorum* sibi comparâre? Hæc primæ Regiæ nostræ stirpis est virgo, quæ gloriæ & extincto religionis sensu, æquum judicavit, & sanctum Monialis habitum, quem octodecim saltem annis gessit, & titulum commodumque Abbatissæ, quo tredecim vel quatuordecim annis gavisa est, expoliare, abdicare; Patremque, Fratrem, sorores, parentes, imò & Regem suum, suamque gentem relinquere, ut alios in Germaniam conquireret.

Posteà probat, & fusè demonstrat Catholicus Princeps filiam suam iniquè conqueri posse de vi quantulâcunque sibi illatâ ad Professionem Religiosam adigendam: frustraneas ejus desertionis rationes disjicit: Comitem Palatinum adhortatur, ut sanum consilium ei instillet, ad pristinam viam reducat, à spe auxilii regii revocet; cum Rex ipse vel Reginæ tam perverso favere proposito minimè velint, qui suis à Majoribus vitio ferre opem non didicerunt. Neque conscientiæ libertatem prætendere posset hæc filia vaga, quæ scitè novit nullam Europæ Provinciam extare, in quâ liberior conscientiæ meatus pateat: nisi de fide agatur, è cujus mutatione quid commodius & utilius hactenus vicinæ ac exteræ gentes perceperint, non ostendere potuerunt. Quapropter ipsemet profitetur piissimus Princeps LUDOVICUS in aviâ religione constanter se permanere velle, quæ à Christo tradita est Ecclesiæ, in Conciliis probata, hæreseum victrix à quibus continuò vexata fuit; & quæ ideò tanto gaudio illustrem Ducem perfundit, ut inter Natos suos ipse nunquam habiturus sit, quos ab eâ noverit averruncatos. Quoad facultatum maternarum jus hæreditarium, reminiscatur hæc virgo, quam tenues sperare posset, cùm è Monasterio, longè majorem suffurata sit bonorum copiam, quam quod ei eveniret, si jus omne ad Principem suum fratrem anteà non detulisset.

Hæc sunt præcipua monita, quæ suæ filiæ *Dux Monpenseriensis* mandavit, sed frustrà. Nam illâ die 12. Junii, anno 1574. nupsit GUILIELMO NASSAVIO Principi Arausicano, & die 6. Maii 1582. obiit; cui tamen piissimus Patens quamdam pecuniæ summam, juxtà Theologorum Parisiensium Sententiam concesserat, ut liber evaderet à vexatione, quam ei quinquaginta millia Militum Germanorum tunc Gallias devastantium, minabantur.

Hæc sunt quæ ANASTASIUS COCHELET *in illo Commentario*, *Cap.* 10. *pag.* 283. aureis verbis percurrit, in suo Catholico Commentario; ità ut quinque prioribus illius Capitibus confutet Epistolam Comitis Palatini, cæteris verò posterioribus Capitibus quindecim, à paginâ 76. ad 307. totus sese impendat, Scripturas sacras, Sanctos Patres, Scriptores Historicos, Mythologos, Philosophos, & Jurisperitos referens, ad comprobanda sancta Illustrissimi Principis LUDOVICI sensa. Codex ANASTASII COCHELETI unus nitidis typis pressus asservatur in Regio majori Carmelo Aurelianensi.

Hunc autem Authorem Fidei Catholicæ strenuum defensorem celebrant Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs Sacri*: Dominicus Gravina in opere inscripto, *Vox turturis*, *parte* 2. *cap.* 26. Jacobus Gautier, in *Tabulis Chronologicis*, *seculo* 17. Joannes-Franciscus Foppens, *tomo* 1. *Bibliothecæ Belgicæ*, *pag.* 49. ubi non rectè illum anno 1614. obiisse scribit; Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 417. Daniel à Virgine Mariâ *in Vineâ Carmeli*, *pag.* 511. *num.* 914. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 969. *num.* 3407. Ibidem, *pag.* 1088. *num.* 3826. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 66. Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. Monasteriorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 219. &c.

XCI.

ANASTASIUS GARCIA, natione Hispanus, Valentinus patriâ, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor in eâdem Valentinâ Academia, patrii Cœnobii Carmelitici Prior, Aragoniæ Provinciæ Præfectus, obiit Valentiæ, anno 1628. postquam scripsisset,

1. *Sermonem de S. Teresiâ*, Hispanicè. Valentiæ, an. 1615. *in*-4°. Legitur in collectione Sermonum, qui dicti sunt in Beatificatione hujus Sanctæ Virginis.
2. *Varios Tractatus Theologicos Mss.*
3. *Commentaria Philosophica Mss.*

De eo Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 493. Josephus à Jesu-Mariâ in *Collectione Sermonum de Beatificatione S. Teresiæ.* Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. Monasteriorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 260. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 66.

XCII.

ANASTASIUS A S. TERESIA, natione Hispanus, patriâ Velecita Malacitanus, vulgò *Malaga*, inter Carmelitas Excalceatos Cœnobii Granatensis professus: Vir felicissimæ memoriæ; vasti & subtilis ingenii Religiosus homo, in omni disciplinarum genere versatissimus: Lectoris Artium ac Theologiæ tùm Scholasticæ, tùm Moralis, in Collegiis sui Instituti Malacitano, Biatiensi, ac Giennensi, necnon Historiographi Generalis suæ Congregationis munia præclarè exercuit; sacrosque libros interpretandi à Superioribus eximio decoratus labore, plura etiam tùm versibus tùm solutâ oratione, tum hispano, tum latino sermone, conscribebat anno 1728. Edidit autem,

1. *Genethliacon pro Ludovico I.* Hispaniarum Principe, Versibus Hispanis. Giennii, 1707. *in*-4°.
2. *Giennensis Ecclesiæ Festiva*, pro natali ejusdem Principis: solutâ oratione. Ibid. eod. anno, *in*-4°.
3. *Plura Poëmata*; tum Latino, tum Hispano idiomate, in gratiam Sanctorum cum Christo in Cœlis regnantium, ibidem.
4. *Ecloga latina Ms.* pro natali *Ferdinandi Hispaniarum Principis*; ad instar illius Publii Virgilii, incipientis: *Sicelides Musæ*, Ecloga IV.
5. *Topographia Sanctæ Eremi* Carmelitarum Excalceatorum, dictæ nomine *Beatissimæ Virginis Mariæ ad Nives*: in gratiam Eremitarum, & Excellentissimi Marchionis de *Estepa.* Cordubæ, anno 1708. *in*-4°. Hispanicè
6. *Velezium festivum in gratiam Philippi V. Hispaniarum Regis.* Granatæ, *in*-4°. Hispanè.
7. *Oratio Panegyrica pro Immaculatâ Conceptione Beatæ Virginis Mariæ.* Giennii, 1719. Hispanè.
8. *Perfectus Puer Novennis*: seu vita admirabilis Infantis Dom. Francisci de Paresa. Giennii 1721. Hispanè, *in*-4°.
9. *Poëma* Hispanè compositum in gratiam Serenissimæ Hispaniarum Reginæ *Aloysiæ Gabrielæ*, quo Moniales Teresianæ illi charissimæ, *S. Joseph* gratias rependunt, ob natale LUDOVICI I. Cujus intercessione hoc præclarum beneficium Regina referebat acceptum, & cui devotissima extitit: id ita suadentibus iisdem Monialibus. Servatur Manuscriptum.
10. *Quæstio scholastica de Sacramento Pœnitentiæ valido & informi*, *juxtà legitimum D. Thomæ*

mentem. Latinè *Mſ.* Servatur in Conventu Regio Granatenſi P P. Prædicatorum.

11. *Defenſorium pro quodam Novitio Carmelitâ Excalceato, ante annum 15. habitu Religionis induto*, *Mſ.* Servatur Hiſpanè in pluribus Conventibus Bæticæ Superioris.

12. *Propugnaculum pro Religionibus in duas partes diſtributum*, *Mſ.* Glennii. Servatur Hiſpanè.

13. *Cenſura myſtica*, jam prælo parata, *in-8°.*

14. *Vita Vener. Matr. Mariæ à S. Joſeph, Fundatricis Monialium Tereſianarum Conventus de Aquilar; prælo etiam parata in-folio.* Hiſpanè.

15. *Bibliotheca Scriptorum Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hiſpanicæ*: quâ uſus eſt Martialis à S. Joanne-Baptiſta; cujus è *Bibliothecâ* Burdigalæ editâ anno 1730. hæc de Anaſtaſio à S. Tereſiâ collegimus, *pag.* 12. & 13. ubi & alia ejuſdem Anaſtaſii in *Sacram Scripturam Commentaria* promittuntur.

XCIII.

ANASTASIUS VIVES DE ROCAMORA, natione Hiſpanus, gente Valentinus, patriâ Oriolenſis, ex antiquâ & Nobili Familiâ, Parentibus FRANCISCO VIVES, Utriuſque Juris Doctore, & DIONYSIA TORRES ROCAMORA, natus eſt die 16. Maii, anno 1599. Poſt mortem matris, Parens cum altera prole, & Anaſtaſio noſtro, nondum undeno habitum Carmelitanum induit in Conventu Patriæ die 15. Decembris anno 1609. Ibi abſoloto tyrocinio, & expleto legitimo ætatis tempore, profeſſionem emiſit ANASTASIUS die 17. Maii, anno 1615. Poſteà ſtudiis operam dedit: & Philoſophiam in Conventu Alicantenſi, Theologiam verò Valentiæ intrà Clauſtra docuit: Inſtitutus ſubindè S. Theologiæ Magiſter.

Regimini adhibitus, patrium ORIOLÆ Cœnobium, item Valentinum Prior, necnon & Provinciam Aragoniæ moderatus eſt, electus Provincialis in Comitiis *Calatajubii* celebratis anno 1653. Sub eo munere Romam venit & Generali Capitulo in Urbe celebrato 1654. Poſt quadriennum, præfecturæ, officiis & voci ad ea paſſivæ (ut dicitur) valedicens, Oriolam ad patrium Conventum ſeceſſit, ubi per biennium manens, ex conſtanti abnegatione ſui, apud alios contemptam ſui nominis fermè impreſſit. Dum hæc agebat, & latere jodieabat ANASTASIUS, à Rege Catholico proditus eſt, atque ipſius nominatione, nihil minus cogitans, aſſumitor in Antiſtitem.

Igitur creatus eſt Epiſcopus SEGOBRICENSIS in Hiſpaniâ, non adeo longè à patriâ, die 30. Maii 1661. Poſſeſſionem dignitatis iniit die 19. Auguſti ejuſdem anni, per Procuratorem; munus autem Conſecrationis *Valentiæ*, in Eccleſiâ ſui Ordinis die 9. Octobris, eodem anno accepit, per manus Martini *Lopez de Hontireros* Archiepiſcopi Valentini, Aſſiſtentibus *Didaco de Chueca* Epiſcopo Tervelenſi, & *Acatio March* Epiſcopo Oriolenſi. Poſt hæc ſolemniter ingreſſus eſt Eccleſiam ſuam ANASTASIUS die 23. ejuſdem menſis Octobris. Ubi manens, non pauca Diſciplinæ Eccleſiaſticæ, zeli & frugalitatis, cùm interim effuſiſſimus in pauperes eſſet, dedit exempla. Semel & iterùm univerſam Diœceſim ſuam, frequenter pedes incedens, perſonaliter viſitavit: Synodumque Diœceſanam Segobricæ, anno 1668. celebravit.

Poſtquam verò Eccleſiam ſuam annis XII. paſtorali ſollicitudine rexit, & magnificum Sacellum, dicatum Beatæ Virginis Mariæ de Monte-Carmelo, hujus annuâ ſolemnitate ſtabilitâ & dotatâ, in Templo Cathedrali, erexit, ornavit. In Eremiticum Cœnobium ſui Ordinis, in Territorio Oppidi *Ordæ*, ſub Detruſenſi Diœceſi, non procul à *Segobrica*, lubens ſeceſſit, impetratâ prius Apoſtolicæ Sedis Benedictione & penſione annuâ, copioſiori ſanè, quam poſtulaverat, ex Ordinatione Regis Catholici, ſibi reſervatâ. Inſtituto autem Succeſſore die 17. Julii 1673. reliquum vitæ tempus cum fratribus ſuis ANASTASIUS egit, quaſi unus ex illis, in ipſis etiam vilioribus domûs occupationibus frequens, conſtanter uſque ad mortem perſeverans: quam demùm pretioſam in conſpectu Domini obivit in eodem Conventu, ipſo Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, horâ tertiâ poſt meridiem, die 20. Maii, anno 1674. Edidit,

1. *Synodum Diœceſanam Segobricenſem, anno 1668. celebratam. Valentiæ*, 1669. *in-4°.*

2. *Epiſtolam Paſtoralem* huic Synodo præfixam.

De eo Nicolaus Antonius tomo 2. *Bibliothecæ Hiſpanæ*, *pag.* 316. Joſephus Saenz Cardinalis d'Aguirre in collectione Conciliorum Hiſpaniæ. Daniel à Virgine Mariâ tomo 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 909. *num.* 3159. Ibidem, *pag.* 1077. *num.* 3764. Ludovicus Jacob in *Indice Mſ. Scriptorum Carmelitarum*: Columbanos à Noſtrâ Dominâ de Monte-Carmelo in *Hiſtoriâ Chronologicâ Ordinis Carmelitarum Mſ.*

XCIV.

ANDREAS ANGELETTUS, Romanus Carmelita, poſt navatam ſtudiis operam, Sacræ Theologiæ Magiſter in Ordine ſuo renuntiatus, Regimini adhibitus, geminæ Provinciæ, Romanæ primum, mox Aprutinæ Prior Provincialis præfuit; titulumque Provinciarum Saxoniæ, ac terræ Sanctæ ſucceſſivè tulit. Claruit multiplici eruditione illuſtris, nec non zelo Religionis eximio. In patriâ tandem extinguitur, mortuus apud S. Martinum in Monte Exquilio, anno 1678. Typis tradidit Italico idiomate,

La Vida di San Canuto Martire, Re della Dania, o Danimarca. Romæ, 1677. *in-4°.* Et ibidem eodem anno Latinam hanc vitam evulgavit.

Ita Proſper Mandoſius in *Bibliothecâ Romanâ*, *Centuriâ* 5. *num.* 4. *pag.* 283. Daniel a Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1070. *num.* 3723.

Eadem vita citatur in *Catalogo Librorum* Nobiliſſimi Dom. Abbatis d'Orleans de Rorbelin, *pag.* 318. *num.* 2984.

XCV.

ANDREAS BARZESKI, Polonus, Provinciæ Ruſſiæ ter Provincialis Moderator, & in Comitiis Ordinis Carmelitici Romæ habitis anno 1744. die 24. Maii, coram Præſide SS. Domino Noſtro Papa Benedicto XIV. in Aſſiſtentem pro Carmelitis Germaniæ & Poloniæ Generalem aſſumptus plures ſanctas & funebres Panegires edidit Polonicè, quarum,

1. Dixit *ad ſolationem Octavæ Solemnis de Coronatione* (Gallicè, Cooronnement. Deficit enim alia vox verè Latina, niſi Coronis coronidis) *Imaginis miraculoſæ Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, celebrata in Templo FF. Minorum de Obſervantia Sokalenſium, anno* 1724.

2. *In Metropolitana Eccleſia Leopolitana, ad finem Octavæ Aſſumptionis Beatiſſ. Virginis Mariæ*, anno 1725.

3. *Ad Funera Illuſtriſſ. & Excellentiſſ. Dom. D. Comitis Matthæi Rzemuski, Palatini Podlachiæ, & Summi-Præfecti exercituum Poloniæ.* Leopoli, anno 1738.

4. In Leopolitana Metropolitana Eccleſia *ad obitum Illuſtriſſ. Reverendiſſimi & Excellentiſſ. Dom. D.*

A.

Comitis Joannis Skarbek Archiepiscopi Leopolitani, anno 1734.

5. *Panegyrim ad solutionem Octavæ Solemnis de coronatione imaginis miraculosæ B. Virginis Mariæ in Ecclesia FF. Prædicatorum Podkamiensium, anno* 1727.

6. *Ad finem octavæ Solemnis De Conceptione B. Virg. Mariæ in Ecclesia Metropolitana Leopolitana, anno* 1732. *celebratæ.*

Hæ omnes Orationes Leopoli prodierunt anuis superiùs designatis ex Typographia Confraternitatis SS. Trinitatis Leopolitana: sicuti nos monuit idem Andreas Baracski in Schedis ad nos Roma Aureliam missis die 4. Februarii 1749. in quibus notatur alias *octoginta Panegyres de Sanctis* ab eodem Oratore prælo paratas esse; sed timendum ne sumptus typis obstent impendendi, quos solvere solent Auctores in Polonia æque ac in Italia.

X C V I.

ANDREAS BLANCHARD, natione Arvernus, patriâ Claromontanus sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, suæ Carmelitanæ Provinciæ Narbonensis Definitor, strictioris observantiæ cupidus, & primævæ sui Ordinis solitudinis amans, à R^mo^. THEODORO STRATIO Priore Generali, Commissarius Generalis constitutus est, ut ejusdem Reverendissimi nomine quamdam Paræciæ *Bernos* in Diœcesi Vasatensi Eremum *La Graville* nuncupatam acceptaret.

Ad postulationem scilicet Illustrissimi Dom. HENRICI LITOLPHI MARONI, Episcopi Vasatensis, & Nobilissimi Domini HENRICI DE GOURNAY, Comitis loci DE MARCHEVILLE, dictus Rmus. STRATIUS anno 1638. Literas Patentes dedit die 15. Aprilis ad construendam Eremum, in qua vetus illa reviviseeret diseiplina Ordinis Carmelitici, secundùm quam olim antiqui dicti Ordinis Fratres sub primitivâ Regulâ à S. ALBERTO quondam Patriarchâ Hierosolimitano traditâ in Monte Carmelo, & in aliis Palæstinæ locis solitariam, Eremiticamque vitam in Cellulis separatis ducebant; eâ tamen conditione ut dicta Eremus *La Graville*, ab ipso Ordinis totius Priore Generali immediatè dependeret, regimen teneret, & visitationem vel ab eodem, vel ab ejus Commissariis acciperet. Quare dictus Comes HENRICUS DE MARCHAVILLA, è Galliâ Romam, non aliam ob causam magno suo impendio & labore venit, quam ut suo, & dicti Henrici Litolphi Episcopi nomine supplicaret jam memorato Theodoro Stratio, qui ANDREAM nostrum BLANCHARD, in Commissarium Generalem ad id instituit, cum facultate fundandi, servatis servandis, prædictam Eremum. Quas quidem Reverendissimi THEODORI STRATII Literas-Patentes, & conditiones iis insertas confirmavit URBANUS VIII. in Diplomate Apostolico, die 4. Maii 1639. signato.

Cui equidem pio favere consilio Vir Nobilis DE QUINCARNON, Dominus loci *La Graville*, in Paræciâ *Bernos* jugera quadraginta umbroso nemore densisque arboribus insita, & solo inculto expensa dedit, concessit Carmelitis eâ conditione, ut inibi Eremum duodecim Religiosis idoneam construerent, quâ quidem deficiente fundus ad Dominum suum pristinum rediret. Hæc accepit noster BLANCHARD scripto publici Tabellionis mutuo dato die 4. Februarii 1641. Ad construendam autem Eremum Dominus vir humanissimus DRILLOT II. Archidiaconus Vasatensis quater mille libras dono dedit, quas idem ANDREAS BLANCHARD nomine Reverendissimi Prioris Generalis acceptavit anno 1644. Quo etiam anno, die 6. Februarii, Donatio Domini QUINCARNON in publicis Curiæ Præsidialis Vasatensis Commentariis perscripta est: quorum autographum exemplum asservatur in proprio Burdigalensium Carmelitarum Archivo, anno 1641. die 13. Februarii. Vicarii Paræciæ *Bernos* suum pro ædificandâ dictâ Eremo consensum præbuerant. Et eodem anno Illustrissimus Dom. LITOLPHI Episcopus Vasatensis Literas-Patentes à Rege Christianissimo LUDOVICO XIII. postulaverat, Regiumque inde Diploma acceptum in supremo Burdigalensi Senatu inscribi curaverat die 19. Julii.

Insignia verò hæc omnia initia in fumum posteà dissolvit probrosa JOANNIS LABADIE nequitia. Hic parentibus, JOANNE-CAROLO LABADIE in arce Burgensi (id est Gallicè, Lieutenant dans la Citadelle de *Bourg*, en Guienne,) apud Aquitanos subcenturione, & N. COIBOT Catholicâ muliere natus, anno 1610. post studia Humaniorum Litterarum egregiè emensa, in Societatem Jesu ingressus, in quâ quindecim annis mansit, multam celebremque è Concionibus famam sibi concilians, sed amplam disseminandæ suæ pseudomysticæ doctrinæ viam disseminandæ non satis inveniens, eam Societatem deseruit anno 1639. die 17. Aprilis, sacerdotii gradu jamdudum insignitus. Peragratis Burdigalâ, Parisiis, Ambiano, Vasatâ, & Tolosate, ibique ob varia sua pessima dogmata, vigilantibus semper ab Illustrissimis Antistitibus in judicium vocatus & damnatus, tandem anno 1649. circà festum omnium Sanctorum, ad Eremum *Gravillæ* advenit, in quâ sob nomine *Joannis à Jesu-Christo* latens, benignè à nostro ANDREA BLANCHARD susceptus, & Eremiticâ Carmeli hujus veste indutus; aut potius tanquam divinitùs vocatus seipsum induit.

Magnalia de habitu Eliæ, quem Carmelitæ gestare gaudent, prædicans, & hujus Prophetæ spiritum atque ministerium de se affectans, ad restituendum regnum gratiæ, quod anno 1666. futurum esse fingebat, missum seipsum gestiebat. Quosdam hujus non solùm solitudinis Eremitas, sed alios etiam Eremi Aginnensis Carmelitas, quibus P. SABRE' Prior præerat, decepit. Aginnenses enim hi nonnulli solitarii, literis LABADIÆ invitati cum dicto Priore ad Eremum Gravillanam accedentes, tanquam eximio munere donandi permiserunt, ut in seipsos dictus Joannes Labadie insufflaret, spiritum eis promittens accepturis, sicut à Christo hunc acceperant Apostoli.

De bis certior factus Illustriss. Dom. SAMUEL MARTINEAU, qui in Sede Vasatensi successerat Illustriss. Dom. HENRICO LITOLPHI die 22. Maii 1645. defuncto, ad *Gravillam* die 3. Maii 1650. accessit in Comitatu Prætoris Vasatensis ejusque domesticorum. In Priorem restituit ANDREAM BLANCHARD, quem authoritate propriâ deposuerat JOANNES LABADIA; cujus & scripta hominis fanatici, in manu cujusdam Novitii Carmelitæ ea per fenestram projicere machinantis reperta, eidem Priori commisit Illustrissimus Antistes, absente ipso LABADIO à die 28. Aprilis, quâ unus Vasatensis Vicarius Generalis hanc Eremum inviserat: hinc enim aufugerat fanaticus homo, asinæ insidens, Carmelitano habitu vestitus, Crucifixi Christi effigiem in manu tenens.

Post reditum Præsulis, quæ gesta erant, Literis Eremitæ mandarunt LABADIEO, qui restituendum esse P. SYLVESTRUM in Priorem respondit, scripta omnia subripienda, & in tuto ponenda. Decepti Eremitæ nimiumque dociles fanatico viro obediunt, è manibus ANDREÆ BLANCHARD claves avellunt, scripta arapiunt, & in terram fodiunt. Per ANDREAM nostrum monitus Vasatensis Antistes, in eodem Comitatu Prætoris, & supremæ Curiæ Burdigalensis decreto

A.

creto munitus accurrit ; sed & colloquium ei denegatur, & fores occluduntur : muros scalis ascendunt, Eremitæ in Capellam sese recipiunt ; Frater BASILIUS obviam Antistiti solus advenit, crucem in humeris portans, Crucifixi Christi effigiem gestans, & Novum Testamentum suprà pectus. Septem Eremitæ jubente Prælato abducuntur, & in Æde Episcopali detinentur, usque dum ab erroribus avocati, locum in quo scripta fanatici viri servabantur, detexerint. Eremus Gravillana deseritur, partim destruitur, & ANDREAS BLANCHARO in suam Provinciam Narbonensem secedit, Vesuntionensem Conventum posteà eligens, ubì piè moritur anno 1661. die decimâ sextâ Junii.

Scripsit : *Constitutiones in Eremo Gravillanâ servandas*, quarum meminit Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1088. *num.* 3827. post Ludovicum Jacob in *Descriptione Provinciæ Narbonæ*, *Cap.* 4.

Andream Blanchard memorant etiam Urbanus VIII. Pontifex Max. in *Diplomate Apostolico* die 4. Maii, an. 1639. signato pro fundatione Eremi Gravillæ, quod exhibetur *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum pag.* 478. Hyppolitus Heliot in *Historia Monastica* gallicè edita *tomo* 1. *pag.* 339. Joannes-Petrus Niceron in *Memoriarum suarum de Viris in Re Litteraria illustribus*, *tom.* 18. *pag.* 389. & *tom.* 20. *pag.* 156. N. Goujet ibidem & in *Supplemento Dictionarii Moreriani*, *an.* 1735. edito, *pag.* 312. tomi secundi, verbo Labadie : Ludovicus Jacob jam citatus in *Catalogo Mss. Monasteriorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 62. R. P. Agatangelus Lafaurie semel & iterùm Provincialis Carmelitarum Provinciæ Vasconiæ in *Schedis Manuscriptis* Burdigalâ Aureliam ad *nos missis anno* 1742. *die* 17. *Aprilis.* Quibus annumerandus est Vir clariss. & doctiss. Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus in Epistola anonima inscripta Gallicè : *Lettre d'un Docteur en Théologie à une personne de condition & de piété, sur le sujet de l'Apostasie du Sieur Jean de Labadie, du premier Mars* 1651. *in-4°. pag.* 36. *&c.*

XCVII.

ANDREAS BOUTTIER, natione Gallus, Provinciæ Narbonæ Carmelita, ortu & professione Monasticâ Claromontanus, Sacræ Theologiæ Gradu Parisiensis Licentiatus, plurimis in Conventibus Prior, atque suæ Provinciæ semel & iterùm Præfectus, primusque in eâ anno 1619. institutæ Reformationis *Cabilone* Superior & Promotor fuit. Hic Religionis suæ primævæ verus Sectator, zelo fervens, devotione, mansuetudine, charitate & dexteritate clarus, orationi assiduus, atque mortificationi deditus, bonum Christi odorem spargens, pede suos Conventus Prior Provincialis invisebat. Quo quidem munere dum fungebatur iteratis vicibus, *Turnonio* pestem fugiens in Oppidum Arverniæ *Dapponum*, ibi mense Octobri anno 1643. obiit, honorem Sanctis conferri solitum ab incolis accipiens, quos concionibus & bono vitæ instituto jam anteà informaverat, & pia tùm ejus de vestimentorum fragmentis obtinendis devota exagitavit concertatio. Scripsit,

1. *Conciones Adventuales & Quadragesimales.*
2. *Monasticas Exhortationes.*
3. *Epistolas ad suum Institutum spectantes.*

Ast utrum earum quidpiam Manuscriptum supersit in Bibliothecis suæ Narbonæ Provinciæ, penitùs ignoro.

De illo celebrem habent mentionem Acta Mss. Priorum Provincialium hujus Provinciæ Narbonæ : Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. Monasteriorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 62. Philippus Chaudeau *in Schedis Mss.* ad nos Lugduno Aurelias *missis anno* 1741. *die* 2. *Julii* ; cum hoc tamen discrimine, quod Andream Bouttier Philippus Doctorem Sorbonicum, Ludovicus autem Licentiatum Parisiensem appellet. Utri eorum fidem dabimus ? Ludovico Jacob coævo, & præ manibus habenti Catalogum Doctorum Carmelitarum Parisiensium.

XCVIII.

ANDREAS A CASTRO, cognomen accepit, qui ex honesta Familia oriundus ANDREAS FERRARO vocabatur : quia in *Castro Regali*, quod Oppidum est amplum Siciliæ in agro & Diœcesi Messanensi natus est. Vestem Carmelitanam induit & professus est in Provincia *Montis Sancti*, in quâ præclaram nominis famam sibi comparavit, tum disciplinas edocendo, tum conciones dicendo. Singulas suæ Provinciæ Dignitates, atque Præfecturam bis postquam sustinuisset, obiit Neapoli die 24. Julii 1685. Edidit fortè,

1. *Gli Trionfi dell' Inoncenza*, *Rappresentazione Spirituale* 1651. De isto opere loquitur Leo Allatius in *Drammaturgia* ; & Prosper Mandosius illud adjudicat ANDREÆ FERRARIO ROMANO, in sua *Bibliotheca Romana*, *Cent.* IV. *num.* 72. *pag.* 258. Eumdem vero atque nostrum ANDREAM A CASTRO asserere non auderem.

2. *Alia Opera* certa reperies inferiùs, verbo, ANDREAS FERRARO.

XCIX.

ANDREAS DE CONFLUENTIA, sic cognominatus ab Urbe, in qua natus est, & quæ sub dominio Electoris Trevirensis, ad confluentes Mosellæ in Rhenum fluvium distat à Coloniâ decem milliaribus in Meridiem, apud Gallos dicta *Coblentz*. Noster autem ANDREAS gentilitio cognomine appellabatur HEETWTEH. Carmeli Coloniensis alumnus, in Academia ejusdem Civitatis absoluto studiorum tum Philosophiæ, tum Theologiæ studio, Lauream Doctoralem fuit promeritus. Anno 1470. in suo Cœnobio vices Prioris, & in Sacra Facultate personam Decani sustinebat, quandò votum dedit die 11. Octobris circa Propositiones PETRI DE RIVO in Sacra Facultate Lovaniensi Baccalaurei. Obiit Coloniæ die 26. Augusti, anno 1476. postquam scripsisset,

1. *In Libros* IV. *Sententiarum lecturam.*
2. *Sermones per annum. Lib.* III.
3. *Votum* seu *suffragium* propriâ Syngraphâ munitum *circa propositiones de futuro contingenti* per Petrum de Rivo Lovaniensem Baccalaureum propugnatas, de quibus judicandis anno 1470. die 11. Octobris, ut jam diximus, indicta & celebrata fuit Congregatio facultatis Theologiæ Universitatis studii Coloniensis in Monasterio Prædicatorum ad horam primam post meridiem : sicuti legere est apud illustriss. Dom. Carolum du Plessis d'Argentré, Tudelensem Episcopum, in *Collectione Judiciorum de novis erroribus* ; *tom.* 1. *parte* 2. *pag.* 273.

Andream de Confluentia commendant Joannes Trithemius Lib. de *luminaribus Germaniæ* : Josias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ* : Jacobus Frisius *ibidem*, *pag.* 42. *col.* 2. Ludovicus Jacob in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mss.* PAGINA XVII. quæ nobis prima est autographa hujus Bibliothecæ, quia sexdecim aliæ priores ab otiosis hominibus indè distractæ fuerunt & avulsæ. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Carmel. pag.* 66. Daniel à

Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 1096 num. 3872. & pag. 1099. num. 3895.*

C.

ANDREAS CORSINUS (Sanctus) de nobilissima Stirpe Corsina, jampridem supremi Magistratûs administratione, belli pacisque rebus gestis clarissimâ, Nicolao & Peregrinâ parentibus, effusis in Cœlum precibus, & Cœlestis Reginæ beneficio impetratus, sub anno 1301. ortum duxit Florentiæ Hetruscarum in Urbium flore. Ubì & Carmelitanam Vestem induit circa annum 1316. Hujus humilitate ac obedientiâ exploratâ satis, de more Patres ad professionem admiserunt anno sequenti 1317. bonarum studiis divinis humanisque litterarum instructus ad eam pervenit ætatem, in quâ de primo Sacro Missæ offerendo cogitatum est. Corsini omnes statuunt, ut eam cantaturus oblationem magnis apparatibus, ingentique pompâ celebraret. Sed Andreas, habitâ prius à Priore Provinciali licentiâ, secessit in Conventum *Silvarum* in Florentina Civitate septem millibus passibus dissitum; ibique immaculatum Sacrificium Deo acceptissimum novus Sacerdos immolavit.

Anno 1329. in Comitiis generalibus apud Pisas celebratis Andreas Joanne Alerio supremo Ordinis Carmelitici Moderatore Lutetiam Parisiorum deputatus est; incredibili autem Scientiarum divinarum amore captus, dies noctesque in libris evolvendis ità opportunè & feliciter operam navavit, ut immenso trienni Theologico cursu indè fuerit evocatus. Avenionem versùs rediens, PETRUM CORSINUM, quem posteà URBANUS V. inter Cardinales accersivit, patruum visitans, ibidem per aliquod tempus detinebatur. Quo tempore cæcum quemdam, qui ad portam Templi sedens Cathedralis, à prætereuntibus eleemosinam petebat, invenit, ac aspersione aquæ lustralis lumen præstitit stirpem postulanti. Anno autem 1345. in Capitulo Mediolanensi, inter designatos ad legendum Biblia Parisiis pro septimo anno refertur, sub PETRO RAYMUNDO Generali, dum Priorem Cœnobii Florentini gereret P. VITALIS DE ARTIGOSA. Sunt qui asserant nostrum ANDREAM quo tempore commoratus fuit Avenione, vices Procuratoris Ordinis exercuisse, absente Petro Thomâ; verum, quicquid sit; absolutâ Parisiis lecturâ Bibliorum, in patriam reversus, Florentini Monasterii Prior factus est anno 1347. Si ad id muneris assumptus non fuerit anno 1337. ut opinari videtur Lezana, qui eum censet Provincialatu Thusciæ insignitum interfuisse in Capitulo Generali Merensi anno 1348. tandem ob mortem FULIGNI CARBONI Episcopi, qui eo anno contagii labe periit, ad Episcopatum Fesulanum assumptus fuit anno sequenti 1349.

Ad hanc Sedem confirmatus fuit à CLEMENTE VI. tertio Idus Octobris, anno octavo ejusdem Pontificis, qui jam memoratus annus est 1349. Undè corrigi debent Autores illi vitæ ipsius, qui assumptionem istam ad Episcopatum dicunt contigisse anno 1359. vel anno 1360. ut putat BOLLANDUS, vel anno 1362. ut opinatur PETRUS-THOMAS SARRACENUS: Ipse autem ANDREAS timens ne sub tanto premeretur onere, tertio milliario ab Urbe apud Carthusienses latitavit. Quapropter Canonici cæterique apud quos jus erat, illum per omnem Provinciam quæri jubent: sed ubi nequeunt eum invenire, iterum Congregatio de revocandâ electione decernitur; & dum illorum vacillantia corda in ambiguo versarentur, Infans coram frequenti cœtu dixit: *Elegit Deus Andream in Sacerdotem sibi; ecce enim apud Carthusienses orat; ibi eum invenietis.*

Hæc narratio, quam ex *Surio Lezana* hausit non omninò congruit verbis CLEMENTIS VI. in Epistola 135. ad ANDREAM nostrum datâ: in quâ Summus is Pontifex testatur se XIV. Kalendas Martii, Pontificatûs sui anno secondo provisiones omnium & singularum Ecclesiarum Cathedralium in partibus Tusciæ consistentium, ad quarum regimina Prælati earum consoeverunt, seu debent per electionem assumi, tunc ubicunque vacantium sibi reservasse. Quam quidem reservationem attendens FRANCISCUS VENTURIUS de S. Severo Episcopus, electionem ANDREÆ in *Vitâ* ejus, *Cap.* 5. sic paucis mutatis enarrat.

» Folgineo Carbone Episcopo Fesulano, viro pio
» ac prudenti, pestilentiâ è vivis sublato, Clemens VI.
» Summus Pontifex, seu Clero Fesulano suggerente,
» ut temporum mores tum ferebant, seu tum exi-
» miæ ejus (ANDREÆ) sanctitatis ut verisimilius
» videtur, opinione permotus, Andream Episcopum
» Fesulanum renuntiavit, literasque ejus rei, ut moris
» est, ad eum & Clerum, populumque Fesulanum
» dedit, anno ejus sæculi quadragesimo nono. Quod
» adeò non solùm præter spem sed omnem prorsùs
» expectationem Andreæ contigit: ut nuncio accepto
» statim, ut eum honorem evitaret, se in fugam de-
» derit, latebrisque abdiderit; cumque diu jam, fru-
» strà quæsitus fuisset, & ejus inveniendi parùm spei
» superesset, Ecclesiæ Fesulanæ Canonici quid agen-
» dum esset inter se consultabant. Tunc Deus, qui
» ex ore infantium perficit laudem, suscitavit spiri-
» tum pueri triennis, qui magnis vocibus exclamavit,
» *Elegisse Deum Andream Sacerdotem sibi, proindè*
» *in Ecclesiâ quâdam non longè ab Urbe eum oran-*
» *tem inventuros.*

Ad hujus igitur Ecclesiæ administrationem, manifestâ Dei vocatione assumptus Andreas, eâ curâ divinum ad cultum incubuit, eâ vigilantiâ animarum saluti prospexit, eâ demùm sanctimoniâ opus sibi divinitùs demandatum explevit, ut meritò omnibus Ecclesiarum Pastoribus absolutissimum exemplar esse possit. Ingentem pecuniarum vim, non solùm in sublevandis pauperum miseriis profudit, sed etiam in excitandis, instaurandisque sacris ædificiis; adeò ut sæpè numero admiratio animum subeat, undenam tam ingens pecuniarum copia illi ad tantos sumptus sustinendos suppetierit. Satis enim constat, Ecclesiæ illius proventus haud sanè amplos tunc fuisse. His etiam accedunt, quas ut sodalibus suis Carmelitis gratificaretur, expensas fecit. Nam & ipsorum Ecclesiam ex parte labentem restituit, & Bibliothecam plurimis, optimisque Sanctorum Patrum Codicibus locupletavit, aliisque eos quàm-plurimis beneficiis affecit.

Sedem Apostolicam eo obsequio & cultu venerabatur, ut nihil ampliùs desiderari posset: singulis etenim annis, aut ad summum bienniis, Legatos ad obsequium ei exhibendum, & de Ecclesiæ suæ statu referendum destinabat; ejusque mandatis non solùm promptissimè parebat, sed etiam cum se occasio offerret, jussa officiis præveniebat. Multus etiam erat in componendis discordiis, quæ inter cives Florentinos assiduè oboriebantur; nec solùm privatim odiorum semina familiaribus colloquiis opprimebat, sed & in publicis Concionibus de christianâ charitate, civilique concordiâ sæpenumerò sermonem instituebat. Quæ cum famâ evulgarentur, in causâ fuêre, cur ejus potissimùm operâ, in componendis civilibus Bononensium contentionibus Urbanus V. circa annum 1368. uteretur. Tandem sanctitate, spiritu prophetico, miraculorum gloriâ & eruditione clarus, Fesulæ obdormivit in Domino die 6. Januarii 1373.

Quamvis is S. Præsul Testamento cavisset, ut suum corpus Florentiæ in Carmelitarum Ecclesiâ sepulturæ

A.

mandaretur; non permiserunt tamen Fesulani Montis accolæ se tanto thesauro spoliari; sed in Cathedrali Æde, ut honorificè conderetur, curarunt. Quod deindè iidem Carmelitæ, noctu, piâ fraude clam sublatum, in eorum Ecclesiam asportarunt: ubi hactenùs asservatur in sublimi marmoreo Sepulchro, signis, picturisque, ut ea ferebant tempora, egregiè exornato, incorruptumque populo ad hæc usque tempora colendum ostentatur. Epitaphium ibidem marmoreæ tabulæ inscriptum, pio magis quam erudito stylo Coluccius Salutatus, Reipublicæ Florentinæ ab Epistolis secretis, magnique suâ ætate in Literis nominis scripsisse fertur his versibus:

Montis Carmeli de Religione vetustâ
Raptus ad Ecclesiam Fesulcamque Mitram.
Progenie celebris, virtute celebrior omni
Hoc de Corsinis marmore subtegitur,
Andreas Christi famulus de jure vocatus,
Numinis æterni totus in obsequio.
Virtutis cultor, Pater auxilitor egenis,
Exemplo vitæ mirus & eloquio:
Qui, qualis fuerit miracula multa fatentur,
Quæ Deus ostendit Corporis ad tumulum.

Complura multis utilia scripsit, teste Arnoldo Bostio, Lib. de Viris illustribus Ordinis Carmelit. Cap. 15. sed quæ ad nostram pervenerunt notitiam, hæc sunt,

1. *Commentaria in Sacram Scripturam*, quæ Parisiis dictavit, quo tempore illic commoratus est, à Capitulo Mediolanensi anno 1345. deputatus est ad Biblia Sacra in ista celeberrima Academia legenda. Quæ fide Ludovici Jacob citat Jacobus Lelong in Bibliotheca Sacra, *pag.* 58. *col.* 2. *B.*

2. *Sermones plurimi.* Cum enim præclarè diceret, & ob insignem Sanctitatis famam jam omnibus venerabilis esset, quam plurimi non solum ex proximis villis, sed etiam ex Florentina Civitate ad ipsum audiendum confluebant: inquit Franciscus Venturius in *ejus vita*, *Cap.* 6.

3. *Edita Episcopalia*, quibus Clericos suos ad residentiam coegit. Nam, ut omnes apud Ecclesias suas residerent, perpetuis edictis, singulis annis cavit, pœnisque inflictis, reluctantes ad officium compulit, teste eodem Venturio, *ibidem*.

4. *Leges Ecclesiasticæ, fœnora criminosa & matrimonia clandestina damnantes.* Nam quamvis permulta essent vitiorum capita, quæ sanctissimo amputanda fuerunt; duo tamen præcipuè multùm ei negotii, ac laboris attulêre. Nam & commercia contractusque, qui promiscuè fiebant, sæpè vetiti fœnoris crimini obnoxii erant: & matrimonia plerumque inter personas Sacris Legibus prohibitas, ac sæpius furtim, & absque ullâ Ecclesiæ solemnitate, aut etiam scientiâ firmabantur. Ex quibus duobus teterrimis fontibus, quam ingens animarum pernicies longè latéque grassaretur, nemo est qui non videat. His Beatus Andreas omni Ecclesiasticæ Disciplinæ vigore obviavit, eorumque ora oppositis Sanctissimis legibus obstruxit; nec paucos sanè contractus usurarum titulo damnatos, irritos reddidit, multorumque connubia contrà Ecclesiastica Decreta sancita rescidit diremitque. Ac ne deinceps clam & absque Sacerdotum notitiâ celebrarentur, severissimis edictis statuit; ut ait idem Venturius.

5. *Liber expensarum*, quas fecit in *Domo Episcopali Fesulanâ ac in Cathedrali Ecclesiâ.* Hic liber propriâ manu Sancti Andreæ descriptus, reperitur in actis & processu ejus Canonisationis, asservatis Romæ in Archivo Conventûs S. Mariæ Transpontinæ: & fragmenta nonnulla illius libri, quæ probant hujus Sancti Præsulis munificentiam in Pauperes, nec-non sollicitudinem in Episcopali munere obeundo, prodierunt Antuepiæ an. 1680. *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 264. *num* 955.

6. *Liber Actorum Curiæ Episcopalis* Fesulanæ, in quo inter alia legitur, quod » anno Domini 1349. » Reverendus in Christo Pater & Dominus D. F. Andreas Dei gratiâ Episcopus Fesulanus fecit & constituit suum Syndicum & Procuratorem ad petendum » & recuperandum omnia legata relicta Pauperibus, » & pro infrà-inscriptis in his constituit, cum patientiâ » & dispensatione Pauperum, Fratrem Salvium An» dreæ Ordinis Carmelitarum præsentem, &c. « Hic Liber Mss. Notarii publici manu subsignatus reperitur in actis & processu S. Andreæ Canonizationis, asservatis Romæ in Archivo Carmelitarum Conventûs S. Mariæ Transpontinæ; & fragmentum modò allatum prodiit editum, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 265. & 266. *num.* 958.

7. *Liber Instrumentorum & procurationum* tempore D. F. Andreæ Episcopi Fesulani. In isto libro legitur quod » anno Domini 1365. Indictione 4. die » 11. Novembris, Reverendus in Christo D. F. An» dreas, Dei, & Apostolicæ sedis gratiâ Episcopus » Fesulanus, omni viâ, jure, & modo quibus melius » potuit, constituit, & ordinavit suos veros legitimos » Procuratores & Nuntios speciales discretos Viros » M. Bartholomæum Francisci de Pistorio Scriptorem » & abbreviatorem Domini Nostri Papæ, Andream » Tini, & Baynum Philippi de Pistorio, Mercatores » Romanam Curiam sequentes, nominatim ad visitan» da limina Apostolica pro eo, pro quocunque bien» nio, & comparendum, & se præsentandum coràm » Sede Apostolicâ, & Domino Papâ Urbano præsenti » futuro, & quamcumque reverentiam & obedien» tiam exhibendam &c... Actum Fesulis in Episco» pali Palatio &c. » Pro annis aliis similia sequuntur mandata procuratoria de visitandis liminibus Apostolorum, & ad comparendum coràm Sede Apostolicâ. Quæ Mss. asservantur in dicto Carmelitarum Cœnobio S. Mariæ Transpontinæ, & partim edita prodierunt jam citato *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 266. *num. eod.* 958.

S. Andreæ Canonizationis in Album Sanctorum relati anno 1629. die 22. Aprilis, Acta leguntur eodem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 257. *num.* 904. *& seqq. nec-non tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 323. 419. & 421. Ipsius porrò vitam, gesta, & miracula, plures gravesque Autores scripserunt, specialiter

Franciscus Catanius Dacettus, Fesulanus etiam Episcopus, in gestis Fesulanorum Pontificum. Laurentius Surius *tomo* 1. *die* 6. *Januarii.* Zacharias Lippeolus, *tomo* 1. Gabriel Flamma *volum.* 1. Alphonsus Villegas de *vitis Sanctorum.* Franciscus Haræus: Petrus de Rebadeneira. Joannes-Petrus Maffeus, omnes de *viris Sanctorum.* Silvanus Razzicis de *Sanctis Hetruriæ.* Abraham Bzovius & Odericus Raynaldus in *Annalibus Ecclesiasticis*, *ad annum* 1373. Franciscus Venturius Episcopus de Sancto Severo. Fridericus Chrystophanus; Joannes Bollandus in *Actis Sanctorum* pro die 30. *Januarii*: ubi duplicem ipsius vitam sequitur; alteram ex *Codice Manuscripto* 3813. Vaticanæ Bibliothecæ notis illustratam per Dominicum à Jesu Carmelitam Excalceatum, & breviorem aliam ex Manuscripto Monasterii *Rubea Vallis* Canonicorum Regularium in *Soniâ Silvâ* juxtà Bruxellam. Joannes-Baptista Deti Episcopus Portuensis, S. Rom. Ecclesiæ Cardinalis in Relatione factâ in Consistorio secreto coram SS. D. Urbano Papa VIII. & Cardinalibus, quæ Typis prodiit *tomo*

2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 238. *num.* 834. *& seqq.* Comes Antonius de Montecatino Coosistorialis Aulæ Advocatus in *Oratione habitâ coràm* eodem Pontifice Maximo & Cardinalibus, in Consistorio publico, ibidem, *pag.* 240. *num.* 844. *& seqq.* Joannes Ciampolus Secretarius Apostolicus, & ejusdem Urbani VIII. Domesticus, in *Responso* illie dato, *ibidem*, *pag.* 241. *num.* 848. Ferdinandus Ughellus in Italiæ Sacræ tomo 3. pag. 329. Giry in *vitis Sanctorum* Gallicè editis, *ad diem* 4. *Februarii.* Adrianus Baillet *ibidem.*

E Carmelitis Petrus Andreas de Castaneis, cujus Codex Manuscriptus, quo usi fueruut Bzovius & Odericus, asservatur in Bibliotheca Vaticana *tomo* 4. *Inventarii*, *Codice* 3813. citato apud Bernardum Montfaucon in *sua Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tomo* 1. *pag.* 110. *col.* 2. *A.* Eam tamen suspectam habendam esse asserit jam nominatus Adrianus Baillet in *Tabula critica ad diem* 4. *Februarii*: At quæ sit suspicionis nota non designat. Arnoldus Bostius in *Speculo Historiali Lib.* VIII. Vitam S. Andreæ Corsini distribuit in sex Capita: Et ejusdem tenoris extat in vetusto Codice Ms. Carmeli Mechliniensis (in quo alia plura sunt Monumenta vetustiora Ordinis hujus) exarato anno 1484. hæc autem Mechliniensis est eadem cum ea quam ex Joanne Gillemanno, seu Manuscripto Rubeæ Vallis PP. Bollandus & Henschonius inseruerunt *Actis Sanctorum tomo* 2. *Januarii*, *ad diem* 30. *secundo loco*; si Prologum excipies, qui diversus est in Codice Mechliniensi Ms. *folio* 162. & editus prodiit *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 236. *num.* 826. Vitam istam, quam edidit Surius, & suis Annalibus frustratim inseruit Joannes-Baptista Lezana, agnoscit Adrianus Baillet esse scriptum ab Autore S. Andreæ ferè coætaneo, aut paululum suppare: sed eam à Carmelitis infartam (gallicè) *qu'elle a été fourrée par les Carmes*; fuisse deblaterat; nullo tamen cujuspiam assignato farturæ indicio.

Enimverò Carmelitas interpolationis reos universim appellat. Totusne Scriptorum hujus Ordinis Chorus in judicium vocandus est? An Joannes Grossi, qui clarere cœpit anno 1389. & obiit anno 1437. An Joannes Oudewater seu Palæonyderus, qui scripsit anno 1495. Balduinus Leertius, qui mortuus est anno 1483. Arnoldus Bostius tum *Lib.* II. *de Patronatu B. V. Mariæ*, *Cap.* 9. tum *Lib. de Viris illustribus Ordinis Carmelitici Cap.* 15. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *folio* 4. *verso.* Daniel à Virgine Mariâ in *vineâ Carmeli*, pag. 491. num. 836. Ludovicus Jacob in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 17. Sed hi homines pauca dixerunt de S. Andrea Corsino. An Petrus-Thomas Sarracenus in *Menologio Carmelitarum*, *pag.* 335. *& seqq.*? An Joannes-Baptista Lezana in *Annalibus Ordinis*? An Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli* Religiosi, *parte* 1. *pag.* 152. Ast hi Surium secuti sunt, à quo Scriptores recentiores sua hauserunt sensa? An Marcus Antonius, Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 308? Verum prosâ scripsit vitam S. Andreæ Corsini, quam metro cecinit Dominicus Valerianus, Rector Parochialis Ecclesiæ *S. Joannis in fonte* Ravennæ Civitatis. Tandem Codex Ms. Rubeæ Vallis vitam S. Andreæ Corsini sub iisdem ferè titulis habet, quod exhibet Codex Ms. Bibliothecæ Vaticanæ. Majori sanè suspicione Adrianus Baillet S. Andream Corsinum scribens anno 1359. Episcopum Ordinatum, quem certa Monumenta probant ad Sedem Fesulanam assumptum fuisse anno 1349. dignus æstuat. *Vide Speculum Carmelitarum tomo* 2. *pag.* 335. *num.* 820. *& seqq.*

C I.

ANDREAS A CRUCE in seculo dictus LAO, natione Siculus, patriâ Catanensis, die 13. Februarii 1614. natus, antiquiorum Carmelitarum Institutum à teneris annis amplexus est. In eo gravioribus scientiis insigniter excultus, adeptam doctrinam virtutum splendoribus illustravit: ideóque ad nonnullos honorum gradus ascendit, ab incomparabili morum integritate & egregiâ doctrinæ excellentiâ promeritos. Philosophiam ac Theologiam, non sine plausu, Sodales suos docuit, ab ingenii acie demiratus. Studiorum, ut vocant, Regens & Præfectus effulsit in Regni Neapolis Cœnobio, & alibi; ac Sacræ Theologiæ laureâ ornatus est. In Publicâ Patavinâ Academiâ, Sacrarum Litterarum explanator, eximiam eruditionem detexit. Anno 1640. ætate adhuc florente, Siculam Provinciam S. Alberti insigni prudentiæ laude moderatus est: in eâque Provinciâ Visitatorem, & (ut dicunt) Reformatorem & Commissarium Generalem egit.

Indè arctioris vitæ desiderio exstimulatus, ad Carmelitas Excalceatos transiit anno 1647. accepto nomine ANDREÆ A CRUCE. Sed tanti viri jacturam ægrè ferens Carmelitarum Antiquiorum cœtus, hunc discessum irritum tentavit: hinc per annos quatuor apud sacram Congregationem ab his Ordinibus disceptatum, & ex utrâque parte pugnatum pro hujus doctissimi ac illustrissimi Viri regressu, ac tuitione, sed tandem adjudicatâ primævo Ordini causâ anno 1651. ut ipse refert Andreas Leo in limine *tom.* 2. *Theologiæ suæ*, & Lezana in suis Consultationibus, *Consultat.* 17.

Andreas ex obedientiâ ad dimissum institutum remeare coactus est, ut gravis culpæ & apostasiæ notam declinaret. Nec minori existimatione exceptus hujus regressus: idcóque ab his ad Procuratoris Generalis, semel ad Vicarii Generalis munera sui Ordinis assumptus est. Quo ipsum in pretio habuère Romani Pontifices, ex eo colligimus, quod inter Consultores sacræ Rituum Congregationis ascripsere; Congregationis SS. Inquisitionis Censorem, & Episcoporum Examinatorem delegerunt. Alexander VIII. *Reverendissimi* titulo exornavit anno 1665. die 28. Martii Apostolicis Literis datis Andream, & ut primum suffragium post Vicarium Generalem haberet in Generalibus Ordinis Comitiis decrevit.

Concionaturis munus egregiè exercens, inter celeberrimos ævi sui Ecclesiastes, qui eloquentiæ gloriâ Italiam illustrarunt, meritò cooptatus est. In præcipuis Europæ Civitatibus Conciones habuit, semper faustis omnium acclamationibus auditus: & multoties ad eadem pulpita instanter revocatus. Ob sacræ eloquentiæ vires, ac zelum in excitandis ad pœnitentiam, & virtutes populis, Concionatorum Pater, sacrarum Literarum familiaris Doctor, populorum ac plausuum Magnes, passim vocatus. Dum *Romæ* in Vaticanâ Basilicâ è suggestu orabat singulari laude, & incredibili audientium frequentiâ, pluries CLEMENS IX. ad ipsum audiendum accessit. *Neapoli*, cineralis jejunii Conciones in Ecclesiâ *S. Joannis Majoris* eo excepere plausu viri docti, ut nonnulli libellum Poëticis encomiis concinnarunt, quem hoc titulo prænotatum typis tradidere Neapoli anno 1643. nempè *Sacre acclamationi alle Glorie sublimi del M. R. P. Andrea Lao.*

Ob virtutum splendorem, doctrinæque opinionem, & ubertimis animarum lucris, quæ declamando assecutus est, omnium venerationem sibi conciliavit. Proceribus ideoque carus fuit S. R. E. Cardinalibus & Episcopis jucundus, ac omnibus gratissimus, qui eundem veluti singulare Carmelitici instituti, Romanæque

A.

næque Aulæ ornamentum intuebantur. Tandem virtutibus, doctrinâ, & honoribus cumulatus, è vivis abiit Genuæ, 23. Decembris anno 1675. relictâ apud mortales clarissimi nominis famâ.

Edidit plurima opera inferiùs nominanda, verbo *Andreas Lao.* Sed veste Carmelitarum Excalceatorum indutus & nomine *Andreas à Cruce* appellatus typis mandavit.

In primam partem D. Thomæ Disputationes Theologicas à Quæst. 1. usquè ad Quæstionem 23. inclusivè. Tomo primo. Genuæ apud Joan. Mariam Ferroum, 1650. *in-folio*; cujus mentionem habet Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 14.

CII.

ANDREAS DIENNENSIS, à Villâ *Dienna* ab Aurilliaco duodecim millibus dissitâ in Diœcesi Floropolensi, sic nuncupatus, Provinciæ Aquitaniæ Carmelita celeberrimus, staturâ pusillus, sed famâ magnus. Decennio Theologiam suos edocuit sodales, posteà duodecim annis tyrocinio Novitiorum præfuit Magister, ex quo in Pedemontium monente Christianissimo Rege LUDOVICO XIV. missus fuit, opus Reformationis à *P. Valentino* inchoatum completurus. Taurinense & Niciense Cœnobia successivè Prior rexit. Reformatos juvenes Pedemontii Carmelitas Theologicis disciplinis quadrennio imbuit, eâ Conventione factâ ut singulis Capitulis Provincialibus Conventus reformandus aliquis adhiberetur usque ad integram totius Provinciæ Pedemontanæ reformationem: in quâ singularis & eximiæ pietatis exemplis relictis ad suam Aquitaniam rediit: alternis vicibus Prioris & Magistri Noviriorum officio functus est vir summæ pœnitentiæ exercitiis addictus, sarmenta pro lecto & lapidem pro cervicali habens, atque flagellationes usque ad sanguinis copiosam exercens effusionem, quâ & pavimenta cruentabat. Anno Christi 1729. die 2. Februarii non sinè magnâ sanctimoniæ famâ, obiit *Albiæ*, ætatis suæ anno 92.

Summam D. Thomæ adeò memoriter callebat, ut in familiaribus colloquiis opportunè & subitò quæstionem & articulum recitaret, quibus & quemdam sanctorum Patrum textum adderet. Inter varia ejus Opera Theologica recensetur Egregius *de Sacrâ Scripturâ Tractatus* Ms. quo usus est R. P. Joannes-Baptista Charmes, qui Sacram Theologiam *Albiæ* profitebatur, anno 1728.

Præterea Scripsit *Methodum recitandi Sacrum Rosarium*: cujus & apographum Ms. asservatur apud eumdem R. P. Joannem Charmes. Methodus hæc quam suis Novitiis servandam tradiderat, & post Matutinas mediâ nocte horas recitatas, ab eis impleri curabat Andreas, versus quatuor Sacra Mysteria explicantes, continet ad finem cujuslibet Salutationis Angelicæ recitandos; teste eodem R. P. Charmes in *Schedis Mss.* ad nos missis, *pag.* 16.

CIII.

ANDREAS AB EPIPHANIA, natione Hispanus, patriâ Cordubensis, sanctitatis & eruditionis, ab ipsis professionis apud Carmelitas Excalceatos emissæ anno 1642. initiis nonmodica specimina dedit. Dignitatum libenter oblatarum apprimè contemptor, paupertatis eximius cultor, in solitudinis laboribus exercitatissimus, obiit in Eremo *Sanctæ Mariæ ad Nives*, Superioris Vandaliæ, anno 1702. ætatis 68. reliquit in eâdem Eremo præclari ingenii monumentum.

Tractatum de virtutibus & vitiis: in-4°. folia *Mss.* 450. complectentem; prout legit Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibl. Carmel. Excalceat. pag.* 14.

CIV.

ANDREAS FESULANUS A S. TERESIA, Polonus natione, Carmelita primum antiquioris observantiæ regularis alumnus. Qui, postquam in Poloniâ Vicarii Provincialis, & in Bohemia Commissarii Generalis officium aliquot annis, magnâ cum laude & prudentiâ administrasset, à Calceatis ad Excalceatos Carmelitas anno Christi 1629. transiit. Multos hæreticos ad fidem Catholicam, peccatores ad pœnitentiam *Pragæ* convertit: plurimumque pro animarum salute ac gloriâ Dei promovendâ laboravit. Vir pietate & eruditionis famâ præclarus, divinæ gloriæ zelo valdè fervidus & cupidus, omnium vitiorum osor, omniumque virtutum cultor & amator celeberrimus. Obiit Cameneci in Polonia circà annum 1651. postquam edidisset,

De Jubilæo & Indulgentiis tractatum: Pragæ, 1625. *in-4°.*

Ità scripsit de eo Paulus ab omnibus sanctis Carmelita Excalceatus in *Schedis Mss.* ad Ludovicum Jacob missis, quas hic in *Bibliotheca Carmelitana sua Ms.* memorat, *pag.* 18.

CV.

ANDREAS FERRARO dictus, quia ex honestâ familiâ FERRARIA, & à CASTRO, quia in civitate *Castri regalis*, Diœcesis Messanensis in Siciliâ ortum habuit. Regularem disciplinam Provinciæ Reformatæ, & ut vocant, primi instituti *Montis Sancti* inter Carmelitas antiquiores amplexus est.

Exacto studiorum curriculo, clarissimam nominis famam sibi comparavit; sivè è suggesto declamando, sivè è Cathedrâ Docendo. Concionatoris munere, pluries in cinerali jejunio eruditionis ac eloquentiæ ubertatem patefecit in præcipuis Siciliæ & Italiæ urbibus: dicendi copiæ pondus non leve addidit fervidus animarum zelus. Philosophiam & Scholasticam sodales suos docuit cum doctrinæ laude.

Pro meritis exigentibus, ad nonnullos Ordinis honores evectus est; fuitque in cœnobio Neapolitano studiorum Præfectus: Conventûs *Montis Sancti* bis Prior; Provinciæ Montis Sancti Definitor, Vicarius Provincialis; ipsamque Provinciam semel & iterum rexit primâ vice, ex nominatione factâ per ALEXANDRUM VII. Pontificem Maximum anno 1658. die 12. Aprilis. Doctrinam morum integritate, ac virtutum splendore exornavit. Tandem vitæ sanctimoniâ, ac religiosæ disciplinæ zelo insignis, obiit *Neapoli* die 24. Julii 1685. Edidit,

1. *Intelligentias Divinas Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Carmelitarum, Lib.* VII. Neapoli, Typis Hyacinthi Passari 1666. *in-folio*, Latinè.

2. *Divini Amoris Spicula S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis.* Ibidem apud eumdem. Anno 1673. *in*-16. Italicè.

3. *Discorso Funerale nella morte dell' Ill. Sig. D. Diego Marotta Presidente di Giustitia nel Regno di Sicilia.* Panormi apud Augustinum Bossium, 1661. *in-4°.*

4. *All' una delle due discorsi disingannanti*, Neapoli apud Hyacinthum Passarum 1667. *in-4°.* & iterum apud eumdem 1679. *in-8°.*

5. *Sacra Novena Problematica dell' Incarnatione del verbo per li giorni d'innanzi il parto di Maria Vergine.* Neapoli apud Hyacinthum Passarum, 1679. *in-4°.*

6. *Compendio della Vita di S. Maria-Magdalena de Pazzis Carmelitana.* Ibidem apud eumdem 1669. Et iterum Panormi apud Petrum de Insulâ, anno 1669. *in*-16.

A.

7. *Saette d'Amor Divino di S. Maria-Maddalena de Pazzis Carmelitana;* Neapoli apud Hyacinthum Passarum, anno 1674. *in-16.*

8. *L'Imparadisata Maria Predica della Lettera dic Maria Vergine à Messinesi.* teste Placido Reina loco mox citando.

Andream Ferraro à Castro Commendant Placidus Reina, in *Notis Histor. Messanæ, parte 2. pag. 56.* Daniel à Virgine Mariâ, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1070. *num.* 3723. Marcellus Baro, in *Carm. Sacr. pag.* 80. Antonius Mongitor, in *Bibliotheca Sicula, tom.* 1. *pag.* 27. Prosper Mandosius, in *Bibliotheca Romana Centur.* 4. *num.* 72. *pag.* 258. Romanum quemdam profert Andream Ferrarium, qui evulgavit anno 1651. *Gli trionfi dell' Innocenza, Rappresentazione Spirituale.* De hoc etiam mentionem habuit Leo Allatius in *Drammaturgia;* ut dictum est, verbo, *Andreas à Castro.*

C V I.

ANDREAS A SANCTO GABRIELE, Belga, Carmelita Excalceatus, Provinciæ Belgicæ S. Joseph; vir pietate & doctrinâ clarus, scripsit circà annum 1668.

De *Solitudine Beatæ Virginis Mariæ Librum:* teste Ludovico Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 18.

C V I I.

ANDREAS GARGSI, Genuensis Carmelita, Provinciæ Longobardiæ alumnus; à Reverendissimo Priore Generali Neapolim ad Majorem Conventum missus est; in quo Sacram Theologiam suos sodales magno eruditorum virorum applausu etiamnum triginta annos natus docet; atque literarum humaniorum peritiâ clarus, nec-non variarum disciplinarum aggregatione præstans, Academiæ Neapolitanæ inter socios ascitur, *Schedas Manuscriptas,* in quibus, Indiculo Alphabetico, *Scriptores Carmeli Majoris & eorum monumenta* atque horum fagacem *Censuram* exhibet & recenset, missas Neapoli Aureliam anno 1747. elucubravit, dum alia opera juri publico dederit.

C V I I I.

ANDREAS A SANCTO GREGORIO, Carmelita Excalceatus, è *Clavaro* natus, sacro Fonte nuncupatus ANDREAS COSTAGUTUS, Bononiæ anno 1659. edidit volumen prænotatum: *Theatrum virtutum,* quo Alexandri VII. Pontificis Maximi virtutes & laudes explicat, ut Michaël Justinianus in *prima parte Scriptorum Ligurum* refert, teste Augustino Oldoino in *Athenæo Ligustico, pag.* 23. qui & ibid. *pag.* 578. notat quod,

Clavarum, aliis *Claverinum,* & à Georgio Merula *Claverium* nuncupatum, Oppidum est mediterraneum; sed non multum à mari Ligustico Orientali dissitum, circa annum salutis 1167. à Genuensibus, ad ostia fluvii Athelæ, vulgò *Lavagna* in planitie excitatum. Distat à Genua, cui paret, viginti quinque milliaribus, & quinque à Rapallo in ortum. Antequam *Clavari* nomen acciperet, dicebatur *Burgus longus,* ab hostibus pluries eversus, à civibus semper restitutus est.

C I X.

ANDREAS HAASIUS, in Prussia Regali natus, Carmelita regularis Observantiæ antiquioris alumnus, sacræ Thelogiæ Magister, Gedanensis, seu Dantiscani Cœnobii sæpiùs Prior, Germanorum facundus Ecclesiastes annis 38. & ultrà continuis: decessit Gedani, anno salutis nostræ 1670. die 16. Maii, ætatis suæ 70. Scripsit,

1. *Librum precarium,* molis medii Breviarii, *in-4°.* Typis Dantiscanis, anno 1660.

2. *Psalterium, & officium S. Simonis Stockii, in-4°.* Iisdem typis.

3. *Conciones* Latinè & Germanicè concinnatas, sed nondum editas.

Hæc leguntur apud Danielem à Virgine Mariâ, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1104. *num.* 3916.

C X.

ANDREAS A JESU, primus Carmelita Excalceatus Polonus, in oppido *Brizosth* Poloniæ aliquot leucis à *Cracoviâ* dissito, nobilibus & piis parentibus natus est, & Sacro Baptismate regeneratus à patruo suo Abbate Monasterii *Tinecensis* Ordinis S. Benedicti anno Domini 1584. die 28. Maii, in quam inciderat festum gloriosæ Ascensionis Domini; Pater ejus vocabatur JOANNES BRZECHFFA, vir insignis prudentiæ ac facundiæ.

Andreas humanioribus literis instructus, anno ætatis suæ 15. ab Eminentissimo Cardinali RADZEVILLO Romam ductus, Rhetoricæ, ac Philosophiæ operam dedit. Cùm quâdam die ad Ecclesiam *Sanctæ Mariæ de Scalâ* veniens, concionantem audiisset Ven. P. *Joannem à Jesu Mariâ,* tanto divini amoris accensus est ardore, ut inter Carmelitas Discalceatos aggregari instanter postulaverit. Cujus rei certior factus pater JOANNES BRZECHFFA, missis ad Clementem VIII. ac Cardinalem Protectorem epistolis, enixè petiit, nè dilectissimus filius religionis habitu indui permitteretur. Jubente ergò Pontifice, facto per quinque menses rigido ejus vocationis examine à Cardinali BARONIO, suæque post illud libertati redditus, indutus est die 15. Octobris, anno 1602. Non solùm non potuere missi à Patre *Romam* Consiliarii, eum à Religionis proposito divertere; sed etiam, ut fortiùs tentationi resisteret, post tertium Novitiatûs mensem, se in eâ perseveraturum vovit.

Induendo vestem Carmelitanam nomen *Andreæ* mutaverat, vocatusque fuerat novitius *Bruno;* sed vota religiosa emittens, impositum in baptismate nomen *Andreæ* resumpsit, Patrum determinato Consilio. Emissâ igitur solemni professione, inter manus Vener. P. *Petri à Matre Dei,* anno 1603. die 11. Novembris, Genuam studiorum causâ missus, ibique anno 1609. die 14. Maii sacerdotio initiatus, peracto Theologiæ curriculo, in Poloniam, superiorum jussu, rediit; ibique eximiâ sanctitate, ac prædicationis efficaciâ, velut alter Apostolus ubique exceptus, *Lublini,* anno 1613. *Leopoli, Præsmiliæ,* ac *Cracoviæ* Conventus erexit.

Universalis applausus, æmulos ipsi paravit; à quibus multa passus, persecutioni cedens, in Germaniam & Belgium recessit. *Coloniæ,* Latinis, ac Italicis concionibus, multos ad meliorem frugem reduxit. Ob singularem prudentiam, egregiam doctrinam, ac vitæ sanctimoniam, ab ANTONIO Vigiliarum Episc. sanctæ Sedis Nuncio Apostolico, Visitator regalis Monasterii *Sancti Cornelii* Lindensis Ordinis S. Benedicti, locorumque dependentium constitutus est anno 1615. Inde missus *Antuerpiam,* fuit à confessionibus venerabili Matri ANNÆ A S. BARTHOLOMÆO. Anno 1617. venit Bruxellas, ubi & Vener. Matr. ANNAM A JESU aliam S. TERESIÆ sociam vidit: & ex utriusque conversatione multùm profecit.

Anno 1618. à R. P. Generali in Poloniam remissus, toti Provinciæ, ac Populo concionibus suis illuxit. Factus tunc Definitor Provincialis, in Conventu Posnaniensi Festum Canonizationis S. TERESIÆ anno 1622. celebravit. Anno 1628. sacræ Congregationis

A.

de propugnandâ fide Decreto, ac Urbani VIII. autoritate, ad instantiam D. Josephi de Velamin Kiovensis Metropolitæ, electus fuerat Monachorum Ruthenorum S. Basilii Reformator; sed ab executione, ob supervenientes gravissimas infirmitates, præpeditus est. Extremis vitæ diebus, doloribus ac internis laboribus purgatus, cum mortem instare cognosceret, Ecclesiæ Sacramentis insigni pietate receptis, vix pelli & ossibus hærens, obdormivit in Domino, die 29. Aprilis anno 1640. Scripsit

1. *Vitam Fratris Alexii à S. Bernardo* Carmelitæ Discalceati Poloni: ut refert Petrus à S. Andrea *tomo 2. Historiæ Generalis Fratrum Discalceatorum &c. Lib.* I. *Cap.* 19.

2. *De Excellentia & prærogativa B. V. Mariæ;* Libros duodecim, quos in Coventu Posnaniensi degens, ex pluribus Bibliothecis materiâ collectâ, partim absolvit; sed ob varias infirmitates, integros perficere non potuit, teste P. Martiali à S. Joanne-Baptista. Inscriptum erat hoc Opus: *Hamus aureus*, cujus Libro IV. ultimam imposuit manum.

3. *Viscera misericordiæ Sanctorumque revelationes patefactas. Lib.* I. Ità Paulus ab omnibus Sanctis in Schedis Mss. ad Ludovicum Jacob missis.

4. *Opera mystica Venerab. Joannis à Cruce, ex Hispanico idiomate in Latinum translata, unà cum elucidatione phrasium mysticarum eorumdem Operum* à R. P. Nicolao à Jesu Maria, Collegii Salmanticensis Lectore datâ. Coloniæ Agrippinæ, *in-4°.* apud Jodocum Kalkoven 1639.

Andreæ à Jesu vitam scripsere Ignatius à S. Joanne Polonus etiam Carmelita Discalceatus; Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiosi, parte* 3. *pag.* 125. Petrus à S. Andrea in *Historia Generali Carmelit. Excalceat. Congregationis Italicæ tomo* 1. *Lib.* II. *Cap. 7. pag.* 193. *& tomo* 2. *Lib.* I. *Cap.* 18. *ibidem Lib.* III. *Cap.* 19. Illum insuper commendant Nicolaus à Jesu, Polonos Discalceatus Carmelita, in censura seu approbatione ejus operum, sed præsertim de Excellentia & Prærogativa B. V. Mariæ: de quo quidem *Hamo aureo* ait: quod *omnia placent, gravitas materiæ, styli elegantia, rerum varietas &c.* Franciscus à S. Maria *Lib.* VII. *Reformationis S. Teresiæ Cap.* 34. *num.* 8. Isidorus à S. Joseph *tomo* 1. *Annalium*: Martialis à Sancto Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag* 14. *&* 15. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1127. *num.* 3961. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 18. Idem in *Bibliotheca Personata Ms. pag.* 24. Paulus ab omnibus Sanctis in *Schedis Mss.* ad eumdem Ludovicum Jacob missis; in quibus inter Opera Andreæ nostri reponit.

5. *Officium devotum & eruditum è Sanctissimorum Patrum Sententiis mirâ varietate contextum.*

CXI.

ANDREAS A JESU, natione Hispanus, *Granatæ*, nobilibus Parentibus ortus; ibique Carmelitarum Nudipedum Sodalitio mancipatus, sic insigni modestiâ emicuit, ut intuentes ad cordis compunctionem excitaret. In Oratione, ac sacrorum Librorum lectione defixus, sui contemptor humillimus, virtutis famam declinare non potuit, vix eum à se divelli patiebatur Illustr. Dom. Pimentel, Episcopus Cordubensis. *Antiqueram* Civitatem pestilentiâ afflictam suis confessionibus ac concionibus audiendis & dicendis maximè adjuvit: & quos eripere non potuit à corporis morte, quantum in ipso fuit, à peccatorum contagio liberavit. Piissimè obiit die 25. Aprilis 1653. Prælo dedit, ab Excellentiss. Dom. Centurione Marchione de *Estepa* rogatus.

1. *Explicationem Castelli animæ à S. Teresiâ compositi, Hispanicè.*

2. *Teresiorologiam, seu præclara facinora S. Teresiæ*, ex Psalmo 44. Latinè, *in-folio.*

3. *Codicem Eucharisticum Ms. in-4°.* Qui asservatur in Antiquarensi Cœnobio; ut refertur in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, *pag.* 16.

CXII.

ANDREAS A JESU, Hispanus Carmelita Discalceatus, Vir tùm virtutibus, tùm litteris clarissimus, quem in intimis semper habuit illustriss. Archiepisc. Hispalensis Jacobus de Palafox, Joannis de Palafox Episcopi Oxomensis nepos; Autor est *notarum in Opera S. Joannis à Cruce*, ultimæ editionis Hispalensis; teste Autore Bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum, pag. 16.

CXIII.

ANDREAS A S. JOANNE-BAPTISTA, Carmelitarum Nudipedum Sodalis, vertit Hispanicè Belgicum seu ex Belgico idiomate Librum Adriani Van Lyere, Antuerpiensis Jesuitæ, inscriptum

De Religione & Cultu Sanctissimi nominis Mariæ: seu Hispanicè *De la Religion y Culto del Santo nombre de Maria* 1640. uti refert Philippus Alegambe, de *Scriptoribus Societatis*, Appendice in Adriano Van Lyere, pag. 548.

Alegambeum excripsit Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hispana, tomo* 1. *pag.* 59. ubi addit se non facilè dicturum, an Hispanus fuerit Andreas à S. Joanne-Baptista, quamvis Hispanè scripserit. Eadem verba Martialis à S. Joanne-Baptista retulit suam in *Bibliothecam Carmelit. Excalceatorum, pag.* 16. subdubitationem hanc non exhibet Ludovicus Jacob sua in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 18. ubi tantummodò notat Andreæ à S. Joanne-Baptista meminisse Philippum Alegambe, & Hyppolitum Marraccium, natione Italum, patriâ Lucensem, statu Clericum Regularem Congregationis à Matre Dei, in *Bibliotheca Mariana.*

CXIV.

ANDREAS LAO, natione Siculus, patriâ Catanensis, Carmelitarum Antiquiorum primò Sodalis, deindè Excalceatorum Socius factus, & Andreas a Cruce vocatus ab anno 1647. ad annum 1651. quo per Decretum sacræ Congregationis die 21. Octobris latum, Romam pergere adstrictus, ibidem coram Eminentiss. Dom. D. Martio S. R. E. Cardinali Ginetto, Ordinis Protectore instante, ac irreparabiliter sub peccato mortali Apostasiæ, & aliis censuris dicto sacræ Congregationis Decreto præcipiente, ad vetustiorem Ordinem jussus est redire; ut refert Lezana in *Consultationibus Consultat.* 17.

Cætera, quæ ad ejus laudem spectant, jam relata fuêre superius, verbo Andreas a Cruce, quibus addere non pigebit Andream Lao institutum fuisse Vicarium Generalem in Italia, anno 1661. die 17. Decembris, dum Prior Generalis Hieronymus Ari Provincias Ultramontanas visitaret; id confirmante Alexandro VII. Apostolicis Litteris. Qui & aliis Litteris anno 1665. die 28. Martii titulum *Reverendissimi* ei contulit. Anno sequenti Procurator Generalis sub Mathæo Orlandi, totius Ordinis Supremo Moderatore, *Genuæ*, mortalitatis exuvias reliquit die 23. Decembris, anno 1675. Edidit

1. *Compendiosas totius Philosophiæ Disputationes, in quibus dilucidè, & succinctè rationes magni*

A.

ponderis, juxtà Angelicam D. Thomæ Doctrinam objectionesque uniuscujusque funditùs dispunguntur. Neapoli, ex Tipographia Ægidii Longi 1643. *in*-12. & *in*-4°.

2. *In primam partem D. Thomæ Disputationes Theologicas à Quæst.* 1. *usque ad Quæstionem* 23. *inclusivè. tom.* 1. Genuæ, apud Joannem Mariam Ferronum, *in-folio* anno 1550. quô vestem Carmelitarum Excalceatorum gerebat Andreas à Cruce.

3. *In Primam partem D. Thomæ Disputationes Theologicas, de Libro vitæ, de Omnipotentia, de Trinitate, de Creatione, de Angelis : tom.* 1. Ibid. apud eundem, 1652. *in-folio*; cujus ad limina profert suum ad antiquiores Carmelitas reditum & regressum.

4. *In primam secundæ D. Thomæ Disputationes Theologicas, de fine, de beatitudine, de voluntario & involuntario, de actibus humanis, de bonitate & malitia humanorum actuum tom.* 3. Ibid. apud eumdem, 1653. *in-folio* : cujus initio repetit quæ jam dixerat de suo regressu apud suos vetustioris Ordinis Sodales.

5. *In primam secundæ D. Thomæ, de conscientia; tom.* 4. Ibidem apud eumdem, anno 1656. *in-folio*; cui inseruit

6. Opusculum sive Tractatum de *Romano Pontifice*; exindè seorsim recusum Romæ, anno 1663. *in*-8°. & tandem in *Bibliotheca maxima Pontificia* edita à Joanne de Roccaberti Archiepiscopo Valentino, *tomo* 3. Romæ, Typis Joannis-Francisci Buagni, an. 1697. *in-folio* à *pag.* 591.

7. *De laudibus Beatæ Virginis Mariæ de Monte-Carmelo Lib.* I. Ad R. P. Magistr. Athanasium Ancitellium, Priorem Neapolitanum Majoris Carmeli. Neapoli 1643. *in*-4°. Italicè.

8. *Libellum supplicem Alexandro* VII. oblatum, in quo postulat ut is Summus Pontifex confirmet translationem Conventûs Melevitani extra muros Civitatis siti in Civitatem veterem, vulgò *la Notabile* Insulæ Melitensis. Cui postulationi annuit Romanus Pontifex, ut ejus probant litteræ ad Episcopum Melevitanum datæ 22. Decembr. 1666. & editæ *tom.* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 545.

9. *Libellum supplicem eidem Alexandro* VII. oblatum, in quo nomine totius Capituli Generalis anno 1666. celebrati, Conventus Rothomagensis nondum Reformationi strictiori addictus, recipiat Novitios, Qui libellus prodiit eod. *tom.* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 546. cum assensu sacræ Congregationis, & decreto Eminentissimi Cardinalis GINETTI, Ordinis Carmelitici Protectoris.

10. *Epistolam* Encyclicam ad universas & singulas Ordinis Carmelitici Provincias, quibus denuntiat Canonizationem S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis decretam fuisse die 10. Septembris à Clemente IX. 1668. Hæc istius Epistolæ verba mihi notanda credidi : *tenear certiorem reddere Paternitatem vestram ad majorem Dei gloriam, quod totam hanc machinam inexcogitabilibus laboribus, tam intellectûs, quàm corporis solus nemine adjuvante, vel cooperante; Deo tamen dante ad finem deduxi. Undè P. V. enixè deprecor ut dignetur memoriam mei facere in sacrificiis suis, &c.* Hæc Epistola reperitur in Libris Actuum Provincialium Ordinis Carmelitani; signaturque *Romæ* die 18. Septembris 1668. Priore Generali Mathæo Orlandi, & Provinciæ Turoniæ Provinciali RENATO A S. ALBERTO.

11. *Libellum supplicem Clementi* IX. *oblatum*, in quo postulat facultatem taxandi (ut loquuntur) Provincias Ordinis, pro expensis faciendis in Canonizatione Beatæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Annuit Summus Pontifex, & Breve Apostolicum ei dedit signatum die 25. Februarii 1669. editumque *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 712.

12. *Commentaria in universam Philosophiam*, duobus tomis *in*-8°. distincta eidem Andreæ Lao adjudicat Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 18. & in *Bibliotheca Personata Mss. pag.* 24. sed in neutrâ minimè assignat Editionis locum, aut annum, aut Typographum. Undè illa Mss. Commentaria forsan supersunt.

13. *De Epistola Mariana ad Messanenses* tractatum adjudicat eidem Andreæ Placidus Reina *Not. Histor. Messanæ part.* 1. *pag.* 496. Sed publicam non vidit lucem, inquit, Antonius Mongitor in *Bibliotheca Sicula, tomo* 1. *pag.* 30.

Andream Lao commendant, Alexander VII. in Brevi Apostolico die 17. Decembris 1661. quo instituitur Vicarius Generalis, vocat illum virum, *charitate, prudentiâ, dexteritate, doctrinâ, rerum agendarum peritiâ, integritate, & Religionis zelo clarum : tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 556. Joannes-Bapista de Grossis in *Decad. Catan. tomo* 1. *cordâ* 2. *mod.* 10. *pag.* 160. Abb. Michael Justinianus in *Litteris memor. parte* 3. *lit.* 117. *pag.* 593. Daniel à Virgine Mariâ *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1070. *num.* 3724. Joseph Maria Fornarios in *Anno memorabili Carmel. tomo* 2. *pag.* 732. Philippus à SS. Trinitate in *Compendio Historiæ Carmelitanæ, Lib.* VIII. *Cap.* 13. Renatus à S. Alberto Provinciæ Turoniæ Prior Provincialis, in *Epistola Rhedonis* die 10. Octob. an. 1668. ad suos Religiosos Carmelitas *scripta* : Franciscus Fulvius Frugon in *Cane Diogenis latr.* 5. *nar.* 10. *pag.* 603. Jacobus-Philippus Tomasinus in *Gymnasio Patavino Lib.* III. *Cap.* 5. *pag.* 287. & *Cap.* 35. *pag.* 332. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 36. Placidus Reina, & Ludovicus Jacob *locis citatis.* Antonius Mongitor in *Bibliotheca Sicula, tomo* 1. *pag.* 29. & 30. Cujus ferè unius verba exscripsimus, verbo, ANDREAS A CRUCE, *pag.* 57. Petrus de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptionis.*

CXV.

ANDREAS DE LEZANA, natione Hispanus, Provinciæ novæ Castellæ, Carmelita Toletanus, Joannis-Baptistæ Frater decennio major, sacræ Theologiæ Doctor & Professor in Collegio Complutensi præclarus, Concionator insignis, Vir pietatis & morum suavitatis laude celebris scripsit,

1. *Orationem funebrem R. P. Hieronymi Gratiani à Matre Dei, ab Aldorete, Carmelitæ* successivè Discalceati & Calceati, anno 1615. editam *in*-4°.

2. *Alia Opera Philosophica & Theologica Mss.* in Musæo Carmelitarum antiquioris regularis observantiæ Complutensi asservata.

Eum laudant Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 470 & 471. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 19. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitici, pag.* 66. Joannes-Baptista de Lezana illius ex utroque Parente Germanus Frater, *tomo* 3. *Annalium, ad annum* 1088. *num.* 29. *pag.* 515. ubi eum reponit inter illustres viros, qui tum Sanctitate, tum Doctrinâ claruerunt in Cœnobio Toletano.

CXVI.

ANDREAS DE LUCA sivè de LUCHA, natione Italus Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor & Professor, anno 1396. in Comitiis Generalibus

ralibus *Placentiæ* habitis designatus Lector Sententiarum, & Bibliorum Paviæ. In Capitulo Generali Conventûs *Silvarum* anno 1399. Socius Generalis Joannis Grossi ordinatur. In Capitulo porrò *Bononiensi* anno 1405. Procurator Curiæ Romanæ dicitur, & Diffinitor & Provincialis Franciæ.

Anno 1408. quo *Lucæ* detinebatur Gregorius XII. Romanus Pontifex, cum Dominica IV. Quadragesimæ, quæ *Lætare* dicitur, occurreret; quâ die Ordo Carmeliticus in Sacello Papæ coràm ipso, & Cardinalibus sermonem & orationem solitus est habere, Andreas noster in ista Concione exprobravit dicto Pontifici Maximo, quod vota & Sacramenta ab ipso emissa, videlicet de Unione Ecclesiæ procuranda, & tollendo Schismate, violasset. Cardinalis propterea Camerarius Andream in vincula conjecit, & à Concionatoris munere interdixit. Hincque ortum habuisse dicitur, ut nemo coràm Papa sermonem haberet, qui non prius Magistro sacri Palatii eum in scriptis ostendisset.

Non diu tamen in vincolis detentus fuit, aut certè precibus amicorum liberatus, & pro suâ in dicendo libertate apud Fratres suos charus semper habitus, in Capitulo *Bononiensi* 1411. etiam Procurator Generalis Curiæ Romanæ vocatur. Quo titulo etiam insignitur in Comitiis Generalibus *Balneolarum*, anno 1416. Quin insuper ab anno 1409. electus fuerat Archiepisc. *Atheniensis* die 6. Septembris; ut constat ex Actis Consistorialibus Alexandri V. in Summum Pontificem Pisis hoc anno, mense Junio electi. An verò Andreas sub eo tempore consecratus fuerit: vel potius intra Claustra manserit, incompertum nobis est. Circà annum 1418. eum è vivis abiisse autumat Joannes-Baptista de Lezana.

Distingui debet à Nicolao de Luca Carmelitâ etiam Procuratore Generali, qui paulo antiquior fuit; ut inferius dicetur; *tom.* 2. Quamvis hic noster Andreas, etiam Nicolaus sive potiùs Andreas Nicolai vocetur in Capitulo *Balneolarum*. Scripsit,

1. *Commentaria in quosdam sacræ Scripturæ Libros*, quæ Tirioi Longobardorum publicè dictavit. Horum meminit Jacobus le Long in *Bibliotheca Sacra*, *pag.* 1210. *col.* 1. *lin.* 1.

2. *Conciones in Sacello Pontificis dictas. Mss.*

De illo loquuntur Joannes Balæus in *Catalogo Scriptor. Angliæ Cent.* VII. *Cap.* 38. in *Appendice* 3. ad Thomam Colbii *pag.* 536. Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annalium Carmelitarum*, *annis* præcipuè 1408. & 1418. *pag.* 788. & 766. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 909. & 910. *num.* 3162 Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 19.

CXVII.

D I S S E R T A T I O

De Vita & Operibus Andreæ Mastellonei.

Andreas Mastellone, *Neapoli* natus die 15. Octobris 1641. patrem habuit divitem Mercatorem, Mercatorumque Neapolitanorum Consulem; habuit & fratrem Episcopali dignitate insignitum; sed ipse insciis parentibus ad Carmelum Parthenopes (*a*) advolavit, ubi in Cœnobio Sanctæ Mariæ a Vita professus est Philosophiam & Theologiam Doctor & Magister, suæ posteà Provinciæ Præfectus, atque pro Italia Generalis Assistens, necnon Academiæ *Degl' Incolti di Montalta* Socius annumeratus, assumpto nomine *Di Partenifilio*, ob summam, quâ in Beatam Mariam Virginem æstuabat, devotionem: Librorum etiam examen Censor Neapolitanus, jure accepto gessit, & anno suæ secundo & octogesimo ætatis exuvias mortales spoliavit, lumine privatus, post Christum natum anno 1723. Sequuntur multa ejus

Opera edita,

1. *La prima Chieza dedicata à Santa Maria Magdalena de Pazzi, consecratale della Natione Napolitana; narrativa historica, in-*4°. Stampata in Napoli per Geranimo Fapolo, 1675.

2. *Vita Sancti Simonis Stockii, Conclusionibus descripta, in-*4°. Neapoli, 1680.

3. *Quatro Altari eretti in quatro sermoni, è patriche spiritali à Christo Nostro Signore sacramentato, nell' Expasizione solenne del santissimo Sacramento, in-*8°. Napoli, per Geronimo Fapolo, 1687.

4. *Le due Salutazioni di Maria Virgine, spiegate in lettioni scriturali, e morali:* in tre tomi *in-*4°. Il primo tomo *della Salutaziane Angelica:* in Napoli, per Francisco Benzi, 1688. L' due altri *della salutazione della Chieza*, parimente in Napoli, l'anno 1688. per Carlo Porsile.

5. *Il Presepio architettato in nove raggionimenti historico-morali, per apparechio alla nascita del Signore: in-*4°. Napoli, per Carlo Porsile, 1689.

6. *La Litania della B. Vergine spiegata in Lettioni Ecclesiastiche.* Cinque tomi *in-*4°. Napoli, per Carlo Porsile, 1694.

7. *Il Cantica della Vergine, spiegato in Lettioni Ecclesiastiche.* Tre tomi *in-*4°. Il primo Napoli, per Michel-Angelo Barba, l'anno 1695. Il secundo, e tertio nella Stamparia del Gramignani. 1697. & 1699.

8. *Applauso di santa Chieza alla Croce; ed Orazione funebre nella morte Serenissima Regina della Spagne, Maria-Ludovica Borbona.* Un tomo *in-*8°. per il Gramignani, 1696.

9. *Sermoni Ascetici.* Cinque tomi *in-*8°.—Il primo intitolato, *il Candidato avertito.*—Il secundo, *Novitia avisato.*—Il tertio, *il Professa corretto.*—Il quarto, *il Religioso rinovato.*—Il quinto, *le Vergini esortate.* Napoli, per Giovan. Francesco Paci, 1696.—1697. 1698.—1700.

10. *Narrativa Historia della Vita del Serva di Dio Fra Paolino Zabatta Carmelitano di Santa Maria della Vita Napolitana.* Un tomo *in-*8°. Napoli, per il Gramigniani, 1697.

11. *Narrativa Historia della Vita del Serva di Dio Fra Pietro della Croce, di Santa Maria della Vita, in-*8°. Francesco Paci, 1698.

12. *Pratiche Evangeliche Dominicali: predicate in Napoli nella Chieza di Santa Maria Ancillarum, nel corso di tre anni.* Quattro tomi in-foglio.—Il primo, *Abbracia il tempo del Avento, e dopo l'Epiphania.*—Il secundo, *della Quaresima e Pasquale.* Ambidue stampati in Napoli, per Nicolao Abri, 1700. e 1703.—Il tertio, *Abracia il tempo dope la Pentecoste d'alla prima, alla xij. Dominica;* in Napoli, per Nicolo Abri, 1712.—Il quarto, *della Dominica xiij. sin alla xxiv.* in Napoli, per Nicolo Abri 1713.

14. *Il parto della Vergine Madre, narrazioni historiche, &c. per la Novenna è Feste della nascità del Signore.* 2. tom. *in-*12. Napoli, per Nicolo Abri, 1702.

15. *Merealdi di Santa Maria della vita; O miracoli favori della B. Vergine, à suoi divoti, applicati a gli Evangeli del anno.* 2. tom. Napoli, *in-*4°. per Nicolo Abri, 1704. Ast animadvertendum est in Neapolitano Carmelitarum Cœnobio Sanctæ Mariæ de Vita dicto, in quo Imago miraculosa Beatæ Virginis Mariæ colitur, singulis diebus Mercurii, concionem sacram haberi.

16. *Trattanimenti spiritali di Santa Maria della*

(a) *Parthenope est Urbs eadem atque Neapolis.*

A.

Vita. Due Centurie di miracoli è favori fatti della B. Vergine à suoi divoti. 8. tom. *in*-4°. Napoli, per Nicolo Abri, è suoi heredi.—1. tom. 1709.—2. 1710. —3. & 4. 1711.—5. & 6. 1714.—7. 1715.—L'ottavo intitolato: *Trattanimenti, nelle Feste della nascità del Signore, nelle delizie del Bambino Giesu.* 1715.

17. *Memorie Historiche della Madonna de Bagni di Magliano.* Un tomo *in*-16. Nicolo Abri, 1711.

18. La miracolosa imagine *di Nostra Signora del Carmine della terre del Greco.* 1. *tom. in*-4°. Napoli, per Nicolo Abri, 1711.

19. *La Divotione della cità di Sorrento verso nostra* Signora *del Carmine.* Uno tomo *in*-4°. Neapoli, per Nicolo Abri, 1711.

20. *Il Misterio del Corro di Cristo discifrato in tre Parabole del Evangelo.* Uno tomo *in*-4°. Napoli, per Nicolo Abri, 1710.

21. *Raggionamento familiare per la Rinovazione de Voti.* in-4°. di pochi fogli. Napoli, per Nicolo Abri, 1712.

22. *Notitia historiche della fundazione, ed Imagine di Nostra Signora della Transpontina.* Napoli, *in*-8°. per Antonio Abri, 1717.

OPERA MANUSCRIPTA,

1. *L'Espettazione della Nascità di Giesu Cristo. Tre Novenae d'apparechio al santo Natale.* Tre tomi.—Il primo intitolato, *La Vergine Annunciata.* —Il secundo, *Le Fascie del Bambino Giesu.*—Il terzo, *Il Viaggio de Pastori in Bethleem.*

2. *La Passione di Cristo considerate ne Venerdi de Marzo : in S. Maria Ancillarum.*

3. *Annuncio d'allegrezza alla B. Vergine per la Resurrectione del Figlia ; overo spiegatione del antifona :* Regina Cœli.

4. *Ricorso di Cristiani à Maria, nel* Sub tuum Præsidium. *Nel Anaunciata di Napoli.*

5. *Il Salmo* 86. Fundamenta in montibus sanctis, *spiegato letteralmente della B. Vergine : nella Chiesa dell' Annunciata.*

6. *Riflessi à Maria Vergine ; overo, uno Mariale di totto l'anno fatta in piu anni ae Sabbati, nella Chiesa dell Annunciata :* due toml.

7. *Panegirici della B. Vergine, e de Santi.* 2. tom.

8. *Il Religioso in Chiesa, ed in Capitolo.* 2. tom.

9. *La Pastorale Ecclesiastica, in cinque Discorsi fatti in S. Maria Ancillarum.*

10. *Breve considerazioni allegoricè-morali sopra il Salmo* 118.

Hunc Indicem nobis subministravit R. P. Timotheus Bergerot, & in eo desideratur aliud opus quod saltem apponendum est numero 23. sub hoc titulo:

23. *Essercitio di ringratiamenta alle tre Persone Divine, in memoria di quindici favori particolari, cò quali fa da esse privilegiata S. Maria Madalena de Pazzi.* in-8°. in Napoli, per Giovan Francesco Paci, 1673. Ex tribus MASTELLONIS elucubrationibus, quas Nicolaus Toppi annumeravit sua in *Bibliotheca Neapolitana, pag.* 14. ista non omittitur.

Elias autem de Amato suis in *Schedis Mss.* anno 1747. datis, recensuit solummodò Panegyricas Orationes *de B. Virgine & de Sanctis*, inter Manuscripta designatas, quas tamen scribit fuisse typis datas Neapoli apud Abri; addens quod alia *innumerabilia scripserit* Andreas Mastellone, qui *obiit privatus lumine anno* 1723. Nihil dicam de Auctoribus aut Editoribus Speculi Carmelitani, *Antuerpiæ* anno 1680. Typis eusi: Nostro enim Andreæ adjudicant *tom.* 1. *pag.* 1070. *num.* 3723. tantùm *Narrationem Historicam de Conventa ae Ecclesia Monialium Carmelitarum S. Mariæ de Pazzi: Overa inclusa*, inquit Nicolaus Toppi loco citato, *Inclusa la Vita della Venerabile Madre Suor Paola Maria Antinori, Fondatrice di detto Monastero.*

CXVIII.

ANDREAS A MATRE DEI, natione Hispanus, *Palentiæ* in Castella veteri ortus, *Vallisoleti* apud Carmelitas Excalceatos Sacramentum Religiosæ Vitæ dixit. Prudentià ac pietate conspicuus, Provincialis ac Definitoris Generalis præfecturis laudabiliter functus est. Theologià doctè dictatà, in Collegio Salmantino, unà cum aliis egregiis Theologis Magistris, *Theologici cursûs* Auctoribus Fabricæ huic sedulam navavit operam. E vivis cessit anno Christi 1674. posterior. Scripsit autem continuaturus Moralem partem, cui Franciscus à Jesu Maria initium dederat, de quibusdam Sacramentis, evulgato volumine uno.

1. *De Sacramento Ordinis, Sacramento Matrimonii ac de Censuris.* Salmanticæ, 1668. *in-folio, tom.* 3.

2. Cursûs Theologiæ moralis Tractatus quatuor, de *Legibus, de Justitia & Dominio, de Restitutione & Contractibus.* Lugduni, apud Laurentium Arnaud, & Petrum Borde, anno 1670. *in-folio tom.* 3.

3. *De Stata Religioso, de Horis Canonicis, de Voto & Sacramento, de Privilegiis & Simonia.* Lugduni, apud eosdem *tom.* 4. *in-folio.* At Editio Matritensis, anno 1709. accuratior est, in qua juxtà Decreta Alexandri VIII. & Innocentii XI. quædam opiniones mutatæ sunt.

4. Scripsit alter ANDREAS A MATRE DEI, Carmelita Hispanus Excalceatus, anno 1614. defunctus, *Relationem virtutum R. P. Thomæ de Aquino, Hispani Carmelitæ Discalceati*, patrià Hispalensis: qui obiit Matriti cum magna Sanctitatis opinione. Quâ quidem Relatione usus Franciscus à Sancta Maria, *tomo* 2. *Reformationis S. Theresiæ, Lib.* VII. *Cap.* 12. *num.* 6.

5. *Relationem de aliis Carmelitis Excalceatis Matritensibus :* quam Relationem idem Franciscus à S. Maria inseruit suo jam citato Operi.

De Seniore isto Andrea mentionem habent Michael Baptista de Lanuza *Lib.* III. *Vitæ Vener. M. Isabellæ à S. Dominico Carmelitanæ Discalceatæ, Cap.* 5. Franciscus à S. Maria *Loco citato.* Ludovicus Jacob in *Scheda Ms.* ad pag. 19. *suæ Bibliothecæ Carmelitanæ Ms.* affixa: ubi dictus Andreas vocatur Vir summâ probitate, Religione & vitæ innocentiâ præclarus, Deo & Angelis dignus, ac apparitionibus illustris, qui Prioris officium diversis in locis gessit.

Posterior ANDREAS A MATRE DEI, in Collegio Salmanticensi Professor laudatur *tomo* 2. *Bibliothecæ Hispanæ. pag.* 671. *tomo* 2. *Speculi Carmelitani pag.* 1127. *num.* 3961. in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 16. & 350.

CXIX.

ANDREAS A S. MICHAELE; Frater Laicus inter Excalceatos Carmelitas in Conventu *Angelopolitano* apud Indos adscriptus an. 1598. ortum habuit *Metymnæ Sidoniæ* anno 1577. Post varios vitæ suæ eventus Sodalitio Carmelitico nomen dedit. Difficile autem effatu est, quantùm suæ Congregationi, tùm ob singularem virtutum copiam, tùm ob ingenii excellentiam Mathematicarumque profundissimam cognitionem, decoris ac splendoris contulerit. Exuit mortalitatem *Salvaterræ* dum illius Oppidi suorum Sodalium Conventui fabricando incumbebat, apud Indos Occidentales semper illustris, anno 1644. Scripsit,

1. *De Architectura*, in-folio magno.

A.

2. *De modo exhauriendi subterraneos latices.*

3. *De motu Cælorum.*

4. *De vera Arcæ-Noë dimensione contra Goropiam.*

5. *De merito Beatissimæ Virginis Mariæ mathematicè comprobato.* Hæc omnia Mss. asservantur in Scriniis Angelopolitanis Carmelitarum Excalcearorum ; sicuti refertur in *Historia Ordinis* illorum *tomo 6. Lib.* XXIII. *Cap.* 29. nec-non in *Bibliotheca eorumdem*, *pag.* 17.

CXX.

ANDREAS DELLA MONACHA, natione Italus, patriâ Brundusinus, Carmelita antiquioris regularis observantiæ tenax, sacræ Theologiæ Magister & Regens, patrii Cœnobii Prior, & suæ Provinciæ Apuliæ Provincialis, nec-non in Sicilia Visitaror Generalis scripsit Italicè.

Memoria Historica dell antichissima e fedelissima Citta di Brindisi : seu Latinè *Commentarios Historicos de antiquissima & fidelissima Civitate Brundusii.* Litii, apud Petrum Micheli, anno 1674. *in*-4°. Quod quidem Opus ferè totum est extractum ex manuscriptis Codicibus FERRANTIS GLIANES anno 1550. exaratis : tametsi ANDREAS ut suum dederit ; qui & alia hausit ex Manuscriptis Commentariis JOANNIS MARIÆ MORICINO & JOANNIS-BAPTISTÆ CASIMIRI, quos ANDREAS citat in Præfatione, ut notat in sua *Bibliotheca Neapolitana pag.* 242 Nicolaus Toppi ; qui Codicem Ms. FERRANTIS GLIANTES penes se babuisse testatur. Hanc *Memoriam Historicam* Nicolaus Haym recenset in *Bibliotheca Italiana de Libris raris*, *pag.* 52. *num.* 14. nec-non Daniel à Virgine, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1070. *num.* 3724.

Orationem Latinam in Comitiis Generalibus, Romæ habitam anno 1660. & editam *Iriæ* seu *Voherii*, Typis Hæredum Laurentii Valar : inquit Elias de Amato, in *Schedis Mss.* ad nos è Monte-Altino missis Aureliam anno 1747.

CXXI.

DISSERTATIO

De Vita & Scriptis ANDREÆ A S. NICOLAO.

ANDREAS A SANCTO NICOLAO, Lotharingus, humanioribus Literis operam *Vesuntione* navavit, & antiquioris regularis Carmelitarum habitum ibi postulavit : ad quem admissus, Carmelum Divionensem, qui pluribus abhinc sæculis Novitiatus est Provinciæ Narbonensis dictæ, petiit : ubi emissâ Votorum professione, ad Philosophiæ & Theologiæ studiorum cursum absolvendum destinatus fuit. Quo absoluto, suos Sodales ipse Philosophiam in Mimatensi, annis 1666. & 1667. Theologiam in Claromontano Cœnobio docuit, anno 1668. cum jam sacræ Theologiæ Baccalaureatu in Academia Vesuntionensi insigniretur ; in qua & gradum Doctoralem posteà fuit adeptus.

Vir Linguarum Hebraïcæ, Græcæ & Latinæ gnarus, concionatoriæ eloquentiæ peritissimus, decem annis per Adventum & Quadragesimam magno cum audientium applausu sermones habuit. Seminarium Mimatense Illustrissimo Domino HYACINTHO SERRONI Episcopo præfectus rexit : officium Prioris gessit in Conventibus *Cabilonensi*, *Molinensi*, quem a fundamentis restituit, & *Vesuntionensi* quem etiam labentem refecit. Definitoris pluries dignitate decoratus, & Commissarii Generalis exercitio functus, suam Narbonensem eo zelo mansuetudine temperato Provinciam gubernavit, ut ne minimos quidem defectus regularis observantiæ irrepere pateretur ; omnibus tamen singulorum fratrum animis ita sibi devinctis, ut nemo cum non coleret, non timeret. Diuturnis tandem infirmitatibus probatus, *Vesuntione* occubuit anno 1713. si JACOBO LE LONG & BERNARDO DE LA MONNOYE, fidem adhibueris, anno autem 1714. si R. P. PHILIPPO CHAUVEAU Cabilonensi Carmelitæ credideris, ætatis suæ 78. eùm ingenti suorum Fratrum & virorum peritorum mœrore. Operà ejus inscribuntur,

1. *Antiquité, Priviléges, & Devoirs du Tiers-Ordre de la B. Vierge Marie*, &c. seu Latinè *Antiquitates, Privilegia, & Officia Tertiarii Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo.* Lugduni, anno 1666. *in*-12 Ad Illustriss. Dom. D. Hyacinthum Serroni Episcopum & Dominum Mimatensem Episcopum, & Gabalorum Comitem dedicatur hic liber quem censurâ mulctavit Ludovicus Jacob, in *Epistola Ms.* quam Reverendissimo Mathæo Orlandi Priori Generali mittendam parabat anno 1676. quia Andreas ibi à *Cap.* 6. *pag.* 54. *& seqq.* in antiqua Lege Mosaïca Tertiarios Carmelitas supponit. Quæ sanè suppositio sine quadam analogia & similitudine longinqua, & umbratili figura vix admitti potest. Præfata Ludovici Jacob *Epistola Ms.* in Scriniis Carmelitarum Parisiensium *de Billetis* asservatur,

2. *La Vie de sainte Marie-Madeleine de Pazzis :* à Clermont 1670. *in*-12. seu Latine, *Vita S. Mariæ-Magdalenæ de Pazzis.* Claromontii, an. 1670. *in*-12.

3. *De Eloquentiæ, Elegantiæ, Rhetorices & Philosophiæ laudibus, Orationes quatuor.*

4. *Tumulus Sereniss. Annæ Austriacæ Regis Galliarum parentis Reginæ.* Solutâ oratione. Lugduni, anno 1666. *folio unico.*

5. *Proborum hominum ærumnæ :* Metro Elegiaco.

6. *Salomon seu Mulier fortis & Machabæorum mater :* Versu Iambico.

7. *Sequani Christiani, seu Christiana Sequanorum Decas Historica, ex publicis privatisque Tabulariis, Necrologorum Fastis, Historicorum assertis, Codicibus manuscriptis, aliisque optimæ notæ monumentis, &c. aucta & vindicata Ms.* ita profertur apud Jacobum le Long, in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 69. *num.* 1561.

8. *Polypticon Vesontino-Sequanicum, sivè Ecclesiarum omnium, quas variæ Abbatiæ, Prioratus, Paræciæ, vel etiam Sacelli, & Capelliæ nominibus latè complectitur Diœcesis Vesontina, ipsaque superior Sequanorum Burgundia, syllabus absolutus, Ms.* in Archivo Carmelitarum Vesontinorum antiquioris regularis observantiæ servatur, citaturque à memorato Jacobo le Long loco jam annuntiato, *pag.* 137. *num.* 2702.

9. *Memoires de l'Histoire du Bourbonnois, par André de Saint Nicolas, Prieur des Carmes de Moulins :* seu Latinè, *Commentarii de Historia Ducatûs Borboniensis : Authore Andrea de S. Nicolao, Priore Carmelitarum Molinensium Ms. laudatur* apud Jacobum Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *jam citatâ*, *pag.* 777. *num.* 15121.

10. *Veteres Sequanorum Reguli, seu Superioris Burgundiæ Comitum à Regibus Italis propagata Genesis, ab anno 970. ad annum 1361. Accessit Viennensium, divitumque Cabillonensium inclyta progenies ; prævia item de Regibus, Comitibus Cisjuranæ & Transjuranæ Burgundiæ, ac primùm de ipsis Castellæ Regibus, Matisconsibus Consulibus, Salmausibus Dynastis, montis-Aviis Toparchis, aliisque Gentis hujus Burgundiæ agnatis & affinibus ad calcem subjecta Tractatio : Ex publicæ fidei monumentis nunc primùm eruit & vindicavit Andreas à*

A.

S. Nicolao, Theologiæ Doctor, Carmelitarum in Provincia Narbonensi Provincialis MSS. asservantur in Vesuntino Cœnobio, & laudantur à Jacobo Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *pag.* 779. *num.* 15429.

11. *De Sepulchrali lapide antiquis Burgundo-Sequanorum Comitibus Vesuntione in Sancti Joannis Basilica recens posito, Diatriba Analytica* Vesuntione, apud Benoît, anno 1693. *in*-8°. citatur in *eadem Bibliotheca Jacobi Lelong*, *pag. eadem* 779. *num.* 15425.

12. *Lettre en forme de Dissertation sur la découverte prétendue de la Ville d'Antre en Franche-Comté.* Seu Latinè: *Epistola ad formam Dissertationis de inventione Civitatis Antreæ in Comitatu Burgundo-Sequanorum.* Divione, 1698. *in*-12. In illa Epistola quam memorat Jacobus Lelong in Bibliotheca citata *pag.* 800. *num* 15425. Andreas impugnat Opus Gallicè inscriptum: *La découverte de la Ville d'Antre, à Petro Dunod* Jesuita, editum Parisiis 1697. *in*-12.

13. *Historia celeberrimæ Abbatiæ S. Stephani Divionensis*, quæ ab anno 1726. in Ecclesiam Cathedralem erecta fuit. Divione, anno 1699. *in-folio* Id testatur R. P. Philippus Chaudeau *in Schedis Mss.* ad nos missis.

14. *La conduite des Seminaires*: sivè Latinè, *Modus regendi Seminaria.* Lugduni, *in* 8°. teste eodem R. P. Chaudeau in iisdem *Schedis Mss.*

15. *Historia Provinciæ Narbonæ Carmelitarum*, quæ est quarta Ordinis Carmelitici, *in-folio Ms.* De qua loquitur ipse Andreas in *Epistola Ms.* ad Ludovicum Jacob Claromontio Parisios missa, *an.* 1665. *die* 1. *Maii.* De ista Historia parata mentionem agit Ludovicus Jacob in *sua Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 19. nec non Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*; *pag.* 1009. *num.* 3524. & antea *pag.* 338. *num.* 1206.

16. *Tractatus seu Relatio de Episcopis assumptis ex Provincia Carmelitana Narbonæ Ms.* de quo *ibidem* Daniel à Virgine Maria *pag.* 929. & 951. *num.* 3255. & 3347. Tractatum tamen hunc existimo esse partem Operis præcedentis.

17. *Variæ* ad diversos, illustres & peritos Viros *Epistolæ Mss.* Quarum quinque ad LUDOVICUM JACOB datæ asservantur in Scriniis Carmelitarum Parisiensium Conventûs SS. Sacramenti vulgò, *des Billetes* dicti. In una die 27. Martii 1665. signata postulat *Descriptionem Provinciæ Narbonensis Carmelitarum* ab ipso Ludovico Jacob editam. In altera die 1. Maii, eod. an. 1665. data nonnullas adversus eamdem *Descriptionem* difficultates urbanis & officiosis vocibus opponit.

In alia die 19. Maii eod. an. 1665. scripta alias difficultates de eâdem *Descriptione* profert.

In alia, die 6. Januarii subsignata de Litterarum commercio mutuarum resumendo, quod ob Philophiam in Conventu Mimatensi dictatam ab ipso fuerat intermissum, loquitur.

In alia, die 30. Aprilis 1668. Quasdam adhuc dissonantias Chronologiæ In dicta *Descriptione* occurrentes generatim notandas aliquando promittit, loquiturque de Concionibus quas apud *Gabalos* tempore Quadragesimæ ultimo dixit, & de Theologiæ lectionibus quas mox resumpturus erat. Hæ quinque Epistolæ *Claromontio* Parisios missæ fuerunt.

Aliam Epistolam Prior Cabilonensis ipse ANDREAS ad *Danielem à Virgine Maria* misit circà annum 1672. in qua simul adjunxit extractum scriptum è Tabulis publicis Civitatis *montis-Pessulanæ*, quæ idiomate Gallico proferunt Capitulum Carmelitarum Generale in eadem Civitate celebratum die Festo S. *Magdalenæ*, 1287. Quo quidem in Capitulo statutum fuit ut Cappæ barratæ in Cappas albas mutarentur. Vide *Speculum Carmelitanum tomo* 2. *pag.* 592. *num.* 2074. & præsentem hanc Bibliothecam inferius, verbo, PETRUS AMILIANUS, *tom.* 2.

18. *Ad Historiam & Bibliothecam Ordinis Carmelitarum* conscribendam, multa collegerat monumenta; quæ infirmitatibus detentus, & morte præventus ordinare non potuit, & posteà perierunt. Hoc Opus, adhortante Rever. MATHÆO ORLANDI Priore Generali, cujus Epistolæ apographum Manuscriptum, universim ad singulas Ordinis Provincias directæ an. 1670. die 16. Septembris præ manibus habemus, susceperat: atque Prioris Generalis nomine, illud in memoriam revocat Vir clarissimus Dom. Bernardus de la Monnoye, in *Notis ad Criticos Historicos*, *Adriani Baillet*, *art.* 107. & R. P. Chaudeau in *Schedis Mss.*

19. *De* scribenda illustrissimæ *Abbatiæ Cluniacensis Historia* cogitavit, conventione factâ cum Eminentissimo Emmanuele Theodosio de Turre Arvernorum Bullonio, qui Cardinalium Decanus obiit *Romæ* die 2. Martii 1715. sed hujus Eminnentiss. Cardinalis rebus in Gallia perturbatis, nihil illius Historiæ in Scriptis apparuit.

Andream à S. Nicolao laudant Ægidius Menage in *Historia Sableæ Civitatis*, *pag.* 75. ubì Commentarios Historicos Ducatûs Borbonii citat: Jacobus Lelong in *Bibl. Histor. Franciæ* Gallico idiomate scripta, *locis citatis*: Bernardus de la Monnoye in *Notis ad Eruditorum judicia ab Adriano Baillet edita*, *tomo* 2. *pag.* 69. *Edit.* 2. *in*-4°. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 19. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi* Carmelitani *locis citatis*, & *pag.* 1088. *num.* 3826. Philippus Chaudeau in *Schedis Mss.* quas nobis Aureliam misit die 2. Julii 1741., cum Prioris Lugdunensis vices gereret.

Egregium quoque testimonium Andreæ nostro perhibet Domnus Edmundus Martenne, cum ejus socio Domno Ursino Durand, In Opere Gallicè edito Parisiis 1717. *in*-4°. sub hoc titulo: *Voiage Litteraire* &c. Nam *parte* 1. *pag.* 166. refert quàm urbanè fuerit anno 1708. receptus à P. Andrea de S. Nicolao Carmelitarum Bisunctinorum Priore, qui ad Historiam Comitatûs Burgundiæ plurimùm allaboravit, & eidem Domno Martenne, suas lætabundus Schedas commodavit. Undè & idem Martenne ibidem confitetur præfato Andreæ referendum esse quidquid in *Collectione* & in *Thesauro Anecdotorum* optimum de Ecclesia & Diœcesi Visuntionensi recentiùs insertum est.

CXXII.

ANDREAS A S. PETRO, natione Vasco, honestis Parentibus in Oppido *Moneau*, Diœcesis Condomensis natus, Vestem Carmelitanam induit 1634. & anno sequenti 1635. Professionem emisit. Moribus & vitâ purus & integer, primis quasi ab unguibus magnam ad Reformationis amplexum propensionem demonstravit: amicitiâ junctus cum R. P. Mauro Carmelita, ad regularem observantiam tenendam firmissimus, primariis suæ Provinciæ officiis & dignitatibus præfulsit. Vir sublimis ingenii & nobilitate mentis commendandum se præbuit tùm in Concionibus habendis ad populum, tùm in sacræ Theologiæ altis enodandis mysteriis, quæ magno Discipulorum concursu, & numeroso applaudentium auditu Professor publicus explicuit in Academia Burdigalensi. Hæc nobis *Aureliam Burdigalâ* scripsit R. P.

A.

R. P. Agathangelus, Joannes-Baptista *de la Faurie*, Parisinus, Doctor Theologus, in Alma Universitate Burdigalensi Antecessor, & suæ Provinciæ Vasconiæ ter Provincialis, die 17. Aprilis 1742.

CXXIII.

ANDREAS RASOI, natione Siculus, Carmelita S. Alberti in Sicilia Provinciæ alumnus, sacræ Theologiæ Magister & Professor, compendiosam vitæ S. Alberti Drepanensis Carmelitæ, cujus mentionem fecimus superiori *colon.* 20. *& seqq.* Chronologiam anno 1671. exaravit his verbis:

» Circa Nativitatem & obitum S. Alberti Autores variè loquuntur; & ideò censui potius ex Historiis hujus Regni Siciliæ dilucidanda. Fridericus Imperator & Rex Siciliæ, Filius Henrici VI. Imperatoris & Constantiæ Filiæ Rogerii Regis Siciliæ, natus est anno 1193. & mortuus ætate annorum 57. anno 1250. Frederico successit Conradus II. dictus Conradinus, loco cujus defectu ætatis præfuit Manfredus, qui Diademate Regni Siciliæ se ornavit anno 1258. Carolus Dux Andegaviæ successit Manfredo occiso: qui regnavit usque ad occisionem & expulsionem Gallorum. Siculi se tradiderunt Petro Regi Arragonum, & fuit Rex Siciliæ usque ad annum 1286. & mortuus est. Successit Petro Jacobus Filius anno dicto 1286. discessit ex Sicilia ad Regnum Arragonum, & loco ejus regnavit in Sicilia Fridericus, Filius dicti Petri, Frater Jacobi. »

Ibi consequenter tradit Andreas successionem Regum Neapolitanum & agit de bello inter Reges Fridericum Siciliæ, ac Carolum Neapolis, atque » de obsessione Messanæ, in qua meritis & oratione S. Alberti tunc viventis Urbs Messanensis fuit liberata ab hostibus, miraculo navium præbentium triticum: idque circa, aut paulò post annum Christi millesimum trecentesimum.

» Hæc legi & inveni in Historiis scribentium facta Siculorum, & Regni Neapolis: Et his stantibus dicendum est pro valdè certo tempore Imperatoris Friderici, anno circiter 1220. conjunctos fuisse matrimonio Parentes Divi Alberti, cujus nativitas post annorum XXVI. sterilitatem evenit, & senex obiit tempore Friderici Regis Siciliæ, post obsessam, & miraculo Navium vehentium triticum liberatam Messanam, secutâ pace. Quantùm ad miracula, quæ post ejus obitum scribuntur contigisse anno Christi 1300. & anno 1304. dicendum quoad Chronologiam, errasse Autores itâ scribentes. Nam vel facta sunt, dum esset in vita, vel anno 1309. post ejus mortem.

Itâ P. Andreas Rasoi, cujus præfatæ Regum Siciliæ successioni ferè convenit Pirrus Roccus in Chronologia Regum Siciliæ præfixa notitiis Ecclesiarum Siciliensium. Quapropter sententiam de obitu S. Alberti anno 1307. & verisimiliorem tenendam meritò arbitratus est Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annalium*, *pag.* 487. Quam deserere maluit Adrianus Baillet, quam alios Historicos Scriptores errantes, à quibus nimirùm arripuit ansam asserendi nonnulla S. Alberti miracula Chronologiæ Historicæ minimè cohærere. Chronologia Andreæ Rasoi Typis Antuerpianis tradita prodiit *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 645. *num.* 2231. cui testimonium perhibent Jacobus Lombardus Provincialis Provinciæ S. Alberti in Sicilia, Mathæus Orlandi Exprior Carmelitarum Generali ad Cephaludensem Episcopatum assumptus, & Daniel a Virgine Maria, Carmeli Flandro Belgii Exprovincialis. *Vide quæ superiùs dicta sunt col.* 23. *sub finem.*

CXXIV.

ANDREAS A REGIBUS, Carmelita Discalceatus, Ulyssiponensis Conventûs Professus, scientiâ & pietate in tota Lusitania venerationem sibi conciliavit. Plura Monasteria ac Provinciam suam gubernavit: Doctrinæ ac eloquentiæ suæ monumenta sunt valdè utilia & prælo parata.

1. *Commentaria in Genesim.*
2. *Sermones varii.*

Hæc, & nihil ultra, leguntur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 17.

CXXV.

ANDREAS STRENGNART, natione & Carmelitanâ professione Leodiensis, Professor Theologus Coloniensis, annis multis Prior Carmeli Leodiensis, à Serenissimo Principe Leodiensi GERARDO GROESBECK suffraganeus Leodiensis assumptus: à GREGORIO XIII. Summo Pontifice nominatus Episcopus *Tagastensis* die 28. Junii 1578. per annos triginta sex in Episcopalibus functionibus vices gessit, sub tribus Episcopis, GERARDO GROESBECK, Cardinali per hunc eumdem annum purpurato, ERNESTO BAVARO & FERDINANDO BAVARO.

Serpentis perditionem Leodiensem Hæreseos Calvinianæ & Lutheranæ dogmata acerrimè oppugnavit & repressit, pro domo Dei se murum opponens. Anno præsertim 1580. mense Februario, cum quidam Hæretici Artesii, & Hannones in Civitate Aquisgranensi sua dogmata in publica Concione profiteri ausi fuissent, & Primores illius Civitatis dogmatibus suis infecissent, postquam à Cæsare RODOLPHO II. per Legatos, & Internuntios, pro restauranda ibi Religione, magnis sumptibus & vigiliis laboratum esset, sed frustrà; Hæreticis, & maximè Calvinistis, in sua hæresi pervicacibus, Majestatem blasphemantibus, dominationem spernentibus, tandem à Cæsare ERNESTUS BAVARUS, Leodiensis Præsul ad eos delegatur, ut ibi Magistratus Catholicos, tum avitam Religionem restauraret.

Quod ut facilius solidiusque præstaret, evocavit Leodio Dom. STRENGNART Suffraganeum: qui tum Sacramento Confirmationis conferendo, tum catechisandis rudibus, & à vera fide aberrantibus, sedulo incumbens; vix dici potest, quantum progressum fecerit. Repletus longitudine dierum, & multitudine bonorum operum, senio confectus, ad alteram vitam migravit anno 1615. die 17. Maii, Leodii, ibidemque sepelitur in Choro Ecclesiæ Carmelitarum, antè majus Altare sub honorifico tumulo marmoreo, cum sequenti Epitaphio:

D. O. M.

ANDREÆ STRENGNART,
THEOLOGO CARMELITÆ
LEODIENSI, EPISCOPO TAGASTENSI,
GERARDI CARDINALIS,
ERNESTI ET FERDINANDI
ELECTORUM COLONIENSIUM,
IN EPISCOPATU LEODIENSI
ANNIS XXXVI. SUFFRAGANEO,
QUI OCTOGENARIUS OBIIT,
ANNO M. DCXV. DIE XVII. MAII.

Requiescat in Pace.

Opera non-pauca nec parvi momenti ab illo elucubrata accuratè refert Joannes Chapeauville, *tomo* 3. *de Gestis Episcoporum Leodiensium*, in Gerardo

Groesbeck, *Cap.* 21. & 33. Item in Ernesto Bavato, pluribus in locis, & maximè *Cap.* 29. & 33.

De illo celebrem quoquè mentionem habent Petrus à Beeck in *Historia Aquisgranensi Cap.* 13. Laurenoius Melart in *Historia Huensi*, an. 1580. *pag.* 229. & 298. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 385. *num.* 1047. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag* 910. & 1106. *num.* 3163. & 3921. Ludovicus Jacob in *Catalogo Alphabetico Mf. Præsulum Ordinis Carmelitarum, ab anno Christi* 1141. *usquè ad nostra tempora.* Gallia Christiana *tomo* 3. *novæ editionis pag.* 911. *num.* xci.

CXXVI.

ANDREAS A S. TERESIA, oatione Germanus, Carmelita Discalceatus, Provinciæ SS. Sacramenti Theologus, edidit Germanico idiomate prænotatum opus, *Tiresias Monachiensis.* Tubingæ, 1667. *in-4°.* ut constat ex Catalogo Franco-Furtensi; inquit, Ludovicus Jacob in *Scheda Mf.* ad suæ *Bibliothecæ Mf. pag.* 9. *affixa.*

CXXVII.

ANDREAS A S. TERESIA, Discalceatus alter Carmelita, natione Lusitanus, *Ulyssipone*, nobilibus Parentibus ortus, *Cordubæ* professus, pius, doctus, mansuetus, ævo suo gubernandi dono, non tam singolaris quàm unicus videbatur. A Carolo II. Hispaniarum Rege, cui sicut & Reginis fuit charissimus, in Episcopum designatus fuerat, sed divinâ providentiâ, in Religione monastica permanens, gubernium illius avertere non potuit. Pluries Prior, semel & iterùm Definitor Generalis, quater Provincialis, verbo & opere suis præluxit inferioribus, clarus doctrinâ sed clarior virtutibus, eflavit animam *Malacæ*; anno 1715. ætatis suæ 81.

Hispanico idiomate mandavit Typis ibidem,

1. *Sermones varios.*
2. *Epistolam Pastaralem ad suos Religiosos.*
3. *Aliam Epistolam Pastoralem ad eosdem.*
4. *Epistolam in aliqua verba Psalmi* xxviii. teste Autore *Bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 17.

CXXVIII.

ANDREAS TARGETHUS, à *Gottolingo* ditionis Brixiæ oriondus, apud Carmelitas Venetiarum, à teneris annis *Patavii* bonarum litterarum studiis operam dedit, ubi summâ omnium admiratione, brevi tempore adeò profecit, ut egregius Philosopbos & Theologus evaserit; deindè magna cum laude io eadem Academia Doctoratûs laureâ insignitus fuerit. Qui cum summæ & exquisitæ eruditionis opinione apud omnes clareret, dignus visus fuit, qui diversis in Italiæ Collegiis, præsertim Cremonensi, Patavino, Floreotino & alibi doctissimi Regentis munere fungeretur. Tandem suam in Provinciam rediens, à Rever. Priore Generali Joanne-Baptista Caffardo Commissarius primùm Generalis Coustituitur, ac tandem omnium consensu Provincialis eligitur anno 1592.

Opera plurima in *Magistrum Sententiarum*: ac io *Philosophiæ & Theologiæ Libros* eruditè conscripsit: quorum tamen titulos ooo suppeditarunt, qui Bibliothecarii Scriptores de illo memoriam egerunt, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*: Petrus Lucios In *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 78. Emmanuel Roman in *Elacidario Carmelitico*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 437. Christophorus Sylvestranus in *Examine Theologica*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 19.

CXXIX.

ANDREAS TORRES, Carmelita Neapolitanus, sacræ Theologiæ Doctor, & primarius io Majori Conventu Carmeli Neapolitani Professor: vir probitate, ingenio & literis clarus, edidit ad Urbanom VIII. Romanum Pontificem Italicâ Linguâ,

Una prædica per la Canonisatione di S. Andrea Corsino, Fiorentino Carmelitano, Vescovo di Fesole, fatta in Roma, E ivi impressa nelle Stamperia della Camera Apostolica. Seu Latinè; *Sermonem de S. Andrea Corsino, Carmelita, Episcopo Fesulano, factum Romæ, & ibidem impressum in Typographia Cameræ Apostolicæ*, anno 1629. *in-4°.*

Hujus Andreæ meminerunt Augustinus Biscarretus Carmelita, *in gaudio Religionis Carmelitanæ Mf. pag.* 19. Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 15. sed Ludovicus Jacob asserit præfatum Sermonem factum fuisse *Neapoli*; Nicolao Toppi dicente, Romæ.

CXXX.

ANDREAS ULASTO, Appulus, Carmelita Nojanus, Typis edidit Opus *De Ecclesiasticis Sacramentis.* Neapoli apud Mutium 1712. *in-4°.* Similiter Opus *De Censuris*, apud eumdem. Hæc habemus ex Schedis Mff. R. P. Elia de Amato ad oos missis anno 1748.

CXXXI.

ANELLUS ANTIGNANUS (apud italos Agnellus) Neapolitani Carmeli majoris Prior, obiit die Januarii 1639. scripsit autem *Opera Musicalia*, seu *Cantiones sacras*, qoæ Typis prodierunt Neapoli; sicut animadvertit Daniel a Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1074. *num.* 3755. ubi & alii recensentur Carmelitæ rerum Musicalium peritissimi Autores.

Antoniua Summontius, ejusdem Conventûs Neapolitani Prior, ubi obiit die 10. Decembris 1673. Hieronymua Casatus Filagus, Novariensis, ibidem Prior, & mortuus die 22. Aprilis 1669. Nicolaus Spinula, Genuensis, Philippus Christianellus, Perusinus &c. quorum *Opera sacra Musicalia* typo cusa sunt, Neapoli, Venetiis, Mediolani, Lodani &c.

Anellus sive Agnellus: *Anelli*, etenim nomen Neapolitanæ Nobilitao notum est, inquit Daniel Papebrochius tomo 1. Aprilis, *ad Cap.* xii. *Vitæ S. Francisci de Paula*, *pag.* 190. *Not. d.* Agnellus Neapolitanus, Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, & Provinciæ Romanæ Præfectus institutus io Comitiis Generalibus Bononiæ, anno 1405. celebratis, ad Episcopalem Sedem Acciensem, in Corsica Etruriæ adjacente Insula sitam, electus est septimo kalendas Junii 1421. Et huic Ecclesiæ postquam præfuisset laudabiliter annis viginti, obiit anno 1441. Scripsit

1. *In quosdam sacræ Scripturæ Libros Commentaria Mff.*
2. *In Magistrum Sententiarum Elucidationes Mf.*

De isto Agnello mentionem faciunt *Acta Consistorialia* Martini: Ferdinandus Ughellos *tomo* 5. *Italiæ sacræ*, *fol.* 1259. *num.* 14. sed Consistorialibus Actis coutrarius, promotionem Agnelli perperàm assignat tertio kalendas Maii. Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 16. Daniel à Virgine Maria *tom.* 2. *Speculi Carmelitani pag.* 910, *num.* 3165.

A.

Anellus seu Agnellus Rossi, Frater Ducis de Castellucia, Eques Neapolitanus, apud Carmelitas scientiâ & pietate claruit; nam in majori Carmelo Regens primarius Philosophiæ & Theologiæ per multos annos extitit & Concionator famosus circa anoum 1670. quando publico juri fecit

1. *Cursum Philosophiæ*, Neapoli.

Cursum Theologiæ, ibidem: teste Nicolao Toppi in *Bibliotheca Neapolitana pag.* 16.

CXXXII.

DISSERTATIO

De Beata ANGELA, *Carmelitana Moniali.*

1. ANGELA sive ANGIOLA, natione Sicula, patriâ Sciaccensis, seu Saccensis, vel ut Incolæ loquuntur *Schiavensis* vel *Sciacchitana*; prout observat Dom. Joannes Gelé, Ordinis S. Benedicti è Congregatione S. Mauri Monachus, in versione Gallica Latinæ Geographiæ Michaelis-Antonii Baudran. *Sacca* etenim Urbs est Siciliæ, in ora australi Insulæ, & in Valle seu Provincia *Mazaræ*, veteribus *Thermæ Selinuntiæ*, ad montis radices, cum portu.

2. Angela post votivam ad S. Loca peregrinationem, vixit propè *Siaccam* solitaria, cujus quidem antiquissimus ibi cultus peragitur; memoria autem vitæ distinctior nulla. Nam in Syriam ineunte seculo XIII. perrexisse fertur, & ad Montem Carmelum advenisse ubi Religiosam professionem inter manus S. Brocardi Prioris Carmelitarum Generalis secundi emisisset, atque in solitudinem Palæstinæ recessisset, ac indè in Siciliam multos annos rediisset, nec-non apud Schiavenses mortua, ad Cœlos evolasset circa annum 1230.

3. Nullum equidem hujus sepulturæ vestigium apparet; sed Altare illius in honorem erectum est in Ecclesia Carmelitarum, in sacello, quod Patronatui Illustrissimæ Dinastiæ Dominorum Daidoni Sciaccæ Incolarum nuncupatur. In ea porrò Capella, Angela Carmelitico habitu induta repræsentatur in manu tenens Jesu-Christi crucifixi effigiem. Quod constat ex Epistola R. P. Joannis-Mariæ Chiappisi, Prioris ejusdem Conventûs data die 25. Augusti, anno 1741. in qua certum exhibetur de cultu omni hominum memoria antiquiori, testimonium; & in præfata Ecclesia servari quotannis solito, die sexta Julii, cum Indulgentiis plenariis.

4. Longè antè scripserat Ægidius Leondelicatus de quo superiori pag. 8. num. 12. hujus Conventûs alumnus & professus Carmelita, in *Giardino Carmelitano*, quod » Sancta Angela, Regis Bohemiæ » filia, Virgo, sacri & antiquissimi Carmelitarum » Ordinis Monialis, Sanctitate illustrat Pragam Ur» bem Regiam Regni Bohemiæ. Celebrator de illa » solemnis festivitas Dominicâ primâ mensis Julii » in celebri Conventu Civitatis *Sciavæ* in Sicilia » maxima cum devotione, ac populorum illorum con» cursu. Pœnitentes confessi, sacrâque Communione » refecti, lucrantur ibidem à primis Vesperis usque » ad Solis occasum sequentis diei dictæ Festivitatis, » Indulgentiam plenariam concessam à Clemente » VIII. uti patet ex ejus Brevi Apostolico emanato » Romæ 10. Junii Salutis nostræ 1593. Pontifica» tûs sui anno secundo.

5. Angelam nostram Schiavensem Leondelicatus vocat Regis Bohemiæ Filiam ex opinione vulgari, quam sequi non tenemur juxta illud Baronii monitum ad annom 1125. num. 14. dicentis: *Non debemus numero Historicorum veritatem Historiæ æstimare; sed quantâ fide polleat primus Autor cujusdem assertionis. Nam reliquos primum sequi Autorem, & ejus vestigiis inhærere, frequentiori usu in more positum reperimus.* Primus autem Angelæ Bohemæ Autor vitæ, cum scripserit *Cap.* 4. quod *intellexit Sancta Angela de hæresi, quæ Pragæ exurrexit anno Domini millesimo quadringentesimo decimo; quæ etiam nunc adhuc durat:* Se non antiquiorem seculo decimo quinto floruisse manifestat.

6. Hyppolitus Marraccius *Lib.* I. cui titulus *Heroides Marianæ, seu de illustrium Fœminarum Principum in Dei-param pietate*, Romæ edito anno 1659. ex veteri Codice Ms. & ex R. P. Joanne Paulo à Porta ejusdem Ordinis Servitarum (ut loquuntur) Religioso, *Cap.* 1. § 13. scribit quidem Angelam Vladislai Bohemiæ Regis Filiam anno 1230. floruisse. Ast hujus vitæ Scriptor *Cap.* 4. *jam citato* narrat quod *Mamolaca quidam eam multis Æthiopibus veniret, ut Monasterium* Hierosolimitanum, cujus Priorissa tunc erat, *noctu per vim* invaderet. Mamolucana autem gens fertur cœpisse potiri rerum anno 1250. & extincta esse anno 1516. An commodè hæc nota temporis potest conciliari cum anno 1230?

7. Vladislaus II. Regno Bohemiæ potiri cœpit anno 1109. & sexdecim annis regnavit, scilicet ad annum 1125. Attamen Daniel à Virgine in *Speculo Carmelitano, tom.* 2. *pag.* 539. *num.* 1940. difficultatem habet quod fuerit Angela Priorissa circa annum Christi 1218. & quod annis 35. præfuerit suo Monasterio: sed solvens difficultatem conjicit eam præfuisse annis 25. tantummodò (facilè quippe mutantur numeri) & anno Christi 1243. paulò antequam Saraceni Hierusalem caperent, ex illa discessisse, & in Europam navigasse. Hæc-ne possunt ætati Vladislai II. convenire? Fateor Vladislaum II. vocari à Bohuslao Aloysio Balbino Societatis Jesu Presbytero, eum Bohemiæ Regem, qui anno 1149. navigavit in Syriam, rebusque maximis pro Religione, in Tyro & Palæstina gestis, revertit in patriam; & quem Patrem Angelæ suspicatur in *Dissertatiuncula* ad Venerabilem Patrem Carolum Carmelitani Ordinis, ex Comitibus Sclavatis directa, quæ legitur in præfato *Speculo Carmelitano tom.* 2. *pag.* 538.

8. Re autem maturius expensâ, in Epitome Rerum Bohemicarum, Lib. III. Cap. 13. animadvertit quæ de S. Angela Raymundi (hujus enim Virginis Patrem hoc nomine indicant Scriptores) Bohemorum Regis Filia dixit Bollandus, accuratiori examine indigere » sæpè me timor, inquit, incessit » vehemensque suspicio, ne in S. Angela, quam » Raymundi Bohemiæ Regis Filiam tot egregii Scrip» tores faciunt, omnes erremus. Quem enim unquam » Raymundum Bohemia Regem habuit? Movet » etiam quod hoc ipso tempore, Raymundum Princi» pis Antiochiæ filium & Boamundum Tripolitanum » Comitem ejus fratrem legamus. Adde alia, quæ » minus probabilem narrationem faciunt, de quibus » ego singulari Dissertatiunculâ ad Venerabilem Pa» trem Carolum, Carmelitani Ordinis, ex Comiti» bus Sclavatis, directâ. Itaque non immeritò Bol» landus noster: *Vita*, inquit, *B. Angelæ, quam » Ms. nacti sumus, non tenui eget examine.* In » eadem sententia est P. Daniel Papebrochius, Vir » eruditissimus & dignissimus Bollandi Successor, ut » litteris ad me Antuerpia nuper datis, significavit. » Obiisse traditur B. Angela VI. Julii. »

Scripta B. ANGELÆ.

9. Antonius Possevinus in Appendice ad Apparatum recognitum hæc habet » Angela Virgo, Ray» mundi Bohemorum Regis Filia, in Tyro Palæsti-

A.

» næ post mortem Patris, sub Doctore Brocardo » Hierosolimitano, Carmeli velamen accepit, & » vitam agens anachoreticam, scripsit *Contemplationes de Christo* Lib. I. *De Eucharistia* Lib. I. » *Revelationes.* Lib. I. vivebat anno MCXC.

10. Verùm R. P. Joannes Pinius, Societatis-Jesu Presbyter Theologus, in Commentario prævio Critico ad vitam B. Angelæ, inter Acta Sanctorum, *tom.* 2. mensis Julii § 2. *pag.* 354. *num.* 25. ait: » Possevinus, dum scribit in *Appendice ad tomum* 1. » *Apparatûs sacri* ANGELAM fuisse RAYMUNDI » BOHEMORUM REGIS FILIAM, convincitur errasse » accensendo Regibus Bohemiæ Raymundum, qui » nunquam fuerit in rerum natura. Quæro etenim; » quis Raymundus ille fuerit? quando vixerit? cui » Regi præcesserit? cui successerit in Bohemorum » Regni administratione? quandò denique è vivis » excesserit? Silent altum Regum tabulæ, silent Au» tores antiquiores, ex proposito de hac quæstione » tractantes, teste Bohuslao Balbino, Bohemicarum » Historiarum peritissimo »

11. Possevino æqualis Martinus-Antonius Delrio, *Lib.* IV. Disquisitionum Magicarum, *Cap.* 1. §. 4. *pag.* 509. *Edit. colon.* 1633. » *De Propheтiis seu » Revelationibus Virginum seu Mulierum, seu ca» nonizatæ & notæ Sanctitatis fuere*; fuere, *inquit*, » multæ hujusmodi, quarum extant Revelationes, » ut S. Angelæ Filiæ Regis Bohemiæ, Virginis Or» dinis Carmelitarum, quæ scripsit *Librum Revela» tionum* ante annos quadringintos » Delrio porrò mortuus est anno Christi 1608. ætatis suæ 57. die 19. Octobris: Possevinus autem die 26. Februarii anno Christi 1611. ætatis suæ 78. Et Disquisitiones Magicæ primis donatæ sunt Typis Coloniensibus anno 1599.

12. Jacobus Frisius in Biblioth. Tigurina *pag.* 50. *col.* 2. » Angela, Virgo Bohemorum Regis Filia, in » Tyro Palæstinæ, post mortem genitoris, sub Do» ctore Brocardo Hierosolimitano, Carmeli velamen » accepit, & anachoreticam vitam ducens, Scripsit » *Contemplationes de Christo*, Lib. I. *De Eucharistia*, » Lib. I. Item *Revelationum* Librum. Claruit anno » 1190. Corpus ejus Pragæ in Carmelitarum Mo» nasterio conditum est. » Ex hac Bibliotheca Tiguri edita suam narrationem accepisse videtur Possevinus.

13. Observar autem Daniel Papebrochius in *Responsione ad* P. SEBASTIANUM Carmelitam, 1. *parte* §. 32. & 33. *pag.* 195. quod nec convenit inter Autores de Libris ab ANGELA scriptis, quia Josias Simlerus in Bibliotheca Gesneriana augenda, eidem Angelæ adscribit Librum I. Revelationum; quem ultimum Martinus Del Rio similimodo citat: » sed ambo, inquit Papebrochius, » corrigendi sunt, ex Antonio Possevino in Appa» ratu, ubi librum istum adscribit Angelæ de Ful» gineo. Merito sanè: nam totum textum habes » insertum hujus ejusdem vitæ à Confessario ipsius » Beatæ IV. die Januarii nostri. » Ratio tamen à Papebrochio petitur qua de causa *Liber Revelationum*, qui Angelæ Carmelitanæ adjudicatur à Josia Simlero, Jacobo Frisio, Martino Del Rio, Antonio Possevino & Bohuslao Balbino, attribuatur Angelæ de Fulgineo, anno 1309. defunctæ; quam Martinus Del Rio commemorat *Lib.* 3. *parte* 1. *quæst.* 4. *sect.* 5. *pag.* 406. *col.* 1. *B.* Sed numquid sola Angela hæc de Fulgineo Scripsit Librum *Revelationum*? Contrarium evincit Del Rio *pag.* 509. *citata.* Inter eas autem haud dubiè potuerunt Scriptores recensere Angelam Carmelitanam, cujus vitæ Autor plures refert *Revelationes.* Cætera, quæ hunc spectant Scriptorem, videnda sunt inferiùs, verbo, ANONIMUS BRUGENSIS.

CXXXIII.

ANGELICA MARIA A JESU, Florentina, S. MARIÆ MAGDALENÆ de Pazzis, & MARIÆ DE MEDICIS Magni HENRICI IV. Francorum, & Navarræ Regis Christianissimi Conjugis Consanguinea, ex illustri GUADAGNORUM Familiâ orta, habitum Monialium Carmelitarum Teresianarum in Conventu Incarnationis Parisiis sumpsit: Deindè, per multos annos in Monasterio *San-Dionysiano* propè Parisios, Priorissæ vices tenuit. Virgo eminentis virtutis & perfectionis, atque præclari ingenii: piissimam efflavit animam in eodem Monasterio ad Fanum S. Dionysii sito anno gratiæ 1643. die Augusti 10. magno suarum Consodalium mœrore, sub GERMANO A S. VINCENTIO, Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italicæ Vicario Generali. Scripsit Gallico sermone,

Exhortations, & avis Spirituels à ses très-cheres Sœurs, les Carmelites de la Reforme de Sainte Thereze.

Ita Ignatius-Joseph à Jesu Maria, Carmelita Excalceatus Abbavillæus, in *ejus vitæ Compendio Mʃ.* Angelus Manrique, Ordinis Cisterciensis Monachus, mentionem etiam de nostra Angelica, in *Vita Mʃ. Vener.* ANNÆ DE LOBERA A JESU MARIA Carmelitanæ itidem Teresianæ: & Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mʃ. pag.* 20. per ipsum Ignatium-Joseph à Jesu Maria vivâ voce id edoctus.

CXXXIV.

ANGELUS A S. AGNETE, natione Gallus; Provinciâ Armoricus, in Civitate *Quintinensi San-Briocensis* Diœcesis, anno 1596. aut 1597. natus; quindennis, innocens ut Angelus, mitis ut agnus inter B. Virg. MARIÆ DE MONTE-CARMELO Alumnos in Conventu Rhedonensi consecratur, sine mora. Carmelitanam vestem induens, puerum exuit, atque mox virtutum Catechesi apparet imbutus. Triginta annis, quibus Religiosum egit, per omnes Monastici Ordinis gradus transiit. Ad Provinciæ suæ Turoniæ clavum in Paulo-polensi de Leonia, anno 1641. die 28. Aprilis Capitulo electus, fide plenus, sermone potens; mansuetus parvulis, infirmis providus, exhortatione fervens, ad arguendum pervigil, ad condonandum pronus, dum ex officio sua Monasteria perlustrat, itinere medio, inter Dolenses & Rhedonenses morte appetitur die 20. Septembris, anno 1643.

Is est, qui anno 1642. primi sui Provincialatûs, fundationem Conventûs *Flocelleriensis* in inferiori agro Pictaviensi construendi tractavit. Is est, qui ad postulationem Eminentiss. Cardinalis RICHELÆI permisit, ut URBANUS AB ASCENSIONE Moniales Congregationis Calvarianæ Visitatorem iteratis vicibus gereret. Is est, qui Decretum R^mi THEODORI STRATII Prioris Generalis, circà Confessarios Monialium Carmelitanarum in Conventu Scotiarum Nannerensi & Nazarethino Venetensi commorantium, die 11. Junii 1639. signatum executioni dari curavit. Is est, qui Concordatum Carmelitarum Provinciæ Turoniæ cum Monialibus Carmelitanis Rhedonensibus & Ploermelensibus in Armorica sitis, Apostolico Diplomate URBANI VIII. die 14. Februarii, anno 1639. confirmatum promulgari fecit.

Opera ejus Manuscripta asservantur in Capsula communi Provinciæ Turoniæ: cujus & Provincialium Acta celebrem habent nostri Angeli memoriam: sicut & Columbanus à Nostra Domina de Monte-Carmelo in *Catalogo Mʃ. Provincialium horum*, *pag.* 15. nec-non in *Encomio brevi Mʃ. Illustrium*

A.

lustrium Carmelitarum ejusdem Provinciæ, *pag.* 20.

CXXXV.

ANGELUS AB ANNUNTIATIONE, Belga, patriâ Namurcensis, Carmelita Excalceatus, edidit Gallicè,

Histoire de l'origine des Miracles de la Croix de Carenci, divisée en trois parties. A Anvers, chez François Chien. 1652. *in*-8°.

Ejusdem nominis Angelus ab Annuntiatione, Gallus, primus Definitor Provinciæ S. Teresiæ anno 1664. electus, qui eodem obiit anno, magnus virtutum cultor, teste Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 20.

CXXXVI.

ANGELUS, aliis ARCHANGELUS ANGELUS A S. JOSEPHO, Carmelita Discalceatus, anteà dictus ANGELUS ROCCA; Nobilis Savonensis, SIMEONIS ex VIOLANTE FERRERA Uxore filius, natus anno salutis 1589. scripsit Italice,

1. *Practicam Spiritualem pro Novenna B. Virginis celebranda.* Savonæ, anno, *in*-12.

2. *Revelationem Historicam Apparitionis B. Virginis Savonensis.* Genuæ, anno 1653. *in*-12.

3. *Prognosticum Cometæ die* 18. *Martii anno* 1636 *visi.*

Ita scribunt Collectores Ligurum Scriptorum, quos exscripsit Augustinus Oldoinus in *Athenæo Ligustico*, *pag.* 59.

CXXXVII.

ANGELUS DE BERGAMO, Italus, Carmelita Mantuanæ Congregationis, Doctor Theologus Bononiensis, ibidemque apud suos Sodales in Conventu S. Martioi Majoris Professor, edidit Latinè,

Orationem de divinæ sapientiæ, & B. Hieronimi Theologorum Bononiensium Protectoris piissimi laudibus, habitam in Ecclesia Cathedrali Bononiæ, in Festo S. Hieronimi, anno 1574. Bononiæ, apud Joannem Rossium, eod. an. 1574. *in*-8°.

Ita Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 20.

CXXXVIII.

ANGELUS DE AUGUSTINIS, sive ANGELINUS, ex illustri & Christiana AUGUSTINORUM Familia natus, cum pubertatis attingeret annos, utrique Parenti se Carmeliticum Claustrum ex consilio Dei-paræ aditurum fatetur, qui unicâ tantum prole donati mentem adolescentis ægrè ferebant: tandem agnitâ Dei voluntate post receptum ab eo habitum, inenarrabili gaudio sunt perfusi. Emissâ professione apud Florentinos Carmelitas tantâ doctrinâ, claritate & excellentiâ suos Sodales antecelluit, ut in sacra Theologia, aliisque scientiis eruditus, ejusdem sacræ paginæ brevi tempore Lector sit adscriptus; & Prior Silvarum ab anno 1419. ad annum 1430.

Deinde singulis annuentibus, Monasterii sui Ordinis Florentiæ; postea communi omnium laude, Thusciæ Provinciæ Carmelitarum Antistes est declaratos. In quo regimine studiosos summo opere protegebat, audaces charitate refrænabat: in via Domini tardis, concionando, stimulos addebat; superbis Dei iram, humilitatemque commemorabat; adeò ut nihil omninò posset excogitari ad Antistitis munus pertinere, quod ANGELUS angelicis instructus virtutibus, non administraret suæ Provinciæ Thusciæ.

Provincialatûs tempore jàm transacto, Florentiâ, ad sui Ordinis *Silvarum*, Monasterium propè *Signiam*, se transtulit, ubi arduâ ac solitariâ vitâ, cæteris cum fratribus militavit, atque in Dei servitio, & Matris devotione ineffabiliter accensus, Congregationem Mantuarum anno 1413. inchoatam, mirâ eruditione & exemplo excoluit. In senectute tandem bona repertus *Florentiam* ad patriam, Carmelicolasque suos veniens, jejunio ac mirâ abstinentiâ maceratus, seduloque pernoctans in Dei-paræ MARIÆ Matris Sacello, ab ea proprii obitûs diem scire promeruit. Quapropter maximò perfusus gaudio, & exclamans: *Cupio*, VIRGO MATER, nunc dissolvi, *& esse cum* CHRISTO; in morbum incidit. Ad Thorum fratribus circumfusis, cinerem, cilicia, ac spinarum manipulos ad se adduci voluit; inter quæ positus, profusis lacrymis, animam suam Deo commendavit, mente in Domini passionem, oculisque in Crucifixi imaginem defixis; his deniquè elevatis in cœlum, annum ætatis agens sexagesimum primum, millesimo quadringentesimo, trigesimo octavo, decimo septimo kal. Septembris, illa Davidica pronuntians: *Si iniquitates observaveris, Domine, Domine quis sustinebit?* Migravit è vita, sepultus in Ecclesia Carmelitarum, sub altari S. Luciæ Virginis, ejus tumulus his vetustis Carminibus exornatus:

Quid nos Relligio moneat, quid vita pudica
Et nôram, & multos nunc docuisse juvat
Carmeli testes, quarum sum Sacra secutus,
Angelus: & tanto nomine dignus eram.

Vir fuit venerabilis, & sanctæ vitæ, etiam miraculorum famâ celebris, atque Concionator insignis, ac magni judicii, ex primis Observantiæ Conventûs *Silvarum* Institutoribus, undè Mantuana Illustrissima Congregatio exordium posteà duxit. Depingitur ut *Beatus*, & cum duobus Angelis, qui ejus capiti florum coronam imponunt unâ manu; aliâque vas ante ipsius pectus tenent, in quo ex illius ore, dum concionatur, cadentes rosæ recipiuntur. Scripsit,

1. *Commentaria in quatuor Libros Magistri Sententiarum: Mss.*

2. *Conciones varias ad populum*, *Mss.*

3. *Exhortationes ad suos Carmelitas Religiosos*, *Mss.*

Vitam ejus diu asservatam in Florentino Carmelit. cœnobio, transmisit in Belgium R. P. STEPHANUS STRAVALLE Conventûs istius Prior, cùm literis datis anno 1673. die 27. Aprilis; quibus adjunctum erat instrumentum authenticum syngraphâ testium notabilium, & tabellionum publicorum munitum: hæcque prodiit *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 651. *num.* 2248. *& seqq.* Ibidem *pag.* 652. *num.* 2250. Vita alia memoratur copiosiùs scripta in Conventu Sylvarum nuncupato. Illius etiam *Beati* meminerunt Michaël à fonte in *Compendio Historiali*, Toleti in Hispania edito anno 1619. in *Catalogo Sanctorum Beatorum & Sanctimoniæ famâ illustrium*, *ad annum* 1438. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 343. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1413. *num.* 2. *pag.* 776. & ad ann. 1438. *num.* 3. *pag.* 847. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 501. *num.* 897. *& tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 976. *num.* 3426. S.

CXXXIX.

ANGELUS BLANC, Hebraïcæ, Græcæ, & Latinæ linguæ peritissimus, Sabaudus, Carmelita *Rupeculensis*, sacræ Theologiæ Doctor ac

O

A.

Professor, Concionator seculo medio decimo septimo celebris, ac Poeta laureatus apud Hispanos, apud quos studia peregit: diversis in locis Prior, ac primus Vicarius Provincialis Reformationis apud Carmelitas Provinciæ *Narbonæ*; deindè suæ Provinciæ ad clavum tenendum electus *Arelate* anno 1634. Dominicâ tertia post Pascha; posteà 1640. Præses Capituli *Lucæ* celebrati, obiit Prior Pineti, anno Domini 1651. Scripsit,

1. *S. Angeli Carmelitæ & Martyris vitam*, Carmine Latino.

2. *De S. Joannis-Baptistæ laudibus libros duos*, etiam Carmine Latino.

3. *De Confraternitate sacri Scapularis Libellum*, Gallicè. Lugduni, anno 1638. suppresso nomine.

4. *Sermones Adventûs*, & *Quadragesimæ*, quos editioni paratos vidit Ludovicus Jacob apud Authorem.

Angeli le Blanc meminerunt Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 488. Hyppolitus Marraccius in *Bibliotheca Mariana*. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Auctuario*, *Cap.* 7. Auberti Miræi, de *Origine & incrementis Ordinis Carmelitici*, *pag.* 212. Franciscus Bonæ-Spei in *Visione Eliæ*, *pag.* 325. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 520. *num.* 929. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 3825. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 20. Andreas Rossotti in *Syllabo Scriptor. Pedemontis*, *pag.* 49.

C X L.

ANGELUS BUCCELLINUS, Italus, Carmelita Congregationis Mantuanæ, Theologus, edidit Italico Sermone,

Seraphini Georgii Carmelitæ Institutionem, *pro Confratribus Ordinis Carmelitarum*, *adjunctis Statutis Sodalitatis*, *& variis miraculis ac gratiis*, *à B. V. Maria concessis.* Brixiæ, per Antonium Rizzardi, anno 1643.

Hæc scripsit Paulus ab omnibus Sanctis, Carmelita Discalceatus, in *Schedis Mss.* ad Ludovicum Jacob, qui eas nominat in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 20.

C X L I.

ANGELUS DE CAMBOLAS, ex illustri sanguine satus TOLOSÆ nascitur, & habitum antiquioris regularis observantiæ Carmelitanum ibidem induit. Emissâ professione, in Provinciam Turoniam transvolat, ad studia Philosophiæ Theologiæque percurrenda. Quibus absolutis, in suam rediit Tolosanam, concionatoris in celebrioribus Regni Galliarum Cathedralibus Ecclesiis, viginti annorum spatio, Provincialis Prioris dictæ Provinciæ per tres vices, diversarum ejusdem Regni Provinciarum Ordinis sui Commissarii seu Visitatoris Generalis undecies, nec-non Conventûs Parisiensis Maubertini Prioris & Commissarii Generalis, Definitoris itidem Generalis quater, posteà per sexcennium Procuratoris Generalis Paulo à sancto Ignatio Priorem Generalem gerente, munera probè ac sedulo exercuit.

Anno 1692. die 12. Junii, ab INNOCENTIO XII. titulum *Reverendissimi* accepit, & Universalis Romanæ Inquisitionis inter Qualificatores, cooptatus. Anno 1698. sub CAROLO PHILIBERTO BARBERIO supremo Ordinis Moderatore ad officium Procuratoris Generalis iterùm assumitur. Tandem in Comitiis Romæ Universalibus die 10. Maii 1704. habitis in Priorem Generalem eligitur. Nihil eo in suo regimine non molitus est, ad Pontificum, Regum, & Principum gratiam sibi promerendam, suique splendorem Ordinis quocunque modo promovendum. Plurima in Italia Collegia constituit, in quibus juniores Carmelitæ studiis commodius, liberius vacare possent. Errantes Religiosos ad strictiorem regularem observantiam exhortando & scribendo revocavit: proprietatis vitium ab uno quoque longè amandavit. Emenso sui Officii cursu in Galliam rediit, ubi annuo sexcentarum librarum censu donatus à Rege Christianissimo LUDOVICO XIV. apud suos Tolosates sodales octogenario senior obiit anno 1716. die 14. Septembris.

Præter *Conciones*, & *varios Theologiæ Tractatus*, quos antequam sacræ Theologiæ inter Magistros annumeraretur, dictaverat, nonnullas *Pastorales* scripsit *Epistolas*, quarum una Romæ die 6. Novembris 1707. data ad Religiosos Provinciæ Turoniæ Carmelitas, sic incipit:

» Præter commissam nobis moderandi Carmeli curam, quâ vehementer astringimur, specialis erga » Provinciam vestram dilectio nostræ ab illa vigilantiæ oculos vel brevi divertere non permittit. Mater » illa quondam, ac Nutrix nostra teneris nos ab » annis formavit: nostram illa juventutem pietatis » ac doctrinæ lacte nutrivit. Hærent adhuc animis » nostris tempora illa & mores, illa senum gravitas, » tyronum modestia, præpositorum zelus, obtemperatio subditorum, domi disciplina, foris opinio, » ubique & in omnibus æmulatio sanctitatis, &c.

Angelum de Cambolas commendant *Archiva Ordinis Carmelitici*; nec-non Columbanus a nostra Domina de Monte Carmelo in *Historia Chronologicæ ejusdem Ordinis Mss. pag.* 156. *& seqq.* sed præsertim Pontifex Maximus *Innocentius XII.* in Diplomate Apostolico ad eum dato 1692. die 12. Junii, quo illum decorat titulo Reverendissimi, cum omnibus huic annexis singulis privilegiis. Prodiit *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 649.

Andreas Capero nostri Angeli dè Cambolas Procurator Generalis, à PHILIPPO V. Carbolico Hispaniarum Rege, ad Episcopatum *Lucensem* Augusti promotus est anno 1711. & expleto longo ibi mortalitatis cursu, obiit anno 1717. mense Augusto; ut notat Columbanus in *Chronolog. cit. pag.* 157. & 158.

C X L I I.

ANGELUS CAPREOLUS, natione Italus, Brixiensis patriâ, Mantuanæ Congregationis Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, Concionator præclarus, vir in divinis literis versatissimus, apud suos sodales in magno pretio habitus, diversis in locis Prior, deindè suæ Congregationis Vicarius Generalis anno 1479. *Mantuæ* electus; qui claruit ad annum 1482. in utroque jure optimè versatus, ut facilè perspici potest ex luculentissimo Opere cui titulus inscribitur,

Stella. Opus justæ magnitudinis in septem Rubricas digestum, Confessoribus, & animarum curam gerentibus non inutile. Tractat enim de variis casibus, circà negotia Religiosorum, Curatorum seu Plebanorum, Episcoporum, usurariorum Negotiatorum, &c. Extat excusum Brixiæ per Joannem Antonium Brixianum anno 1511. *in-4°.* studio & diligentiâ R. P. *Augustini Passirani*, authoris nepotis: cujus in fronte Operis extat Epistola dedicatoria.

De Angeli Capreoli laudibus & scriptis agunt dictus Augustinus Passiranus, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro.* Jacobus Frisius in *Epitome Bibliothecæ* Conradi Gesneri, *pag.* 51. *col.* 1. ubi Monachum simpliciter eum vocat, absque instituti designatione. Aubertus Miræus, *de Scriptor. Eccles. Cap.* 18. ubi eum malè vocat *Andream.* Petrus Lucius in *Carmelit.*

A.

Bibliotheca, folio 5. verso. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 363. Daniel à Virgine, *tomo 2. Speculi Carmelit. pag.* 1067. *num.* 3695. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo 4. anno* 1479. *num. 2. pag.* 949. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 20.

CXLIII.

ANGELUS CASTIGLIONI, aliàs CASTILLIONÆUS, Nobilis & Patricius Genevensis, quem tamen veluti Mediolanensem laudat Vir clariss. PHILIPPUS ARGELATI, duas de pietate atque doctrina Congregationes Carmeli optimè meritas illustravit. Prima autem fuit Congregatio celeberrima Monachorum S. MARIÆ MONTIS-OLIVETI, quam ingressus anno 1525. die 2. Julii & Prior extitit in eo Carmelo anno 1538. Altera verò est Congregatio *Mantuana*, ad quam transiit anno 1558. Is sacræ Theologiæ Doctor egregius, in dicendis ad populum sermonibus disertus & eloquens; utpote qui per annos sex & triginta in celeberrimis Italiæ quibusque Civitatibus Conciones habuit.

Hoc functum sacro munere per decem continuos annos Genuæ fuisse asserit ARGELATUS, non tantum tempore Quadragesimæ & Adventûs, verùm etiam infra annum in Cathedrali Templo, atque in festivis diebus etiam post prandium lectiones habebat cum magno populi concursu. Quàm carus fuerit Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis & Primatibus, sat indicant, quas ad S. Carolum Borromæum scripsit, Epistolæ. Quid ampliùs? Castillionæi Sententias tanti fecerunt sacrarum Literarum Professores Theologi, ut vulgari imò & singulari vocabulo: THEOLOGUS-JANUENSIS vocitaretur. Quoties sagacem ejus prudentiam, morum suavitatem & sermonum sunt facundiam demirati Magnates atque Litterarum Cultores? Tam illustris Carmelita è vivis excessit anno 1584. sed apud posteros immortali memoriæ tradidit Opera quæ sequuntur his titulis inscripta:

1. Ad instantiam Illustriss. & Reverendiss. Dom. Gabrielis Paleotti Cardinalis & Bononiensis Archiepiscopi *Omelie* LXXXV. *per tutto l'anno, divise in trè parti.* Milano, presso il Ponzio 1583. *in-4°.* Hæ Homiliæ, S. Carolo Borromæo Cardinali, Mediolanensi Archiepiscopo, & Ordinis Protectori posteà nuncupatæ fuerunt, qui eas typis dari institit à R. P. Francisco Adorno Societ. Jesu Presbytero Theologo, & nostri Angeli Castillionæi ex sorore nepote, tres in tomos divisas, Mediolani, anno 1585. *in-4°.*

2. *Oratio habita Mediolani anno* 1568. *in Ecclesia Majori*, ob quam multi Hæretici publicè & coram populo sectam abjurarunt. Hanc edidit hortante præstantissimo Cardinali Gabriele Paleoto jam memorato; ut animadvertit Carolus Vaghus infrà citandus.

Oratio altera in funere Joannis Mathæi Gilberti Episcopi Veronensis, habita Venetiis; sed edita Mediolani anno 1585. *in-4°.* ut testatur Oldoinus, in Athenæo Ligustico, *pag.* 30. ubi Carmelitam Excalceatum falsò putat eum fuisse.

4. *Vita nonnulla Sanctorum Mſſ.* Ex eodem Carolo Vagho Carmelita.

5. Angeli Castillionæi Januensis Theologi familiæ Alumni Carmeliticæ *Dialogi sex de animadversione, ac circumspectione adhibenda in legendis Ecclesiasticis Scriptoribus*, præsertim Chrysostomo Theophilacto, Nazianzeno, Tertulliano, Hilario, Ambrosio atque Hieronymo; è quibus Autoribus citantur plerque insigniter dicta, quæ ad tuendam fidei Catholicæ sinceritatem, & ad proborum morum institutionem, nec-non ad nostræ tempestatis convincendos Hæreticos plurimùm conferant. Adest ibidem elogium Gregorii à Montibus de hoc Opere, & index locupletissimus. Mſ. autographum asservatur Mediolani in *Bibliotheca Ambrosiana sign.* I. *num* 103. *pag.* 318.

6. *Quadragesimales Conciones*, nec-non *Sermones de Sanctis & Festivitatibus.* Mſſ. *in-folio* magnæ molis, & pertinebant ad Magistrum de Mediolano: nunc autem asservantur in *Bibliotheca* Carmelitarum Cœnobii S. JOANNIS AD CONCHAM Mediolanensium Congregationis Mantuanæ.

7. *Risposta contro una Lettera à lui scritta da Celso Martinengo dimorante in Geneva, in confutazione degli Eretici, data in Geneva li* XV. *Luglio* M. DLIV. *in-4°. pag.* 105. *sign. G. num.* 16. *Mſ.* servatur in Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ Mediolanensis.

8. *Epistola plures tàm Latina quàm Italica ad S. Carolum Borromæum, cum istius Responsionibus Mſſ.* quæ in laudata Collectione Ambrosianæ Bibliothecæ asservantur.

Laudant Extranei Angelum Castillionæum Hieronymus Ghilinus, Abbas S. Jacobi de Cantalupo in Regno Neapolitano, *in Theatro virorum illustrium, parte* 2. edito Milani Italicè *in-8°.* 1633. Iterùm Venetiæ anno 1647. *in-4°.* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro.* Hyppolitus Marraccius in *Bibliotheca Mariana.* Ludovicus-Franciscus-Joseph de la Barre in *Dictionario Moreriano* anni 1725. *tomo 2. pag.* 215. *lit C. §. Cette famille de Castiglione.* Philippus Argelati in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 346. *num.* 487. Augustinus Oldoinus Societ. Jesu, in ATHENÆO LIGUSTICO Perusiæ edito anno 1680. *in-4°.*

E Domesticis Carmelitis, Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca fol.* 6. Josephus Falco in *Chronico Carmelitico*; Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 429. Daniel à Virgine Maria in *Speculo Carmelitano*, *tom. 2. pag.* 1067. *num.* 3696. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 21. Carolus Vaghus in *Commentario Fratrum & Sororum Carmelitarum Congregationis Mantuanæ.*

CXLIV.

ANGELUS CORADELLUS, natione Italus, patriâ Brixiensis, Congregationis Mantuanæ Carmelita, & hujus Vicarius ter Generalis, anno 1515. & 1521. Bergomi, Parmæ autem anno 1527. electus: sacræ Theologiæ Doctor Bononiensis: Vir multiplici doctrinâ clarus ac morum candore celebris, Theologus & Philosophus præstantissimus, cujus Magister ANTONIUS DE AVERRARIA Carmelita ejusdem Congregationis itidem Vicarius bis Generalis, hoc præbuit de illo testimonium.

» Ipse Discipulus me Magistrum suum scientiâ » & probitate præcellit: in Religione suæ ætatis » parem invenio neminem. Memini ego, dum eum » Philosophiæ & Theologiæ initiis imbuerem, sæpè » dixisse: O si te discipulum quandoque videam » me Magistrum tuum scientiâ superasse. Quæ verba » ità cordi affixit, ut totus studio traditus, sæpè » noctes decurreret insomnes; tantoque discendi » ardore æstuabat, ut velut Plato vel Pithagoras » alter, multa terrarum spatia peragravit, & ad » floridum Parisiense Gymnasium perveniens, ibi » abundè sumpserit, quod sitierat ardenter » Ad annum 1530. vixit Coradellus, & Brixiæ obiit, sepultusque cum sequenti Epitaphio, quod refert in suis *Orbis deliciis* Franciscus Swertius Antuerpiensis.

A.

Hoc tumulo, Coradelle, jaces: an Sydera Cœlo
Adscitus fausto jam premis astra pede?
Jam premo. Non debet terrena sede gravari
Angelus; ætherei, sed colere arva poli.
Ergo cur tumulum lacrymis perfundit inanem
Brixia? Non videt hic, dum nimis illa gemit.

Joannes Thomas Musconius Amico Pos. Scripsit Coradellus,

1°. *In sacram Scripturam Lucubrationes*: quas non omisit memorare Jacobus Lelong in *sua Bibliotheca Sacra, pag.* 685. *E. col.* 1.

2. *Commentaria in Theologiam.*

3.° *Discursus Philosophicos & Logicales.*

De Angelo Coradello præclara perhibent testimonia, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*: Antonius de Averraria in *Prologo Libri sui de virtutibus*, qui Ms. extat in Bibliotheca Patrum Carmelitarum antiquiorum Conventûs Cæsaraugustani; teste Alegreo Cassanato in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 390. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca, folio* 6. ubi eum vocat Doctorem Bononiensem & Parisiensem. Josephus Falco in Chronico Carmelitico. Daniel à Virgine Maria *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1067. *num.* 3696. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 21. &c.

CXLV.

ANGELUS DALFAU, Catalanos, ex Oppido *Ostalrique*, Gerundensis Diœcesis Carmelita, ex peregrinatione Hierosolymitana reversus, scripsit Hispanè,

Itinerario de la Tierra Sancta. Quem Librum editioni paratum, occasione belli ea in Provincia grassantis perdidit. Obiit Barcinone die 1. Julii 1663. teste Nicolao Antonio, *tomo* 2. *Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 671.

CXLVI.

ANGELUS DERTANNE, Aquitanus, Aurilliaci ex illustri familia natus, Carmelita Provinciæ Aquitaniæ Alumnus, sacræ Theologiæ Professor, variis in Conventibus Prior, Aurilliacensis Monasterii partem Refectorio contiguam refecit, & ibidem suæ mortalitatis exuvias reliquit anno 1678.

In Psalmos expositiones apud Eruditos commendatas dedit: Quæ Mss. servantur Aurilliaci in Bibliotheca Carmelitarum; teste R. P. Charmes in *Schedis Mss. pag.* 13.

CXLVII.

ANGELUS DE DUCCIS, natione Lombardus, Brixiensis patriâ, Congregationis Mantuanæ Carmelita, Doctor Theologus Bononiensis, Symphoriano Champier Lugdunensi Medico charus; cum Gallias lustraret, scripsit ad eumdem Champerium,

1. *Pro Italis Scriptoribus Apologeticum.* Lugduni, per Stephanum Gueynardum & Jacobum Huguetan, anno 1507. *in-folio* editum, & nuncupatum præmemorato Symphoriano Champier.

2. *Orationum & Epistolarum, Librum unum.*

Ejus memoria celebratur apud Jacobum Frisium in *Epitome Bibliothecæ Gesneri, pag.* 51. *col.* 5. & apud Ludovicum Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 22. nec-non apud Paulum ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptor. Carmelitarum, pag.* 67.

CXLVIII.

ANGELUS DUSSEL, natione Aquitanos, patriâ Aurilliacensis, statura pusillus, sed ingenio gygas, eruditione insolitus, nihil in disciplinis tùm Sacris tùm Profanis ignorans, in Theologicis reconditus, in Philosophicis acutus, in Rhetoricis facundus, in Juris Canonici & Civilis rebus apprimè consultus, in Grammaticis solers, in Medicis expertus, in Poëticis venustus, in Mathematicis abstrusus, in Historicis assiduus, in omni scientiarum genere versatissimus. Ab omni officio alienus, Theologiam suos Aquitaniæ Provinciæ Carmelitas annis viginti quinque docuit, Tractatus memoriter Theologicos sæpiùs dictitans. Dissertationes multiplices elicuit; Conciones quot ad usum juniorum suorum sodalium scripserit accommodatas facilè vix aut credibile dictu est. Indolis fervidæ, sed vitæ modestæ & religiosæ: hic vir *Figeaci* occubuit anno Christi 1735. ætatis suæ 58. sicut in suis ad nos missis die 5. Novembris 1745. testatur R. P. Joannes Charmes, *Schedis Mss. pag.* 16. qui ejus familiari consuetudine per annos duodecim usus est.

CXLIX.

ANGELUS ESPIN, Hispanus Carmelita regularis antiquioris observantiæ, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, R. P. Hieronymi Ari Prioris Generalis Assistens; vir vitæ innocentiâ, morum gravitate, & literarum cognitione percelebris, scripsit circà annum 1663.

De Sacramentis *tomos* 5. teste Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 22.

CL.

ANGELUS FARDELLA, nobilis Drepanitanus, Carmelita: vir gravioribus disciplinis apprimè instructus, quas Regentis munere docuit, & Concionator eloquentiâ illustris. Drepanense semel & iterùm Prior Cœnobium rexit. Claruit anno 1650. Edidit Italicè,

1. *Oratione Funerale recitata nella città di Piazza il giorno 30. di Gennaro dell. Anno* 1648. *nell' esequie del Sig che fù D. Giuseppe Strarabba: sivè* Latine, *Orationem funebrem recitatam die* 30. *Januarii, anno* 1648. *ad exequias Dom. Dom. defuncti Joseph Strarabba.* Panormi apud Buam, & Portam novam, 1648. *in-4°.*

2. *Il titolo di Maria, Maria del Carmine, Predica fatta in Palermo nel* 1648. sivè Latinè, *Concionem de titulo B. V. Mariæ de Monte-Carmelo, factam Panormi*, 1648. Ibidem apud Petrum de Isola 1648. *in-8°.* sicuti refert Antoninus Mongitor, *tomo* 5. *Bibliothecæ Siculæ, pag.* 35.

CLI.

ANGELUS A S. GABRIELE, Hispanus Carmelita Excalceatus Pastranus, Novitiorum Magister Monasterii S. Petri Pastranæ: vir zelo, fervore, & pœnitentiâ clarus, qui vixit circa annum 1588. dùm Congregatio Carmelitarum Excalceatorum adhuc suberat Joanni-Baptistæ Caffardo totius Ordinis antiquioris Priori Generali. Scripsit anno decliuante 1571. vel ineunte 1572. *Epistolam adversus V. P. Joannem à Cruce*, cui respondet R. P. Magister Dominicus Bannes, Ordinis Prædicatorum præclarum decus, quam refert in sua *Historia Generali* Franciscus a S. Maria, *Lib.* 4. *Cap.* 26. ad annum 1572. die 23. Aprilis.

Angelum à S. Gabriele memorant Franciscus à S. Maria in dicta *Historia Generali Carmelitarum Excalceatorum Hispaniæ, lib.* 4. *Cap.* 30. *num.* 3. Joannes Caramuel in *vita Domini à Jesu Maria, pag.* 281. Dominicus Bannes in *Epistola ad S. Teresiam.* Hieronymus à S. Joseph, *Lib.* II. *Vitæ Joannis à Cruce, Cap.* 6. & 7. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 22.

CLII.

A.

CLII.

ANGELUS A S. HILARIO, Gallus, Carmelita Provinciæ Franciæ, in Conventu Metensi commoratus, Poeta Latinus, obiit circà annum 1664. postquam edidisset Carmina quæ inscribuntur Latinè,

1. *Celeberrimus invictæ Fratrum Mendicantium unionis Triumphus, dicatus Religiosissimis vitæ Apostolicæ Professoribus.* Parisiis, apud Dionysium Langlæum, 1634. *in-4°. Tableau des Excellences de la Bienheureuse Vierge Marie du Mont-Carmel :* id est Latinè,

2. *Tabella Excellentiarum B. Virg. Mariæ de Monte-Carmelo.* Metis, apud Joannem Antonium, 1638. *in-8°.* Gallico Carmine, prout scribit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmel. Mſ. pag.* 22.

CLIII.

ANGELUS JEROSOLIMITANUS (Sanctus) Hebræus gente inter Carmeli Eremitas à S. Brocardo admissus Priore Generali, à quo & in Siciliam missus est ob Ordinis communem forsan necessitatem, tranquillitatem sublevandam & promovendam, prædicationi insistens, ab incestuoso veritatis & virtutis inimico Berengario, pro fide Ecclesiæ & virtute pudicitiæ, lethaliter in capite vulneratur anno Domini 1220. die 5. Maii quo ejus festivitas per totum Ordinem celebratur. Scripsisse fertur,

1. *De Causis mirabilibus Ordinis Tractatum.*

2. *Epistolarum librum unum, &c.*

Triplex est S. Angeli vita : Prima extat apud Benedictum Gononum, inter vitas Patrum Occidentis editas Lugduni anno 1625. folio 227. è pervetusto quodam Codice Mſ. Romæ quasi divinitùs reperto, bonâ fide fideliterque descripta & excerpta anno Domini 1601. Habet Manuscriptum istud appendiculam de vita S. Simonis Stok, verbo tenùs transcriptam ex viridario Joannis Grossi, qui cum adhuc in vivis fuerit anno 1400. Si ab eadem manu est Appendicula illa, à qua est vita S. Angeli, non poterit se ultra sæculum XV. Christianæ ætæ Codicis totius vetustas extendere. Esse autem ab eadem mano, videtur judicatum fuisse anno 1635. ab illustr. Horatio Justiniano cum testibus nonnullis congregatis ; ut observat Irenæus à S. Jacobo in Tractatu de singulari Virginis Immaculatæ protectione, *pag.* 19.

Altera vita sæculo decimo sexto ineunte reperta est apud Siculos in Mſ. Panormitano, indèque edita sub hoc titulo : *Vita S. Angeli Martyris, cum revelationibus ei à Christo factis in deserto, quibus prædicuntur victoriæ Turcarum, invasiones, calamitates, excidia, eversiones Regnorum & afflictiones Christianorum in multis Provinciis, præcipuè in Italia.* Titulum sequitur Epistola editoris ad Generalem Ordinis Audettum, cum indiculo Capitum. Hanc vitam R. P. *Daniel à Virgine Maria* totam inseruit *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 351. & *seqq.* non ex impresso Panormitano immediatè, sed ex fide transumpti Mſ. anno 1647. Româ missi à R. P. JOANNE-BAPTISTA DE LEZANA. Et hujus Autographum sivè Originale habuerunt Agiographi Belgæ Jesuitæ, missum Antuerpiam Neapoli anno 1637. curâ R. P. ANTONII BEATILLI, ejusdem Societatis Jesu. Ex illo autem Autographo suppleverunt tum alia quædam, tum insignem unum plurium linearum in dedicatoria Epistola hiatum in quo refertur quod S. Angelus, quandò Epistola scribebatur, necdum erat à Sede Apostolica Canonisatus.

Prior vita, simpliciori & contractiori stilo, sed subbarbarè scripta, videri posset primus ac genuinus Autoris sui fœtus, nisi dubitationem injiceret alia quædam vita (hanc vocamus *tertiam*) ex ultrajectino Mſ. sumpta, quam Daniel Papebrochius antiquiorem & sinceriorem censuit, & post duas alias collocavit in collectione Actuum Sanctorum mensis Maii, *tomo* 2. *pag.* 835. cum observationibus nonnullis acceptam ex præfato *Mſ. legendario ultrajectino Ecclesiæ S. Salvatoris*, quod apud dictos Belgas Jesuitas Agiobiographos fuit, & HERIBERTUS ROSWEIDUS transcribendum curavit, ex autographo (quantùm HENSCHENIUS meminit) sæculo XIV. exarato : circà quod tempus rem totam primò fuisse compositam sibi persuadet Papebrochius, propter ea omnia quæ ipsam haud fictionis condemnant. Nec videntur posse adscribi tempori, ei ætati, quâ cæsus est Angelus, magis propinquo.

CLIV.

ANGELUS A JESU MARIA, *Mediolani*, nobilissimis ortus Parentibus circa annum 1580. Patrem Marchionem DA SOCINO, qui sæculi vanitates fastidiens, sub humili Capucinorum habitu, Pater AMBROSIUS DE MEDIOLANO dictus est. Mater quoque Monialis effecta est : tam ille, quam ista sancto fine quieverunt ; Sororem quoque habuit, quæ inter Moniales Teresianas piè obiit.

ANGELUS noster vix pubertatem excesserat cum Excalceatis Carmelitis nomen dedit die 25. Decembris 1594. *Romæ* Priore FERDINANDO A JESU MARIA, & Magistro Novitiorum JOANNE A JESU MARIA. Transactis, miro spiritûs fervore, primis religiosæ vitæ annis, Conventûs Cremonensis Prior electus, hinc Monasteriorum Galliæ & Lotharingiæ Visitator Generalis ; posteà Genuensem Conventum regens, de fundanda prima Congregationis Eremo, obtinuit à Superioribus veniam, & locum elegit in medio Monte Ligustico, *Genuam* inter & *Savonam* : quam quidem Eremum copiosis nobilium Genuensium elargitionibus construi curavit, cum sufficientibus redditibus, ad vitam sanctè, religiosè ac tranquillè ducendam, ab humano Consortio separatam.

Anno 1617 electo in Præpositum Generalem Vener. P. DOMINICO A JESU MARIA, & in varias divisâ Congregatione Italicâ Provincias, primus Longobardiæ Provincialis renuntiatus est Angelus triennio sequenti Definitor Generalis ; in omnibus præfecturis præbens seipsum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in sanctitate, & charitate non ficta. Anno 1625. die 16. Aprilis, animam Deo reddidit, cum magna sanctitatis opinione. Scripsit,

Septem Epistolas Pastorales Italicas, ad Religiosos suæ Provinciæ directas, & in collectione Mediolanensi editas anno 1671. *in-4°.* Quæ tractant de Mediis ad perfectionem religiosam obtinendam conducentibus : *sexta* tamen est Elogium R. P. *Hyppoliti ab omnibus Sanctis*, nobilis Romani, ac Prioris Conventûs Mediolanensis, cujus merita recenset.

Angelum à Jesu Maria commendant Historia Generalis Carmelitarum Excalceatorum *Congregationis Italicæ, tomo* 1. *Lib.* I. *Cap.* 25. Philippus a Sancta Trinitate in *Decore Carmelitani Religiosi, parte* 3. *pag.* 58. Martialis à Sancto Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 17. & 18. Bibliotheca Mediolanensis, ubi hæc leguntur :

A.

Angelus a Jesu Maria, Mediolanensis, in seculo dictus Georgius Stampa, spretis paternæ domûs commodis, & nobilissimi sanguinis stemmate post habito; natus enim erat anno 1584. filius Marchionum *de Socino* in Ducatu Mediolanensi, severiorem Carmelitarum Nudipedum vitam amplexus fuit, in qua studiis peractis majoribus, missus eam ob causam ad Archigymnasium Salmanticense, Italiam postmodùm repetens, Cœnobiis Neapolitano *Matris Dei*, & Genuensi S. Annæ præfuit, primusque Lombardiæ Provincialis renuntiari promeruit.

Sacrum Dei verbum populis fervido instructus zelo ministrabat. Quod cùm Genuæ perageret, decem scutorum millia, tribus tantummodò Concionibus recitatis, ab astantibus eleemosynæ titulo ferunt collegisse: quibus usus est ad excitandum in Liguriæ oris sui instituti asceterium, cui nomen *il Deserto San Gio. Baptista in terra de Verazze.* Suos etiam Sodales die IX. mensis Februarii anno Christi 1614. in urbem Mediolanensem induxit, templo & Cœnobio conditis extrà urbis *Portam* quæ *Nova* dicitur, sub nuncupatione S. Caroli. Magna cum sanctitatis opinione Romæ requievit in Domino, anno Redemptionis nostræ 1635. illiusque effigies apud eosdem Nudipedes Carmelitas in patria servatur, hoc addito Elogio, ex sacris potissimum Libris desumpto:

P. Fr. Angelus a Jesu Maria,
Mediolanensis,
Huius Monasteris Fundator,
mundanis opibus,
stemmati, ditionibus valere jussit.
surrexit quasi ignis,
et verbum ipsius
quasi facula ardebat;
convertit cor Patrum ad Filios,
et cor Filiorum ad Patres eorum.
Cælo natus est Romæ, anno M. DCXXXV.
IV. nonas Maii,
ætatis XLIX.

Opera illius bis notantur titulis,

1. *Lettere Pastorali.* Editæ sunt in libro, cui titulus: *Lettere Pastorali, de Generali Carmelit. Scalzi.* Milano, nella stampa Arcivescovile, 1671. *in*-4°.
2. *De Religiosæ perfectionis periculis atque remediis.* Ms. apud suos.
3. *Medulla Spiritûs*, Ms. Ibidem.
4. *Concionum plura volumina* Mss. Ibidem.

Præter Auctores jam citatos, agunt de Angelo à Jesu Maria Joachim Garbicellus seu Joachim à Sancta Maria, Carmelita Discalceatus, in Libro *de Fundatione Cœnobii S. Caroli Mediolanensis.* Philippus Picinellus in *Athenæo illust. Vir. Mediolanens. pag.* 37. Joannes Sitonus in *Theatro Genealogico Ms.* penes ipsum Auctorem, & in *Schedis Mss.* Philippus Argelati in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium tomo* 2. *pag.* 1436. *num.* 1625.

CLV.

Angelus a S. Joseph, Provinciæ Germaniæ Discalceatus Carmelita, in qua fuit Magister Novitiorum, Prior Tridentinus & Definitor Provincialis circa annum 1640. Pietate simul ac eruditione clarus edidit Latinè,

Apophtegmata sacra, pro qualibet Hebdomadæ & anni die accommodata, ex scriptis SS. Teresiæ à Jesu & Joannis à Cruce desumpta. Monachii in Bavaria, anno 1642. Ibidem 1647. apud Melchiorem Segen. Item Valentiæ, sumptibus Joannis Sonzoni, *in*-12. 1651.

Hoc opusculum prodiit postmodùm Gallicè, Montis Hannoniæ, Typis Stievenart, 1644. *in*-12. operâ R. P. Gasparis à Matre Dei. Italicè translatum à R. P. Leone à Regibus, Græcii editum Flandricè, per R. P. Paulinum à S. Joseph. Coloniæ, 1678. *in*-12.

Alius ejusdem nominis floruit Angelus à S. Joseph Carmelita Excalceatus Lingonensis patriâ, Parisiensis Provincialis anno 1652. electus, qui obiit Parisiis, anno 1661. Nostrum autem Auctorem memorant Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 22. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1127. *num.* 3961. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 19. Sed Ludovicus Jacob vocat eum patriâ Genuensem, qui à Superioribus missus fuit in Germaniam.

CLVI.

Angelus a S. Joseph, itidem Carmelita Excalceatus, in seculo dictus Josephus Labrosse, *Tolosæ*, divitibus ac honestissimis parentibus ortus anno 1636. in ejusdem civitatis Cœnobio veste Religionis indutus, ac solemniter professus, in Philosophicis ac Theologicis disciplinis non mediocriter instructus, zelo salutis animarum flagrans, in Missionariorum numerum adscribi petiit, & à Superioribus obtinuit. Tolosâ itaque cum R. P. Chervaino a S. Joseph profectus, in Gymnasio sui instituti Romano Missionum, sub R. P. Cœlestino a S. Ludovina Batavo Lugdunensi, celeberrimi Jacobi Golii germano fratre, in Arabica lingua ad stuporem erudito hujus elementa linguæ prælibavit.

Ad Orientales Missiones destinatus, itineri se accingens, anno 1664. *Smyrnam* appulit: ubi linguarum Persicæ, Turcicæ, & Armenicæ, passim fragore captato promptuarium quoddam vocabulorum pugillaribus inferens, quod quatuor mensium itineri usui fuisset, die 4. Novembris, *Aspahamum* pervenit: ubi sub magisterio Balthazaris Sodalis, Lusitani, in lingua Persica exercitatus paucos post menses, cœpit è musæo absque interprete ad forum prodire, & è foro ad suggestum. Hinc residentias Carmeliticas suas Persidis & Arabiæ peragrans, modò mathematicos, modò medicos, modò controversistas sustinebat Persas, cum quibus conatus mirificos exercebat.

In iis exercitiis, ut Infidelium conversioni strenuè adlaborans, per decem & octo annos, quibus in Perside aut in Arabia permansit Prior Aspahensis, & indè Bassorensis. Ast *Bassora* civitate *Hasseno* Principi, Turcarum armis sublata & capta; suasit novæ ditionis jugum formidabile ut quidam Carmelitis *Constantinopolim* deputaretur *ad Portam*: quo Excellentissimi Galliæ Legati, Marchionis de Nointel ope diplomata quædam ad firmam hujus Missionis & Ecclesiæ tutelam atque manutenentiam corroborandam, obtineret. Quocirca speciali horum Missionariorum impulsu, ac R. P. Visitatoris Generalis jussu, Angelus noster discedens die 13. Aprilis, anno 1678. *Bassora Constantinopoli* applicuit die 4. Novembris ejusdem anni: ubi, à præfato Excellentissimo Legato perquàm benignè exceptus, dignos tantis auspiciis, atque adeò majores optatis, obtinuit favores, tùm à Porta, tùm ab ipso Legato: qui patentes literas ultrò concessit, quibus Bassorensis Missionis superiorem, in Gallicæ nationis Consulem erigebat; concesso etiam ad hunc effectum,

A.

capitulationum Galliæ cum PORTA, magnifico authographo, quo vel unico titulo patuit aditus obtinendi diplomatis imperatoriæ Portæ.

Quod cum feliciter admodum emanasset, acceptis paulopost plurimis ab Eminentiss. Cardinali CIBO, ad motum proprium INNOCENTII Pontificis Maximi, adhortatoriis epistolis, ut *Romam* quantocius advolaret ANGELUS eo anno 1679. die 18. Novembris pervenit; ubi non semel à Pontifice summo accersitus, magnificis muneribus donatus est. Parisios perrexit anno 1680. advenitque die decimâ Augusti. Tunc à suo præposito Generali Bruxellis agente, in Belgium vocatus, ab eodem Visitator Generalis Missionum Hollandiæ suarum est constitutus.

Quibus absolutis, in Angliam missus, idem Missionarii officium adimpleturus, tempore Jacobi secundi; sed inde fugere coactus, in Hibernia aliquot annis permansit: tandem Provinciæ suæ Aquitaniæ restitutus, primùm Cœnobii Perpinianensis Prior, deindè Definitor Provincialis, Vicarius Provincialis, ac tandem anno 1697. Provincialis. Quo quidem munere fungens, dum eumdem Perpinianensem Conventum visitaret, ibidem eodem anno, die 29. Decembris, extremum diem obiit; Vir de Religione Catholica, ac Eruditis omnibus benè meritus; ætatis anno suæ 61. Opera ejus edita inscribuntur,

1. *Pharmacopœa Persica, ex idiomate Persico in Latinum conversa; Opus Missionariis, Mercatoribus, cæterisque Regionum Orientalium lustratoribus necessarium. Accedunt in fine specimen notarum in Pharmacopœam Persicam* &c. Parisiis, 1681. *in*-8°. Typis Stephani Michalet, cum amplis indicibus.

Huic præmisit Operi Angelus eruditissimam Præfationem criticam circa nævos & errores versionis Persicæ Evangeliorum, quâ usus est Briandus Waltonius in Bibliis Polyglottis Angliæ, observatos quidem ab aliquibus Autoribus, sed minus officiosè excusatos; ut referunt *Acta Eruditorum Lipsiæ, anni* 1682. *pag.* 181. Hæc autem censura in ipsum Angelum alteram animadversionem adduxit ex parte THOMÆ HYDE: qui ad calcem *Cosmographiæ Perit-Sol* retaxat ANGELUM nostrum minimè autorem esse versionis Pharmacopœæ Persicæ asserendo, sed MATHÆUM A S. JOSEPHO alterum Carmelitam Excalceatum. Quod tamen ullo absque fundamento profertur. Autorem porro, qui Persico idiomate Pharmacopœam composuit, vocatum fuisse ELEN, MOURAFFXR, MONCHAMEDEL, notant etiam Acta Lipsica jam citata.

De illa videri possunt Diarium Eruditorum Galliæ *anno* 1682. Claudius Frastenius in *Disquisitionibus* suis *Biblicis*, *pag.* 836. Cherubinus à S. Joseph in *Bibliotheca Criticæ sacræ*, *tomo* 4. *pag.* 680. Jacobus Lelong in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 653. *col.* 1. *A.* &c.

2. *Gazophilacium linguæ Persarum, triplici linguarum clavi, Italicæ, Latinæ, Gallicæ, nec non specialibus præceptis ejusdem linguæ reseratum. Opus Missionariis Orientalibus, linguarum Professoribus, sacrorum Bibliorum Scrutatoribus, cæterisque Regionum Orientalium Lustratoribus, perutile ac necessarium &c.* Amstelodami, 1684. ex officina Jansonio Vaesbergiana *in-folio.*

Elegans ac politum Opus istud laudant Dom. Marchio DE NOINTEL, pro Rege Christianissimo Constantinopoli Legatus: Dom. Joannes-Franciscus PAITIS DE LA CROIX, Regis Galliæ Interpres: Dom. Joannes Chardin; horum trium testimonia leguntur in *limine Gazophilacii*: quibus accensendi sunt Adrianus Baillet in Collectione *Judiciorum Eruditorum de Grammaticis*, *tomo* 2. *artic.* 743. *pag.* 646. *Edit. in*-4°. Jacobus Lelong in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 1197. *&c. pag.* 652. 653.

3. *Summa Divi Thomæ in Persicum idioma conversa* quod res, quæ de Dogmatibus & Moribus tractant, inquit Autor *Bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 22. Imo & hanc versionem *Ms.* asserit hic Autor ex testimonio Carmelitarum Sodalium, Aquitanorum, qui cum ANGELO nostro diu conversati sunt: cujus quidem celebrem fecerunt mentionem non tantum illustres & eruditi viri jam citati, sed etiam Innocentius XI. in Epistolis Eminentissimi Cardinalis Cibo ad ipsum Angelum scribentis; Joannes Chardinus Eques in itinere Persiæ, *tomo* 4. *pag.* 204. *Edit. in*-12. Joannes-Petrus Niceron in suis Memoriis, *tomo* 29. *pag.* 26. *& seqq.*

CLVII.

ANGELUS A S. JOSEPH, Ligur ex Oppido *Ultri*, Carmelita Discalceatus, antè ingressum Religionis, PANTALEO MUSUS nuncupatus, cum in suo Ordine, cui nomen dederat die 27. Septembris anno 1617. ætatis suæ septimo suprà decimum, cœnobiis pluribus præfuisset, Librum composuit sub hoc titulo,

Sententiæ spirituales ex operibus Seraphicæ Virginis Teresiæ & Venerabilis Fr. Joannis à Cruce pro singulis totius anni diebus distributæ; Monachii anno 1642. evulgatum. Meminerunt hujus Michael Justinianus in prima *parte Scriptorum Ligurum*: & Augustinus Oldoinus in *Athenæo Ligustico*, *pag.* 33. Qui & pag. 623. animadvertit quod

Vultrum, *vel Vutrum* est Oppidum Liguriæ Occidentalis, aut Veiturii, vulgò *Voltaggio* seu *Ottaggio* in finibus Genuensium intra Montis Apennini radices, medium inter Genuam & Dertonam. Aliis *Voltri*, *Vultri* seu *Utri* videtur Pagus Oræ Ligusticæ à Genua decem mille passibus in occasum Savonam versus.

CLVIII.

ANGELUS MARIA A RESURRECTIONE, Discalceatus Carmelita, in sæculo vocatus BALTHAZAR CAVINIGNANUS, *Panormi* natus anno 1599. cùm ad decimum septimum ætatis annum pervenisset, humanioribus eruditus literis, Panormitano Noviriatu Religionis Carmelit. nomen dedit die 13. Apr. anno 1616. emensòque probationis anno, communi omnium plausu Vota solemnia dixit die 16. Aprilis anno 1617. Religiosus fuit regularis observantiæ rigidissimus Custos, integerrimis moribus instructus, in sacrarum Litterarum lectione assiduus, divinarum contemplationi rerum addictissimus, mundique contemptor eximius: Conventûs Panormitani, posteà Moticensis Prior. Tandem meritis plenus, die 31. Decembris anno 1672. *Panormi* diem clausit extremum. Italicè edidit Librum, cui titulus,

Christo Amante dell'Anima detto il Passare Solitario. Opera non meno erudità che profitte vole à qualsivoglia persona spirituale. Id est Latinè, *Christus Amator Animæ. Opus non minus eruditum, quam spiritualibus proficuum personis.* Panormi, duobus tomis *in*-4°. Quorum primus anno 1664. & secundus anno 1670.

Ex hujus Autographo, quod servatur in Conventu Panormitano S. MARIÆ DE REMEDIIS, colligitur tomum secundum non fuisse integrè Typis editum, ob infirmitates fortè, quas biennio ante mortem, religiosâ ac invictâ fortitudine pertulit.

Apud nonnullos Scriptores laudatur Angelus Maria à Resurrectione; sed præcipuè apud Antoninum Mongitorem in *Bibiotheca Sicula*, *tomo* 1. *pag.* 55.

A.

nec-non apud Martialem à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorumn*, *pag.* 23.

CLIX.

ANGELUS MARIN A S. CRUCE, aliàs BONUS-JOANNES, *Villæ-novæ* sub Montiregalensi Diœcesi, die 25. Julii anno 1638. ortus, & die 10. Maii solemniter professus inter Taurinenses Carmelitas anno 1661. posteà Astæ Professor Philosophiam & Theologiam suos Sodales edocuit: atque idiomate Italico scripsit: *Historia della miracolosa vita di San Andrea Corsino Carmelitano vexovo di Fiesole*, *cavata del furio &c.* Astæ anno 1671. item *Tractatum de Deo in via Resoluti Doctoris:* qui *Mss.* in Cœnobio Carmelitarum Taurinensi asservatur: inquit R. P. Timotheus Bergerot in Schedis Mss. anno 1748. concinnatis.

CLX.

ANGELUS MERULUS, vulgò MERLI, aliquandò MERLUS, natione Longobardos in Oppido *Dorno* Diœcesis Ticinensis natus, nobilissimis ortus Parentibus, Carmelita Papiensis, sacræ Theologiæ Doctor Theologus, atque Academiæ ejusdem Professor primarius; diversis in Coovventibus Prior, deindè Provincialis Hiberniæ, Scotiæ, Saxoniæ & suæ Lombardiæ: in qua ultima pluries Commissarius ac Visitator Generalis extitit, nec-non R^mi HENRICI SILVII Socius universum gregem suum lustrantis: Vir eruditionis eximiæ, Cathedram Ticinensem per longam annorum seriem regens, & Concionatoris munus in Italia magno cum Auditorum plauso sustinens, obiit *Papiæ* septuagenario major, die 2. Februarii 1649. Scripta ejus sont,

1. *Epistola* exhortatoria pro *Reformatione* amplectenda, *ad suæ Religiosos Provinciæ Lombardiæ*, excusa anno 1618. *in*-4°.

2. *Nocturni duo*, *quos juniores Carmelitæ Clerici pro defunctis Fratribus suis Carmelitis recitare tenentur.* Ticini seu Papiæ, anno 1619. *in*-8°.

3. *Tractatus de Incarnatione*, *Ms.* in Bibliotheca Papiensi Carmelitarum servatus.

4. *Sermones Quadragesimales* & *Adventuales Mss.* Ibidem.

5. Italicum in idioma transtulit *Conceptus de divino Amore* à S. Teresia Hispanicè scriptos. Papiæ anno 1623. *in*-8°. ex officina Joannis-Baptistæ Rubei.

Hispanicè, inquam, inscribuntur: *Conceptos del Amor de Dios sabre algunas palabras de los Cantares de Salomon.* Hunc quidem Librum flammis ab ipsa Teresia incumbere jussum, ut Confessario jubenti obsequeretur, qui mali exempli rem, ut scillcet fœmina Interpretem Cantici Canticorum ageret aversatus fuerat, refert HIERONIMUS GRATIANUS, in præfatione quadam libro Teresiæ adjecta; servatamque tantummodò portionem quamdam ex principio, quam transcripserat sibi Monialis quædam cui GRATIANUS notas aliquas, cùm editurus esset, adjunxit.

Angelum Merli commendant Franciscus Voërsius Carmelita, in vita *Reverendissimi Henrici Silvii Carmelitarum Prioris Generalis*; Augustinus Biscaretus in *Palmitibus vineæ Carmeli*: Nicolaus Antonius *tomo* 2. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 239. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 23. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3725.

CLXI.

ANGELUS MINECUCCIUS, aliàs MINICUCIUS, natione Italus, ab oppido *Canepina*, in Diœcesi *Hortana* sito, non longè ab *Urbe*, Carmelita S. Th. Magister, patrii Conventûs Rector, & pluribus modis auctor, itemque Romæ Cœnobiorum S. MARTINI & TRANSPONTINÆ Prior, nec-noo Provinciæ Romanæ Provincialis anno 1615. electus, & in sua patria die 26. Martii 1630. mortuus. Scripsit Italico sermone ad MARCELLUM DE AQUAVIVA Archiepiscopum Hidruntinum,

Meditationes nonaginta duas, quas opusculo B. Petri de Alcantara, de oratione, operâ suâ correcto, notationibus & correctionibus ornato, adjunxit. Romæ, anno 1600. apud Guillelmum Faciottum, *in*-12. Hæ Meditationes versantur *circa vitam & Passionem Domini Nostri Jesu-Christi.*

Angelum Minecuccium celebrant Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3726. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 23. Petrus Lucius in *Bibliot. Carmel. folio* 75. iterum signato verso: nam errore typographico foliorum ordo perturbatur à folio primum signato 76. ex quo posteà resumitur foliorum numerus, seu zyfræ 73. 74. 75. & 76. Porrò folio iterum notato 75. verso, ubi agitur seu celebratur *Sebastianus Avezzanus*, dicit Petrus Lucius, quòd *hujus* Avezzani *notitiam* ipsi Lucio *primus omnium dedit Reverendus Magister Angelus Minicucius à Canepina*, *dilectus meorum studiorum socius*, *vir perquàm eruditus*, *nec minus virtutis quam eruditionis studiosus.*

CLXII.

ANGELUS MONSIGNANUS, natione Italus, patriâ Forojuliensis, Carmelita sacræ Theologiæ Magister, in Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1680. in Procuratorem Ordinis constitutus, post mortem FERDINANDI TARTAGLIÆ, die 1. Martii defuncti, in Priorem Generalem eodem anno 1682. die 4. Aprilis statim electus est à viris Religiosis S. MARIÆ *Transpontinæ*, prout fiduciaria ipsis facultas fuerat concessa in dicto Capitulo, adveniente forsan morte Prioris Generalis; Ordinem quinque rexit annis, quibus evolutis Comitia celebravit Romæ Generalia in quibus successorem anno 1686. obtinuit Reverendissimum P. *Paulum à S. Ignatio.* Scripsit,

1. *Epistolam ad Patres Provinciæ Turoniæ*, pro nominandis Commissariis, qui correctiones Directoriorum, si quæ sint faciendæ, revideant, datam Romæ, die 26. Augusti, 1682.

2. *Decretum divisionem Vicariæ Brasiliensis*, *in Vicarias Bahiæ & Fluvii Januarii statuens.* Cum enim Vicaria Carmelitarum Brasiliensis, quæ unita est Provinciæ Lusitaniæ, & ab ea omninò dependet, constet tredecim Conventibus quorum sex siti sont ex parte Episcopatûs & Diœcesis *Fluvii Januarii*; alii verò septem ex parte Diœcesis *Bahiensis*, & *Pernambucanæ*: & una dictarum partium seu Conventuum distet ab altera ultrà ducentas leucas, nec facilis sit hinc indè transitus, ob mare quod interjicitur adeò tempestuosum, & periculis plenum, ut nonnisi certo anni tempore navigari possit, facilesque inde succedant navium submersiones, prout accidit anno 1685. in personam actualis Vicarii Provincialis unà cum duodecim aliis Religiosis, qui naufragio miserrimè perierunt. Ob hanc distantiam, expensas navigationum maximas, & alia plurima incommoda, Monsignanus cum supremo Carmelitici Ordinis Consilio necessarium judicavit præfatam Conventuum divisionem statuere; & suum statutum Apostolico

Diplomate

A.

diplomate die 8. Februarii 1686. munire curavit. Decessit autem *Forolivii* 1. Aprilis 1697. ætatis 69.

De illo mentionem habent Innocentius XI. in præfato diplomate Apostolico, quod typis mandatur *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 638. Liber communis Mſ. Ordinis Carmelitici, ubi de *Generalibus*: Columbanus à Nostra Domina de Monte-Carmelo in *Narratione Mſ. Historico Chronologicaque Ordinis Carmelitici*, *pag.* 155. Gregorius à S. Martino in libro Gallicè inscripto: *Apologie pour l'Antiquité des Religieux Carmes*, §. 26. *pag.* 563.

CLXIII.

ANGELUS NEPOS, aliàs de NEPOTE, vel de NEPOTIBUS, à Moore-Calerio, Taurinensis agri subalpinos, sivè Pedemontanus, S. Th. Magister & Regens *Papiæ* ac *Patavii*, occnon Lombardiæ Provincialis, atque CAROLO EMMANUELI Sabaudiæ Duci à sacris Confessionibus. Obiit die 16. Decembris exeunte anno 1623. Scripsit in gratiam promovendorum ad sacros Ordines librum, quem titulo decoravit,

Erotemata Sacramentorum, Papiæ, 1595. *in*-4°. Item Severini 1614.

Angelum de Nepotibus commendant Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3726. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 23. Andreas Rossotti in *Syllabo Scriptorum Pedemontii*, *pag.* 52.

CLXIV.

ANGELUS PALACIUS, natione Hispanus, in oppido *Aguero* Diœcesis Pampelonensis natus, sacræ Theologiæ Doctor, Ticini, Romæque inter exteros, *Oscæ* hinc in schola regni Aragoniæ Theologiam docuit; Aragoniæ etiam Præfectum Provincialem egit, Bæticæque & Catalauniæ Visitatorem: atque in Urbe Congregationum sanctæ Inquisitionis & Indicis Consultorem gessit; quo tempore ad Antonium S. R. E. Cardinalem ZAPATAM scripsit,

1. *Sententias Theologicas.* Romæ, 1613. *in*-4°.

2. *In D. Thomæ summam Theologicam Commentaria*, in quatuor tomos divisa; quorum *Mſſ.* in Bibliotheca Carmelitarum Transpontina vidit Ludovicus Jacob anno 1640. & posteà typis mandata fuere anno 1670. Cæsar-Augustæ, apud Augustinum Verges, in compendium redacta studio & operâ *Dionysii Blasco* Oscensis Professoris Carmelitæ.

3. *De abditissimo SS. Trinitatis Mysterio Tractatum*: incipit: *Postquam D. Thomas à Quæstione secundâ, &c.* Manuscriptum hunc tractatum vidit ibidem *in*-4°. Ludovicus Jacob, & eo usus est dictus Dionysius Blasco ad suam Theologiam abbreviatam edendam.

Id animadvertit Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 2. *pag.* 115. *col.* 1. verbo, *Michaël Ripol.* Ludovicus autem Jacob in *suo Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 23. notat nostrum Angelum Palacium floruisse ad annum 1640.

CLXV.

ANGELUS A PASSIONE, natione Gallus, Provinciâ Aremoricus, in seculo dictus BERITAUT, natus est *Ploërmeli*, quod oppidum est minoris Britanniæ in Diœcesi *San-Macloviensi.* Vota dixit apud Carmelitas Rhedonenses, & post Philosophiæ atque Theologiæ tùm Scholasticæ cum Ethicæ studia peracta in Conventu Aurelianensi, statim è subsellio in Cathedram ascendit, jussu & ordinatione Superiorum Magister & Professor earumdem disciplinarum. Prior dein Flexiensis, Pictaviensis, Ploërmelensis & Pontis-Abbatis atque suæ Turoniæ Provinciæ Custos posteà, & Vicarius tandem Generalis Monialium Carmelitanarum Rhedonis degentium extitit sex annis.

Vir facie decorus, amabilis aspectu, & continuâ vitæ serie Religiosæ apud omnes gratiosus & commendabilis, sui nomen ipsius, & egregiam mentis indolem, atque virtutis laudem indicat. ANGELUS etenim fuit cordis innocentia, morumque integritate, quam quotidianus cilicinæ subuculæ, nec-non ferreatum catenarum usus fovebat: ANGELUS mitâ mansuetudine, quam ne ullus iræ igniculus, nec ulla rerum intempestiva temerabat occasio: ANGELUS scientiarum amplitudine, quam opera typis edita testantur: ANGELUS radio sapientiæ, quâ præfulsit aliis, & animarum salutis zelo quo omnibus omnia factus est: ANGELUS, quem summa etiam à minimis vitæ commodis alienatio demonstrabat, bonorum contemptus, dignitatum neglectus: ANGELUS fervida, quem efformabat cordis & mentis oblatio, nec unâ quidem intermissâ nocte, quâ assurgeret, & aliis præiret ad officium divinum persolvendum; cui nec defuit in ipsa suæ mortis vigilia; dum fatum *Rhedonis* solvit quinto nonas Julii, anno Christi nati 1731. ætatis suæ septuagesimo secundo. Opera quæ publico juri fecit, alia Gallico, Latino alia sermone, vocantur:

1. *Le Disciple Pacifique de S. Augustin*, sivè Latinè, *Pacificus S. Augustini Discipulus*, 2. tomis *in*-4°. quorum primus Parisiis editus fuit anno 1715. apud Andream Cailleau. Alter, ibidem, anno 1718. Primus tomus, qui paginas 858. complectitur, prævíam Dissertationem evolvit, in qua primum de veneratione S. Augustino & ejus discipulis coætaneis atque supparibus, Prospero, Orosio, Fulgentio, debita tractatur: deinde agitur de hæresibus Pelagii, & Conciliis quæ illas condemnarunt: tandem Semipelagianorum errores exhibentur, & quinam horum fautores extiterint declaratur. Pagina 161. materia libertatis incipit evolvi per Analysim operum S. Augustini ad hanc doctrinam spectantium. Pagina autem 277. præbet exordium secundæ parti hujus voluminis, circa gratiam versanti.

2. *Inquisitor Canonum*, sive expositio & resolutio conscientiæ casuum ex regulis Canonicis deducta. Tribus tomis *in*-12. Rhedonis, annis 1724. 1725. & 1726.

3. *La Théologie des Peres des premiers Siécles de l'Eglise.* Ibid. 3. vol. *in*-8°. 1728. Neque Gallici sermonis nitorem, neque venustam Theologiæ canitiem omnino continet id Operis.

4. *Abregé des Annales de Baronius Mſ. in*-4°. Asservantur apud Carmelitas Rhedonenses; sed indè multum utilitatis hodiè non expectandum est.

Angelum à Passione commendant Necrologium *Carmelitarum Rhedonensium*: Mathæus à S. Stephano, Præfectus Provinciæ Turoniæ in *Apodixi defunctorio*, quam Parisiis *die* 8. *Julii* 1731. de ejus morte, scripsit ad suos Religiosos Carmelitas: Columbanus à Nostra Domina de Monte-Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum Illustrium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 31.

CLXVI.

ANGELUS PEREIRA, natione Hispanus in antiquo *Barcelos* oppido natus est, in Diœcesi Bracharensi, Carmelitanæ antiquioris Observantiæ habitum induit in Collegio Conimbricensi; ubi posteà Theologiam docuit. *Olisipone* Priorem egit sacræ Theologiæ tum Doctor, & anno 1600. die 14. Maii institutus est Episcopus Martyriensis sub

A.

Patriarchatu Antiocheno, & Suffraganeus Cooimbricensis Episcopi. Obiit in oppido Pereira, propè *Conimbriam* die 20. Junii 1614. Scripsit,

Varios Theologiæ Tractatus: quorum nonnulli *Mss.* forsan asservantur in Bibliotheca Carmelitarum Conimbricensium antiquioris regularis observantiæ.

De Angelo Pereira loquuntur *Acta Consistorialia* Clementis VIII. ad annum 1600. die 14. Maii: *Relationes* Carmelitarum Lusitanorum *Mss.* in Belgium missæ. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 910. *num.* 3166.

CLXVII.

ANGELUS A S. PAULO, Hispanus Carmelita Excalceatus, scripsit circa annum 1591. *Relationem de virtutibus & sanctitate Ven. P. Joannis à Cruce Carmelitæ Excalceati*, sicuti monent Franciscus à S. Maria *tomo* 2. Historiæ Reformationis S. Teresiæ, *Lib.* VIII. *cap.* 5. Hieronimus à S. Joseph, *Lib.* V. *Vitæ Joannis à Cruce*, *cap.* 9. Ludovicus Jacob, in *Scheda* volatili *ad pag.* 23. suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Ms. addita.*

CLXVIII.

ANGELUS PIUS CHIAPPANUS, Mediolanensis, antiquioris Observantiæ Carmelita, S. Theologiæ Magister, Doctor & Professor: acutissimo vir ingenio præditus, omnes præ se tulit virtutes, homine pietatem profitente dignas. Philosophiæ studiis Theologica adjunxit: & ne quid in eo ad animi culturam pertinens deesset, cùm Poësis, tùm sacræ eloquentiæ ornamentis eluxit. Inter primarios ævi sui scholasticos habitus, in Cœnobio Transpontino sui Ordinis in urbe Roma studiorum Præfecturam non paucos annos gessit: tùm in Papiensi Archigymnasio quasi per gradus ad primariam Theologiæ Cathedram ascendit. Nam Logicam primùm, hinc Ethicam, mox Metaphysicam anteà docuerat. Inter Affidatos Academicos, quibus adscriptus fuerat, primas quodammodo tenere videbatur.

Sacras conciones habuit cum Auditorum non minori fructu, quàm plausu, Panormi, Neapoli, Romæ, Venetiis, Bergomi, in aliisque præcipuis Italiæ urbibus. Alumnis suæ Provinciæ Lombardiæ præfuit, Regiorumque Ministrorum, ob doctrinæ præstantiam, blàndamque morum comitatem, animos sibi devinxit. Cum inter nobiles viros oriebantur controversiæ, ad eum tamquam ad virum in hac materia peritissimum undique confluere solebant omnes; ardentesque lites inter Papiensem urbem & literis in eo lycæo vacantes juvenes, electus arbiter summâ prudentiâ, ac felicitate composuit. Ad immortalitatem transiit in antiquiore Mediolanensi Carmelo S. Mariæ die 20. Augusti, anno Christi Salvatoris 1664. Hæc sunt doctrinæ illius monumenta:

1. *La Carita indefessa. Panegirico per San Carolo, detto nel Duomo di Milano.* Ivi, 1643.

2. *L'Ambrosia: Panegirico per il B. Ambrosio da Siena Dominicano.* Cremonæ, 1623.

3. *Panegirico per Santa Teresa.* Mediolani, 1632.

4. *Alcune Poesie Italiane per varie opportunità.* Mediolani, 1630.

5. *Libro di Lezioni in materia di Cavalleria, e di duelle fatte à Cavalieri di Milano.* Volumen Ms. magnæ satis molis, quod prælo paraverat.

6. *Quadragesimale Ms.* quod etiam in lucem edere statuerat.

7. *Opera quædam ad speculativas scientias spectantia Mss.* apud suos asservata.

Angelum Pium Chiappanum laudant Philippus Picinelli inter Canonicos Regulares Lateranenses Mediolanenses in *Athenæo virorum Literator. Mediolanensium* Italicè edito anno 1670. *in*-4°. Daniel à Virg. Maria *tom.* 2. *Speculi Carmel. pag.* 1071. *num.* 3726. Ludovicus Jacob in *Catalogo Ms. Monasteriorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 139. ubi vocat illum *Joannem-Baptistam Chiappanum.* Philippus Argelati in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium tomo* 1. *pag.* 427. *num.* 572.

CLXIX.

ANGELUS A PRÆSENTATIONE, natione Hispanus, patriâ Granatensis, ex patre Genuensi ortus, Carmelita Discalceatus in Conventu S. Joannis de Portu Novitius, Vicarius Panuelæ, anno 1580. & Rector Biacensis, anno 1591. vir nobilitate, eruditione, & Religione clarus, scripsit,

Historicam relationem de fundatione Cœnobii Hispalensis Carmelitarum Excalceatorum, anno 1674. factâ; in qua de primis illius incolis miranda recenset apostolicæ paupertatis, austeritatis, patientiæ, humilitatis, aliarumque heroicarum virtutum exempla.

Angelum à Præsentatione celebrant Franciscus à S. Maria *tomo* 1. Historiæ *Congregationis Hispanicæ*, *Lib.* III. *cap.* 13. & 24. *Lib.* IV. *capp.* 4. 9. 20. & 42. Ludovicus Jacob in *Scheda* apposita *ad paginam* 23. suæ *Bibliotheca Carmelitanæ Ms.* Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1127. *num.* 3961. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 22. Dorotheus à S. Renato in *Commentar. super libros Regum*, *pag.* 233.

CLXX.

ANGELUS A PURIFICATIONE, Hispanus Carmelita Excalceatus, natus in oppido *Somosierra* duabus *Castellis* confini, *Pastranæ* Professus, virtute, scientia, Concionibus clarus, Historiographus à superioribus destinatus, plura scripsit quæ in Bibliotheca Matritensi servantur. Edidit

Sermonem Panegyricum de Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis: teste Martiali à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 22. ubi nihil ultrà de illo refert.

CLXXI.

ANGELUS ROBERTUS LAURENTUS DE BONONIA: Vir magni ingenii, omnique genere virtutum exornatus, in Cathedra, & in suggestu ejus eloquentia animos alliciebat. Doctoris Theologi insignibus Bononiæ fuit decoratus, Prior patriæ 1631. Definitor 1632. Procurator Generalis Curiæ Romanæ. Quo tempore cognitâ ejus sapientiâ, & prudentiâ ab Eminentiss. Dom. S. R. E. Cardinali MARIO GINETTO Ordinis Carmelitarum Protectore; eum idem Eminentissimus ab Urbano VIII. Pontifice Maximo destinatus esset Plenipotentiarius Legatus à Latere in Dietam (ut loquuntur) Monasterii celebrandam pro pace universali, uti suum Theologum secum duxit LAURENTUM, qui cum eodem Cardinali permansit usque ad annum 1638.

Deindè Romam reversus, per Apostolicum Diploma præmemorati Summi Pontificis Urbani VIII. suæ Congregationis Mantuanæ Vicarius Generalis instituitur Romæ die 5. mensis Junii 1638. in Conventu S. Chrysogoni. Elapso autem biennio, Bononiæ congregatum fuit Capitulum ejusdem Congregationis Generale, cui præfuit ex Decreto Apostolico Eminentiss. Dom. S. R. E. Cardinalis JULIUS SACHETUS, de Latere Legatus Bononiæ;

A.

& ibidem, concurrentibus omnium Patrum vocalium votis, dempto uno, in Vicarium Generalem suæ Congregationis electus, & denuò confirmatus est LAURENTUS, ob egregiam humanitatem. Anno autem 1641. post Generalia FERRARIÆ Comitia celebrata, in quibus electus est Vicarius Generalis R. P. DOMINICUS MASSONIUS DE LUCA, ipse Laurentus petiit Viterbium, ibique, præ intensâ applicatione ad restituendam regularem observantiam, lethali morbo correptus, efflavit animam. Cujus ad laudes Clemens-Maria Felina in suo *Musæo virorum illustrium Congregationis Mantuanæ*, hos cecinit versus, illum loquentem inducens duobus prioribus versibus:

Jura vetusta colo; *veterum* monumenta *reservo*;
Moribus antiquis *omnia* reddo nova.
Os *edat*, aut *edat*, fratrem non inquinat ullum;
Mappula labra polit: dant labra verba poli.
Urbs *vitæ Angelicam* non possidet, *Angele*, *vitam*;
Quam cupis, in Cœlo est; *i*, cape, funde tuis.

Ad horum intelligentiam versuum præfatus FELINA notat quod 1°. LAURENTUS Pastor zelantissimus fuerit antiquæ Observantiæ restitutor, & Romani sui Archivi Fundator. 2°. Clericos suos Religiosos omnes, exceptis iis qui Lectoris seu Professoris munus sustinerent, in Choro frequentes esse voluerit. 3°. Silentii observantiam rigorosè præceperit: studiorum enixus promotor, otiosa colloquia in proficuas & utiles dissertationes converterit. 4°. Primus Mantilium communitatem in Refectorio decreverit; ita ut omnibus fratribus, qui priùs de iis singularem sibi curam adhibuissent, quilibet Conventus ipsa subministraret, singulisque hebdomadis immunda tolleret, ac substitueret munda. 5°. Viterbium petierit, & ibi morbo lethali correptus, vitam obierit mortalem.

Laurentus *Assertiones de Coticula Eliæ & Adami* publicè propugnavit Romæ anno 1628. in Comitiis Generalibus.

Præclara de illo testimonia exhibent Urbanus VIII. in Diplomate Apostolico die 20. Martii 1638. dato quod prodiit *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 469. Petrus-Thomas Sarracenus in *Menologio Carmelitarum*, *pag.* 61. Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelitana Mſ. pag.* 23. Carolus Vaghus in *Commentariis Congregationis Mantuanæ*, *pag.* 164. 165. *&* 284.

CLXXII.

ANGELUS ROCCO, natione Italus, patriâ Barensis, sacræ Theologiæ Magister, Conventûs patrii diu Præfectus scripsit Italico sermone *De Privilegiis Fratr. Religiosorum & Confratrum Ordinis Carmelitarum.* Barii, anno 1669. *in*-12. Florebat etiam anno 1680. testibus Editoribus *Speculi Carmelitani*, uti videre est *tomo* 2. *pag.* 1074. *num.* 3755.

CLXXIII.

ANGELUS RUBEUS, seu ROSSI, Bergomensis, Theologus celebris, Philosophus ac Orator præclarus, Lector fuit Philosophiæ in Bononiensi studio; atque cum ibidem Professoris munus præclarè sustinuisset, in Collegio Doctorum Theologorum Bononiensium receptus est anno 1573. die 3. Augusti: bis Definitor Generalis, scilicet, anno 1571. & 1575. Præses Comitiorum Generalium suæ Congregationis Mantuanæ ex auctoritate Summi Pontificis Gregorii III. anno 1577. Procurator Generalis in Curia Romana anno 1584. Vir moribus purissimus extitit, Apostolicus Concionator, ad quem audiendum ingens populus concurrebat: religiosæ paupertatis rigorosus cultor: latissimâ charitate fervens, non solùm Prior in patria probos subditos protegebat, malosque corrigebat; verùm etiam plurimorum Secularium Spiritualis Pater & Judex, innocentium animas Dei amore magis in dies accendebat, & corda pœnitentium à vitiis purgabat; tandem ardenti zelo ignitus, in magna opinione decedit. Cujus ad honorem Clemens Felina in suo *Musæo virorum illustrium cecinit*:

Emicat Angelicus candor, *rubet* altus & ardor
Hanc animam Sponsus *diligit*, *ut* similem.
Angelus est linguâ, flammas quoque nutrit amoris;
Sed simul æs resonans, *ad pia Templa vocat.*
Mens pia post aurum neque abit, neque sperat in auro;
Mira facit: Quis hic est? Nomen & acta docent.
Provida virga Ducis mare *rubrum* pandit amoris;
Progreditur *virtus*, *crimina* mersa *jacent.*
Urbis corda tenet; dat Cœli oracula cella;
Tanta super montes Urbs *latitare nequit.*

Scripsit Rubeus, *De laudibus Divinæ sapientiæ*, *atque Beati Hieronymi Orationes* editas Bononiæ, 1574. *in*-4°. sicut refert Clemens Maria Felina *loco citato*, & Carolus Vaghus in *Congregationis Mantuanæ Commentariis*, *pag.* 308.

CLXXIV.

ANGELUS SAGARRO, natione Catalanus, Barcinonensis patriâ, sacræ Theologiæ Doctor, atque Collegii S. ANGELI ejusdem Civitatis Rector: Vir morum comitate gratiosus, & eruditione celebris, decessit *Perpiniani* anno 1620. postquam scripsisset,

1. *Varios sacræ Theologiæ Tractatus*: qui *Mſſ.* Barcinone asservantur in Bibliotheca dicti Collegii, quod possident Carmelitæ antiquioris regularis Observantiæ.

2. *Sermones Quadragesimales Mſſ.* ibidem asservatos.

3. *De illustribus Viris Ordinis Carmelitici Librum Mſ.* ibidem reservatum.

De Angelo Sagarro loquuntur Theophilus Raynaudus in *Scapulari Partheno Carmelitico*, *tomo* 7. Aubertus Miræus de *Scriptoribus sæculi* XVIII. *Cap.* 190. *pag.* 287. *Ed.* Fabric. ubi vocatur Angelus, ut expressè refert Nicolaus Antonius *tom.* 1. *Bibl. Hisp. pag.* 125. qui eum vocat Antonium. Emmanuel Roman, *Lib. de illustribus Viris Ordinis Carmelitici*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 484. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 24. Antonius Teissier in *Catalogo Autorum*, *pag.* 19. Paulus ab omnibus Sanctis in *Actuario*, *Cap.* 7. *de origine & incrementis Ordinis Carmelitici*, Auberti Miræi, *pag.* 212.

CLXXV.

ANGELUS DE SALAZAR, natione Hispanus, *Buldecanensis* in Diœcesi vetustioris Castellæ, vulgò *Burgos*, Doctor Theologus, Prior Abulensis, & quinquies Castellæ Provincialis, qui & Sanctam TERESIAM solvit voto, quó seipsam obstrinxerat de faciendo semper quod perfectissimum judicaret, & facultatem ei dedit duo prima Monasteria Carmelitarum Excalceatorum construendi, & in illos Vicarius Generalis à Reverendiss. Dom. PHILIPPO SEGA PLACENTINO Episcopo &

A.

Apostolicæ Sedis in Regnis Hispaniæ Nuncio constitutus, anno 1579. atque posteà juxta postulationem Reverendissimi Prioris Generalis JOANNIS-BAPTISTÆ CAFFARDI in Visitatorem Provinciarum Hispaniæ institutus à GREGORIO XIII. per Litteras Apostolicas, anno 1581. die 8. Augusti, datas, anno sequenti 1582. *Vallisoleti* obiit; ibidemque honorificè sepultus apud suos ad lævam majoris Altaris. Scripta ejus dicuntur,

1. *Super Regulam Carmelitarum Commentaria Manuscripta.*

2. *Statuta particularia pro Carmelitis Excalceatis*, quorum duo primi fuerunt JOANNES YEPEZ A CRUCE, & ANTONIUS DE HEREDIA A JESU: qui vota sua in tuguriolo *Durvellæ* renovarunt cum professione primitivæ Regulæ, anno 1568. die 28. Novembris: Sed Statuta sua dedit Angelus de Salazar anno tantùm 1579.

3. *Sermonum Libri duo Mss.*

De Angelo Salazar mentionem habent, S. Teresia Libro fundationum, *Cap.* 12. & de vita sua *Cap.* 32. & 34. Gregorius XIII. in Diplomate Apostolico pro Erectione primæ Provinciæ Fratrum Discalceatorum, anno 1580. die 22. Junii dato, quod legitur *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 209. *col.* 1. Idem Pontifex Maximus in alio Diplomate Apostolico die 5. Augusti 1582. quo Angelus Salazar confirmatur Visitator Provinciarum Hispaniæ, apud idem *Bullarium*, *pag.* 215. Joannes-Baptista Rubeus in facultate data S. TERESIÆ anno 1567. die 14. Augusti, pro duobus fundandis Monasteriis apud Franciscum à S. Maria, *tomo* 1. *Historiæ Carmelitarum Excalceatorum Lib.* III. *Cap.* 4. Ipsemet Franciscus à S. Maria ibidem, *Lib.* I. *Cap.* 15. *num.* 2. *Lib* II. *Cap.* 4. *num.* 4. ubi vocat Angelum de Salazar *virum virtutis singularis & perfectionis*, *S. Theresiæ perquàm amicum*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 419. Ludovicus à S. Teresia in *successione Eliæ*, *pag.* 271. *pag.* 621. & 622. ubi narrat quomodo ejus successor ALPHONSUS GONZALES, tum Provincialis *Durvellæ* tuguriolum seu agreste Cœnobium petiit, ubi Priorem instituit ANTONIUM A JESU, Suppriorem JOANNEM A CRUCE, Edituum & Ostiarium fratrem JOSEPHUM A CHRISTO. Idem *Cap.* 275. *pag.* 635. refert quomodo post mortem illustriss. Dom. NICOLAI HORMANET in Hispaniarum Regnis Nuncii Apostolici 1577. defuncti, res Carmelitarum Excalceatorum acriter turbatæ fuerint. PHILIPPUS enim SEGA factus tunc Nuncius Apostolicus, illos regimini Superiorum Carmelitarum mitigatorum subjecit, & eorum Vicarium Generalem die 1. Aprilis 1579. commisit nostrum ANGELUM DE SALAZAR, determinato tamen ejus autoritatis exercitio. Ludovicus Jacob meminit etiam hujus in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 24. Joannes Caramuel in *vita* DOMINICI A JESU MARIA, *pag.* 536. Joannes de Palafox in *votis ad epistolam S. Teresiæ* 25. *num.* 6.

CLXXVI.

ANGELUS SAVORUS, Genuensis Carmelita in Conventu Mantuanæ Congregationis Genuensi, S. MARIÆ ANGELORUM dicto, & in Promontorio extrà & propè ejusdem celeberrimæ Civitatis mœnia constructo, religiosam professionem emisit. Vir doctrinâ & morum probitate conspicuus; Philosophus, Theologus peritus, ac Orator clarus, ex Theatinorum Ordine ad observantiam Carmelitanam transivit. Tempore communis pestilentiæ in Carmelo Parmensi aderat anno 1630. ubi extra Monasterium unà cum aliis suis Sodalibus Sacerdotibus charitativè ministrabat Sacramentum Pœnitentiæ illis ægrotis à peste oppressis. Neque silentio committendum quòd mirâ sapientiâ necnon sermonis facundiâ, quâ in insignioribus Italiæ suggestibus trahebat infinitum Auditorum numerum, plurimos Peccatores in cœlum dirigeret, efficacissimè commoveret, sæpiùs illuminaret, & animarum salutem operaretur. Qua de re loquens Clemens-Maria Felina in *Musæo illustrium virorum canit*:

Angelus *ore* Magus, *Cælos non tartara cogit.*
Flectit ad ima Deum; fert super astra viros.
Irradiat cæcos; claudos regit; omnia sanat;
Ecce salutis aquas; *Angelus* ore *movet.*

Savorus scripsit *Conciones Mss.* verùm ubi serventur, non determinant Scriptores qui mentionem ejus habent Clemens Felina *loco citato*, & Carolus Vaghus in *Commentariis Congregationis Mantuanæ pag.* 322.

CLXXVII.

ANGELUS SCAMNUS, Mediolanensis, Religionem Carmelit. Congregationis Mantuanæ illustravit. Humanitate & clementia conspicuus, inter Doctores Theologos Collegii Bononiensis adscriptus est anno 1606. die 30. Januarii, & Definitoris munere insignitus anno 1604. die 22. Septembris. Rectus & prudens Præsul in patria, in arduis constans, in prosperis moderatus, litteris summoperè deditus, vitam scribendo consumpsit, usque ad diem 31. mensis Maii, anno redempti Orbis 1613. qui fuit illi sexagesimus & ultimus De illo Distichon istud enunciavit Clemens-Maria Felina.

Mens *justa*, os *prudens*, cor *forte*, animusque *modestus*;
Quadruplici firmant *cardine* gesta Patris.

Scamn[illegible]era, quæ noscuntur: hos titulos habent:

1. *Disputationes in universam Philosophiam*: Voluminibus IV. ingentis molis comprehensæ, & politis caracteribus scriptæ, *Mss. in-4°.*

2. *Dilucidatio in Libros Posteriorum Analitycorum*, cum Tractatu de *scientia*; *Mss. in-folio.*

3. *Commentaria in primam, secundam & tertiam partem D. Thomæ*, *Mss. in-4°.*

4. Tractatus de *Incarnatione*, *Ms. in-4°.*

5°. *Quæstiones variæ Theologicæ*, *Mss in-4°.*

6. Tractatus varii, in quibus agitur *de furto & Contractibus*, *de Usura & Restitutione Mss. in-folio* justæ molis.

Opera sex ista manuscripta servantur in Bibliotheca Mediolanensi Carmelitarum Congregationis Mantuanæ, nimirùm in Cœnobio S. Joannis ad Concham.

7. *Oratio in laudem S. Hieronymi*, edita anno 1574. Bononiæ, *in-4°.*

8. *Oratio de Mutinensium Civium laudibus*, edita Cremonæ, anno 1583. *in-4°.*

Angelum Scamnum celebrant Joannes-Baptista Guarguantus in *Relatione de Conventibus Carmelitarum Congregationis Mantuanæ*: Clemens-Maria Felina in *Musæo Congregationis Mantuanæ*: Carolus Vaghus in *Commentariis Congregationis Mantuanæ*, *pag.* 153. & 333. Philippus Argelati in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *tomo* 2. *pag.* 1300 *num.* 1519.

CLXXVIII.

A.

CLXXVIII.

ANGELUS SPENEL, natione Gallus, patriâ *Podiensis* seu *Aniciensis Vellaunorum*, Carmelita in Cœnobio Lunelli apud Occitanos sito Professus, Doctor Theologus, diversis in locis Prior, & primus Narbonæ Provinciæ Definitor, obiit Lodevensis Prior circà annum 1658. clarus plurimis operibus, quorum tituli dicuntur,

1. *Oratio*, seu *Encyclopediæ Encomium, habita pro felicibus auspiciis studiorum almi Carmelitarum Papiensium Collegii.* Ticini, ex Officina Joannis Nigri, 1622. *in*-4°.

2. *Oratio Panegyrica S. Teresiæ*, Gallicè.

3. *Sermo Panegyricus S. Ignatii de Loyola*, Gallicè, Montis-Pesuli, 1634. *in*-24.

4. *Concio Panegyrica S. Augustini*, Gallicè 1625. Duci Ventadurio dicata.

5. *Fax sacræ devotionis Dei-paræ*, Gallicè. Lugduni, apud Jacobum Gaudion, 1634. *in*-24.

6. *Sermonum Liber*: Gallicè, Montis Pesuli, apud Antonium du Busson, 1649. *in*-8°.

7. *Triumphus divinarum perfectionum in SS. Sacramento Pœnitentiæ, mysticè repræsentatas per currum Elin, cum duodenaria Panegyri*, Gallicè, Lugduni, 1640.

8. *Virginalis Paranymphus in festa omnia B. Virginis Mariæ*, Gallicè.

9. *Œconomia omnium Christianarum virtutum*, Gallicè.

10. *Zodiacus Mysticus solis justitin super omnes & singulos anni dies Dominicos*, Gallicè.

11. *Emblemata sacra super singulos dies festos sanctorum*, Gallicè.

Angelum Spenel commendant Ludovicus Jacob in *Descriptione Provinciæ Carmelitarum Narbonæ*, *cap.* 4. Idem in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 24. Daniel à Virgine Maria, *tomo.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1088. *num.* 3825. ubi eum obiisse circà annum 1652. asserit ex ipsa Ludovici Jacob fide: Philippus Chaudeao à S. Claudio in *Schedis Mss.* ad nos Lugduno Aureliam missis die 2. Julii 1741. *pag.* 28. ubi eum defunctum *Anicii Vellaunorum* scribit. Andreas Rossotti Cisterciensis Monachus in *Syllabo Scriptorum Pedemontii*, *pag.* 52. ubi eum perperàm appellat natione *Sabaudum*, patriâ *Annessiensem.* Hyppolitus Marraccius in *Bibliotheca Mariana.*

CLXXIX.

ANGELUS A S. TERESIA, Polonus; Carmelita Discalceatus edidit multos *Panegyres funerales*, *in*-4°.

ANGELUS HIERONYMUS A S. TERESIA, Italus, Carmelita Excalceatus, edidit Italico Sermone Librum titulo inscriptum, *Peregrinus*, &c. Placentiæ, 1689. *in*-12. Ibidem obiit eodem anno 1689. ot legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 22.

CLXXX.

ANGELUS BENEDICTUS A S. VINCENTIO, Carmelita Discalceatus, natione Siculus, patriâ Panormitanus, aono 1654. natus & Baydæ die 25. Octobris anno 1671. professus. Emensis Philosophicis ac Theologicis disciplinis, has suos sodales mirâ claritate docuit; in omnibus scientiis, ingenii facilitate absolutissimus evasit; Oratoriam, Poeticam, Astronomiam, Algebram, Musicam, ac Mathematicas docere potuit. In utroque Jure sine laureâ Doctor, à peritissimis etiam viris consulebatur, Prior Latinam & Italicam, Gallicam etiam, Hispanam ac

Hebræam linguam apprimè callebat: fama ejus in totam Siciliam, ipso tamen minor evolavit.

Novos tunc Siciliæ Rex, VICTOR AMEDÆUS, ad Academiæ Taurinensis Præfecturam invitans, honorem senectutis prætextu vidit eum repellentem. Inquisitionis Consultor, & Qualificator dio fuit. Theologiæ Mysticæ abdita feliciter rimatus est; & divina patientes, ab illusis & illusoribus secrevit. Post officia Prioris Panormitani, ac Definitoris Provincialis, totius Provinciæ præfecturam egit. Tandem post senectutem bonam, ad Patres suos appositus est die 17. Decembris, anno 1725. Edidit Italicè sub nomine Fabii Cavalleani,

1. *Discursum Philosophicum & Astronomicum*, *in*-12.

2. *Antitheatrum gloriæ Seraphicæ S. Teresiæ*, 1725. *in*-4°. suppresso Auctoris nomine. Quæ vero typis digna reliquit, sont

1. *Commentaria in totam D. Thomæ Summam.*

2. *Medicina Hypocratica, contraria Sophisticæ*, *in*-4°.

3. *Historia Siciliæ*, *in*-4°.

4. *Paradoxa Musicalia.*

5. *Tractatus Astronomiæ*, *in-folio.*

6. *Commentaria in quinque libros Decretalium.*

Hæc de illo scribebat Eusebius ab omnibus Sanctis Definitor Generalis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Italicæ, in *Epistola* data die 30. Januarii 1727. cujus ipse meminit Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 23.

CLXXXI.

ANNA AB ANGELIS, Parisina, Monialis Teresiana, filia CLAUDII GIRAULT, in suprema Curia Parisiensi Senatoris, & CAROLÆ LECLERC: Religionis habitum induit anno 1622. ætatis autem decimo-quinto cum novem mensibus. Virtutibus heroicis, orationis sublimitate, ac rebus præclarè gestis insignis, obiit Parisiis die 26. Aprilis anno 1664. postquam edidisset Gallicè,

Tractatum de Excellentia Orationis & Psalmodiæ, ex verbis & exemplis Sanctorum collectum. Parisiis, anno 1694. cum *Vita ipsius* ab Erudito Clarissimoque Dom. FRANCISCO CORDIER edita *in*-8°. apud N. Remy.

Hujus meminit Annæ ab Angelis Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *pag.* 291. *num.* 6316. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca sua*, *pag.* 24.

CLXXXII.

ANNA A S. AUGUSTINO, natione Hispana, Vallisoleti anno 1547. nobilibus orta parentibus; patrem habuit JOANNEM PERUXA REVOGLIEDO, Gaditanæ civitatis Gubernatorem; matrem verò MAGDALENAM PEREZ DE ARGUEGLIO. Ætatis suæ anno 29. Religionis induta fuit habitum à S. TERESIA in Conventu MALAGONENSI, transactoque Tyrocinii anno, solemnem professionem ibidem emisit. Ad Fundationem posteà Monasterii VILLÆ-NOVÆ DE LAXARA assumpta, ibi Sacristæ ac Janitricis, atque Priorissæ muneribus successivè functa fuit. Tum VALENTIAM simul ad novam fundationem missa est, & indè anno 1616. Superiorum jussu, VILLAM-NOVAM rediens, donis semper cœlestibus cumulata, ad finem vitæ pervenit, & animam sanctam suam exhalavit die 11. Decembris, anno 1624.

Ex formali Superiorum præcepto *Vitam suam* scripsit, usque ad ultimam infirmitatem. Relationes aliæ de hac ultimà infirmitate, de morte, de virtutibus, miraculis, & aliis successibus, scriptæ sunt à Monia-

A.

libus oculatis testibus, aut ex juridicis informationibus desumptæ. *Toleti* servatur vita ab ipsa scripta.

Vitam ejus scripsit Alphonsus à S. Hieronymo, ut diximus suprà, *pag.* 32. Hispanè editam Matriti, anno 1668. *in*-4°. Quam in Gallicum Idioma transtulit Bernardus à S. Clemente, Typis Burdigalensibus anno 1685. donatam *in*-8°. Eam paulò compendiosiorem tradiderat Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli*, *parte* 2. *pag.* 92. *& seqq.* Franciscus à S. Maria, *tomo* 1. *Histor. General. Congregat. Hispan. Lib.* III. *Cap.* 12. *num.* 3. *Cap.* 13 *num.* 6. Idem *Lib.* V. *Cap.* 3. Hieronymus à S. Joseph, *tomo* 1. *Annalium Carmelitarum Excalceatorum Hispaniæ*, *Lib. I.* Martinus à Matre Dei, in *Gymnasio Philosophiæ Christianæ*, *cap.* 2. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 24. *& seqq.* Pauca insunt *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1061. *num.* 3675.

Apographum illius vitæ, quam Anna incœpit scribere anno 1606. jussu R.P. JOSEPHI A JESU MARIA præpositi Generalis, quamque deindè anno 1609. scribere perrexit, jubente altero præposito Generali ALPHONSO A JESU MARIA: Apographum, inquam, hujus vitæ manuscriptum, asservatur Insulis in Belgio apud Patres Carmelitas Discalceatos; sicuti Ludovicus Jacob in *sua Bibliotheca Carmelitana Ms. p.* 25. refert ex *Schedis* CLAUDII DORESMIEUX, ad ipsum missis. Incipit hoc Apographum: *Sub annum duodecimum, castitatis votum feci, &c.* Alterum Apographum possedit Ignatius Joseph à Jesu Maria, aliàs Jacobus Samson, Carmelita Excalceatus, alio sub titulo, nempè *Revelationum suarum Relatio*: teste jam citato Ludovico Jacob ibidem per eundem Ignatium edocto.

CLXXXIII.

ANNA A S. BARTHOLOMÆO, apud Hispanos kalendis Octobris 1549. piis parentibus FERDINANDO GARCIA & CATHARINA MANÇANAS nata est in oppido *Almendral* non procul ab *Abula* civitate Episcopali, in Regno Castellæ veteris. A teneris annis relicto seculo S. Matrem Tresiam zelo ac pietate imitata, inter primas Abulensis Parthenonis Moniales à Virgine Matre Maria de S. Hieronymo, quæ absente Teresiâ illud regebat, suscipitur non ut choro, sed ut rei domesticæ serviat: & ipsa prima fuit soror laica, quam Reformatio istarum Monialium agnovit. Recurrente anno, solemnia vota summâ devotione dixit.

Comes S. TERESIÆ per quatuordecim annos individua, quæ obedientiæ merito ab ea facultatem scribendi characteresque pennæ efformandi, miraculosè recepit; ità ut haud ulteriori adhibitâ diligentiâ, epistolas imposterum exaraverit, ut & alia quæcunque scribenda quæ sibi occurrerunt. *Albam* cum ipsa perveniens, felici ejus morti adfuit anno 1582. die 4. Octobris. *Abulam* posteà Superiorum jussu reversa, & indè *Occanam* ad novam fundationem missa, suam futuram in Gallias transmigrationem, aliaque multa prædixit. Iter cùm aliis aggressa, superatis constanti animo frequentibus itineris laboribus ac periculis, pervenit tandem *Parisios*, mensis Octobris Idibus, anno 1603. Eam autem Superiores, quantumvis renitentem, ad statum choristarum sublimarunt, novæque fundationis *Pontisaræ* Priorissam elegerunt; & indè Parisiis primò Novitiarum Magistram, ac posteà Priorissam instituerunt.

Finito officii triennio Parisiis, ad novam fundationem Turonensem destinata est: ubi completo trienni officio, audiens Carmelitas Excalceatos advenisse Parisios, illuc accessit, cùm illis actura, secularibus & externis liberè ac sincerè dicens Superioribus, velle se ad Ordinis Carmelitici obedientiam redire. Non completis itaque in Gallia totaliter septem annis, in Belgium venit à Serenissimis atque piissimis Principibus, ALBERTO & ISABELLA evocata. *Montis Hannoniæ* per annum commorata, indè inchoavit anno 1611. *Antuerpiæ* novam fundationem: ubi & vivens virtutum excellentiâ, mortua verò miraculorum gloriâ claruit. Ibi autem obiit die 7. Junii, SS. Trinitati sacrâ, anno 1626. ætatis suæ 76. professionis 57. Scripsit suo vulgari Idiomate

1. *Vitam suam*, jubentibus Superioribus & Confessariis.

2. *Instructionem pro Novitiis.*

3. *Cantica spiritualia.*

4. *Exercitia pro qualibet Hebdomadæ die.*

5. *De Passione Domini Nostri Jesu-Christi*, Lib. I.

6. *De Christi Nativitate*, *Lib.* I. Quæ omnia in Gallicum Idioma, per CYPRIANUM A NATIVITATE, prodierunt Parisiis apud Sebastianum Huré 1646. *in*-12. Deindè *cum Auctuario de morte ejus & miraculis, ac vita quarumdam Antuerpiensis Cœnobii Monialium Pietate illustrium.* Bruxellis apud Joannem de Smedt, anno 1708. *in*-8°.

Vitam ejus scripsère CHRYSOSTOMUS HENRIQUEZ, Hispanè, quæ edita est Bruxellis, *in*-4°. anno 1632. quam in Gallicum sermonem transtulit Dom. RENATUS GAULTIER, & Typis Parisiensibus commisit apud Sebastianum Huré, annno 1633. *in*-8°. ut animadvertit Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *pag.* 291. *num.* 3606. ELEONORA A S. BERNARDO, ejus Socia. Utriusque Congregationis Carmelitarum Excalceatorum Historici, FRANCISCUS A S. MARIA, & PETRUS A S. ANDREA. Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiosi*, 3. *parte*, *pag.* 63. Aquinas à S. Joseph, in libro de *Heroicis ejus virtutibus* &c. edito Gallicè Parisiis 1646. *in*-12.

De Anna à S. Bartholomæo honorificè locuti etiam fuère Angelus Manrique in *vita Annæ à Jesu*: Michael de Marillac Franciæ Pro-Cancellarius, libro Gallice scripto, *De institutione Monialium Teresianarum*: Andreas Duval, Doctor Sorbonicus in *vita Mariæ ab Incarnatione*: Ludovicus Donius Attichius, Præsul Æduensis in *vita Petri Cardinalis Berullæi.* Germanus Hubertus, Abbas Ceriaciacensis, in *vita ejusdem Cardinalis.* Arturus à Monasterio in *Martyrologio fœmineo*: Jacobus Amelotte Oratorianus, in *vita Margaritæ à SS. Sacramento* Carmelitæ Belnensis, *Lib.* IX. Francisca à S. Teresia in *vita Isabellæ ab Angelis*: Hilarion de Coste, *tomo* 2. *Elogiorum illustrium Mulierum.* Antonius Sanderus in *Auctuario ad tom.* 1. *Flandriæ illustratæ*: Joannes Caramuel in *vita Dominici à Jesu Maria*: Joannes-Baptista Senault in *vita Magdalenæ à S. Joseph.* Aubertus Miræus *Lib. de origine & incrementis Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 192.

Et alii quamplurimi, inquit Ludovicus Jacob in *sua Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 25. Quibus haud dubiè connumerandi occurrunt Daniel à Virgine Maria in *vinea Carmeli*, *pag.* 598. *num.* 1069. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1058. *num.* 3658. Ibidem *pag.* 1127. *num.* 3961. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 26. *& seqq.* ubi ex *Lib.* Thomæ Aquinatis jam citato, *Cap.* 16. *num.* 163. profertur Relatio CLARÆ A CRUCE Monialis Teresianæ juramento firmata, asseverantis Annam à S. Bartholomæo *plura alia, valdè utilia spiritualia*, exarasse *opuscula*; ac ad unius Superioris jussum, tantâ promptitudine combussisse, ut Superior qui

A.

ejus obedientiam probare volebat, tempus ad revocandum imperium non habuerit. Joannes-Franciscus Foppens, Canonicus Graduatus & Pœnitentiarius Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis, in *Biblioth. Belgica*, *pag.* 64. ubi nostræ Annæ adjudicat *vitam ac res gestas Seraphicæ Matris suæ Theresiæ*. Iterùm Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Personata Ms. pag.* 26.

ANNA, sive potiùs, AGNES CORREYTS, prima Priorissa Parthenonis Brugensis, quod *Sion* vulgò nuncupatur, & ejus Mater AGNES VAN, DA VALLA, Vidua, cum Domino Martino REYNBOUT, locum donante, primæ fuerunt Fundatrices hujus Conventûs inchoati anno 1487. & primæ ibi Carmelitano habitu vestitæ (postmodùm à Reverendiss. Domino Suffraganeo Tornacensi ÆGIDIO, sacro velo donatæ) simul cum duabus Monialibus Carmelitissis, quæ Harlenio venerant pro instructione conferenda, perfectam vitam Carmeliticam inchoarunt, in abstinentiæ, orationis, aliarumque Monasticarum virtutum exercitiis. Agnes porrò Priorissa in bono odore virtutifero decessit anno 1497. ut refert Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1057. *num.* 3654. nullo ejus assignato Opere.

CLXXXIV.

ANNA GELTRUDA A SS. INCARNATIONE, in seculo nuncupata PLAUTILLA CONTRARA DE MAGISTRIS, Romæ nobilibus ex Parentibus anno 1627. nata, ibi anno 1642. die 25. Maii professionem, ætatis dispensatione ab URBANO VIII. obtentâ, emisit apud Moniales Carmelitanas ideò vulgò dictas *Barberinas*; quia illarum Monasterium fundavit sub titulo Incarnationis *Camilla*, alias *Innocentia Barberini*, filia fratris præfati Urbani VIII. ætatis suæ anno decimo quinto, quinquies illud Antistita rexit, defuncta die 21. Februarii, anno Christi 1714. suæ 87. ætatis. Scripsit Italicè,

1. *Regola per l'educande col modo di contenersi nel vestire, è loro portamenti.*

2. *Relazione della fundazione del vener Monastero della santissima Incarnazione di Roma, racolta da Mss. si conservano in detto Monastero.*

3. *Annali del Monastero della SS. Incarnazione di Roma, detto delle Barberinæ.*

CLXXXV.

ANNA A JESU, dicta in seculo ANNA DE LOZERA, *Methymnæ Campi* in Castella veteri, nobilibus & piis Parentibus die 25. Novembris anno 1545. nata est. Pater ejus vocabatur DIDACUS DE LOAERA ortus *Placentiæ*; Mater verò FRANCISCA DE TORRAS oriunda ex Cantabria. Unicum habuit fratrem natu majorem nomine CHRYSTOPHORUM DA LOAERA qui mortuus est in Societate Jesu. Ab ipsis incunabulis usque ad septimum ætatis annum, quo Sacramentum Confirmationis recepit, surda & muta permansit. *Abulæ* die 1. Augusti 1570. à S. TERESIA inter suas Moniales reformatas admittitur. Sicque statim idonea vitæ religiosæ visa est, ut vix tertium Noviriatûs mensem compleverat, cum *Salmanticam* ad novam fundationem cum aliis quinque missa, quam S. TERASIA tantâ prudentiâ ac sanctitate præditam judicavit, ut novi Conventûs injunxerit Præpositæ, nihil sine ejusdem ANNÆ consensu gerere.

Anno 1571. die 21. Octobris solemnem professionem ibi emisit, postquam spatio quinque mensium, mortificatione multiplici, ac cœlestibus instructionibus proficere non destitit. Novæ fundationi *Veas* præficitur, & completo officii sui tempore Priorissæ à S. TERESIA *Granatam* novum Monasterium erectura mittitur. Electa deindè Veacensis Conventûs iterum Priorissa, ad novam fundationem *Malacensem* destinatur; sed cum S. JOANNE A CRUCE profecta ad fundationem Monasterii *Matritensis* perrexit anno 1588. à Summo Pontifice Breve quoddam obtinuit, quo unicum habere è Carmelitis Excalceatis Commissarium, JOANNEM A CRUCE, Moniales Teresianæ permittebantur. Displicuit istud Diploma NICOLAO A JESU MARIA Vicario Generali, aliisque Superioribus Excalceatis, qui nova Statuta post mortem S. TERESIÆ condiderant; eóque res devenit, ut pluribus habitis Consultationibus, earum gubernationi protinus renuntiaverint. Terruit, & ultrà modum afflixit ANNAM, ejusque socias tale decretum; quæ tandem obtinuêre, instante PHILIPPO II. Rege Catholico, ut Superiores Decreto Vicarii Generalis cederent: sed ad illorum satisfactionem, & aliarum Monialium exemplum, aliquæ officiis privatæ; ANNA etiam per aliquod tempus sacrâ Communione privata.

MATRITO remota, *Salmanticam* missa est, ubi anno 1596. electa est Priorissa, miris multis clara, & ab Academiæ Magistris velut ipsa Magistra fuit consulta & audita. Superatâ Superiorum resistentiâ, ANNA A JESU cum ANNA A S. BARTHOLOMÆO & aliis quatuor Monialibus die 20. Augusti 1603. de Conventu Salmanticensi discedit versùs Galliam proficiscens, & à Præposito Generali nominatur Priorissa Conventûs Parisiensis, ad quem pervenit die 15. Octobris. Novas fundationes erexit Divione ac Pontisaræ: & pro aliis construendis à Serenissima Belgii Gubernatrice Isabella invitata, ac sollicitata, illuc pervenit ineunte anno 1607. Maximâ venerationis significatione *Bruxellis* excepta, illic Monasterium ædificavit; aliud deindè Lovanii, cui ELIZABETHAM A S. PAULO præfecit; deindè *Montibus Hannoniæ*, cui Priorissam dedit ELEONORAM A S. BERNARDO.

Hispanos Carmelitas Excalceatos in Belgium adducere tentavit; sed ab iis passa repulsam, scripsit ad Patres Congregationis Italicæ, imo & ad PAULUM V. summum Pontificem, qui votis ejus acquiescens, nonnullos tum in Belgium, tùm in Galliam, cùm literis commendatitiis ad Regem misit anno 1610. Adventantes sex Patres Bruxellas, quorum primus erat THOMAS A JESU, insigni charitate suscepit. Aliud Monasterium Antuerpiæ erexit, anno 1612. Septem annorum spatio antè mortem, variis infirmitatibus ac doloribus cruciata, paralysi, podagrâ, hydropisi, dolore pectoris, ardore intolerabili; ac duobus ante mortem annis, duabus plagis in genibus, ac utrâque manu, & paulo ante mortem, in ore & gutture, receptis mirâ pietate sacramentis, potens opere & sermone, clara miraculis, prophetiæ dono, ac rebus gestis, obdormivit in Domino die 4. Martii anno 1621. ætatis suæ 75. cum tribus mensibus. Scripsit Hispanicè,

1. Jubente Hieronymo Gratiano à Matre Dei, *Historiam fundationis Conventûs Granatensis Monialium Carmelitarum.* Edita est & cùm aliis *fundationibus S. Teresiæ*, *cap.* 31.

2. *Compendiosam Relationem de vita*, *virtutibus & miraculis S. Teresiæ*, quam varii Authores citant.

3. *Epistolas* quoque *varias*, pietate ac divinâ prudentiâ refertas, quarum nonnullæ sunt editæ Hispano sermone.

4. *Multum insudavit variis editionibus Operum S. Teresiæ*, *versionibusque* prælo cudendis. Ea in linguam Belgicam verti curavit, & Typis edi; ut ex ejus Epistola mensis Aprilis, anni sequentis patet. Hortata est insuper, & ursit R. P. BASILIUM

A.

Legionensem, ut versioni Latinæ Operum eorumdem incumberet: quod virum illum celebrem fecisse saltem ex parte, colligitur ex illa ejusdem Annæ *epistola*, anno 1608.

5. Ipsi etiam debetur S. Theresiæ vita, cum imaginibus ære incisis, ejusdem gesta, miracula nec-non revelationes repræsentantibus; de quibus ipsamet in eadem Epistola, anni 1608. *Brevi*, inquit, *transmittam illam, cum imaginibus revelationum & miraculorum, ex quibus librum confecimus.* Quod sanè idem videtur cum *compendiosa Religione* de qua locuti fuimus *num.* 2.

Vitam Annæ à Jesu Angelus Manriquez, Vicarius Generalis Ordinis Cisterciensis in Hispania, sub hoc titulo Hispano: *La venerab. Mad. Ana de Jesus, discipula, y Compañera de la S. Madre Teresa de Jesus, fundadora en las Provincias de Francia, y Flandres*, ad Elisaberham Hispaniæ Infantem Belgarum Gubernatricem. Bruxellis, 1632. *in*-4°. Ità Nicolaus Antonius *tomo* 1. *Biblioth. Hispanæ*, *pag.* 72. *vitam hanc Gallico idiomate* donatam Renatus Gautier edidit Parisiis *in*-8°. 1636. apud Taupinart; sicut animadvertit Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *pag.* 291. *num.* 6303. Cum novis additionibus prodiit eadem Gallico sermone Bruxellis, 1639. *in*-8°. Vitam ejusdem Annæ scripsit Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli*, *parte* 3. *pag.* 40. *& seqq.* Compeudium ejus habet Joannes Caramuel in *Vita Dominici à Jesu*, *sub finem*: Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1058. *num.* 3656. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag*, 30. *& seqq.* Beatrix à Conceptione in vita ejusdem Annæ Ms. quæ extat Cabilone Anibarrorum apud Moniales ejusdem Instituti.

De Anna nostra Lobera mentionem insuper relebrem habent Franciscus à S. Maria *tomo* 1. *Historiæ Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispanicæ*, *Lib.* II. *cap.* 4. 47. & 49. *Lib.* III. *cap.* 20. & 33. Hieronymus à S. Joseph, *tomo* 1. *Historiæ suæ Congregationis*, *Lib.* I. *cap.* 18. Bruno à S. Teresia *in ejus vitæ Compendio*: Petrus à S. Andrea in *Historia Congregationis Italicæ*: Isidorus à S. Joseph *ibidem*: Ægidius Gelenius in *Sacrario Coloniensi*: Arrorus à Monasterio in *Martyrologio fœmineo*: iterùm Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 598. *num.* 1069. Joannes Bollandus in *Actis Sanctorum*, *ad diem* 4. *Martii*: alii, quos suprà citavimus, ubi de Anna à S. Bartholomæo egimus, *pag.* 107. & 108. Quibus annumerandus est Ludovicus à S. Teresia, qui cùm esset Visitator Generalis *Vitam* ejusdem Annæ de Lobera reliquit *manuscriptam* in Conventu Monialium Excalceatarum Bruxellensium, id asseverante Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 26. & in *Bibliotheca Personata Ms. pag.* 27. S. Teresia à Jesu ad nostram Annam direxit *Epistolam* 65. & de illa sæpè loquitur.

CLXXXVI.

ANNA A JESU cognomento DE HERRERA MENESEZ, Hispana, Carmelitana Teresiana, professa anno 1568. die 15. Augusti, Priorissa Monasterii *Veacensis*: virgo jejuniis, vigiliis, mortificatione, pœnitentiâ, oratione, ac cunctis misericordiæ & charitatis operibus præclara scripsit,

Relationem de virtutibus P. Joannis à Cruce: quâ usus est P. Hieronymus à S. Joseph, id referente Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 25. & in *Bibliotheca Personata Ms. pog.* 27. Qui & animadvertit quod plures sanctimoniales ejusdem Instituti & nominis cum virtutis opinione magna floruerunt, nempè,

Anna à Jesu Divionensis, ejusdem Congregationis alumna, virgo charitate, patientiâ, humilitate, & oratione celebris, obiit Divione circà annum salutis 1609. ætatis suæ 20. religionis 4. cujus corpus asservatur incorruptum. Ejus meminit Andreas Duval Sorbonicus Doctor in *Vita Ven. Soror. Mariæ ab Incarnatione.*

Anna à Jesu, Ximenez nuncupata, Hispana, Mariæ ab Incarnatione de Bracamonte Mater & Monialis Carmelitana Teresiana, Matrona magnæ pietatis, parisque fervoris famâ insignis, obiit Albæ circà annum 1604. De ejus virtute testimonia perhibent Michael Baptista de Lanuza, *Lib.* I. *Vita Isabellæ à S. Dominico*, *cap.* 8. & Franciscus à S. Maria in *Historia Reformationis S. Teresiæ.*

Anna à Jesu, Teresiana Parisiensis, miraculosè sanata intercessione Vener. M. Magdalenæ à S. Joseph; ut testatur Joannes-Baptista Senault Congregationis Oratorianæ præpositus Generalis in *Vita* ejusdem *Magdalenæ à S. Joseph.*

Anna à Jesu Carmelitana Santonensis, crudeli vomitu laborata, miraculosè ab eadem Magdalena sanata, ex *Libro vitæ* hujus *Magdalenæ* 2. *cap.* 28.

Anna à Jesu, Hispana, Vallisoletana, virgo charitate, regularitate, & sanctimoniâ celebris, sed forsan non distincta ab Anna à Jesu de Herrera Menesez, de qua Franciscus à S. Maria *Lib.* II. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ*, *cap.* 17. 18. *Lib.* III.

CLXXXVII.

ANNA A SS. SACRAMENTO, natione Burgunda, Divionensis patriâ, honestis nata parentibus, ab ineunte ætate Teresianam vestem induit in Cœnobio Divionensi: in quo tam uberes virtutum fructus collegit, ut omnibus præluxerit pietatis exemplo; & ut eligentibus Monialibus tum Divionensibus, cùm Cabilonensibus semel & iterùm præfuerit auctoritate & officio. Obdormivit in Domino, Divione, anno 1638. die 14. Julii. Edidit Gallico idiomate,

1. *Exercice interieur de l'Ame dévote & religieuse pour tous les jours de l'année, divisé en quatre parties.* A Dijon, chez Claude Guyot, 1628. *in*-8°.

2. *La Vie de Sœur Terese de S. Joseph, de Tournus, Novice Carmelite au Couvent de Châlons sur Saone, morte l'an 1621. le 7. May*, jussu piissimi ac eruditissimi Dom. Jacobi de Gallemant, Doctoris Sorbonici, ac primi superioris (Apostolicâ auctoritate) Monialium Teresianarum per Universum Galliarum Regnum fundatarum; tunc *Cabilone ad Ararim* commorantis. Asservatur *Ms. Cabilone*, apud sanctimoniales Carmelitanas: quarum beneficio etiam penes se habuit Ludovicus Jacob, mediante suâ charissimâ sorore Euphrasia Jacob a S. Angelo, ejusdem Monasterii Moniali.

3. *La Vie de Sœur Geneviéve de S. Denis, Carmelite de Châlons*, quam refert doctissimus & celeberrimus vir Andreas Duval, Doctor Sorbonicus & Professor Regius, etiam earumdem Monialium secundus Superior per Gallias, in *Vita Vener. Sororis Mariæ ab Incarnatione Teresianæ.*

Hæc habet Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 26. ubi animadvertit quod alia Anna à SS. Sacramento Monialis Teresiana Conventûs Ambianensis, Fundatrix fuerit Cabilonensis, genere & pietate clara anno 1669.

CLXXXVIII.

ANNA MARIA A S. TERESIA, Genuensis, illustrissimorum parentum Joannis-Augustini Centurionis, & Corneliæ Centu-

RIONIS

A.

RIONIS PALLAVICINÆ filia, nata anno Christi 1585. die 25. Martii, Carmelitana Excalceata 1599. die 4. Octobris in Monasterio *Jesu Mariæ* professa, Antistita *Genuæ & Savonæ:* virgo sanctitate, apparitionibus & signis præclara, atque omnibus numeris Christianæ & Angelicæ perfectionis verè illustris; migravit in cœlum anno Christi 1654. die 29. Martii, ætatis suæ 69. *Savonæ.*

Scripsisse fertur Opusculum eximium, cujus titulus est: *Clavis Cœli*, quæ prodiit *in*-12.

Vitam ejus fusè satis habet Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli*, *parte* 3. *pag.* 216. *& seqq.* Et de illa locutus est Ludovicus Jacob in *Scheda Mf.* affixa *ad paginam* 26. suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ.*

CLXXXIX.

ANONYMA Galla, Monialis Carmelitana antiquioris regularis Observantiæ, in Cœnobio de Scotiis, (Gallicè DES COUETS) propè civitatem Nannetensem ad Ligerim sito, tum sub Regimine Carmelitarum Provinciæ Turoniæ professa, scripsit circa annum 1486. Gallicè,

La Vie de Françoise d'Amboise, Duchesse de Bretagne, Fondatrice & Supérieure des Religieuses Carmelites de la Province de Touraine. Incipit: *Premierement, quand elle fût menée en Bretagne, elle n'avoit que quatre ans, &c.* Hanc Vitam Mf. possedit olim R. P. Leo à S. Joanne, ut asserit Ludovicus Jacob, qui eam vidit, in *Bibliotheca* sua *Carmelit. pag.* 26.

CXC.

ANONYMA Hispana, Monialis Teresiana, circa annum 1610. edidit Hispanico idiomate, *Cantilenam in S. Teresiæ Beatificationem*, quam legit idem Ludovicus Jacob in certamine Poetico in eamdem Beatificationem confecto. *Ibid.* in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 26.

CXCI.

ANONYMA Lusitana, Carmelitana Excalceata, in Conventu S. Alberti Ulysiponensi professa, scripsit Lusitano idiomate, *Relationem Compendiosam de vita & virtutibus Venerab. Archangelæ à S. Michaële Hispanæ, ejusdem Monasterii Monialis*, quæ obiit anno 1610. Ejus meminit Georgius Cardosus in *Hagiologio Lusitano*; in *Notis ad diem* 25. *Januarii*, §. 11. *pag.* 254. *col.* 2. & Ludovicus Jacob ibidem, scilicet in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 26.

CXCII.

ANONYMUS Carmelita Theologus scripsit Latino sermone opus non indignum, inquit ibidem Ludovicus Jacob, quod sic prænotatur: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen.* Incipit:

» Abbreviatio operis Carmelitæ distincta per alpha» betum tam de tempore, quàm de Sanctis, secundùm » diversas materias, continentes probatas per rationes » naturales fundatas in dictis sanctorum diversorum. » Et quia anima Deo devota, dum sanctis medita» tionibus incalescit, in ea pro nimio amore ignis di» vinus inardescit; ideò in divino amore est inci» piendum, ut ipsa in ejus amore liquefiat. Hic *Codex Mf.* asservatur in Bibliotheca Carmelitana Semurensium apud Mandubios, *in*-4°.

CXCIII.

ANONYMUS Augustanus Carmelita Theologus & Historicus, scripsit Latinè,

1. *Septem Capitula de Religione Fratrum Carmelitarum*, *Lib.* I. Qui *Mf.* asservatur in amplissima Bibliotheca publica *Augustæ Vindelicorum*; ut colligit Ludovicus Jacob loco citato, ex ipsius *Catalogo* ab Elia Ehingero, ejus Bibliothecæ Præfecto, confecto & edito *in-folio*.

2. *Quædam de origine Ordinis Carmelitarum*; *Mf.* Ibidem.

3. *Sermonem pro novo anno, & de pluribus Sanctis*, *Mf.* Ibidem.

4. *Quasdam autoritates ex jure decerptas*, *Mf.* Ibidem.

5. *Sermonem pro animæ commendatione cujusdam Principis defuncti*, *Mf.* Ibidem.

6. *Legendam de S. Alberto Carmelit. Mf.* Ibidem.

7. *Sermones de Conceptione Mag. Thomæ Haselbach. Mf.* Ibidem.

8. *Casus Papales & Episcopales Mf.* Ibidem. Hic Anonymus claruit anno Christi 1410. teste Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmel. Mf. pag.* 27.

CXCIV.

ANONYMUS BONONIENSIS Carmelita, cujus adversùs errores scripsit Sixtus IV. anteà Franciscus de Ruvere, Savonensis, Ordinis Minorum, anno 1471. die 8. Augusti Papa creatus, & anno 1484. die 12. Augusti defunctus, ætatis suæ 70. Anonymus noster affirmabat Deum suâ omnipotentiâ damnatum hominem salvare non posse; ut referunt Autores quotquot de Sixto IV. locuti sunt, quos citat Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Pontificia*, *pag.* 204.

CXCV.

DISSERTATIO

De ANONYMO BRUGENSI, *vitæ B. Angelæ Carmelitanæ, Scriptore.*

ANONYMUS BRUGENSIS vocatur Carmelita, quia *vitam Beatæ Angelæ* ex Ordine Carmelitano Monialis scripsit post annum M. CCX. quo tempore vigebat Pragæ Hussitarum hæresis: sicut ipse testatur *Cap.* 4. Carmelitam quidem fuisse probant tum hæc verba capitis secundi: *Apparebat autem* (Angelæ) *Jesus in forma pulcherrimi pueruli porrigentis ipsi Latinum Librum precum horariarum Ordinis Fratrum nostræ Dominæ*: tum hæc præsertim alia capitis tertii: *Priorissa* Hierosolymitana *Librum ejus* (Angelæ) *inspexit*; *& cognito quod preces illæ veræ essent nostri Ordinis.* Brugensis quoque vocatur noster Carmelita Scriptor; quia S. Angelæ vitæ Codex vetustus Mf. repertus est in Monasterio Brugensi Carmelitissarum Provinciæ Flandro-Belgicæ, quod erectum est anno 1487. sub titulo *Sion.*

Aliam tamen scripsit Segerus Pauli Carmelita Coloniensis, cujus in prologo, vitæ à se Mf. præfixo, contendit, quod probabilitate non caret, eumdem Scriptorem non primigenium vitæ istius autorem fuisse, sed abbreviatorem: quia » tametsi Jacobus » Frisius in sua Bibliotheca Tigurina aliquam hujus » Virginis Angelæ memoriam fecit, nihil tamen » eorum adducit, quæ præsens vita complectitur; » quin potius illorum, quæ refert, nulla in his actis » fit mentio. Undè & conjectura non levis datur, » eamdem vitam, quam hic damus, potius esse » Compendium quoddam ex ipsius fusioribus olim » scriptis, excerptum; in quo non pauca prætermi» serit abbreviator recentior, qui post annum M. CCX. » vixit. E contra verò arguit R. P. Joannes Pinius *ad diem sextam Julii*, *tomo* 2. *pag.* 353. *num.* 19. Neutram vitam (siquidem duæ exaratæ fuerint) esse genuinam, propterea quod altera ab altera in punctis non paucis discrepet. Quidni potius sua,

A.

quæ habet Frisius, hauserit ex Compendio aliquo ab Scriptore quodam recentiore concinnato?

» Angela quidem fuit & virtute & scientiis om- » nibus ad miraculum exculta (*inquit Bohuslaus* » *Balbinus Miscell. hist. decadis* 1. *Lib.* IV. §. 28.) » Mirantur & commendant ejus Opera, quæ Latinè » scripsit, exhortationes ad moniales suas, cœlestes » revelationes, ac librum de venerabili Sacramento, » aliaque plura, Delrio, Possevinus nostri, tum » Carmelitani Scriptores. Ac fortè id est, quod eam » in effigie apud S. Gallum Pragæ videris inter » Sanctos ejus Ordinis depictam, Librum tenen- » tem, cui Libro monstrantia, ut vocamus in Tem- » plis, superstat. Prius etiam notaverat Segeros Pauli jam citatus, quod extat Coloniæ in Germania, ex ipsius Beatæ Angelæ Virginis sacris Reliquiis pars quædam sat justæ quantitatis, cuidam tabellæ quadrangulari venerabiliter & singulariter (non admixtis aliis Reliquiis) imposita, cum hac inscriptione, ex parte aversa: *Sanctæ Angelæ Virginis Ordinis Carmelitarum sepultæ.*

Unde mirum non est quod Vir clariss. Dom. Claudius Chatelain in additionibus ad Martyrologium Universale, Gallicè abs se vulgatum, sic habeat die 6. Julii, pag. 334. *En Boheme, Sainte Angele, ancienne Carmelite, fille du Roy Vladislas* II. id est Latinè: *In Bohemia, S. Angela vetus Carmelitana, Vladislai* II. *Filia.*

Attamen R. P. Joannes Bollandus in Sanctis Prætermissis ad diem XXVIII. Februarii, *tomo* 3. *pag.* 718. notat *vitam B. Angelæ non tenui examine egere.* Præfatus ipse Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum, *Lib.* III. *Cap.* 13. vehementer timet ne in S. Angela, quam Raymundi Bohemiæ Regis filiam tot egregii Scriptores faciunt, omnes erremus. » At » quod iisdem Patribus Carmelitis narrantibus di- » dici, (subdit idem Balbinus) Pragense Cœnobium » Carmelitanarum Virginum texisse, & Pragæ VI. » Julii mortuam, sustineri non potest; cùm, quod » certissimo constat, nullum Cœnobium aut Parthe- » nonem sacrum ejus Ordinis ante Caroli IV. tem- » pora Bohemia habuerit. Primus hic felicissimus » Imperator Carmelitanos altissimi Operis Basilicâ » Mariæ ad Nives Pragæ exstructâ, & cum Cœno- » bio iisdem donatâ, in Bohemiam adduxit, aliud- » que novum pro iisdem Cœnobium Thacoviæ fun- » davit; cujus exemplum Guttensteinii Comites se- » cuti, posteà duo Cœnobia Chissense & Rabsteinense » construxêre.

De fundatione Carmeli Pragensis à Carolo IV. factâ idem anteà scripserant Joannes Dubravius Olomucensis Episcopus in *Historia Regni Bohemiæ*, *Lib.* II. *pag.* 182. Wenceslaus Hageccius seu Hagetthus in *Chronica Bohemiæ*, *fol.* 315. & his antiquior Clemens VI. Romanus Pontifex legitur concessisse Carmelitis facultatem habendi locum in Civitate Pragensi anno 1346. die 29. Martii, teste Regesto Vaticano, quod citatur in *Bullario Carmelitano*, *tom.* 1. *pag.* 585. *col.* 1. unde spernenda minimè videtur assertio Ludovici Jacob scribentis in *Catalogo Mſ. omnium fundationum Carmelitarum Conventuum*, *fol.* 210. S. Angelam Regis Bohemiæ Filiam non sepulturam accepisse in Monasterio Carmelitarum Pragensium, quod tunc non erat constructum.

Neque hæc sola narratio dubiam reddit vitam S. Angelæ sive Pragensis, sive Schiavensis: Nam vita Mſ. quam à Segero Pauli exaratam possident Agiographi Bollandistæ, multis oppletur vel destituitur circumstantiis, quas habet vel omittit vita Mſ. ab Autore Brugensi concinnata. Quapropter certum quidquam non efficiunt tùm ea, quæ tempus peregrinationis spectant, tùm ipsum tempus quo in vivis extitit; uno Autore sic, alio Chronologicam utriusque temporis supputationem ordinante: quinimò certiora sunt expectanda documenta, quibus constaret Angelam Pragensem ab Angela Schiavensi distinguendam esse; vel tempus designandum quo alterutra aut utraque extitisset.

Interim per nos licet, ut æquâ lance ponderentur historica cùm exterorum tùm domesticorum testimonia Autorum, quorum è Catalogo minimè amovendos arbitramur Joannem de Carthagena Minoritam *tomo* 2. *Homiliarum*, *Lib.* XVII. *Homil* 4. dicentem: » Postmodùm verò, ut observavit D. Tho- » mas 2. *Quæst.* 174. *art.* 6. sub finem, non de- » fecit Spiritus propheticus in Ecclesia Christi, » etiam in fœmineis. Etenim dono prophetiæ flo- » ruerunt B. Angela Monialis Carmelitana, filia » Regis Bohemiæ, S. Brigitta &c. R. P. Josephum Andres è Societate Jesu, in Collegio Cæsaraugustano ejusdem Societatis Primariæ Cathedræ Theologiæ Moderatorem, ac sancti Officii Qualificatorem Lib. inscripto, *Decor Carmeli*, edito anno 1669. Cæsaraugustæ *in*-16. dicentem, *pag.* 390. *num.* 296. quod Virginibus Carmelitanis *adscribatur nobilitatis & sapientiæ illustrata fulgoribus S. Angela Bohemiæ Regis filia, quæ &c.*

CXCVI.

ANONYMUS CLAROMONTANUS in Alvernia vocatur Librarius sive Amanuensis, qui Codicem MSſ. vitæ S. Brocardi secundi Prioris Generalis Ordinis S. Mariæ de Monte-Carmelo in Palæstina, exaravit: de qua R. P. Joannes Veldius in Commentario prævio ad vitam ejusdem Beati Brocardi hæc habet die 2. Septembris, *tomo* 1. *pag.* 576. & 577. *num.* 7. & 8.

Numero quidem 7. Brocardi vitam quamdam manuscriptam huc transmisit anno 1670. Ludovicus à S. Teresia Definitor Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciæ Parisiensis, datis ad Henschenium & Papebrochium perhumanis litteris XVII. Martii, in quibus hæc notavit Papebrochius: *Vita hæc nullo modo est antiqua: petii ut auctor significaretur, aut saltem ejus ætas; tum ut mitteretur nota cæterarum ab eodem ut suspicor collectarum vitarum. Scripsit* XV. *Aprilis* M. DCLXX. An & quid responsum fuerit, hactenus ignoro. Rectè autem advertit antiquam non esse; siquidem ex oratione parænetica Thomæ Bradleyi Episcopi Dromorensis, novo Speculo Carmelitano inserta parte 4. pag. 662. compilata & concinnata est, ut patebit volenti utramque conferre. Enimverò si ante Bradleyum aut Bostium scripta fuisset, non latuisset, opinor, Speculi Auctorem, qui eam utique velut antiquiorem Bradleyo & Bostio prætulisset, vel saltem cum eis contulisset.

8. Cæterùm stylus oratorius est magis quàm historicus, nec satis limatus, subindè etiam hiulcus, quædam addita sunt, alia perperam transposita, ut num. 7. verba Patriarchæ, quæ Bradleyus post Beati mortem retulit. In fine præfixi exordii auctor anonymus magnificè præfatur, se lentè admodùm & morosè singula considerasse, nec aliquid falsum aut leve aut ineptum scribere voluisse. Utrum promissis steterit, judicandum relinquimus erudito lectori.

Titulus est hujusmodi: *De Sancto Brocardo primo Generali Priore & Legislatore Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis de Monte-Carmelo.* Hic Anonymus contradicit Lezanæ & Speculo Carmelitano, imò sibi ipsi; nam in vita num. 4. hæc habet: *Congregationem Fratrum Montis-Carmeli ... mortuo Sancto Ber-*

tholdo prædecessore suo per annos XXXIII... *gubernavit.*

Præterea in ipso vitæ initio (nisi mendum sit describentis) turpem committit parachronismum, emortualem Beati annum statuens 1117. qui in Petri Thomæ Saraceni sententia natalis ipsi fuit; imò cum probabilius nec dum natus esset. Nam obiit octogenarius circa annum 1221. Unde hæc vita desumpta sit, indicatur ad calcem his verbis: *Excerptum ex Manuscripto Bibliot. Carmel. Discalc. an.* M. OCLXX. *die* IX. *Martii notato* 5. *GGGGG in Conventu nostro S. Petri Claromontano*, nempe *in Alvernia*, ut patet ex citata epistola Ludovici à S. Teresia.

Quamquam autem parva sit hujus Anonymi Scriptoris auctoritas, vitam tamen illam, additis quibusdam annotationibus, edendam censuimus: tum quod MSS. alia de Beato Brocardo non suppeterent, tum nè ingrati videremur iis, qui eamdem Majoribus nostris humaniter transmiserunt.

CXCVII.

DISSERTATIO

De ANONYMO *Excalceato Carmelita, in Judaïsmum prolapso.*

ANONYMUS Excalceatus Carmelita quidam Siculus, Philosophiæ ac Theologiæ quondam Prælector primarius, in Monasterio S. Pancratii Romæ anno 1689. commorans, illata sibi fuisse narrat duo vulnera pessima; unum à Confessario, putans sacramentalem suam Confessionem ab illo fuisse revelatam: alterum à sacra Congregatione, quæ ipsum privavit voce activâ & passivâ. Tum subjungit hæc duo vulnera fuisse causam, cur à Religione & à fide recesserit in Ægyptum aufugiens, & se Doctoribus Hebræis tradens.

Cujus criminis fuerit reus, aperit ipse in prima sua epistola *pag.* 6. de SS. Sacramento Eucharistiæ loquens: *Multoties*, inquit, *inventa est fraus in hoc Sacramento, ex malitia Sacerdotis non consecrantis, inter quos & ego.* Facinoris autem, quo factus est Judæus & à Christianismo recessit, labem ut abstergat, rationes aliquas contra fidem Catholicam Romanam proponit, quas velut insolubiles immoderatâ jactantiâ, vir petulans propalare non cessat. Mentem aperit, quando regressum ad fidem Catholicam sub tali clausula, spondet his verbis:

Duas rationes propono, quibus si sapientes Catholici responderint directè, juxta artem sillogisticam, & jura civilia, & axiomata Theologica; promitto eis me Romam iturum, & fidem Catholicam derelictam, iterum amplexurum, puniendum, vel dimittendum, juxta voluntatem Inquisitionis Romanæ.

PRIMA RATIO CONTRA EUCHARISTIAM.

» Si per hypotesin daretur lex præcipiens Judicibus occidere quemlibet tamquam reum mortis, qui probatur esse reus mortis ex ore & omninò liberâ voluntate unius tantummodò testis, talis lex esset penitùs abolenda, utpotè contraria rationi: posset enim unusquisque pro suo libero arbitrio, occidere quemlibet gladio judicis: insuper esset contra jus gentium, omnes enim judices omnium nationum neminem judicant nisi ex ore ad minus duorum testium; ut videtur apud Hebræos, Turcas & Christianos: insuper esset contrà legem Moisis, ut patet Deut. 19. 15. *Non stabit testis unus, &c.* insuper esset contrà Evangelium, ut patet Mat. 18. 16. *Adhibe tecum, &c.*

» Sed multò majoris momenti est, adorare tanquam Deum, aliquid quod reverà non est Deus, quàm occidere aliquem tanquam reum, qui reverà non est reus; cum occisio sit contra sextum præceptum, & adoratio ejus qui non est Deus, sit contra primum. Ergò, si daretur lex præcipiens fidelibus adorare tanquam Deum, aliquid quod probatur esse Deus, ex ore & omninò liberâ voluntate unius tantummodò testis, talis lex esset penitùs abolenda. Major & Minor patent, ex quibus consequentia sequitur à minori ad majus: sed fides Catholica Romana est hujusmodi: Ergò

» Hæc Minor subjuncta probatur: quia fides Catholica Romana præcipit suis fidelibus adorare quamlibet Hostiam in particulari: sed quælibet Hostia consecrata in particulari, cum ante consecrationem non sit Deus, probatur esse verus Deus ex ore & omninò liberâ voluntate unius testis, nempe Sacerdotis consecrantis. Ergo fides Catholica Romana præcipit suis fidelibus adorare aliquid tanquam Deum; quod probatur esse verus Deus ex ore & omninò liberâ voluntate unius tantummodò testis.

Respondet R. P. Joannes-Baptista Bituricus Capucinus in Epistola data Turonibus in Conventu Capucinorum, die 3. Maii, anno 1689. *his verbis:*

Antequam respondeam in forma, supponendum primò, quid sentiat fides Catholica Romana de Eucharistiæ Sacramento, quantum attinet ad difficultatem de qua est quæstio. Profitetur in hoc Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum Nostrum Jesum Christum, verum Deum atque Hominem, verè, realiter ac substantialiter contineri, & ibi cultu latriæ adorandum: sed non docet esse de fide, quod Christus sit sub quâlibet hostiâ in particulari. Unde quamvis de fide sit Christum esse sub omni Hostia ritè consecrata, tamen, de fide non est hanc Hostiam in particulari & in individuo esse ritè consecratam: imò nemini constare potest evidenter aut certò Sacerdotem qui consecravit, protulisse verba consecrationis cum debita & legitima intentione: propterea, quando Christiani fideles adorant Hostiam, illorum adoratio est semper conditionata, & tacitè subintelligitur, modò sit ritè & legitimè consecrata; nec aliud intendit fides Catholica Romana. Unde si fortè contingeret Hostiam, quæ proponitur, non esse verè consecratam; v. g. eò quod Sacerdos non protulit verba consecrationis, vel non habuit intentionem consecrandi, quantumvis fideles cultum externum, & adorationem exhiberent huic Hostiæ, illam tamen non adorarent: quia, quod est conditionatum, non ponitur nisi, adimpletâ conditione; &, cum adorent Hostiam, ex hypothesi quod sit consecrata, si forte non est consecrata, non adorant illam; & sic nunquam decipiuntur, nec errant. Observandum autem non esse necessarium, ut qui adorat, faciat mentionem expressam, & explicitam de sua intentione non adorandi nisi ex hypothesi; neque necesse esse, ut in actu adorationis habeat hanc intentionem actualem, sufficit quod habeat habitualem, quæ consistit in illa animi dispositione adorandi Christum verum Deum, & non adorandi quidquid non est Deus.

Supponendum secundò istam propositionem: *hæc Hostia in individuo est verus Deus*, quamvis non sit certa de fide, esse tamen certam certitudine morali sufficiente ad hoc, ut adoretur: quia quandiu non datur fundamentum & causa rationabilis dubitandi, quilibet fidelis debet certus esse, omnem & quamlibet Hostiam esse verè consecratam; quemadmodùm debemus certi esse, quemlibet baptisatum esse verè baptisatum, nisi sit aliqua ratio dubitandi de validitate baptismi. His præmissis,

Respondeo: si daretur lex præcipiens fidelibus adorare adoratione absolutâ tanquam Deum, aliquid

quod probatur esse Deus ex ore, & omnino liberâ volontate unius tantummodò testis; talis lex esset penitùs abolenda; concedo. Si non præciperet Fidelibus illud adorare adoratione absolutâ, talis lex esset abolenda: nego. Hic autem advertendum, quod fides Catholica Romana non præcipit Fidelibus adorare quamlibet Hostiam in individuo, adoratione absolutâ; quia, ut jam dixi, non est de fide quamlibet Hostiam in particulari esse verè & legitimè consecratam; & sic non est de fide quod hæc Hostia in particulari sit Deus.

Potest opponi hæc difficultas: Si quis assereret hanc vel illam Hostiam consecratam in individuo non esse verum Deum, & nollet illam adorare, haberetur ab Ecclesia Romana ut Hæreticus: ergò Ecclesia Romana censet esse de fide, quod quælibet Hostia consecrata in individuo est vetus Deus, & quod illi debetur adoratio.

Respondeo negando sequelam. Nam quamvis Ecclesia Romana non doceat esse de fide quamlibet Hostiam consecratam in particulari esse verum Deum, & quamvis fieri possit, ut ille qui negaret hanc Hostiam in particulari esse verum Deum, non esset Hæreticus; tamen Ecclesia, quæ judicat de externis, præsumeret illum esse Hæreticum; quia si non assignaret aliquam causam rationabilem dubitandi de intentione Sacerdotis consecrantis, censeretur dubitare de institutione ipsius Sacramenti. Cur vero ita se gerat Ecclesia Romana, sic explico.

Conclusio Theologica edocitur ex duabus præmissis, quarum una est de fide, & altera naturaliter evidens. Si quis negat conclusionem Theologicam; cùm non præsumatur illum velle negare præmissam quæ est naturaliter evidens, præsumitur illum negare alteram quæ est de fide; & sic habetur Hæreticus. Res illustrabitur exemplo. Si quis negaret, Christum esse visibilem, præsumeretur de illo quod esset Hæreticus: quia hæc propositio, Christus est visibilis, est conclusio Theologica hujus syllogismi: Omnis homo est risibilis, sed Christus est homo, ergo Christus est risibilis. At non præsumeretur illum velle negare hanc propositionem: Omnis homo est risibilis, quæ est naturaliter nota; sed aliam, Christus est homo, quæ est de fide. Ita si, dum Infantulus coram multis baptisatur, aliquis diceret, gratiam huic infantulo non fuisse collatam, & peccatum originale non esse illi remissum, haberetur ut Hæreticus: quia præsumeretur eum non velle negare, quod infantulus sit baptisatus, cùm sit evidens; sed negare quod Baptismus conferat gratiam, & habeat vim, & efficaciam remittendi peccatum originale; & sic præsumeretur illum destruere institutionem Baptismi: eodem modo in nostro casu.

Ista propositio: *hæc Hostia in individuo est Deus*, est conclusio Theologica, quæ sic elicitur: Omnis Hostia consecrata est Deus; sed hæc Hostia in individuo est consecrata; ergo hæc Hostia in individuo est Deus. Si quis neget hanc propositionem; hæc Hostia in individuo, est Deus; non præsumitur eum velle negare hanc propositionem; hæc Hostia in individuo, est consecrata; siquidem, res patet ex facto Sacerdotis celebrantis; sed alteram, omnis Hostia consecrata est Deus: & sic præsumitur illum destruere institutionem Sanctissimi Sacramenti.

Confirmatur hæc nostra solutio, ex eo quod, si ille qui negaret Christum esse sub hac Hostia in particulari, diceret se habere fundamentum credendi, v. g. quod celebrans non protulit verba consecrationis, aut non habuit intentionem consecrandi. Certum est quod negando propter similem causam Christum esse sub hac Hostia particulari, non haberetur pro Hæretico. Eodem modo, si quis negaret, quod infantulo recens baptisato sit collata gratia, & remissum peccatum originale, modò haberet fundamentum credendi qood baptisans non adhibuit aquam naturalem, vel non protulit debitam formam, vel non habuit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, in hoc casu non haberetur Hæreticus.

Hactenus R. P. Joannes-Baptista Bituricus, qui similes sui adversarii fallacias paralogismos & sophismata solvere, enucleare, percutere & repercutere, rectâ, clarâ & sillogisticâ methodo pergit. V. g. Excalceatus Carmelita proposuit hoc *pag. 15.*

RATIO SECUNDA IN IDEM RECIDENS SACRAMENTUM.

» Nulla fides potest præcipere suis Fidelibus adorare aliquid tanquam verum Deum, quod ipsamet fides non docet esse verum Deum; alioquin præciperet aliquid suprà suas vires, & contra rationem: sed fides Catholica Romana non docet aliquam Hostiam consecratam esse verum Deum: Ergo fides Cath. Romana non potest suis Fidelibus præcipere adorare aliquam Hostiam consecratam. Major est certa: minor probatur. Quia non est assignabilis talis Hostia, an sit Romana, vel Gallicana, vel Hispanica &c. Ergo fides Catholica non docet aliquam Hostiam consecratam esse verum Deum.

Respondeo 1°. inquit R. P. Joannes-Baptista: Itane argumentatur egregius ille vir Philosophiæ ac Theologiæ quondam Prælector, & jam Cathedræ Mosaicæ Candidatus? ad prima Dialecticæ principia remittendus est, ut discat syllogismum ex tribus negativis compactum non valere. Quapropter nego consequentiam; & jure disputationis possem ab omni alia responsione abstinere: verùm ne sibi fingat eludere me difficultatem,

Respondeo 2°. Nulla fides potest præcipere suis Fidelibus adorare aliquid tanquam verum Deum, qood ipsamet fides non docet esse verum Deum. In hac propositione latet fallacia, & æquivocatio in illo termino fides: nam fides aliquando idem sonat ac fides Catholica Romana, id est Ecclesia; aliquandò idem quod virtus Theologica, quâ firmiter credimus quicquid Deus revelavit Ecclesiæ: & in utraque significatione passim usurpatur ab Excucullato. Igitur ad tollendam omnem amphibologiam, sic est dicendum:

Nulla Ecclesia potest præcipere suis Fidelibus adorare tanquam verum Deum, id quod ipsamet Ecclesia non docet esse verum Deum: distinguo, si non doceat esse certum certitudine morali quod illud sit Deus, concedo non posse Ecclesiam præcipere ut illud adoretur; si docet esse certum certitudine morali quod illud sit Deus, nego. Ecclesia autem Romana, quamvis non doceat esse de fide, quod quælibet Hostia consecrata in particulari, sit Deus; tamen docet hoc esse certum certitudine morali, quæ sufficit ad hoc; ut Ecclesia possit præcipere Fidelibus adorare quamlibet Hostiam consecratam.

Dico hanc certitudinem moralem sufficere; neque enim major potest exigi, alioqui non teneremur venerari parentes, cùm nobis non constet esse nostros parentes nisi illà certitudine morali. Si quis objiciat, hanc certitudinem moralem, fundari in testimonio unius, scilicet Sacerdotis consecrantis: Respondeo satis esse. Ad confirmationem hujus meæ assertionis observandum, doceri à Canonistis, quod licet regulariter, unius vel singularis testis non probet; dari tamen aliquos casus, in quibus probat, v. g. quando agitur de crimine læsæ Majestatis. Si in gratiam Majestatis humanæ, testis singularis auditur, & ipsi creditur; quidni, quando agitur de Majestate Divina? Auditur testis unus ad ulciscendam injuriam factam homini Regi; nonne etiam ipsi adhibenda

A.

da fides, ad præcavendum ne Deo Optimo Maximo inferatur injuria, vel tractando irreverenter Sacramentum, vel non reddendo honorem illi debitum?

Ex lege divina & naturali tenemur Deum colere & sancta sanctè tractare. Undè præceptum de adorando Christo in Eucharistia, sequitur naturaliter ex institutione Sanctissimi Sacramenti. Quia, ubicunque est Christus, est adorandus, & pro sua dignitate, excellentia, & majestate tractandus. Ergo cùm sit de fide Christum esse sub Hostia ritè consecrata, qui videt confici Sacramentum, & Hostiam ritè consecrari, per se loquendo, & seclusis specialibus circumstantiis, tenetur illam Hostiam adorare. Ecclesia prudenter hoc præcipit, & fidelis adorans prudenter se gerit; nam agit ex prudenti existimatione: Imò esset maximè imprudens si dubitaret sine fundamento. Fateor quòd si per accidens, & ratione alicujus specialis circumstantiæ, occurrat ratio dubitandi, an Hostia sit consecrata; ut accidere potest, vel ex defecto in materia, vel ex defectu in celebrante: tunc non deberet adorare Sacramentum, nisi cum explicita conditione.

Ineptè subjungitur, quòd non est assignabilis talis Hostia, an sit Romana, an Gallica, an Hispanica, &c. Respondeo esse maximè assignabilem: est enim omnis & quælibet Hostia quæ proponitur, sive Romæ, sive in Gallia, sive in Hispania adoranda. Nam docet Ecclesia certum esse certitudine morali, quòd quælibet Hostia quæ proponitur est ritè consecrata, & consequenter quòd sit adoranda.

Contra Sacramentum POENITENTIÆ *breve Argumentum.*

» Deus non potest fallere nec falli: ergo qui stat » loco Dei, non ponens in numero cum Deo, non » potest fallere nec falli. Patet consequentia ex lege » delegantis & delegati, & ex Prophetis veris missis à » Deo, qui neminem fefellerunt. Sed Confessarius » promittens secretum Confessionis potest fallere: » Nam sæpè fefellit, & inter alios me decepit re» velando meam Confessionem sacramentalem Su» perioribus Generalibus Religionis: Ergo Confessa» rius promittens secretum non stat loco Dei: Ergo » etiam promittens absolutionem peccatorum, non » stat loco Dei. Patet consequentia: Quia decipiens » in uno, potest etiam decipere in alio: ergo in nullo » est credendus: ideóque ad perpetuam memoriam » injuriæ, expressi in sigillo æreo ipsum Caput Asini, » quod Confessarius revelavit me depinxisse in con» temptum Superioris Conventûs *Pancratiani*, extra » Urbem Romæ, & ad perspicuum veritatis indicium » subtus rationes istas impressi. Datum in Ægypto, » die 2. Februarii, anno 1689.

Respondeo, inquit *Joannes-Baptista Bituricus*; distinguendo consequens. Qui stat loco Dei, ut sic formaliter, & reduplicativè, non potest fallere, nec falli; concedo consequentiam. Materialiter &. specificativè; nego consequentiam. Ad elucidandam solutionem, observandum quod Minister hujus Sacramenti, quandò utitur potestate sibi à Deo traditâ ad perficiendum Sacramentum, tunc stat loco Dei, & operatur in persona Christi: & sic non potest fallere, nec falli. Sacerdos in Ordinatione duplicem accipit potestatem, scilicet consecrandi Corpus & Sanguinem Christi, & absolvendi Pœnitentes à peccatis: consecrans formaliter & reduplicativè, non potest falli; quia si profert verba cum intentione consecrandi, certum est quod conficit Sacramentum: non potest etiam fallere; quia certum est quod Fidelibus proponit Corpus Christi adorandum & sumendum. Eodem modo absolvens, ut sic, reduplicativè non potest fallere; quia qandò profert verba cum intentione absolvendi, certum est quòd Pœnitens dispositus absolvitur: non potest etiam falli, etiamsi Pœnitens propter suam indispositionem, non absolvatur; quia non absolvit nisi cum tacita illa conditione, si Pœnitens est dispositus.

Quòd si Sacerdos non profert verba consecrationis, aut absolutionis cum debita intentione, tunc non stat loco Dei, nec operatur in persona Christi, ut patet: quandóquidem non utitur potestate sibi traditâ ad executionem talis ministerii: unde nihil mirum si fallat. Idem dicendum in omnibus aliis quæ non sunt de essentia talis ministerii; nam in illis Sacerdos non stat loco Dei.

Quoad veros Prophetas à Deo missos, quid mirum? si non fefellerunt: quandóquidem manifestantes quæ Deus ipsis revelaverat, ut sic, reduplicativè stabant loco Dei. Ex dictis liquet Confessarium non stare loco Dei, nisi quandò profert verba absolutionis cum debita intentione: undè promittens se daturum absolutionem, aut promittens secretum ut sic, non stat loco Dei, & potest fieri ut fallat.

Non est prætermittendum, quòd Excucullatus recurrit ad quamdam legem, quam appellat Delegantis & Delegati: debebat indicare, undè illam hauserit. Certum est, neque in Jure Canonico, neque in Jure Civili, ullam esse legem, in qua dicatur Delegatum non posse fallere nec falli. In quodam Canone Decreti, Summus Pontifex, loquens de Delegato, dicit quòd de ejus actibus dubitari non potest: sed hoc nihil aliud probat: nisi actus vi Pontificiæ Commissionis editos, validos esse: quod nihil conducit ad præsens institutum.

Dixi fieri posse, ut Confessarius promittens secretum, fallat illud revelando: sed iste casus est rarissimus, atque, ut ita dicam, inauditus. Neque enim existimo, quidquid Excucullatus, confessionem ipsius sacramentalem, à Confessario fuisse revelatam: imò teneor credere, & reverà credo, illum Confessarium fuisse virum probum, & à tanto crimine prorsùs immunem.

Nonne in dubio quisque præsumitur bonus? Si tritum istud, inter Juristas, axioma, valet *ad purgandum à calumnia, hominem cujus probitas non indubitata*: quid censendum in nostro casu? Agitur de Religioso, notæ probitatis viro, cujus fama est illibata, cum sit à Superioribus deputatus, ad Confessiones excipiendas. Non æquum est; ut damnum aliquod in honore, aut famâ patiatur, ex dicto unius tantummodò testis; maximè cum testis ille sit ex multis capitibus infamis, sit gravissimorum scelerum reus, quin etiam propria facinora prodat, ac proindè suam allegans turpitudinem, non sit audiendus.

Sileat sicophanta, suo ipsius testimonio jugulatus, aut respondeat huic syllogismo, cujus duas præmissas ipse subministrat. Decipiens in uno, potest etiam decipere in alio, & in nullo credendus: sed Excucullatus decepit in uno, quippe qui ex malitia non consecravit, ut ipsemet fatetur: Ergo Excucullatus potest decipere in casu præsenti, & in nullo est credendus. Quidni pertæsus inclamet?

Heu patior telis vulnera facta meis.

Disceptationem claudit, ac firmat, impressione sui sigilli, in cera miniata, seu Hispanica. Scuti aream ornat asininum caput, arrectis auribus longissimis; ad marginem leguntur hæc verba, EX HOC ORE NOVI DOMINUM: in capite scuti splendent sacratissimi Caracteres, radiorum orbe circumfusi. De illis taceo; displicet enim quòd sacra prophanis, seria ridiculis miscuerit: cæterum hominis seipsum exprimentis,

artem demiror, symbolo congruo duram cervicem, & aures incircumcisas adumbrantis. Igitur Prælector primarius, abdicatis Doctoratûs infulis Asinus de Æsopi Puteo prodiit. Injuriam non facio, ita volenti: illo quippe se typo signat, illo stemmate gaudet, & gloriatur.

Quoniam verò de vitulo fusiùs egit (*suis in objectionibus circa adorationem vituli*) liceat de vituli, & Asini capitibus observationem, à proposito non alienam, intexere. Tradunt celeberrimi Doctores, non integrum vitulum, sed solum caput ab Aarone fuisse conflatum, & Idolum ab Israëliris adoratum, nihil aliud fuisse, quàm caput Bovis. Ego igitur Bovis Caput, in memoriam revocans, & habens præ oculis Asini Caput in sigillo effictum: Christianæ fidei Desertorem obtestor ex utriusque ore noscat Dominum pro nobis incarnatum, natum. Cognovit Bos Possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui: iste verò Dominum suum negat, ac deserit. Plura recensere non vacat: hæc autem, nisi fuerit Asinus ad Lyram, sufficient pro redimenda lite De Asini Prospectu instituto.

Ad objectiones in Ægypto propositas respondet Capocinus Gallos: utinam qui Christum negavit, ad cantum Galli resipiscat. Turonibus in Conventu Capucinorum. Die tertiâ Maii, anno 1689.

Hæc Epistola R. P. Joannis-Baptistæ Biturici Capucini, sic incipit:

Responsio ad Objectiones à quodam Excucullato contra fidem Catholicam propositas.

» Quidam Professus in Ordine Carmelitanorum » Discalceatorum, Philosophiæ, ac Theologiæ quon- » dam Prælector primarius, à Christianismo defi- » ciens, factus est Judæus: tam execrandi facinoris » labem ut abstergat, rationes aliquas contra fidem » Catholicam Romanam proponit, quas velut inso- » lubiles immoderatâ jactantiâ, vir petulans propa- » lare non cessat. Mentem aperit, quando regressum » ad fidem Catholicam sub tali clausula, spondet his » verbis: *Duas rationes propono quibus si*, &c. ut suprà. Hæc Epistola duas & viginti paginas *in*-4°. complectitur editas Turonibus, apud Petrum Gripon, Typographum Regium, M. DC. LXXXIX.

Secunda Epistola, quæ ad paginam 53. sequitur, ibidem edita *in*-4°. 1690. sic incipit:

Iterata Responsio quâ Excucullati pertinacia retunditur.

» Excucullato iterùm negante, cantat iterum Gal- » lus. Vidit indefessus conclamatæ Synagogæ Patro- » nus responsionem meam, & pro sua pervicacia si- » lere non potuit; lapsui recentem latebram ut quæ- » rat calamum repetit: & ea quæ ex sacris Theolo- » giæ placitis stabilieram, iterato conatu convellere » pertentat. Rursus igitur in arenam descendo, ni- » mium sanè officiosus ergà Siculum, dum vir inur- » banus, dicam an crudelis? Vesperas Siculas com- » memorat, suorum scilicet in Gallos immanitatem » ac sævitiam. Paucis hominem volo, multa vana & » futilia ille congerit, quæ sigillatim discutere, nec » mihi per otium licet, nec argumenti gravitas pati- » tur: quæ vero ad rem faciunt, & vim aliquam viden- » tur habere, perstringam. Aspiret Deus Optimus » Maximus qui Gallo dedit intelligentiam........ » die 13. Junii, anno 1690.

Epistola tertia, Turonibus etiam edita 1691. *in*-4°. percurrens à pagina 54. ad paginam 60. inchoatur his verbis:

Tertius Galli Cantus,

seu Responsio ad Epistolam Excucullati, Clarissimo DD. Moysi-Israeli, Peregrino Cayrum.

Clarissime et charissime Domine,

Romam petens pro Capitulo nostro Generali proximè futuro, perveni Massiliam, ubi tuam iliam epistolam accepi, quâ me vocas amicum dilectissimum; ac deinde narras quæ tibi Romæ acciderint. Dicis illata tibi fuisse duo vulnera pessima; alterum à Confessario, putas Sacramentalem Confessionem ab illo fuisse revelatam: alterum à sacra Congregatione, quæ te privavit voce activâ & passivâ; & subjungis hæc duo vulnera fuisse causam, cur à Religione & à fide recesseris. Responsionem rogas his verbis: *Rescribas mihi propriâ manu, quam videre maximè cupio: dum non possum te videre per præsentiam.* Et in eadem epistola fiduciam & benevolentiam erga me tuam ita significas: *Hac breviter tibi dico familiari meo charissimo per solas epistolas noto, utinam te per præsentiam cognoscerem, & os ad os loquerer.*

Libenter annuo charissime Domine; atque ut urbanitati tuæ vices rependam, ultrò me tibi voveo; exploratum habeas, me ad omnia obsequia tibi præstanda paratissimum. Scribo igitur manu propriâ, ut morem geram, sed festinanter; quoniam, propter brevitatem temporis, discessum maturare cogor.

Doleo super te, frater mi; doleo, inquam, non quod bonæ famæ jacturam feceris, non quòd suffragiorum jure spoliatus fueris: quamvis dicas hæc duo damna, esse duo vulnera pessima, & insanabilia. Quid illa? si cum jactura divinæ gratiæ & salutis æternæ conserantur. Doleo igitur de pessimo statu animæ tuæ. An malevoli homines tibi nocuerint, non est meum disquirere, Dominus judicabit: sed dato quod ab iis injustè læsus fueris, longè gravius est vulnus, quod per defectionem tuam tibi ipsemet inflixisti. Causam tanti peccati ne refundas in alios; detrimentum in bonis animæ nullus patitur nisi à seipso. Conscientiam tuam compello, charissime; nonne illa tuum tibi lapsum improperat? Ne obsurdescas aure cordis tui.

Prioribus libellis Synagogam laudas, quasi ad Judaismum, velut ad tutiorem salutis viam confugeris. An putas tuum transitum ad Hebræos, pietatis & Religionis larvâ obduci posse? Nullus unquam sive Christianus, sive Judæus in animum inducet, te è Carmelo discessisse, & in Ægyptum descendisse, ut Deo meliùs inservias. Revertere, quæso ad ubera matris Ecclesiæ Romanæ, quæ olim succisti; illa te mortuum plangit, reduci ac redivivo gratulabitur. Pœnitentiam age, crimen lacrymis ablue: quod ira, quod odium, quod vindicta, & alii præcipites animi conturbati & graviter vulnerati, motus suasêre, illud jam rescindat mens pacata, & sui compos. Peccasti, noli in peccato perseverare: peccare humanum est, perseverare diabolicum.

Venio, non disputaturus, ut aliàs, sed humillimè & ex intimo cordis affectu rogaturus, miserearis animæ tuæ: pacificus est ingressus meus, & fratrem ut frater amicè complector. Theologiâ polemicâ non utar, &c....... vale. Massiliæ, in Conventu Capucinorum, die 17. Martii, 1691.

Clarissime & charissime Domine,

Addictiss. & obsequentiss. in Christo Servus,
F. Joannes-Baptista Bituricus,
Capucinus indignus.

A.

CXCVIII.

ANONYMUS GALLUS natione, genere perquàm illustri nobilis Carmelita, officio non parvo inter suos spectabilis, & (quod caput est) onimi sinceritate, & rerum historicarum tractatione insignis, Epistolam ad Reverendum Patr. Danielem Papebrochium scripsit, tacito loci ac personæ nomine, quam idem Papebrochius inseruit tomo 2. Maii ad diem 11. In Commentario Apologetico ad querelas Patrum Carmelit. *pag.* 712. *num.* 14. ed. Antuerpiæ M. DCLXXX. Hujus autem Epistolæ tenor hic est :

» Quid sentiam de iis, quæ in Aprili suo scripsit » Rev. vestra de nostro Ordine, latiùs aperiam oc- » casione commodiori. Dicam interim, quòd in plu- » rimis non recedo à vestris assertis, eòque minus » quo plus studii & laboris per multos jam annos » insumpsi in iis ad fundum disquirendis. Veritatem » amo, non commenta, quibus undique repleta est » historia Ordinis : à quibus utinam semel benè re- » purgetur ! Sarraceni in Menologio absurditates sæ- » piùs demiratus sum : tentavi aliqua conciliare, sed » frustrà, præsertim in Alberto Legislatore. De aliis » taceo. Mentem meam circa illas materias sæpè dis- » cretioribus quibusdam è nostris aperui : & plura, » de quibus agit Rev. v. antequam illa vidissem, » jam olim judicavi. Unde non difficile erit excusare » Rev. v. (quod etiam præstiti, & quantum pru- » dentia patietur, præstare pergam) quasi ad hæc » scribenda alienâ ingressione impulsam. Utinam ille » *Armamentarii* Autor tacuisset, nec vobis occasio- » nem dedisset discernendi à proposito olim facto ! » Utinam & inposterùm taceat ! Quod vix credi- » derim. Sed de his modò satis : aliàs datâ oppor- » tunitate pluribus. Interim maximè laudo tracta- » tum de Diplomatibus discernendis, qui super om- » nia placet. Apprecor felicia Reverentiæ vestræ » festa Pentecostalia : rogoque Dominum, ut ipsam » divinis Sancti Spiritûs charismatibus replere di- » gnetur, ut Ecclesiam doctissimis suis lucubrationi- » bus ditare festinet. Hoc voveo : hoc opto.

Huic Epistolæ libenter assentimur, quatenus asserit multas absurditates irrepsisse in Petri-Thomæ Sarraceni Menologium : id enim jam animadverterat Lezana *tomo* 4. Annalium Carmelitarum, *anno* 1205. *num.* 2. & *anno* 1214. Rectè quoque Papebrochius de S. Alberto Legislatore locutus est ; sed præiverant idem Lezana & Ludovicus à S. Teresia. *Armamentarii* Autorem durioribus impolitioribus utentem vocibus, damnaverunt Seraphinus à Jesu-Maria, anno 1674. tunc Provinciæ suæ Flandro-Belgicæ negotia Romæ curans ; & Ludovicus Perez, ibidem ab eruditione non Theologica tantùm, sed & Historica æstimatissimus, qui ad Papebrochium scripserunt die 24. Februarii, ipso teste in eodem *tomo* 2. *Maii*, *pag.* 95. *num.* 150. Ita illi :

» Verbis non magis humanis, quam (ut credere » juvat) sincero animo, fidem mihi (inquit Pape- » brochius) reipsa facientes, quod nullam vellent » habere partem in amaris querelis, quibus *Arma-* » *mentarii* Carmelitici Autor, cum Martium nostrum » temerè usus, suorum opplere aures, animosque » avertere conatus fuit, jam indè ab anno 1669.

In plurimis Papebrochium æquè ac Scriptores Carmelitas excusare non difficile esse autumamus. Nam errata plurima serpsere in Operibus Papebrochii : ipse hodie fateretur ; & ultro deleret quod *tomo* 4. Maii in vita S. Catharinæ Senensis, *cap.* 17. *num.* 321. *pag.* 935. scripsit de Conventu *Belli-Regnardi*, quem confudit *pag.* 935. cum fictitio quodam Viro *Beato : cujus non tantum Ecclesia*, inquit, sed *etiam ipsa appellatio hactenùs nobis ignota fuit : libenter discemus locum ac diem cultûs ; aut quidquid de ejus vita aut miraculis, scripto & memoriâ est conservatum.*

Anonymus quis fuerit is Carmelita, genere perquàm illustri nobilis, natione Gallus, officio non parvo inter suos spectabilis, si conjectare licet : ANGELUM DE CAMBOLAS hunc fuisse vix ullus dubito : vir enim fuit ex nobili familia ortus, natione Gallus, Tolosæ natus, Parisiensis in sacra pagina Doctor illustris, Prior Lutetiæ & Tolosæ, ac in Provincia sua ter Provincialis, atque in tota Gallia Generalis Commissarius, qui per duodecim annos in Romana Curia pro suo Ordine Procuratoris Generalis munus & onus optimè sustinuit, ac tandem anno 1704., die 11. Maii electus est supremus totius Ordinis Carmelitici Moderator ; ut dictum est *superiùs, col.* 106. *num.* CXLI. Adde quod stilus Epistolæ *col.* 107. citatæ, idem atque Epistolæ ad Papebrochium datæ, de qua nunc agitur, penitùs appareat ; ita ut ovum ovo non videatur similius.

CXCIX.

ANONYMUS ITALUS, Provinciæ Romandiolæ & Piceni Carmelita, Opus Italicò idiomate scriptum edidit, cujus titulus est :

L'Arte della Salute, ou vero Regola per vivere perfetta mente, compresa in tre Precetti ; dedicata à Gesu, Maria, e Giuseppe : tradotta dal Latino e dilucidata da un Religoso Carmelitano della antica observanza. Opera utilissima ad ogni stato, massime Religioso. Roma, anno 1734. per Giovanni Zempel, vicino monte Giordano *in-16. pag.* 70.

Hujus operis edendi licentiam concessit Rever. P. Ludovicus Benzoni, Prior Generalis. Approbationem verò dederunt Rever. Magister Jacobus Albertus Cavina Exvicarius Generalis, & R. P. Magister Petrus-Thomas Cacciari, Collegii Transpontinæ Regens, Provincialis Hyberniæ, & Cleri Romani Examinator Synodalis, necnon sacræ Theologiæ Professor.

Primo Capite seu primo præcepto tractatur de Conscientiæ puritate, quæ duobus modis acquiritur, purgando quæ malè facta sunt, & nihil agendo quod purgatione indigeat. Ad conscientiam emundandam Confessio præsertim & Contritio desiderantur : ad eam à malo faciendo avertendam, attentio circa ea quæ præcipiuntur agenda ; continua de novissimis meditatio, Dei præsentis cogitatio, occasionis peccaminosæ fuga, otiositatis devitatio, Librorum spiritualium lectio, quotidiana Missæ auditio, quotidianum conscientiæ examen, diurnæ meditationis praxis, frequens Sacramentorum usus, fervida in B. Virg. Mariam devotio, & piissimi atque prudentissimi Confessarii electio, prærequiruntur.

Secundo Capite ventilatur praxis de pura intentione in Communione, in actionibus quotidianis ; ita ut à matutinis horis usque ad vesperam intendamus Dei gloriam promovendam ; nihil aliud optantes sive prosperum sive adversum, nisi quod Deo fuerit benè placitum ; semper attendentes quam in partem nostra mens vertatur.

Tertio Præcepto discutitur quomodò mens humana Dei voluntati sese conformet, &c. Alia legenda sunt in ipso libro, cujus analysim exscribere nos impediunt sequentes articuli.

CXCX.

ANONYMUS LEODIENSIS Carmelita Provinciæ Gallo-Belgicæ Asceta, quem Patrem HIACINTHUM appellant, nomine Viri clariss. & amplissimi Domini YVON D'HEAOUVAL, in Parisiensi Regiarum Rationum Curia Auditoris, Epistolam

scripsit anno 1685. quasi *Romæ* apud la Roche, ad insignia veritatis, sed reapse *Leodii* Gallico Idiomate editam, adversùs præstantissimum & eruditissimum CAROLUM DUFRESNE, Dominum du Cange, Regi Christianissimo à Conciliis, & Franciæ apud Ambianos Quæstorem, qui anno 1682. ad R. P. Danielem Papebrochium Epistolam, de Actis Sanctorum compositis gratulatoriam miserat, in qua inter alia de Carmelitarum antiquitate jocosè ludebat, & addebat :

» Credo quod, qui Carmelitica pallia circulata » fuisse docuerunt, expressa voluerint eo planè mo» do, quo exprimuntur circuli in pallio Eliæ Salman» ticensi. Adde quod seculo isto nullius omnino » moris esse videatur vestes ex panno virgulato fa» ciendas sic contexere, ut lineæ à collo ad pedes » descenderent, sed ut transversæ formarent circu» los. Miror bonos istos Patres adeò cervicosè stare » prætensâ Ordinis sui origine, & tuendis Autori» bus purè imaginariis, atque ad beneplacitum fa» bricatis.

De Antiquitate sui Ordinis Carmelitas rectè loqui probatum fuit in *Dissertatione prævia* huic *Bibliothecæ* præfixa : Autoribus etiam tuendis eos adhærere non *purè imaginariis atque ad beneplacitum fabricatis* testantur rationes, quæ *tomo* 2. *num.* XXIII. & XXIV. *pag.* 25. & *seqq.* referuntur. Quæ autem illorum ad Pallia circulata spectant, Ipse Papebrochius *tom.* 2. *mensis Maii*, *pag.* 815. *Not.* K. ait : » Cæterùm non magnoperè repugnabo, si quis » sustinere velit ut probabile, quod primi ex Asia in » Europam trangressi Carmelitæ, difformiter usi sint » panno illo, undè Carpitas faciebant; sic ut aliis » quidem virgulæ suæ aut etiam virgæ (nam & in » latitudine diversitas erat) à collo ad talos perpen» diculariter penderent : aliis circulorum instar cor» pus ambirent; atque hinc cofusâ utriusque formæ » memoriâ, factum est, ut tam variæ utriusque mo» di picturæ in locis variis inveniantur : omnes ta» men tendant ad multitudinem virgarum, barra» rum, & circulorum.

Jam dixerat in *eodem tomo ad* 8. *Aprilis*, *pag.* 797. *num.* 126. » Carpitam scilicet appellarunt, » quod nomen Italicum est, ipsam illam variega» tionem propriissimè significans, in eo cui intexitur » panno. Hujus assertionis testes habeo Autores *Aca» demici Vocabularii della Crusca*, collecti ex solis » Scriptoribus seculi XIV. quod Tuscanæ linguæ » aureum seculum, & Venetiis impressi anno » 1623. producunt hi Franciscum Berni in suis » Rythmis burleschis sive satyricis ita jocantem : » *Mi vien veduta, attraversa à un desco, una car» pita di lana di porco* : id est, *video transversim in » disco, unam carpitam ex lana porcina contextam*, » scilicet *sataccam.*

» Indicant autem iidem Academici, *carpitam* esse » quæ alio nomine dicitur *Celone*; id est ut explicant » ipsi, *pannus virgulatus quo mensa insternitur.* Quo » etiam in sensu Belgis & Anglis dicitur *Carpet*... » Forsitan à verbo carpire. Unde *Carpita* participale » deducitur, sicut *ferita* à *ferire*; verbum Italicum » & in Lombardia, ac nominatim Vercellis, unde » Albertus advenerat, idem est quod Latinis discri» minare, distinguere... adeò ut vesti, panno, aut » stragulo ad mensæ, vel lecti integumentum virgu» latim colorato, quale fuisse Carmelitarum *Carpi» tam* in confesso est, aptius nullum nomen possis » excogitare. Quare etiam eo nomine usus est Ordo » Carmeliticus, quamdiu usus ipsis *Carpitæ.*

Accurata hæc non sunt Papebrochii verba. Nam 1°. Autores in *Vocabulario della Crusca* collectos scribit esse ab Academicis solos qui seculo XIV. vixerint; suæ tamen interpretationis testem appellat Franciscum Berni, qui seculo decimo sexto ad annum 1530. Florentinum Canonicatum obtinuit : de quo quidem Poëta jucunda leges, quæ Vir clarissimus Bernardus de la Monnoye notavit ad *articulum* 1371. *pag.* 45. *tom.* 5. Adriani Baillet de *Poëtis Modernis.*

2. Ante seculum XIV. vocabulum, *Carpita*, in usu erat apud Carmelitas, quorum Comitia Generalia Londini à Petro de Amiliano celebrata anno M. CCLXXXI. statuerunt, *ut Frater professus habeat unam Carpitam, quæ est nostræ Religionis signum, non de petiis consutam, sed contextam, & habeat septem radios tantum, ut simus uniformes.* Priùs legimus *tomo* 10. *Concilior. Labbe*, *pag.* 935. E. in Concilio Tricassino anno M. CXXVIII. celebrato, *cap.* 70. Regulæ Templariorum : *Credimus enim potius saccum, culcitram & coopertorium unicuique sufficere.* Qui *verò ex his uno carebit*, *Carpitam habeat.* Vercellas neque Italiam incolebant, *unde Albertus advenerat*, Patres Tricassini, & Joannes Michaelensis, hujus Regulæ Scriptor, ut animadvertit Dom. Joannes Mabillonius in *Admonitione* Opusculi sexti S. Bernardi, *tomo* 1. *in-folio pag.* 541. Quid amplius? Pelagius Diaconus, exeunte seculo VI. libello 10. de Discretione, apud Heribertum Rosweidum, de vitis Patrum, *pag.* 604. *num.* 76. *Nota* 36. dicit : *Videns* autem ÆGYPTIUS Monachus *vestitum* Arsenium *mollibus*, & *budam* de *papyro*, & *pellem stratam sub ipso* ægrotante, & *modicum capitale de cartica sub caput ejus.* Indubiè legendum *Carpita*, inquit ipse vir clariss. Dom. du Cange in suo Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, verbo, *Cartica.*

3. Haud probabile est quod primi ex Asia in Europam transgressi Carmelitæ difformiter usi sint panno illo unde Carpitas faciebant. Nam Autor Epistolæ ad Eusebium Montis Neroi Abbatem, *cap.* 6. contrarium asserit : contrarium indicant Comitia Londinensia statuto suo jubentia, *ut Frater habeat septem radios tantum*, non circulos, *ut simus uniformes* : Contrarium asserit Joannes Hildesheimensis in suo *Defensorio*, *cap.* 10. dicens : » Chlamides » cum barris septenaria distinctione nostri Præde» cessores portare consueverunt : ego vidi in Franc» fordia anno Domini M. CCCXXXVIII. Fratrem » centenarium, devotum, & fide dignum, Bartho» lomæum nomine, qui dixit, hujusmodi varias » barras in juventute se portasse. Is autem Bartholomæus coævus erat Capitulo Londinensi, quod *radios*, non circulos memorat.

4. Eliæ Salmanticensis pictura certum nihil probat. Tum quia *Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*; inquit Horatius de Arte Poëtica, versu 9. Tum quia ipso scribente Papebrochio *tomo* 1. Aprilis in notis ad vitam S. Alberti, *cap.* 12. *num.* 121. *pag.* 795. Salmanticensis Ecclesia circa annum M. CCCCXXX. à *Sanctio de Castella* picturis exornata fuit : quando Carmelitæ *Librum Joannis Hierosolimitani* præ manibus habentes, legebant *cap.* XI. Eliam Prophetam albo pallio indutum fuisse; ut animadvertit Philippus Riboti, *Lib.* VII. *cap.* 5.

C C.

ANONYMUS NEAPOLITANUS Carmelita anno 1452. die quo natus est Infans FERDINANDUS, ad Alphonsum Regem Castellæ veniens hic Religiosus, homo literis & moribus insignis : *Hodie*, inquit, *Rex*, *in Hispania Citeriori Puer tui generis natus est, qui maximus olim inter Christianos Principes nominabitur : quippe qui res magnas, multas & sanctas, domi forisque geret; quibus fidem nostram, Religionemque Christianam*,

&

A.

& Hispaniæ nomen altius attollet. Cujus verbis & vaticinio Rex, quoniam Carmelita hic Sanctus à multis qui mores ejus noverant, habebatur, & multa quæ anteà prædixisset, verissima reperiebat, magnam fidem adhibuit: quam non multò post, cùm de JOANNÆ Reginæ partu nuncium accepisset, affectus lætitiâ confirmavit.

Hæc referunt Lucius Marineus Siculus, *Lib.* IX. *de Rebus Hispanicis*, *cap.* 3. Joannes Mariana, *de Rebus Hispaniæ*, *Lib.* XXV. *cap.* 18. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 329. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. Carmelit. ad annum* 1450. *num.* 2. *pag.* 873. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 976. *num.* 3425. Joseph-Nicolaus Charenton in Historia Hispaniæ, Gallicè ex Joannis Marianæ Historia traducta, *tom.* 5. *Lib.* XXV. *num.* 91. *pag.* 109.

Ferdinandus V. de quo vaticinium protulit noster Anonymus Neapolitanus, præfato anno 1452. die 10. Martii natus est vesperè inter secundam & tertiam horam, ex Joanne II. Aragoniæ Rege, & Joanna Henriquez Parentibus. Anno 1469. die 18. Octobris uxorem duxit Isabellam Castelliæ. Anno 1492. Urbem & Regnum Granatæ occupavit die 2. Januarii. Plurimas novi Orbis Insulas procurante Chrystophoro Columba possedit anno 1493. Neapolitanum Regnum Gallis abstulit anno 1503. Navarram invasit anno 1512. die 22. Aprilis; & *Catholici* nomen accepit ab Innocentio VIII. & Alexandro VI. Quæ cum aliis gestis veritatem vaticinii certò probant.

Deceptus tamen Franciscus Junctinus in suis *Commentariis* ad Ptolomæum de Astrorum judiciis, *Lib.* IV. *cap.* 2. *tom.* 1. *pag.* 676. nativitatem Ferdinandi Regis Catholici affigit anno 1450. die 21. Martii, horâ 5. minuto 49. post meridiem: & inde genethliologiam deducit, secundùm quam notat quod Ferdinandus » habuit easdem, quas Sixtus V. stellas » fixas, & præter has signum in occasu, & ultra eas; » quia erat Princeps & Nobilis, ipse habuit Saturn» num in prima domo in sua altitudine Dominum » quartæ; & significavit in rebus subterraneis ac » thesauris & absconditis fore divitem, ac si domi» nari debuisset illis terris inventis: ipse autem re» cuperavit Regnum Granatæ, & plura alia invenit, » & multa fecit pro Ecclesia, & fugavit Turcas. Verùm si unquam, hìc profectò valet adagium; *Pyrrhonia hæsitatio:* tempus enim nativitatis omninò fallit & fallitur.

CCI.

DISSERTATIO

De ANONYMI *Parisiensis Responso ad Librum Gallicè inscriptam:*

LES MOINES EMPRUNTEZ.

ANONYMUS PARISIENSIS Carmelita, quem JOANNEM DE VAUX A SS. SACRAMENTO vocatum fuisse novimus, Idiomate Gallico lucubrationem edidit sub hoc titulo: *Réponse pour les Religieux Carmes au Livre intitulé*, Les Moines Empruntez. *A Cologne, chez Etienne* ETMULER M. DCXCVII. Hoc est Latinè: *Responsio pro Religiosis Carmelitis ad librum inscriptum:* Monachi Mutatitii. Coloniæ, 1697. *in*-16. *pag.* 150.

Operi præfigitur Epistola Autoris ad amicum sex paginis contenta, & Parisiis signata die 20. Februarii 1697. F. P. du S. S. R. C. Arbitratur Anonymus noster famâ circumferri Autorem libri de Monachis Mutatitiis esse hominem Ecclesiasticum. Quæ opinio consentanea est clariss. Dom. Nicolao Lenglet, in *Methodo* Gallicè inscripta, *De ratione studendi Historiæ*, *tomo* 3. *pag.* 132. præfatum librum esse opus Petri Faydit Ricomagensis in Alvernia Presbiteri; qui scripserit impotentiori animo, quam accurata veracique stilo, sub nomine PETRI JOSEPH.

Verùm eruditi viri hodie sciunt Autorem genuinum esse JOSEPHUM-PETRUM HAITZE, vulgò D'ACHS, ortu Caballionensem (Gallicè *de Cavaillon*) in Comitatu Vindascino, & Aquis-Sextiis in Provincia defunctum die 26. Julii, anno 1736. cujus Opera recensentur *tom.* 2. *supplementi Moreriani* 1749. *pag.* 5.

1°. Ad palmare Haitzei argumentum evertendum Anonymus Carmelita refert verba S. Athanasii in Apologia de fuga sua, *num.* 20. *pag.* 332. aliàs 714. dicentis. Magnus autem Helias dum ad Carmelum Montem secederet, *Deum invocavit . . . ipse servatus est, ut vice sui Elisæum inungeret, seque ipsa in exemplum ad Ascesim filiis Prophetarum exhiberet.* Ascetæ autem nomine S. Athanasius haud dubiè intellexit Monachum. Nam in vita S. Antonii, *num.* 7. *pag.* 802. de hoc Monachorum restauratore loquens ait: *Dicebat autem apud semetipsum oportere Ascetam ex magni illius Heliæ vitæ instituto suam ipsius vitam quasi in Speculo quotidie ediscere.* Hinc tot SS. Patres & Scriptores in præviam Dissertationem nostræ Bibliothecæ adducti, qui Prophetam Eliam vitæ Monasticæ Principem, Patrem, Magistrum & Fundatorem conclamant; sed eo sensu, quo Joannes Cassianus, *Lib.* II. *Institut. Cap.* 2. dixit: *In veteri Testamento professionis hujus* Monasticæ *fundavêre primordia, Elias scilicet & Elisæus*, ut *divinarum Scripturarum autoritate monstratur.* Et cap. 8. *Professionis hujus præfiguravêre lineas in veteri Testamento*, ii [illegible] *quibus Apostolus: Circuierunt*, inquit, *in melotis & in pellibus caprinis egentes.* Idem Collat. XVIII. cap. 8. *Anachoretæ . . . vastos Eremi recessus penetrare non timent, ad imitationem scilicet Joannis-Baptistæ, qui in eremo totâ permansit ætate: Heliæ quoque & Helisæi atque illorum de quibus Apostolus ita commemorat: Circuierunt in melotis, &c.*

2°. Quæstio movetur utrum Carmelitæ possint rectè dici filii & successores Eliæ Prophetæ. Verùm, ut ait S. Basilius, vel aliusquis Autor *Constitutionum Monasticarum*, *cap.* 18. Qui in vita cœnobitica pro» moverunt, sunt filii multi apud quos sit Pater » unus, qui cælestem Patrem imitetur; filii, inquam, » qui unà inter se concordibus animis adstricti, pa» trem honestissimis virtutum officiis, quasi pre» hensâ manu excipiunt, & rationem conjunctionis » suæ ducem sibi ac custodem asciscunt, & se inter » se vinculo Spiritûs Sancti constringunt. » Hoc autem vinculo erga Prophetam Eliam tanquàm Patrem & Ducem atque Custodem constrictos enunciant sexcenta testimonia Autorum qui à sæculo duodecimo de illis locuti sunt.

Neque *Fundatoris* Carmelitarum titulum Eliæ Prophetæ denegat Papebrochius *tomo* 2. *mensis Maii* in suo Apologetico Commentario, *pag.* 710. *num.* 9. quatenùs juxta narrationem Joannis Phocæ circa annum M. CLXXXV. *de locis Sanctis*, *num.* XXXI. scribentis, quod S. Bertholdus primus Latinorum Carmelitarum Prior Generalis ex revelatione Eliæ Prophetæ, in Montem Carmelum appellens, reliquias Monasterii antiquitùs constructi, & variis gentium excursionibus penitùs aboliti, vallo exiguo cinxerit, & turri extructâ temploque parvo, collectisque fratribus circiter decem, hunc Sanctum coluerit.

Joanne Phocâ antiquior Gerardus de Nazareth vocatus, quia ibi natus, ex eremita & monacho *Montis Neroi* seu *Montanæ nigræ*, propè Antiochiam ad Laodicenum Episcopatum, assumptus, *de Conversatione virorum Dei in Terra Sancta morantium*

A.

scribebat, ann. circiter M. CXL. ad Guillelmum Presbyterum: Aliud est Religiosorum genus, qui singillatim habitant à seculi rebus alieni, quod laudabile semper fuit. Hi sunt qui ad exemplum Eliæ silentium solitudinis præferunt tumultibus civitatis: amant enim secretam contemplationem Deitatis.

Jacobus de Vitriaco in Historia Hierosolymitana, *cap.* 52. notat ante annum M. CXX. quòd viri sancti seculo renuntiantes. » Alii ad exemplum & imitationem sancti viri & solitarii Eliæ Prophetæ, in Monte-Carmelo, & maximè in parte illa quæ supereminet civitati Porphyriæ, quæ hodie Cayphas appellatur, juxta fontem, qui fons Eliæ dicitur, non longè à Monasterio Beatæ Virginis Margaretæ, vitam solitariam agebant, in alvearibus modicarum cellularum, tanquam apes Domini, dulcedinem spiritualem mellificantes.

Jacobo Vitriacensi anno 1244. Romæ defuncto suppar Guillelmus de Sanvico, *quem propterea amo; & si quid in illo suo sensu abundantius dixit, quàm per summum examinandi rigorem probari possit; dignum venia judico ac præ cæteris Carmelitarum originum Scriptoribus lectu dignum:* inquit Papebrochius, *tom.* 3. mensis Maii in Patriarcharum Hierosolymitanorum Historia Chronologica, *pag.* 64. *num.* 257. Guillelmus, inquam Savicensis in sui Chronici *cap.* 1. refert, postquam Godefridus de Bulyon Dux Lotharingiæ, & exercitus Christianorum Cruce signatus, civitatem Jerusalem de manibus infidelium recuperaverunt, totamque Terram Sanctam, à diversis mundi partibus multos devotos Christianos in eam advenientes, in causa fuisse, cur status Carmelitanæ Religionis ibi dilatari cœperit.

» Hos enim devotos diversarum nationum advenas sancta conversatio & abundans justitia illorum Religiosorum Montis-Carmeli ita ædificabat, & ad contemplationem cœlestium trahebat, ut multi... in antris Carmeli montis residere, se felices putarent... Qui cum ita multiplicati fuissent, ut in Montem Carmeli omnes commodè recipi non possent, repleverunt desertas Terræ-Sanctæ solitudines, in quibus prædecessores eorum antiquitùs habitaverunt, quarum famosiores hic commemorabo. Aliqui enim eorum sequentes vestigia sanctorum Patrum hujus Religionis, videlicet beati Joannis-Baptistæ, & filiorum Prophetarum, construentes, construentes sibi modica tabernacula, in solitudine Jordanis latuerunt: Quidam autem ipsorum desertum montis Quarentenæ elegerunt, ut illic vitam solitariam in modicis cellulis Domino ducerent propter fontem, cujus aquas steriles & amaras Elisæus Propheta sanavit; & in quo deserto Dominus Jesus-Christus quadraginta diebus & quadraginta noctibus jejunavit.

» Alii verò eorum, in eremo illa quæ adjacet mari Galileæ, in qua Jesus frequenter turbis prædicavit, & ex quinque panibus hordeaceis duobusque piscibus multitudinem magnam hominum saturavit, & variis miraculorum signis illustravit, solitariam sibi elegerunt habitationem. Nonnullos quoque eorum duxit Aymericus Patriarcha Antiochenus in solitudinem montis Neroi, qui alio nomine Montana nigra appellatur, ubi in antris absconsam vitam Domino servabant. Qui omnes, quamvis essent locis sejuncti, eamdem tamen vitam solitariam servare satagebant, quam servabant Eremitæ Montis-Carmeli. » Hi autem Eremitæ Carmeli eam servabant vitam solitariam, juxta quam Eliam Prophetam tamquam suum colebant Patrem, Ducem ac custodem; ita *ut eo vinculo se constringerent*, sicuti loquitur S. Basilius citatus. Ergo Carmeli Eremitæ dici rectè possunt filii Prophetæ Eliæ, quem *concordibus animis & honestissimis virtutum officiis, quasi prehensâ manu excipiunt* omnes, alio secluso Patre.

3°. Quæritur quâ ratione Carmelitæ dici possint successores Eliæ Prophetæ? Nam Carmelitæ, cùm ad explicandam suam Elianam successionem sese accingunt, inquit Papebrochius, *tom.* 1. Aprilis in Notis ad vitam S. Alberti, *cap.* 9. *num.* 84. *pag.* 789. persuadere nituntur majores suos sub Bertholdo, ex disciplina eorum vixisse, quos ipsi putant ab Elianis immediatè fluxisse. In hac tamen connexione demonstranda cardo vertitur prætensæ antiquitatis.

Demonstrant autem ex continua perpetuaque Monachorum serie viventium ad exemplum & imitationem Eliæ Prophetæ à temporibus S. Bertholdi ad S. Joannis Climaci ætatem; à S. Joanne Climaco ad sanctum Antonium; à S. Antonio ad Jesum Christum; à tempore Verbi Incarnati, ad solutionem Captivitatis Babylonicæ: à tempore Danielis Prophetæ usque ad filios Prophetarum, & à filiis Prophetarum usque ad ipsum Eliam Prophetam, cujus Carmelitæ se ultrò profitentur successores non solùm quoad exemplum & imitationem, sed etiam quoad locum & habitationem, quoad cultum & venerationem. Si qui enim Monachi Bertholdo antiquiores hæc tria simul habuerint, vel unum ex his tribus obtinuerint, Brochardus & ejus posteri illos ceu decessores suos atque Magistros habent, quorum interruptio nulla probatur ex dictis in Dissertatione prævia ad hanc Bibliothecam. Et hanc ob rationem atque cogitandi dispositionem,

4°. Nihil prohibet quominus Elisæus Propheta recenseatur inter eos qui in veteri Testamento professionis monasticæ fundavêre primordia, & lineas præfiguravere. Ad hæc enim primordia fundanda, & ad istas lineas præfigurandas non requiritur totus exercitiorum apparatus, quibus sese obstrinxerunt Antonius, Pachomius, Macharius, Ammon, Hilario, & eorum discipuli atque posteri; sed sufficit ut præcipuas virtutes solitudinis, recessûs ab hominum cœtu, castitatis, paupertatis, & abdicationis rerum temporalium, exercuerint, & alia compleverint opera, quibus facem perfectioris vitæ attulerint ad posteriora secula, & solitariæ cujusdam formæ genus præbuerint. Hæc est Prophetica & Ascetica quam sæpissimè legimus laudatam à sanctis Patribus.

Votorum etiam & firmorum in suo instituto promissorum similitudinem, adumbrationem, & linealem præfigurationem in illis veteris testamenti plurimis Prophetis, Rechabitis, Essenis & Therapeutis fuisse sat indicant ponderosa momenta. Enim verò *Deo fieri potest promissio per solam interiorem cogitationem*, inquit D. Thomas 2. 2. quæst. 88. a. 1. Et hujusmodi promissio potest votum æquivalens appellari. Nam, ut ait Thomas Waldensis, *tom.* 1. *Doctrin. Lib.* 3. *art.* 2. *cap.* 17. » Quid est illud quod æquivalet voto? Dico quod est divinus instinctus, immobilitans affectum tendentem in Deum. Et talis professor fuit Elias, talis etiam erat Joannes Baptista; qui, quamvis non vovebant vocaliter aliquam regulam charitatis, habebant tamen Dei instinctum immobilitantem eorum affectus conversos in Deum.

5°. Hinc aliquis assensus dari posset Lucæ Holstenio apud Papebrochium, *tom.* 3. mensis Maii, in prænotatis *ad Vitam S. Pachomii*, §. 3. *pag.* 292. *num.* 19. asserenti Monachismum hodiernis obligationibus constrictum, non esse Christianismo vetustiorem. » Ejus in veteri testamento figura potius, *inquit*, quam forma, præsagia potiusquam exempla reperiuntur. Anachoresis Eliæ, hujus & Eliæ discipulorum convictus, Nazaræorum & Rechabitarum

A.

» institutà, tum si quæ occurrunt alia hujus generis, » videri possunt quædam quasi rudimenta gratiæ, » Monachos facere exordientis. Esseni quoque, & » quos Philo libro proprio describit, ... multis, ut » palam est, differentiis à Monachorum instituto dis- » crepabant. » Quæ tamen differentiæ non impediunt, quominus Eliam, Elisæum, filios Prophetas, Rechabitas, Essenos & Therapeutas, atque plurimos Ascetos laudemus tanquam viros gloriosos, & parentes nostros, in generatione sua cœnobitica, monastica, eremitica aut anachoretica, cujus initium & exemplum in instituto vitæ magni Eliæ prospiciens, quasi in speculo, suam ipsius vitam quotidie Antonius ediscebat, teste S. Athanasio superiùs citato.

6°. His ritè & attentè perpensis, omnia Libri Gallicè inscripti, *les Moines Empruntez*, argumenta, vel potiùs argumentationes evanescunt captiosæ; nec officient quin continuâ & firmè probatâ successione innixus Joannes Grossi suo in *Viridario*, *parte* 1. *Clavi* 1. Eliam Prophetam vocet Ordinis candidi & albi, videlicet Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli CAPUT: Joannes Bacho in *Compendio Historiarum* & jurium pro defensione eorumdem, *particulâ* 3. scribat quod Ordo Carmeliticus Eliam Prophetam tanquam PATRONUM acceperit: *Patronum* similiter Carmelitarum appellet Joannes Hildesehiemensis in suo Defensorio, *capp.* 1. 3. 4. & 5. FUNDATOREM Carmelitanæ Religionis, Joannes Hierosolymitanus Lib. de Institutione Monachorum, *cap.* 1. Philippus Riboti *Lib. I.* de Peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum, *cap.* 11. & *alibi passim*; nec-non Thomas Bradley in suo Chronico, *cap.* 2. Quid plura, inquit Thomas Waldensis in Epistola nuncupatoria Martino V. Pontifici Maximo, quæ præfigitur *tomo* 1. Doctrinal; PATRIARCHA NOSTER, HOC EST CARMELITARUM HALIAS.

CCII.

ANONYMUS PARISIENSIS, Baccalaureus Carmelita, Henrico Cornelio Agrippæ affinis, orationem habuit Parisiis circa annum 1528. cum jam sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, ad Professoris munus appellatus & promotus fuit. Hæc autem Oratio Typis Lugdunensibus prodiit & Coloniensibus, *tomo* 1. *Operum* præfati *Agrippæ*, ubi *num.* 8. recensetur, *pag.* 1096. & in altera Editione, *tomo* pariter 1. *parte* itidem 2. *pag.* 423. & 424. hæc autem Oratio talis habetur:

» SI UNUS EGO ex Periandri Corinthii aut Lyco- » phronis Schola essem, qui felicitatem ipsam in » gloria & honore locasse feruntur, susceptor aman- » tissime; multum gauderem me his ornatissimi elo- » quii tui divitiis coram tantis viris tam cumulatissi- » mè laudatum, insuper & hac roseæ veluti ovali » corona tam magnificè adornatum.

» Sed ipsa cum professæ Religionis humilitas, tum » ipsa humanitatis meæ mediocritas faciunt, quo- » minùs hasce tam insignes laudes, quas tua erudi- » tio mihi cæcutiente amore describit, pro meis » agnoscam: admirorque, colendissimi Patres, quid- » nam commoverit Reverentiam vestram, post alia » multa in me collata beneficia, me his ornamentis » titulisque decorare, huic sublimi loco sufficere » tanta venerationis pompa comitari.

» Certè non sum is, cui tam egregiæ laudes ac » splendidi tituli, tam sublimia pulpita conveniant. » Vestra hæc munera sunt, vobis ista debentur enco- » mia, qui tanquam cœlestia cœli sidera, divinæ & » humanæ sapientiæ lumine repleti coruscatis, à qui- » bus mihi longè satius esset doceri quàm laudari, » quàm coronari, quàm proferri. Sed vestra hæc est » erga me humanitas & benevolentia: non meum » meritum. Quicquid ergo istic nunc de me benè » dictum est, totum id vestræ refero benevolentiæ, » sed & totum me in vobis debere fateor. Conabor » igitur & nitar, favente Christo, vestrisque conati- » bus, aliquando evadere, qualem nunc me præ- » dicatum audistis, aut fore opinamini: vobisque » dum dabitur occasio, de tanto in me collato ho- » nore, non minus re quam sermone me satisfa- » cturum dicite.

» Sed jam precor vos, Domini; modica hæc ami- » citiæ & obsequii pignora, vinum videlicet amici- » tiæ symbolum, fructusque futurorum bonorum in- » dices, hilari animo mecum convivantes excipite. » Vos, fratres amantissimi, currite, festinate, & cla- » rissimis istis Dominis meis singula diligenti curâ » ministrate.

Huic Orationi adjungere forsan aliquis intempestivum minimè cogitaret quod refert vir clariss. Dom. Archimbaud in Opere Gallicè inscripto: *Nouveau Recueil de Pièces Fugitives d'Histoire, de Litterature, &c.* edito Parisiis 1717. *in-12. tom.* 1. *pag.* 137. R. P. Constantinum, Carmelitam, natione Sabaudum, in Sacra Facultate Parisiensi Doctorem, nuper electum fuisse ad Philosophiam in Regio Maubertino Collegio edocendam Professorem. Hic ineunte anno 1717. Actum Sorbonicum Eminentissimo Dom. D. Ludovico-Antonio de Noailles, Archiepiscopo Parisiensi nuncupatum propugnavit, prævià tum habitâ ad eumdem Cardinalem Oratione, &c.

CCIII.

ANONYMUS PATAVINUS, Carmeli dici voluit is Commentator, cujus Opus inscribitur Italicè,

Tragedie di Euripide intere XIX.
Frammenti & Epistole Græco-Italiane, in versi, &c.
Id est,

Euripidis Tragœdiæ integræ XIX. Fragmenta & Epistolæ, Græcè & Italico carmine exhibitæ, cum annotationibus ad textum & interpretationem, operâ P. Carmeli, Academici Patavini. *Patavii, in Typographia Seminarii, an.* 1743. *in-8°.* Alph. 2. plag. 8.

Hæc leguntur inter *Nova Acta Eruditorum, anno M. DCCXLVIII. publicata Lipsiæ, pag.* 533. *& seqq.* ubi horum Diariorum Collector ait, *pag.* 534. *mensis Septembris.*

» Quæ Reverendus noster P. Carmeli in hac nova » *Euripidis* editione præstiterit, videamus. Habemus » præ manibus quatuor priores Fabulas, *Hecubam*; » quæ tredecim plagulas implet; *Oresten*, quæ toti- » dem; *Phœnissas* & *Medeam*, quarum illa quinde- » cim plagulas, hæc undecim & dimidiam occupat. » Dederit-ne jam plures, vel etiam integrum *Euripi-* » *dem*, quem titulus promittit, nobis in comperto » non est. In his Lectoribus Italis, tam vulgaribus, » quàm eruditis, illis nempè; qui exquisitam Criti- » cem non postulant, sic pro instituto suo fecit satis. » Criticus enim non est, & falluntur, qui novas, aut » à Codicibus, aut ab ingenio comparatas, opes ab » eo requirunt. Nos certè neque in *Hecuba*, neque » in *Medea*, quas integras perlegimus, horum us- » quam quidquam vidimus. . . .

» *Pag.* 144. Ferendum est quod Criticus non sit, » quem tamen *Euripides*, si quis alius maximè flagi- » tabat. Natura non cuivis hoc donum indulsit. Sua- » demus tamen, ut, (si pergat in cœpto opere, quod » vehementer cupimus, &, ut ipsi feliciter cedat, » optamus, modo non jam absolutum sit) ut, in- » quam, saltem bonos, quibus abundat Italia, vete- » res Codices manu exaratos lustret, & eruditis indè » variis lectionibus nos beet. Quo munusculo *Euri-* » *pidis* amantes æternum sibi habebit obligatos, &

A.

» operi suo, sic satis commendabili, grande pretium » & decus addet.

CCIV.

ANONYMUS SYRIUS, seu Palæstinus, aut natu & ortu, aut tecto & domo Carmelita, Breviarium suis Sodalibus congruum scripsit circa annum 1209. aut seriùs prodiit cum hoc titulo: *Breviarium secundùm Ordinem Fratrum gloriosæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, extractum & excerptum de approbato usu Dominici Sepulchri Hierosolimitanæ Ecclesiæ, in cujus finibus dictorum Fratrum Religio sumpsit exordium.* De isto Breviario mentionem habet Lezana *tomo 4. pag. 79. & 902.* sed quâ ratione dicatur *extractum & excerptum de approbato usu Dominici Sepulchri Hierosolimitanæ Ecclesiæ*, non explicat.

Guillelmus autem Tyrius, *Lib. 9. cap. 9.* de Bello sacro, postquam descripsit quomodo Regnum Hierosolimitanum fuerit Godefrido Bullonio delatum, sic loquitur: *Postquam igitur Regnum obtinuit, paucis diebus interpositis, sicut Vir religiosus erat, in his quæ ad decorem Domûs Dei habebant respectum, sollicitudinis suæ cœpit offerre primitias. Nam protinùs in Ecclesia Domini Sepulchri & Templo Domini Canonicos instituit . . .* anno 1100 *Ordinem & Institutionem servans, quas magnæ & amplissimæ à piis Principibus fundatæ, ultrà montes servant Ecclesiæ.*

Idem Tyrius, *Lib. XI. cap. 15.* de Arnulpho Patriarchâ queritur, quod *Ordinem, quem primi Principes studiosè & cum multâ deliberatione instituerant*, Canonicos Regulares commutarit. Creatus est autem Patriarcha Arnulphus anno M. CXI. Ad hanc commutationem consequenter Jacobus de Vitriaco scribit *Lib. I.* Historiæ Orientalis, *Cap. 58.* » Patriarchalis » Ecclesia, quæ est Dominici Sepulchri sub Monte » Calvariæ, Canonicos habet Regulares, secundùm » Habitum & Regulam B. Augustini viventes: Habent » autem Priorem, ad quem cum prædictis Canonicis » pertinet eligere Patriarcham, qui est eis loco Ab- » batis. In Ecclesiis autem Templi Domini & montis » Sion, & montis Oliveti sunt Abbates & Canonici, » secundùm Regulam prædictam S. Augustini Domi- » no ministrantes.

Inter hos, urbe à Saracenis profugos vivebat ALBERTUS ÆCONE, ibidemque in divinis Officiis servabat usum S. Sepulchri: quem multi tùm in Galliâ tùm in Belgio receperunt, edocti à Canonicis è Terrâ Sanctâ venientibus. Et sic instituta *Congregatio Canonicorum Sancti Sepulchri*, reddidit Europæ, quod indè acceperat, cum exiguâ valdè mutatione; adeo ut in solâ ultrajectinâ Diœcesi fuerint domus Regularium istiusmodi viginti-quatuor, & Sanctimonialium ejusdem Congregationis omninò septem.

Specimen autem officii ab illis usurpati habemus in Mſ. plusquam a trecentis ut *quadriagentis* annis exarato, cui titulus incipit, *Matutinale temporis Hiemalis, secundùm normam legendi in Ecclesiâ Dominici Sepulchri.* Continentur autem in hoc Mſ. æquè ac in præcitato Carmelitarum excuso Breviario, festa Episcoporum Sanctorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, scilicet *Matthiæ Episc. & Conf.* III. kal. Februarii, *Simeonis Episc. & Mart.* XV. kalendas Martii, *Alexandri Episc. & Mart.* XV. kal. Aprilis, *Quiriaci Episc. & Mart.* IV. Nonas Maii, & *Narcissi Episc. & Conf.* IV. kalendas Novembris.

CCV.

ANONYMUS UBIUS, sive Coloniensis, quem aliàs novimus esse R. P. Paulum ab omnibus Sanctis, Carmelitam Excalceatum, Coloniæ Agrippinæ, anno 1643. edidit Collectionem nonnullorum Opusculorum, à viris doctis & extraneis elaboratorum in gratiam Ordinis Carmelitici. Hæc Collectio isto inscribitur titulo: *De ortu & progressu ac Viris illustribus Ordinis gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de Monte-Carmelo tractatus, Joannis Trithemii Abbatis spannei mensis, Auberti Miræi Bruxellensis & Joannis de Carthagenâ Ordinis Minorum de Observantiâ. Accedit Catalogus Illustrium Scriptorum ejusdem Ordinis, cum aliis quibusdam Opusculis. Coloniæ Agrippinæ, sumptibus Jodoci Kalckavon, anno 1643. in-12.*

De iis Auctoribus, quos à suâ dissentire opinione circà originem Carmelitarum noverit R. P. Papebroc. audi quid judicet. *Scio*, inquit, *& demonstrare possum Trithemio, Carthagenæ, Miræo, Bollando, Henschenio, Hazaert, aliisque varia hujus generis scripta, ab Aybo ipsorum diversissima, esse oblata, rogatis ut ea in nomen suum adsciscerent, quod à Carthagenâ & Miræo impetrarunt* Carmelitæ. Immediate aute hæc verba dixerat: *Mysteria illa sic placuerunt Trithemio, aut potiùs ei qui Trithemio obtulit sub ejus nomine vulgandum Libellum, ab aliquo Carmelitâ compositum.* Hæc Papebrochius ad 8. diem Aprilis in vita S. Alberti, *cap. 13. pag. 799. num. 132.*

Ad singula respondet *Daniel à Virgine*, Provinciæ Flandro-Belgicæ Carmelitarum Provincialis, in libro qui inscribitur, *Propugnaculum Carmelitanæ Historiæ*, editum *tomo 1. Speculi Carmelitani*, à *pag. 742.* ad *pag. 790. in-fol.* Dissertationibus XXIV. contentum. *Dissertatio* porrò *decima-octava*, quæ à paginâ 781. initium assumit, fusiori stylo revincit quæ compendiosiùs sic annuntiari possunt, quibus Auctorum recentiorum nonnulla superaddimus testimonia.

1°. Ipse Trithemius ad calcem Operum suorum; inter ea recenset *Laudes Ordinis Carmel. Libri* II. Et etiam Libri primi hoc initium apponit: *precibus & instantiâ.* Libri secundi enuntiat exordium his vocibus: *Postquam auxiliante Domino.* Ejusdem Operis meminerunt Duraclusius, ipsius Trithemii discipulus, & ex eo, ac duobus aliis, Possevinus in *Apparatu sacro*; Joannes Busæus initio Operum spiritualium ejusdem *Trithemii, in vita ipsius*, typis editorum Moguntiæ, anno 1600. Philippus Labbe in *Dissertatione historica de Scriptor. Ecclesf. tom. 1. pag. 614.* Henricus Warton in *Appendice ad Historiam literariam Guillelmi Cave, pag. 134. col. 2.* Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula universali Scriptorum Ecclesiasticorum, tom. 1. pag. 923.* Joannes Grancolas, in *Crisi compendiosa Auctorum Ecclesiasticorum, tom. 2. pag. 471.* quibus annumerandus est Rutgerus Vernai, Canonicus Regularis, Trithemio charissimus, qui *Carmen* cecinit in *Librum eumdem*; & Joannes Empolis, Canonicus S. Petri Dunetensis, qui paria *Encomia* cecinit in *eumdem Joannis Trithemii Librum*, quæ legi possunt ad calcem *Bibliothecæ Carmelitanæ Petri Lucii*, & *tom. 1. Speculi Carmel. pag. 303.*

2°. Aubertus Miræus, *teste præfato Papebrochio*; » *tom. 2. mensis Maii, pag. 712. num. 13.* quasi Histo- » riæ totius Carmelitanæ designasset ideam, quandò » inter scribendorum librorum initia, minus ad veri » falsique discrimen exercitatus, quam fuit posteà » Belgicas antiquitates tractando factus, permisit suo » illi libello (cui ad aliorum similium normam sim- » plex titulus erat: ORIGO TERESANARUM) » alium titulum præfigi à suâ consuetudine, & ab » ipso suæ scriptionis argumento alienissimum, nec- » non alloquium ad Lectorem sibi obtrusum, con- » forme titulo, quo promittuntur ORDINIS CAR- » MELITANI, AB ELIA PROPHETA PRIMUM IN- » CHOATI, AB ALBERTO PATRIARCHA JEROSO- » LIMITANO VITÆ REGULA TEMPERATI, A BEATA » TERESIA VIRGINE HISPANA, AD PRIMÆVAM REVOCATI,

A.

» REVOCATI, ORIGO ATQUE INCREMENTA.
» Quæ omnia ex nota sui avunculi mente volebat
» Illustriss. Dominus Aubertus Tanden Eeden, An-
» tuerpiensis Episcopus, & Libellum prædictum ge-
» minæ suæ simplicitati restitui, quando Miræi Ope-
» rum omnium Coordinatorum Editio nova, quæ
» parabatur, procederet.

Hæc dixit R. P. Papebrochius, qui aliàs asseruit quod *ignoscè debeat Myræa, qui Archiducum Alberti & Isabellæ Sacellanus & Bibliothecarius, gratiosis apud eosdem Principes Carmelitis Discalceatis nimium facilè credidit.* Librum autem inscriptum, *Ordinis Carmelitani*, &c. nunquam suum fœtum proprium & sibi charum agnoscit ipse Aubertus Miræus in *Fastis Belgicis, quando magis erat ad veri falsique discrimen exercitatus*, ut loquitur R. P. Papebrochius. Ast in *his Fastis Belgicis* ad diem 21. Novembris, ubi de S. ALBERTO Patriarcha Hierosolimitano agit, hæc habet: S. Alberti Festivitatem *Carmelitæ Discalceati die* 8. *Aprilis celebrant. . . . Vide Origines nostras Carmelitanas, Cap.* 1. Hæ etenim Origines Carmelitanæ aliud non sunt præter Librum inscriptum: *Ordinis Carmelitani . . . Origo atque incrementa:* cujus in *Cap.* 1. peculiariter tractat de S. Alberto & de Regolâ ab eo scriptâ. Librum eumdem tanquam fœtum Auberti Miræi agnoscunt Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis, pag.* 146. Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliotheca Belgica, pag.* 108. Antonius Sanderus in *Elogio* ejusdem *Auberti Miræi*, quod legitur ad calcem ipsius Supplementi sive Auctuarii Bibliothecæ Trithemii, *pag.* 198. Edit. Fabricii, &c.

3°. Si Miræo & Carthagenæ, aut aliis scribentibus de Carmelitana Historia, subministrata fuissent monumenta, quibus uti possent, an id vituperandum? Iis Miræus & Carthagena, si uterentur, prout æquum judicarent, an ideò culpandi? haudquaquam.

4°. Bollandus & Henschenius in Præfatione generali ad tomum primum Januarii, & ad tomum primum Febr. Actorum Sanctorum rogant & obtestantur sibi communicari monumenta de Sanctis. Eadem ratio est de P. Hazaert. Carmelitæ iis si aliqua obtulerint, penes eorumdem Bollandi & Henschenii atque Hazaert judicium & arbitrium fuit, ut adderent, demerent & mutarent quidquid arbitrarentur. Ista si vituperanda, præstaret profectò deinceps nihil communicare.

CCVI.

ANONYMUS VENETUS, Carmelita, scripsit seculo decimo quinto *De suæ Familiæ rebus gestis Commentarios*, loquit Josias Simler, in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ; & post ipsum Jacobus Frisius ibidem, verbo, *Carmelita, pag.* 135. *col.* 2. Inter Venetos Carmelitas Scriptores præmemorato seculo decimo quinto Natalis de Venetiis obtulit Libellum supplicem Eugenio IV. Summo Pontifici, ne fratres Carmelitæ ad Ordines Monasticos transirent sub pœna excommunicationis, Carthusiensi duntaxat excepto; uti videre est *tom.* 1. *Bullar. Carmelit. pag.* 184. Verùm aliud quid indicatur in Commentariis Anonymi nostri Veneti citatis? Nicolaum de Venetiis Carmelitam reperio in Nomenclatura Doctorum Bononiensium, ex Commentariis Caroli Vaghi, *pag.* 290. anno 1400. laureâ decoratum.

CCVII.

ANONYMUS VERCELLENSIS, Pedemontanus Carmelita, scripsit Latinam Epistolam ad Henricum Cornelium Agrippam, quæ Lib. I. XXXVII. sic legitur, *pag.* 709. aliàs 32. *tomi secundi, parte* 2.

» SPECTABILIS amice honorande; salutem.
» Accepi abs latore harum mearum, te Ticinense
» gymnasium reliquisse, ac Casalensem urbem inco-
» lere. Quo non parva me tenuit admiratio. « Gaudeo tamen, eo quod te mihi habeam viciniorem, & ad quem commodius (si quid contigerit) faciliusque advolare potero. Unum præ omnibus abs te scire cupio, numquid servi illi, quos tibi sum impertitus, sint obsequentes, an non: si obsequentes, gratum est; si non, doleo, & omnia tibi placita enitar facere, ut tibi, sicut & mihi, inserviant: & si opus fuerit, ad te veniam succinctus. Spero brevi tibi aliqua impartiri, quæ non modici erunt momenti: ad omnia tuus sum, & nihil avidiùs cupio, quam tibi rem gratissimam facere, ubi opera mea valuerit. Vale, & me tibi commendatum suscipe: & horum meorum latorem tibi gratissimum habe, eumque dictis tuis favorabilibus prosequere. Ex Carmelo nostro Vercellensi, vicesimo septimo Novembris, anno 1512.

Eâ tempestate florebant in Pedemontanis regionibus, Angelus Ducis, Heliodorus Cremonensis, Stephanus Gorgonus, Emmanuel Trugg, Hieronymus Grumelius, Vercellensis Prior, & alii Carmelitæ: sed horum quis fuerit præmemoratæ Auctor Epistolæ, incertum est.

CCVIII.

ANONYMUS WOITSPERGENSIS, vel WOLSPURGENSIS, sua in Religione *Hyacinthus à Matre Dei* vocabatur: Provinciæ Carmelitarum superioris Germaniæ alumnus, in ea gradatim ad singula officia, eminentioresque dignitates promotus fuit; ita ut non tantum Novitiorum Magister, pluries Prior; sed & bis Provincialis extiterit acclamatus. Senio confectus, & plusquam *Jubilarius* (ut loquuntur) obiit circa annum 1724. postquam scripsisset Librum Latinè inscriptum:

» *Nova Schola virtutum*: quæ clarè docet facilem
» modum vacandi internæ Orationi, & ambulandi
» utiliter in Dei præsentia; nec-non per XVIII. Me-
» ditationes, & XXXIII. breves Considerationes,
» actus diversarum virtutum, & inordinatarum pas-
» sionum dominium; ac tandem fructuosè Novitia-
» tum inchoandi, & Religiosa exercitia peragendi:
» in gratiam juniorum Religiosorum, ut cuncta ad
» profectum spiritualem necessaria inveniant, quasi
» in compendio collecta. Per Sacerdotem sacri Ordi-
» nis Carmelitarum strictioris Observantiæ Provin-
» ciæ Germaniæ Superioris. Viennæ, Typis *Joannis-*
» *Jacobi Kurner*, Procerum Typographi, anno 1707.
» *tom.* 1. *in*-8°.

Hæc scribebat suis in schedis R. P. Bagnani, Bibliothecæ Transpontinæ Carmelitarum primarius Custos, anno 1749. in Urbe defunctus mense Octobri.

CCIX.

ANSELMUS A SANCTO CAROLO, natione Armoricus, religiosa sua dixit Vota in Rhedonensi Carmelo, anno 1631. die 29. Junii. Post consueta studiorum Philosophiæ & Theologiæ curricula expleta, variis apud suos Sodales officiis functus est. In Capitulo Provinciali Andegavensi die 23. Aprilis 1655. nominatus fuit Procurator Syndicus suæ Provinciæ ad Curiam Senatûs Parisiensis: pluries Prioris vices gessit, & Nannetis obiit anno 1670. die 19. Septembris.

Scripsit, suppresso nomine, linguâ vulgari, sive Gallico idiomate,

Escrit sommaire contenant les défenses du Provincial, des Définiteurs, de XVIII. Convents, & de près de quatre cens Religieux Carmes Réformez de la

A.

Province de Touraine, & Observance de Rennes, contre les Religieux de la nation de France.

Id est Latinè:

Scriptum compendiosum, continens rationes pro defensione Provincialis, Definitorum, XVIII. Conventuum, & quadringentorum fermè Religiosorum Reformatorum Carmelitarum Provinciæ Turoniæ, & Observantiæ Rhedonensis, adversùs Religiosos nationis Franciæ. Parisiis, 1661. *in*-4o.

Hoc Scriptum prodiit occasione dissensionum, quæ pro eligendis Superioribus emerserunt in Carmelitarum Provincia Turoniæ. Provinciam Religiosi & Monachi certum vocant quemdam numerum Cœnobiorum sub unius regimine Visitatoris, quem alii Provincialem Priorem appellant, adunatorum; diversis etiamsi sæpiùs in politicis Provinciis, & aliquando regnis aut dominiis fundata sint & constructa.

Quo sensu Provincia Carmelitica Turoniæ, tempore majoris schismatis Ecclesiæ, avulsa est & separata à Provincia Franciæ, anno M. CCCLXXXIV. Tunc enim, ex Decreto Comitiorum Avenionensium, à Provinciis quæ Clementi VII. Antipapæ adhærebant, divisi sunt & separati Conventus præfatæ Provinciæ, Turonensis, Aurelianensis, Ploermelensis, Andegavensis, Rupellensis, Nannetensis, Juliodunensis, Pictaviensis, Leonensis, & Pontis-Abbatis; atque Provinciam novam nomine Turoniæ dictam efformarunt: cui quindecim Monasteria recentiora deinceps accessere in eamdem societatem; videlicet Hennebontense, anno 1389. Vivonense, anno 1400. Dolense, anno 1403. Boni-doni seu Venetense, anno 1424. Rhedonense, anno 1450. Alnense, quod anno 1352. erat fundatum, ab Aquitaniæ Provincia per R. P. Joannem Soreth, anno 1457. segregatum est: Chalense S. Joseph in tractu Andegavense; anno 1617. Guildonense, anno 1620. Atriense divæ Annæ, anno 1628. Flexiense, anno 1629. Parisiense SS. Sacramenti, anno 1638. Josselinense, anno 1640. Flocelleriense, anno 1642. & Eternus Fontis-Bellaquensis, anno 1188.

Perfecti quidem *illi sunt*, inquit S. Augustinus in Ps. 132. num. 9. *Qui norunt habitare in unum: Sed Non possunt omnia in multitudine tam exactè fieri;* ut animadvertit S. Chrysostomus, Homil. 14. in Acta Apostolor. Namque crescente numero Discipulorum, factum est murmur Græcorum adversùs Hebræos. Quin & facta fuerat contentio inter Discipulos Christi, quis eorum videretur esse major. Quid mirum igitur si jurgia, si dissidia nascantur inter Discipulos Pachomii, Euthymii, Sabæ, & alios perfectioris asseclas Monastices? Dissensiones, discordiæ à multitudine vix disjungi possunt, inquit Petrus Nicollius *in Domin. IV. post. Trinit. num. 9.*

Carmelitæ proinde homines humanum quid experti sunt. In Comitiis Provincialibus Leonæ habitis, anno 1457. statuerunt alternam suorum Provincialium electionem inposterùm servandam inter Francos & Britones, non soli quidem natalis, sed ratione loci Professionis religiosæ. Cujus quidem Statuti causa fuit diversitas Principum, quibus subjiciebantur Religiosi, Regis scilicet Galliæ, & Armoricæ Ducis; & hoc ad pacem inter nationes diversas faciliùs tuendam, unicuique vices regiminis tribuendo alternas, nec uni plus favendo parti, quàm alteri.

Variis tamen temporibus, violato Statuto, pax violata est, variæ lites natæ sunt usque ad annum 1632. quo Definitores petiêrunt a Reverendissimo Patre Theodoro Stratio, ut alternam hanc Provincialium electionem abrogaret, eò quod nullum in Reformatione Rhedonensi discrimen esset Professionis, nec ulla Professorum distinctio. Respondit autem dictus Reverendissimus Prior Generalis: *Quamvis cesset distinctio inter Professos utriusque partis; nimirùm Franciæ & Britanniæ, stare tamen potest sub discrimine nationis. A Majoribus nostris semel sancita non sunt facilè tollenda, aut immutanda.* Cui responsioni adhærentes nostri Carmelitæ, antiquam Provincialium alternam electionem statuerunt; sed non sicut antiquitùs observandam decreverunt ratione loci Professionis, verùm ratione loci nativitatis, juxtà placitum suæ Reverendissimæ Paternitatis.

At diù hæc minimè stetit ordinatio. Nam Constitutionibus, quas Urbanus VIII. approbavit anno 1639. sine utriusque partis scitu & consensu, inserti sunt articuli nonnulli antiquæ consuetudini contrarii: videlicet Parte primâ, cap. 5. num. 20. *Nullum deinceps in Provincia nationum discrimen habeatur, nec procuretur sub pœna anathematis:* & Parte 3. cap. 4. num. 6. *Rejecto in perpetuum ex Provincia & Observantia etiam in electione Provincialis, nationis discrimine.* Quæ tamen Constitutiones acceptatæ sunt in dicta Provincia, ut constanter permanserit alterna Provincialium electio, aut saltem reclamantibus semper pro illa tenenda Religiosis Franciæ usque ad annum 1662. quo in Comitiis S. Annæ, die 13. Octobris, electus est in Provincialem Philippus à SS. Trinitate, Andinus natione, Religiosus ex omni parte paci consulens, divi Francisci Salesii Genevensis Episcopi consanguineus, Deo & hominibus dilectus.

In Gallias autem adveniens Reverendissimus Pater Hieronymus Ari, totius Ordinis Carmelitici Moderator supremus, Provincialem celebremque habuit Rhedonis, anno 1663. die 19. Octobris, Congregationem, in qua non solùm Provincialium alterna probata fuit & confirmata electio; sed, ut major tenaciorque inter utriusque distinctionis Religiosos pax vigeret atque concordia, quoad locales etiam Priores, & Definitores, Commissarios Generales, Socios Provincialium ad Capitulum Generale profecturos, atque ipsorum Provincialium Assistentes alterna per electiones partitio sancita est, atque ab omnibus præsentibus vocalibus, quorum è numero erat ipse Anselmus Prior tunc Alnensis, signata.

CCX.

ANSELMUS A S. MARIA, Anglus Carmelita Discalceatus, Missionis Anglicanæ Vicarius, edidit Anglico sermone brevem Relationem de sacro Scapulari, cui titulus est: *Hortus Confraternitatis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, Delphis, 1652. *in*-12. Ità refert Ludovicus Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana. Mss. pag.* 28.

CCXI.

ANTONIUS A S. AGNETE, Ferratiensis, Congregationis Mantuanæ Carmelita, in sacris & humanis Litteris versatissimus, bis Prior fuit sui Conventûs, annis scilicet 1475. & 1483. Vir, inquam, qui otio nunquam vacavit, & nedùm sacris Litteris insignis extitit, verùm in liberalibus disciplinis ornatus. Peritus enim extitit *Arithmeticus*, *Astrologiâ* delectatus; in describendis, & pingendis *Geographicis Chartis* fidelissimus: *Cantûs plani & figurati* fundamenta possidebat: Latinum idioma purgatissimè callens; pius ac facundos *Orator* emicuit, & animos efficaci *Dialecticâ* convincebat. Totus itaque Deo, studiisque dicatus, moribus simplex, corde sincerus, & candidissimus vixit ad annum 1486.

Opera ejus *Manuscripta plurima*, quæ ad disciplinas jam memoratas spectant, in Bibliotheca Carmelitarum Ferratiensium asservantur.

De illo cecinit Clemens Maria Felina in suo *Musæo*.

A.

Comptitat, Astra colit, pingit, canit, orat & infert:
Artibus est dives; Cor tamen arte caret.
Corripit, illustrat flammis, ANTONIUS AGNÉS
Tu simul, *igne Patris*, crimina, corda cremas.

Felina quidem alludit ad ejus Opera, ad summum zelum & humanitatem in regimine, ad metuendum S. Antonii ignem; necnon ad flammas, à quibus Diva Agnes illæsa multos ad Christi fidem convertit: sicuti notat Carolus Vaghus in suis *Commentariis, pag.* 226.

CCXII.

ANTONIUS DE AVERARIA, Bergomensis Carmeli alumnus, Mantuanam illustravit Congregationem, & inter Cœnobitas *S. Joannis ad Concham* Mediolanenses plurimùm excelluit: Magistrum etiam habuit clarissimum Baptistam Mantuanum, adeo ut sacrarum litterarum cognitione, atque in humanioribus disciplinis mirificè ornatissimus evaserit. Non Concionator tantùm egregius pluribus in locis effulsit, verùm & optimus in sacra Theologia Magister, multoties Regens Studiorum extitit Brixiæ: fuit Præceptor P. Magistri Joannis-Angeli Capreoli de Brixia, Prior sui Conventûs Bergomi, anno 1490. Brixiæ, 1504. Mediolani, 1509. sæpè Definitor, & Vicarius Generalis, 1511. & 1517. In hac secunda vice suæ Præfecturæ, ad instantiam Cardinalis Sigismundi Gonzagæ Protectoris Ordinis Carmelitani, dedit licentiam & facultatem Patri Joanni-Baptistæ Granelo eundi Parisios ad studium in ea Universitate conficiendum. Tandem senio confectus vitam cum morte commutavit, *Ferrariæ*, anno 1523. & hujus in honorem cecinit Clemens Maria Felina:

Hoc duce describitur tellus, hoc itur ad astra:
Nam datus è Cælis, jam benè novit iter.

Multa scripta reliquit, sed pauca typis donata. Nam

1. *De Virtutibus Sermones quinquaginta* prodierunt Mediolani, anno 1509. apud Hotardum Poncium, *in*-8°. quorum ecgraphum unum asservari in Bibliotheca Brixiensium Carmelitarum testatur Joannes-Baptista Garguantus in Relatione Conventuum Congregationis Mantuanæ.
2. *Artium Epitome.* Lib. II.
3. *Epistolæ plurimæ.* Lib. I.
4. *Carmina varia.* Lib. III.

Antonium Averrarium celebrant, Josias Simler & Joannes-Jacobus Frisius in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ, pag.* 57. *col* 2. Joannes Balæus, *Cent. XII. pag.* 161. Aubertus Miræus, *de Scriptoribus seculi XVI. cap.* 16. Philippus Picinellus in *Athenæo Virorum Litteratorum Mediolanensium, pag.* 42. Joannes-Albertus Fabricius in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tom. I. pag.* 323. ubi erroneè scribit Antonium Averrarium obiisse anno 1511. qui Vicarius Generalis erat annno 1517. Philippus Argelati in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, pag.* 108. *num* 151. & ipse Antonius Possevinus in *Apparatu sacro.*

E Carmelitis, Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 383. & 390. ubi errore forsan Typographico contraria dicuntur de anno quo defunctus est Antonius Averrarius. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 28. Daniel à Virgine Maria, *tomo II. Speculi Carmelitani, pag.* 1067. *num.* 3697. Clemens-Maria Felina in *Musæo Congregationis Mantuanæ, pag.* 130. Carolus Vaghus in *Commentariis* ejusdem *Congregationis Mantuanæ, pag.* 116. 119. & 307.

ANTONIUS MEDIOLANENSIS alter Carmelita, sacræ Theologiæ Professor, & Provinciæ Lombardiæ Præfectus, anno 1461. *Libellum supplicem* obtulit Pio II. Pontifici Maximo, nè loca reciperentur in Provincia Lombardiæ, nisi præhabitâ super hoc maturâ deliberatione in Capitulo Generali. Annuit votis ejus Pontifex Romanus, per Litteras Apostolicas, die 27. Octobris ejusdem anni 1461. signatas, quæ prodierunt in *Bullario Carmelitarum, tomo I. pag* 266.

CCXIII.

ANTONIUS BIENVENU, natione Gallus, patriâ Turonensis, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, Concionator sui ævi præclarus, in Comitiis Provincialibus anno 1516. apud Rhedones celebratis electus est à Gremialibus Conventuum Franciæ, cùm JOANNES JARI gubernaret Conventus Britanniæ; ut monuimus superiori *pag.* 109. Illud officium per sex annos in Gallia gessit noster BIENVENU: interfuit etiam Generali Capitulo, Senis, anno 1517. celebrato, ibique in eodem suæ Provinciæ Turoniæ regimine confirmatus est. Elapso quadriennio, assumitur in Episcopum *Ebronensem*, sub Patriarcha Hierosolymitano, die 24. Maii, anno 1521. à Leone X. & Suffraganeus Pictaviensis, anno 1522. destinatus ab Adriano VI. Episcopale munus non diù sustinuit; obiit enim anno 1523. postquam scripsisset *Conciones plurimas*, & nonnulla *Thologica Commentaria.*

De illo mentionem habent *Acta Consistorialia Paulj III.* Daniel à Virgine Maria, *tomo II. Speculi Carmelitani, pag.* 910. *num.* 3167. Columbanus In *Catalogo Ms. Provincialium Provinciæ Turoniæ.* Idem In *Encomio brevi Carmelitarum Provinciæ Turoniæ.*

CCXIV.

ANTONIUS BOSIUS, *de Novellaria*; Congregationis Mantuanæ Carmelita, Philosophus, Theologus, & Orator clarissimus, in Conventu Brixiano Professoris onus aliquibus annis virili & indefesso labore sustinuit: anno 1688. Definitor Generalis, atque Novellariensis sui Cœnobii Præsul ferè usque ad exitum vitæ fuit, cum omni mansuetudine & charitate proprios ergà subditos. Ad Dominum migravit anno 1702. die 30. Novembris, ætatis suæ septuagesimo. Reliquit,

1. *Multa pretiosa Scripta Philosophiæ ac Theologiæ Mss.*
2. *Doctum Quadragesimale Ms.*
3. *Quamplurimas Orationes panegyricas Mss.*

Ità testatur Carolus Vaghus in *Commentariis Mantuanæ Congregationis, pag.* 312.

CCXV.

ANTONIUS BRELUQUE, natione Burgundus, Carmelita Semuriensis Provinciæ Narbonæ, Doctor Theologus Parisiensis, ibidemque Prior majoris Conventûs, atque Procurator Generalis in Curia Regis Christianissimi, & Concionator eximius; decessit Parisiis anno 1591. die primâ Maii dùm Conciones Quadragesimales habebat in Templo S. Stephani de Monte: ibidemque apud suos tumulatus. Scripta ejus dicuntur:

1. Sermones super Psalmum XXXV. *Dixit injustus*, &c. Quos Mss. vidit Ludovicus Jacob in Bibliotheca Carmelitarum Semuriensium Mandubiorum, *in*-4°. *Codice* 108. Quosque citat indè Jacobus le Long in *Bibliotheca sacra, parte II. pag.* 1211.
2. *Carmina Latina* nonnulla, quæ sparsim leguntur antè Ordinis Carmelitici supplementum, &

antè *Constitutiones Parisienses pro reunione Carmelitarum Galliæ*, Parisiis, anno 1590. editas Latinè *in-4°*. prout refert Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 28. Quæ quidem Constitutiones inscribuntur in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 132. *col.* 2.

CCXVI.

ANTONIUS A CONCEPTIONE, Granatensis, Hispanus Carmelita Discalceatus, Patranæ professus, Cathedrâ & Præsulatu, multa talenta superlucratus est, quibus superaddidit *Concionem habitam Hispanicè, in Capitulo Ecclesiæ Toletanæ*, editam anno quem non assignat Author *Bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 37.

CCXVII.

ANTONIUS CORROSETUS, Parisinus, Ægidii Corroseti Typographi, & Antiquitatum Parisiensium (quarum meminerunt Joannes la Caille in *Historia Artis Typographicæ*, *pag.* 225. & Jacobus le Long *in Bibliotheca historica Galliæ*, *pag.* 22. *num.* 751. & *pag.* 742. *num.* 14523.) Auctoris Frater, Carmelita, S. Theologiæ Baccalaureus Parisiensis, Poeta non injucundus, obiit Parisiis, ibidem sepultus in Claustro majoris Conventûs Plateæ Maubertinæ post annum 1568.

1. Scripsit *Epigrammata* Latina in *laudem R. P. Mag.* THOMÆ BEAUXAMIS *Carmelitæ* Melodunensis, Doctoris Parisiensis, quæ leguntur antè hujus Doctoris Opera.

2. *Epigramma* Gallicum in *honorem R. P.*, *Magistri* DIONYSII PERRONETI, *Melodunensis Carmelitæ*, *Doctoris Parisiensis*, quod ante hujus Opera Gallica legitur.

De Antonio Corroseto agunt memoriam Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 403. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Ord. Carmel. pag.* 67. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 29.

CCXVIII.

ANTONIUS A CRUCE, Hispanus, Carmelita Excalceatus, *Barcinone* natus, S. Fremii *de Bolarque* Prior, magnum patientiæ Speculum scripsit circà annum 1595.

1. *Relationem Conventûs S. Joseph Barcinonensis*: quâ usus est Franciscus à S. Maria, *tomo II. Historiæ General. Reformationis S. Teresiæ*, *Lib. VII. cap.* 7.

2. *Testamentum Christi*, Hispanicè, *in-folio*. Quod Mſ. asservatur in quodam Monasterio Monialium Teresianarum Novæ-Castellæ.

3. *De sancta Contemplatione* Mſ. teste Authore *Bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 37.

Hujus Antonii meminit etiam Ludovicus Jacob in *Scheda Mſ.* addita *ad paginam* 29. *Bibliothecæ Carmelitanæ Mſ.* ubi alterum commemorat, & *Antonium à Cruce*, Aragonem, Darocensem, dictum *Cutanda*, primum Magistrum Novitiorum Cæsar-Augustæ, Virum sanctissimum, qui obiit Cæsar-Augustæ, anno 1590. quem laudat etiam Franciscus à S. Maria, *tomo I. Lib. II. cap.* 38.

CCXIX.

ANTONIUS A CRUCIFIXO, in seculo dictus MANGAROA, luce donatus *Perni* in Taurinensi Diœcesi, apud Carmelitas Taurinenses Vota solemnia dixit die 25. Januarii, anno 1651. Theologiæ Magister, typis consignavit *tres Tabulas*, quamlibet foliorum quatuor, *quibus universa Theologia Moralis clarè breviterque continetur*, impressas Monte-Regali, penès Franciscum-Mariam Gislendi, anno 1671. Item composuit *Chronologiam* sui *Ordinis ex Lezana collectam*, quam ad sua usque tempora perduxit. *Manuscriptam* servant eam Carmelitæ Taurinenses in suo Cœnobio, inquit R. P. Timotheus Bergerot, in Schedis Mſſ. anno 1748. concinnatis.

CCXX.

ANTONIUS DARIO, Carmeli Majoris Neapolitani Alumnus, & Prior, necnon Neapolitani Cœnobii studiorum Præfectus, obiit die 12. Martii 1569. postquam scripsisset *de Laudibus Neapolitanæ Urbis*, teste Philocalo Capuro in *Monte-Carmelo*; prout animadvertit R. P. Andreas Gargi in Schedis Mſſ. datis anno 1747.

CCXXI.

ANTONIUS A S. DOROTHEA, Boëticus, Carmelita Excalceatus, in coacervandis Sanctorum dictis indefessus, scripsit *Stomaticam Exegesim*, *seu Expositionem*, *ex variis Authorum sententiis coagmentatam*, *adunatis in unam connexionem non solùm sensibus*, *sed ipsis quoque Scriptorum vocibus*. Asservatur Mſ. in Bibliotheca Cœnobii Malacitani Carmelit. Excalceat.

CCXXII.

ANTONIUS AB EXPECTATIONE, Carmelita Discalceatus, Lusitaniæ Provinciæ. natus in Oppido de *Mantegas*, Ulyssipone Professus, in Conimbricensi Collegio sui Instituti Theologiæ Moderator, obiit Adoilalbi, anno 1725. Scripsit patrio Idiomate.

1. Opus inscriptum, *Stella de Alba* seu *Panegyricas Orationes S. Teresiæ*, unanimi omnium consensu laudatas, Conimbricæ, annis 1710. & 1716. tomis duobus *in-folio*.

2. Alterum Opus, cui titulus est: *Solitudo de Basaco*, & *Meditationes pro Hebdomada sancta*: Ulyssipone, anno 1719. *in-4*.

3. *Sermones de S. Joseph* Mſſ.

4. *Divina Chronologia* & *Sacra Historia* Mſ. quæ cum dictis Sermonibus asservantur apud Carmelitas Excalceatos Conventûs de Adollalbo in Lusitania: teste *illorum Bibliothecæ* Authore Martiali à S. Joanne-Baptista, *pag.* 38.

CCXXIII.

ANTONIUS FERRARI, Regno Siculus, patriâ *Politiensis*, antiquioris regularis Observantiæ, *Musicus* & *Organista insignis*, edidit ad R. P. Mag. Felicem à Leonibus S. Th. Doctorem, & Carmelitarum Provinciæ Siciliæ S. Alberti Provincialem, Italico Idiomate.

Ghirlanda di sacri Fiori. Romæ, apud Bartholomæum Zannetum, 1617. *in-4°*. & Panormi 1623.

De illo laudes tenent Petrus Carrera, *tomo II. Memoriarum Catanæ*, *pag.* 368. Ludovicus Jacob *in Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 29. Antoninus Mongitor in *Bibliotheca Sicula*, *pag.* 66.

CCXXIV.

ANTONIUS FIDEI SEU DE FIDE, Florentinus Carmelita, Doctor Theologus, destinatus fuit ad sacra Biblia legenda suis Sodalibus Collegii Florentini in Capitulo Generali *Bononiæ* celebrato, anno 1411. Episcopus *Calvensis* in Regno Neapolitano sub Metropoli Capuana, quinto Kalendas Martii electus est, anno 1415. per Litteras Joannis XXIII. datas *Constantiæ* illâ die, anno 5. Pontificatûs.

Cæterùm

A.

Cæterùm propter summam, summèque infelicem illorum temporum, pertinacissimo omnium vigente Schismate, calamitatem, verosimile est ANTONIUM nostrum possessionem Ecclesiæ Calvensis nunquam iniisse. Posteà vero evecto ad Summum Pontificatum *Martino V.* & diuturnâ illâ Orbis Christiani tempestate sedatâ, ad Infulas canonicè promotus est ANTONIUS; non quidem *Calvii* in Campania, sed *Suanæ* in Etruria.

Igitur secundo Idus Augusti, anno 1418. institutus est ANTONIUS noster Carmelita, Episcopus *Saanensis*, sub Metropoli Senensi, per Literas *Martini V.* datas *Genevæ* illâ die, anno I. Pontificatûs. Dùm *Suanæ* sederet ANTONIUS noster, consecravit Ecclesiam *Sancti Georgii Montis-Marani* suæ Diœcesis, teste inscriptione, hodièque in pariete prostante his verbis conceptâ: *Anno Domini M. CCCCXXX. fuit consecrata Ecclesia S. Georgii, Montis-Marani per Dominum Antonium de Florentia, Episcopum Saanensem, die XXX. mensis Octobris.* Obiit tandem ANTONIUS hic *Lucæ*, ineunte anno 1433. die 5. Januarii, & apud suos Carmelitas sepulturam accepit. Scripsit,

1. *Quæstiones Theologicas.*
2. *Sermones ad Populum.*
3. *De Fide Catholica*, Lib. I.

ANTONIUM DE FIOE celebrant *Regestum* Commune Ordinis Carmelitani *Ms. fol.* 27. Lib. I. *de Provisionibus Prælatorum, sub Joanne XXIII. anno V.* fol. 318. Ferdinandus Ughellus, *tomo III.* in *Episcopis Suanensibus*; & tomo VI. in *Calvensibus Episcopis*, ubi ANTONIUM nostrum præsentem fuisse Concilio Constantiensi scribit; eumque doctrinâ, & oratoriâ arte, inter Patres illustrem vocat. At error est in verbis ipsius dicentis, ANTONIUM à Martino V. electum Episcopum Calvensem, anno 1415. cùm certò certius sit, assumptionem Martini V. ad Pontificatum incidisse die XI. Novembris 1417. Eum simpliciter Episcopum Suanensem vocant Fasti Theologici sacræ Universitatis Florentinæ, *pag.* 55. cujus Decanus ibi refertur fuisse.

Ejusdem ANTONII meminerunt Josias Simlerus in *Epitome Gesnerianæ Bibliothecæ*: Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*: Antonius Sanderus, *Lib. III. de Claris Antoniis*: Petrus Lucius in *Compendio Historiali*, cap. 14. ubi notat ANTONIUM DE FIOE, anno 1422. cum *Benozzo Frederico* Episcopo Fesulano adstitisse Consecrationi Ecclesiæ Carmelitarum Florentinorum. Idem Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 81. *folio versa.* Martinus Pensa in *Oratione de Titulo, Sanctis ac Doctoribus Ordinis Carmelitarum*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 341. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo III. Annalium, anno* 743. *pag.* 365. *num.* 8. Idem, *tomo IV. anno* 1412. *num.* 6. *pag.* 775. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 29. Daniel à Virgine Maria, *tomo II. Speculi Carmelitani*, *pag.* 911. *num.* 3169. Joannes-Albertus Fabricius in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo I. pag.* 329.

CCXXV.

ANTONIUS DE FRANCIA, ità nuncupatus est, quia natione Gallus erat. In Congregatione Mantuana magnam sibi æstimationem comparavit: vir summâ præditus prudentiâ, moribus & doctrinâ insignis. Nam anno 1457. Visitator, Definitor, & Curiæ Romanæ Procurator, anno 1463. Definitor & sacræ Theologiæ Lector, anno 1465. Vicarius Generalis, anno 1469. Procurator Generalis, anno 1475. electus est: quod munus dùm in Urbe gereret, absens iterùm ad ejusdem Congregationis Præfecturam Generalem assumptus fuit anno 1478. quo & obiit die undecimâ Novembris. Præscripsit modum tutum & facilem pro œconomia fideliter servanda: Librosque Chori emendavit, refecit & auxit: ideòque Clemens Felina ad ejus laudem cecinit:

Gallus in occidui sequitur vestigia Solis,
Dux vigil æternos, & vocat ore dies.
Perficit Œconomus Libros Christique, Polique
Sic notat sapero credita dupla Libro.

Multa scripsit, præter *Libros Chori*: sed nondùm aliquid typis evulgatum vidimus, inquiunt Michael Justinianus, *I. Parte Scriptorum Ligurum*, & Augustinus Oldoinus in *Athenæo Ligustico*, *pag.* 45.

Uterque scilicet Scriptor supponit Antonium nostrum fuisse Ligurem, ex Alegreo Cassanato idem perperam affirmante in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 361. Non ità sentiunt Lezana ad *annum* 1467. *num.* 2. *pag.* 914. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelit. pag.* 67. Clemens Maria Felina in *Musæo Congregationis Mantuanæ*: Carolus Vaghus in *Commentariis Fratrum & Sororum Congregationis ejusdem*, *pag.* 98.-103.

CCXXVI.

ANTONIUS FRIZZA, natione Ligur, ex Oppido *Novarum*, (vulgò *Novi*) in ditione Genuensis Reipublicæ, Carmelita Taurinensis, Doctor Theologus, Regensque primarius in Collegio Carmelitico Ticinensi, ibique Rector; posteà Terræ-Sanctæ & Lombardiæ Prior Provincialis, atque Ferrariæ Commissarius Generalis, obiit senex, anno 1613. postquam scripsisset,

1. *Sermones Quadragesimales*, qui Mss. asservantur Romæ in Bibliotheca Transpontina.
2. *Compendium Missalis & Breviarii*, Ms. asservatum Taurini apud Carmelitas antiquiores.
3. *Regulas Arithmeticæ*, Mss. Taurini, ibidem.
4. *Compendium Rhetoricæ.* Ms. Taurini, ibidem.

Antonium Frizza commendant Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *folio* 81. verso, *lin.* 21. ubi dicitur *Vir apud suos & probatæ eruditionis & pietatis; quondam in diversis locis, modò Papiæ Regens doctissimus.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 427. Franciscus Voërsius, in *Vita Henrici Silvii Prioris Generalis*: Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitani*, *pag.* 67. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 29.

CCXXVII.

ANTONIUS GERUNDENSIS cognomento, natione Hispanus, quem Catalanum alii, alii Celtiberum existimant, Carmelita celebri memoriâ dignus, in Gerundensi Musæo strenuus, Philosophiæ atque Theologiæ Interpres, necnon Verbi divini sui temporis inter declamatores facilè Princeps, à *Joanne XXII.* Episcopus Galteliensis creatus, posteà Episcopi Gerundensis Coadjutor Episcopus; cum Religionis suæ augendæ fervidus zelo, Gerundense Cœnobium annuis dotibus auxisset, anno 1324. obiit anno 1330. Sepultusque inter suos Gerundenses Carmelitas, in frequenti Cœnobii Capitulo: ubi celebri Sarcophago, cui insculpta est Episcopi Fundatoris imago, cum Inscriptione hac:

D. O. M.

HIC REQUIESCIT IN CHRISTO
FRATER ANTONIUS † EPISCOPUS,
GERUNDENSIS EPISCOPI COADJUTOR.

Scripsisse fertur,

1. *In Magistrum Sententiarum Commentaria.*

2. *Conciones Dominicales, & Sanctorales*: quæ Mss. dicuntur asservari tomis plurimis, in Bibliotheca Carmelitarum antiquiorum Gerundensium.

3. *In Philosophiam Aristotelicam Commentaria.*

Antonium Gerundensem celebrant Joannes-Baptista de Lezana, *tomo IV. Annalium, anno* 1262. *num.* 2. *pag.* 458. Onufrios Scholanus Carmelita in *Schedis è Catalonia missis, anno* 1633. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 286. Ludovicus Jacob in *Catalogo Ms. Præsulum Ord. Carmelit.* Daniel à Virgine Maria, *tomo II. Speculi Carmelitani, pag.* 965. *num.* 3393.

Verùm enim verò notandum quod *Galtellis*, olim Urbs Sardiniæ Episcopalis sub Archiepiscopo Calaritano, nunc tantùm Vicus est, *Galtelli* dictus, in ora Orientali Insulæ, & in Provincia Calaritana; ejus verò Episcopatus unitus fuit Calaritano Archiepiscopatui ab *Alexandro VI.* Pontifice Maximo; ut animadvertit Michaël Baudran in *Geographia.*

CCXXVIII.

ANTONIUS A JANUA, à Patria Genuensi sic denominatus, sacræ Theologiæ Doctor, in Capitulo Generali Brugensi, anno 1379. ordinatus est Lector Biblicus Tolosæ pro quinto anno. In Brixiensibus Comitiis Generalibus, anno 1387. celebratis erat Definitor Terræ Sanctæ, & pro primo anno post Capitulum istud Brixiense instituitur Procurator Ordinis, & Regens Romanæ Curiæ. Quod quidem *Regentis Curiæ* munus exercebat antè Capituli ejusdem Brixiensis convocationem: nam in expensis ipsius ea computatur, qoam fecir noster *Antonius Magister, quandò ivit de Janua usque ad Portum Veneris, ut faceret Sermonem coram Papa in Vigilia Vigilia Nativitatis Domini.*

Undè *Lezana* colligit 1°. Virum doctum hunc *Antonium* fuisse. 2°. Januam, ubi *Urbanus VI.* Pontifex Romanus tunc morabatur, convenisse. 3°. Sermonem coram Pontifice Romano ab uno Carmelita quartà Dominicâ Adventûs fieri, hoc etiam tempore observatum fuisse. Neque enim alia de causa, in Vigilia Vigiliæ Nativitatis Domini Sermo iste à nostro Magistro *Antonio* fieret, nisi ratione quartæ Dominicæ Adventûs eo die occurrentis.

Plurima sustulisse hunc adversa probatur, tùm qoia, dùm ex Janua ad Portum Veneris transfretaret, à Pyratis captus, omnibus utensilibus quæ habebat, spoliatus fuit: tùm quia officium Procuratoris Ordinis exercuit tempore calamitoso, quo illi agendum erat cum Schismaticis viris contraria suæ parti sentientibus. Ast minimè corrigendum erit *Necrologium* Carmelit. Genuensium, in quo ANTONIUS MILANTA dicitur obiisse ann. 1445. si fidem adhibueris Raphaëli Soprano, cujus testimonium reperies inferiùs citatum verbo ANTONIUS MILANTA. Scripsit,

1. *In Libros nonnullos sacræ Scripturæ Commentaria*, quæ Tolosæ dictavit publicè, anno 1378.

2. *In Metaphysicam Commentaria*, quæ in Curia Romana publice dictavir, anno 1386.

De illo mentionem habent Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*; Joannes-Baptista de Lezana, *tomo IV. Annalium ad annum* 1387. *num.* 5. *pag.* 724. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 29. Idem in *Bibliotheca Personata Ms. pag.* 30.

CCXXIX.

ANTONIUS A JESU, SEU AB HEREDIA, natione Hispanus, ex Regno Castellæ, patria Requenensis, circà annum Domini 1517. natus, in patrio Cœnobio inter Carmelitas decennis puer ascitus, quadraginta annis, & subditus & Superior variis occupatus officiis, laudabiliter vixit in antiquiori regulari Observantia: cùm *S. Teresiam*; anno 1567. mense Augusto, adjuvit in fundatione Conventûs Monialium Metymnensis, quem Prior ipse rexit. Quin & ejusdem Virginis hortatione, Regulam juxtà primitivam in pagulo Durvello Professionem, genibus flexis coràm Sanctissimo Sacramento solemnem emisit die 28. Novembris 1568. cum *S. Ioanne à Cruce*, cui additus est *Frater Joseph à Christo*, quos non multo post conveniens *Alphonsus Gonzales* Provincialis, *Antonium* creavit Priorem, *Joannem à Cruce* Suppriorem, & *Josephum* cæteris pusillæ familiæ officiis præfecit.

Angelicam ibi vitam ducebat *Antonius*, cùm à *S. Teresia* missis Epistolis vocatur *Pastranam*, ut ibi novam fundationem oblatam velut primus & unicus renovati Carmeli Superior acceptaret. Illùc accedens, reperit induros Reformationis habitu *Marianum à S. Benedicto*, *Joannem à Miseria*, atque *Balthasarem à Jesu.* Ipsam Fundationem complevit die 13. Junii 1569. Conventui præfecit Superiorem P. *Balthasarem Nieto*, qui assumpserat cognomen *à Jesu*, sed anteà suâ virtute & doctrinâ fuerat in antiquo Carmelo venerabilis. His ita dispositis, rediit Durvelium Antonius, qui anno 1570. die 10. Junii, *Manzeram* transtulit Conventûs Durvelani fundationem, postulante Nobilissimo Dom. *Ludovico de Toledo*, qui illìc construxerat Ecclesiam, in qua reposuerat Imaginem B. V. Mariæ, ex Flandria asportatam.

Electus posteà fuit *Antonius* à Commissariis Apostolicis, ad instantiam *Philippi II.* Regis Catholici, Prior Conventûs Toletani Carmelitarum Calceatorum, ad Reformationem illùc introducendam anno 1573. Deindè, anno 1575. Conventum in *Almadouar* fundavit, die 7. Martii. Anno 1585. Antonius erat Prior Hispalensis, & sub hoc titulo astitit Capitulo Provinciali Ulyssipone, in quo eligitur primus Definitor; sed obcrepans suas infirmitates, huic officio renuntiavit. Anno 1587. die 18. Aprilis, in Capitulo Provinciali Vallisoletano eligitur secundus Definitor, & Vicarius Provincialis Lusitaniæ. Anno 1588. titulo Definitoris Provincialis primo Generali Capitulo die 19 Junii interest, in quo eligitur tertius Definitor pro expeditione Capituli, & post electionem Vicarii Generalis, creatur secundus Consultor sive Definitor Generalis, ex sex tunc electis, juxtà numerum Provinciarum. Anno Domini 1590. in Generali Capitulo etiam Matriti congregato confirmatur in iisdem officiis tertii Definitoris & secundi Consultoris Generalis. Anno 1591. titulo Definitoris adfuit tertio Generali Capitulo Matritensi, in quo eligitur Provincialis Provinciæ Sancti Angeli Custodis in superiori Bœtica: quâ occasione pretiosæ interfuit morti S. Joannis à Cruce. Anno 1593. non potuit ad Capitulum totius Ordinis Carmelitani Generale Cremonæ celebrandum interesse, præ senectute & infirmitatibus: in quo quidem Capitulo Congregatio Carmelitarum Excalceat. consentiente recens electo Reverendissimo *Joanne-Stephano Chizzolà* Priore Generali, separata est ab antiquo Ordine.

Scripsit *Epistolas plurimas*, quæ Mss. sparsim asservantur in Hispania apud Carmelitas Excalceatos.

Antonium de Heredia à Jesu celebrant S. Teresia, *Lib. Fundationum, cap.* 3. 12. & 13. Franciscus à S. Maria, *tomo I. Histor. Carmelit. Excalceat. Lib. III. cap.* 14. *num.* 5. & alibi passim: Ludovicus à S. Teresia, *de Successione Eliæ, cap.* 271. *pag.* 620. & *seqq.* Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli, pag.* 590. *num.* 1056. Idem, *tomo II,*

A.

Speculi Carmelitani, pag. 680. num. 1318. pag. 1044. num. 36. 11. &c. Philippus a SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiosi*, *Parte II. pag.* 13. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 48. & alii quotquot egerunt de Reformatione S. Teresiæ.

CCXXX

ANTONIUS A JESU I. alter Carmelita Excalceatus, Hispanus, patriâ Valentinus, Provinciæ Aragoniæ S. Josephi Alumnus, circa annum 1600. scripsit *Relationem de Carmelitarum Excalceatorum Conventûs Valentini S. Philippi pœnitentia & austeritate*. Quâ quidem Relatione usus est Franciscus à S. Maria, *Lib. VIII. Historiæ Reformationis S. Teresiæ*, *cap.* 28. *num.* 4.

ANTONIUS A JESU II. alius Carmelita Excalceatus, Novitius Segobiensis, Pampelonensis Incola, 1587. Prior in diversis locis, Definitor Generalis, & Provincialis Provinciæ Castellæ Veteris: Vir sanctitate & pœnitentiâ admirabilis, de quo idem Franciscus à S. Maria, *Lib. VII. cap.* 35. & 36.

ANTONIUS A JESU III. alius Carmelita Excalceatus, Belga, præter quædam *Opuscula* Flandrico idiomate scripta, in illud idem idioma transtulit:

1. *Tractatus aliquot spirituales S. Joannis à Cruce*. Antuerpiæ, 1637. *in*-12.

2. *Instructionem Novitiorum* quam composuit Joannes à Jesu Maria Præpositus Generalis. Ibidem scilicet Antuerpiæ, 1649. *in*-12.

Ità referunt Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 30. & Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 38.

CCXXXI.

ANTONIUS A JESU, alius Carmelita Excalceatus, Lusitanus Theologus & Concionator illustris, qui moritur Malag, in Conventu S. Andreæ, anno Domini 1648. die 17. Martii. Scripsit *Epistolas spirituales*, & *Opera quædam mystica*.

De illo loquuntur Joannes à Christo in *Chronico Carmelitarum Excalceatorum*, *Parte* 2. *Lib. VI. cap.* 32. *num.* 5. Georgius Cardosus in *Agiologio Lusitano*, die 17. Martii, §. 1. Joannes Caramuel in *Vita Dominici à Jesu Maria*, *pag.* 535. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 29.

CCXXXII.

ANTONIUS A JESU MARIA I. circa annum 1644. inter Carmelitas Excalceatos Hispanos scripsit Hispanicè tomos quinque *in*-12. inscriptos: *Legatio Dei ad animam*, & *animæ ad Deum*: qui Mss. asservantur in Conventu eorum Guadalaxarano.

ANTONIUS A JESU MARIA II. Excalceatus alius Carmelita Bœticus; cùm esset Collegii suorum Sodalium Hispalensis Rector, vitâ cessit, relinquens *Tomos tres multiplici instructione*, *consultis ac dogmatibus constantes*, *in-folio*, qui Mss. in eodem Collegio asservantur.

ANTONIUS A JESU MARIA III. alius Excalceatus Carmelita, Provinciæ Castellæ-Novæ, scripsit *Vitam S. Angeli Carmelitæ*: quæ Mss. servatur in Collegio Complutensi Carmelit. Excalceat.

ANTONIUS A JESU MARIA IV. Discalceatus Carmelita Matritensis, sed Cœnobii Mexicani Professus & Alumnus, ingenii sagacissimi vir, qui primus omnium, Molinosii Opera, veneno & hæresibus infecta proclamavit, mirâ eruditione scripsit:

1. *Contra Quietistarum errores*: sed aliorum diligentiorum contra eosdem Opera priùs prodière.

2. *In Bœticum duos Libros*, qui Mss. mansêrunt.

3. *Vitam Eminentiss. Balthasaris Moscoso & Sandoval*. Matriti, 1680. *in-folio*.

4. *De persecutionibus quas in Anglia patiuntur Catholici*, Hispanicâ Linguâ.

Vide *Bibliothecam Carmelitarum Excalceatorum*; *pag.* 38. necnon illorum *Historiam Generalem*, *tomo* 6. *Lib. XXVI. cap.* 29.

CCXXXIII.

ANTONIUS A JESU MARIA V. Excalceatus Carmelita Hispanus, Prior Hispalensis B. Mariæ de Remedio, anno 1652 Prior Eccigensis, anno 1665. constitutus, scripsit ad R. P. Thomam Hurtadum Toletanum, Clericum Regularem Minorum, Theologum celeberrimum, *Epistolam Latinam*, quæ præfigitur *resolutionibus Orthodoxomoralibus de Martyrio*, Coloniæ Agrippinæ, anno 1665. editis *in-folio*, quasque scripsit dictus Thomas *Hurtadus*, teste Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 30.

ANTONIUS AB INCARNATIONE, Carmelita Excalceatus Hispanus, scripsit *Annotationes pro Sermonibus*, *qui dicuntur in Capitulis* sui Instituti *Conventualibus*. Volumen unum *in*-4°. quod servatur Mss. in Conventu Antiquarensi Carmelit. Excalceat. ut refert Martialis in *sua Bibliotheca*, *pag.* 38.

CCXXXIV.

ANTONIUS A S. JOANNE-BAPPTISTA; natione Hispanus, in Tractu Burgensi natus, Institutum Carmelitarum Excalceatorum amplexus est in Vallisoletano Cœnobio. Vir à pueritia omnibus optimis Artibus instructus, & per omnem vitam assidua in Doctorum lectione versatus, obiit Salmanticæ, anno 1699. postquam scripsisset *Tomum duodecimum Cursûs Salmanticensis*, qui posthumus editus Lugduni, anno 1704. *in-folio*, sicut refert Martialis in *sua Bibliotheca*, *pag.* 39.

CCXXXV.

ANTONIUS-JOSEPH-AMABILIS FEYDEAU, natione Gallus, Provinciâ Borbonensis, *Molinæus* patriâ, ex nobili genere natus est anno 1658. *Divione* Vestem Carmelitanam induit, anno 1674. Cabillonensi autem in Monasterio consuetum Studiorum cursum emensus, suos ibidem Sodales cùm Philosophiam tùm sacram edocuit Theologiam. Cœnobiis posteà Nemausensi, Amiliano, Lunellensi, Turnonensi, Molinensi & Bagnoliensi præfuit Prior, atque etiam Parisiensi Regio Maubertino, cujus Conventualia filiationis jura fuerat anteà per electionem consecutus. Expleto ibi Prioris munere, ab Innocentio XII. Pontifice Romano Procurator Generalis nominatus, deinde à Benedicto XIII. per Breve Apostolicum in Comitiis Generalibus *Ferrariæ* die 6. Maii 1728. promulgatum, institutus totius Ordinis Carmelitani supremus Moderator. A Christianissimo Galliarum Rege Ludovico XV. Episcopus Diniensis in Gallia Narbonensi sub Archiepiscopo Ebredunensi designatus, in Consistorio D. Papæ, die 4. Julii 1730. fuit propositus, & in altero die 11. Septembris ejusdem anni; sacratus autem Romæ, 24. Septembris 1730. ab Eminentissimo Cardinali Melchiore

DE POLIGNAC, Assistentibus R. P. FOUQUET, Episcopo titulari Eleuterapolitano, & N. DE LA BAUME, Episcopo titulari Halicarnasseo.

In Galliam rediens AMABILIS FEYDEAU, magnis honoribus Lugduni cumulatus est, & anno 1731. die 25. Aprilis, dum suam ad sedem properans, Turnonio transiret, ubi vices Prioris quondam gesserat, à Civibus & Carmelitarum Priore PHILIPPO CHAUDEAU perhonorificè receptus fuit. Plebem suam pastorali sollicitudine rexit ad annum 1741. quo cessit è vita mortali die 30. Novembr. Præsul fuit egregiis ornatus dotibus, regulari Observantiâ insignitus, multiplici ditatus scientiâ, præcellenti donatus ingenio, sacrâ dicendi facundiâ præditus, & colloquio jucundo hilaris, omnibusque suis amabilis Fratribus, quem purpurare sæpiùs cogitavit Benedictus XIII. Scripta ejus titulo notantur :

1. *Sermones Adventûs & Quadragesimæ*, quos magno Auditorum plausu Gallicè dixit variis in Ecclesiis Cathedralibus, Mss.

2. *Rationes, quæ movent ad recipiendam Constitutionem* Unigenitus, editæ Latinè, ann. 1742. absque Authoris, Urbis & Typographi nomine appellato.

3. *Genealogia & Historia antiquissimæ & nobilissimæ Prosapiæ* DE CONTI, Innocentio XIII. ex hac oriundo nuncupatæ. Cujus gratitudinis causâ, idem Summus Pontifex aureum numisma nostro AMABILI FEYDEAU, tunc temporis Priori Collegii Maubertini, Parisios misit.

Eundem commendant ii Pontifices jam memorati *Brevibus atque Litteris Apostolicis*. Gallia Christiana in *Mutationibus factis in Clero post tomum tertium editum*, quæ prodierumt initio *tomi quinti* ejusdem Galliæ Christianæ, *pag.* 51. Liber Ordinis Carmelitani *Ms. in-folio*. Acta communia Mss. Provinciæ Narbonensis Carmelitarum : Philippus Chaudeau à S. Claudio, Lugdunensis Carmeli Prior, in *Schedis Mss.* ad nos datis, 1741. Lucas-Joseph Cerrachini in *Fastis Theologicis sacræ Universitatis Florentiaæ*, anno 1738. editis Italicè, *in-4°. pag.* 696.

CCXXXVI.

ANTONIUS LANQUIER, Atrebatensis, Carmelita Provinciæ Belgicæ, Doctor Theologus Parisiensis, ac Ecclesiæ Regiensis, vulgò RIEZ, in Provincia aliquandiù Ecclesiastes : Vir eximiæ pietatis, & singularis eruditionis famâ conspicuus, edidit ad Reverendissimum Dominum Joannem DE ANGESTO, Noviodunensem Episcopum, & Comitem Parem Franciæ, Latinè :

Synopsim ad piam Concionem faciendam Orthodoxis, in magnis illis sacro-Sanctis Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis Dominicæ festivis diebus. Parisiis, apud Michaelem Sonnium, 1517. *in-16.*

Antonium Lanquier celebrant Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana :* Antonius Possevinus in *Apparatu sacro, tomo* 1. *pag.* 96. Antonius Sanderus, *Lib. III. de Claris Antoniis, pag.* 194. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliatheca Belgica, pag.* 81. Joannes Molanus in *Bibliotheca Materiarum :* Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis, pag.* 135. Alegreus Cassanatus, *pag.* 405. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 30. & alii plurimi ejusdem Ordinis Scriptores, putà Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli Ms. fol.* 25. *verso*, ubi testatur præfatum Librum pluries à se visum fuisse in Gallia.

CCXXXVII.

ANTONIUS LOPEZ, Lusitanus, Salmanticæ in Provincia Castellæ Carmelitanam Professionem emisit ; illic Universitati adscriptus est regularis vir Observantiæ amantissimus & mortificationis, & aliunde oratione facundus, & conversatione gratus. Fuit ideo Prior pluries in diversis locis, ac etiam suæ Provinciæ Veteris-Castellæ Præfectus : in decernendis negotiis quæsitus, Deum priùs precibus consulebat, consilium posteà petebat à prudentissimis amicis. Admirandus in patientia, orationibus & jejuniis, obiit Abulæ bono Sanctitatis odore, anno 1628.

Laborum suorum unum tantum habemus volumen, quod inscribitur : *Commentaria super Genesim Mss.* quæ Augustinus Biscarretus Abulæ vidit in manibus de Vega, hujus Conventûs Prioris, pii ac docti Viri. Id refert ipse Biscarretus in suis *Palmitibus Mss. Vineæ Carmeli, fol.* 25. *verso.*

CCXXXVIII.

ANTONIUS DE LOR, natione Occitanus, Concionator celeberrimus, in Academia Tolosana Doctor sacræ Theologiæ, die 16. Februar. anno 1602. laureatus, ejusdem Civitatis suo in Carmelo Prior, anno 1622. quo munere fungens anno 1625. ut Definitor Provincialis affuit Comitiis Generalibus Romæ celebratis. Præses Capituli Provincialis Vasconiæ fuit electus anno 1628. an verò de facto præfuerit, certo asserere non auderem. Peste tandem sublatus est currente anno 1631. Scripsit,

1. *Sermones Adventuales*, tom. I. *in-8°.*

2. *Sermones Quadragesimales*, tom. I. *in-8°.*

3. *Sermones de Sanctis*, tom. I. *in-8°.* Tres hi tomi editi fuerunt Tolosæ, anno 1623. apud Petrum Bosc.

De Antonio Lor mentionem habent Maracclus in *Bibliotheca Mariana :* Petrus de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptionis, col.* 107. Gregorius Canalis Prior Carmelitarum Generalis, in suo *Regesto Ms. fol.* 52. & 53. Augustinus Biscarretus, *in Palmitibus Vineæ Carmeli, fol.* 25. *verso.* Franciscus Bonæ Spei in *Visione Eliæ*. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 30. Ludovicus Perez à Castro in suis *Collectaneis Ms. fol.* 181. & 187.

CCXXXIX

ANTONIUS DE MARAVES, aliis MARAVER, natione Hispanus, vel Belga, patriâ Utriciensis, Carmelita, Philosophiæ Doctor ac Professor, circa annum 1620. scripsit,

1. *In universam Aristotelis Logicam Commentaria ;* Quæ Mss. asservantur Attrebati in Bibliotheca Carmelitarum antiquioris regularis Observantiæ.

2. *In octo Aristotelis Libros Physicorum Commentaria* Mss. ibidem servata.

De Antonio isto locutus est Jacobus à S. Bernardo, Carmelita Provinciæ Franciæ, in *Relationibus Attrebatensibus, anno* 1656. *scriptis* ad Ludovicum Jacob, eas referentem in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 30.

CCXL.

ANTONIUS A S. MARIA, quem alii *Valeriæ*, alii *Concæ* seu *Conciæ* Castellanæ Civitati ortum dicunt, Vocabatur MILES ; eo quod per aliquot annos miles ac bellator fuisset strenuissimus, sed pro galea humilitatem, pro serico cinerem, pro thorace cilicium, verè humilis in cinere & cilicio, variatâ militiâ optimam partem elegit, quæ non est ab eo ablata. *Pastranæ* inter Carmelitas Discalceatos professus, sic orationi vacavit, ut quod legendo didicerat, scriptis eructaverit.

Post mortem ejus in Oppido *Guadalaxara*, reperta sunt volumina viginti sex ab eo scripta, quorum quatuor solùm publicâ luce fruuntur Idiomate Hispan.

1. *Patrocinium*

A.

1. *Patrocinium Beatissimæ Virginis in Hispania.* Matriti, anno 1608.

2. *Hispania triumphans, ac Ecclesia laureata per totum globum mundi.*

3. *Vita S. Juliani, Episcopi Conchæ.*

4. *Vita Henriquez Pimentel, ejusdem Civitatis Episcopi.*

Servantur Guadalaxaræ sequentia Opera MSS.

1. *Transumptum S. Angeli Martyris*: tomi duo, *in-4°.*

2. *Directorium Religiosorum, cum Principibus agentium juxtà præclarissimam S. Teresiæ & SS. Patrum Sententiam, in-4°.*

3°. *Miseriæ humanæ, & Misericordiæ divinæ, in-4°.*

Hæc referuntur in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, non assignato loco, nec anno nec Typographi nomine, nec Authoris vitæ tempore

CCXLI.

ANTONIUS A S. MARIA, Discalceatus alter Carmelita Hispanus, ut mihi videtur præcedenti senior: qui ex Hieronymiano, quod priùs fuerat, Monacho, pluribus domi Carmelitanæ Nudipedum muneribus, plurima de Verbo Dei ad concionem dicendi laude clarus, tam ardenti, propagandæ Religionis flagrabat amore, ut in Guineam ad animas Deo lucrandas profectus sit: sed proh dolor! cùm transfretaret, mersus obiit mari, anno 1582. Scripsit,

Sacrarum Concionum in festis Beatæ Virginis, & in diebus Dominicis insigne Volumen MS.

Id testantur Franciscus à S. Maria in *historia Carmeli Reformati, tom. 1. lib. 5. cap. 22.* MSS. eas laudat Ludovicus Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 30. ubi celebrat &

Alium Antonium à S. Maria Hispanum, Didaci de Lugones & Antoniæ Miniæ filium, patriâ de Alva de Tormes, Carmelitam Excalceatum, qui Manzeræ anno 1575. die 6. Februarii Novitius fuit: Vir admirabilis virtutis & potentiæ obiit anno 1587. De eo Franciscus à S. Mariâ, *tomo 2. Lib.* VII. *Cap.* 54. Alius item ANTONIUS A S. MARIA, Carmelita Discalceatus, Vicarius Provincialis Hiberniæ, vir pietate & religione clarus, obiit anno 1652.

CCXLII.

DISSERTATIO

De Vita & Operibus ANTONII MARINARII.

ANTONIUS MARINARIUS, natione Italus, Provinciâ Hydruntinus, Professione Religiosâ Cryptaliensis in agro Tarentino, & Carmelitarum Provinciæ Apuliæ alumnus: primo Venetiis, deinde Romæ circa annum 1531. Theologiam docuit, & posteà Neapoli. Anno 1539. Præfectus suæ Provinciæ atque Definitor Comitiis Generalibus Vicentiæ celebratis interfuit, & anno 1542. Cœnobium erexit Barense, teste Antonio Beatillo, *Lib.* IV. *Histor. Baren. fol.* 205. Visitator Generalis Siciliæ, in Capitulo Veneto anno 1548. nominatur Procurator Generalis, & iterùm Apuliæ Provincialis: quo munere sicut & Definitoris fungebatur in Comitiis, quæ Romæ ad Monasterium S. Martini de Montibus celebrata fuere anno 1564. in quibus dictum est de eo: *Qui cum sit doctrinis admodum præditus, quovis honore dignus judicatus est* à suo Provinciali Capitulo.

BONÆ SFORTIÆ, Sigismundi Poloniæ Regis conjugi, quæ Barium post mortem Serenissimi Principis mariti se contulerat anno 1548. ubi & die 17. Novembris 1558. defuncta est, à Concionibus sacris extitit Marinarius; vir summis naturæ dotibus excellens, in literis etiam diligenter excultus, prudentiâ & consilio magnus, virtute & religione insignis; ingenio, eloquentiâ, nec-non eruditione celebris, apud sanctos Patres Concilii Tridentini annis 1545. & 1546. ingenti habitus honore & pretio; ubi » egregium sui ingenii specimen dedit, *inquit Petrus* » *Lucius.* Nam ad quinquaginta usque Hæreticorum » argumenta ex ordine recensens, eorumdem ratio- » nes & auctoritates adducens, demùm ordine re- » trogrado ab ultimo ad primum usque clarissimis » scripturis & rationibus confutavit & elisit.

Hujus quidem rarum memoriæ exemplum confirmarunt, & testati sunt Laurentius Lauretus, Adriæ Episcopus, & Nicolaus Aurificus, ambo Carmelitæ, qui sacro huic Concilio interfuerunt anno 1563. Id quidem silentio commisit alto *Paulus Sarpi*, pseudo-nomine *Petrus Suavis*, sua in ejusdem Concilii Tridentini Historia, cui multa Marinarii nomine argumenta Lutheranis dogmatibus proxima & consona inseruit, ut inferiùs referuntur, ne fraudulentâ simulatione doctrinam Marinarii obtegere videremur: qui laudes, quibus eum tanquam orthodoxum Theologum cumularunt, minimè infirmare aut abolere cogitamus. Præ cæteris testem habemus, non solùm Michaelem Abbatem Justinianum, *Epist.* 70. non solùm Guillelmum Eisengrenium in Catalogo testium veritatis, edito Dilingæ anno 1565. sed etiam Sfortiam Palavicinum Cardinalem, in Historia Concilii Tridentini, *Lib.* VI. *Cap. XI. num.* 14. *sub finem*, ubi hæc Latino sermone donata leguntur: » Ex his » mendaciis (*Petri Suavis*) quorum hic apertè » convincitur, meritò mihi licet conjicere, æquè » planè commentitia esse, quæ ille de multorum » sententiis colorat, præsertim verò Lunelli Fran- » ciscanorum Præsidis, & Marinari Carmelita- » rum: quarum rerum & in Actis & in Litteris Le- » gatorum ad Farnesium Cardinalem, & in aliis » copiosis monumentis, quæ apud me sunt, ne vesti- » gium quidem comperio, prout absque dubio com- » perissem.

Marinarius autem labore & senio confectus, in patria sua anno 1570. humanæ naturæ debitum solvit, & in Cryptaliensium Carmelitarum Templo sepulturæ traditus, Epitaphium istud nuper accepit.

D. *O.* *M.*

ANTONII MARINARII

PROVINCIÆ CARMELITARUM APULIÆ;

QUAM SEPTEM FERE LUSTRA

REXIT PROTO-MAGISTER ET AUXIT;

SARCOPHAGUM.

HIC

CLARUS INGENIO;

INTER CONCILII TRIDENTINI PATRES

CLARIOR,

GENERALIS ORDINIS PROCURATOR;

PLURA SCRIPSIT,

ET PRÆLO RELIQUIT MONUMENTA:

HUJUS OSSA

EX CHORI PARIETINIS EFFOSSA

HÆC APTIOR URNA CLAUUIT.

OBIIT ANNO DOMINI M. DLXX.

DIE XX. MARTII.

Certa ANTONII MARINARII Opera.

1. *Consonantiæ Jesu Christi & Prophetarum: hoc est ad ipsius Christi necessariam cognitionem ex divinis Scripturis Compendium.* Parisiis, apud Oudinum Petit, 1541. *in-8°.* Hanc editionem agnoscit Sixtus Senensis in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 198. *col.* 2. Conradus Gesnerus in *Bibliotheca universali*, *fol.* 52. *verso.* Joannes-Jacobus Frisius, in *Bibliotheca Tigurina*, *pag.* 64. *col.* 1. Georgius-Matthias Konig, in *Bibliotheca veteri & nova*, *pag.* 509.

Secundam Editionem Antuerpiæ factam in 8°. eodem anno, refert Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 31.

Tertiam Editionem Parisiis factam apud Vivantium Gaultherot, anno 1543. in 8°. recenset Philippus Dubois in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 108. *num.* 2220. ipsius manu notato. Hanc enim Bibliothecam numeris ab ipso Dubois signatis ditatam possidemus, secundum ordinem quem in pulpitis Tellerianis libri tenebant, antequam in Bibliothecam Regiæ Abbatiæ Sanctæ Genovefæ Parisiis transferrentur.

Quartam Editionem Parisiis factam anno 1586. in 8°. sub hoc titulo: *Concordia veteris & Novi Testamenti*, appellat Jacobus le Long in *Bibliotheca Sacra*, *pag.* 847. *col.* 1. *E.*

Quintam Editionem sub eodem titulo factam Parisiis anno 1587. in 8°. exhibet Guillelmus Crowæus in *Elencho Scriptorum*, *pag.* 63. nec-non Cherubinus à S. Teresia, Carmelita Discalceatus, in *Bibliotheca Criticæ Sacræ*, *tomo* 1. *pag.* 137.

2. *In Epistolas D. Pauli Commentaria Mss.* quæ morte præventus absolvere non potuit: Sed *Commentaria in Epistolam ad Romanos Mss. in-4°.* asservata Parisiis, in Bibliotheca Cardinalis *Mazarinii vidit Ludovicus Jacob: nunc autem extare* Parisiis in Regia Bibliotheca, *Codice* 6206. asserit Jacobus le Long loco citato.

3. *Oratio habita ad Patres in Concilio Tridentino*, anno 1545. die 20 Decembris, quæ incidebat *in diem Dominicam quartam Adventûs. Legitur* & prodiit inter *Acta Concilii Tridentini* apud Lovanienses edita anno 1567. *in-folio*, *pag.* 18. nec-non *tom.* 14. *Concilior.* Edit. Labb. *pag.* 999. In ea tractat Marinarius de insufficientia Legis Mosaicæ, & de fide in Christum necessariò habenda, ad salutem æternam consequendam.

4. *Oratio habita ad Patres Concilii Tridentini*, anno 1546. die 4. Aprilis, quæ incidebat in *diem Dominicam quartam Quadragesimæ*, Paschate occurrente ad 25. diem Aprilis. Eam tamen Orationem Gabriel Cossart notat ad diem 28. Martii 1547. quamvis jam à die 11. ejusdem mensis & anni decreta fuisset Concilii translatio. Prodiit hæc Marinarii Oratio Antuerpiæ, anno 1547. cum præcedenti, & Lovanii, 1567. inter Acta Concilii Tridentini, *pag.* 43. ut animadvertit Aubertus Miræus, *Lib. de Scriptor. Eccles. Seculi XVI. Cap.* 56.

Prodiit etiam *tom.* 14. *Concilior. Edit. Labbe. pag.* 1033. In ea Oratione Marinarius duo probat: Primum, ut *per bona opera Deo Patri placeamus indulgentissimo.* Secundum, ut *ab operum nostrorum gloria aversi*, in illius *Patris clementia & voluntate securè & in perpetuum conquiescamus.*

In utramque Orationem insurgens Petrus Suavis *lib.* 2. *Historiæ Concilii Tridentini*, *pag.* 140. Edit. Latin. Londinensis 1620. refert quod » è Patribus » plerique, cum… in memoriam revocarent, quæ » ille Fr. Marinarius in diversis Concionibus, ac » nominatim in Missa, Dominica IV. Adventûs Superioris, & in Quadragesima disseruisset, quibus » cunctos ad fiduciam omnem in Deo collocandam » hortatus erat, damnatâ operum confidentiâ; & » heroicas veterum actiones, ab hominibus tanto» pere decantatas, splendida, sed vera peccata affir» maverat; immo de certitudine gratiæ aliquid » prodiderat, licet sermone adeò ambiguo & arti» ficioso, ut si reprehenderetur, effugium ad eva» dendum non deesset; plerique, inquam, his con» sideratis suspicari cœperant, eum à Protestantum » doctrina non omnino alienum.

Hæc gratis fingi à Fr. Paulo Sarpi jam probavimus ex Catholicis Scriptoribus: neque ipse Petrus Franciscus Le Courayer in Interpretatione Gallica hujus *Historiæ*, *Lib.* II. *tom.* 1. *pag.* 268. *num.* XLVI. *not.* 4. omninò assentiri ausus est Paulo Sarpi, propter silentium Raynaldi, Pallavicini, & ipsius Fr. Pauli oscitantiam, nulla monumenta proferentis, ex quibus suam propriam tulerit sententiam adversùs Antonium Marinarium, sicuti magis ac magis elucescet ex dicendis.

Scripta ANTONIO MARINARIO
à Fra-Paolo adjudicata.

Præter duas Orationes, quas Antonium Marinarium in Concilio Tridentino habuisse constat, quinque alios ei adjudicat Fra-Paolus Sermones ibidem pronuntiatos, dogmatibus Lutheranis valdè proximos, quorum

1. Agit *de Traditionum auctoritate.* Lib. II. Historiæ Tridentini, *pag.* 139. *Edit. Lat. Londiensis.*

2. *De Fide justificante.* Ibidem, pag. 156.

3. *De Operibus præparatoriis ad justificationem*, Ibidem, *pag.* 154.

4. *De Libertate arbitrii.* Ibidem, *pag.* 164.

5. *De Gratia per Sacramenta producta.* Ibidem, *pag.* 187.

Hi Sermones, inquam, referuntur apud Fra-Paolo in Historia Concilii Tridentini, & ideò Antonius Marinarius ab eo recensetur *Lib.* II. *pag.* 153. inter illos Theologos, qui ingenii dexteritate freti, assensum tandiu sustinuerunt, donec rationum momenta expenderentur. Ast eosdem sermones omisit Sfortia Pallavicinus, Antonium Marinarium constanter habens seu summum Theologum, Catholicæ Fidei strenuum defensorem, & præcellenti clarum eruditione.

Alii qui Marinarium nostrum laudibus extulerint, & fidem Catholicam ejus celebrarint, annumerandi occurrunt, Abraham Bzovius, *in Pontifice Romano.* Hector Pinius, *in Commentariis super Danielem Prophetam*, *pag.* 49. Antonius possevinus, *in Apparatûs sacri tomo primo*; & *Lib.* II. *Bibliothecæ selectæ*, *Cap.* 69. Antonius Sanderus, *Lib.* III. *de claris Antoniis*, *pag.* 198. Sixtus Senensis, *Lib.* IV. *Bibliothecæ sacræ.* Hieronymus Rubeus, *Lib.* X. *Historiæ Ravennatæ.* Joannes Molanus *in Bibliotheca Materiar.* Andreas Schottus *in Catalogo Interpretum Scripturæ Sacræ.* Petrus de Alva *in Militia Immaculatæ Conceptionis.* Rosverus Pontanus *in vera narratione rerum memorabilium ab anno* 1550. Philippus Labbe *in Synopsi Historiæ Conciliorum*, *pag.* 266. Aubertus Miræus *de Scriptoribus seculi XVI. cap.* 56. *num.* 5.

E Carmelitis, Petrus Lucius *in Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 6. Franciscus Sixtus *Tesseradecade Genealogiæ Jesu Christi*, *cap.* 197. Josephus Falconius *de Illustribus viris Ordinis Carmelitarum.* Emmanuel Roman *in Catalogo Scriptorum ejusdem Ordinis.* Alegreus Cassanatus *in Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 290. Ludovicus Jacob *in Bibliotheca*

A.

Carmelitana Mſ. pag. 31. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani* , *pag.* 1067. *num.* 3698. Auguſtinus Biſcarretus *in Palmitibus vineæ Carmeli Mſſ. folio* 25. *verſo.* Ludovicus Perez à Caſtro , *in Collectaneis Mſſ. fol.* 10. 118. & 161. Didacus Coria , *in Chronico Carmelitico* , *Lib.* XII. *cap.* 9. &c.

CCXLIII.

DISSERTATIO

De Vita & Scriptis ANTONII MARINARII *Junioris.*

ANTONIUS MARINARIUS junior , Marinarii præcedentis pro-nepos , die 10. Januarii 1605. natus eſt Cryptaliis, vulgò *Legrottaglie* , oppido Diœceſeos Tarentinæ. Sacro fonte luſtratus eſt ibidem die 17. ejuſdem menſis ; parentibus *Antonio Marinario* , utriuſque juris Doctore , & *Stellâ de Electis.* Humanioribus operâ datâ literis , Carmelitanam in patria induit veſtem die 16. Julii 1622. & inibi ad diem 20. recurrentis ejuſdem menſis anno 1623. profeſſionem emiſit.

Philoſophiæ ac Theologiæ ſtuduit Lytii, Neapoli, & in Urbe apud Tranſpontinam ; ſed & Lytii (Gallicè *Luce*) Preſbyter a Franciſco Cardinali Boncompagno Archiepiſcopo , die 8. Aprilis 1628. ordinatus eſt. Obtentâ deinde Magiſtrali laureâ , & Profeſſor Theologiæ inſtitutus , diu cum laude & fructu docuit Præneſte : hinc Romam venit , & publicus Lector in Archigymnaſio Urbis creatus , ad plures annos Logicam legit , item & Metaphyſicam , uſque ad infulas. Locum etiam habuit inter Patres Theologos ejuſdem Collegii , ex decreto ſpeciali URBANI VIII , illis aggregatus. Decanus etiam hujus ſtudii extitit.

Interea Provinciam Romanam in munere Provincialis per triennium moderatus eſt , electus Canepinæ die 18. Maii 1636. Bis patriæ Provinciæ Apuliæ Viſitator Generalis fuit , ſemel Præſes Comitiorum ipſius , die 5. Junii , anno 1661. apud Bituntum , titulum quoque Provincialis Daciæ obtinuit , atque Cœnobium Præneſtinum Prior rexit. Quo tempore aſſumptus eſt , ſub die nimirum 10. Martii 1645. in Theologum & familiarem Eminentiſſ. Franciſci Barberini S. R. E. Cardinalis Vice-Cancellarii : cujus etiam vices geſſit in viſitandis aliquot Sanctimonialium Conventibus ipſi ſubjectis.

Tandem Eminentiſſimus idem Cardinalis , præfati ſacri Collegii Decanus , in Suffraganeum ſibi deſtinavit Antonium noſtrum & pro Diœceſibus Oſtienſi , Velitrinâ , ipſum pariter Vicarium Generalem ibi conſtituens. Quapropter die 7. Februarii 1667. creatus eſt Epiſcopus Tagaſtenſis Titularis in Africa : Munus autem Conſecrationis , per manus ejuſdem Eminentiſſ. Cardinalis Barberini ſuſcepit Romæ , die XIII. Februarii , in Eccleſia S. Laurentii in Damaſo : Aſſiſtentibus Joſepho-Maria Suarez , quondam Epiſcopo Vaſionenſi , & Petro Caraccio , Epiſcopo Larinenſi. Marinarius obiit Velitris , die 20. Auguſti 1674. & ſepultus in Eccleſia Carmelitarum ejuſdem civitatis , qui ejus tumulo hoc appoſuerunt Epitaphium , à cornu Epiſtolæ Aræ majoris inſcriptum.

D. O. M.

FR. ANTONIUS MARINARIUS,
CARMELITA,
CRYPTÆ AUREÆ CŒNOBII ALUMNUS,
COMITIORUM PRÆSES,
ET BIS VISITATOR GENERALIS,
SUAM APULIÆ PROVINCIAM DECORAVIT:
ARCHIGYMNASII IN URBE LECTOR PUBLICUS,
AC LECTORUM DECANUS,
PROVINCIALIS ROMÆ GUBERNIO,
DACIÆ TITULO:
AB ALEXANDRO VII. TAGASTÆ,
D. AUGUSTINI PATRIÆ,
CREATUS EPISCOPUS,
EM. AC R. CARD. FRANC. BARBERINI,
S. R. E. VICECANCEL. ET EPISC. OSTIEN.
THEOLOGUS,
MONIALIUM VISITATOR,
ET SUFFRAGANEUS.
EX EDITIS CONTRA JANSENIUM OPERIBUS
IPSIUS ENITESCIT DOCTRINA SINGULARIS.
IN HOC CONVENTU, QUEM DIU REXIT,
BONORUM HEREDE CONSTITUTO,
SUB PROTECTIONE
EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI CARDINALIS
FRANCISCI BARBERINI,
SUUM EXTREMUM OBIIT DIEM,
ANNOS NATUS LXXXIV.
MENSES VII. DIES XVI.

SCRIPTA EJUS TITULO DECORANTUR:

1. *Oratio Panegyrica pro Beati* ANDREÆ CORSINI , *Carmelitæ* , *& Epiſcopi Feſulani Canoniſatione* , habita Romæ in Eccleſia Carmelitarum Beatæ Virginis Mariæ Tranſpontinæ , die 3. Maii 1629. dicata ad R. P. Gregorium Canalium , Carmelitarum Generalem. Prodiit Romæ *in*-4°. apud Jacobum Maſcardum , 1629. Latinè.

2. *Oratio in funere Illuſtriſſimi Garſiæ Cardinalis Mellini* , *Ordinis Carmelitarum Protectoris* , habita Romæ die 19. Octobris 1629. in Eccleſia S. Mariæ Tranſpontinæ ; & dicata ad Illuſtriſſ. Dom. D. Scipionem Cardinalem Borgheſium. Prodiit Romæ apud Jacobum Maſcardum , eodem anno 1629. *in*-4°. Latinè. Hujus meminit Antonius Teiſſier , in *Catalogo Auctorum* , *pag.* 24.

3. *Theſis Theologica de Beatificatione* , in laudem S. Andreæ Corſini. Prodiit Latinè , anno 1629. Romæ , apud eumdem Maſcardum , *in*-4°.

4. *Diſputatio de Fide* , *Spe & Charitate* , dicata ad Reverendiſſ. P. Theodorum Stratium , totius Carmelitarum Ordinis Vicarium Generalem. Prodiit Latinè Romæ , anno 1631. *in*-4°. apud eumdem Jacobum Maſcardum.

5. *Oratio Panegyrica de S. Agapito Præneſtino* ; *& Davide Palæſtino* , habita Romæ Latine , & ibidem edita.

6. *De Opinione probabili Diſſertatio* , Romæ typis Philippi Mariæ Mancini , anno 1666. *in*-8°.

7. *Verus Auguſtinus* , adverſus Cornelium Janſenium , *tribus tomis in*-4°. Quorum primus prodiit Velitris apud Petrum-Guillelmum Coſaſſium , anno 1669. Secundus & tertius ibidem anno 1677.

8. *Alia Manuſcripta* quæ ſervantur in Carmeli Velitrini Bibliotheca.

Antonium Marinarium juniorem laudibus commendant Leo Allatius in *Apibus Urbanis* , *pag.* 43. Joſeph-Maria Suarez in *Præneſte antiqua* , *Lib.* II. *cap.* 6. *pag.* 140. Aubertus Miræus *de Scriptoribus ſeculi* XVII. *cap.* 235. *num.* 7. Ludovicus de S. Amore in ſuo Gallicè ſcripto *Diario* de rebus Romæ geſtis circa quinque propoſitiones Cornelii Janſenii Yprenſis Epiſcopi , *pag.* 447. *col.* 1. ubi Marinarium noſtrum vocat *virum valdè fervidum* , *& Theologum indolis admodum ſcholaſticæ.* Nicolaus Toppi in Bibliotheca Neapolitana , pag. 29. & 343.

E Carmelitis, Ludovicus Perez à Castro in *Collectaneis Mss. folio* 161. *verso.* Petrus Isimbardus ibidem citatus, *folio* 82. *verso.* Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 911. *num.* 3170. Ibidem, *pag.* 1071. *num* 3727. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 31.

CCXLIV.

ANTONIUS A MATRE DEI, Catalanus, Carmelita Excalceatus, ingenio subtilis & eruditione singularis, ut ejus scripta indicant, teste Martiali in *sua Bibliotheca, pag.* 41. Extat ejus unus tractatus inscriptus Hispanè, *Divino Norte*, seu Latinè, *Divinus Polus*, qui agit de *Divinâ Unione*, Ms. asservatus in Vicensi Cœnobio. Alter ibidem asservatur tractatus Ms. de *Humilitate*, cedro dignus.

ANTONIUS A MATRE DEI, alius Carmelita Discalceatus, natione Hispanus, patriâ Conchensis, ex Milite factus Teresianæ Reformationis sequax in Castellæ novæ Provinciâ strenuus, Librum edidit Hispanè inscriptum: *Del Patrocinio de Nuestra Señora en los Reinos de España*: sive Latinè: *De Patrocinio Beatæ Virginis Mariæ in Regno Hispaniæ.* Matriti, anno 1618. *in-4°.* si credas Nicolao Antonio, *tom.* 2. *Bibliotheca Hispanæ*, *pag.* 671. *col.* 2. Ast is videtur idem atque ANTONIUS A S. MARIA, quem suprà, *pag.* 163. retulimus ex *Bibliotheca Discalceatorum Carmelitarum.* Diversus-ne etiam fuit ab alio ANTONIO DE MATRE DEI, Hispano Carmelitâ Discalceato, qui Secretarius fuit Provincialis Veteris Castellæ, & anno 1655. Prior *Logronensis*? Eodem anno 1655. erat Hispanus alius ANTONIUS A MATRE DEI, Excalceatus Carmelita, Prior *Metrymnensis*, ut observat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 32.

CCXLV.

ANTONIUS A S. MATTHIA, Cataloniæ Provinciæ Discalceatus Carmelita, scripsit vernaculo, sed nitido & aperto sermone duos tractatus, quorum alter *de perpetuâ mortificatione*, *in-8°.* Alter de sanctâ *exinanitione & plenitudine*, *in-8°.* utrumque in unum volumen *in-4°.* redegit; ac ex Celtibero idiomate in Hispanum transtulit JOSEPH A JESU MARIA, Discalceatus Carmelita, ejusdem Provinciæ alumnus, qui obiit *Conchæ*, anno 1659. Hæc autem Opera Mss. asservantur in Archivio Carmelitarum Excalceatorum Barcinonensi.

CCXLVI.

ANTONIUS MILANTA, patriâ Januensis, dicitur fuisse Procurator Generalis in Curia Romana anno 1474. vel quia forsan obiit, vel quia officio renuntiavit JOANNES DE PRATO, qui anno 1472. in Capitulo Generali Astensi declaratus fuerat. Hoc tamen unum constat, quod Antonius Milanta eo anno 1474. officium Procuratoris Generalis in Curia Romana exerceret: quâ de causâ à Chrystophoro Martignono, totius Ordinis supremo Moderatore, qui ab Italiâ recedebat, Vicarius Generalis constitutus fuit; ut probant Literæ hujus Reverendissimi Martignoni, datæ die 13. Martii, præfato anno 1474.

Raphael de Sopranis in Bibliotheca Ligurgica, Januæ quidem anno 1667. Typis data, de nostro Antonio sequentia scribit: » Antonio Milanta Car- » melitano stimatissimo Theologo, colla grande uti- » lità dell' Ordine Procuratore Generale. Mori anno » 1445. è tuttone lasciasse *eruditissimi Scritti*, essi » pero non solo uscirono alle stampe, ma per poca » di chi doveva custodirli, sono di presente total- » mente *Smaritti.*

Hæc quidem Soprani sententia de anno mortis Milantæ proximè posset accedere ad opinionem Ludovici Jacob, in suo *Catalogo Ms.* Procuratorum Generalium scribentis, hac dignitate insignitum, fuisse anno 1445. defunctum Genuæ Milantam: Obstant autem Literæ Martignoni datæ anno 1474. sicut animadvertit Ludovicus Perez de Castro, *tom.* 4. suorum *Annalium Mss.* sub eodem anno 1474.

Fatendum tamen est Necrologium Carmelitarum Genuensium omninò favere opinioni Raphaëlis Soprani & Ludovici Jacob, qui illud exscripserunt, & in eo propriis oculis viderunt Milantam illic anno 1445. obiisse. Major insuper, aut saltem non minor difficultas emergit ex Annalibus Joannis-Baptistæ de Lezana, *tom.* 4. qui Antonium à Janua asserit in Capitulo Brugensi *anno* 1379. ordinatum fuisse Lectorem Biblicum Tolosæ pro quinto anno; & *anno* 1387. in Comitiis Brixiensibus Procuratorem Generalem fuisse institutum à Joanne de Raude supremo Moderatore Ordinis. Hunc autem Antonium Genuensem, qui magnam ad senectutem provectus, obierit anno 1445. distinguamus ab Antonio Milanta, qui Procuratoris Generalis munus 1474. gesserit: emanebit ea solummodo judicandi ansa, utrùm perperam duos Antonios Genuenses in unum efformarint nonnulli scriptores citati. Vide quæ superiùs dicta sunt verbo, *Antonius à Janua, columna.* 170.

CCXLVII.

ANTONIUS A SANCTO NICOLAO, Provinciæ Neapolitanæ Discalceatus Carmelita, verus Israëlita, in quo nec fraus, nec dolus, die ac nocte in Cellâ suâ, ex quâ raro exibat, in Lege Domini meditans, obiit Neapoli, anno 1719. relictis Operibus metro scriptis, quæ titulum habent:

1. *Carmina ad Sanctos Eliani Ordinis, qui antè Teresianam Reformationem vixere.*

Accessit ejusdem *Manipulus Varius florum Poëticorum.* Neapoli 1694. *in-4°.*

2. *Carmina ad Indigetes Eliani Ordinis, qui post Reformationem vixere.* Ibidem, 1701. *in-4°.*

3. *Carmina ad Illustriores proceres Empyrei.* Ibidem 1711. *in-4°.*

Hæc referuntur in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum citatâ*, *pag.* 41.

CCXLVIII.

ANTONIUS OLIVAN A MALDONADO, natione Hispanus, Celtiber, patriâ Cæsar-Augustanus, & inter Carmelitas antiquiores Cæsar-Augustanos ascitus, atque istius Cœnobii patrii Prior dignissimus, nec-non Vicarius Generalis Aragonicæ Provinciæ: Vir pietate & sacrarum Litterarum notitia venerabilis. Obiit anno 1631. postquam edidisset Hispanicè,

1. *Govierno Moral de la Alma*; id est latinè, *Moderamen Morale Animæ*: duobus tomis *in-4°.* Barcinone 1623. apud Hieronymum Margarit.

2. *Sermones de Quaresma* duobus libris Mss.

3. *Sermones de Sanctis*, duobus aliis Libris *Mss.* Qui omnes cum *aliis operibus Mss.* in Bibliothecâ Carmelitarum Antiquorum Cæsar-Augustanâ recluduntur.

Hujus Antonii mentionem habent Alegreus Cassanatus *in Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 500. Nicolaus,

A.

Nicolaus Antonius, *tomo 1. Bibliotheca Hispanæ*, *pag.* 116. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani*, *pag.* 1079. *num.* 3791. Paulus ab omnibus Sanctis in *Auctuario Miræo*, *pag.* 212.

CCXLIX.

ANTONIUS DE PISIS, cognomento, MATTHÆI, aliquando *Mathæus Antonii* natione Thuscus, patriâ Senensis, Carmelita sacræ Theologiæ Doctor, ac Professor, anno 1396. in Capitulo Generali *Placentiæ* ordinatus est ad Lecturam Bibliorum & Sententiarum in Conventu *Papiæ*. Deindè in Capitulo Generali Bononiensi anno 1405. Provincialis Provinciæ nominatus est. Item in Capitulo Generali Bononiensi 1411. Lector Sententiarum *Pisis* eligitur. Undè cognomen de *Pisis* accepisse creditur. In Capitulo Montispessulano anno 1420. Definitor Generalis & Provincialis Thusciæ nominator. Ex quo etiam Capitulo habetur ipsum astitisse Concilio Senarum, quod habitum est anno 1423. cum Magistro Matthæo de Florentia Ordinis Carmelitarum Theologo præstantissimo : si quidem pro expensis utriusque in eo Concilio contractis numerantur viginti quinque ducati. In Capitulo autem Astensi anno 1440. nedum Provincialis Thusciæ, sed & Definitor etiam ejusdem Provinciæ appellatur. Sed in Capitulo Generali Cabilonensi anno 1444. solùm Provincialis nuncupatur. In Romanis Comitiis Generalibus Ordinis anno 1447. Provincialis & Definitor Thusciæ commendatur ; sicut in Cœtu Generali Avenionensi anno 1455. Provincialis honestatur. Scripsit,

1. *In Libros quasdam sacræ Scripturæ Commentaria*, quæ Ticini publicè dictavit.

2. *In Libros Sententiarum Commentaria*, quæ ibidem & Pisis habuit MSS.

De illo loquuntur Liber Ordinis Carmelitici MS. *fol.* 47. Joannes-Baptista de Lezana, tomo 4. *Annalium*, *ad annum* 1451. *num.* 5. *pag.* 878. Sed præsertim ad *annum* 1455. *num.* 10. *pag.* 888. Ludovicus à S. Teresia in *successione Eliana*, *cap.* 243. *pag.* 556. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 32. per Schedam MS. ibi affixam. Jacobus Lelong in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 611. *col.* 1. *E.* Ludovicus Jacob in *Bibleotheca Personata*, *pag.* 31. notat In *Libros Sententiarum Commentaria* jam annuntiata *Antonii de Pisis* olim extitisse Parisiis In Bibliotheca Mazarina, ubi *illa Mss.* se vidisse testatur ; sed anno 1668. delata cum omnibus *aliis Mss.* ejusdem Bibliothecæ in Regiam Bibliothecam. Bernardus de Montfaucon in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tomo* 1. *pag.* 520. *col.* 2. *C.* testatur quod asservatur in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi, Lit. M. *Matthæus Pisanus de LXXII. Interpretibus*, *& in Aristeam*, *ad Paulum II. Pontificem Maximum.* Dices-ne hunc Matthæum Pisanum esse eumdem atque nostrum *Matthæum Antonii de Pisis ?*

CCL.

ANTONIUS DE LA PORTE A S. MARTINO, ortu Armoricus, sed cùm Patris *de la Porte*, tùm matris *de Beaufort* ex utrâque illustri familia Andegavensi oriundus, strictiorem regularem Carmelitarum Rhedonensium observantiam professus est in manibus Venerabilis *P. Philippi Thibault* anno 1611. hujus Cœnobii Reformatoris & secundâ vice Prioris anno 1616. *Flexiam* missus est Theologiæ operam navaturus in Collegio RR. PP. Societatis Jesu : ubi Congregationis Sanctæ Mariæ Asseclis pias frequentèr exhortationes edicens, plurimos ex eis ad suum institutum Carmeliticum adduxit. Anno 1619. Præfato *Philippo Theobaldo* Provinciali, Rhedonis institutos Philosophiæ Professor triginta suos sodales edocuit, quos posteà rebus Theologicis imbuit. Anno 1623. Prior Cœnobii Pictaviensis nuper reformati nominatus, cùm Priorem Juliodunensem gereret atque Definitorem crescentis Reformationis, cujus & Vicarium Provincialem anno 1625. elegerunt. Anno 1626. Prior Andegavensis, quo quidem officio absoluto, anno 1629. in Basilica *S. Mauritii* Andegavensi, per Octavam SS. Sacramenti Conciones magno cum audientium applausu habuit, quas ab omni vetustate Carmelita nullus illic oraverat. Ab anno 1631. quo PP. Carmelitæ Observantiæ Rhedonensis sequaces in Conventum SS. Sacramenti Parisiensem vulgò *des Billettes* dictum fuerunt introducti, *Antonius* noster per annos fermè viginti, suggestus celebriores In ea Civitate occupavit, in qua decessit die 20. Septembris 1650. cùm jam Commissarium R. Theodori Stratii Generalem anno 1637. gessisset ad Reformationem statuendam in majori Collegio Carmelitarum Maubertino. Edidit vulgari suo idiomate Gallico,

1. *La présence de Jesus-Christ dans les Hopitaux & Prisons :* id est Latinè, *De præsentia Jesu-Christi in Xenodochiis & Carceribus.* Lib. I. Parisiis, apud Laurentium Cottereau, 1648. *in*-12°. sub nomine pauperis Sacerdotis.

2. *Conversation intérieure avec Jesus-Christ dans le Très-Saint Sacrement de l'Autel :* id est Latinè, *Conversationem interiorem cum Jesu Christo in SS. Altaris Sacramento.* Parisiis, apud Sebastianum Hurè, 1644. *in*-12°.

3. *De la maniere de bien vivre dans les Compagnies :* seu Latinè, *De modo benè vivendi in Societatibus.* Ibidem, apud eumdem 1644. *in*-2°.

4. *Le tresor des Richesses dans le sein des Pauvres :* Sivè Latinè, *Thesaurum divitum in sinu Pauperum.* Ibidem, apud eumdem 1644. *in*-2°.

5. *Les Conduites de la Grace :* seu Latinè, *Conductus Gratiæ*, in tomos IV. divisos. Parisiis, apud viduam Joannis Petit-Pas 1645. 1648. *in*-4°. & apud Natalem Carolum & Florentium Lambertum, 1646. *in*-4°. & Lugduni.

6. *La Vie de Madame la Conseillere de Ferrant-Beaufort :* Seu *Vitam Dominæ de Ferranto Beaufort.* Parisiis, apud Laurentium Cottereau, 1650. *in*-8°. Hujus meminit Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *pag.* 65. *num.* 1485. sub hoc titulo integro : *L'idée de la véritable Dévotion en la Vie de Mademoiselle de Beaufort.*

7. *Les Vacances Spirituelles :* sivè Latinè, *Ferias Spirituales. Mss.*

8. *Contemplations amoureuses sur la Passion de Jesus-Christ :* sivè Latinè, *Amatorias Contemplationes in Passionem Jesu Christi Mss.* in Bibliotheca Billetarum.

Antonium de la Porte à S. Martino Carmelitam Cardinalibus Alphonso Lugdunensi & Armando Duci Richellæo, nec-non Carolo Delaporte Franciæ Polemarcho, Duci de la Meilleraye, & Armoricæ Pro-Regi sanguine junctum laudant Petrus à S. Joseph, Fulliensis, in *Præfatione tomi* 1. *Theologiæ temporis :* Philippus Labbe in *Bibliotheca Anti-Janseniana.* Hugo à S. Francisco in *vita Philippi Thibault. Capp.* 14. 25. 34. 40. 45. 46. & præsertim 54. *pag.* 109. 187. 249. 270. 282. 303. 328. 331. & præcipuè 384. & seqq. Ubi eum vocat *Virum raræ Doctrinæ*, *modestiæ angelicæ*, *egregiis dotibus præcellentem*, *virtutum exemplar*, *humilitati & suo Religioso statui adeò addictum*, ut

quidam illustris è Proceribus Regni Franciæ diceret, « Patrem de Porra esse virum Religiosum, qui » suum præferebat Claustrum Palatio, cucullum Mo- » nasticum humerali Episcopali, de quo verba ipsi » detulerat. » Licinius à S. Scholastica in *Vita* ejusdem *Philippi Thibault*, *Cap.* 13. 16. 18. 21. *pag.* 139. 177. 207. & 241. R. P. Theodorus Stratius in *Decretis pro recto regimine majoris Conventûs Parisiensis*, *& Collegii Maubertini* anno 1617. editis *tomo* 2. *Bullar. Carmelit. pag.* 460. *col.* 2. *linea* 38. & *pag.* 461. *col.* 1. *num.* 4. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss.* affixâ Schedâ Manuscriptâ, *pag.* 32. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1989. *num.* 3828. Columbanus à nostra Domina de Monte Carmelo in *Encomio brevi Mss. Carmelitarum illustrium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 21.

CCLI.

ANTONIUS RAPE, Flander Carmelita, sacræ Theologiæ Lector, & Prior Angiæ, sed obiit Antuerpiæ anno 1508. die 11. Junii: Vir optimi ingenii & præclaræ eruditionis famâ insignis; Beatissimæ Virginis Dei-Paræ Cultor egregius, scripsit *Sermones varios*, præsertim de *festivitatibus B. V. Mariæ*.

Id testantur Hippolitus Marraccius in *Bibliotheca Mariana*. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Franciscus Bonæ Spei in *Visione Eliana*, *pag.* 324. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitarum Mss. pag.* 33. Vide *Spec. Carmelit. tomo* 2. *pag.* 1014. *num.* 3540.

CCLII.

ANTONIUS RISIUS, sæpiùs Riccius de Novellaria, quæ civitas est Diœcesis Regiensis in Æmilia, Carmelita Congregationis Mantuanæ, in præcipuis Italiæ suggestibus Concionator insignis, & in Bononiensi Theologorum Collegio adscriptus anno 1542. die 12. Septembris. Ferrariæ dum Conciones tempore Quadragesimæ haberet, mulieres quasdam vitæ malæ convertir auxiliante Deo, atque fundavit eadem in civitate Cœnobium *Convertitarum* dictum.

Congregationis io fox Moderatorem supremum ter electus, annis scilicet 1537. 1543. & 1549. prudentissimè illam gubernavit ingenii summi vir, qui moralibus in scribendis præcipuus in patrio Carmelo Novellariano die 13. Decembris obiit anno 1571. Hunc quidam notarunt à Pio III. summo Pontifice anno 1529. reprehensum fuisse literis Apostolicis quòd se Vicarium Generalem Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo nuncupari, nominari & scribi faceret; cum Vicarius Generalis tantùm esset Congregationis Mantuanæ. Ast Antonius Riccius non solùm in Universitate Bononiensi publicus Lector; verum est Illustrissimi Dom. D. Nicolai Cardinalis Sfondrati, tunc Cremonæ Episcopi, & posteà Summi Pontificis nomine Gregorii XIV. intimus Theologus & Consultor: in Tridentino Concilio sapientissimum Oraculum, in cujus Sententiam pro gravissima controversia, relictis cæterorum allegationibus, sacratissimus ille Senatus abiit, si fides dabitur Clementi Felinæ de Riccio nostro canenti:

Felsineum illustro Cælum: sacrumque Tridenti,
Spargo nitore Polum; sum Cynosura Petri.

Antonii Riccii Opera recensentur.

1. *De Consolatione* in morte Illustrissimæ Dominæ Constantiæ, Comitissæ Novellariæ. Venetiis, apud Franciscum de Franciscis, anno 1564. *in-8°.*

2. Tractatus *de Jurisdictione Prælati*: seu *de personali in suis Diœcesibus Episcoporum residentia.* Hoc opus, quod summo pretio fuisse fertur apud Patres Concilii Tridentini, asservatur Romæ manuscriptum in Archivo Carmelitarum Conventûs S. Chrysogoni.

3. *Sententia de Indulgentiis.* Hæc Sententia servatur Ms. in Codice Bibliothecæ Vaticanæ, signato 4896. fol. 249. Et in fine hæc leguntur: *Hæc de Indulgentiis ego Frater Antonius Riccius de Novellaria Carmelitarum & Theologorum minimus collegi, & die 17. Julii 1547. pronunciavi.*

4°. *De modo præparandi animum ad mortem.* Ferrariæ, anno 1565. *in-8°.*

Antonium Riccium de Novellaria celebrant Antonius Possevinus, *tomo* 2. *Apparatûs sacri.* Antonius Sanderus, Lib. III. *de Claris Antoniis*, *pag.* 231.

E Carmelitis Philippus à SS. Trinitate, Lib. VI. *Historiæ Carmelitarum*, *cap.* 5. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 396. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 33. Daniel à Virgine, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1068. *num.* 3698. Ludovicus Perez de Castro in *Collectaneis Mss. fol.* 177. & 180. Carolus Vaghus in *Commentariis*, *pag.* 192. & 312.

CCLIII.

ANTONIUS DE ROVIGO, natione Italus, Carmeli Ferrariensis alumnus, Mantuanæ Congregationis filius, vir gravissimus, virtutibusque plenus, ac strenuus Concionator, atque summæ integritatis custos, reliquit & edidit inter alia ingenii sui Monumenta,

1. *Orationem funebrem* in laudem R. P. Valentini Manduli, Congregationis suæ Vicarii Generalis, anno 1640. defuncti die 8. Januarii.

2. *Novitiorum documentum.* Ferrariæ, anno 1648. *in-8°.*

Ita referunt Joanes-Baptista Guarguantus in *Relatione Congregationis Mantuanæ.* Carolus Vaghos in *Commentariis ejusdem Congregationis*, *pag.* 229.

CCLIV.

ANTONIUS ROULIN, natione Gallus; patriâ Bituricensis, Provinciæ Franciæ alumnus, Venerab. P. Philippi Thibault Discipulus, in magno Conventu Collegii Maubertini Parisiensis, circa annum 1604. Disciplinis Philosophicis & Theologicis operam navans, scripsit posteà, videlicet circa annum 1636. in Schedis Manuscriptis,

Relationem de Virtutibus Philippi Theobaldi; *Carmelitæ Provinciæ.*

De ista Relatione, quâ & usus est, loquitur Hugo à S. Francisco in *Vita* ejusdem *Philippi Theobaldi*, *cap.* 4. 5. & 7. *pag.* 19. 27. & 46. Licinius à S. Scholastica in *Vita* ejusdem *Philippi Thibault*, *cap.* 6. *pag.* 59. *item cap.* 7. *pag.* 66. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 33.

CCLV.

ANTONIUS SABRÉ, Aquitanus, Aginnensium Eremitarum Superior, vocatur primùm cum suis sodalibus deceptis à fanatico *Joanne Labadie*, qui eos ad Eremum Gravillæ in Diœcesi

A.

Vasatensi sitam accesserat, sed ab Illustrissimo Dom. *Samuele Martineau*, Vasatensi Episcopo, ad rectam fidei Catholicæ veritatem reductus, scripsit gallico idiomate Epistolam ad dictum *Joannem Labadie*, qui ad Religionem prætensam reformatam transfugerat, sub hoc titulo :

Lettre du R. P. Antoine Sabré, Prêtre, Religieux solitaire, écrite au sieur Labadie sur le sujet de sa Religion P. Réformée, editam Vasatis jubente Illustrissimo Dom. Episcopo Vasatensi, & posteà Typis Parisiensibus renovatam anno 1651. *in*-4°. Hujus Epistolæ meminerunt Philippus Dubois in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 68. *num.* 966. Joannes-Petrus Niceron in suis *Memoriis* seu *Commentariis*, *tomo* 20. *pag.* 141. Vir Clariss. Dom. N. Goujet, Canonicus S. Jacobi de Xenodochio Parisiensi, apud eumdem Niceronium, & *tomo* 1. *Supplementi Dictionarii Moreriani*, verbo *Labadie.* Ast ex his non omnino liquet *Antonium Sabré* fuisse Carmelitam, licet cum suis sodalibus ad Eremum Gravilleanam accesserit, Carmelitarum Eremitarum tunc temporis, scilicet anno 1645. habitaculum. Eremum enim Aginnensem hodiè incolunt Fratres Laici votis simplicibus constituti, habitum funigerorum Excalceatorum gestientes : Qui de *Antonio Sabré* nuper interrogati, eum sibi ignotum esse responderunt ; teste R. P. *Agatangelo Lasaurie*, Provinciæ Vasconiæ Carmelitarum semel & iterùm tertio & quarto Provinciali, in *schedis* ad nos benignè *missis Burdigalâ* Aureliam anno 1741. die 17. Aprilis.
Cætera consule suprà, pag. 70.

CCLVI.

MARCUS-ANTONIUS À SAGRAMENA, natione Hispanus, Matritensis patriâ, Carmelita Provinciæ Castellæ novæ, non tantum alumnus, sed etiam Superior Provincialis, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, nec-non à sacris Qualificationibus supremi Senatûs fidei : accuratus admodum divinæ paginæ indagator, atque Concionator celeberrimus, anno 1623. edidit,

Sermonem de SS. Ignatio de Loyola, & Francisco Xaverio, quem in Imperiali Collegio Jesuitarum habuit Matriti ad populum, in eorum canonizatione; ibidem impressum *in*-4°. Præterea plurima prælis iteranda reliquit Mss. teste Alegreo Cassanato in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 488. quem Ludovicus Jacob exscripsit in *sua Carmelitana Bibliotheca Ms. pag.* 33. Eumdem Antonium à Sagramena reposuit Paulus ab omnibus Sanctis inter Scriptores Carmelitas in sui *Catalogi pagina 67*.

CCLVII.

ANTONIUS SPATA, natione Siculus, Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, & in Florentino Ordinis sui Lycæo studiorum Regens, & Orator eximius, edidit Italicè :

Il Mistico Ritratto de Christo, Panigirico sacro per la Nativita di S. Maria Madalena de Pazzi. Lucæ apud Marescandulos, 1693. *in*-4°.

Hæc referuntur à Joanne Cinello in *Bibliotheca Volan. plut.* 13. *pag.* 26. & Antonino Mongitore in *Appendice* tomi secundi *Bibliothecæ Siculæ*, *pag.* 7. *col.* 1.

CCLVIII.

ANTONIUS A S. SPIRITU, Lusitanus natus in oppido *Montis-Majoris*, Carmelita Excalceatus, Ulyssipone professus, Theologus & Concionator illustris ; vir in omni disciplinarum genere peritissimus, sed humilitate clarior, Episcopatum (*a*) Agolæ a Rege oblatum, quantum potuit, recusavit ; sed onus subire coactus, consecratus est ; & acceptâ possessione ibidem mortuus est anno 1677. Ejus opera sunt quinque tomis in-folio contenta, Lugduni anno 1661. & sequentibus edita.

Primus tomus continet *Directorium Morale*, sivè *tractatus de Sacramentis in communi & in particulari*, atque *de Censuris*.

Secundus tomus *de decem Decalogi præceptis.*

Tertius tomus *de privilegiis, obligationibus Religiosorum, ac de regimine Prælatorum regularium.*

Quartus tomus, *Consulta varia.*

Quintus, *Directorium Theologiæ Mysticæ.*

Antonium à Spiritu sancto commendant Nicolaus Antonius, Bibliothecæ Hispanæ tomo 1. *pag.* 128. *tomo* 2. *pag.* 318. Ibidem, *pag.* 655. ubi notat eum paulò ante annum 1672. quo edita fuit hæc Bibliotheca Hispana, Definitorem Generalem suæ Congregationis gessisse. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 33. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1127. *num.* 3961. Ibidem, *pag.* 1135. *num.* 3969. Ubi notat eum obiisse ante annum 1677. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 41. & 42. Augustinus à Virgine Maria, Lib. de Privilegiis omnium Religiosorum, pag.

CCLIX.

ANTONIUS TABARES, aliis TAVARES ; Lusitanus, antiquioris regularis Observantiæ Carmelita, Ulyssiponensis patriâ & Religiosâ professione, Theologus bonarum literarum cultor assiduus, scripsit circa annum 1623. *De Virtutibus SS. Ignatii de Loyola & Francisci Xaverii.*

Ità Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 485. Nicolaus-Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 128. Ludovicus Jocob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 33. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitani*, *pag.* 67. Aobertus Miræus *Libro de Scriptoribus sæculi XVII. cap.* 190.

CCLX.

ANTONIUS VASQUEZ DE ESPINOSA ; Natione Bæticus, patriâ *Xereziensis* (b) Carmelitarum antiquiorum Hispalensium sodalis, fidei Censor Theologus, magnusque Indorum Catechista. *Hispali* ex Indis reversus moritur anno 1630. Scripsisse fertur vulgari sermone,

1. *Confessionario general, luz, y guia del Cielo para poderse Confessor, &c.* Sivè Latinè, *Confessarium generalem, lumen, & viam ad Cœlum, cum methodo confitendi, &c.*

2. *Circunstantias para los tratos y contratos de las Indias del Peru y Nueva España.* Id est Latinè, *Modum faciendi contractus cum Indis Peruæ, & novæ Hispaniæ.* Malacæ, 1624. *in*-8°.

3. *Summario de Indulgencias* : Latinè, *Summarium Indulgentiarum.* Matriti apud Joannem Gonzalez, anno 1623. *in*-8°. Plenum pietate, atque eruditione opus, inquit Nicolaus-Antonius. Aliud opus est :

4. *Viage, y Navegacion del año de* M. DC. XXII. *que hizo la Flota de Nueva España y Honduras* ;

(*a*) *Agola* est Urbs in Æthiopia Superiori sita.

(*b*) *Xera* Urbs Hispaniæ Bæticæ, vulgò *Zeres de la Frontera*, Gallis *Cherez de la Frontiere*.

Sivè Latinè, *Itineratio & Navigatio quas fecit Classis novæ Hispaniæ, anno* 1622. Malacæ, apud Joannem René, anno 1623. *in*-8°.

5. *Indiæ descriptionem* ingenti volumine aggressus est, sed morte præventus non absolvit.

6. *Cœli Pharum* ei adjudicat Ludovicus Jacob: sed *Pharus* iste alius non videtur esse à Confessionario generali, sivè *methodo confitendi* peccata, quam *num.* 1. citatam appellat *Guia del Cielo*.

De Antonio Vasquez de Espinosa loquuntur Antonius de Leon, in *Biblioth. Orientali & Occident.* Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 129. *col.* 2. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 497. Emmanuel Roman in tract. de Scriptoribus Illustribus Ord. Carmelit. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 33. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo*, *pag.* 67.

CCLXI.

ANTONIUS A VILLA FORTE, Hispanus Carmelita sacræ Theologiæ Doctor Complutensis, Provinciæ veteris Castellæ alumnus, à Confessionibus sacris Illustrissimo Domino *Gaspari* Cardinali *Quirogæ* Archiepiscopo Toletano & Hispaniæ Primati: qui ad gravissima regiminis sui negotia, est consilio & industriâ usus nostri Antonii, circa annum 1585. Scripsisse fertur à Ludovico Jacob,

In Theologiam Commentaria Mss. de quibus tamen de illo loquentes nihil dicunt Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 429. Emmanuel Roman in *Elucidationibus variis antiquitatis Carmelitarum*. Ludovicus autem Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 34.

CCLXII.

ANTONIUS A SANCTO VINCENTIO Carmelita Excalceatus, edidit Italico Sermone,

1. *Meditationes pro Festis Ordinis Carmelitarum*, Ferrariæ, 1688. *in*-12°.

2. *Prototypon Anachoretæ*, seu *Vita S. Onaphrii*. Parmæ, 1689. *in*-12°.

Vir fuit hic Antonius summæ mortificationis & pœnitentiæ, defunctus Rosani, anno 1700. ut legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 42. ubi memoratur etiam

Antonius Clemens qui *Collectanea de Viris Illustribus Carmelitis* Excalceatis Congregationis Italicæ; teste Petro à S. Andrea, *tomo* 2. *Histor. general. hujus Congregat. Lib. II. cap.* 38. *pag.* 489.

CCLXIII

ANTONIUS FRANCISCUS A S. JACOBO, alius Excalceatus Carmelita, Papiensis, Vir spectabilis, ac multæ doctrinæ & eruditionis, Prælector fuit, *Bononiæ*, *Cremonæ*, *Tridenti*, ac in Seminario Missionum *S. Pancratii*; mortuus *Bononiæ*, anno 1695. reliquit *tomos quinque in*-4°. *de Sacramentis*, Prælo dignos, quos præ humilitate occultaverat; nunc autem asservantur Mss. in Bibliotheca Cœnobii Rosani.

ANTUERPIENSE CŒNOBIUM Carmelitarum Excalceatorum, edidit Idiomate Hispanico, *Historiam Vitæ*, *Virtutum*, *ac miraculorum* Venerab. P. Joannis à Cruce, Carmelitæ Excalceati, *desumptam ex informationibus factis pro ejusdem Canonizatione*. Antuerpiæ Typis Bellerianis anno 1625. *in*-4°. deindè prodiit versa Germanicè, Coloniæ apud Bernardum Gualterum, prout refert Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 34.

CCLXIV.

APOLLINARIS A S. CAJETANO, Carmelita Discalceatus, in toto Regno Neapolitano multa Doctrinæ ac ingenii argumenta præbuit, qualia sunt,

1. *Fastus sanctitatis*, *seu sacra Novenna Sanctæ Matris Teresiæ*, Venetiis celebrata. Ibidem, 1701. *in*-4°. Italicè.

2. *Equus Eremita*, seu *Historia Panegyrica V. P. Ambrosii Mariani à S. Benedicto*. Neapoli, 1703. *in*-4°. Italicè. Ita Bibliotheca Carmelit. Excalceat. *pag.* 42.

CCLXV.

ARCHANGELA DE GIRLAMIS, quia Patrem habuit JOANNEM DE GIRLAMIS, & DE TRINO nuncupata, quia nata est *Trini* in Monte Ferrato. In seculo LEONORA appellata, senilem à primis unguibus ætatem demonstravit, decernens Deo consecrari. Carmelitici Ordinis habitum, anno 1477. in Conventu Monialium Congregationis Mantuanæ recepit *Parmæ*, de S. MARIA MAGDALENA cognominatò. Ubi sic in primordiis susceptæ Religionis se gessit, ut non tam Novitia, aut nova sanctimonialis, sed ex veteribus & antiquis una à cunctis haberetur: ut idcirco ab eis summè coleretur, & ipsa alacriter in Dei servitio diu noctuque proficeret.

Electa proinde est jam vocata ARCHANGELA, ad ejus Monasterii regimen, sororum concordi, ipsâ invitâ assensu. Onus tamen sibi impositum, Jesu sponsi amore, sic ferebat, ut domesticorum & exterorum omnium benevolentiam sibi conciliaret: erat namque omnium solatium & refrigerium. Anno 1491. THOMAS DE CARAVAGIO Vicarius Generalis suæ Congregationis Mantuanæ illam è Parthenone Parmensi *Mantuam* dimisit in Monasterium, quod Illustriss. Marchio FRANCISCUS & ELIZABETA ejus conjux in eadem Civitate construi absolverunt, anno 1492. consentiente Illustriss. LUDOVICO GONZAGÆ Mantuano Antiste. Archangela ibi gravi morbo infirmata, & sæpiùs repetendo: *Jesus amor meus*; & *Jesu Christi Fili Dei vivi*, *miserere mei*, ac Simbolum pronuntians, Ecclesiæque Sacramentis receptis, animam placidè suo sponso reddidit die 25. Januarii 1494. Ejus corpus in eo Monasterio, quod titulo Sanctæ Mariæ de Paradiso insignitur, piè tumulatum est. Scripsit Italicè,

1. *Admonitiones & Exhortationes ad suas Moniales*, *Mss.* quæ ibidem asservantur.

2. *Statuta pro Regulari Observantia* tenenda postulata recepit à præmemorato Thoma de Caravaggio, cujus articulus consulendus est inferius, *tomo secundo*.

ARCHANGELAM de Trino commendant Author ejus vitæ fusiùs scriptæ apud Lezanam *tomo* 4. *Annalium*, *annis* 1462. 1477. & 1494. Franciscus Voersius in Catalogo Conventuum Congregationis Mantuanæ. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 402. Ludovicus Jacob in *Catalogo Mss. omnium Conventuum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 193. & 256. Joseph Andres Societ. Jesu Presbyter in *Decore Carmeli*, *pag.* 302. Carolus Vaglius in Congregationis Mantuanæ pag. 269.

CCLXVI.

ARCANGIOLA FORTUNATA, in seculo *Lucia Bona* nuncupata, anno 1656. mense Februario nata, vestem induit Religiosam anno 1671. in recenti Monialium Parthenone Carmelitano Capreensi: *Caprea* porro urbs est insulæ Regni

A.

Regni Neapolitani. *Archangela* nostra linguam Latinam absque Magistro & Magistra didicit, & ad Cœlum evolavit, die 27. Octobris 1734. Reliquit Italicè,

1. Librum, quo *sui integra Observantia Canobii* describitur, *Mſ. in-4°.*

2. *Poeſes Spirituales Mſ.* quas decantabant ſuæ Moniales, *in-4°.*

3. *De Actis heroïcis Venerab. Matr. Seraphinæ, Fondatricis & Prioris Conventûs ſui Capreenſis Mſ. in-folio.*

4°. *Hiſtoriam fundationum ſeptem Monaſteriorum*, quæ præfata Seraphina extrui curavit, Mſ. *in-folio.* Quatuor iſta Manuſcripta ſervantur in dicto Cœnobio Capreenſi.

Hæc tenemus à R. P. Seraphino Maria Potenza, Sacro-S. Mariæ Tranſpontinæ in urbe hodie Æditua, qui *Vitas* plurium ſervorum Dei, & Piarum Monialium Ordinis Carmelitici, ingentibus *Codicibus* XII. *in-folio* collegit: teſte R. P. Timotheo Bergerot Aſſiſtente Generali, in Schedis Mſſ. Romà Aoreliam ad nos miſſis, die 4. Februarii 1749.

CCLXVII.

ARCHANGELUS, aliis ANGELUS CAPELLONUS, Ligur, Religioſus Carmelita, qui floruit anno ſalutis 1587. *Plurima* ſcripſit, quæ *Mſſ.* cuſtodiuntur Genuæ in Cœnobio ſui Ordinis, ſicuti refert Auguſtinus Oldoinus in *Athenæo Liguſtico*, *pag.* 59. ex Raphaele Soprano, Genuenſi Patritio, *in Vitis Ligurum illuſtrium.*

CCLXVIII.

ARCHANGELUS, aliis ANGELUS PARISSOLA, Genuenſis Theologus primi nominis, qui inter Carmelitici Ordinis Viros doctrinâ præſtantes clarebat ſeculo decimo-ſexto, poſteris reliquit *Volumina manuſcripta* plurima *Concionum* & *Sermonum*, qui in Cœnobio Carmelitarum Genuenſi cuſtodiuntur; ſi fidem dabis Raphaeli Soprano in *Vitis Ligurum illuſtrium*, & Auguſtino Oldoino in *Athenæo Liguſtico*, *pag.* 59. Hunc virum inſignem anno 1586. die 12. Novembris defunctum appellat LAURENTIUM PARISSOLA, Ludovicus Jacob in *Catalogo Mſ. Fundationum Conventuum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 96.

CCLXIX.

ARCHANGELUS AUGUSTINI, Venetus Carmelita, ſacræ Theologiæ Magiſter & Doctor, ſuæ Provinciæ Moderator, ſub anagrammatico nomine SELVAGII CANTURANI, plura & varia Opera Gallica tranſtulit in Italicum idioma:

1. Illuſtriſſimi D. D. Jacobi-Benigni Boſſuet, Meldenſis Epiſcopi, *Diſcurſum ſuprà Hiſtoriam Univerſalem*, nec-non ejus *Continuationem*. Venetiis, anno 1712. apud Pezzanam.

2. *Mores Iſraelitarum & Chriſtianorum à clariſſimo Viro Domino Claudio Fleury, concinnatos.* Venetiis, eodem anno 1712.

3. Ejuſdem *Domini Fleury Hiſtoriam Eccleſiaſticam, tom.* 12. *in-4°.* Typis Veneiis, apud A. Manfré, 1719.

4. *Hiſtoriam prophanam* ſex in tomos diſtributam, *in-12.* Typis Seminarii Patavini, apud Joannem Manfré, 1719.

5. *Diſcurſus ſuper Artem Medicæ.*

6. *Alia plura*, teſte R. P. Elia de Amato, Calabro, Montaltino Carmelita, in Schedis Mſſ. ad nos ſcriptis anno 1747. De Traductione facta ab Archangelo Auguſtini, *Diſcurſûs de Hiſtoria Univerſali Dom. Boſſuet*, mentionem habet Joannes-Petrus Niceron, *tomo X.* ſuarum *Memoriarum*, *pag.* 93. nec-non Philibertus Papillon, in *Bibliotheca Scriptorum Burgundorum*, Gallicè *in-folio* edita Divione, anno 1742. *pag.* 65.

CCLXX.

ARCHANGELUS LANFRANCO, natione Inſuber, patriâ Papienſis, ſacræ Theologiæ Doctor celeberrimus & Profeſſor, Carmelita excellentis ingenii, qui ſumma cum laude in ſua Papienſi Academia Metaphyſicam legit & Philoſophiam, & in eadem patria diem clauſit extremum, anno Chriſti 1565. ibidemque tumulatus apud chariſſimos Sodales, qui in ipſius memoriam, Statuam & ſequens Epitaphium conſecrarunt: quod in *ſuis Orbis terrarum deliciis* refert *Franciſcus Swertius.*

D. O. M.

REVERENDUS CARMELITA
D. ARCHANGELUS LANFRANCUS,
PAPIENSIS,
INFULA THEOLOGORUM REDIMITUS.
TICINENSE GYMNASIO VIVENS LEGIT;
LEGENS OBIIT;
LEGERAT UT DOCERET;
SCIEBAT UT BENE AGERET.
ANNO M. DLXV. VII. KAL. DECEMBRIS.

Scripſit,

1. *In Libros Sententiarum Commentaria*: quæ *Mſſ.* extant Papiæ in Bibliotheca Carmelitana.

2. *Quæſtiones quodlibetales Mſſ.* ibidem.

3. *In univerſam Ariſtotelis Philoſophiam Commentaria*, ſcilicet in ejus *Logicam*, *Phyſicam*, *Metcora*, *Libros de Cœlo & Mundo*, *Libros de Anima*; in *parva naturalia*; in *Libros Topicorum*; in *Libros XII. Metaphyſices*, &c. quæ omnia Mſſ. ibidem ſervantur.

De illo mentionem tenent Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *folio verſo* 81. *lineâ* 24. Joſephus Falco in *Chronico Carmelitico*: Philippus à S. Jacobo in *Catalogo illuſtrium Carmelitarum*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 34. Alegreus Caſſanarus in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 381. ubi dupici errore appellatur *Lombardellus*, *natione Belga.* Hunc errorem pro ſuo more exſcripſit Paulus ab omnibus Sanctis in ſuo *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 67. Altero errore uterque ſcribit Lanfrancum floruiſſe anno 1508.

CCLXXI.

ARCHANGELUS A SANCTO LUCA, natione Gallus, Provinciâ Armoricus, Rhedonis natus, ſtrictiorem Turoniæ Provinciæ Obſervantiam profeſſus eſt anno 1612. in manibus PHILIPPI THIBAULT, cui poſteà ſocius velut alter Joſue aſcitus anno 1615. in montem cum noſtro Moyſe aſcendit legem reformationis inchoandam poſtulaturo, ſive primæva hujus ſtrictioris obſervantiæ exercitia ſcripturo; quæ in Conventibus Rhedonenſi & aliis impoſterùm reformatis ſervata ſunt. ARCHANGELUM noſtrum vix anno vigeſimo octavo natum THEOBALDUS anno 1618. Provincialis electus & confirmatus, in Priorem Rhedonenſem ſui ſucceſſorem eligi fecit, atque in ſocium ad Capitulum Generale *Romæ* cele-

A.

brandum anno 1620. iturus assumpsit. Variis posteà in Conventibus Prior, pluries Definitor & Vicarius tum reformationis, tum suæ Provinciæ; cujus est ad Præfecturam promotus die 10. Maii 1632. ad Comitia Provincialia in Conventu *Boni-Doni* celebrata.

In hoc Capitulo, ut jam notavimus decreverunt Definitores petere à Reverendiss. *Theodoro Stratio*, ut alternativam in electione Provincialis abrogaret; quibus Reverendiss. respondit: *Quamvis cesset destinatio inter professos utriusque partis, nimirum Franciæ & Britanniæ, stare tamen potest sub discrimine Nationis. A Majoribus nostris semel sancita non sunt facilè tollenda aut immutanda.* Archangelus noster tametsi nativitate & professione Armoricus Rhedonensis, affiliatione tamen Andegavensis erat juxtà ordinem à *Philippo Theobaldo* statutum, quo Novitii (qui ad annum 1619. in Conventu Rhedonensi uno tyrocinium suum exercebant) cum professionem emitterent, alicui Provinciæ suæ Cœnobio destinari devinciebantur, sicuti eorum in actu professionis scripto designabatur. Quapropter ipse *Archangelus* anno 1618. quo in Priorem Rhedonensem electus est, *Andegavi* ceu filius hujus Conventûs commorabatur.

Eodem anno 1632. antequam confirmationem sui Provincialatûs Romà reciperet, in Provinciam Tolosanam perrexit Commissarius Generalis ad reformationem illuc inducendam, de quâ optimè meritus, ad suos rediit, & per litteras à Rev. *Theodoro Stratio* datas die 15. Novembris sequentis ejusdem anni institutus est Commissarius Generalis per totam Galliam, *cum potestate plenissima reformandi Conventus, instituendi Novitiatus in omnibus Provinciis Galliæ, ubi desiderabuntur, easque visitandi personaliter, aut per alios ab eo deputatos*, &c. Eumdem ob finem alias ei scripsit ter literas anno sequenti 1633. die 1. Januarii, die 19. Februarii & 9. Aprilis, quâ & Apostolicum Breve illi misit præmemoratus Reverendissimus. Absoluto Provincialatûs triennio, Capitulum Provinciale coëgit Aureliam die 4. Maii 1635. jam in Priorem Rhedonensem 2ª. vice electus. Anno quoque 1648. in Capitulo Pictaviensi Definitor tertius nominatus est, & tandem senex obiit *Andegavi* die 16. Januarii 1663. vir disciplinæ regularis assertor indefessus.

Reverendissimo P. M. Sebastiano Fantono Magistro Generali Ordinis Carmelitarum *undecim capita ad reformationem spectantia* humiliter proposuit approbanda in Capitulo Generali celebrato Romæ anno 1620. nomine totius Observantiæ Rhedonensis. Quæ à præfato Rev. remissa sunt examinanda Procuratori Generali & Definitoribus Provinciarum Galliæ; & ab iis posteà approbata & signata die 15. Junii ejusdem anni 1620. scilicet RR. PP. *Gregorio Canalio* totius Ordinis Procuratore Generali, *Philippo Pioquelin* Provinciali & Definitore Narbonæ, *Joanne Marquaret* Franciæ, *Gisleno Livio* Vicario Provinciali & Definitore Belgicæ, *Joanne Bourgoin* Priore Parisiensi, *Joanne Tuaut* Aquitaniæ, *Joanne Antonio Fezai* Provinciæ, *Philippo Thibault* Provinciæ. Hæc *undecima capita* Typis edita prodierunt Andegavi apud P. Yvain, 1663. *in-4°.* in *vita R. P. Philippi* mox nominati, *pag.* 210. *& seq.*

Archangelum à S. Luca celebrant R. P. Theodotus Stratius in literis ad eum datis, quarum fragmenta referuntur in eâdem *vita Philippi Thibault*, *cap.* 47. *&* 54. *pag.* 338. *&* 396. Acta seu Liber Mss. gesta continens Provincialium Provinciæ Turoniæ. Hugo à S. Francisco in *vita* citata *P. Philippi Thibault*, *pag.* 14. 15. 17. 20. 23. 27. 28. 31. 32. 33. 37. 40. 46. 34. 53. *&* 56. *pag.* 110. 114. 138. 154. 186. 201. 214. 237. 239. 241. 282. 594. 402. *&* 410. 489. Licinius à S. Scholastica in *vita* ejusdem *Philippi Thibault*, *cap.* 13. 16. *&* 19. *pag.* 139. 177. *&* 222. Columbanus à nostra Domina de Monte Carmelo in *Catalogo Ms. Provincialium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 14.

CCLXXII.

ARCHANGELUS A S. MICHAELE, natione Longobardus, patriâ Cremonensis, Carmelita Discalceatus Provinciæ Longobardiæ, S. Angeli alumnus. Hic vir cum esset magnis decoratus virtutibus, & summâ præditus prudentiâ, in Regnum Sarmatarum missus, pluries Prioris, Definitoris, semel Provincialis præpositi anno 1653. munus magna cum laude & fratrum fructu, sapientissimè gessit. Polonicè autem scripsit,

1. *De Dei-Paræ Virginis de Monte Carmelo, Scapularis gratiis beneficiis ac Privilegiis*, Librum. Cracoviæ, anno 1653.

2. *Grammaticam Polonicam* à multis laudatam.

Ita testantur *Relationes Mss.* Pauli ab omnibus Sanctis, quas in testimonium accersit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 34.

CCLXXIII.

ARCHANGELUS MICHAEL MARIA GERVASI Neapolitanus, utriusque juris Doctor, & Chronista Ordinis Carmelitici, typis dedit Neapolitanis anno 1720. *Vitam S. Angelæ Carmelitanæ* Monialis, Bohemorum Regis filiæ, si fidem dabimus Eliæ de Amato in Schedis Mss. ad nos datis anno 1748. Sed timendum ne plurimi Carmelitæ vocent filiam Bohemorum Regis Beatam Virginem Angelam Siculam natione, in oppido *Sciacca* natam, quæ in Syriam transnavigans in Carmelum perrexisse, & virginitatis velum à S. Brocardo recepisse refertur; & postquam in solitudinibus Palæstinæ aliquot annis vixisset, in Siciliam rediisse, & *Sciaccæ* circa annum 1230. obiisse, non verò *Pragæ*. Vide superiùs, *col.* 100. *&* 137.

CCLXXIV.

ARCHANGELUS PAULIUS, Florentinus, Carmelita, Doctor Theologus, virtute & literis clarus, nec-non facultatis Musicæ peritissimus, patrii Cœnobii Prior, ibi & alibi Novitiorum Magister, & tandem Florentiæ mortuus die 4. Januarii 1635. postquam accuratè scripsisset,

1. Directorium Chori, juxtà Ritum Ordinis Carmelitarum. Neapoli, 1614. *in-4°. cum Ordinis ejusdem Processionali.*

2. *Vitam S. Andreæ Corsini*, ex Hispanico in idioma Etruscum reddidit, & dicavit R. Patri Nicolao Gaglis Florentino, Thusciæ Provinciali. Florentiæ, apud Zenobium Pignonæum, 1616.

3. *Cantionem sacram & plenam in Missa decantandam.* Florentiæ, 1624. Hanc dicavit Joanni-Stephano Barberio Procuratori Generali.

4. *Brevem introductionem ad firmissimè cantandum.* Florentiæ, apud Petrum.... Hanc dicavit ad R. P. Gregorium Canalium, anno 1623. mense Octobri ab URBANO VIII. Romano Pontifice Vicarium Generalem nominatum usque ad Capitulum Generale Romæ anno 1625. celebrandum.

De Archangelo Paulio loquuntur Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3727. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 34.

A.

CCLXXV.

ARCHANGELUS A S. JOSEPHO, Carmelita Discalceatus Provinciæ Genuensis, scripsit Italicè Librum, cui titulus est, *Sapiens Moralis, Christianus & Politicus* in duas partes divisus, inquit *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 42. Ast Lector indè doctior?

CCLXXVI.

ARISO, Anglus Carmelita, & in Gymnasio Carmelitico Coloniæ Agrippinæ Philosophiæ Professor, scripsit Latinè, *Decem Quæstiones Philosophicas Mss.* quarum principium deest. Asservantur Genuæ in Bibliotheca Carmelitarum Antiquiorum, & eas ibi vidit Ludovicus Jacob, anno 1640. die 15. Octobris; ut ipse testatur in *sua Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 35. Ast quo tempore floruerit Ariso, quis deprehendet?

CCLXXVII.

ARNALDUS LANDIVISQUEUS, Aquitanus Carmelita, patriâ Condomiensis, Provinciæ Vasconiæ alumnus, Philosophiæ Professor ac Theologiæ Doctor, scripsit *Polyantheam Logices.* Burdigalæ, apud Joannem Guyard, anno 1525. *in-4°.* prout animadvertit Antonius Duverdier, in *Supplemento Bibliothecæ Gesneriana*, & Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 35.

CCLXXVIII.

ARNOLDUS ANEDELIUS DE SONIS, aliàs AVEDELIUS, natione Aquitanus Carmelita, Doctor Theologus, Vir multiplicis eruditionis famâ conspicuus, Philosophus, Theologus, Mathematicus & Orator percelebris. Scripsit circa annum 1510.

1. *Adversùs futurorum Præsagos Librum unum.*
2. *Contra quorumdam diffamationem Librum* I.
3. *Supra quosdam Canones, Librum unum.*
4. *Epistolas ad diversos.*
5. *Officium S. Angeli, Carmelitæ Martyris.*

De Arnoldo Anedelio loquuntur Conradus Gesnerus in *Bibliotheca universali*, Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri;* Alegreus Cassanatus *in Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 384. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1085. *num.* 3805. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 35. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum, pag.* 67.

CCLXXIX.

ARNOLDUS DE AUSTRIA, natione Teutonicus, Cœnobii Viennensis Vindebonæ alumnus, & Gymnasii ejusdem urbis Doctor, in divinis Scripturis valdè eruditus, in Philosophia seculari notabiliter doctus, Concionator percelebris, circa annum 1400. scripsit,

1. *In sacram Scripturam Quæstiones*, quas citat Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag.* 616. *col.* 1. *C.*
2. *Volumen insigne super Sententias, Lib. IV.* inquit Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ordinis Carmelitici.*
3. *Sermones varios.*

Hunc ARNOLDUM appellat etiam Lezana in Annalibus ad annum 1400. *num.* 4. ARNOLDUM DE VIENNA, qui in Capitulo Generali Bononiæ, anno 1411. aderat Provincialis: sed subdubitat Daniel à Virgine Maria, quia in Registro Provinciæ Germaniæ superioris refertur, quod ARNOLDUS ASENHAUSEN, anno 1411. ad breve tempus fuerit institutus Provincialis in illo Capitulo Generali.

Hujus ARNOLDI DE AUSTRIA occasione scribit Petrus Lucius, Carmelitas Vindebonæ habuisse olim amplissimum Conventum; verùm paulo ante annum 1593. sævâ seviente pestilentiâ, cunctis ferè Carmelitis morte sublatis, Patres Societatis Jesu Cœnobium istud occupasse; cujus loco, inquit Daniel à Virgine, pro Carmelitis alius circa annum 1660. in suburbio ædificatus est Conventus, operâ potissimùm & sollicitudine R. P. GABRIELIS AB ANNUNTIATIONE, qui Provinciæ Belgicæ alumnus, etiam dudùm antè, Decreto Capituli Generalis, per Germaniam, in utramque Provinciam Reformationem, & strictiorem Observantiam introduxit, & stabilitavit, jam tamen antè in Provincia Allemaniæ inferioris inchoatam per ANTONINUM A CHARITATE, Turoniæ Provinciæ alumnum.

Hic natione Gallus, patriâ Flexiensis, Turonicam Reformationem amplexus est anno 1618. quam tanto fovit ardore, sustinuitque, ut in sua Provincia pluries Prior, à Comitiis Provincialibus Pictavii congregatis die 23. Junii 1647. deputatus fuerit in inferiorem Germaniam, illam præfatam Reformationem illaturus, auctoritate Commissarii Generalis, quam illi posteà contulit Rev. Joannes-Antonius Philippinus; ubi magno cum fructu annis novem laborans, ad suos Turoniæ Provinciæ sodales reversus, occubuit plenus dierum & meritorum, in Conventu Parisiensi SS. Sacramenti, die 11. Junii 1657.

Arnoldum de Austria commendant Trithemius, *loco citato*, & Libro de *Luminaribus Germaniæ:* Conradus Gesnerus in *Bibliotheca universali:* Jacobus de Plebe in *Indice Scriptorum Ordinis Carmelit.* Petrus Lucios in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 7. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli:* Gulilelmus Eisengrenius in *Catalogo testium veritatis:* Joannes Molanus in *Bibliotheca materiarum:* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 324. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annalium ad annum* 1400. *num.* 4. & ad *annum* 1411. *num.* 7. *pag.* 752. & 773. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1096. *num.* 3873. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 35. &c.

Antonini laudes celebrant non tantùm præfatus Rev. Joannes-Antonius Philippinus, in Epistola mox citata & typis Romanis donata, atque in *Actis Provincialium Provinciæ Turoniæ asservata;* necnon paucis quibusdam mutatis, partim in Vinea *Carmeli, pag.* 356. *num.* 658. relata, sed etiam Daniel à Virgine Maria, *ibidem num.* 657. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1102. *num.* 3902. Hugo à S. Francisco, in *Vita Philippi Thibault, Cap.* 33. *pag.* 247. Licinius in *Vita* ejusdem *Philippi Thibault, Cap.* 16. *pag.* 181. Hyppolitus Heliot in *Historia de Ordinibus Religiosis, Cap.* 46. *pag.* 338. *tomi primi.*

CCLXXX.

ARNOLDUS DE BISSALIS, natione Teutonicus, Carmelita, Doctor Theologus: Vir ob ratam morum integritatem, doctrinæ profunditatem & pietatem singularem URBANO V. Summo Pontifici charus, à quo Episcopus *Galtelliensis* in Sardinia sub Archiepiscopatu Calaritano fuit constitutus, scripsit circa annum 1366.

1. *Sermones Dominicales Mss.* qui incipiunt: *In*

medio Carmeli pascentur Basan. Hi asservantur in Bibliothecis Moguntini & Boppardiensis Carmeli.

2. *Distinctiones Magistri Sententiarum in Epitomen redactas*, quas Augustinus Biscarretus impressas asserit Parisiis 1541. & Lugduni apud Anton. Vincent.

3. *Sermones de Sanctis, & aliæ Operæ*, inquit Lezana, *tom. 4. ad ann.* 1366. *num.* 15. *pag.* 662.

Arnoldo de Bissalis egregia reddunt testimonia Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum*, & *Lib. de Luminaribus Germaniæ*: Conradus Gesnerus in *Bibliotheca universali*: Antonius Possevinus, *tom.* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 119. Alegreus Cassanatus, *pag.* 359. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 912. *num.* 3172. & *pag.* 1096. *num.* 3873. Arnoldus Bostius, *Lib. de Scriptoribus Ordinis Carmelitici*, *Cap.* 18. Guillelmus à S. Basilio, anno 1664. Prior Carmeli Moguntini, anno 1664. *in Schedis Mss.* Lutetiam Parisiorum missis: Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Mss. Episcoporum & Suffraganeorum* quorumdam Nationis Germanicæ, ex *Ordine Carmelitico assumptorum*, Parisiis itidem misso ad Ludovicum Jacob, qui hunc & illas Schedas citat in *Bibliotheca sua Carmelitana Mss. pag.* 35. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 7. Philippus Metius, *Lib. de illustribus Viris Ordinis Carmelitarum*, &c.

CCLXXXI.

ARNOLDUS BOSTIUS, natione Belga, Carmelita Gandavensis, Doctor Theologus, Philosophus, Orator, & Poëta, vitâ & conversatione devotus; qui cùm ab Oratoria dicendi facultate posset plurimùm, vel in primo juventutis flore non quotidianæ virtutis, ac scientiæ specimina præclarissima edidit, multos suo exemplo, & scriptis ad sancta studia provocans; adeo ut teste Balæo, *sui Sodales ad veram sapientiam, quæ in sacris literis continetur, converterentur.* In tanta propterea æstimatione fuit apud exteros, ut Hermolaus Barbarus Patriarcha Aquileiæ, & S. R. E. Cardinalis, ac Robertus Gaguinus Generalis Ordinis SS. Trinitatis opera ipsi dedicaverint. Fuit autem inter primitias reformationis B. Soreth, à quo & signalem hausit, vel auxit pietatem erga SS. Virginem Mariam. Migravit senio proximus Gandavi anno Christi 1499. pridie nonas Aprilis.

SCRIPTA EJUS INSCRIBUNTUR:

1. *De Immaculata Conceptione Virginis Deiparæ*, *contra Vincentium à Novo-Castro*, Dominicanum. Incipit, *usquequa semper*.

2. *De Patronatu B. Virginis Mariæ*, Lib. unus carmine ac prosâ scriptus, & Adriano de Eechout Doctori sacrarum literarum, Carmelique Gandensis Priori. Incipit, *Petiisti Vir Clarissime.* Ex hoc opere Godefridus Henschenius Caput XII. edidit de S. Petro Thoma, integrum inseruit inter Analecta ad ejusdem Sancti Vitam recusam anno 1659. Prodiit Typis Antuerpiensis *in-folio*, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 375. & *seqq.* Habuit olim Manuscriptum hunc librum Joannes Balæus, & extat etiamnum Coloniæ & Mechliniæ, apud antiquiores Carmelitas.

3. *Brevi-loquium tripartitum de Institutione, Intitulatione, ac Confirmatione Ordinis Dei-Paræ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.* Incipit, *in diebus Regis Achab.* Prodiit ex Codice Ms. Mechliniensi, Antuerpiæ *in-4°.* apud Jacobum Meursium 1662. in *Vinea Carmeli*, *pag.* 51. & *seqq.* cum Notis R. P. Danielis à Virgine Maria, Exprovincialis Provinciæ Flandro-Belgicæ.

4. *Speculum historiale sectatorum SS. Prophetarum Eliæ & Elisei*, quod tractat *de Institutione & peculiaribus gestis*, *ac viris Illustribus sacri Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, Lib. IX. Incipit: Cum ad *profectum Religiosæ vitæ*. Hoc opus fuit concinnatum circa annum 1490. nam anno 1494. illud exscripsit Joannes Geerbrandus à Leydis, qui idipsum testatur sub finem voluminis istius: Quod extat *Mss.* in Astensi antiquiorum Carmelitarum Bibliotheca: Alter Epigraphus Codex *Ms.* servatur in Belgio, in Chartophylacio Provinciæ Flandro-Belgicæ. Hujus Prologus operis, & excepta solummodo quadam, cum summariis Librorum & Capitum editus est, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani* Antuerpiæ donati anno 1680. *in-folio*, *pag.* 274. & *seqq.*

5. *De Illustribus Viris Ordinis Beatissimæ Dei Genitricis Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, Liber unus; qui scriptus fuit anno 1475. sicut *hujus cap.* 41. notatur. Extat in volumine Ms. Carmeli Mechliniensis, complectente etiam varia alia antiqua Ordinis Carmelitici monumenta. Prodiit autem Antuerpiæ *in-folio*, anno 1680. *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 886. & *seqq.* Plerosque continet Viros Authores, de quibus agitur Libro nono Speculi historialis, sed alio ordine, ut notat Daniel à Virgine Maria, *toma* 1. *pag.* 290. *num.* 1187. Perperam autem Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 94. confundit hunc Librum cum *Brevi-loquio tripartito*, cujus mentio facta est *num.* 3. superiori; licet in quibusdam codicibus Manuscriptis dicatur *De Viris Illustribus* Lib. III. qualis fuit, is, quem in Anglia possedit Joannes Balæus. Incipit: *Vetusta Religionis.* De his operibus loquens Aubertus Miræus, in *Auctuario de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *Cap.* 494. petit cum voto, *Quos Libros utinam quis proferat!* Quæ verba minimè conveniunt cum iis, quæ superiùs dicebat R. P. Danicl Papebrochius, *pag.* 149. *lin.* 9. & *lineis ultimis.*

6. *De illustribus Viris Carthusiensium*, Liber 1. qui incipit: *Venerabilis & intermiss.* Ex hoc Libro Petrus Sutor Carthusianus multa adducit in suos de Vita Carthusianorum Libros. Fuit autem Coloniæ excusus anno 1609. curâ Theodori Petreii Carthusiani; sicuti notat Fabricius in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tom.* 1. *pag.* 366.

7. *De quatuor Novissimis*, Lib. I.

8. *Epistolarum ad diversos*, Lib. I.

9. *Carmina diversa*, Lib. I.

10. *Alia* quoque *nonnulla* composuit.

Arnoldum Bostium valdè commendant Hermolaus Barbarus, qui ei dedicat quoddam *Opusculum Sancti Dionysii Areopagitæ*: Robertus Gaguinus in *Epistolis*: Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *Cap.* 930. Idem in Chronico Monasterii Spanheimensis refertur Literas ad Arnoldum Bostium destinasse; verùm priusquàm Gandavum delatæ essent, ipse Bostius ibidem vivere desierat isto anno 1499. pridie Nonas Aprilis: Carolus Bovillus, in Epistola ad Germanum Ganagnum, Regium Consiliarium, anno 1509. 20. Martii. Ex Ambianis scripta & citata, in Annalibus typographicis, *tom.* 2. *pag.* 210. *lin.* 28. Henricus-Cornelius Agrippa, *Lib.* 7. *Epist.* 26. *ad Senatum Coloniensem*, ubi eum vocat *Boschmannum*: Bartholomæus Chassagne, Præses Aquensis, *parte* 12. *Catalogi gloriæ mundi*: Ludovicus Guicciardinus in *Descriptione Gandavi*: Antonius Sanderus de *Scriptoribus Flandriæ*: Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 94. jam citata. Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis*, *pag.* 140. Gerardus-Joannes Vossius, *Lib.* 3. *de Historicis Latinis*, *Cap.* 10. *pag.*

A.

pag. 641. Jodocus Beſſelius, Aquiſgranenſis Patritius, Auſtriæque Ducis Conſiliarius, in *Literis ad ipſum Boſtium datis*, quæ præfiguntur Operibus Joannis Beetz Carmelitæ: Conradus Geſnerus, in *Bibliotheca univerſali*: Antonius Poſſevinus, *tom.* 1. *Apparatûs ſacri*: Jacobus-Philippus Foreſta, Bergomenſis, in *Supplemento Chronicorum ad annum* 1400. Joannes Balæus, *de Scriptoribus Angliæ ſub* LEONE X. Gabriel Naudæus, in *Apologia pro magnis Viris de magia accuſatis*, *Cap.* 17. Gallicè ſcripta, *pag.* 565. edita Amſtelodami, 1715. *in*-12. Hyppolitus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Deſiderius Eraſmus, in *Epiſtolis*: Philippus Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum*, *pag.* 15. Antonius Teiſſerius, in *Catalogo Auctorum*, *pag.* 30. Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula univerſali Auctorum Eccleſiaſticorum*, *tom.* 1. *pag.* 881. Georgius-Matthias Konigius, in *Bibliotheca veteri & nova*, *pag.* 127. Caſimirus Oudinus, in *Commentar. de Scriptor. Eccleſ. tom.* 5. *pag.* 5739. *lin.* 28. &c.

E Carmelitis, Ubalterus de Terra nova, in *Vita B. Soreth*, *Cap.* 16. *pag.* 34. *Edit. Rhedon.* Joannes Palæonydorus, in *Epiſtola ad Rev. P. Rumoldum Laupach*, quæ præfigitur ejus *Faſciculo tripartito*, *tom.* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 221. *num.* 936. Petrus Lucius, in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 7. Joannes-Baptiſta de Lezana, *tom.* 4. *Annalium ad annum* 1499. *num.* 5. *pag.* 1001. Ludovicus à Sancta Tereſia, in *Succeſſione Eliana*, *Cap.* 551. *pag.* 574. Alegreus Caſſanatus, in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 377. ubi perperàm ſcribit Boſtium obiiſſe anno 1501. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 5. & 506. Idem, *tom.* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 374. *num.* 1129. & *pag.* 375. *num.* 1552. Ibidem, *tom.* 2. *pag.* 886. *num.* 2997. *pag.* 1014. *num.* 3540. & *pag.* 1107. *num.* 3923. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Auctuario ad Cap.* 7. *Auberti Miræi* de origine & incrementis Ordinis Carmelitarum, *pag.* 212. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 36. ubi ſatis accuratè locutus non mihi videtur, dicens Boſtium ſenem obiiſſe: Nam anno 1494. quo Trithemius ſuam de Scriptoribus Eccleſiaſticis Bibliothecam abſolvit, *adhuc Gandavi ætate virili* Boſtius componebat opera, ut refert ipſe Trithemius, *Cap.* 930. Quin & Boſtius *Priorem* ibi gerebat, teſte Antonio Sandero, *tom.* 1. *Flandriæ illuſtratæ*, *Lib.* 4. *Cap.* 5. *pag.* 256. *virili*, inquam, ætate componebat *annos ætatis XLV.* ſupergreſſus, inquit, Joannes-Albertus Fabricius, in *Notis ad Caput* 930. *Bibliotheca Trithemii citatum.* Senex autem dicendus-ne homo eſt virilis ætatis, cui additi ſunt quinque tantùm anni, quando mortuus anno 1499. die 4. Aprilis, ad ſenectam tendens?

CCLXXXII.

ARNOLDUS A SANCTO CAROLO, Belga, Carmelita Clericus, natus eſt *Bellioli*, in Flandria Occidentali, ex honeſtis, Catholicisque parentibus, PETRO HANS & MARIA LAVIX, die 27. Octobris 1650. in Carmeli Ordine Profeſſus 1671. die 17. Maii, obiit in eodem Mechlinienſi Carmelo, cum magna ſanctitatis fama, anno 1672. die 5. Septembris, anno ætatis 22. nondum completo: ſepultus in hujus Cœnobii Clauſtro ad partem Auſtralem. In Sepulchro ejus, ad parvum lapidem album hæc appoſita eſt Epigraphe:

D. *O.* *M.*

HIC JACET VENERABILIS FRATER
ARNOLDUS A SANCTO CAROLO,
ALIIS HANSENIUS, BELLIOLANUS CLERICUS,
QUI IN ODORE SANCTITATIS VIXIT,
ET OBIIT IN HOC CARMELO
DIE VI SEPTEMBRIS, ANNO M. DCLXXII.

Scripſit pro ſuo uſu *Libellum* per modum Scrinioli ſpiritualis, in quo recondidit ſelectiſſima ſublimis perfectionis exercitia, quæ ipſe ſedulò gerebat. Libellum hunc digeſſit, & in Flandricum traduxit & edidit R. P. Michael à S. Auguſtino, quondam Provincialis Carmelitarum Provinciæ Flandro-Belgicæ, ſub hoc titulo: *Scriniolum ſpirituale piorum exercitiorum, & efficacium ſtimulorum ad vitam virtuoſam, chriſtianam & perfectam, manuſcriptorum & exercitiorum per Venerab. Frat.* ARNOLDUM A SANCTO CAROLO, *&c.* Gandavi, anno 1677. *in*-12. Flandricè.

Vitam ejuſdem Arnoldi ibidem typis mandavit eodem anno 1677. Contracti præfatus Michael à S. Spiritu, Flandricè; cujus quidem vitæ compendium ſeu ſynopſim Latinè reddidit Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1031. *num.* 3582. & *ſeqq.* Vide inferiùs, *tom.* 2. verbo MICHAEL A SANCTO AUGUSTINO.

CCLXXXIII.

ARNOLDUS DE LIMONE, natione Gallus, Provinciæ Narbonæ Carmelita, ſacræ Theologiæ Doctor, in Capitulò Generali Montis Peſſulani, anno 1420. inſtitutus fuit Lector Bibliorum Toloſæ, pro ſeptimo anno, Carolo Burgundo Nivernenſium Comiti à Confeſſionibus: anteà, ſcilicet anno 1431. ex Pœnitentiario Eccleſiæ S. Joannis Lateranenſis, ad idem munus gerendum in Eccleſiam S. Petri tranſlatus, deindè anno 1436. electus eſt Epiſcopus Bethleemitanus, ſexto Kalendas Decembris, uſque ad annum 1466. quo ſenex obiit.

Scripſit in *quoſdam ſacræ Scripturæ Libros Commentaria*, quæ dictavit Toloſæ, poſt annum 1420.

De illo agunt *Acta Conſiſtorialia* EUGENII IV. Sammarthani, in *Catalogo Epiſcoporum Bethleemitanorum*, inter Epiſcopos Antiſſiodorenſes, inſerto Galliæ Chriſtianæ. Liber Mſ. Ordinis Carmelitici, *folio* 31. Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1431. *num.* 3. *pag.* 820. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 5. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 912. *num.* 3173. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Præſulum ex Ordine Carmelitico aſſumptorum*, *Mſ.* Nonnulli vocant eum ARNALDUM.

CCLXXXIV.

ARNOLDUS DE TRONCA, Toloſanus Carmelita, ſacræ Theologiæ Doctor, non vulgaris famæ, doctrinâ ac virtutibus ornatus, ac in negotiis peragendis prudentiſſimus, & Procurator Generalis ab anno 1351. ad annum 1366. ſic enim nominatur in Capitulis Generalibus Toloſano 1351. cum Toloſæ tum eſſet Prior, Perpinianenſi 1354. Ferrarienſi 1354. & Burdigalenſi 1358. atque Trevirenſi 1362. ubi & Prior Toloſæ nominatur, nec-non ſocius Joannis Baliſtarii, Prioris Generalis, deſignatur. Suſpicatur Lezana eumdem eſſe atque ARNALDUM AMATI, qui in Capitulo Metenſi anno 1348. Prior Curiæ Romanæ vocatur, ac anteà eodem munere honeſtatur in Comitiis Generalibus Mediolanenſibus, anno 1345. Lugdunenſibus, 1342. & Lemovicenſibus, 1339.

ARNOLDUM ſive ARNALDUM DE TRONCA, vel DE TRENKA commemorant Auguſtinus Biſcarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*. Joannes-Baptiſta de

Lezana, *tom.* 4. *anno* 1348. *num.* 5. Ibidem, *anno* 1362. *num.* 3. Ibidem, *anno* 1363. *num.* 9. scilicet *pag.* 591. 636. & 640. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mss. Procuratorum Generalium Ordinis Carmelitani*: Quid autem scripserit non indicant.

CCLXXXV.

ARNOLDUS A JESU MARIA, Carmelita Discalceatus, Polonus, edidit idiomate Latino:

1. *Manuale devotionis erga S. Joseph.* 1682. *in-8°.*

2. *Septenam sacram pro recolendis doloribus & gaudiis S. Joseph.* Latinè & Polonicè, 1687.

CCLXXXVI.

ARNOLDUS A SS. PETRO & PAULO, Italus, Excalceatus Carmelita Provinciæ Mediolanensis, edidit *Collationum spiritualium Eremitarum Carmelitarum Discalceatorum Marianensium, tomos duos, in-4°*, quorum primus editus est Leodii, anno 1698. Secundus Murinæ, 1722. Primus dum ejusdem Eremi erat Superior, secundus in suam Provinciam redux.

CCLXXXVII.

ARSENIUS A SANCTO ANTONIO, Italus Carmelita Discalceatus, in *Sabinis* ortus, Professionem emisit Romæ in Conventu *Sanctæ Mariæ de Scala*, *anno* 1678. Pluribus annis socius R. P. Caroli Felicis, præpositi Generalis, obiit Prior Conventûs *S. Sylvestri* in Tusculano, anno 1703. postquam edidisset sermone Italico Opus inscriptum:

Stimulus devotionis ergà Beatissimam Virginem de Monte Carmelo. Romæ, semel & iterùm, *in-8°.* In Opere isto tractatur de confraternitatis antiquitate, gratiis & privilegiis à summis Pontificibus ei concessis, sicut notatur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 43.

CCLXXXVIII.

ARSENIUS A PRÆSENTATIONE, Calaber, *Lauranus*, Carmelita Excalceatus, Prior Consentinus anno 1661. Concionator magni nominis ac Theologus, scripsit,

Epistolam Apologeticam, quâ probat *Vaticinium Joachimi*, Abbatis Florensis, non competere Augustinianis Eremitis, sed Carmelitis Discalceatis; in quo quidem vaticinio dicitur quod *surget Ordo qui videtur novus, & non est: indutus vestibus nigris, & desuper accinctus zonâ pelliceâ.*

De isto Arsenio loquitur Gregorius de Lauro, Abbas Sagittariensis, Ordinis Cisterciensis, in *Beati Joachimi, Abbatis Florensis, mirabilium veritate defensa, Cap.* 51. *pag.* 186. & 187. ut notat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 36.

CCLXXXIX.

ASPAHAENSIS Cœnobii Carmelita Excalceatus Anonymus, Missionarius Apostolicus in Persarum Monarchia, scripsit *Breviarium novi Martyrii quinque Persarum*, Italicè, quod posteà Latinè versum prodiit Coloniæ, apud Bernardum Gualterum, anno 1624. *in-4°.* Ita Paulus ab omnibus Sanctis *in Schedis Mss.* ad Ludovicum Jacob, qui eas citat in sua *Biblioth. Carmelit. Mss. pag.* 36.

CCXC.

AUGUSTINUS ABARIUS, natione Italus, patriâ Patavinus, sacræ Theologiæ in Academia Ticinensi Doctor laureatus, Orator egregius ac facundus, obiit sub mense Novembri anni 1593. Duo reliquit Opera, quorum inscribitur,

1. *Oratio de regno Philosophiæ*, Patavii habita, & anno 1580. edita *in-4°.* apud Laurent. Pasquat.

2. *Oratio de perfectione humana per literas humaniores acquirenda*, Patavii habita mense Decembri, & ibidem edita *in-4°.* anno 1587. Hæc Oratio incipit: *Si quis est qui miretur, &c.* Nuncupatur Rev. Patri Laureto, Provinciali Carmelitarum Provinciæ Venetiarum.

Augustinum Abarium commendant Ludovicus Perez de Castro, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. folio* 152. *verso.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca* itidem *Carmelitana Mss. pag.* 37. Elias de Amato, in *Schedis Mss.* ad nos missis anno 1748.

CCXCI.

AUDOMARUS A SANCTO BERTIO, Belga, Carmelita antiquioris Observantiæ, in Provincia Flandro-Belgica professus, & quondam Supprior, obiit *Antuerpiæ*, anno 1689. die 28. Februarii, ætatis 45. professionis 25. & sacerdotii 22. postquam edidisset Opera quæ inscribuntur:

1. *Christianus interior*, Gallicè datus à Domino de Bernieres, in Latinum sermonem versus, prodiit Antuerpiæ, anno 1686. tomis quatuor *in-8°.*

2. *Deus solus*, Gallicè scriptus à Dom. Henrico Boudou, Latino idiomate donatus prodiit Antuerpiæ, anno 1686. *in-8°.*

3. *Thesaurus aureus divinarum Monitionum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis*: Latinè; Antuerpiæ, anno 1687. *in-12.* Hæc accepimus ex *Schedis Mss.* quas ad nos Bruxellis Aurelian benignè misit R. P. Illuminatus à S. Spiritu, Syndicus Procurator Carmelitarum Flandro-Belgicæ Provinciæ, anno 1741. die 13. Augusti.

CCXCII.

AUGUSTINUS BISCARETUS, natione Italus, patriâ Cheriensis (vulgò *Chieri*) Provinciæ Lombardiæ alumnus, sacræ Theologiæ Magister & Doctor Romanus, ab epistolis fuit & secretis Reverendissimo P. Priori Generali Theodoro Stratio, à quo in Bohemiam missus, Pragam pervenit, quo tempore hæc obsideretur à Suecis civitas, in qua die 4. Octobris lue obiit, anno 1639. aliis 1638. Scripta ejus sunt,

1. *Relatio de Canonisatione S. Andreæ Corsini, Ordinis Carmelitarum.* Italicè: *Allegrezze fatte in Roma dalli Reverendi Padri Carmelitani, per la Canonizazione di Santo Andrea Corsino.* Anno 1624. Romæ, *in-4°.* apud Jacobum Mascardum.

2. *Favores singulares, quibus Beata Virgo Ordinem Carmelitarum decorare dignata est.* Italicè: *Favori singolari con i quali la Beata Vergine si è compiacciuta adornare la sua Religione.* Ms.

3. *Descriptio Miraculi patrati à Beata Virgine Maria, in favorem cujusdam, qui Cremonæ liberatus fuit à suspendio.* Italicè: *Signalatissima gratia fatta dalla B. V. Maria del Carmine, à Giovanni Battista Bazia detto Zamarino, li 22. di Marzo 1625.* Cremonæ, eodem anno, suppresso Scriptoris nomine. Hæc Relatio etiam prodiit *tom.* 1. *Speculi Carmelitani, pag.* 606. & 607. *num.* 5343. & *seqq.* omisso quoque Auctoris nomine: sed recensetur in Catalogo Operum Augustini Biscareti, qui eum posteà Ludovico Jacob tradidit.

4. *Bullarium Ordinis Carmelitarum*, Ms.

A.

5. *Historia Carmelitarum Astensium Conventûs*. Mss.

6. *Necrologium Carmelitarum Conventûs Cremonensium*. Mss.

7. *Catalogus Scriptorum Carmelitarum Sub-Alpinorum*. Mss.

8. *Palmites Vineæ Carmeli*. Lib. I. *in-folio Mss.* qui cum aliis Manuscriptis ejusdem Biscareti Operibus asservatur Romæ,in Bibliotheca Carmelitarum S. Mariæ Transpontinæ. Hic autem Liber non omni ex parte accuratè scriptus videtur nonnullis Carmelitis, sed non mirum, quia Auctor morte præventus illum absolvere non potuit.

Augustinum Biscaretum commendant Andreas Rossoti in *Syllabo Scriptorum Pedemontii.*, *pag.* 87. Leo Allatius, in *Apibus urbanis*. Hyppolitus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tom.* 2. *pag.* 245. Philippus Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum*, *pag.* 18. Antonius Teisserius, in *Catalogo Scriptorum*, *pag.* 31. Michael Justinianus, in *Bibliotheca Ligustica*, *primâ parte*, *pag.* 91. ubi non omnino verè appellat nostrum Biscaretum, Scriptorem accuratum, sicuti notant,

E Carmeliris Joannes-Baptista Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1296. *num.* 3. *pag.* 468. & *Consulto* 2. *de Officiis Sanctorum*. Ludovicus Perez de Castro, in *Collectaneis Mss. folio* 140. *verso*. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1081. *num.* 3727. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 37. &c.

CCXCIII.

AUGUSTINUS GUARDIUS, Mantuanæ Congregationis Carmelita, edidit sermone Italico *Thesaurum cœlestem*: in quo refert indulgentias Templis Ordinis Carmelitarum concessas, & miracula patrata B. V. Mariæ de Monte Carmelo ope, & ex variis Auctoribus collecta. Brixiæ, anno 1611. & Venetiis, anno 1621. *in-8°*. Ita Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3728. & Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 36.

CCXCIV.

AUGUSTINUS A JESU MARIA, Hispanus natione, patriâ Vallisoletanus, inter Carmelitas Excalceatos Pastranæ professus, semel & iterum Provincialis Definitor Generalis, obiit Cordubæ anno 1675. postquàm edidisset duos tantùm Libros, cùm alios plures è thesauro mentis suæ proferre potuisset vir humilis. Hi sunt Hispano idiomate,

1. *Arte de orar Evangelica mente*: sive Latinè, *Ars concionandi evangelicè*. Conchæ, 1648. *in-4°*.

2. *Vita V. M. Ludovica Magdalenæ à Jesu, Comitissæ de Paredes*. Matriti, 1705. *in-4°*. *posthuma*.

De illo dicunt Nicolaus Antonius, *tom.* 1. *Bibliotheca Hispanæ*, *pag.* 137. & *tom.* 2. *pag.* 655. Martialis à Sancto Joanne, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 43.

CCXCV.

AUGUSTINUS A S. JOSEPH, in provincia superiori Bæticæ natus, & inter Carmelitas Excalceatos professus: Vir inter omnes sui temporis in Theologia Scholastica,Positiva, Mystica, in Historia sive sacra sive humana peritus, eruditissimus, plurima reliquit Opera Mss.

1. *Animadversiones in Historiam Propheticam*, *in-4°*. Extabant Malacæ anno 1711. sed furto sublatæ sunt.

2. *Directorium pro frequenti Communione Monialium*, extat Giennii, *in-4°*.

3. *Discretio spirituum*, *in4°*. Extabat Malacæ, Biatiæ, nunc solùm Giennii reperitur.

4. *De Sphæra*, *in-4°*. Hispali servatur.

5. *De Theoria Planetarum*, ibidem, *in-4°*.

6. *De Geographicis Elementis*, ibidem, *in-4°*.

7. *Apologia pro Religiosis qui student Mathematicis*, ibidem, *in-4°*.

8. *Epitome* omnium Operum D. Augustini, cui extremam feliciter adhibuit manum, anno 1640. pauló post moriturus *Hispali*, in Collegio S. Angeli Custodis; ut dicitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 44.

CCXCVI.

AUGUSTINUS NUNEZ DEL GADILLO, natione Hispanus Provinciâ Bæticus, in *Cabra* oppido Diœcesis Cordubensis natus, Cœnobii Carmelitarum antiquiorum Granatensis filius, vix dum vigesimum ætatis annum attigerat, cum publicus factus est Philosophiæ in Ossunnensi Musæo Professor, uno civitatis ore conclamatus. Ex Bætica *Valentiam* adductus est pro Verbo Christi prædicando. *Cæsar-Augustam* inde vocatus, in ejus Xenodochio Regali, quatuor habuit, inconcussâ annorum serie, ad populum Quadragesimales cursus, grandi animorum fructu, & lucro grandi eleemosynarum hujus Xenodochii. Imperialis Juratorum, quos vocant Patriæ Patres, Senatus singularem Augustino Nuñez, Cathedram instituit, annuo duplicato Ducatorum censu, pro eo quod publicè ipse Theologiam doceret, in audita Auditorum concursu turmatim ad eum confluentium *Matriti*, ubi admirationem Curiæ Philippi IV. Catholici Regis sibi comparaverat. Obiit anno Christi 1631. ætatis suæ 59. cujus funus apud Sodales suos celebratum spisso nobilium atque sacrorum hominum defuncti Sanctimoniam acclamantium comitatu processit die 2. Augusti Oratione funebri habitâ per R. P. Domnum PLACIDUM MARTO FRANGIPANE, ex Clericis Minoribus Sociumque Typis Carpentanæ: Mantuæ vulgata est. Scripsit plura, sed edidit tantùm,

1. *De la Victoria de los Justos celebrada per David el Psalmo XVII.* Cujus argumenti volumina quatuor se daturom promiserat: sed primum ad excellentissimum Ducem de Cardona dicatum prodiit Granatæ, anno 1618. apud Martinum Fernandez Lambrano, *in-4°*.

2. *Primera, y segunda parte de Sermones de Quarasma*. Matriti, anno 1629. *in-4°*.

3. *Breve declaracion del Arte de Raimundo Lullo*. Granatæ, anno 1623. *in-8°*.

4. *Abecedario espiritual ad Margaritam infantem*.

5. *Desposorios de Christo, y el alma sobre el Psalmo XLIV.* Quinque tomis.

6. *Estados del Alma*, Lib. I. quinque partibus divisus.

7. *Hambre de Dios*, *seu fames Dei*. Libro singulari.

8. *Brevedad de la Vida*. Lib. I.

9. *Fortaleza del Alma*, *seu fortitudo animæ*. Lib. I.

10. *Humildad, y sus excellencias*, *sive de humilitatis excellentia*. Lib. I.

11. *Lazos de Amor sobre el Pater noster*, *seu amoris vincula super Orationem Dominicam*. Lib. I.

12. *Querellas de Amor*, *id est Querimonia Amoris*. Lib. I.

A.

13. *Inconstancia de fortunâ, sobre el Evangelio del Rico avariento.* Lib. I.

14. *Toques divinos sobre el Evangelio del Prodigo*, id est *Tractatus divini super*, &c. Lib. I.

15. *Provechos de la Communion, sive utilitas Communionis.* Lib. I.

16. *Concepcion de Nuestra Señora sin pecado Original.* Lib. I.

17. *Del Amor de Christo al alma: sive Amor Christi erga animam.* Lib. I.

18. *Espuela de Amor divino, id est Calcar amoris Divini.* Lib. I.

19. *In primam Partem D. Thomæ Commentaria*, uno Volumine, Hispanè.

20. *Sermo in Beatificationem S. Teresiæ habitus.* Matriti anno 1615. *in* 4°. qui legitur in Collectione R. P. Josephi à Jesu Maria.

21. *Alia opera*, quorum titulos reperies in *Parodiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 499.

Augustinum Nuñez celebrant Laudibus & Scriptis R. P. Placidus Martus Frangipanus Ordinis Minorum in *Oratione funebri citata.* Hippolytus Maraccius in *Bibliotheca Mariana*: Petrus de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptionis*: Emmanuel Roman in *Catalogo Scriptorum Carmelit.* Nicolaus Antonius *tomo* 1. *Bibliotheca Hispana*, *pag.* 138. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 37. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1077. *num.* 3765.

CCXCVII.

AUGUSTINUS *ab omnibus Sanctis*, natione Italus Carmelita Excalceatus, (a) *Manopoli* defunctus, Vicarius Cœnobii, edidit Italicè Librum, cui titulus est, *Chori Novem Angelorum.* Neapoli, anno 1698. *in*-4°.

CCXCVIII.

AUGUSTINUS A REGIBUS, Hispanus, in seculo dictus Cartasio, (b) *Astigiensis* patria, Carmelita Discalceatus, Pastræ professus primò Laicus, posteà Sacerdos, S. Teresiæ charus & familiaris, sacræ Theologiæ Professor Granatensis, Prior Cordubensis anno 1586. Provinciæ Bæticæ Provincialis, posteà Definitor Generalis, magnus virtutum Cultor, migravit propè *Solanum* in Bætica anno. 1596. & ejus corpus integrum asservatur in Conventu Aquilarensi, miraculis coruscans.

Scripsit *Dissertationum Theologicarum* opus insigne quod asservatur Ms.

De illo mentionem habent S. Teresia in *suis operibus*: Didacus Yepez in *Vita S. Teresiæ*; Franciscus Ribera in *Vita ejusdem S. Teresiæ*: Aubertus Miræus in *Præfatione ad Librum de Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum*: Jacobus Gafarellus in *Politissima Typo S. Teresiæ.* Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 38. Ludovicus à S. Teresia in *successione Eliæ*, *Cap.* 276. & 278. *pag.* 633. 634. 644. & *seq.* Franciscus à S. Maria, *tom.* 1. *Histor. Carmelit. Excalceat. Hispaniæ*, *Lib.* 2. *Cap.* 33. 43. 44. & 45. Ibidem, *Lib.* 5. *Cap.* 17. Ibidem, *Lib.* 6. *Cap.* 17. 47. Ibidem, *Lib.* 7. *Cap.* 40. & alibi.

Hieronymus à S. Joseph, *tomo* 1. *Annalium ejusdem Congregationis*: Philippus à SS. Trinitate in *Compendio Historiæ Carmelitanæ.* Isidorus à S. Joseph, *tomo* 1. *Annalium*, *Cap.* 17. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1052. *num* 3640.

(a) *Monopolis* est Urbs Regni Neapolitani in Provincia Bariensi.

(b) *Astigi* est Urbs Hispaniæ Bæticæ.

CCXCIX.

AUGUSTINUS A SANCTIS, Provincià Calaber, in *Murano* (quod oppidum est Brutiorum, vulgò *Morano*, Castrum Regni Neapolitani in Calabria citeriori, in monte situm in confinio Basilicatæ) natus è familia *de Feolè*, Carmelita Excalceatus, vir ingenio profundissimo perspicacique præditus, Concionator eximius, & per multos annos Romæ nec-non Melitæ Lector Philosophiæ ac Theologiæ, plurimis & diversis in Conventibus Prior, peste mortuus anno 1656. Definitor & Vicarius Provincialis, postquam scripsisset Italicè,

1. *Un Trattato de Trinitate; opera assai Stimata dal Padre Fra Modesto à S. Gregorio*; cujus opera recensebuntur, tomo secundo.

2. *De Angelis in Compendio.*

3. *Sermoni sopra la Regola primitiva de Carmelitani Scalzi, con la Dedicatoria ad Alessandro settimo suo Penitente, è Consultore de S. Officio, essendo Priore in Malta.*

Hæc scribebat Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 6. anno 1678. edita. Unde liquet hunc Augustinum à Sanctis distinguendum esse ab altero Carmelita Excalceato Italo, qui Augustinus à Sanctis omnibus edidit Italicè librum, cui titulus, *Novem Chori Angelorum*, Neapoli, anno 1698. *in*-4°. & obiit in Cænobio Monopolitano. Quæ *Monopolis* est Urbs Regni Neapolitani in Provincia Barensi, in Apulia, & in ora sinûs veneti, inquit Michael Baudran, *tom.* 1. *pag.* 607. *Geographiæ.*

CCC.

AUGUSTINUS SCHIAFFINUS, Genuensis, & Cœnobii Montis Oliveti in ora Ligustica Professus Carmelita & Prior, Poëta non ignobilis, rerumque historicarum, patriæ singulariter peritus, obiit in prædicto Cœnobio, die 20. Martii 1649. ætatis soprà 70.

Scripsit *diversa Poemata* typis edita Genoæ.

Item reliquit *Annales Ecclesiasticos* Genuenses, quinque tomis *in-folio* absolutos, *Mss.* prout legitur *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3728.

CCCI.

AUGUSTINUS SUAREZ, Hispanus Carmelita, Doctor Theologus, Provincialis Bæticæ, edidit *Statuta quædam pro Carmelitis Hispaniæ.* Hispali, 1573.

De illo mentionem habent Hyppolitus Marraccius in *Pontificibus Marianis*: Petrus de Alva, in *Militia immaculatæ Conceptionis*: Joannes Pintus à Victoria, lo *Hierarchia Carmelitana.* *N.* Oxeda, *de Conceptione Beatæ Virginis Mariæ*: Franciscus à S. Maria, *Lib.* 3. *Hist. Carmelit. Excalceat. Hispaniæ*, *Cap.* 1. & 22. Ludovicus à Sancta Teresia, in *successione Eliæ*, *Cap.* 277. *pag.* 636.

CCCII.

AUGUSTINUS A S. TERESIA, natione Italus, Carmelita Discalceatus, Goani Carmeli in Indiis Prior, scripsit *Relationem itineris & Martyrii*, quod subierunt in Insula Summatra Achiensi, Ven. P. DIONYSIUS A NATIVITATE, Gallus Neustrius, & Fr. REDEMPTUS A CRUCE, Lusitanus;

A.

Lusitanus; quæ prodiit Romæ, apud Dominicum Manelfium, *in-8°*. Italicè, & Gallicè apud Ludovicum à S. Teresia, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, Lib. II. Cap. 20. pag. 351. & seqq.*

Augustinum à S. Teresia auctorem hujus Relationis nominat Paulus ab omnibus Sanctis, in *Schedis Mss.* missis ad Ludovicum Jacob, qui eas in testimonium appellat, *pag. 38. Biblioth. Carmelit. Ms.*

CCCIII.

AUGUSTINUS A VIRGINE MARIA, natione Armoricus, patriâ Leonensis, in seculo dictus GUILLELMUS DE GOAZMOAL, Patris Irenæi à Sancto Jacobo, de quo inferiùs; Frater, Carmelita Provinciæ Turoniæ alumnus, anno 1640. die 20. Augusti, *Rhedonis* professus, Philosophiæ posteà & sacræ Theologiæ Professor, Anno 1660. Hennebontensis, & anno 1669. Prior Aurelianensis, in Capitulo Nannetensi anno 1672. in primum Definitorem electus, deinceps Vicarius Generalis Parthenonis Nazarethani ad Venetum in Armorica institutus: Vir moribus candidus, in negotiis peragendis prudentissimus, & singulari eruditione præclarus, obiit anno 1689. die 27. Junii, in præmemorato Parthenone Venetensi. Edidit,

1. *Theologiæ Thomisticæ Cursum in sex tomos divisum.* Parisiis, apud Edmundum Couterot, anno 1660. *in-12.*

2. *Privilegia omnium Religiosorum, ordine alphabetico juxtà materias digestam.* Lugduni, sumptibus Horatii Boissat, & Georgii Remens, anno 1661. *in-8°*. Vol. 1.

3. *Philosophiæ Aristo-Thomisticæ Cursum sex Voluminibus distinctum.* Lugduni, apud Horatium Boissat & Georgium Remens, anno 1664. *in-12.*

4. *Breviarium Juris Canonici, Ms.*

Augustinum à Virgine Maria commendant *Acta Mss. Provinciæ Turoniæ.* Item *Acta Capitularia Mss. Conventûs Aurelianensis.* Franciscus Bonæ-spei, in *Visione Eliæ.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 38. Idem, in *Bibliotheca personata Ms. pag.* 32. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1089. *num.* 3829. Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Ms. illustrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ, pag.* 26. Ubi & *pag.* 18. memoratur.

CCCIV.

AUGUSTINUS A SS. SACRAMENTO, Rhedonensis filius, pius ac devotissimus, animarum saluti promovendæ propensissimus, qui multas equidem Christo animas tum privatis colloquiis, tum publicis sermonibus lucratus est. Decem & octo annis paralyticus, forti animo & inconcussâ patientiâ infirmitatem suam sustinuit. Cessit è vivis *Andegavi*, anno 1635. Unus fuerat è primis Carmelitis Rhedonensibus, qui Exercitia spiritualia Reformationis amplexi sunt septimo Kalendas Maii 1615. Dolensis nuperrimè reformati Cœnobii Prior anno 1617. & inter Reformationis Definitores quartus nominatus in Congregatione septima quæ celebrata fuit Ploërmeli, die 29. Septembris 1625. sicuti refert Hugo à Sancto Francisco, in *Vita Venerabilis* PHILIPPI THIBAULT, *Cap.* 15. 18. & 37. *pag.* 119. 142. & 270.

CCCV.

AURELIUS REGINUS DE CREMA, Italus, Congregationis Mantuanæ Carmelita; & hujus Vicarius Generalis Bononiæ, anno 1593. electus, sacræ Theologiæ Doctor, vir prudentiæ, & sapientiæ, nec-non morum honestatis famâ percelebris. *Quædam Opera* scripsisse fertur, sed horum titulos non assignant, qui de illo mentionem habent Petrus Lucios, in *Catalogo Vicariorum Generalium Congregationis Mantuanæ*, Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 440.

CCCVI.

AUSTREMIUS FARNETANUS, Carmelita Theologus, an Anglus? *Farnia* enim est Insula parva Angliæ in Oceano Germanico, ad oram Northumbriæ. An Italus? nam S. STREMONIUS, Arvernorum primus Episcopus, à Romanis Episcopis est directus, teste S. Gregorio Turonensi, *Lib. de Gloria Confessorum, Cap.* 30. *pag.* 918. Quo tempore vixit FARNETANUS? quo anno suum scripsit *Amphiteatrum Eliæ?* Non assignat Paulus ab omnibus Sanctis, Carmelita Discalceatus, qui Auctorem hunc, & hujus Auctoris istud Opus exhibet in *Auctuario Capitis septimi Auberti Miræi, de Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum.* Neque certius aliquid profert Ludovicus Jacob, qui Paulum exscripsit in *Biblioth. Carmel. Ms. pag.* 38.

B.

I.

BALDUINUS LEERSIUS, natione Gallo-Belga, Carmelitarum antiquioris Observantiæ Attebatensium Supprior, totus in exscribendis & seligendis testimoniis, quæ ad honorem Beatæ Virginis Mariæ Ordinis Carmelitici præluceut Auctorum, occupatus, obiit anno 1483.

Scripsit » *Collectaneum Exemplorum & Miraculorum :* Qualiter gloriosissima Dei Genitrix Virgo » semper Maria, Carmelitarum Fratrum Patrona » singularissima, & singulare refugium, Ordinem » suum, & Fratres provexit, protexit, ampliavit, » exaltavit, quotidie honorat & custodit.

Extat Opusculum istud in volumine *Ms.* Cœnobii Carmelitarum Mechliniensis; in quo alia multa antiqua ejusdem Ordinis monumenta continentur exarata, anno Christi 1484. Et indè, atque etiam ex altero vetusto Apographo *Ms.* inter se collatis, prodiit typis Antuerpianis, *in-folio anno* 1680. *tom.* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 364. *num.* 1488. Ast ex alio Epigrapho Ms. Romæ in Conventu S. Mariæ Transpontinæ asservato, Joannes-Baptista de Lezana transtulerat in suum Librum, cui titulus: *Maria Patrona.*

Tractatus iste Leersii, qui tredecim in Capita dividitur, aliquid vix continet, quod in aliis ejusdem Ordinis Carmelitani Scriptorum Antiquiorum monumentis reperiatur. Sed hic non omittendus ab eo citatus LUDOLPHUS SUCHENSIS, Ecclesiæ Parochus, qui in quibusdam Codicibus ILLUDOLPHUS DE SUCHEM vocatur. Hic ad Balduinum, Comitem de Stainfort, Paderbornensis Ecclesiæ Episcopum, composuit circa annum 1335. Librum de *Terra Sancta*, *& itinere suo Hierosolimitano*, *& mirabilibus in mediterraneo mari conspectis*, atque aliis, quæ istâ quinquennii peregrinatione didicisset; in quo Libro hæc habet:

» Juxtà Æcon, à dextris ad tria millia, non longè » à mari, est Mons Carmeli, qui est planus & spa- » tiosus : & desuper pulchris, multisque herbis & » amœnitatibus decoratos. In hoc monte Elias dege- » bat, & multa miracula faciebat: In quo monte » pulcherrimum cernitur stetisse Monasterium in ho- » norem S. Mariæ factum; & Fratres, qui de ipso » originem sumpserunt, CARMELITÆ dicti sunt » usque in præsentem diem; itidem & quindecim » cernuntur in Terra Sancta habuisse Claustra.

Balduini Leersii laudes celebrant Hyppolitus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana :* Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *ad annum* 1483. *num.* 7. *pag.* 958. Wastelius, in *Notis ad Librum de institutione Monachorum :* Philippus à SS. Trinitate, in Vita S. Angelæ, quæ legitur in *Decore Carmeli*, *parte* 1. *pag.* 112. Lodovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 39. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 378. *num.* 687. Ibid. *pag.* 505. *num.* 906. Idem, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1107. *num.* 3924.

II.

BALTHAZAR A S. CATHARINA SENENSI, Italus, Bononiensis patriâ, ubi professionem emisit anno 1615. inter Carmelitas Excalceatos: Philosophiæ ac Theologiæ Professor, Prior in diversis locis, Definitor & Provincialis Longobardiæ, ac tandem Procurator Generalis, obiit Romæ, anno 1673. die 6. Decembris. Eximium & eruditum Opus Idiomate Italico edidit inscriptum :

1. *Splendores reflexi Sapientiæ cœlestis*, emissi *à gloriosis Hierarchis*, *Thoma Aquinate & Teresia à Jesu, supra arcem interiorem.* Cremonæ, anno 1671. *in-folio.*

2. *Epistola Pastoralis ad Religiosos suæ Provinciæ Longobardiæ*, scripta die 15. Decembris, anno 1644. in qua, occasione vicinæ festivitatis Natalis Domini, Superiores hortatur, ad inferiores amandos. Extat in Collectione Mediolanensi Epistolarum Pastoralium, *pag.* 324.

3. *Ascensus Animæ ad Deum*, quæ ad divinam unionem aspirat: quem in Italicum idioma vertit & edidit *Romæ*, 1664. ex Hispanico sermone per Josephum à Jesu Maria edito *Matriti*, typis Didaci Riaz de la Carrera, anno 1656. *in*-8°. ut observavit Ludovicus Jacob.

Balthazarem nostrum commendant non solùm is Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 38. sed etiam Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1127. *num.* 3962.

III.

BALTHAZAR NIETO, posteà A JESU, natione Hispanus, patriâ Zafranus in Estramadura, professionem antiquioris Observantiæ Carmelitanam emisit Hispali, sed exindè tertius post Joannem à Cruce atque Antonium à Jesu, Carmelita Discalceatus, Pastranæ secundi hujus Instituti Cœnobii & Novitius anno 1570. & Vicarius; & paulò post primus Prior anno scilicet 1571. quo Reformationem Teresianam professus est; cujus exemplo plures antiquioris Observantiæ Religiosi ad novellam transierunt. Vir potens opere & sermone, pœnitentiæ cupidus, & in concionibus dicendis fervidus, atque Catholico Hispaniarum Regi Philippo II. percharus.

Scripsit *Sermonum Volumina*, quæ *Mss.* credunt asservari in Bibliothecis Carmelitarum Excalceatorum Hispaniæ.

De illo agunt S. Teresia, *Cap.* 6. *Fundationum :* Didacus Yepez, in *Vita* hujus *S. Teresiæ*, Franciscus Ribera, in *Vita* ejusdem: Franciscus à Sancta Maria, *tom.* 1. *Histor. Reformat. Lib.* 2. *Cap.* 28. 30. 31. 36. 43. 44. & 45. Ibid. *Lib. III. Cap.* 1. & sæpè. Ibid. *Lib. VI. Cap.* 7. Philippus à SS. Trinitate, in *Compendio Historiæ Carmelitanæ :* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 39. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1044. *num.* 3620. Ludovicus à Sancta Teresia, in *Successione Eliæ*, *Cap.* 72. *pag.* 628. ubi renovationem nostri Balthazaris anno uno differt.

IV.

BALTHAZAR LIMPO, Lusitanus, currente anno 1478. *Mauræ*, quæ antiquum est & illustratæ Transtaganæ Provinciæ oppidum, sub Ebroensi Diœcesi, ex RODERICO LIMPO, & AGNETE ROCHA, nobilibus parentibus or-

B.

tus, in patrio Ordinis Carmelitani Cœnobio vota Religiosa dixit ad annum circiter 1495. Literis ac Monasticâ disciplinâ excultus, & docere sacram scientiam ex Cathedra, & multitudinem ex pulpitis verba faciens, cum per tempus licuit, Christiano ritu instruere ferventer est agressus. *Ulyssipone*, ubi tunc primaria Lusitaniæ Academia, quæ posteà anno 1534. *Conimbriam* translata, florebat; primarium, docendi publice Theologiam, locum obtinuit, diu tenuit, magnoque Auditorum confluxu & fluxu moderatus est.

Concionandi munus Apostolico planè præscripto tractavit: Reges, quorum ordinarius Prædicator fuit institutus, Aulam, Curiam & Populum arguens, obsecrans, saleque suæ Doctrinæ increpans, pari omnium approbatione Ordinum avidissimè auscultabatur. CATHARINÆ AUSTRIACÆ inclytæ Heroinæ, JOANNIS III. Lusitaniæ Regis piissimæ conjugi, Regiæque proli à Confessionibus. Plurimùm apud Reges ipsos & Principes auctoritate, rerumque gerendarum peritiâ valuit.

Nec adeò hisce publicæ Rei arduis negotiis se detineri passus est homo ad plura, eaque altiora natus; quin sodalitio ornamentum, fratribus domicilia, & (quod maximum est) integræ Lusitaniæ Provinciæ decorem pristinum, religiosâ disciplinâ revocatâ sollicitus procuraret: adeo ut Martinus à *Portugallia*, in Lusitaniæ Regnis, cum potestate plena Legati à latere, eo tempore Nuncius Apostolicus, Kalendis Januarii 1528. nostrum Balthazarem tunc Provincialem, postulante Serenissimo dicto JOANNE III. Rege Lusitaniæ, ad sex annos proximè futuros reformatorem Ordinis sui Carmelitici & personarum illius atque Præsidentem constituerit. Igitur sexennio isto Lusitanicam Provinciam rexit & auxit, iteratis vicibus in Præfectum Provincialem assumptus, cum pridem Ulyssiponensis domûs regimen Prior tenuisset.

Anno 1536. die 15. Novembris eligitur Episcopus *Portucalensis* (vulgò *Portuensis*, vernaculè *Porto*.) Ubi, quantum pro Domo Dei in spiritualibus & temporalibus amplificanda laboraverit & insudaverit, opera in ipsam collata, pleniùs notum faciunt. Constructo enim anno 1529. Templi primarii Choro, & Libris, pro divinis Officiis concinendis, abundè instructo, aliisque in sedis ac Capituli commodum pariter, & decorem peractis, Diœcesanam Synodum, ad diem 2. Octobris, vergente anno 1540. celebravit. Ad Concilium Tridentinum à præmemorato JOANNE III. Lusitaniæ Rege, unicus inter illius regni Antistites, missus, *Tridentum*, labente anno 1546; (ut conjici datur) ingressus, Sessioni sextæ, die 13. Januarii 1547. celebratæ affuit & subscripsit. Pariter septimæ, die 3. Martii habitæ & Congregationibus, super Concilii in alium locum translationem coadunatis, interfuit. In octava Sessione, quæ ad decimum diem celebrata fuit, *Professus se paratum ad utrumque Concilium, dummodo res concorditer procederet.* Tridenti *Bononiam* profectus 15. Septembris ejusdem anni, in hanc urbem concessit; & in ea civitate Concilium continuandum firmiter sustinuit in Congregatione 25. Februarii 1548. At verò cum effectus voto non corresponderet, nec Synodales actos debito cum fervore procederent; diutius *Bononiæ* immorari, minus utile arbitratus, *Romam* se contulit, urbem sub finem Septembris ingressus.

Magnam illic famam sibi comparavit, & multum egit, ut sanctæ *Inquisitionis* Tribunali in Lusitaniæ Regno, ea amplitudo, ea suprema auctoritas, quâ diu valuit, PAULO III. ipsius firmissimis argumentis ad annuendum ducto, concederetur. Jam ab eodem Pontifice maximo obtinuerat anno 1547. die 21 Octobris, ut Ecclesia Parochialis *S. Vincentii de Alsena* Portugalensis suæ Diœcesis uniretur Collegio Carmelitarum Conimbriensi *B. V. Mariæ Conceptionis* quod ex suis propriis bonis, sumptuosis ædificiis, pro usu & habitatione quindecim Collegialium Fratrum dicti Ordinis, Theologiæ & Artibus studentium à fundamentis constructum ornarat anno 1542. Cum & ipse JOANNES III. Lusitaniæ Rex annuos redditus usque ad summam trecentorum Ducatorum ascendentes pro dicti Collegii dote & sustentatione eidem Collegio assignaverat.

Reversus postmodùm in patriam & *Portum* Balthazar, hujus sedem ad annum usque 1550. tenuit: Quo currente, ad diem 23. Maii Archiepiscopus *Bracharensis*, ibi Primas Hispaniarum nuncupatus, qui urbis pariter est Dominus, ablectus est. Die 18. Septembris anno 1550. fuit ipsi concessum *Pallium*: Ad hæc, ut Regi à sanctioribus Consiliis esset destinatur. Nobilioribus in hunc modum, totius Lusitaniæ dignitatibus omnibus, plenè insignitus. Plura in urbe Metropoli, amplissimaque Diœcesi, pastoralis sollicitudinis, pietatis ac beneficentiæ monumenta exhibuit: inter quæ, duo illa primum locum habere videntur, & census perpetuus studiis publicis *Bracharæ* addictus, & Reliquiarum B. PETRI Martyris, primi Bracharensium antistitis, in oppidulo *Rates*, in Metropolitanum Templum translatio: eleganter hic exornato sacello, ac quinque institutis Capellanis, qui divini Officii pensum quotidie persolventes, bis ad aram celebrant. Post octo circiter annos in sede Bracharensi propè exactos, & plures rerum heroicè gestarum vicissitudines, quibus Ecclesiam suam, & totum Portugalliæ Regnum illustraverat, *Bracharæ* ad diem 31. Martii, anno Christi 1558. ætatis 80. decessit LIMPUS, in Sacello, quod pretiosâ supellectili & dote instruxerat, ad pedes S. PETRI RATENSIS, ex ultimis testamenti tabulis, sepultus. Cujus elogium breve ac elegans scripsit Gaspar Alvarez Lousada, his verbis:

» Emmanuele Soza vitâ functo, Balthazar Lim-
» pus, è Carmelitana familia Monachus & Portuen-
» sis Episcopus, Primatialem Bracharensem dignita-
» tem capessit. Fuit vir profectò nunquam satis lau-
» datus; sive mores, sive doctrinam & eloquentiam
» in concionando, sive justitiam in gubernando con-
» sideres: Fuit corpore mediocri & robusto, vultu
» sereno & amabili, oculis candidis: Religiosorum
» & doctorum hominum fautor & Literarum studiis
» eruditus. Quotidianus illius sermo tam elegans &
» cultus erat, ut præmeditatò, & ex arte videretur
» loqui. In reliquiis, magni animi, liberalis & mirè
» clemens. Octogenarius, ferè albescente polo, fe-
» riâ quintâ, ultimâ die Martii, anno 1558. ani-
» mam exhalavit. « Scripsit,

1. *Constitutiones pro Reformatione Carmelitarum Provinciæ Lusitaniæ*, quas promulgavit post annum 1528. quo Reformator & Præsidens declaratus est ejusdem Provinciæ ad sex annos.

2. *Constitutiones Synodales*, quas promulgavit vergente anno 1540. Episcopus Portuensis. *Hæ Constitutiones*, inquit Rodericus de Cunha, *multâ eruditione conceptæ, in magnam hujus & finitimarum Diœcesum utilitatem, diu in viridi observantia, usque ad novæ Synodi, post generalem Tridentinam Celebrationem, fuerunt.*

3. *Sermones varios*: quorum ratione Limpus vocatur ab Illustriss. Dom. Martino de Portugallia, Nuncio & Legato Apostolico, non solùm *Provincialis in sacra Theologia Magister, sed & verbi Dei Præco celeberrimus.*

Balthazarem Limpum magnis celebrant encomiis

B.

mox vocatus Martinus de Portugallia in suis literis ad eum datis Ulissipone anno 1528. Kalendis Januarii, quæ prodierunt, *tomo 2. Bullar. Carmelit. pag.* 40. Ubi testatur Carmelitas Lusitanæ Provinciæ ab hinc aliquot annis in viam salutis reductos & *reformatos fuisse citra non minori studio, & sollicitudine, quam vitæ sanctimonia dilecti in Christo Fratris Balthazari.* Joannes-Baptista de Rubeis, totius Ordinis Carmelitarum Prior Generalis, qui anno 1567. ab obitu Balthazaris nono, Lusitaniam ex munere lustravit, *in suo Regesto, folio* 208. Rodericus de Chuna, Archiepiscopus Bracharensis cùm in *Historia Ecclesiastica Portûs, parte 2. cap.* 25. tum in *Bracharensi Historia, parte 1. cap.* 18. *& parte 2. cap.* 80. Georgius Cardosus, *tomo 2. Agialogii, ad diem* 31. *Martii.* Gaspar Alvarez Louzada in *Elogio nostri Balthazaris* apud eumdem Cardosum citato. Gaspar Barrareyros in *Literis* de nostro Balthazare, *datis Romæ 22. Novembris* 1547. apud Rodericum de Chuna relatis, *cap.* 80. *Historiæ Bracharensis citato.* Antonius Vasconzellos in *Descriptione Lusitaniæ, pag.* 437. Franciscus Longus à Cariolano in *Summa Conciliorum.* Gaspar Estacus in *Antiquitatibus Lusitaniæ, cap.* 25. *num.* 14. Ignatius Morales in Encomio Conimbriæ. Nicolaus Antonius, *tomo 2. Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 319. Ubi Balthazarem nostrum obiter commemorans, vocat *Virum clarissimum.* Ludovicus Isaac Lemaître, vulgò Dominus de Sacy in *vita Bartholomæi à Martyribus Gallicè scripta, cap. 5. pag.* 28. Edit. *in*-8°.

E Carmelitis, Pintus à Victoria in *Hierarchia Carmelitana:* Simon Cohelo in *Chronico Carmelitico:* Didacus à Coria in *Dilucidario Carmelitico:* Philippus à S. Jacobo sivè de Sant-Iago in *Catalogo illustrium Carmelitarum.* Daniel à Virgine Maria, *tom. 2. Speculi Carmelitani, pag.* 912. *num.* 3174. *& seq.* Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 39. *&c.* Alegreus Cassanatus in *Paradisa Carmelitici Decoris, pag.* 395.

V.

BALTHAZAR LIMPO, Junior, Lusitanus, Carmelita Ulyssiponensis, Viri Clarissimi (Verba hæc profert NICOLAUS ANTONINUS) Balthasaris Limpi Præsulis Bracharensis pronepos; sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, diversis in locis Prior, & anno 1637. Præfectus Provinciæ Portugalliæ & Algarbiorum creatus pro suis Sodalibus. Antè Provincialatum hunc absolutum, obiit anno 1689. Scripsit Hispano Idiomate,

1. *Doze fugas de David de seu imigo Saül:* sivè Latinè, *De fuga David à facie inimici sui Saül.* Hoc est, expositio literalis & moralis in primum Librum Regum, à cap. 18. ad caput 27. Ulissipone 1641. typis Antonii Alvarez, *in-folio.* Laudant hunc Librum Petrus de Alva, in Appendice *Militiæ Conceptionis.* Nicolaus Antonius, *tomo 2. Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 318. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 40. quem exscripsit Jacobus Lelong in *Bibliotheca sacra, pag.* 1216. lineâ ultimâ.

2. *In D. Thomam Commentaria*, quæ morte præventus absolvere non potuit: teste præfato Ludovico Jacob *ibidem;* ut & rectè commemorat inter eos qui nostrum Limpum citant, Franciscum Bonæ spei in *Visione Eliæ.*

VI.

BALTHAZAR ROMAYA, natione Germanus, patriâ Coloniensis, Carmelita antiquioris Observantiæ, Doctor Theologus Lovaniensis, anno Domini 1609. die 17. Novembris promotus Coloniensis Prior, primus Coloniæ, seu alterius inferioris Germaniæ Provinciæ Præfectus. Nam anno 1613. in Comitiis Generalibus Romæ celebratis in Festo Pentecostes, quo in Generalem Priorem electus est Rev. P. Sebastianus Fantonus. » Cum Provincia » inferioris Germaniæ duabus, Germanicâ videlicet » & Brabanticâ, partibus constaret, & ideò Prior » Provincialis dictæ Provinciæ illius Domos regula- » res, cum propter nimiam à se distantiam, tum » etiam idiomatis seu linguarum diversitatem, sine » gravibus expensis & incommodis ac vitæ periculo » visitare non possit: Definitores Capituli hujus Ge- » neralis, instantibus dictæ Provinciæ Fratribus eam- » dem Provinciam in duas invicem distinctas, Ger- » maniæ videlicet inferioris, & Coloniæ Provincias; » quarum quælibet per proprium Provincialem regi, » & gubernari deberet, diviserunt. At Germaniæ in- » ferioris Ferdinandum de sancto Victore, qui anteà » totius Provinciæ Provincialis existebat, Colonien- » sis verò Provinciarum hujusmodi Priores Provin- » ciales Baltazarem Romaya respectivè constituerunt » & deputarunt. » Quæ divisio confirmata fuit Brevi Apostolico PAULI V. Romani Pontificis eodem anno 1613. die 30. Decembris.

Porrò noster Balthazar Romaya, post turbulentissima hæreseum & bellorum in Germania grassantium tempora, magno animo, & pietatis zelo Conventum Coloniensem, ingenti gravatum ære alieno, ab eo suâ industriâ exemit. Monasterii fabricam, multùm amplificavit, & ad formam pro Religiosa juventute, in studiis & Novitiatu, juxta Ordinis statuta, & Pontificum Decreta, instituenda, educanda, & conservanda, aptiorem redigere cœpit; quamvis aliundè impeditus, opus ad suam completam perfectionem perducere nequiverit.

Plurimos, pro Fratrum studentium usu, ad Bibliothecam Coloniensem libros procuravit. Literarum studia, quæ temporum injuriâ, & bellorum adversitatibus, in Provincia sua languebant, seu potius quasi in semine extincta erant, insigni prudentiâ, & dexteritate ressuscitavit, & instauravit. Hinc merito, ut instaurator istius Conventûs, & Provinciæ, Venerabilis est. Post multos labores, *Boppardiæ*, morbo correptus, anno 1620. die 6. Octobris, piè in Domino obiit, in Choro sepultus.

Opera nonnulla scripta reliquit, quæ Mſſ. in Bibliotheca Carmelitarum Boppardiensi latitare creduntur.

Celebrem de eo memoriam faciunt Valerius Andreas in *Fastis Academicis studii Generalis Lovaniensis*, editis Lovanii, apud Hieronimum Nempeum 1650. *in*-4°. PAULUS V. Pontifex Maximus in *Constitutione* quæ incipit: *Christi fidelium*, jam citatâ, & *tomo 2. Bullar. Carmelit. pag.* 369. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 40. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1012. *num.* 3533.

VII.

BAPTISTA CATANEUS, quem nonnulli vocant JOANNEM-BAPTISTAM DE CATHANEIS, Carmelita Venetus, Doctor Theologus, Prior Veronæ, Paravii, & in patria, deindè Provinciæ Venetiarum Provincialis, qui reliquit plurimos libros pro libraria, casulas quinque, planetas de serico Sacristiæ, unum velum: qui annuatim dedit Conventui ducatos quatuordecim, & multa alia bona, ad Cœlos conscendit anno à partu Virginis 1532. die 24. Junii. Sui rebus Ordinis edendis valdè impensus plurima de illo tractantia, & ab

B.

ab aliis Carmelitis Scriptoribus composita Typo tradidit,

1. Speculum Carmelitarum. *Venetiis, an.* 1507. *in-fol.* Quod Opus est Collectio sat indigesta plurimorum Monumentorum ad sacrum Ordinem B. V. Mariæ de Monte Carmelo spectantium: ratione cujus Daniel à Virgine Maria, *tom.* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 823. *num.* 3098. fateri non dubitavit CATANEUM esse Auctorem incorrectum.

2. Missale Carmelitarum etiam correxit, jusso Reverendiss. Baptistæ Mantuani, editum Lugduni 1516. *in-folio*, si fidem dabis Ludovico Jacob, in *sua Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 189.

3. Codicem manuscriptum Bibliothecæ Vaticanæ, *num.* 3813. *de Vitis Sanctorum Carmelitarum* scripsit, teste Joanne-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1307. *num.* 7. *pag.* 492. lineâ penè ultimâ. Verùm & idem Lezana ad an. 1186. num. 4. pag. 96. animadverterat quia *Codex ille Vaticanus haud paucis, nec levibus mendis scatere conspicitur.* Quinam Autores sint illarum Vitarum, vide infra, ubi de PETRO ANDREA.

De Baptista Cataneo loquuntur Aubertus Miræus in *Auctuario Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, *Cap.* 486. Daniel Papebrochius, *tom.* 1. *Act. Sanct. Aprilis, die* 8. *ad Cap.* 4. Vitæ Sancti Alberti Jerosolimitani Patriarchæ, *num.* 30. *pag.* 775. ubi eum jocosè confutans ait: *Magister Baptista Cataneus . . . Scriptor tam antiquus, ut neque Gesnero, neque Lucio Belgæ in Bibliotheca Carmelitana innotuerit.* Casimirus Oudinus, *tom.* 3. *Commentariorum de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *pag.* 2255. Irenæus à S. Jacobo, *de singulari Virginis protectione*, *pag.* 39. Emmanuel Roman, *de Scriptoribus Ordinis Carmelit.* Daniel à Virgine Maria, *tom.* 1. *pag.* 522. *num.* 2091. Ibidem, *tom.* 2. *pag.* 273. *num.* 984. & alibi passim. Ludovicus Jacob, *loco citato*, & insuper in *Catalogo Monasteriorum Ordinis Carmelitani*, *Ms. pag.* 267. De eo Necrologium Carmelitarum Venetorum. Philippus Dubois, Doctor Sorbonicus, nomen ejus recitat in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 244. *num.* 220. ubi Librum ab eo editum Venetiis, 1507. appellat *Speculum Carmeli.* Vide inferiùs JOANNEM BAPTISTAM CATANEUM.

VIII.

BAPTISTA FERRARIENSIS, aliàs PANETIUS, natione Italus, Congregationis Mantuanæ Carmelita, & bis Vicarius Generalis, scilicet *Reveri*, anno 1485. & *Brixiæ*, anno 1493. electus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor. HERCULI primo Duci Ferrariæ à Consiliis & Secretis: Vir non tantùm omnis generis disciplinarum cognitione clarissimus, verùm etiam Linguarum Græcarum, Latinarum, &c. peritissimus, & præter quamdam præclaram pietatem, magnis animi dotibus à Deo illustratus. Theologus sanè, Philosophus, Historicus, & Poeta egregius, migravit *Ferrariæ*, anno 1497. die 27. Martii. Scripsit multa instructa volumina, quibus nomen suum longè latèque divulgavit, inquit Trithemius; quibusve se utilem præsentibus & notum posteris reddidit. Horum è numero feruntur,

1. *Historia à Christi nativitate ad sua usque tempora*, quam *floridam* inscripsit. Lib. I.
2. *Chronica Ordinis Carmelitarum.* Lib. I.
3. *Chronica Ferrariensis.* Lib. I.
4. *De Ruina Imperii Romani.* Lib. I.
5. *De Monte Sina.* Lib. III.
6. *De Vita Melchtildis.* Lib. I.
7. *Epigrammata ad diversos.* Lib. I.
8. *Sermonum opus insigne* Bononiæ impressum, apud Benedictum Calcographum, anno 1506. & dicatum Reverendissimo Baptistæ Mantuano.
9. Convertit de Græco in Latinum *Complures Sermones S. Joannis Chrysostomi.*

De Baptista Ferrariensi sivè Panetio laudes celebrant, Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. Cap.* 890. Idem *Lib. de Scriptor. Ordinis Carmelit.* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 168. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 8. Paulus Longius in *Citizensi Chronico.* Gerardus-Joannes Vossius, *Lib. III. de Historicis Latinis*, *cap.* 11. *pag.* 657. Paulus Morigia, *Lib. de Religionibus.* Jacobus Gaddius, *tomo* 1. *Scriptorum non Ecclesiasticorum.* Hieronymus Ghilinus in *Theatro Illustrium Literatorum.* Jacobus de Plebe in *Indice Scriptorum Carmelitarum.* Joannes-Albertus Fabricius in *Notis ad cap.* 890. *Bibliothecæ Trithemii*, & in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 1. *pag.* 451. Joannes-Baptista de Lezana ad *annum* 1486. *num.* 7. *pag.* 963. Ibidem, *anno* 1493. *num.* 7. *pag.* 985. sed præcipuè *ad annum* 1494. *num.* 5. *pag.* 989. Alegreus Cassanatus, *pag.* 369. *Paradisi Carmelitici Decoris.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 24. Aubertus Miræus *de Scriptoribus Seculi XVI. cap.* 13. &c.

IX.

BAPTISTA FERRARIUS, natione Italus, & Religione Carmelitanâ Mantuanus, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor cùm apud suos Sodales, tùm apud extraneos auditores: Vir comitate morum, pietate religionis, & eruditionis famâ celebris, scripsit circa annum 1525.

1. *In Philosophiam Commentaria Mss.* Quæ Mantuæ asservantur in Bibliotheca Carmelitana.
2. *In Theologiam Scholasticam & Moralem Commentaria* Mss. ibidem.
3. *Opera nonnulla Spiritualia* Mss. ibidem.
4. *Poemata* seu potius *Poëses Latinas* Mss. ibidem.

Ita referunt Philippus à Sant-Iago in *Catalogo Virorum Illustrium Ordin. Carmelit.* Joannes-Maria Pensa in *Theatro Virorum Illustrium Conventûs Mantuæ.* Marcus-Antonius Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 389. Ubi simpliciter vocatur *Ferratus Italicus*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 40. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptor. Carmel. pag.* 72.

X.

DISSERTATIO

De Vita & Scriptis BAPTISTÆ MANTUANI.

BAPTISTA SPAGNOLUS MANTUANUS, à Mantua patria sua sic denominatus, die 17. Aprilis, anno 1444. ortus ex nobili viro PETRO SPAGNOLO. Quo anno Ordinem Carmelitanum ingressus fuerit, vix novi: ex nonnullis tamen circà 1464. Quidquid sit, magno pietatis zelo reformationem Mantuanam, quæ quadraginta ab hinc annis florescere cœperat, & ingenti splendoris honore augescere, est amplexus, eamque plurimis summorum Pontificum gratiis & privilegiis ditari curavit, cùm inprimis hujus Congregationis in Vicarium Generalem fuisset electus, 1°. *Novelariæ* an. 1483. tùm *Mantuæ* 1489. Posteà *Mutinæ* 1495. Deindè *Novelariæ* 1501. Deinceps *Mutinæ* 1507. Et tandem sexto *Ferrariæ* anno 1513. Quin & eodem anno in Comitiis Generalibus Romæ celebratis die 22. Maii, tametsi absens in Priorem totius Ordinis Generalem assumptus fuit.

Quæ pius hic Prior pro sibi commissi gregis conservatione gesserit, quis enarrare poterit? Verbo

B.

& exemplo, quibus præerat, proficere curabat; cunctos, aut fratres, vel filios, eos præsertim, quos per reformatæ vitæ tramitem incedere conspexerat, diligebat. Carmelum Mediolanensem, prope portam Comensem situm reformavit anno 1508. postulante nobili viro Carolo Dom. Clarimontis Christianissimi Regis Francorum in Italia locum tenentis Generalis. Eamdem reformationem anno 1514. in Conventu Pistorii promovit ad postulationem Vexilliferi & primorum Civium ejusdem Urbis. Ordinis Congregationibus nedum Mantuanæ, cujus ipse alumnus, sed & Albiensi nuper emergenti opem ferebat: Quæ enim, vel specie tenùs, strictioris Observantiæ specimen præbebant, fovere, sui officii partes esse jure existimabat.

Restricta illi fuerat Generalis auctoritas, in Capitulo Generali proximè præcedenti, circa Provinciales in suis officiis non impediendos, & Conventus Religionis observantioribus Fratribus non concedendos: nihilominus, quâ poterat industriâ, Provinciales rectè in officii munere exercendo se gerentes ope & consilio fovebat; negligentibus autem, arguens, obsecrans, increpans, in omni patientia & doctrina aderat. Quia tamen in Capitulo Romæ anno 1513. congregato statutum erat ut Provinciales per sexennium in Provincialatu gerendo permanerent, credens hoc Fratrum & Domorum Ordinis statui prospero in spiritualibus & temporalibus adversari, à summo Pontifice Leone X. Breve impetravit, quo decernitur ut ex tunc in perpetuum Provinciales ad triennium duntaxat eligi, & deputari deberent. Quod quidem Breve Sigismundo S. Mariæ Novæ Diacono Cardinali Mantuano, & Bernardino de Senis Vicario Generali, nonnisi post mortem nostri Baptistæ Spagnoli Mantuani, datum est, die 22. Martii, ann. 1517. Incipit: *Dudum pro parte quondam Baptistæ Mantuani.*

Sicut invitus ad summum in Ordine Carmelitano fastigium conscendit, ita & ultraneus triennio post deseruisse communiter dicitur apud Scriptores, abdicans se Generalatu, partim quod imparem se oneri præ humilitate putaret, partim ut meliùs Deo, sacrisque studiis vacaret, mortuus anno 1516. Mantuæ: XI. Kalendas Aprilis, juxtà Gerardum-Joannem Vossium, sed XIII. Kalendas Aprilis, juxtà alios, die Dominicæ Cœnæ, ætatis anno suæ 68. Ast si sponte honorem Generalatûs deposuit, hunc paucis diebus ante mortem abdicavit; nam Leo X. Pontifex Maximus Joan. Baptistam de Parma constituens ejus Successorem, ait in Literis Apostolicis die 30. Martii 1516. anno quarto sui Pontificatûs: » Cum, » sicut accepimus, quondam Baptista Mantuanus, dum » viveret, totius Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de » Monte Carmelo Prior Generalis nuper fuerit vitâ » functus: Nos qui dictum Ordinem in visceribus » gerimus charitatis, cupientes eidem, ne, sine ca- » pite existens, contingat ipsius Ordinis Fratres & » personas à virtutum & veræ religionis via deviare, » opportunè providere, ac de te, quem aliàs præ- » dictus Baptista pro tuis singularibus virtutibus in » Vicarium tunc Generalem in toto Ordine creavit, » & illius Visitatorem deputavit, ac omnes Fra- » tres illi subjectos tuæ Jurisdictioni subjecit; & » Nos etiam occurrente obitu dicti Baptistæ, Præ- » sidentem, ac Vicarium Generalem in Capitulo » Generali dicti Ordinis fecimus & constituimus, » plurimum in Domino confidentes, &c.

Baptistæ Spagnoli Mantuani corpus adhuc integrum & incorruptum anno Christi 1640. vidit Mantuæ Ludovicus Jacob, in Sacello B. Virginis Mariæ de Monte Carmeli. Quod simile testatur Philippus à SS. Trinitate, in ejus Vita dicens: Nunc venerabile Corpus magna cum pietate in primo Ecclesiæ Mantuanæ Sacello ad lævam ingredientium asservatur & colitur: quod in sua perseverans incorruptione vidi ipse anno Domini 1656. In ejus memoriam Sebastianus Murrho, Colmariensis Canonicus, Epitaphium sequens lusit:

D. O. M.

Clauditur hoc saxo Vir nulli laude secundus,
Maxima Carmeli spesque decusque soli:
Contulit huic laurum triplicis facundia linguæ,
Exculto tantùm præstitit ingenio!
Quicquid enim laudis Latium vel Græcia docta,
Quicquid & Hebræus possidet, hic meruit.

Franciscus Swertius in Deliciis Orbis terrarum; duo sequentia Mantuani Epitaphia refert.

D. O. M.

Alter hic jacet à Marone Vates,
Natus Mantuæ, & quidem Poëta
Dignior titulo, nisi incidisset
In fluctus varios scientiarum;
Quo Musas coluit minore curâ:
Primus hic tamen à Marone natus
Mantuæ, coluit Poëta Musas,
** Andinosque bibit sacro ore fontes.*

Vixit annos LXXII. natus 1444.

Aliud:

D. O. M.

Mantua me genuit, tenuit quoque Mantua. Sacros
Nunc mea nunc cineres Mantua cara tenet.

Opera Baptistæ Mantuani primùm edita separatim, edita sunt posteà simul collecta *Parisiis*, anno 1513. *in-folio*, cum Commentariis Murrhonis, Brantii & Ascensii, tribus Voluminibus, quorum duo duntaxat appellantur in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 393. *num.* 72. Recentiori tamen editione & ampliori prodierunt Antuerpiæ, 1576. ex recognitione Laurentii Cuperi, Carmelitarum inferioris Alemaniæ Provincialis. Continentur,

Tomo Primo,

Initio Voluminis, Epistola Dedicatoria ad Joannem-Baptistam Rubeum, totius Ordinis Carmelitici Priorem Generalem, in qua Laurentius Cuperus Baptistam Hispaniolum vindicat ab ea, quam in eum tulerunt inofficiosa censura Paulus Jovius, & Lilius Gregorius Cyraldus.

1. *Baptistæ Mantuani Psalmi septem*; quos Bononiæ edidit, dum civitas illa lue premeretur lethali anno 1482. Hi Psalmi, quos ipse Mantuanus prosaicà methodo scripsit, ibi primùm excusi ipsissimi sunt, quos Ludovicus Ellies Dupin perperam *metro* compositos affirmat in *Tabula universali Authorum Ecclesiasticorum*, *tomo* 1. *pag.* 918.

2. *Apologeticon in Mastigophoros & castigatores suorum operum.* Prosaicè prodierat Lugduni 1528. *in-4°.* apud Guidonem Morinum. Baptistæ adversarii aiebant levibus ipsum oblectari studiis, virum Carmina dedecere Religiosum: Poesim inventum esse Gentilium, & propterea respuendum, quo-

* *Andes* Vicus est propè Mantuam Urbem, ubi natus est Virgilius.

B.

niam falsa deridendaque contineat : propter humana studia vapulasse Hieronymum, & liventes scapulas reportasse : multa in Poetarum libris obscœnè dicta, turpiter facta recitari : Evangelia simplici nudoque sermone tradita ; & apud Boetium Severinum à Philosophis vocari Musas Scœnicas Theatralesque meretriculas. Hæc sunt præcipua objectamenta, quibus noster Mantuanus eruditione omnium Scientiarum divinarum humanarumque genere fœtâ responder.

3. *De horum temporum calamitatibus libri tres*, metricè, ficut & alia opera tribus voluminibus prioribus contenta. Peculiaris horum trium librorum Editio prodiit *Bononiæ* anno 1489. *in-4°*. Alia *Daventriæ* anno 1492. *in-4°*. Duplex alia cum Commentariis Jodoci Badii Ascensii, *Parisiis* anno 1499. & 1505. *in-4°*. Dicantur hi tres libri Rever. Dom. Oliverio Carafæ, Sabinensi Episcopo & Cardinali Neapolitano, qui posteà Ostiensis Episcopus, Cardinalium Decanus, Romæ obiit octogenario senior, die 20. Januarii, anno 1511. Longarum Navium novemdecim Præfectus à Sixto IV. institutus fuerat an. 1472. ad bellum cum Venetiarum Republica gerendum adversus Turcas, quos denominat noster Mantuanus, *Lib.* 1. *pag.* 2. reversâ, & *pag.* 3. rectâ.

4. *Bucolica seu adolescentia in decem Eglogas divisa*, à pag. 57. ad pag. 97. In Epistola dedicatoria ad *Paridem Caresarium* Kalendas Septembris 1498. data, notat Auctor Eglogas octo priores à se in Gymnasio Paduano, dum Philosophiæ studeret, elaboratas fuisse, antequam Religiosam vestem indueret : ex his proindè quædam *juvenilia deleantur* exoptat. Bucolica isthæc decem prodierunt separatim, *Commentariis Jodoci Badii Ascensii* illustrata, *Parisiis*, anno 1502. *in-4°*. Item *Daventriæ*, anno 1505. *in-4°*. Item cum iisdem *Commentariis Notisque Joannis Murmellii*, Coloniæ, anno 1565. *in-8°*. Item alia Ingolstad. 1570. *in-8°*. Citatur in *Bibliotheca Classica Georgii Draudii*, *pag.* 1518. Michael de Ambacia Dominus de Chevillon Eglogas Gallico sermone donavit sub hoc titulo : *Les Bucoliques de Baptiste Mantuan, contenant dix Eglogues. A Paris, chez Denis Janot*, 1530. *in-4°*. Laurentius de la Graviére, posteà quarumdam Eglogarum interpretationem Gallicam publici juris fecit. *Les premiere, seconde, troisiéme, quatriéme & sixiéme Eglogue de Frere Baptiste Mantuan, de l'Ordre des Carmes. La premiere, traitant de l'honnête amour & heureuse issuë d'icelui. La seconde, de l'amour folle & enragée. La troisiéme, de la malheureuse issue d'amour folle. La quatriéme, de la nature des femmes ; & la sixiéme, de la difference d'entre les Rustiques & les Citoyens. A Lyon, chez Jean Temporal*, 1558. *in-8°*.

Quinta Egloga agit *de consuetudine Divitum erga Poëtas*. Septima, *de conversione juvenum ad Religionem* Monasticam, cujus *paginâ* 83. *versâ* Auctor memorat suum in Carmelum ingrediendi propositum. Octava, *de rusticorum Religione*. Nona, *de moribus Curiæ Romanæ*. Decima, *de Fratrum Observantium*, seu Mantuanæ Congregationis sectatorum, & *non observantium*, sivè antiquioris regularis instituti Carmelitici asseclarum *controversia*, circa colorem vestis religiosæ, quam gerere tenentur Carmelitæ, uti jam explicuimus superiùs, *pag.* 144. & 145. *atque* 146. Eclogæ cum notis excusæ sunt Coloniæ anno 1688. *in-12°*. sicuti notat Basnagius in *Histor. operum eruditorum*, *anno* 1688. *Octobr. pag.* 194. quem exscripsit Fabricius in *Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis*, *tom.* 1. *pag.* 453.

5. *Contrà Poëtas impudicè loquentes Carmen*, à pagina 97. ad paginam 99. inclusivè.

6. *Epigrammatum ad Falconem Protonotarium* Liber. Omnia hujus libri Carmina ad dicti Falconis laudes tendunt, duobus exceptis, quorum alterum, *pag.* 102. *ad Pomponium Lætum ; alterum*, *pag. centes. undec. versâ ad Philippum Baveriam* dirigitur. Quis fuerit Pomponius Lætus gravi encomio demonstrat Gerardus-Joannes Vossius, Lib. III. de Historicis Latinis, cap. 8. pag. 613. & seqq. & Joannes Pierius Valerianus, Lib. II. de Literatorum infelicitate, pag. 376. » Pomponium Lætum, » ait, tanti nominis Professorem, & emunctæ vin» dicem Latinitatis, post navatam per tot annos » Romanæ Cathedræ operam, totque per univer» sum terrarum Orbem discipulos ad eloquentiæ Ro» manæ puritatem propagandam dimissos, inopem » ad extremum vitam duxisse, oppressumque morbo, » unde se aleret, & curaret non habuisse, ut inse» pultus jaceret, nisi amicorum impensis elatus esset. » Pomponii Læti discipulum fuisse Philippum Baveriam, peste mortuum anno ætatis suæ vigesimo, canit ibidem ipse Mantuanus in *Quærimonia* ad præfatum *Falconem*, *pag.* 113. & 114. *datâ*.

7. *De Contemnenda morte Carmen Elegiacum*, à pagina 118. ad paginam 124. Prodiit etiam Parisiis *in-4°*. absque anno designato.

8. *Consolatio in morte Collæ Asculani*, à pag. 124. ad pag. 134.

9. *In obitu* PETRI NABULARII, *Declamatoris eximii*, *Threni*, à pag. 134. ad pag. 139.

Petrum Nebularium sive Novolarium Congregationis Mantuanæ Carmelitarum Vicarium Generalem commendat Elias Caprcolus Brixiensis in *Epistola ad* JOANNEM TABERIUM : ast fusiùs de illo infrà.

10. *De morte Frederici Spagnoli*, *Fratris sui Carmen ad Ptolomæum Fratrem.*

11. *De morte* JOANNIS SORETHI GALLI, *Carmelitarum Prioris Generalis*, à pag. 143. ad pag. 147. Prodiit etiam ad calcem ejusdem *Sorethi vitæ Parisiis*, anno 1625. apud Josephum Cottereau, *in-4°*. editæ, *pag.* 49.

12. *Quærimonia de morte* ALEXANDRI CORTESII ad Hermolaum Barbarum, à pag. 147. ad pag. 150. Cortesium seu insignem ætatis suæ vatem nominat Mantuanus.

13. *Ad* JOANNEM SABADINUM, *Argenteum pro filii morte Paramythia*, *pag.* 151.

14. *Objurgatio cum exhortatione ad capienda arma contra Infideles. Ad Reges & Principes Christianos.* Prodiit quoque apud Nicolaum Reusner in Collectione inscripta : *De Bello Turcico Orationes & Consultationes*, *tomo* 2. *pag.* 272. Lipsiæ edito 1596. *in-4°*.

15. *De præsidentia Oratoris & Poëtæ* : Carmen ad Joannem-Baptistam Refrigerium, *pag.* 168. usque ad *pag.* 173. Ast *pag.* 170. ait :

Est igitur major bonus Oratore Poëta.

16. *Ad Jacobum Carphorum Ferrariensem, de suscepto Theologico Magisterio.* Quo quidem Carmine docet se Theologiæ doctorali gradu donatum fuisse.

17. *Ad Sigismundum Gonzagam Elegia contra Amorem*, & *de natura amoris*, *Carmen juvenile. pagg.* 175. & 178. Duplex hoc Carmen Linguâ Gallicâ donavit Franciscus de Moyozingen, Sabaudus Annessiensis : *Elegie de Fr. Baptiste Mantuan contre les folles & impudiques amours Veneriennes. Ensemble un Chant juvenil dudit Mantuan, de la nature d'amour. A Anecy*, 1536. *in-4°*. Hujus meminit interpretationis Gallicæ Andreas Rossotti, in suo *Syllabo Scriptorum Pedemontii*, *pag.* 214. ubi vocatur interpres *Franciscus Miossingien.* Ad quem Man-

B.

tuanus noster præsens utrumque Carmen de Amore direxit, illustrissimum Sigismundum Gonzagam eum esse puto quem Ordinis sui Protectorem Cardinalem habuere à JULIO II. institutum anno 1508. die 16. Junii, & anno 1525. defunctum.

18. *Blasius Cappadox, ad Rev. PUCCIUM LAURENTIUM, Cardinalem Sanctorum quatuor, Libri duo.* Hi duo Libri æquè ac quinque sequentes desiderantur in editione Parisiensi *in-folio* 1513. Prodierunt autem separatim iidem *duo Libri* anno 1516. *Lugduni.* Errore typographico *apud Niceronium, tom.* 27. inscribuntur BASILIUS CAPPADOX. Abs LEONE X. anno 1513. Cardinalitiâ dignitate purpuratus est Laurentius Pucci, cui Carmen istud dedicat Poëta Mantuanus.

19. *Nicolaus Tolentinus ad Joannem Tolentinatem, Equitem Auratum, Libri tres, à pag.* 205. *ad pag.* 245. Prodierunt *Mediolani, anno* 1509. *in-4°.* Nimiam Poetæ fidem probant, quæ narrantur *Lib. I. paginâ* 217. versâ, *versu* 15. *& seqq.*

20. *Commentariolus de Bello Veneto anni* 1509. *à pag.* 245. *ad pag.* 271. quæ sic desinit:

Nec vexata fuit tali res Gallica nixu.
Totus in auctores furor est conversus, & hisdem,
Si, Jafrede, notes quo res pervaserit, ipsi
Sunt laqueis capti, quibus illaqueare volebant
Innocuos. Oculis Deus omnia respicit æquis.

21. *Exhortatio ad Insubres & Ligures*, dicata viro amplissimo Jafredo Carolo, Militi, Vicecancellario, & Delphinatûs Præsidenti dignissimo: *à pag.* 271. *vers. ad pag.* 281. *quoque vers.* Utramque Rempublicam ad pacem invicem ineundam hortatur, Gallorum regimen imitando, quod *pag.* 280. ita pingit:

Altera conditio Gallis præstantior. Omnes
Deposito regnandi animo concorditer unum
Suscipiunt Regem: parent concorditer uni;
Sicut apes, quas humanæ Natura creatrix
Finxit in exemplum vitæ. Nam quæ sua Regum
Hoc ratione carens animal, reverentia, monstrat.
Quod nondum plerique hominum didicisse videntur.
Ast hic apud Gallos mos observatur ad unguem;
Nec quid seditio, quid sit discordia, norunt.
Adjice quod nulla est gens relligiosior. Omnes
(Non ignota loquor, nemo est qui nesciat) omnes
Manè susurrantes tremulis altaria labris
Circumstant, & emunt auro libamina multo;
Quod nostri ridere solent, & pendere parvi;
Ut qui sacra minùs delubra, & Numina curant.
Vos ergo Ausonii, quos vel disglutinat ulla
Factio lethalis, vel momentanea semper
Commissura ligat, Deus omnibus arbiter æquus;
Vos, inquam, velut infantes dedit erudiendos.
Gallorum generi, vobis exempla daturo
Optima vivendi, fastumque, odiumque domandi,
Ac majore Deum studio, superosque colendi.

Quis fuerit amplissimus hic Carolus, cui hæc Poëta noster canit? Apud Nicolaum Chotier in Historia Delphinatûs Gallicè scripta, *tom.* 1. *Lib. XI. pag.* 852. vocatur GEOFFRECY CARLES, anno 1510. Princeps Senatûs Delphinatûs constitutus.

22. *Agelariorum Libri sex, ad Consalvum Ferdinandum Agelarium, à pag.* 282. *ad pag.* 374. In hoc Carmine cantatur Origo Historiaque Dynastiæ Agelarianæ.

23. *De Cupidine marmoreo dormiente Silvulæ*, ad ELIZABETHAM, *Mantuæ Marchionissam*, HERCULIS I. ESTÆ Ducis Ferratiensis filiam, anno 1539. defunctam, nuptam autem FRANCISCO GONZAGÆ II. Mantuæ Marchioni, anno 1490.

T O M O I I.

Præfigitur Editoris Epistola dedicatoria LAURENTII CUPERI Carmelitæ, ad Mag. JOANNEM MAIERUM, per inferiorem Germaniam Carmelitarum ab anno 1563. ad annum 1576. Provincialem. Istam Epistolam excipit altera ipsius Auctoris BAPTISTÆ SPANIOLI dedicatoria ad LUDOVICUM FUSCARIUM & JOANNEM-BAPTISTAM REFRIGERIUM, Cives Bononienses, qui Carmelitis hujus civitatis lue infestatis præsentissimâ opem tulerant. Quin & in suas ædes ipsum *Mantuanum* PETRUM NOVELARIUM, atque BERNARDINUM TRIOINUM REFRIGERIUS hospicio susceperat.

24. Parthenicæ primæ, quæ Mariana nuncupatur, Libri tres, à pag. 1. ad 53. Pluries prodierunt, scilicet *Bononiæ*, anno 1488. *in-4°.* Item Venetiis anno 1494. *in-4°.* Item *Parisiis cum Commentariis Jodoci Badii Ascensii*, anno 1502. *in-4°.* Item *Parisiis* anno 1526. *in-8°.* cum hoc titulo: *Parthenica Mariana Fr.* BAPTISTÆ *Mantuani*, *cum* ANDREÆ VAURENTINI *singulorum librorum descriptionibus, & nuperrimè adjunctis marginalibus additionibus, cum Dictionario Alphabetico Domini* JOANNIS THIERRY LINGONENSIS, *utriusque juris Doctoris apprimè trutinato & emuncto, in quo singulorum verborum in hoc volumine contentorum enigmata exanclantur. Ejusdem F. B. M. Apologeticon & Carmen votivum.* Marginales observationes ANDREÆ VAURENTINI *Serrani Tolosani*, ad NICOLAUM BERTRANDUM in Senatu Tolosano *Advocatum*, dirigit Epistola dedicatoria *Monte-Albano* missa die 6. Decembris 1512. Dictionarium *Thierri* duabus paginis contentum, vanis & inutilibus rebus redundat. Commentarius *Badii*, etsi omissus in titulo, in ea editione præstat. JACOBUS DE MORTIERES, Cabilonensis Carmen istud Gallico sermone donavit cum hoc titulo, *La Parthenice de Mariane de* BAPTISTE MANTUAN, *Carme. A Lyon* 1523. *in-4°.* Cujus meminit Bibliotheca Burgunda, tomo 2. pag. 99. Aliam Editionem Gallicam dederat NICOLAUS DADIER Ploermelensis Armoricus Carmelita, Rhedonis, ex Typographia *Titi Hasai* anno 1613. *in-8°.* metricè. JOANNES FERNANDEZ DE LEOESINA vertit in Hispanum idioma, hoc titulo: *Historia Virginal del insigne Poëta* BAPTISTA MANTUANO, *traducida de verso heroïco Latino: Vallisoleti*, 1627. *in-8°.* Cujus mentionem facit Nicolaus-Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 525. Aliam Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 41. appellat editionem Latinam, *Lugduni*, 1499. Cui præfixit Epistolam dedicatoriam ad LAURENTIUM BURELLUM JODOCUS BADIUS ASCENSIUS.

25. *Ad Beatam Virginem Mariam Votum, post febrem acerrimam*, pag. 54.

26. *Ad eamdem Virginem pro extinguenda pestilentia, Oratio*, pag. 56. Hæc eadem pestis videtur quâ grassante SPAGNOLUS Parthenicem Marianam adorsus est elaborandam *Bononiæ*.

27. *Parthenices secundæ, quæ* CATHARINA *dicitur, Libri tres, à pag.* 60. *ad* 100. In Epistola dedicatoria ad Bernardum Bembum, Patritium Venetum, conqueritur Auctor, quod de S. Catharina nullam Eusebius Cæsariensis faciat mentionem sua in Historia Ecclesiastica. Hujus tamen Beatæ illum meminisse *Lib. VIII. Cap.* 27. nonnulli suspicantur eruditi viri, quos inter occurrunt consulendi Sebastianus Lenain de Tillemont, *tom.* 5. *Histor. Eccles. pag.* 447. *&* 761, Claudius Fleury, *tom.* 2. *Histor. Eccles. Lib. IX. art.* 27. *pag.* 644. *Edit. in-4°.*

Idem,

B.

Idem, *tom. 11. lin. 55. num. 52. pag. 106. & Lib. 59. num. 27. pag. 506.* Natalis Alexandec *Cap. 1. in Histor. Eccles. Sec. 4.* Joannes Hesselius, in *Historiarum censura, Cap. 11. pag. 616.* Honoratus à S. Maria, Carmelita Excalceatus, *in Regulis artis criticæ, tom. 1. parte 2. pag. 276.* &c.

28. *Parthenice tertia*, quæ est *Beatæ Margaritæ Agon, à pag. 101. ad pag. 114.*

Ad Illustrissimam ISABELLAM, *Mantuæ Marchionissam.* Utrum certa sint quæ canit Poeta, colliges ex vitis eruditis, quales Sebastianus de Tillemont, *tom. 5. pag. 562. & 597.* Joannes Hesselius, *loco citato, Cap. 7. pag. 619.* Honoratus à S. Maria, *loco citato, parte 1. pag. 146.*

29. *Parthenice quarta, Beatæ Agathæ Agon. pag. 116. ad pag. 121.*

30. *Parthenice quinta, B. Luciæ Agon. pag.* 121.

31. *Parthenice sexta, B. Apolloniæ Agon. Ad Ptolomæum fratrem.* pag. 130.

32. *Parthenice septima, Beatæ Caciliæ Agon.* Ad Elizabellam Mantuæ Marchionissam.

33. *De Vita B. Dionysii Areopagitæ libri tres*, à pag. 160. ad pag. 101. Præfigitur Epistola dedicatoria Jafeedi Caroli in Delphinatûs Senatu Præsidis, ad Stephanum Poncherium Parisiensem Episcopum, & Mediolani Cancellarium.

34. *De Vita & Agone D. Georgii Martyris, libellus, Illustri Viro & Excellentissimo Dom. Joan. Jacobo Trivultio, Marchioni Viglevani, & Franciæ magno Marescallo* nuncupatus. Carminis hujus meminit Antonius Teisserius, in *Catalogo Auctorum, pag. 37.* æquè ac *Vitæ Dionysii Areopagitæ. S. Basilii* (latiùs dixisset *S. Blasii*) *& aliorum Sanctorum.*

35. *De Vita D.* LUDOVICI MORBIOLI *Bononiensis, Carmen, pag.* 220.

Ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum an. 1484. Cum Baptista Spagnolus in Capitulo Generali Carmelitarum habito *Astæ* anno 1472. designatus fuerit Lector pro Conventu Bononiensi, potuit mores, vitam & gesta LUDOVICI MORBIOLI insignis sanctitate viri, tunc temporis in ea civitate commorantis, rectè describere, uti notarunt hoc anno SPONDANUS, post SIGONIUM, & LEZANA *tomo 4. Annal. pag.* 932. Mortem B. MORBIOLI ad 28. diem Octobris designat CLAUDIUS CHASTELLAIN in suo *Gallico Martyrologio, pag.* 547.

36. *In laudem* JOANNIS-BAPTISTÆ *pro Natali, Carmen*, pag. 229.

37. *In Divum* ALBERTUM *Carmelitam Siculum hymnus*, pag. 231. Quædam strophes hujus hymni in Officio ejusdem S. ALBERTI Ecclesiastico usurpantur.

38. *Ad* JULIUM II. *Pontificem Maximum præconium*, pag. 236. versâ. Fausta ibi precatur Romano Pontifici bellum ingens paranti.

39. *Fastorum Libri XII. Ad* LEONEM *Pontificem Maximum*, pag. 241.

Hi Libri & sequens *Epitome* desiderantur in Editione Parisiensi 1513. *in-folio*, deficiuntque in Catalogo quem operum Mantuani descripsit LUDOVICUS JACOB in sua Bibliotheca Carmelitana Mſ.

40. *Vitæ suæ Epitome ad Posteritatem*, pag. 387. Duabus duntaxat paginis hæc vita generatim scripta, gestisque peculiaribus vacua, prodiit *Argentorati* cum fastorum Libris XII. anno 1518. *in-4°.* isto titulo decorata: F. BAPTISTÆ MANTUANI *fastorum Libri* XII. *quibus præmittitur Carmen ad* JULIUM *II. Pontif. Max. Carmen ad* LEONEM *X. P. M. Vita Auctoris à seipso descripta carmine Elegiaco; item & alia quæpiam. Argentorati* 1518. *in-4°.* Editionem hanc agnoscit *Bibliotheca Telleriana, pag. 394. num.* 72.

TOMO III.

Editoris Laurentii Epistola præfigitur dedicatoria ad Petrum Lupum Carmelitarum Mechliniensium Priorem, quem à gravioribus interdum tetricisque studiis Theologicis feriatum inducere tentat ad Baptistæ Mantuani Poemata, tanquam in hortum aliquem longè amœnissimum: in quibus ea verborum & rerum majestas & splendor est tam sapientiæ quam eloquentiæ, ut certatim in illis palmam sibi vindicare verba atque sententiæ videantur.

41. ALPHONSUS: *pro Rege Hispaniæ de victoria ad Granatam Lib. VI.* Fabulam Joannæ Papissæ sapiens Poeta, Lib. 3. pag. 44. versâ loquens de Inferno, versu 21. sic ludit,

Hic pendebat adhuc sexum mentita virilem
Fœmina, cui triplici Phrygiam diademate Mitram
Extollebat apex, & Pontificalis adulter.

Quos quidem versus censoriâ inussit notâ *Index Librorum prohibitorum expurgatorius* ANTONII SOTOMAYORIS, *Classe secundâ, lit. B.* Non unius Interpretis mentem torsit quis intelligendus sit Papa, vel Cardinalis, quem Poeta, *Lib. 4. pag. 61. vers. 5.* pinxit.

At tu implume caput, cui tanta licentia quondam
Fœmineos fuit in coitus, tua furta putabas
Hic quoque prætentu mitræ impunita relinqui?

Is, quem sic Dæmon alloquitur, paulo superiùs *pag. 61. versâ*, versu 18. opponebat.

Apud superos ego templa tenebam
Vaticana, dabant Reges his oscula plantis
Cerne miser, quibus infulæ, reverentia tanti
Nulla magistratûs erebo?

Hunc fuisse Sixtum IV. audax protulit Petrus Jurieu, Calvinistæ sectæ Minister: & contraria ipse Baptista Mantuanus canit *Lib. 3. de calamita. suorum temporum, pag. 40. Tomi primi: versu 13.*

Postquam rerum te Roma potentem
Fecit, & obscuro jubar hoc resplenduit Orbi
Exanimis Virtus, scelerum sub mole sepulta.
Respirare parum visa est, & tollere frontem;
Et nisi tot vitiis hæc sæcula nostra fuissent
Depravata, boni poterant rectoris habenæ
Errantes frenare rotas, sed tantus equorum.
Impetus aurigam superat, frustraque retractans
Lora gubernator sine lege per invia fertur;
Propterea sortem doleo, mitissime Patrum
Sixte tuam: fueras annis melioribus aptus:
Est tibi quæ tanto satis est in Principe Virtus.

42. TROPHÆUM GONZAGÆ, *pro Gallorum ex Italia expulsione, Lib. V.* pag. 101.

Francisci Gonzagæ trophæo nihil non detrahunt Commentaria Jodoci Badii; neque vero multum gloriæ ex pugna ad Tarrum data retulit Gonzaga ad annum 1495. Quis etiam nostrum lubens audiet canentem, Lib. 1. pag. 101. versâ.

Postquam Sfortiacos causata Novaria, fastus,
Et nimium crudele jugum, defecit ad hostem;
Gallorum patuère animi, simulata repentè
Consilia & fraudes subito emersère tumultu.

B.

Ibidem Libro III. pag. 150. versu 2.

Ergo hujus belli aiebant se quærere Regna
Parthenopes Galli, velut opportuna parandis
Classibus, & patrando operi fnso undique Ponto
Commoda, tam mendax hominum genus atque dolosum!

43. *De fortuna Francisci Gonzagæ Marchionis Mantuæ Carmen*, pag. 227.
Varia Fortunæ adversa colligit ex historicis ad solamen sui herois Poeta. Illud commentariis illustravit JOANNES BRUCHERIUS TRECENSIS.

Qualia erant Francisce decus Gonzaga Latinum,
Quæ dum te infelix rapuit Fortuna, gerebas.
Si toties victor, si post tot fortia Martis
Facta, semel caperis, quanquam tibi triste & amarum;
Non est turpe tamen: Nam quæ communia magnis
Sunt Ducibus, perferre Decem, neque turpe putari.
Nec dici à justo debet censore pudendum.

44. *Carmen Panegyricam in Robertum San-Severinatem*, pag. 193.

Prodiit etiam Parisiis, anno 1506. *in*-4°. Item anteà Daventriæ, anno 1500. *in*-40. Illud Carmen dicatur ab Auctore ad *Clarissimum Equitem Dominum Ludovicum Gonzalem Hispanum, Divi Jacobi Galleci Commendatarium dignissimum.*

45. *Somnium Romanam*, ad *Magnificam Comitem Andream Bentivolum Sexdecem-Virum*, pag. 208. versâ. In illo somnio laudes præfati ROBERTI SANSEVERINATIS iterum celebrantur: prodiit quoque cum præcedenti Carmine Panegytico.

46. *Panegyricas in Brixiam civitatem dictus*, pag. 221. In gratiam CONSTANTIÆ DE MAGGI, uxoris PETRI SPAGNOLI; & Matris BAPTISTÆ ipsius MANTUANI, ortu Brixianæ, Poeta dictum Panegyricum adorsus est, modò fidem LAURENTIO CUPERO adhibueris, quam certiorem reddidere hi primi versus.

Brixia sæpè tuas, cum sis mihi gratior ipsâ
Vel non grata minus Manto, genus undè Maroni
Altiloquo, genus undè mihi, contexere laudes
Dum meditor, nocet inceptis opulentia rerum.

CONSTANTIAM tamen DE MAGGI matrem fuisse Baptistæ Spagnoli; qui negant post PAULUM JOVIUM, asserentes nostrum *Mantuanum ex spurio coitu natum*, animadvertunt ne unam quidem voculam de CONSTANTIA haberi huic carmini, septingentis fermè versibus contexto, insertam, & opportunè inserendam, si CONSTANTIA verè ipsius mater fuisset. Opponitur autem Jovio, quod Mantuanus avum suum paternum annuntiet, ANTONIUM HISPANIOLUM Cordubensem, de quo Petrus pater ejus satus sit, qui ex conjuge legitima sua, CONSTANTIA MARIA Brixiensi prolem suscitavit. PTOLOMÆUM BAPTISTÆ nostri fratrem uterinum crediderim, vel ob id maximè, quod postquam sponsæ Dorotheæ genus demonstrasset, fratris ortum sic recitare incipiat, *Lib.* 4. SILVARUM, in Epithalamio fratris sui & DOROTHEÆ VALENTIS, *pag.* 302. *versu* 17.

Nunc Ptolomæa tuæ gentis fastigia tanquam
Atque meæ, genus est nobis commune duobus.

Quodque mater ejus hæc fuerit Constantia Maria Brixiensis, ex dicto in Brixiam Panegyrico videtur deduci posse. Cur enim diceret.

Brixia sæpè tuas, cum sis mihi gratior ipsâ
Vel non grata minus Manto.

Maternum viri genus è Brixia duxisse ipsum constaret:

Adde quod BAPTISTA MANTUANUS obierit ætatis anno 68. Ast PAULUS JOVIUS, qui incerto de illo locutus fuit, illum scripserit mortuum fuisse octogenario seniorem. Qui propinquiora nescivit, qua ratione tempora remotiora novisse judicandus esset?

47. DE VILLA JOANNIS REFRIGERII, pag. 233. *Refrigerium*, cui multùm debebat noster *Mantuanus*, in Epistola Dedicatoria Parthenicæ Marianæ præfixa tomo 2. sic pinxit. » Te, Refrigeri, silentio » præterire non possum, ne tuorum in me meritorum, quæ propè infinita sunt, oblitus videar. Scribam igitur quæ & necessitudinis nostræ fuerint » exordia, & ejusdem perpetuò conservandæ sint » munimenta. Ex eo tempore, quo primùm Boniam veni, semper animadverti te gravitatem, » vitæque honestatem, cum optimis Litterarum » studiis, sic conjunxisse, ut facilè conjicere possem, te in optimum & præclarum virum brevi evasurum: Quod rei comprobavit eventus. Nam ad » præsens nec meliorem, nec eloquentiorem Civem » te habet feracissima præstantium ingeniorum Bononia. Tu Pompeianæ magnanimitatis, Catonianæ » integritatis æmulator, tanto Patriæ tuæ factus es » ornamento, ut de te possit dici illud Maronis nostri:

» *Vitis ut arboribus decori est, ità vitibus uvæ*
» *Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis.*
» *Tu decus omne tuis.*

» Extant enim plures abs te editæ *Orationes* & *Epistolæ* Ciceronianam majestatem redolentes, ex quibus » quantùm ingenio & doctrina polleas, facilè dignosci potest.... Extant & *Poemata* tua, quæ *Tuscâ linguâ* plurima composuisti, tanto ornatu, tantâ » venustate, tantâ felicitate condita, ut & mihi & » omnibus quibus usui sunt, in miraculo habeantur. » Taceo tuam in patriam pietatem, & in amicos fidem & constantiam. Placuit mihi semper inprimis » tua in Deum Optimum sancta Religio. Sæpius quidem sacra loca & cœnobia adis, Dei bonos servos » colis & veneraris. Placuit item quod parentem tuum » peritissimum olim Physicum, qui *Avicennam* & » *Hippocratem*, dum viveret, publicè interpretans, » Medicinam florentissimè docuit, incredibili quodam studio & pietate semper observaveris. Præterea » splendidas affinitates, partos in patria & extrà honores &c. »

48. *De Quercu Julia Carmen*, pag. 238. versâ *Ad Reverendum D. GALEOTUM FRANCIOTUM, S. Petri ad vincula Cardinalem. Quercûs* encomium Poeta noster in gratiam SIXTI IV. & JULII. II. Summorum Pontificum, qui eam in stemmate suo pro insignibus ferebant, adorsus est. GALEOLUS FRANCIOTTI DE LA ROUERA, (nepos fuit JULIS II.) Episcopus Lucensis, anno 1503. Cardinalitio pileo purpuratus, posteà Paduanus, deindè Cremonensis Præsul, & Beneventanus Archipræsul, ac anno 1508. defunctus.

49. *Silvarum lib.* IV. pag. 242. varias illic segetes Poeticas versat noster vates, quas Clarissimis viris diversi generis dicat. Ast in URCEUM CODRUM istud Epigramma legitur ad finem *quarti libri*, *pag.* 317.

Ilius in genibus; spumat manus una lebetem
Una veru versat. Tres obit iste viros.

Cur ANTONIUS URCEUS cognominatus sit CODRUS, refert Bernardus de la Monnoie *Tomo* 3. *Menagiana pag.* 280. » Codrus autem Urceus Ra-

» vennas, multæ; variæque Doctrinæ vir eruditissimis plerisque scriptis, quæ nunc edita sunt, » omnibus innotuit. Is quoque sanguinariâ peremptus est morte ab adversæ factionis latronibus fœdissimè trucidatus » anno 1500. ætatis 54. Neque tamen de his conveniunt Eruditi viri, quos in *Dictionario Critico* Petri Balæi consulere est *tomo 4. pag.* 2846.

Tomo IV.

Opera continentur Oratione solotâ descripta, quibus Editor Laurentius Cuperus Epistolam præfixam dedicavit Stephano Gilbadio Confessario Sanctimonialium Contenberganarum S. Theologiæ Licentiaro.

50. *Ad Ptolomæum Gonzagam, Virum magnificum, Equitemque auratum contra Detractores Dialogus*, in qoo adversus detractionis vitium generatim declamat Auctor.

51. *Ad Ptolomæum Fratrem contrà calumniatores Epistola*, pag. 57. ubi sic incipit: » Pro amoris integritate, quem inter nos natura inchoavit, virtus » consummavit, Ptolomæe Frater suavissime, me » mones vitio mihi dari à nonnullis, quod in opusculis meis sint quædam errata, & quod quibusdam utar vocabulis, quæ Latinam phrasim non » observant. Ego qui, ut verum fatear, fui ut plurimùm in observatione vocum parùm diligens, & » animum habui ad sensa magis intentum, quam ad » verba: noo ausim negare id mihi accidisse, in quo » etiam peritissimi diligentissimique peccaverunt... » Primum igitur gratias ago quod protectionem meam » tam benignè suscipias, & pollicearis te onus suscepturum refellendi eorum maledicta, & ut Fratrem decet, Frarri subvenias....

Postquam variis ex Historia & Litteraria messe probatis exemplis ostendit doctiores peritioresque viros sæpius de modo loquendi, sentiendique reprehensos, ad seipsum rediens ait: » Mihi non liceat » recordari cogor isto ioco, quod iegi de Appelle, » solitum scilicet eum Tabulas suas in pergola cunctis » videndas exponere, & ipsum latentem post ea judicia prætereuntium auscultasse. Edidi & ego vivens opera mea, ut vitia audiam quæ annotantur, » & quæ excusari possunt, excusem vivens... feci » quoque hoc consum, ut manum aliquando ievarem de Tabula; & ot his curis absolutus ad Theoiogiæ stodium, quo longè plus oblector, me conferrem. Ego namque Poema omne carptim composui, cursim absolvi, non ferè aliter, quod canes aiunt bibere in Ægypto.

» Aiunt etiam, quod in operum meorum principio grandis appareo, magna polliceor: Sed in » processu ab altitudine illa mox excido, ac si mihi » opponant illud Horatii,

Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

» Huic objectioni non respondeo. Opera ipsa satis » respondebunt: Sententiam ferat qui rectè intelligit: in omnem virum Doctum, qui careat perturbatione, compromitto. Sed moneo dictum ab » Aristotele in libro Politicorum octavo, *Impossibile esse, vel certè admodum difficile, ut qui opera » ipsa non tractat, peritè valeat judicare.* Sed quid » ego frustrà, pergo omnem labem diluere, ad omnia quæ imputantur respondere.... Videntur enim » invidi non videre, & intra aliena bona pati dorasium; dum in ea solum coosigunt oculos, qoæ possint vel videantur posse taxari: & valdè ægrè ferentes, quod non offendant vitia graviora, notant veruculas, signant nævos; damnant pilos; » nil non fastidiunt...

» Incidi & ego, ut ingenuè fatear, in aliquot errores per incuriam, quorum hic unum libet subjicere.... Dum junior olim Demosthenis vitam » è Græco in Latinum per Leonardom versam perlegerem, & ad locum mortis ejus pervenissem, pro Calaurea, Calabriam scriptum reperi: & ex illo tempore in ea opinione semper permansi, ut crederem » Demosthenem vita functum esse in Calabria. Et » propterea postmodum scribens trophæum Mantuanum, cum quædam Calabriæ loca percurrerem, » dixi Demosthenem occidisse io Calabria, qui non » in Calabria parte Italiæ, sed in Calaurea scopulo » vel insula juxta Peloponesum ad Orientem posita, vitam veneno commutavit in mortem. Et de » hoc seriò certior factus sum ex iectione Codicis » Græci Strabonis Cosmographi, quem tunc non legerem. Meminit etiam Calauriæ plenius contrà » Træzenem agrum eam locans: Demosthenis autem » non meminit: Pomponius Mela de Demosthenis » morte mentionem adjungit.....

Epistoia Mantuani additur in præsenti, quam prosequimur, Editione Antuerpiensi, *Ptolomæi Hispanioli contra detrahentes operibus Fratris* Baptistæ Mantuani *Apologia, pag.* 90. *quam sequitur ejusdem Ptolomæi de licentiis antiquorum Poëtarum Corollarium*, pag. 161. De quibus Marius Æquicolus Jacobo Bardellonio scribens ait: » Mihi » tuæ iitteræ redditæ sunt, quibus inter cætera certiorem me reddis Ptolomæum Gonzagam jam ultimam » manum imponere Apologiæ, quam pro Germano » Carmelita Baptista ter maximo contrà Litteratores suscepit. Laudo officium: sed miror cur » in mea Provincia, quam liberis suffragiis ex » nostri Ordinis Senatusconsulto sortitus sum, » tantùm sibi juris vindicet. Scio hominem ingeniosissimum, iectionis plurimæ, & acris judicii: » Verùm qualia parat, otiosorum sunt, ut nunc » nos sumus, non ejus, qui in rebus publicis maximi momenti, ut privata omittam, sit amplissimè occupatus. Ex omni Europa ad suum Principem, cujus humeris libertas & salus nititur Italiæ, » Regum & Rerump. confluent Oratores. Huic cum » Ptolomæus à Secretis solus primus sit voluntatum & » Consiliorum adjutor & particeps; non sit verisimile, ut ad defendendum vacet: cum vix ad usus » vitæ necessarios otii supersit tantillum, sinat me hoc » agere: testor me relicturum adversariis nullum provocationis locum, si quid in justissima causa, & in » diligentia fidendum est. Si potest igitur desistere, » rem gratam faciet: si minus, scribamus uterque.

52. *Contra novam opinionem de loco conceptionis Christi tractatus*, pag. 200. Nuper prædicante in Ecclesia Cathedrali Mantuæ Petro Lucensi Canonico Regulari, nata est quæstio, utrùm B. Virgo Maria in præcordiis, an utero Christum conceperit? Dicebat ipse Petrus cuidam mulieri sanctitatis eximiæ fuisse divinitùs revelatum, Christum non in otero, loco communi humanæ genituræ: sed juxta cor in pectore fuisse conceptum, sautum, & alitum. Noster autem Mantuanus probat quod divina hæc Conceptio fuerit in utero facta. Quam quidem quæstionem Ludovicus Dupin in Bibliotheca de Scriproribus Ecclesiasticis sæculi decimi sexti minimè tetigit, operibus Baptistæ Mantuani inserens *tractatum de loco ubi* ipse Spagnolus *conceptus est.*

53. *De Lauretani Sacelli mirabili Historia*, pag. 216. Anno etenim 1489. noster Mantuanus Mutinæ in Mantuanæ Carmelitarum Congregationis Generalem Vicarium electus, ita Reverendiss. Dom. Hieronymo Cardinali Ruvero Sixti IV. Pontificis anno

1484. defuncti Nepoti, Episcopo Recanetensi, & Ordinis Carmelitici Protectori gratus fuit, ut ab eo donatus fuerit ipsâ Sanctâ Domo Lauretanâ, de quâ sic in præsenti *Historia*, *pag.* 221. & 222. eum alloquitur.

» Quia more Sixti avunculi tui Beatissimæ Virgini » penitus es addictus, cogitasti quo pacto loci ma- » jestatem magis ac magis amplificares. Et audiens » Ordinis mei Fratres (ut ex Joannis Vigesimi se- » cundi litteris apparet) Beatissimæ Dei Genitricis » titulo specialiter insignitos, & sicut ex *Decretal.* » *Lib. VI. Cap. de Religiosis Domibus* testimonium » habetur, Inter omnes Religionum Ordines anti- » quitate præstare, habuisse item nos ab Elia & Eliseo » in Monte Carmelo principium & originem, ut » Avunculus tuus Sixtus literis Apostolicis attesta- » tur, & Patres ac Antecessores nostros Viros San- » ctissimos omnia ferè loca Terræ sanctæ (inter » quæ fuit hujus Sacræ Virginis domicilium) olim » tenuisse, ac religiosissime gubernasse, priusquam » Sarracenis, Dei judicio, darentur in prædam: » hæc, inquam, audiens, rem convenientissimam, » & operæ pretium existimasti, nos in antiquam res- » tituere possessionem. Et id circo hoc anno, me » Vicario ex Mantuana Congregatione, quæ Deo as- » pirante, de negligentiæ sordibus, quibus pene to- » tus Ordo noster obruebatur, emergens, instar anti- » quorum Patrum vitam & mores nititur instituere) » triginta viros Approbatissimos in ipsa (*Lauretana*) » Ecclesia constituisse: Qui in cordis munditia Deo » servientes audiendis fidelium Confessionibus, & » divinis Officiis vacent, ac omnium, quæ ad divi- » num Cultum pertinent, curam gerant. Quibus in- » cœptis, Auctor & conservator omnium Deus adju- » vet, aspiret, & faveat.

Hæc *Lauretanæ* sacræ *Domûs Historia* nostro à Baptista Mantuano hoc anno 1489. descripta, cele- bre valdè nomen sacro Domicilio per universum or- bem comparavit, teste Horatio Turselino, *Lib. II. Cap.* 6 Verum anno 1497. compluribus Patribus Carmelitis absumptis ex Cœli gravitate, quæ tunc erat Laureti, ob circumjecta nemora, lacunasque plurimas suborta alii Religiosi nono anno Domum sacram deseruerunt & ad salubriora migrarunt loca.

Non hic advertam nævum Chronologiæ dissonum, quem Baptista Mantuanus elapsum reliquit suæ His- toriæ, pag. 218. referens, quod anno Christi 1586. quidam vitæ innocentissimæ & puritatis vir imma- culatæ ad sacellum hoc sacrum Lauretanum studio pietatis, assiduè diu noctuque veniret; cui Beata Virgo in somnis apparens, imperavit ut omnibus translationem palam faceret, trans Adriaticum sinum in agrum Recanatensium factam. Hæc enim secunda anno 1294. prima verò in Dalmatiam è Nazarethana Civitate translatio anno 1291. ex con- sensu omnium Historicorum unanimi advenit. Neque enim hoc miraculum is sum qui negaverim, quam- vis Urbanus IV. in literis ad S. Ludovicum Re- gem Galliæ anno 1263. datis referat quod *Bendo- char*, sivè *Bondocdar* Babylonius Soldanus non oc- cuparit modò Civitatem *Nazareth*, sed etiam ever- terit, Ecclesiamque montis *Thabor*, per summum Religionis nostræ contemptum, solo æquarit, alia sacra Templa exciderit ac funestarit, atque plani- tiem *Accanensem*, usserit. Quamvis *Marinus Sanctus* anno 1321. scribat quod suo tempore in *Nazareth locus ostenditur, ubi Angelus Gabriel, Dei nun- tius, B. Virgini antiquum, pro mundi redemptione implendum, nuntiavit fore Consilium. Et in Ca- pella ibi ædificata erant tria altaria, & Capella erat excisa in petra de rupe.* Sed nulla translationis habi- tâ mentione, ut animadvertit Vir Clariss. Claudius Fleury *tom.* 19. *Hist. pag.* 320. Non frustrà perle- geris, quæ de illo sacro domicilio scripserit R. P. *Honoratus à S. Maria tom.* 2. *de Regulis Artis Cri- ticæ pag.* 228.—241.

54. *De causa diversitatis inter Interpretes sa- cræ Scripturæ, ad* Hieronymum Mediolanensem Car- melitam, pag. 226. Causam hujus diversitatis præcipuam repetit tum ex varietate Codicum He- bræorum, tùm ex versione Septuaginta Interpretum, quos in plerisque defecisse opinatur. » Sunt etiam » apud Hebræos, *inquit pag.* 230. quædam dictio- » nes æquivocæ, seu plurivocæ, quæ appellantur à » Græcis homonimæ: quando scilicet correspondet » una multis rebus appellatio. Propter istas etiam non » parva Translatores ligat perplexitas; adeo ut sæ- » piùs allucinentur: sicut accidit viatoribus, cum in » locum multivium sunt redacti. Prodiit *iste Tracta- tus* simul atque *Dialogi contrà detractores*; *& de loco Conceptionis Christi*, *Ticini*, anno 1616. *in*-8°. Si- cuti profertur in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 18. *num.* 1321.

55. *Contra eos qui detrahunt Ordini Carmelita- rum Apologia ad Reverendum Dom. Sigismundum Ganzagam S. R. Ecclesiæ Cardinalem, ejusdem Or- dinis Protectorem.* Huic Apologiæ adjunguntur, *pag.* 245. Joannis Trithemii Abbatis Spanheimensis *de laudibus Ordinis Fratrum Carmelitarum Libri duo*, IX. Kalendas Maii anno Domini M. CCCCXCII. scripti. Qui Ansam præbuerunt Ludovico Ellies du Pin in *sua Tabula universali de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *tomo* 1. *pag.* 918. inserendi Catalogo operum nostri Baptistæ Mantuani, *Apologiam pro Carmeli- tis, & pro libro Trithemii de laudibus & hominibus illustribus Carmelitic. Apologia contra eos, &c.* Ty- pis *Antuerpianis* prodiit anno 1680. *in folio, tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 195. Sigismondo Cardinali Gonzaga in Protectorem Ordinis Carme- litici nominato per Julium secundum anno 1508. die 16. Julii; Mantuanus suam Apologiam citius allaborare, aut saltem edere non potuit.

56. *De Patientia libri tres, ad Antonium Fan- tucium Patritium Bononiensem:* Cujus Patris Ar- tritici pias ex privatis familiaribusque colloquiis collectas sententias ad præsentis elaboratam tripli- cis voluminis normam redegit noster Mantuanus, ut aliis etiam ægrotantibus essent aliquando subsi- dio. Hoc opus redegit anno 1498. ut constat ex *Lib.* 3. *Cap.* 29. *pag.* 168. pluries editum, scilicet Brissiæ, 1498. *in*-4°. Venetiis & *Basileæ* 1499. *in*-4°. *Lugduni* 1498. *in*-4°. *Parisiis* 1513. *in parvo folio* cum opusculo inscripto, *de Vita Beata*: Quæ duo opera complent sola *quartum hujus editionis tomum.* Item *Daventriæ* anno 1615. *in*-4°. Item *Venetiis* anno 1516. *in*-4°.

Aliam vir peritissimus Andreas Chevillier, Domûs Sorbonicæ Doctor atque Bibliothecarius in opere Gallicè inscripto, l'*Origine de l'Imprimerie de Paris*, *pag.* 164. notat *Argentoratensem* anno 1510. *in*-4°. apud Mathiam Schurer, qui in ea Edi- tione sesqui mediam Erratorum paginam animad- vertit, postquam dixisset: *Maluimus potius pudore nostro fatendo plecti, quam tacendo, Respublica Literaria suo damno nostra peccata luat.*

57. *De Vita Beata Dialogus ad Petrum Spa- gnolum Mantuanum Patrem suum dilectissimum ob- servandissimum.* Clauditur hic Dialogus pag. 209. discursu *de Origine Carmelitarum*, *inter quos Tho- mas* Connecta *Gallus* Armoricus numeratur, qui *pristinum* hujus instituti *fervorem in pectore fovent, cum paucis Sodalibus in Italiam anno* 1413. *se contulit*, ubi *purpurei obtinuit diadema Martyrii. Nam dum benè beatèque viveret, à quibusdam invi- dis*

B.

dis opud EUGENIUM *IV. Summum Poatificem Capitis oecerfitur ;* & *poſt carcerem, poſt tormenta, poſt cruciatus : Tandem cum nihil damnabile reperiſſent, graviùs inveſtigantes, quod jure non potuerunt, injuriâ perficere fortiter accinguntur, & conburendum ſcelerato rogo commiſerunt* anno 1433.

Dialogo *de Vito Beata* jungitur *pag.* 211. alter *Auguſtini Dathi de Vita Beata libellus*, qui cum præfato Dialogo prodiit *Pariſiis* apud *Antonium Bonnemere in-8°.* anno ſuppreſſo, unà tamen præfixâ *Epiſtolâ Nicolai Beroaldi die* 3. *Novembris* ſcriptâ anno 1505. ANTONIUS DUVERDIER, Dominus OE VAUPRIVAS, refert in *Bibliotheca Gallica* Opuſculum Mantuani noſtri Gallicâ linguâ donatum ſub hoc titulo : *Eclogue de Boptiſte Mantuan de la Vie Bienheureuſe, Pariſiis* 1521. *in-8°.* Quod erroneè dictum eſt : *Eglogam* enim *de Vita Beata*, Baptiſta Mantuanus ſcripſiſſe minimè dignoſcitur.

OPERA SNEOITA.

58. *De foetis diebus ad* LEONEM X. *Romanum Pontificem Liber* 1. Extat Mſ. Florentiæ io Bibliotheca San-Laurenriana Magni Ducis, ubi eum vidir *Ludovicus Jacob*, anno 1640. Aſt idem eſt atqoe primus liber Faſtorum, de qoibus mentionem fecimus *num.* 39. & hunc faretur à ſe viſum fuiſſe editum Romæ in Bibliotheca Angelica Anguſtinianorum.

39. *Apologio pro fratre Petro* Nabulario *Lib. III.* Horum mentionem habet Joannes Trithemius, *lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cap.* 912. Occaſio autem ſcribendi fuit qnod circà annum 1474. *Julianus de Brixia* & *Petrus Nabularius*, Carmelitæ, cum aliis Sacræ Theologiæ Profeſſoribus & Baccalaureis, propoſiriones quaſdam in concionibus & diſputationibns per italiam aſſeruiſſent, quas cenſura dignas nonnulli alii Theologi eredebant. Sed negotium totum per Pontificem Sixtum IV. Chriſtophori Martignoni Carmelitarum curâ conſopirum eſt, Diplomate dato die 23. Auguſti 1477. quod incipit, *Sacer Ordo veſter, &c.*

60. *De Jejunii Quadrageſimalis ſanctitote lib.* 1. cum explanatione Wilhelmi Abbatis Lobbienſis, Mſ. in Bibliotheca Monaſterii S. Petri Lobbienſis ; uti videre eſt in Bibliotheca Belgica Manuſcripta Antonii Sanderi. Aſt Carmen iſtud editum *lib.* 4. *Silvorum, pag.* 305.

61. *In opus ſententiarum Joannis de Bochone Carmelitæ, Carmen.*

62. *De ortu & diverſitate Religionum*, Lib. 5.

63. *Introductorium ſubtilis Scoti Ordinis Minorum*, Lib. 1.

64. *Orationes elegantes & variæ*, Lib. 1. Mſ. Olim apud Joannem Balæum.

65. *De ſuo in Religionem ingreſſu ad Patrem*, Lib. 5. Mſ. Apud eumdem.

66. *In Primitiis Petri Brixienſis*, Lib. 5. Apud eumdem.

67. *Ad Ambroſium Coriolanum, cum Reſponſo.* Lib. 5. apud eumdem.

68. *Suburbonum Bucolicorum* Lib. 1. Mſ. apud eumdem.

69. *De Benaco Fluvio Cormen*, Mſ. apud eumdem Balæum.

70. Epiſtolæ multæ ad diverſos, inquir Joannes Trithemius, Lib. de Scriptor. Eccleſiaſticis.

OROO BAPTISTÆ MANTUANI OPERUM CHRONOLOGSCUS.

Anno 1448. die 17. Aptilis naſcitur Mantuæ BAPTISTA SPAGNOLUS, NSCOLAO V. Pontifice Maximo. In Patria Literis humanioribus ſtuduir, Paduæ verò operam Philoſophiæ dedit : quo temporo *octo Eglogas* cecinit. Anno circiter 1564. Mantuanum in Cœnobium Carmelitarum tum novâ reformatione Floreſcentium eſt ingreſſus. Anno 1472. in Comitiis Generalibus Aſtæ habitis, Baptiſta pro Conventu Bononienſi Lector deſignatus pro anno ſequenti, gradum Doctoralem aſſecutus eſt, quando de ſuſcepto Theologico Magiſterio Jacobum Carphorum Ferrarienſem amicum fecit certiorem.

Subſelliis relictis, ſæpiùs deliberat cum Joanne-Baptiſta Refrigerio Bononienſi cive peritiſſimo, an Poeticæ utrumve Oratoriæ arti vacaret ; indeque *de Præſidentia Oratoris & Poetæ* Carmen ad eum dixit. Cum enim adoleſcentulus eſſet, & à ſtudiis Eccleſiaſticis, more illius ætatis abhorreret, fortè in S. Paulini Nolani Præſulis Poemata incidir, & carminis ſuavitate delectatus, animum ad res divinas paulatim appulit, & ex illo tempore, ſacrarum literarum ſtudioſior evaſit, metro præſertim occupatus ; onde ſtarim atque Theologicis ab exercitiis plenè fuit expeditus, ſuas elaboravit *Parthenices*, quas ſecnri ſnnt *tres libri de Patientio*, quos Elias Capreolus Brixianus Joanni Taberlo ſcribens, *omnis moleſtiæ præſentaneum medicamentum* appellat. Eadem ferè circa tempora exiit ad Joannem-Baptiſtam Refrigerium *conſolatio* in *morte Collia Auſculani* : deinde *de contemnenda morte Carmen*, cujus Epiſtolam dedicatoriam ſuppreſſit, & ad inſtar colloquii eum ſua mente finxit.

Anno 1478. mortuo Ludovico Gonzaga Mantuæ Marchioni, filius ſucceſſit Franciſcus, cuius pueris educandis Franciſco, Sigiſmundo & iſabellæ præpoſitus Baptiſta noſter ad pietatem promovit. Anno 1479. *de calamitatibus temporum tres libros* abſolvit. Anno 1480. prodiit *Objurgatio cum exhortatione ad capienda orma contrà infideles.* Anno ſequenti *liber tertius ſilvarum* dedicatur *ad Alphonſum Calabriæ Ducem pro recepta è Turcis hydrunte urbe Salentinorum.* Anno 1483. in Capitulo ſuæ Congregationis Generali, Novellariæ celebrato, anno ſuæ ætatis trigeſimo duntaxat quinto in Vicarium Generalem electus, *Eglogam decimam* ſcripſit *de Fratrum obſervantium & non obſervantium controverſia.* Annum 1484. decoravit *vito Ludovici Morbioli Bononienſis.* Aſt anno præcedenti *ad B. Virginem pro extinguenda peſtilentia orotionem* dixerat aut potius ante annum 1478. ſimul & priuſquàm Mantuam rediret.

Ab anno eodem 1484. Franciſcus Gonzaga ſuo Patri Friderico ſuccedens, à noſtro Poeta accipit anno 1495. *Trophæum Franciſci Gonzagæ*, & poſt annum 1509. *de fortuna Franciſci Gonzagæ*, Cujus quidem fratri, Sigiſmundo, dicatur *primus liber ſilvarum*, & marito ſororis iſabellæ *primum Carmen ſecundi libri Silvarum.* Anno 1489. ſecundò in Vicarium Generalem electus *Hiſtoriam Lauretanam* ſcriptis mandavir ; quam excepit *ad B. Virginem pro recipienda ſoſpitote poſt febrem acerrimam, votum.* Ab anno 1492. die undecimâ Auguſti ſedente Alexandro VI. Pontifice Maximo, exivit *Alphonſus. Pro Rege Hiſpaniæ de victorio ad Granatam lib. IV.* Aono 1499. *Exhortatio ad Inſubres & Ligures.*

Anno 1503. *De Quercu Julia Carmen prodiit.* Anno 1506. de Peruſio Baillonibus & Bononia Bentivogliis expellendis, & de utraque civitate ad Eccleſiæ dominium accerſenda. Ad *Julium ſecundum* Ponrif. Maximum Baptiſta Mantuanus bella parantem, dedit *Præcinium.* Quamvis *Præcinium* iſtud referendum potius eſſe eredat Lezana ad *Bellum venetum* anno 1509. quo tempore *vita S. Dionyſii ad Joſredum Carolum* Mediolani Vicecancellarium, & Delphinatûs Præſidem anno 1510. conſtitutum de-

dicata eſt : *vita S. Georgii* ad Jacobum Trivultium Franciæ Mareſcallum. Die 15. Martii, Joannes de Mediceis in ſummum Pontificem electus eſt ſub nomine Leonis X. ad quem dedicati ſunt *Faſtorum libri XII. ſivè de ſacris diebus :* Ad Laurentium autem Puccium eodem anno 1513. die 23 Septembris, vel primâ Octobris Cardinalem inſtitutum *Blaſius Cappadox* directus fuit. *Apologia* autem *Ordinis Carmelitici* nuncupata eſt Sigiſmundo Gonzagæ Cardinali Protectori, qui Cominiis Generalibus præfuerat eodem anno celebraris, in quibus ipſe Baptiſta ad ſupremum ejuſdem Ordinis regimen promotus, *vitam S. Honorati Arelatenſis* perfecit anno 1515. exeunte, aut anno ineunte 1516. quæ in *Editione Lugdunenſi* 1516. *ad finem ſaſtorum* reponitur, utpote ad Bibliopolam vel Typographum ſeriùs miſſa, in *Editione* autem noſtra *Antuerpienſi* 1576. ad ſuum locum reſtituitur *menſe Januario, tomo* 2. *pag.* 256.

Cenſura Operum BAPTISTÆ MANTUANI.

BAPTISTA MANTUANUS ſuis in elucubrationibus æſtimandis cenſores expertus eſt & probatores. Cenſoribus præſtat Paulus Jovius, qui Elogio 61. ſic habet. » Baptiſta Carmelitani Ordinis Princeps, ex Hiſpaniola gente honeſta, verùm ex damnato coitu natus, Naturam ad Carmen attulit, » verùm inſatiabili Hebraicorum ſtudiorum cupiditate ita occupatam : ut cum magnus & admirabilis in omnibus videri contenderet, in excolendis » Muſis curam ac diligentiam remittere cogeretur, » quibus unis non dubius ad æternitatem gradus patabatur, ſi certâ laude contentus, in reliquis inane » nomen tempeſtivè contempſiſſet. Sed incidit in ea » tempora, quibus nullis mediocribus Poetis locus » erat. Reperit tamen ſibi æmulum, incondito furore Conſalvi magni res geſtas decantantem, cujus exploſione clareſceret. Is erat Cantalicius, pro » bono Poeta ab optimo Duce mediocris etiam virtutis amantiſſimo, liberaliter ditatus. Verum & » hunc & ipſum quoque Carmelitam, deſumpto eodem argumento Gravina malè partæ laudis loco » ſtrenuè deturbavit ; cum inchoatum Poema nobile » Pontano atque Actio cenſoribus recitaſſet. Cæterum » Carmelitæ ſatis ad laudem fuit, quod per quindecim ſecula neglectos à civibus Andinos fontes ſalubriter ebiberit, ſcilicet ut ſatali monitu limpidioris ejus aquæ ſiphones Lælio ac Hippolito Capilupis Fratribus monſtrarentur. Octogenario Major Mantuæ deceſſit, non planè ſelix, quum in » extremo vitæ actu deſenſionem contrà criticos ſcribere cogeretur, qui ejus Poëmata obeliſcis non » inatibus miſerè confodiſſent. Sacrato Poetæ mortuo » cucullati ejus Ordinis Sacerdotes prolixè parentarunt. Fridericus autem Princeps marmoream effigiem cum laurea poſoit, quæ in arcu lapidea juxta » Virgilii Maronis ſimulachrum, piâ herclè, ſi non » ridendâ, comparatione conſpicitur.

Lilius Gregorius Gyraldus, Paulo humanior Jovio, *Dialogo* 1. *de Poëtis ſui ſæculi* hæc habet. » Numquid hercle Baptiſtam Mantuanum, qui unus ex eis » fuit qui Carmelitæ ſodales dicuntur, in aliquo bonorum Poetarum numero repones ? Et maximè, » inquam, ſed quæ mea ſit de homine, audite, ſententia. Laudo inſtitutum, piumque propoſitum, » verùm extemporalis magiſquam Poeta maturus. » Extant illius verſus pene innumerabiles, ex quibus » apud vulgus & Barbaros quoſdam laudem tantam » eſt adeptus, ut unus propè Poeta, & alter penè » Maro haberetur. At bone Deus ! quam diſpar ingenium ! nam ut ubique Maro perfectus, itâ hic » immodicâ & penè temerariâ ubiquè uſus eſt licentiâ, quato & magis atque magis in dies auxit. Eſt » enim ferè naturâ comparatum, ut qui minus judicio valent, & nimio plus ſibi placent, eos in » dies deſloreſcere, & ſenes flacceſcere videamus : » nam & in dies aliquid ingenii deterit. Juvenis ille » quidem laudabiliter Poeta fuit, cum verò ei deſedit calor ille & ſervor juvenilis, tanquam amnis » ſine obice extrà ripas ſordidè diffluens coërceri non » potuit : vix enim ea legere poſſumus quæ longius » ille ætate provectus carmina ſcripſit. Non ideò hoc » vobis de Carmelita dixerim, ut quas ei ſtatuas » Mantuani erexerunt, dejicerent ; ſed magis ut vos » monerem, quo eum ordine habere debeatis : magis emunctæ naris fuiſſe videtur Angelus Politianus.

Julius Scaliger *lib.* 6. *Poëtices cap.* 4. *pag.* 788. Baptiſta Mantuanus *Carmelita, mollis, languidus, flaxus, incompoſitus, ſine numeris, plebeius, non ſine ingenio, ſed ſine arte : dummodo ſcribat quod in mentem venerit, edat quod ſcripſerit, ſuſdeque habet.* Quæ verba protulit non tantùm Joannes Deſlyons Doctor Sorbonicus in tractato Gallicè inſcripto : *contre le Paganiſme du Roy-Boit, pag.* 310. Verum & Adrianos Bailler in opere Gallice inſcripto : *Jugement des Sçavans, tome* 4. *des Poëtes Modernes, num.* 1247. *pag.* 326. *Edit. in-*4°. *Paris* 1722. Niceron *tom.* 27. *Memoriar. pag.* 109.

Bernardus de Fontenelle Rothomagenſis natu, ſed Academiæ Scientiarum Pariſienſis Scriba perpetuus in opere Gallicè edito : *Diſcours ſur la nature de l'Eglogue, pag.* 154. *Edit* 3. *Paris* 1703. *in-*12. hæc loquitur. » Il n'y a point d'Auteur qui ait fait » des Bergers ſi ruſtiques, que Baptiſte Mantuan, » Poete Latin du ſiécle paſſé, que l'on a comparé » à Virgile, quoiqu'aſſurément il n'ait rien de commun avec lui que d'être de Mantoüe. Le Berger » Fauſtus en faiſant le portrait de ſa maîtreſſe, dit » qu'elle avoit un gros viſage bourſouflé & rouge, » & que quoiqu'elle fût à peu près borgne, il la » trouvoit plus belle que Diane. On ne s'imagineroit jamais quelle précaution prend un autre » Berger avant que de s'embarquer dans un aſſez » long diſcours ; & qui ſçait ſi le Mantuan ne s'applaudiſſoit pas en ces endroits d'avoir copié la » nature bien fidélement ?

Ibidem pag. 177. » Les Eglogues Allégoriques ne » ſont pas non-plus ſans difficulté. Le Mantuan qui » étoit Carme, en a fait une, où des Bergers diſputent en repréſentant deux Carmes, dont l'un eſt » de l'étroite Obſervance, & l'autre eſt Mitigé. » Le Bembe eſt leur Juge ; ce qu'il y a de meilleur, » c'eſt qu'il leur fait ôter leurs boulettes de peur » qu'ils ne ſe battent. Du reſte quoique l'Allégorie ne ſoit pas mal gardée, il eſt trop ridicule » de voir le differend de ces deux eſpéces de Carmes traité en Eglogue.

» J'aimerois encore mieux qu'un Berger repréſentât on Carme, que de le voir faire l'Epicurien, & de lui entendre dire des impiétés. Cela » arrive quelquefois aux Bergers de Mantuan, quoiqu'ils ſoient très-groſſiers, & que le Mantuan » fût Religieux. Amintas dans une mauvaiſe humeur où il eſt contre les Loix & contre l'honnêteté, parce qu'il eſt amoureux, dit que l'homme eſt bien fou de s'imaginer qu'il ira dans les » Cieux apres ſa mort, & il arrive que tout ce qui » en arrivera, ſera peut-être qu'il paſſera dans un » oiſeau qui volera dans les airs. En vain le Mantuan pour excuſer cela, dit qu'Amintas avoit paſſé » bien du tems à la Ville ; en vain Badios ſon » Commentateur, car tout moderne qu'eſt le Man-

B.

» touan, il a un Commentateur, & aussi zélé que » le seroit celui d'un Ancien, tiroit de là cette belle » réflexion, que l'amour fait qu'on doute des cho- » ses de la foy. Il est certain que ces erreurs-là, » qui doivent être détestées de tous ceux qui les » connoissent, doivent être ignorées des Bergers.

» En récompense le Mantuan fait quelquefois » ses Bergers fort dévots. Vous voyez dans une » Eglogue un dénombrement de toutes les Fêtes » de la Vierge, qui promet à un Berger, que » quand il aura passé sa vie sur le Carmel, elle » l'enlevera dans des lieux plus agréables, & lui » fera à jamais habiter les Cieux avec les Driades » & les Hamadriades, nouvelles Saintes que nous » ne connoissons pas encore dans le Paradis.

Ad hæc omnia ipse respondit Baptista Mantuanus, vel partim confitens, vel partim amicorum causans impatiens desiderium, vel partim præposterum editionis laborem accusans: *dum ego Romæ*, inquit, *graviùs admodum Reipublicæ meæ negotiis insudarem.... Amici Bononiæ putantes debitum amicitiæ officium se præstare, me nescio, Protocollum meum, quod eis ut nauci & peripsema quoddam reliqueram, divulgarunt.... hoc ut rescivi, dolui quidem: Verum-ne amicos contristarem, & quod videbam remedio jam amplius locum non esse, tacui & dissimulavi; statuens tum, si unquam, me vivente iterum formarentur, emendare & emaculare multos locos: Quod faciam, si talis unquam redibit occasio.* Hæc scribebat ad Joannem Picum Mirandulæ Kalendis Octobris 1490. Longè antea, sive duobus annis Apologeticon scripserat, in quo, *omnes præmonitos volo*, inquit, *si quia meæ jucundissimæ Parthenicæ decoris & venustatis deest (multum autem deesse quis dubitat) impatienti Refrigerii desiderio totum imputandum esse: cujus longis precibus expugnatus me exorari, & libellum quasi implumes pullos, antè tempus passus sim volare de nido.* Anno 1508. ad suum Fratrem Ptolomæum Hispaniolum scribèbat: *Edidi & ego vivens opera mea, ut vitia erudiam quæ annotantur, & quæ excusari possunt, excusem vivens.... feci quoque hoc corsum, ut manum aliquando levarem de tabula; & ut his curis absolutus, ad Theologiæ studium, quo longè plus oblector, me conferrem. Ego namque Poëma omne carptim composui, cursim absolvi, non ferè aliter, quod canes aiunt bibere in Ægypto.... sed quid ego frustrà pergo omnem labem diluere, ad omnia quæ imputantur, respondere.... docet rectè Horatius in Poematibus quid sit venia dignum, quid indignum. Ait enim in Arte Poëtica* (pag. 576. Rodel. Edit.)

Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus.
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus, & mens,
Poscentique gravem persæpè remittit acutum.
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.
Verùm ubi plura nitent in Carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura. Quid ergo?

» Sint ergo aliquæ maculæ, inquit ipse Ptole- » mæus, Hispaniolus, Baptistæ Mantuani Frater, in » ejus Apologia; sint aliquot nævi, sint nonnullæ » verruculæ in tanta corporis mole Poetici. Quid » tùm postea? Audi quid dicat Quintilianus, *lib.* 10. » *cap. de Imitatione*: In magnis quoque auctori- » bus incidunt aliqua vitiosa, & à doctis inter ipsos » etiam mutuo reprehensa. *Ibid. cap.* 1. Neque id » statim legenti persuasum sit omnia quæ omnes » Auctores dixerunt; utique esse perfecta: nam & » labant aliquando, & oneri cedunt, & indulgeant » ingeniorum suorum voluptati: non semper in- » tendunt animum, nonnunquam fatigantur; » cum Ciceroni dormitare interdum non solùm » Demosthenis oratio, verum etiam Homerus ipse » videatur. «

Approbatores indè nostro etiamsi quandoque Mantuano erranti non defuerunt etiam docti & eruditi, quamvis eos appellare *simplices & ignaros* ausus fuerit Adrianus Baillet, *Jugemens des Sçavans sur les Poëtes, tom.* 4. *num.* 1247. *pag.* 324. *lin.* 20. *Edit. in-4°.* 1722. Hominem simplicem & ignarum dices Joannem Picum Mirandulæ 9. Septembr. 1490. nostro Baptistæ scribentem: » Olim ad te non scripsi, Pater optime, sed inte- » rim legi quæ scripsisti, divina scilicet atque sanctis- » sima tua Poemata, in quibus ea rerum majestas, » is splendor est eloquentiæ, ut certatim in illis » palmam sibi vindicare verba, & sententiæ vi- » deantur. Hoc unum dixero, delectari me adeò » lectione tuorum Carminum, ut ferè quotidiè, » cum me vel tædium vel fatigatio cœperit, in illa » quasi in hortum delitiarum solitus sim secedere, » undè animo tanta semper oboritur voluptas, ut » nihil cupiat magis, quàm iterum fatigari, ut » iterum recreetur. «

Hominem simplicem & ignarum dices Joannem Jovianum Pontanum, Neapoli Kalendis Junii 1499. eidem scribentem: *Et inita Romæ memor sum amicitiæ, & ingenii tui excellens vis, momentis penè singulis id efficit, ut doctrinæ, vel summa etiam cum admiratione, meminerim tuæ. An ejus oblivisćar, quem Latinæ Musæ non memorabilem modo, verùm maximè admirabilem, & nostris faciunt & futuris facturæ sunt secalis?*

Hominem simplicem & ignarum dices Heliam Capreolum Brixianum Jurisconsultum Joanni Taberio scribentem: *Nisi vana sit Pythagoræ Palingenesia, Maronem nobis alterum hæc ætas redivivum produxit, Baptistam hunc Mantuanum, qui virtute Poeticâ Synchronos omnes, ex antiquis etiam complures à se longè reliquit.... Brixiæ IV. Nonas Decembr. M. CCCC XCVIII.*

Hominem simplicem & ignarum dices Jafredum Carolum Delphinatûs Proto-Præsidem post annum 1510. Stephano Ponchiero Parisiensi Episcopo scribentem » Baptista Mantuanus in Fraternitate Car- » melitarum Theologus insignis, nuperrimè Diony- » sium Areopagitam... tribus Libris heroico Car- » mine, sed veritate historicâ describit. Cujus Aucto- » ris laus jam apud omnes tanta est, ut neque meâ, » neque alterius laudatione incrementum aliquod » sit susceptura. Illud tamen ingenuè & audacter » pronuntiare ausim, varium esse opus, & in ipsa » varietate sibi semper constans, ingeniosum, ac- » curatum, & in Christiana Historia tantùm gen- » tilis eloquentiæ expressum, quantùm isto ævo, » non dico sperare, sed ne optare quidem possemus. «

Hominem simplicem & ignarum dices Philippum Beroaldum, Hieronymo Carmelitæ scribentem post obitum nostri Mantuani: » Perlegi nuper divina » divini Baptistæ Carmelitæ Poëmata, quæ eviden- » ter ostendunt parentem rerum naturam in pro- » generandis Poëticis ingeniis haudquaquam deco- » xisse, Mantuamque nobis alterum Maronem ex » Palingenesia Pythagorica reddidisse. Equidem Va- » tes omnes priscos adorandos puto, maximèque » Virgilium, cui huic noster proximus, longo qui- » dem intervallo, sed tamen proximus; in quo in- » genium copiosum & mira doctrinæ multijugæ » felicitas exuberat: fœcundus prorsus artifex; ut- » potè qui versuum millia plurima condiderit, adeò

» ut Musæ, ut Apollo, ut Dionysius, ot Dii omnes Poëtici nullum hoc sæculo indulgentiùs fovisse videantur. Cujus Poemata tersa, erudita, consummata præ se ferunt quamdam facilitatem felicissimam; quæ omnia commendat facilitas scriptoris & doctrina religiosior, & Ecclesiasticum dogma intertextum, quibus veluti pigmentis pretiosis colorata splendescunt. Merito itaque vivens eâ fruitur gloriâ, quam post cineres paucissimi consequuntur; eamque vivus sentit, quæ post fata præstari magis solet, venerationem. Interest posteritati suæ, monstraturque digito prætereuntium, nec solum habetur in manibus & ediscitur; verum etiam in scholis enarratur, & indè saluberrima Tyrunculis dictata Grammatistæ præscribunt.

Versuum millia plurima meritò condita dixit BEROALDUS. Nam BAPTISTA noster tanta, quanta Latinorum Poëtarum nemo alius, typis evulgavit. Teste PTOLEMÆO SPANIOLO: Sed & ipse FRANCISCUS MINUTIOS A RADA Carmelita, referente PETRO LUCIO, accuratè calculi subductâ ratione, deprehendit tribus prioribus tomis, ultra quinque & quinquaginta Heroicorum Versuum millia contineri.

Hominem simplicem & ignarum dices Desiderium Erasmum Jacobo Wimphelingio anno 1517. die 3. Februar. Basileæ scribentem: *Malim Hemistichium Mantuani, quam tres Marullicas Myriadas.* Anno sequenti 1518. ipse Jacobus Wimphelingius Matthiæ Schurerio scribebat: » Reperi ex insperato in Bibliotheca nepotis mei Jacobi Spiegel, Imperialis Secretarii Baptistam Mantuanum in Libris Fastorum lectu dignissimum, in quibus nostra juventus vitam & bonos fines Divorum absque fabellis, & alia scitu utilia sine veneno (quo Tibulius, Propertius, Catullus, Lucretius, Marullus, & horum lascivi similes repersi sunt) à teneris annis imbibere, seque & cæteros aliquando delectare posset. Ea si Calcographiâ propagarentur, confido Hieronymum Gebuvilerum, Jan. Sapidum, Gervasium Sopherum, cæterosque politiorum & christianarum literarum Professores suis discipulis interpretaturos. Proindè si tu, mi Mathia, salutiferæ juvenum institutioni consulere, & castorum Claustralium, qui ex his carminibus delicias per otium capient, fastidia levare voles, exemplar spe non indignaturi nepotis a me accipies, cum expressa Baptistæ effigie; ut in operis tui vestibulo jucundum tanti viri, maturitatisque, & modestiæ suæ, uti præ se fert, præbeat spectaculum. Sunt haud dubiè vobiscum, qui eam nobilissimi Vatis & Theologi imaginem picturâ & cælaturâ aptissimè reddere possint. « Argentorati Kalendis Maii, anni Christi M. D. XVIII.

Hominem simplicem & ignarum dices Petrum Canisium, è Societate Jesu Sacerdotem, in opere illo quod *Marianum* appellavit, *lib.* 1. *cap.* 11. in fine dicentem: *Quid verò si Poëtam Christianum, pium & disertum adsciscamus, qui hoc nobis caput absolvat, simulque suo carmine in templo studia & mores exponat? Is Baptista Mantuanus est, in hunc modum non minùs verè quam eleganter canens, &c.*

Hominem simplicem & ignarum dices D. Cæsarem Baronium Cardinalem, in suis ad Martyrologium Romanum Notationibus, ad 20. Julii & 13. Decembris scribentem: *Baptista Mantuanus Carmelita præclarus Poëta S. Margaritæ Agonem Heroico Poemate pulcherrimo decantavit .... Sanctæ Luciæ, sicut & SS. Virginum Apolloniæ & Margaritæ.*

Hominem simplicem & ignarum dices Marium Æquicolum Joanni-Jacobo Bardellonio IV. Idus Novembris 1508. Cymacli scribentem: » Mihi tuæ literæ redditæ sunt: quibus inter cætera certiorem me reddis Ptolemæum Spaniolum jam ultimam manum imponere Apologiæ, quam pro Germano Carmelita Baptista ter maximo, contra Literatores suscepit .... sinat me hoc agere. Testor me relicturum adversariis nullum provocationis locum; si quid in justissima causa, & in diligentia fidendum est .... nos enim de ortu linguæ Latinæ, & ut altera facta sit, ut in hanc quam vulgò loquimur, veteris umbram paulatim defluxerit, longâ oratione disputamus. Mox, ut Carmelita verborum & simplicium & collocatorum summam habeat rationem, ut priscis ad decorem parcè, ut novis verecundè ad necessitatem utatur, ut propriis & usitatis Latinis insistat semper, ostendemus; ut illorum conglutinatio dulciores numeros, & suave sapiat .... locos præterea obiter illius præclarissimos excutimus; ut sententiis ex abdito erutis Poema redundet; ut omnium Artium & disciplinarum humanæ divinæque Philosophiæ sit refertissimum; ut succi multum, ut sanguinis & nervorum habeat plurimum; ut natura ipsa lætum & fœcundum ingenium præ se ferat; ut propriis ductibus vena indefessè scatens fluat: sic antè oculos ponemus, ut divino interdùm afflatum numine noo possit negari. Habens rem omnem, & consilium meum, cura ne mihi cum Ptolemæo amicissimo concurrendum sit. »

Hujusmodi simplices & ignaros (ut Bailleto placet eos vocare) Bibliothecarios dices, Joannem Trithemium *lib. de Scriptor. Eccles. cap.* 912. Conradum Gesnerum in *Bibliotheca Universali*, Gerardum Joannem Vossium *de Historicis Latinis lib.* 3. *cap.* 11. *pag.* 664. Jacobum Philippum Forestæ Bergomensem in *supplem. Chronic. ad ann.* 1490. *pag.* 409. *Edit.* 1535. Antonium Possevinum in *Apparatu sacro*: Philippum Labbe *in Dissertat. Historica de Scriptor. Ecclesiast. pag.* 173. Georgium-Matthiam Konigium *in Biblioth. veteri & nova pag.* 504. Aubertum Miræum in *Auctuario de Scriptor. Eccles. cap.* 532. ubi eum ætatis suæ anno septuagesimo defunctum perperam scribit? Cæterùm quod ad ejus statuam marmoream attinet, ea Mantuæ (velit nolit Jovius) piè conspicitur in Arcu triumphali è regione Franciscanorum Monasterii, dextrum Virgilio, sinistrum Mantuano, clarissimi Mantuanorum Marchionis quarti Francisci latus claudente, cum tali Elogio.

ARGUMENTUM UTRIQUE

INGENS, SI SECLA COIRENT.

Nam teste Heliâ Capreolâ » vetustatis reverentia, operum multitudine, elegantiâque Virgilius sit extra aleam omnium quasi Pontifex Maximus; ille tamen res humanas, hic noster *Mantuanus* divinas cecinit, nullo præsertim invitatus Mœcenate, sui tantùm ipsius non alienus imitator.

Inter Carmelitas, qui Baptistam Mantuanum celebrarunt, occurrunt inprimis Hieronymus Mediolanensis, qui referente Philippo Beroaldo ad eum scribente, *Poëmasa ejus omnia* in unum quasi corpus compacta, & ex Archetypo diligentissimè descripta tradidit anno 1488. Benedicto Bibliopolæ Bononiensi. Angelus Coloniensis, qui *Fastorum libris XII.* Materno Cholino Coloniensi Bibliopolæ imprimendos XV. Kalend. Maii 1518. commisit. Laurentius Cuperus Montis Girardi Carmelita in *Epistola dedicatoria*,

B.

dedicatoria, quæ *primo hujus operum tomo* præfigitur anno 1576. Petrus Lucius Bruxellensis, in *Bibliotheca Carmelit. pag.* 9—13. Joannes Maria Pensa in *Theatro Virorum Illustrium Conventûs Mantuæ.* Franciscus à S. Maria Excalceatus, *Lib.* I. *Historiæ Reformationis Hispanicæ*, *cap.* 5. Ludovicus à S. Teresia itidem Discalceatus, in successione Eliæ, *cap.* 235. & *seqq. pag.* 583——593. Joannes-Baptista de Lezana *tom.* 4. *Annal. pag.* 868—957. & 970. Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi*, *parte* 1. *pag.* 1671 & *seq.* Daniel à Virgine Maria in *vinea Carmeli pag.* 337. *num.* 966. idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani pag.* 976 *num.* 3427. ibid. *pag* 1068. *num.* 1699. Ludovicus Jacob *in Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 40. & *seqq.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 384.

In Bibliotheca Ducum Urbinatum, quæ reperitur in Vaticana Bibliotheca, Codice signato 1512. pag. 40. legitur Breve Leonis X. ad Reverendissimum Magistrum Baptistam Carmelitarum Generalem, pro componenda pace inter Franciscum Francorum Regem, & Ducem Medionali atque Helvetios. Hoc Breve datum est sub annulo Piscatoris, die tertiâ decimâ Julii 1515. Pontificatûs tertio anno. Responsio Magistri Baptistæ ad summum Pontificem sub die ultima Julii, Mantuæ. Exhortatio ad pacem componendam cum Duce Medioiani, sub eadem die ultima.

Ex quibus satis claré conjicitur quòd Legati summi Pontificis Leonis X. munus exercuerit noster Baptista Mantuanus.

XI.

BARNABAS A S. CÆCILIA, Nannetensis Armoricus, in seculo dictus ANTONIUS PETRI, Carmelitis nomen dedit anno 1719. Redonibus. Hunc tenerrima pietas, Religiosa suas varias ad functiones obeundas sollicitudo, virum præstantissimo exemplo dignum præbuerunt; raræ ad Officii decorem divini & majestatem promovendam dotes pretiosum, suis utilem sodalibus reddiderunt, apud quos tum Aurelianenses tum Redonenses pium & Concionatoris & Pithaulis seu Organistæ monus sustinuit. Redonis autem pectoris languore debilitatus juvenis senex obiit anno post Christum natum 1747. die 16. Augusti, ætatis suæ 38. professionis autem anno decimo actavo, edidit Latinè,

1. *Missas suavissimo ac facillimo modulamine musico pro nuda voce compositas, instar plani simplicisque cantus, pro majori gratiorique cantorum (Musices non benè peritorum) facilitate*, *notatas.* Nannetis apud Nicolaum Verger, 1739. *in-folio. pag.* 23.

2. *Solutionem quæstionis circa diem quâ possint Carmelitæ recitare in Choro Officium de B. Virgine*, *juxta facultatem à S. Rituum Congregatione concessam.* Redonis, 1732. in-4. pag. 4.

3. *Supplementum Breviarii Ordinis Fratrum B. V. Mariæ de Monte Carmelo*, *continens nova Officia Sanctorum, sive pro tota Ecclesia, sive pro dicto Ordine specialiter ordinata, usque ad Sanctissimum D. Clementem Papam XII. &c.* Rhedonis 1744. apud Josephum Vatar. *in*-12. 1. vol. pag. 186. edi curavit.

XII.

BARNABAS A S. MARIA, Discalceatus Carmelita edidit Italicè Libros duos, quorum primus est *Nova stella in oriente visa*, *in morte V. P. David Excalceati Carmelitæ*, Venetiis, anno 1693. *in*-8°. Secundus, *Oratio Panegyrica in laudem Sanctorum Faustini & Jovitæ*, Bressiæ anno 1703. *in*-4°. Ità recitatur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, pag. 44.

XIII.

BARNABAS A S. MATHURINO, patriâ Turonensis, & Turoniæ Carmelitarum Provinciæ assecla, pietate ergà Deum, mansuetudine erga Fratres, Doctrinâ cùm Sodales apud suos, tum apud extraneos conspicuus: sacræ Theologiæ Professor solidus, concionator opere potens & sermone, animarum Dux prudens in viam salutis: Prioris & Definitoris muniis sagaciter exercitis, suæ ad Provinciæ regimen vocatus fuit in Comitiis Provincialibus anno 1699. die 15. Maii, Aureliæ celebratis. Anno 1700. ineunte, acceptis à R. P. CAROLO PHILIBERTO BARBERICO * totius Carmelitani Ordinis moderatore supremo literis, quibus commendatio ei fieret, ut è sua Provincia aliquem eligeret Religiosum, qui selecta de suæ celebrioribus & ejusdem Proviociæ illustrioribus tum pietate tum doctrinâ viris, commentaria diligenter colligeret, Patrem *Columbanum à Nostra-Domina de Monte-Carmelo* destinavit, & de consensu suorum Definitorum in annua Congregatione adunatorum Rhedonis die 7. Maii nominavit. Qua de re Epistolam Encyclicam ad omnes Conventus eodem anno misit, quorum superiores adhortatur, ut collectanea suum ad Cœnobium respectivè spectantia, deferri eidem P. COLOMBANO Juliodunensi Suppriori curarent. Ipse autem R. P. BARNABAS nemini justum offensionis dans locum, propriis etiam nunc invidis suis gratiosus, ipsis bona faciens, Prior Conventûs Parisiensis Sanctissimi Sacramenti, suo expirante triennio, obiit die 27. Martii anno 1703. Scripsit Gallicè,

1. Opus celebre Potentissimo Dom. Duci Mazarino Armando Carolo de la Porte, Duci de la Meilleraye dicatum, *Annum Apostolicum* nuncupatum, complectens *varios discursus sivè morales sivè panegyricos super Mysteria Domini*, & *Festa Beatissimæ Virginis Mariæ.*

2. *Encomia omnium fermè Sanctorum & Sanctarum*, ut in Legenda distribuuntur: Mss.

3. *Conciones Dominicales totius anni.*

4. *Adventuales & Quadragesimales Conciones Mss.*

5. *Octavas SS. Sacramenti*, *Assumptionis B. Mariæ & Defunctorum*, Mss. Quæ omnia servabantur olim in Bibliotheca Carmelitarum Parisiensium Conventûs SS. Sacramenti.

Celebrem habent de nostro Barnaba mentionem *Acta Mss. Provincialium Provinciæ Turoniæ*, nec non præfatus Columbanus in *Encomio brevi illustrium virorum Provinciæ ejusdem*, *Mss. pag.* 30.

XIV.

BARTHOLOMÆUS AB ASCENSIONE, Carmelita Nudipes, Castellæ veteris alumnus, concionator facundus; omnibus quæ virum Religiosum decent, virtutibus imbutus, scripsit sequentia volumina, quæ Burgis asservantur & inscribuntur.

1. *Materiæ Morales*, *in*-4°.

2. *Sermones varii in*-4°. *tres tomi.*

3. *Exhortationes Spirituales in*-4°.

Ità refert *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 45.

XV.

BARTHOLOMÆUS A S. BASILIO, cognomento, sivè in sæculo dictus SANCHEZ, natione Hispanus, patriâ de *Arazena* vel Caracena,

* Tunc enim Bibliothecam Scriptorum Ordinis meditabatur R. P. Andreas à S. Nicolao, de quo suprà, pag. 58.

Carmelita Discalceatus, Pastranæ anno 1578. Professus. Magister Novitiorum Granatensium, Prior Malacanus & Matritensis, deinde Definitor Generalis, Theologus Complutensis & Concionator non ignobilis: vir vitæ Eremiticæ amantissimus, omnibus decoratus virtutibus, ingenio & eruditione clarus, obdormivit in Eremo de Bolarque, anno salutis 1618. ætatis suæ 70. Religionis autem 40. postquam scripsisset,

De exercitiis spiritualibus Novitiorum tractatum asceticum Ms.

De illo laudes tenent Franciscus à S. Maria, *Lib. 2. Historiæ Reformationis S. Theresiæ, cap. 38. & Lib. 3. cap. 9.* Joannes Caramuel *in vita Dominici à Jesu Maria, pag. 128.* Hieronymus à S. Joseph *in vita Joannis à Cruce.* Philippus à SS. Trinit. *Lib. 3. vita Dominici à Jesu Maria, cap. 2.* Jacobus Gaffaretus in *Typo S. Teresiæ.* Isidorus à S. Joseph *Lib. 3. Annal.* Ludovicus Jacob *in Biblioth. Carmelitana Ms.* ad Schedam *pag. 43.* affixam.

XVI.

BARTHOLOMÆUS DIAZ DE ENZINAS, Toletanus, antiquioris regularis observantiæ Carmelita, LAURENTII UXENTINI in Regno Neapolitano Episcopi Frater gemellus, anno 1599. natus, exeunte mense Martio. Ambo sese dicarunt Deo, & B. Virgini de Monte Carmeli, & in ejus Ordine non vulgarem acquisierunt eruditionem. Bartholomæus Philosophiæ ac Theologiæ Toletique Complutique apud suos Professor, obiit anno 1641. Scripsit autem opus inscriptum Hispanicè,

Camino facil de agradar a Dios: id est Latinè *via facilis placendi Deo.* Compluti apud Antonium Vasquez, anno 1641.

Hæc habet Nicolaus Antonius *tomo 1. Bibliotheca Hispana, pag. 941. num.* 3305.

XVII.

BARTHOLOMÆUS EISELIM, natione Germanus, Carmelita Helprunensis, sacræ Theologiæ Doctor anno 1603. renuntiatus, Provinciæ Germaniæ Superioris Prior Provincialis an. 1616. Eo tempore scripsit *Relationem de Conventibus* hujus suæ *Provinciæ* ad *Reverendiss. THEODORUM STRATIUM Ordinis Generalem*; quâ quidem usus est in suis Annalibus Joannes-Baptista de Lezana tomo 4. anno 1281. pag. 425. anno 1282. pag. 428. anno 1292. pag. 459. anno 1349. pag. 596. anno 1367. pag. 663. &c. anno 1393. num. 6. pag. 740. anno 1392. num. 2. pag. 733.

Bartholomæum Eiselim laudat Franciscus Voersius in *vita Henrici Silvii pag.* 107. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris pag.* 463. ubi eum vocat MATTHÆUM, & ei opera donat inscripta: MALLEUS HÆRESUM FIRMISSIMUS. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 43.

XVIII.

BARTHOLOMÆUS EDETANUS, natione Celtiber, Cæsaraugustani Carmeli & civitatis filius: sed labente tempore, Bæticæ Provinciæ adoptatus, à confessionibus fuit Reverend. Dom. Alphonso Fontis-Salicis Mentinonensis Episcopo: quo Principe, Rector primus & Erector evasit Mentosæ Cœnobii. Mentosa quidem olim Episcopalis, cui in Episcopatu Giennium successit. Multa circa annum 1543. scripsisse Bartholomæus hic refertur ab Alegreo Cassanato *in Paradiso Carmel. &c. pag.* 394. ipsius fides sit; citantis Philippum à S. Jacobo in Catalogo Illustris Episcopi Alguerensis.

XIX.

BARTHOLOMÆUS FANTI, patriâ Mantuanus, & Mantuanæ Congregationis Carmelita, magnumque illius ornamentum, Concionator egregius, vir nobilitate illustris, sed vitæ sanctitate illustrior, migravit è vita anno Christi 1490. ætatis suæ 47. hujus corpus integrum visitatur Mantuæ apud Carmelitas in sacello Mariano, ad altaris dexteram. Scripsit,

1. *Sermones* editos Bononiæ, anno 1307. *in-4°.*

2. *Leges secularium in Congregatione, sub invocatione B. V. Mariæ de Monte-Carmelo à se institutæ.*

De Bartholomæi Fanti laudibus & scriptis agunt Joannes-Maria Pensa in *Theatro virorum illustrium Conventûs Mantuæ.* Hippolitus Donismundus Minorita, *Lib. V. Historiæ Mantuæ.* Hippolitus Marraccius in *Bibliotheca Mariana.* Joannes-Baptista de Lezana, tomo 4. anno 1367. num. 4. pag. 663. Franciscus Bonæ spei in *Visione Eliæ.* Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 43. Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiosi, parte prima, pag.* 175. obi vocatur Vener. BARTHOLOMÆUS DE MANTUA, vir opinione sanctitatis inclytus, miraculis in vita & post mortem clarus, individuus Beati BAPTISTÆ MANTUANI collega, virtutum ejus & sapientiæ fidelis imitator, anno 1510. mortuus. Cassanat. *pag.* 388.

XX.

BARTHOLOMÆUS DE LOAYSA; Bæticus Provinciâ, Antiquariensis patriâ, vel Toletanus, Carmelita, Doctor Theologus, ac in Conventu Cordubensi Professor, egregius concionator, edidit,

1. Ad Petrum Castrum à Quinones Archiepiscopum Hispalensem, & Fernandum Martini Episcopum Algarbiorum: *Los Triunfos de la Reyna de los Angeles*; sive *de Immaculata ipsius Conceptione.* Hispali per Gabriel Bexanaro, 1616. *in-4°.*

2. *Sermon de S. Tereza, en la Fiesta de su Beatificacion.* Qui cum aliis ejusdem argumenti concionibus legitur in *Collectione R. P. Josephi à Jesu Maria* Carmelitæ Discalceati, edita Matriti, anno 1615. *in-4°.*

De Bartholomæo à Loaysa videri possunt Lezana in *Apologia pro B. V. Mariæ Conceptione*: Hippolitus Marraccius in *Bibliotheca Mariana*; Petrus de Alva in *Militia Immaculata Conceptionis*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmel. Decor. pag.* 477. Franciscus Bonæ spei in *Visione Eliæ.* Nicolaus Antonius, *tomo 1. Bibliotheca Hispana, pag.* 154. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 43.

XXI.

BARTHOLOMÆUS MARIA A S. CAROLO, Carmelita Nudipes, Mediolanensis, Examinator Synodalis Diœcesis Ticinensis, scripsit Italicè, sicut profert Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag. 45.

Scholam veritatis & prudentiæ, variis Consiliis spiritualibus illustratam, Scripturâ, sanctis Patribus, Historiis, ac sanctis quinque prudentibus Virginibus, Clara, Gertrude, Catharinâ Senensi, Teresiâ, ac Magdalenâ de Pazzis, desumptis. Ticini, anno 1714. *in-4.*

XXII.

BARTHOLOMÆUS A MATRE DEI, Parisiis natus exeunte anno 1590. in sæculo dictus Delahaye, institutum Carmelitarum Excalceatorum ibidem professus est anno 1618. die 9. Septembris, & die 15. Octobris 1721. ante Sacerdotium adeptum defunctus. Scripsit Gallicè :

1. *Compendium vitæ S. Theresiæ.* Parisiis, apud Sebastianum Huré, anno 1622. in-16. Legitur etiam in flore Sanctorum Gallicè *in-fol.* edito apud eumdem.

2. Exclamationes animæ erga Deum à S. Theresia scriptæ, ibidem Gallicè translatæ, hoc scilicet anno 1622. die 12. Martii, quo S. Theresia à Gregorio XV. in Catalogum Sanctorum admissa fuit.

Vitam Bartholomæi nostri compendiosè scriptam habet Ludovicus à S. Theresia *Lib.* I. *Annalium Carmelitarum Excalceatorum Franciæ, cap.* 55. *pag.* 138. Aliquid de illo scribit Ludovicus Jacob *in Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 43. Lineolam autem de eodem exhibet Martialis à S. Joanne Baptista in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag. 45.

XXIII.

BARTHOLOMÆUS CAMPAGNOLA, Theologiæ Professor, ac Prior Provincialis Carmelitarum Provinciæ Venetiarum, innotescit nobis ex Libello supplici, quem *Abundantia*, monialis Monasterii Brixiensis, Tertii Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo, anno 1507. die 22. Octobris obtulit Julio II. Pontifici Maximo, ad facultatem obtinendam de construendo Monasterio Monialium sub cura ac regimine Provincialis Venetiarum, & de exemptione à Provincia Mantuana. Cui supplicationi annuit benignè idem Romanus Pontifex eodem anno, die 27. ejusdem mensis Octobris, prout fusiùs refertur in dicto supplici Libello, & in Brevi Apostolico, quod legere potes *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 436. *& seqq.*

XXIV.

BARTHOLOMÆUS MARIA A S. CAROLO, Mediolani natus die 2. Junii, anno 1650. & in sæculo Joannes-Baptista Bascius nuncupatus, Carmelitis Discalceatis nomen dedit : inter quos, etiam in juventute, singulari pietate effulsit. Studiis enim seduló deditus in operibus sanctorum Patrum perlegendis præcipuè insudavit : ideò Theologus, Canonista atque Examinator Synodalis in Diœcesi Placentina per multos annos extitit. Eminentissimus Cardinalis Cusanus pluries à Consiliis ipsum voluit, non solùm in rebus ad suam Ecclesiam Ticinensem spectantibus, sed etiam in aliis, dum Bononiensi legatione fungeretur. Hic Religiosus ex Nobili da Bassis familia natus, denatus est die 31. Octobris anno 1719. Opera ejus quæ ex plurimis aliis deperditis supersunt, duo tantummodò numerantur :

1. *Scuola di verità aperta alle sacre Vergini.* Pavia, presso li Fratelli Gardignani 1714. *in* 4°.

2. *Panegyri vari.* Piacenza, nella Stamperia Ducale del Baxacchi 1686. *in*-4°.

Celebrant Bartholomæum Mariam da Bassis a S. Carolo Raphaël Fagnanus J. C. C. in *Commentario familiarum Mediolanensium Nobilium, ab anno* 1578. *ad annum* 1623. *Mſ. Lit. B.* Philippus Argelati, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, tom.* 1. *pag.* 124. *num.* 172. & *tomo* 2. *pag.* 1838. *num.* 2067. ubi inaccuratè distinguit *Joannem-Baptistam Bassum à Joanne-Baptista Bascio*, quasi duos Carmelitas Discalceatos, ejusdem Operis *de scientia veritatis* Auctores, eodem mensis ejusdem Octobris die 31. & eodem anno 1719. defunctos.

XXV.

BARTHOLOMÆUS MASCI, sacræ Theologiæ Professor Carmelita, *Libellum supplicem* Innocentio VIII. Pontifici Maximo, anno 1488. obtulit, exponens : quod ipse fuerit pluribus annis Prior Provincialis Provinciæ Tusciæ, & illam adeò laudabiliter gubernarit, ut à Prioribus & Magistris dictæ Provinciæ in Provincialem adhuc electus extiterit. At quamvis secundùm præfatam electionem ipse deberit in dicto officio confirmari, nihilominùs Capitulum Generale, in Conventu *Rupeculæ* Provinciæ die 26. Maii celebratum, alium nominavit.

Quapropter Summus Pontifex attendens bonum regimen dicti Fratris Bartholomæi, ex quod ipsum jam senio confectum magis decet gubernare, & dirigere juvenes, quam ab aliis dirigi & gubernari, mandat Pontio Rainaudo totius Ordinis Priori Generali ut ipsum Bartholomæum in Vicarium Generalem Coventûs Carmelitarum Florentiæ, usque ad Capitulum Generale de proximo celebrandum, instituat & deputet, cum facultatibus opportunis, juribus tamen Provincialibus dictæ Provinciæ servatis. Breve Apostolicum singulari die 24. Junii, anno 1588. *tomo* 1, *Bullarii Carmelitarum, pag.* 402.

XXVI.

BARTHOLOMÆUS MOZZONUS, Mediolanensi ex Nobili Gente ortus, in Congregatione Mantuana Carmelitarum Ordinem professus, Sacræ Theologiæ Doctor eximius, acutissimus Metaphisicus, atque celeberrimus Orator evasit, Philosophiæ *Mediolani* vacavit, Theologiæ verò *Ferrariæ*, & *Bononiæ*; in quibus præclaris facultatibus cum publica doctrinæ dedisset specimina, Magisterio decoratus fuit. Suis plures per annos Sodalibus perlegit, tùm in sacris rostris animarum salutem promovere curavit. Divinos Libros in Templo Ducali S. Joannis ad Conebam, in Mediolanensi Metropoli biennio publicè interpretatus est. Quadragesimali tempore *Bononiæ*, *Ferrariæ*, *Ticini*, *Brixiæ*, aliisque Italiæ urbibus Conciones habuit laudatissimas. Dixit etiam eloquentes Orationes non paucas ad Sanctorum commendationem in primariis *Mediolani* Basilicis.

Præfoit Conventui suo Mediolanensi, tum Definitoris munus & Vicarii Generalis officium, nec-non totius Congregationis Præsulatum sibi communi suorum consensu, & Apostolicæ Sedis judicio demandatum prudentissimè rexit. Carolo II. Hispaniarum Regi carus extitit, ac pro eodem apud Franciscum II. *Estensem Mutinæ* & *Regii* Ducem, tum apud Ferdinandum Carolum, *Mantuæ* & *Montisferrati* Ducem, honorificus Præsidens extitit. Quod munus dum gereret, in Urbe Mantuana mortalitatem exuit tertio Kalendas Julii, ætatis suæ anno 65. Christi verò 1692. Justa illi peracta sunt funebria in Templo Carmeli Mantuani, ubi conditus jacet. Illius Opera partim edita, partim manuscripta hæc sunt :

1. *Il Rovero di Mosè : Panegyrico per S. Antonio de Padova, recitato nella Basilica di S. Francesco, l'anno* 1653. Milano 1653. *in*-8°.

2. *Quaresimale Mſ. in-folio* apud suos servatum.

3. *Un Volume di Panegyrici* Mſ. apud eosdem.

Bartholomæum Mozzonum laudant Josephus-Maria Fornara in *Chronico Monasterii Carmeli Mediolani Italicè, parte* 1. *Cap.* 6. *pagg.* 102. & 103, Philippus Picinellus in *Athenæo Virorum literatorum Mediolanensium, pag.* 70. Joannes Scithonus, in *Schedis Mſſ.* Carolus Vaghus, in *Commentario Carmelitarum, pag.* 336. Philippus Argelati, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolan. pag.* 977. *num.* 1170.

B.

XXVII.

BARTHOLOMÆUS PEYRO, cui patriam tam naturæ, quam religionis Carmelitanæ dedit *Perpinianum*, Doctor Theologus Parisiensis, assumitur primùm in socium JOANNIS-BALISTARII, Prioris Generalis, celebratis Comitiis apud Montem-Albanum, anno 1366. Post triennium, anno scilicet 1369. dum Comitia celebrarentur in Monte-Pessulano, ad munus Procuratoris Generalis totius Ordinis evehitur, atque in eodem munere confirmatur per Capitulum Generale Aquis-Sextiis anno 1372. & rursus in Comitiis Generalibus Podiensibus anno 1375. Post hæc in Capitulo Generali Brugis anno 1379. electus fuit primus Provincialis Neapolitanæ Provinciæ, tunc erectæ.

Sub eodem tempore excitato perniciosissimo omnium schismate, URBANUM inter VI. & CLEMENTEM VII. huic, cum suis Hispanis & Gallis adhæsit BARTHOLOMÆUS noster, qui post varia discrimina factus est Episcopus *Elnensis* seu *Helenensis* in Catalonia; cum jam Avenionem se recipiens, ibi testis fuisset examinatus in favorem CLEMENTIS VII. sic enim ex Registro Pontificio Romam Avenione translato hausit Illustriss. *Joseph Saarez* Episcopus Vasionensis, qui Carmelitis id retulit. Constat autem hunc Bartholomæum Elnensi Ecclesiæ præfuisse, anno 1406. decessisseque aiunt anno decimo quinto ejusdem seculi decimi quinti, sive vigesimo. Scripsit,

De Sanctis Sermones, *Lib. I.* Quem laudat Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliothecæ veteris Hispaniæ*, *pag.* 134. *num.* 51. Huic præiverunt Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad annum* 1379. & Lodovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 43. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 329. Et secutus Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 914. *num.* 3177.

XXVIII.

BARTHOLOMÆUS PORTHALENGIUS, vel *Portalignus*, vel *Portalenghius*, vel *Portenliquius*, vel *Portolongius*, natione Gallus, ex oppido *Luci* in territorio Arelatensi, Doctor Theologus, Avenionensis Carmeli Prior, electus est Episcopus Trojanus, in partibus Infidelium, & institutus suffraganeus Reverendiss. Dom. Orlandi de Carretto Avenionensis Archiepiscopi, die 15. Maii, anno 1523. ut posset exercere Pontificalia in ea Archidiœcesi.

Scripsit Epistolam Latinam ad Joannem Demophilacem Gandavensem Carmelitam, qui nostro Portenliquio suam *Christomathiam* dedicavit. Incipit: *Clarissimus Heccaton stricus ille radianti*, &c. sicut scribit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 44. ubi nostrum Bartholomæum, non Avenionensem, sed Lugdunensem & Viennensem suffraganeum appellat. Contrarium tamen evincunt *Acta Consistorialia HADRIANI VI.* & tomus secundus *Speculi Carmelitani*, *pag.* 914. *num.* 3178. nisi vario de tempore illud asseveratur.

XXIX.

BARTHOLOMÆUS DE RACOLI, filius Comitis de *Rocacolio*, Tolosanus Carmelita, Doctor Thologus, Provinciæ Tolosanæ Prior Provincialis, deindè post spontaneam demissionem *Joannis Grossi*, in Comitiis apud *Nannetas* anno 1430. celebratis in Priorem Generalem electus est, vir in omni scientiarum humanarum divinarumque genere versatissimus: postea instituitur Episcopus *Massiliensis* ab EUGENIO IV. die 5. Novembris 1433. Sed Synodus Basileensis *Ludovicum de Glandeves* ad eamdem Sedem nominavit: undè inter illos duos Episcopos Massilienses, magna controversia oritur; quia dicta Synodus hoc ipso anno 1433. Sess. 12. die Lunæ 13. « Julii statuerat electiones » omnium Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathe» dralium, Collegiatarum, & Monasteriorum & » dignitatum electivatum non amplius faciendas per » Romanum Pontificem, sed secundùm juris com» munis præscriptum: ideò Synodus, ut EUGENII » electionem repudiaret *Ludovicum de Glandeves*, » qui Concilio aderat, Episcopum Massiliensem » nominavit.

» Ab EUGENIO committitur delegatus ut BAR» THOLOMÆUM in possessionem mitteret: at cum » *Ludovicus* parentis sui Baronis *de Faucon* factione » valeret, tum etiam patrocinio *Basileensis* Concilii » se tueretur, nec-non *Johannæ* Reginæ Regentis » & Comitissæ Provinciæ, non potuit BARTHO» LOMÆUS pacatam possessionem obtinere. Cùm verò » Legatus Pontificis mansuetudine nihil proficeret, » fulmine Ecclesiastico usus Urbem interdicto subji» cit, & vicinos pagos; cui Ecclesiæ *des Accoules*, » & *S. Salvatoris* solæ non paruerunt Pontifici, » cæteris omnibus à Sacris ita abstinentibus, ut defun» ctorum corpora in locis profanis per quinque men» ses sepelirentur.

» Consules Urbis, ut turbatis rebus medelam affer» rent, convenerunt *Johannam* Reginam *Aquis-* » *Sextiis* tunc agentem; quæ adhibito super hac de re » secretiori suo consilio, declaravit interdictum » nullius esse momenti, cum esset contentio de Epis» copatu inter duos, & provocatum est ad Curiam » Romanam. Ast eum Clerus eam Sententiam satis » intelligeret Ecclesiæ Canones, & auctoritatem » labefactare nec posse tutâ conscientiâ, urbem per » sententiam Laicorum liberari absolvique à Censura » Pontificis legitimè inflicta, parere constanter re» cusavit. Undè ipsi Consules Massiliæ ad Legatos » Pontificis confugiunt, ut vinculum interdicti sol» vant, quod ipsi negavêre.

» Iterùm ergò adeunt Reginam, quæ modestiore » consilio usa, ELIONEM DE GLANDAVAS, » Baronem DE FAUCON, LUDOVICI EPISCOPI » parentem enixè adhortatur, ut filio suo suadeat » abdicationem Infularum, ut sic Ecclesiæ pax resti» tuatur. Quod ipso recusante, tumultuque Urbis » usque ad pugnas prorumpente, stantibus plurimis » ex parte Cleri & BARTHOLOMÆI, cæteris Laicis » ex parte LUDOVICI, Regina misit qui factionem » sedarent, pollicerenturque brevi cessaturum inter» dictum.

» At in publico Cœtu convocato, Sacerdos qui» dam proclamat, non aliam esse viam conciliandæ » pacis, quàm BARTHOLOMÆUM Sedi restituendo. » Quâ voce Plebs commota prorumpit in clamores, » in minas, in arma, Domum Episcopalem quam » servi LUDOVICI obtinebant, obsident, irrumpunt, » S. SALVATORIS & DES ACCOULES invadunt Eccle» sias, quæ interdicto parere neglexerant; demùm » involant in quoscunque à LUDOVICI partibus stare » arbitrantur?

» Consules ergo his turbulentis motibus finem » imposituri, ad BARTHOLOMÆUM qui *Avenionem* » secesserat, delegant à quibus advocaretur. Tum » ille urbem ingressus festivâ Cleri & populi accla» matione exceptus est, & tandem Ecclesiæ præfuit » per annos 13. *declarans* anno 1434. irrita *quæ ab* » *Officialibus Venciensis Diœcesis usurpata fuerant*, » nempè LUDOVICUS DE GLANDEVES, ejus æmulus, » Venciensis erat Episcopus. « Obiit autem Massiliæ, anno Domini 1445. ibidemque in sua Cathedrali Ecclesia sepultus, absque ulla inscriptione, licet Cassanatus sequens Epitaphium huic tribuerit.

Ante

D. O. M.

Ante oculos saxum Doctorem deprimit ingens,
Cujus ad interitum sacra Minerva gemit.
Siste gradum, Lector : fulvo dabis oscula saxo,
Raccolii Corpus hæc tenet Urna Patris.
Massilia hæc plora, mœstisque incede lacertis,
Hic perit in toto quod volat Orbe decus.

Scripsit hic Præsul, qui omne tempus ferè in scribendo & docendo contrivit, plurima è quibus innotescunt,

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentarii.*
2. *Sermones, Libro uno.*

De illo mentionem habent celebrem Nicolaus Bertrandus, *de rebus & gestis Tolosanorum*; Antonius de Ruffi in *Historia Massiliensi.* Joannes-Baptista Guesnay in *Annalibus Massiliensibus. Gallia Christiana, primæ, secunda, tertiæ editionis, pag.* 662. Ægidius Gelenius in *Saerario Coloniensi, pag.* 482. & 486. Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali :* Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro, tom.* 1. *pag.* 175.

E Carmelitis Joannes Palæonydorus, *Lib.* 3. *fasciculi tripartiti, cap.* 14. Arnoldus Bostius, *Lib.* 7. *Speculi Historialis, cap.* 48. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 333. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 16. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *anno* 1430. *pag.* 817. Ludovicus à S. Teresia in *successione Eliæ, cap.* 244. *pag.* 817. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 44. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli, pag.* 534. *num.* 959. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 914. *num.* 3179. Omnes hi non conveniunt de anno ejus electionis in Priorem Generalem, sed corrigendi per *Librum Ordinis* Carmelitici *Ms. pag.* 34. qoi hunc annum assignat 1430.

X X X.

BARTHOLOMÆUS RAGUSIUS, natione Siculus, patriâ Mazarensis, Siculæ Carmelitarum Provinciæ decus, omnium scientiarum splendoribus, usque ad admirationem clarus, præsertim sacræ Theologiæ Magister doctissimus. In concionando celebris eruditione, laborisque patientissimus fuit. Nonnulla præclarè obita munera singularem ejus dexteritatem detexêre. Nam in Sicilia præfuit Provincialis an. 1573. Vicarias gessit partes ANTONII LOMBARDI Episcopi Mazarensis : & PII V. Pontif. Max. jussu Visitatorem Generalem egit Agrigentinæ Diœcesis.

Cum autem JOANNI-BAPTISTÆ RUBEO Carmelitici Ordinis Generali egregiæ BARTHOLOMÆI dotes innotuissent, socium sibi delegit in perlustrandis Provinciis Hispaniarum, Lusitaniæ, & Galeciæ. Hieronymos item TOSTATUS celeberrimus Carmelita Hispanus, & variarum Provinciarum Visitator, socium, & in laboribus comitem ipsum voluit : exinde Visitatoris Generalis munere functus est in Provinciis Neapolis, Etruriæ, Lombardiæ, Venetiarum, Romandiolæ, & Calabriæ. In Sicilia decennium Reformatoris, & Provincialis munus exercuit.

Ob eximias virtutes, quibus præfulsit, PHILIPPO II. Catholico Regi gratissimos fuit. Demum Romam contendit, ut totius Ordinis Comitiis adesset pro eligendo totius Carmelitanæ Religionis Moderatore, ad quem honoris gradum ipse, & memoratus TOSTATUS propiùs accedere videbantur : at eodem ferè tempore TOSTATUS Neapoli, noster verò BARTHOLOMÆUS Romæ decessit anno 1585. ætatis 57. non sine veneni suspicione. In ejus laudem ornatissimum Epitaphium concinnavit M. Filocalus Faraldus Neapolitanus Carmelita. Verùm suæ pietatis & eruditionis hæredem Bartholomæus nepotem R. P. Pompeium Ragusium, de quo inferiùs, reliquit.

Plurima conscripsit pietatis & eruditionis plena Opuscula, quorum tamen titulos, & nomina percipere non potuit Antoninos Mongitor, post Petrum Lucium loqoens.

De eo Bartholomæo Ragusio multa habent Pirrus, *not. Eccles. Mazar. pag.* 538. Joseph M. Fornari in *anno memor. Carmelitar. tom.* 2. *pag.* 729. Lucius Belga *in Carmelit. Bibliath. pag.* 16. & 17. Daniel à Virgine Maria *tom.* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 975. *num.* 3423. Alegreus Cassan. *in Paradiso Carmelit. Decor. pag.* 442. Ludovicus Jacob *in Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 44. Daniel Papebrochius *in Actis Sanctorum, tomo* 2. *mensis Maii, pag.* 58. *num.* 10. Lezana *ad an.* 1370.

X X X I.

BARTHOLOMÆUS DE SACCA, Siculus Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor Bononiæ in Capitulo Generali Veronæ ad Athesim anno 1581. habito designatur; anno 1587. Definitor Provinciæ Siciliæ, in Capitulo Generali Brixiensi; & in sequenti Francofordiensi 1593. primus socius Generalis declaratur. Constat etiam ex Comitiis Generalibus Placentiæ, Provinciæ Lombardiæ, 1396. celebratis ipsum Procuratoris Generalis munus aliquandiu exercuisse. Maximè in prædicto Brixiensi Capitulo Procurator designatus est ad impetrandum literas à Principibus Regni Siciliæ pro Canonizatione sancti Alberti Drepanensis Carmelitæ. Quando verò obierit non designant. Scripsit,

In Libros quosdam sacræ Scripturæ Commentaria, quæ Bononiæ dictavit anno 1381. vel 1382.

De illo mentionem habet Joannes-Baptista de Lezana *tomo.* 4. *an.* 1387. *num.* 3. *part.* 723. *an.* 1395. *num.* 5. *pag.* 740. Ludovicus Jacob *in Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 44. *in scheda Ms. affixa.*

X X X I I.

BARTHOLOMÆUS A S. PHILIPPO, Carmelita Discalceatus, Longobardiæ Prior Provincialis, edidit quatuor Literas Pastorales, ad Religiosos directas : quarum,

1. Anno 1634. scripta, differit *de bono observantiæ regularis, ac de unione sovenda inter superiores & inferiores.*

2. Eodem anno scripta, *de interna & extera solitudine, de intentionis puritatis requisita, ad exercendum prædicationis officium, de pace & charitate.*

3. Scripta anno 1635. *de oratione, & interna cum Deo conversatione.*

4. Anno 1636. scripta *de damnis à Diabolo inferentis, occasione Capitulorum Provincialium.*

Extant in *Codice Mediolanensi*, literas hujusmodi plurimas pastorales continente, & Mediolani edito ann. 1671. *in-4°. parte* 2. *pag.* 308. & *seqq.* ut refertur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, pag. 45.

X X X I I I.

BARTHOLOMÆUS SANZZIUS, Toletanus Carmelita, Doctor Theologiæ Salmanticensis, ac publicus Professor, diversis in Monasteriis Prior : deindè bis Provincialis Castellæ Ve-

B.

teris; plurima circa annum 1623. scripsisse fertur, titulo decorata.

1. *Sermonum variorum libri tres.*

2. *Quadragesimale Lib. 1. de Adventu Lib. 1. de Sanctis Lib. 1.*

3. *Notabiles Theologicæ lecturæ variæ.*

4. *Notabilia Philosophiæ Commentaria.* De illo mentionem habent HYPPOLITUS MARACCIUS in *Bibliotheca Mariana*: PHILIPPUS A S. JACOBO in *Indice Scriptorum Carmelitarum*: EMMANUEL ROMAN in *Dilucidario Carmelitico*: ALEGREUS CASSANATUS in *Paradiso Carmelitici Decoris*, pag. 485. LUDOVICUS JACOB in *Bibliotheca Carmelitana Ms.* pag. 44. PAULUS AB OMNIBUS SANCTIS in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, pag. 69.

XXXIV.

BARTHOLOMÆUS SPIRITUS, Gallicè *Esprit*, natione Burgundus, patriâ Semuriensis Carmelita, Provinciæ Narbonæ non alumnus dumtaxat, verum & Prior Lugdunensis atque Cabillonensis, suæ Provinciæ per annos novem Præfectus, Capitulorum Provincialium quater Præses, Doctor Theologiæ, & Generalis Galliarum Vicarius anno 1572. sub JOANNE BAPTISTA RUBEO; ut colligitur ex Subscriptionibus Statutorum Parisiis anno isto 1572. die 1. factorum in Festo SS. Trinitatis, pro reformatione Studii & Regimine studentium Conventûs Parisiensis, quorum Autographum penes se habuit quondam *Ludovicus Jacob*; & quibus subscripserunt *B. Spiritus*, Vicarius Generalis, & pauló post *J. Maistret*, Vicarius Generalis. Contra Hæreticos Bartholomæus fidem voce calamoque strenuè sustinens occubuit anno 1590. si credes *R. P. Philippo à S. Claudio Chaudeau*, anno autem circiter 1601. mense Julio, ætatis suæ circa 78. si credes *Ludovico à Sancto Carolo Jacob*: mortuus est, inquam, *Semuri* apud *Mandubios*, oculis captus, ibidemque sepultus in Sacello suo quod vivens ædificari curaverat; Bibliothecæ hujus Conventûs magnam Librorum copiam, Sacrario Calicem relinquens, & splendida ornamenta, unam præsertim Casulam Phrygiorum arte mirificâ pictam, & novitatis decore semper lucentem, quæ à Monialibus certis quibusdam Parisiensis Cœnobii ipsi donata fuit, in quo frequentes solemnesque habuerat Conciones. Habuit nepotem *Natalem Spiritum*, Carmelitam Doctorem Parisiensem, circa annum 1581. laureatum, virum eruditione in juventute donatum. Scripsit,

1. *Sermones Quadragesimales.*

2. *Adversùs Joannis Calvini errores Tractatum Dissertatorium.* Horum Operum meminit. Rev. P. Philippus Chaudeau, in *Schedis Mss.* ad nos Aureliam Lugduno missis die 2. Julii 1741. *pag.* 32.

3. Eruditissimum quoddam *Epigramma*, quod in Opere cui titulus *Milleloquium S. Augustini* typis excusum legitur, ut animadvertit Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 16. *versa.*

4. *Breviarium & Missale Ordinis Carmelitici*, quæ correxit, & prælo tradidit Lugduni, apud Mauritium Leroy & Ludovicum Pesnot, anno 1559. jussu *Rev. P. Nicolai Audet*, Ordinis Prioris Generalis.

De Bartholomæo Spiritu loquuntur Josephus Falco in *Chronico Carmelitico*, Petrus Lucius, *loco citato*. Emmanuel Roman, in *Dilucidario Carmelitico*. Alegreus Cassanatus, In *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 430. Ludovicus Jacob, in *Descriptione Provinciæ Narbonæ*, *Cap.* 4. Idem, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 44. Idem, in *Catalogo Ms. Vicariorum Generalium Ordinis Carmelitici.* Philippus Chaudeau, in *Schedis Mss. jam citatis.*

XXXV.

BARTHOLOMÆUS, JOANNIS XXII. Pontificis Maximi Pœnitentiarius, Ecclesiæ *Sulcitanæ*, post ANGELUM GROSSETANUM Episcopum, in Sardinia institutus est ab eodem Romano Pontifice, qui in Bulla institutionis data Avenioni, secundo Idus Februarii, Pontificatûs sui anno quarto decimo, sive die 12. Februarii 1330. testatur se ad hunc Carmelitam in *Sacerdotio constitutum, cui Religionis zelus, vitæ munditia, litterarum scientia, morum gravitas, & alia virtutum merita, familiari experientiâ non ignota suffragantur, aciem mentis direxisse*; uti legitur Tomo 1. Bullarii Carmelitarum pag. 556. *Solci*, *Gallicè Solz*, urbs olim Episcopalis sub Archiepiscopo Calaritano, cum portu, hodie prorsùs excisa jacet. Locus nunc *Sulci* etiam dicitur in Sulcitana insula, prope *Palmam* Castrum, *Palma de Solz* inde dictum; & ei successit Ecclesiæ urbs in viciniis, quo Sedes Episcopalis translata fuit anno 1504. à Julio II. Papa, si Michaelem audieris Baudran in sua Geographia.

XXXVI.

BARTHOLOMÆUS VASQUEZ, Hispanus Carmelita, Theologus, edidit *Hieroglyphicum pro Immunitate* Virginis Mariæ à peccato originali, ad illud Radicavi, impressum cum aliis apud Sanct. Zapata, libro de Conceptione, folio 147. sicuti testantur Petrus de Alva in Militia Immaculatæ Conceptionis: Franciscus Bonæ Spei in Visione Eliæ: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana MS. pag.* 44. ubi asserit hunc Bartholomæum sibi videri vivere circa annum 1664. sub R. P. Hieronymo Ari Carmelitani Ordinis Priore Generali.

XXXVII.

BARTHOLOMÆUS A S. TERESIA, Discalceatus Carmelita, in oppido dicto *Montealegre* natus, publicus Artium in Indiarum Provincia Professor, post plures in sua Provincia prælaturas, Novitiorum Magister obiit Valli-Soleti circa annum 1702. Extant in Abulensi Carmelitarum Discalceatorum Monasterio plures ejus *Conciones ad Populum* Mss. & in Pintiano ejus *Collationes Mss.* prout refertur in eorum *Bibliotheca*, *pag.* 45.

XXXVIII.

BARTHOLOMÆUS VIOTA, Arrago, Carmelita Cæsaraugustanus, scripsit anno Christi 1639. Vitam Joannis Munozii Cæsaraugustani Carmelitæ; sicuti refert Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 495. Quem exscripsit Ludovicus Jacob in sua *Bibliotheca MS. pag.* 44.

XXXIX.

BASILIUS ANGUSSOLA, natione Italus, patriâ Cremonensis, antiquioris Observantiæ Carmelita, Doctor Theologus, almi Romani Collegii sacræ Theologiæ Professor egregius, Provinciæ Romanæ Provincialis, & totius Ordinis Procurator Generalis, atque multiplicis Prioris Generalis in Visitatione Ordinis Socius, deinde Conventûs S. Mariæ Transpontinæ de Urbe Commissarius Generalis. Promovit confirmationem donationis proventuum, & Domûs Ecclesiæ SANCTI BENEDICTI in Civitate Tiburtina, quam illustriss.

B.

Dom. Franciſcus Cardinalis SFORTIA Carmelitis pro fundando Monaſterio conceſſit : quâ de re ſupplicem libellum PAULO V. obtulit ANGUSSOLA, qui ab eodem Pontifice Maximo approbationem hujus donationis accepit per Apoſtolicum Diploma die 23. Novembr. 1606. Declarationem etiam à Sede Apoſtolica obtinuit & confirmationem privilegii fori, Carmelitarum intra clauſtra degentium.

Cùm enim in Hiſpaniarum Regnis, quidam Ordinarii locorum contenderent, Religioſos intra clauſtra degentes coram ipſis Ordinariis convenire debere in cauſis civilibus, *Cap. Volentes de Privilegiis in-6.* comprehenſis, propter illius innovationem à Concilio Tridentino factam, *ſeſſione ſeptimâ*, *Cap.* XIV. quo prædictos Religioſos, eorum Privilegiis abrogatis, defendunt comprehendi. Præterea cùm iidem locorum Ordinarii pariter contenderent, eoſdem Religioſos intra clauſtra degentes in prima Inſtantia coram ipſis convenire debere ex decreto ejuſdem Concilii Tridentini, *ſeſſione* XXIV. *cap.* XX. *de Reformatione* : BASILIUS noſter in Congregatione illuſtriſſ. Dom. D. S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum ſupplicavit, ut ſuper utrâque re reſponſa darent. Sacra Congregatio reſpondit, neque Conſtitutione in generali Concilio Lugdunenſi edita, quæ incipit, *Volentes*, neque decreto Concilii Tridentini, *cap.* XIV. *ſeſſ.* VII. comprehendi Regulares. Cujus quidem reſponſionis ſive declarationis confirmationem à Sede Apoſtolica poſtulavit, & obtinuit a jam citato Pontifice Maximo PAULO V. per Breve Apoſtolicum die 24. Auguſti 1607. datum, quod incipit, *Religioſorum ſub ſuavi jugo.*

Jam anteà ingens Ordini ſuo Carmelitico beneficium contulerat BASILIUS ANGUSSOLA, qui ex authoritate Capituli generalis anno 1598. Romæ celebrati ſibi attributâ, procuravit ut opus ſub nomine *Authoris incogniti* pridem in lucem editum, & per quondam Magiſtrum MICHAELEM AYGUANUM *de Bononia*, Fratrem dicti Ordinis Carmelitarum, compoſitum ſuper Pſalmos, de cætero ſub nomine ejuſdem MICHAELIS Authoris imprimeretur, prout de licentia Congregationis illuſtriſſ. Dom. D. ſuper *indice librorum* deputatorum, & aliorum Superiorum, in Civitate Venetiarum, per *Joannem Guerilliam*, ſub dicto nomine *Michaëlis* Authoris, cum quibuſdam additionibus deſumptis ex libris manuſcriptis antiquis, qui in diverſis Conventibus ejuſdem Ordinis aſſervantur, impreſſum fuit. Cúmque dubium eſſet ne alii Typographi illud ipſum Opus ſub nomine incerti Authoris imprimere præſumerent, CLEMENS VIII. anno 1603. die 20. Decemb. prohibuit ne poſt hæc in perpetuum Opus prædictum ſub alio, quàm ſub ejuſdem *Michaëlis* nomine in quâcumque mundi parte conſtituti imprimere, aut impreſſum vendere ſeu venale proponere quocumque modo audeant, ſeu præſumant. Diploma Apoſtolicum Romæ datum die jam aſſignatâ, incipit : *Cùm, ſicut accepimus, &c.* Ipſe autem BASILIUS ANGUSSOLA debitum naturæ ibidem ſolvit anno Domini 1608. die 2. vel 20. Maii, ætatis ſuæ 50. poſtquàm ſcripſiſſet, vir in *divinis & humanis litteris feliciſſimè verſatus*, *Deo devotus*, *& converſatione venerabilis*, *decus patriæ*, *& inſigne Religionis Carmelitanæ ornamentum*, ut loquitur Petrus Lucius,

1. *Orationem in ſolemnitate B. Vincentii. Patavii*, anno 1582. *in-4°.* Latinè.

2. *De Jure* Tractatum. Extabat olim Mſ. apud Patr. Auguſtinum Biſcaretum, id aſſerentem in ſuis Epiſt.

3. *De Præcedentia Carmelitarum* Tractatum. Extat MS. Coloniæ Ubiorum in Bibliotheca Carmelitarum, *cum Reſponſione Joannis Pauli Marincolæ* Epiſcopi Theani.

4. *Sermones.*

5. *Collationes.*

6. *Sectiones Philoſophicas & Theologicas.* Quarum magnam partem, tanquam theſaurum, penès ſe habuiſſe Mſſ. teſtatur Petrus Lucius Carmelita Bruxellenſis.

7. *Libellum ſupplicem ad Paulum Quintum* Pontificem Maximum *pro obtinenda confirmatione donationis proventuum & Domûs Eccleſiæ S. Benedicti in Civitate Tibartina.* Cùm ſcilicèt *Franciſcus S. Mariæ in via lata* Diaconus Cardinalis, *Sfortia* nuncupatus, Monaſterium *S. Laurentii* prope & extra muros urbis Ordinis *S. Benedicti*, in Commendam ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolicâ ad vitam obtineret, ob ſingularem, quem erga Carmelitarum Ordinem gerebat devotionis affectum, & pro augmento divini cultûs, ac ex certis aliis cauſis animum ſuum moventibus, Eccleſiam *S. Benedicti Tibartini*, quæ membrum dicti Monaſterii exiſtebat, cum domo, ædificiis, membris & pertinentiis *Baſilio* noſtro Procuratori Generali pro Fratrum Carmelitarum perpetuo uſu conceſſit certis quibuſdam conditionibus, quas dictus Pontifex Maximus exhibet in ſuo Diplomate Apoſtolico, *Intentè jugiter ſalutaribus*, *&c.* dato Romæ apud S. Petrum, anno 1606. IX. Kalendas Decembris : quod typis editum eſt *Tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 352. & 353.

8. *Libellum ſupplicem* alium *ad* eundem ſummum Pontificem PAULUM V. pro tuendis certis quibuſdam Regularium privilegiis, quæ nonnulli Hiſpani Epiſcopi impetebant. Rem à Sede Apoſtolica obtinuit ANGUSSOLA per Apoſtolicum Diploma, datum Romæ apud ſanctum Marcum die 24. Auguſti 1607. Incipit autem : *Religioſorum ſub ſuavi jugo*, *&c.* prodiitque *Tomo eod.* 2. *pag.* 356. 354.

9. *Præfationem ad Lectorem* de vero Authore Commentariorum in Pſalmos Davidicos, nomine Authoris incogniti antehac editorum. Quæ recentiori recognitione decoravit noſter BASILIUS, & legitimo ſuo Authori adjudicavit, Magiſtro Michaeli Ayguano de Bononia, Ordinis Carmelitarum Priori Generali ; ut teſtatur ipſe Clemens VIII. Pontifex Maximus in Brevi Apoſtolico, quod incipit : *Cùm, ſicut accepimus*, *&c.* dato Romæ apud S. Petrum die 20. Decembris 1601. & edito in *Tomo ſecundo* jam citato, *pag.* 313. 314.

Baſilium Anguſſolam laudibus celebrant Petrus Lucius jam citatus in *Carmelitana Bibliotheca pag.* 17. ubi nobiliſſimæ clariſſimæque Anguſſolanæ familiæ *Inſignium* declarationem metrò exponit : Gregorius Canalis Provinciæ Venetarum Præfectus, ſed poſtea Prior Generalis, in *Epiſtola dedicatoria* ad Cardinalem Pinellum Ordinis Protectorem, præfixa *Commentariis in Pſalmos Davidicos Michaëlis Ayguani* : Franciſcus Voerſius Ordinis Procurator Generalis *in Vita Henrici Sylvii* : Joſephus Falco in *Chronico Carmelitico* : Alegreus Caſſanatus in *Paradiſo Carmelitici Decoris pag.* 482. obi eum anno 1618. ſuperſtitem vixiſſe, quo ipſe Caſſanatus ſuum Opus primâ manu elaborabat, errore forſan typographico ſcribit : Joannes Baptiſta de Lezana *conſultu* 7. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 45. ubi eum Henrici Silvii, electi in Generalem aſſiſtentem an. 1598. ſocium in Viſitatione Ordinis deſignat. Aſt anno 1593. quo Petrus Lucius ſuam Bibliothecam colligebat, Anguſſolam vocat *jam pridem primum & individuum* (*tanquam fidum*

Acharem) *Carmelitanæ Visitationis Socium.* Daniel à Virgine Maria *Tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1068. *num.* 3700. Joannes-Petrus Niceronius *tomo* 5. *suarum Memoriarum*, *pag.* 399.

X L.

BASILIUS CAVARETTA, natione Siculus, Drepanitanus patriâ, Carmelita, nobili genere procreatus, sacræ Theologiæ Magister. Ob litterarum, ac virtutum merita multis fuit muneribus insignitus: undecim enim annis Drepanitanum Cœnobium Prioris munere rexit; ipsumque annuis redditibus & ædificiis locupletavit. Pluries in Provincia Sicula S. Angeli, Provincialem, & Vicarium egit: pluries in utriusque Provinciæ Siculæ S. Angeli, & S. Alberti Comitiis præfuit, ut aiunt, Præsidentis munere: & non semel Commissarium, & Generalem Visitatorem Sodales sui inspexêre, ac venerati sunt. Inter Consultores, & Censores S. Inquisitionis adscriptus, doctrinæ splendoribus refulsit. Clarescebat anno 1660. cùm jam Opus edidisset, Italicè inscriptum,

Racconto delle fatezze, ed Imagine della Gloriosissima Virgine Maria Madre di Dio N. S. e della maniera, che fu transportata nel devoto Convento del Annuntiota de Padri Carmelitani fuori le mura dell' Invitissima Citta di Trepani. Hoc est, compendioso sermone Latino: *Historia de Imagine B. Virginis Drepanensis.* Panormi, apud Nicolaum Buan, anno 1556. in-4°.

Historiam hujus admirandæ Imaginis scripserunt etiam Nicolaus Orlandinus, Octavius Cajetanus Jesuita, Antonius Portus, Joannes-Franciscus Pugnator, hi Authores exteri; domestici autem Carmelitæ; Joannes Mannus Drepanita anno 1636. Franciscus Voersius in *Vita Henrici Silvii* anno 1618. Idem Voersius anno 1620 in libro, cui titulus est, *Giardino de Thesori spirituali pag.* 265. Joannes Baptista de Lezana in *lib. de Maria Patrona cap.* 10. qui prodiit Romæ anno 1648. & Antuerpiæ 1680. *Tomo* 1. *Speculi Carmelitani pag.* 461. *num.* 1802. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, quæ prodiit Antuerpiæ anno 1662. *in-4°. pag.* 261. *num.* 513. Idem in *Tractatu de Imaginibus B. V. Mariæ miraculorum gloriâ claris*, *cap.* 4. qui editus est *Tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 657. *num.* 2512. Quorum è numero non expungendus est Benedictus Gononus Monachus Cælestinus in *Chronico Mariano ad annum* 1252.

Quamvis hi omnes Authores quasdam quoad circumstantias non omninò conveniant; quia Drepanensis Carmelitani Cœnobii monumenta omnia combusta tempore pestis, annis posterioribus fuerint, quod in isto Monasterio Lenodochium pro contagio infectis curandis institutum fuerit, ut asserit anno 1634. Joannes Mannus in descriptione hujus sacræ Imaginis: constat tamen authenticis instrumentis sub anno 1230. Imaginem hanc mirabilem B. Virginis, vulgò *Madonna di Tripani* nuncupatam, à Carmelitis obtentam fuisse. Qualiter autem cœleste munus istud Carmelitis à Deo collatum fuerit, sic traditum ex *Voersio*, refert Lezana *Tomo quarto Annalium Carmelitarum*, *anno* 1230. *num.* 6. *pag.* 270.

Dum sacra Palestinæ loca in Barbarorum manus, propter Populi crimina cadebant, Nobiles quidam Pisani *Joannitarum Ordinis*, sacram hanc Deiparæ Imaginem ex quodam ipsorum fano, in Europam, ut Turcarum rabiem effugerent, navi fideliter vexêre. Drepani portui appellens navis, nullâ vi inde discedere potuit, donec sacrum pignus, quod in patriam deferre in votis erat, ibi Carmelitis jampridem è Carmelo translatis, & vicino commorantibus tradidissent. Hinc posteà facilè navis portum solvit, dictis Patribus, qui tunc in Ecclesia Beatæ Virginis, vulgò *Madonna del Parto* morabantur, cœlesti thesauro relicto. Quot porrò mirabilia Beatissima Virgo, sub hac sacra Imagine venerata temporibus sequentibus patraverit, narret Sicilia, Italia tota, magnaque totius Europæ pars; Fidelium concursus tantus quandoque visitur, præsertim 15. Augusti die, ut quadraginta millia sæpissimè superasse ferant. Sed & Sarracenorum xeniis, ac donariis, ipsis etiam sub salvo conductu vicissim Templum sanctum pro gratiis, & lampadum oleo, quo ungantur, obtinendis, properantibus, sacram hanc Virginis Ædem, Carmelitis commissam, gaudere acceptum est.

Authorem hujus sancti Operis, Nicolaos Orlandinus vocat GUERRERIUM, in Syriæ Præfectura Equitem Templarium, apud quem hæc sanctissimæ Virginis Effigies habebatur: qui secum animo reputans Orientalem totam Ecclesiam sævis hostibus in ultionem tradendam, ne religiosissimum simulachrum victori barbaro traderetur, navi imponit feliciores in terras iturum. *Pisas* urbem Italiæ, unde Equitis origo, iter dirigebat. Sed, Deo aliter disponente, ventorum vi, jam prope naufraga navis Drepanitam ad oram defertur, haud *Drepano* procul in mari, quod indito nomine ex reperta in eo Effigie, *Sanctum* appellant. Super fluentem arcam advertêre Piscatores, plenamque mercium existimantes, traxêre in littus, ibique Ædem juxta DD. COSMÆ & DAMIANI effringunt, avidi; aspectoque Dei Matris simulachro marmoreo, lætum id Regno, orbique gratantur, multò ditiores opes invenisse rati, quàm sperassent. Exinde Drepanum famâ & miraculis clamantibus devectum plaustro. Ubi ventum est ad Ædes Virginis, boves Effigiem sistunt, nullâ vi loco moveri permittentes; sicque Carmelitarum Templo & Ordini cessit.

Alii sic rem enarrant. Effigiem adversâ tempestate à Naviculariis in mare præcipitatam, hinc in littus à piscatoribus tractam, è littore in Ædem Carmelitanam vehiculo advectam. Quod testari videntur ejusdem Templi antiqua monumenta. Nam subter epistilia columnarum navis intentis velis, & plaustrum à bobus retractum supra trecentos annos sculpta conspiciuntur: cui sententiæ adhæret Octavius Cajetanus in *Historia Virginis Drepanitanæ in Siciliam adventus*, *quæ Tomo* 2. *de Sanctis Siciliæ* prodiit Panormi apud Cyrilios, anno 1657. *in-folio.*

Joannes autem Mannus in brevi hujus Imaginis descriptione ad Theodorum Stratium Ordinis Carmelitani Generalem nuncupata anno 1634. affirmat navim prædictam sacro hoc pignore fœtam, & ventis agitatam, *Lampidiosam* Barbariæ Insulam miraculosè appulisse, & inde *Drepanum*, quo discedere conabatur, regredi coactam, donec Equites & Navicularii id animadvertentes in domo *Munitionis* nuncupata, loco depositi reposuerunt. Consul verò, cui commendata Effigies, Pisas mittere decernens, boum plaustro imposuit; & ipsi non mare versos, quò dirigebantur, sed ad terram procedentes, & ad Ecclesiam *S. Leonardi*, primùm hujus facti memoriâ fabricatam, deinde ad Carmelitanorum Ecclesiam pervenientes, stimulis, flagellis, aut vi nullatenus, cum inde dimoverentur, fratribus cessit pretiosus thesaurus.

Ex quibus colligit Lezana, quòd quamvis annus certus, quo Carmelitæ Drepanum advenerint, non reperiatur; haud tamen ambigitur quin sub hoc tempore in ea urbe mansionem habuerint, vel in Ecclesia Beatæ Virginis *de Partu* nuncupata, vel in alio

juxta

B.

juxta civitatem deserto loco, prout iis Eremitis tunc moris erat, usque ad annum 1250. Quo inde ad celebre & Regale, sub titulo sanctissimæ *Annuntiatæ*, » Cœnobium translati sunt. Ast non idem colligit, » eamdemque consequentiam minimè deducit Da- » niel Papebrochius. Quamvis enim circa Drepa- » num anno M. C C. L. concessam esse Carmelitis » Ecclesiam *Annuntiationis* constet ex Octavio Ca- » jetano, ac publicis fundationis tabulis, & ex » Ecclesia *S. Mariæ de Partu* in Ecclesiam *Annun-* » *tiationis* translatam celebrem Dei-Paræ statuam, » non consequens est, Carmelitas ibi anteà habitan- » tes, anno M. CC. XXX. excepisse appulsam illuc » miraculosam imaginem, & posteà simul cum ea » migrasse. Interim ibidem olim habitasse alterius » instituti Monachos, intelligitur ex residuis parie- » tinis; in quibus fatetur Lezana etiam hodiè depic- » tos cerni Fratres in *vestimentis oblongis*, non bar- » ratis aut variegatis, quæ tunc erant insignia Or- » dinis Carmelitici, sed *sub nigri coloris*. Vero simi- » lius est igitur, cum istuc Imago sacra appulit, lo- » cum eum fuisse *Basilianorum*; quibus deficienti- » bus, & in suburbio clarescentibus Carmelitis, non » incongruum fuit his eam permitti, qui specialem » Dei-Paræ cultum ipso etiam nomine suo profite- » bantur.

Hæc Papebrochius: cui proindè probandum incumbit quo anno Carmelitæ in suburbio *Drepani* habitare cœperint, antequam anno 1250. Ecclesiam *Annuntiatæ* occupaverint. Præconceptæ enim opinioni firmiter adhærente, quâ existimat & ubique affirmat Carmelitas antè annum M. CC. XXXVIII. nulla in Occidente habuisse Monasteria; quomodo eos claruisse in suburbio scribit anno saltem M. CC. XLVI. quo S. Albertus natus est post viginti sex annos sterilitatis parentum, qui B. Virgini Mariæ de Monte-Carmeli, communi voto supplicarunt & promiserunt, si filium ipsis impetraret, ipsum Ordini suo in servitium Fratrum Conventûs Drepanensis perpetuum dicaturos. Chronologiam hanc statuit supra, *pag.* 72. *Andreas Rasoi.* Quid amplius? Si quipiam Chronologiam *Adriani Baillet* sequerentur asserentis S. Albertum anno 1212. natum?

Basilium Caverettam laudant Rocchus Pirrus in *Notis Ecclesf. Mazarr. pag.* 550. Elias Luna in *Epist. nuncupatoria Libri de Censuris in communi*, Basilio nostro dicati. Vincentius Nobilis in *Thesauro abscondito, cap.* 23. *pag* 781. Philadelphus Mugnos in *Theatr. Genealog. parte* 2. *Lib.* 6. *pag.* 269. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3719. Sed inprimis Antoninus Mongitor, *tomo* 1. *Bibliothecæ Siculæ*, *pag.* 99.

X L I.

BASILIUS A S. FRANCISCO, Lusitanus Carmelita Excalceat. professionem emisit in Conventu *Tusculano S. Sylvestri*, ut refert Martialis à S. Joanne Baptista; vel in Conventu *S. Mariæ de Scala*, ut placet Ludovico à S. Teresia, die 24. Julii anno 1618. Paulò post, anno scilicet 1620. à præposito suo Generali *Matthia de S. Francisco* in Persidem cum *P. Prospero de S. Spiritu*, missus à Syria *Aspahamum*, in Persarum mercatorum comitatu, eorum & Arabum linguam ex parte didicit. Bassoranæ Provinciæ Præfectum, quam *Bassa* vocant, prudentiâ, gravitate, ac modestia adeò devicit, ut ab eo domum ad habitandum cum suis Sodalibus Religiosis, & cum omni libertate fidem suam profitendi, acceperit.

Anno igitur 1623. Bassoranam Missionem in Arabia fundare cœpit, eamque per annos tredecim prudentissimè, ac tanto salutis animarum zelo rexit, Catholicamque Religionem propagavit, ut septingentes familias Christianorum S. Joannis, ad fidem brevi reduxerit; & in Lusitanorum Indias, quantum potuit, transmigrare procuraverit.

Romam rediens, anno 1644. ad Capitulum Generale interfuit, sanctam sedem consuluit, sed amplam ei potestatem à Religionis Superioribus independentem, à sacra Congregatione *de Propaganda* oblatam recusavit. Obtentâ in Monte-Carmelo manendi facultate, à R. P. *Eugenio de S. Benedicto* Præposito Generali, illuc anno 1645. perveniens, post duos annos cum dimidio, Anachoreticam & Angelicam vitam, Vicario P. *Prospero* jam memorato, duxit: sed ob graves infirmitates à Superioribus revocatus, navim conscendit mense Martio 1648. & in Provincia Neapolitana commoratus est, usque ad mortem dicti Prosperi, die 20. Novembris 1653. defuncti, qui ei proficiscenti in Europam, prædixerat in eumdem sanctum Montem reditum.

Nam sexmetri peracto *Michaël Angelus à Jesu*, Vicarium hujus Sancti Montis pergere recusans, à Superioribus abdicationem obtinuit: ideoque à præposito Generali *Joachimo de Jesu Maria Basilius* acceptâ epistolâ, quâ ibi Vicarius constituebatur, hanc deosculans, in Syriam navigavit: vix autem in Monte-Carmelo quatuor menses manserat, cùm mortem oppetiit, die 29. Decembris 1654. sepultus in sacello B. Virginis, propè speluncam Eliæ.

Scripsit,

1. *Historiam Missionis Bassoranæ, & conversionum per annos* 13. *in eâ factarum.*

2. Relationem de moribus ac erroribus Christianorum S. Joannis. Ast an hæc opera typis edita sint, non constat.

De Basilio à S. Francisco legendi sunt Petrus à valle, *tomo* 3. *Itineris Indiarum*, anno 1663. Romæ *in-4°*. Italicè edito. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Itineris Orientalis*, *capite* 9. Idem, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 12. Prosper à S. Spiritu, in Relatione Missionum Persicarum. Franciscus à S. Maria, *Lib. V. Histor. Reformat. S. Teresiæ*, *cap.* 46. Ludovicus à S. Teresia, *Lib. II. Annal. Carmelic. Excalceat. Franciæ*, *cap.* 113. *pag.* 600. & *cap.* 118. *pag.* 619. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 45. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 45. & 46.

X L I I.

BASILIUS À S. JOANNE, Andegavensis Carmelita Provinciæ Turoniæ, diversis in Conventibus Prior, ac R. P. Matthiæ à S. Joanne Provincialis socius anno 1655. in Comitiis Provincialibus Andegavi celebratis nominatus, ibidem obiit die 13. Septemb. 1670. Edidit Gallico Idiomate,

Oraison funèbre de Messire Philippe de Volvire de Ruffec, Comte du Bois de la Roché. Seu Latinè: *Funebrem Philippi de Volvire de Ruffec, Comitis du Bois de la Roche Laudationem.* Rhedonis. Typis Durand, anno 1645. *in-8°*.

Hæc habet Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 45.

X L I I I.

BASILIUS A S. JOSEPH, Aremoricus Provinciæ Turoniæ Carmelita, vir omnibus numeris absolutus; mundum, & ea quæ sunt in mundo despiciens, ut Deo soli vacaret; Eremum Fonbellaquensem per quatuordecim annos incoluit;

B.

mortis suæ præscius, Parisios accessit, ibique in Conventu SS. Sacramenti decessit, die 19. Junii anno 1701. Scripsit *nonnulla Opuscula Ascetica*, quæ perierunt.

De illo mentionem facit *Necrologium Conventûs Parisiensis SS. Sacramenti, des Billettes* nuncupati: Columbanus à Nostra Domina de Monte-Carmelo, in *Encomio brevi virorum illustrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ Mss. pag.* 39.

XLIV.

BASILIUS A S. LUDOVICO Parisinus, Carmelita Excalceatus, in sæculo dictus *Henricus Lefevre*, natus est Parisiis, die 16. Aprilis ex parentibus, *Joanne Fabro*, Doctore Medico, & *Elizabetha Devilliers*, anno 1585. in Ecclesia *S. Gervasii* eodem die, sacris undis tinctus, Jurisprudentiæ operâ datâ Patronus in Senatu Parisiensi evasit: quâ relictâ ad Theologiæ studium se convertit, quo in studio gradum Baccalaureatûs adeptus, Doctoris Sorbonici lauream recepturus, Philosophiam in Collegio Bellovacensi Academiæ Parisiensis docuit.

Ad Sacerdotium promotus, fastidiens ac despiciens mundum, inter Carmelitas Excalceatos admitti enixè ac instanter postulavit, suum Philosophiæ cursum consummandum, Cathedramque reliquit gerendam *Lamberto Boarbone*, Baccalaureo, qui posteà inter eosdem Carmelitas Discalceatos vocatus est *Gregorius Nazianzenus à S. Basilio*. Iis noster BASILIUS A S. LUDOVICO aggregatus est mense Januario anni 1614. Anno autem sequenti 1615. die 25. Januarii, solemnem emisit Professionem, tanto salutis animarum zelo flagrans, ut adhuc Novitius, censum annuum ducentarum librarum dederit, ut Vici, qui pabulo verbi Deî magis destituerentur, eo saltem per Quadragesimas reficerentur. Ipse verò, ut aliis præluceret exemplo, in Pictaviensi primùm Provincia, in montibus deindè Gebennensibus, quinquies more Apostolico Populos instruens, plurimos ad Catholicam fidem, ac sinceram morum emendationem reduxit, quos inter non omittendus est Vir nobilis Dominus N. DEVAIZE.

In diversis muneribus ac officiis Religionis, ardentissimæ charitatis exempla ac argumenta præbuit, primus in sua Provincia Philosophiæ ac Theologiæ annis ferè 27. Professor extitit. Anno 1619. Charentonensis Prior nominatus, sese abdicavit. Anno 1625. Prior Rothomagensis. Anno 1628. Definitor Provincialis, quem egit ad annum 1631. Prior Charentonius anno 1634. Definitor Provincialis anno 1637. tandem anno 1640. Prior Charentonensis institutus est. Quæ munia non obstiterunt, quin suis Apostolicis Missionibus vacaret, Pictaviensi scilicet anno 1623. Gebennicis autem anno 1633.—1634.—1639. & 1640. Verùm meritis ac bonis operibus cumulatus, receptis summâ devotione Ecclesiæ Sacramentis, animam Deo reddidit, Parisiis, die 31. Decembris, pridie Kalendas Januarii, anno 1644. dum in Choro legerentur hæc Martyrologii verba: *Depositio Sancti Basilii*, &c. Scripsit Latinè,

1. *In universam Philosophiam Commentaria Mss.*
2. *De SS. Trinitate Tractatum Mss.*
3. *De Eucharistiæ Sacramento Tractatum Mss.*
4. *De Conceptione B. V. Mariæ Tractatum Mss.* quem propriâ manu Rever. P. Lucianus à Sancta Maria, Ambianensis Carmelita, Excalceatorum Parisiensium Prior exscripsit, & certiorem de illo quondam fecit Ludovicum Jacob.
5. *Epistolas duas Græcas*, quas ad Constantinopolitanum Patriarcham, Episcopos Græcos, & Archimandritas, Monachosque Schismaticos Ordinis S. Basilii direxit, misitque anno 1620. ut erroribus manifestatis atque convictis, ad Apostolicam Sedem reducerentur. Harum meminit Ludovicus à Sancta Teresia, *Lib. 1. Annal. Cap. 56. pag.* 441.
6. *Epistolam ad P. Gregorium Nazianzenum à S. Basilio*, qui Doctores Sorbonicos consuleret circa hanc Quæstionem: Utrum *liceat adigere Dæmonium juramento, ad extorquendam ab illo veritatem in exorcismo.* Responderunt Sorbonici Doctores, *Dæmonem non esse adstringendum juramento . . . maximè propter illusionis & majoris falsitatis, infamiæ, & irreverentiæ periculum; cum ipse Dæmon sit pater mendacii*, &c. *Datum Parisiis, pridie Kal. Febr.* 1620. Quæ sententia omninò conveniebat opinioni nostri Basilii: qui aliàs probabat mulierem Nancieam, de qua tunc agebatur, non verè possessam à Dæmone; ut refert Ludovicus à S. Teresia, *loco jam citato, Cap. 55. pag.* 440.—441.
7. *Epistolam aliam* ad suos quosdam sodales *Carmelitas Excalceatos Belgas*, qui sacræ Theologiæ Facultatis Duacensis Doctores, eadem de Quæstione consulerent. Hi autem similiter responderunt juxtà opinionem Basilii nostri: » Dicendum est quod adigere Dæmonem juramento, quo ipse juret se dictum veritatem, aut verum esse quod dixit, non solùm inusitatum, sed etiam vanum, & prorsùs inutile esse, ideòque illicitum. Nam qui pater est mendacii, & qui Deum non veretur blasphemare, non verebitur & perjurare: atque ita illo juramento nihil poterit confirmari. . . Duaci, die 13. Aprilis 1620. « Ita legitur apud jam citatum Ludovicum à S. Teresia, *Cap. eod. §. pag.* 442.
8. *Epistolam aliam ad Magistrum Lambertum de Boarbonne*, Baccalaureum Sorbonicum, cui suam in Collegio Bellovacensi Cathedram Philosophiæ demandaverat; illum ad religionem Carmelitarum Excalceatorum amplectendam plurimis impellit rationibus. Data hæc Epistola anno 1618. laudatur à P. Ludovico de S. Teresia, *in Annalibus* jam memoratis, *Lib. II. Cap. 56. pag. 443. vide Lib. I. Cap. 34. pag.* 99.
9. *Sermones quosdam & alia Opuscula Mss.* quæ omnia hactenùs commemorata ipse Basilius in ignem dejecit, jubente Superiore, Literatum osore: sicut à quibusdam Patribus Carmelitis Discalceatis Parisiensibus, fide dignis, didicisse se refert Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mss. pag.* 46.

De Basilii à S. Ludovico visionibus & apparitionibus claro-celebrem habent mentionem Ludovicus à S. Teresia, *Lib. II. Annal. Carmelit. Excalceatorum Galliæ capp.* 52. 53. 54. 55. 56. *& Lib. I. locis jam citatis ad marginam.* Philippus à SS. Trinitate, *Parte III. Decoris Carmeli Religiosi*, *pag.* 160. Petrus de Alva *in Militia Conceptionis Immaculatæ*. Franciscus Bonæ Speî *in Visione Eliæ*, *pag.* 316. Ludovicus Jacob in Bibliotheca Carmelitana Mss. pag. 46. Martialis à S. Joanne Baptista *in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 47.

XLV.

BASSITANUS A S. FRANCISCO, natione Italus, patriâ* Laudensis, Carmelita Discalceatus transtulit in Italicum idioma tractatum *Alphonsi à Jesu Maria*, de *Periculis religiosæ perfectionis*, ac edi curavit Cremonæ 1683. *in-4°.* Obiit autem Bononiæ anno 1714. Vide suprà *pag. 33. num.* 1. & infrà *pag.* ad articulum *Optati à S. Carolo* alterius Excalceati Carmelitæ, qui latuit Martialem à S. Joanne Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 47. 212. & 309.

* *Laudum*, vernaculè *Lodi*, in Mediolanensi Ducatu; à Veteribus autem dicebatur *Laus Pompeia*.

B.

XLVI.

BEATRIX A CONCEPTIONE, natione Hispana, nata est in oppido vulgò *Arevalo* die 5. Novembris 1569. ex parentibus *Petro dez Uniga*, & *Antonia Palomeca*, ambobus oriundis ex illustrissima Domo Ducum *Bejar*. Anno 1591. *Salmanticæ* inter Moniales *S. Teresiæ* Discalceatas solemnia vota dixit. Anno 1604. Domini, & decimo tertio post professionem electa est in sociam ab *Anna de Jesu* Moniali ejusdem Monasterii, quæ cum *Elisabetha ab Angelis* tunc Suppriorissa simul in Galliam & Belgium Monasteria fundaturæ pergebant.

Die 20. Augusti discesserunt *Salmanticâ* versùs *Abulam*, ubi duas itineris socias assumere debebant. Et exantlatis multis laboribus, *Lutetiam Parisiorum* die 18. Octobris pervenerunt, ubi primam perfecerunt fundationem, deinde die 15. Januarii an. 1605. facta fuit secunda *Pontisaræ*, quò missa est BEATRIX: Novitiarum ibi curam gessit, & triennio mansit. Vocata in Belgium ab Archiducibus *Anna à Jesu*, nostram BEATRICEM in sociam elegit. *Bruxellas* pervenerunt die 12. Januarii anno 1607. & in palatio Principum receptæ, ita fundationem sollicitarunt, ut die 25. Januarii conclusa fuerit: ubi BEATRIX facta Suppriorissa, sicut jam erat Parisiis: in quo Officio perseveravit usque ad annum 1621. quo, mortuâ Annâ, eligitur Priorissa.

Ter ad idem munus consecutivè assumitur ad instantiam Serenissimi Principis, Indulto Apostolico, qui consolationis spiritualis gratiâ frequenter eam conveniebat. Excelluit in regimine cùm spirituali tùm temporali Beatrix, quæ animum in Hispanias redeundi servabat. *Bruxellis* igitur *Parisios* discessit, & *Salmanticam Albâ* pervenit anno 1630. die 27. Junii, ubi mirâ amoris significatione, præsertim à quatuor Monialibus, quas ex antiquis sibi notis ibi reperiit, recepta est. Vix quatuor fluxerant menses, cùm eligitur in Priorissam; verùm febri quartanâ in excusationem adductâ, soror ipsius nomine *Joanna à Spiritu Sancto* in ejus locum sufficitur, quâ ante triennium defunctâ, rursum BEATRIX eligitur, quamvis renitens. Eo in munere prima semper in actibus Communitatis erat, etsi valdè debilis & infirma. Absoluto Prioratûs triennio, absconditum sollicitudine maximâ recessum custodivit, plurimis *S. Teresiæ* apparitionibus recreata. Iterum in Priorissam assumpta fuit infirma & senex, quæ paulò post in hydropisim incidit. Tandem virtutibus singulis clara & meritis plena, die 12. Maii, anno Domini 1646. ætatis 75. quartâ post meridiem horâ in Sabbato feliciter obiit Salmanticæ, cum universali sanctitatis opinione.

Scripsit ut testis oculata, *Res gestas Ven. Matr. Annæ à Jesu Carmelitanæ Teresianæ Hispanæ*. Extant *Mss.* Cabilone Ambarrorum, apud Moniales ejusdem Congregationis; quarum beneficio quondam perlegit *Ludovicus Jacob*.

De Beatrice à Conceptione laudes celebrant Illustriss. Vir Michaël de Marillac regiorum sigillorum Custos, *Lib. Gallicè scripto de Institutione Monialium S. Teresiæ in Regno Galliæ*. Illustriss. Dom. Ludovicus d'Attichi in *Vita Petri Cardinalis Berulli*. Germanus Habertus Abbas de Cerisiaco, in *Vita ejusdem Cardinalis*. Francisca à S. Teresia in *Vita Isabellæ ab Angelis*. Andreas Dovallius in *Vita ven. Sororis Mariæ ab Incarnatione*. Mauritius Marin Sacerdos Doctrinæ christianæ, in *Vita* ejusdem Sororis Mariæ. Jacobus Gallemant Recollectos, in *Vita Jacobi Gallemant Doctoris Parisiensis*. Angelus Manrique in *Vita Annæ à Jesu*. Chrysostomus Henriquez, in *Vita Annæ à S. Bartholomæo*. Aubertus Miræus de *Origine & Incrementis Ordinis Carmelit. pag.* 192. & 193. Antonius Sanderus *Tomo* 1. *Flandria Illustrata, Lib.* 3. *cap.* 22. Joannes Caramuel in *Vita Dominici à Jesu Maria*. Hilarion de Coste in *Elogio Annæ à S. Bartholomæo*. Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli Religiosi, Parte* 2. *pag.* 108. & *seqq.* Isidorus à S. Joseph, *Lib.* 3. *Annalium*. Daniel à Virgine Maria, *Tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1061. *num* 3675. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelit. Mss. pag.* 46.

XLVII.

BEATRIX DI GERO; in seculo dicta BEATRIX RODRIGUEZ, in *Villa di Utrera* sub Hispalensi Diœcesi anno 1567. inter Hispanos nata, primùm ætatis suæ 27. Tertiariis Ordinis Carmelitici adscripta, deinde anno 57. scilicet anno Christi 1618. Carmelitanis Monialibus Utreranis nomen dedit, quarum in Monasterio regularum ad observantiam suis consiliis, pietate & zelo multùm contulit. Obiit die 29. Septembris 1623. ætatis suæ 70. multis relictis Manuscriptis, ex quibus colligitur,

1. *Historia vitæ suæ atque gratiarum quibus cumulata fuit*; & hæc ex jussione suorum Confessariorum.
2. *Plures Tractatus Mystici.*
3. *Varia devotionis & contemplationis Exercitia*: teste R. P. Seraphino Potenza in suo *Codice*. 7°. *Mss.*

XLVIII.

BEATRIX TINOCO Hispana, in vico *Mazanillæ*, tribus milliaris ab urbe *Villalba* sito, nata anno 1577. in Conventu S. Annæ Monialium Carmelitanarum Hispalensium vestem induit anno 1597. ætatis suæ vigesimo, & vota solemnia dixit anno sequenti. Hujus illam Parthenopæi Priorissam consobrinus ejus assumpsit an. 1618. ad fundandum *Villalbæ* Monasterium, congruis suppeditatis facultatibus ditatum; in quo Beatrix accuratâ regulari observantiâ firmata, die 17. Januarii suam post mortem prænuntiatam obiit Priorissa anno 1622. magno cum odore sanctitatis. Scripsit,

1. *Historiam vitæ suæ necnon charismatum quibus præventa fuit, ex præcepto sui Confessarii manuscriptam.*
2. *Epistolas fundationem Monasterii Sancti Joannis-Baptistæ de Villalba spectantes Mss.*
3. Ejusdem *Monasterii Observantiæ regularis Statuta per Provincialem approbata Mss.*

Hæc refert R. P. Seraphinus Potenza in suo 7°. *Codice Mss. de Vitis Servorum Dei Carmelitarum.*

XLIX.

BEDA A S. SIMONE STOK, natione Anglus, in seculo dictus GUALTERIUS-JOSEPHUS TRAVERS, patriâ *Devonius*, Diœcesis Exoniensis, natus mense Augusto, anno 1619. Religiosam professionem inter Carmelitas Excalceatos emisit *Romæ*, die 15. Novembris an. 1648. Verâ fide orbatus fuerat usque ad vigesimum circiter annum; divinâ tamen misericordiâ, abjuravit errores; & iteratis postulationibus in Carmelo Nudipedum ascitus, pietatis, observantiæ regularis, ac sanctitatis radios sparsit. Unde ob singularem mansuetudinem, modestiam, humilitatem, charitatem, aliasque viro religioso dignas virtutes, in Magistrum Novitiorum in Provincia Siciliæ S. Alberti electus, cum

magno Religionis augmento id muneris per sex annos gessit. In Angliam Missionarius missus, pluries suorum Sodalium Superior ibi evangelizantium constitutus, copiosam messem ferventer collegit, ipsis etiam à fide deviis venerationem sui atque admirationem fecit, ideóque ab ipso Rege sanctus Missionarius vocatus. Ibi per annos plures commoratus, *Parisios* veniens, plenus meritis obiit die 17. Januarii, anno 1696. Edidit, suppresso tamen nomine,

1. *Introductionem brevem & facilem, per modum dialogi, inter Catholicum & Protestantem*, quæ Anglicè, Gallicè, & Italicè prodiit Duaci, anno 1693. Hæc Martialis.

2. *Opera omnia S. Teresiæ Anglico idiomate translata Londini*, an. 1688. Solummodò retulit., hæc postrema Ludovicus à S. Teresia, ejusdem Missionis Angliæ Visitator, in *Schedis Mss.* quas communicavit Ludovico Jacob anno 1669. ea proferenti in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 46. Martialis autem à S. Joanne Baptista cætera retulit in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 47. 48.

L.

BENEDICTUS DELZONS natione Aquitanus, patriâ Aurilliacensis, ter suæ Provinciæ Carmelitanæ etsi renuens, & jubentibus Generalibus Prioribus Præfectus, in Capitulo Generali Theses juvenis Romæ propugnavit, scientiarum amorem instillavit, Theologiam quinquennio edocuit, Episcopis Montis-Albani illustrissimis per triginta annos fuit à consiliis, disputationum inter Religiosos ibi motarum pacator, Carmelitarum Vasconiæ & Tolosanæ Provinciarum Consiliarius, Conventûs Aurilliacensis Ecclesiam de novo ædificavit, totumque Conventum Montis-Albani construi curavit, ibique devixit anno 1703. mense Martio, relictis illic *variis Theologiæ Tractatibus*; teste R. P. Joanne Baptista Charmes in *Schedis Mss. ad* nos missis.

L I.

BENEDICTUS A S. FIDE, natione Anglus, Norvicensis Cœnobii alumnus: qui studiorum cursu feliciter consummato, augendæ scientiæ causâ, Regiones exteras petiit, & tandem Romam pervenit: ubi coluit inprimis Henricum Minutulum sive Minutulum Archiepiscopum Neapolitanum, & anno 1389. Tusculanum Cardinalem, cujus etiam operâ summo Pontifici Bonifacio IX. commendatus erat, ideóque honorificis non semel, Pontifice mittente, legationibus functus est.

Inter Scriptores eum reponit Joannes Pitseus de Illustribus Angliæ Scriptoribus in *Appendice Centur.* 1. *num.* 36. Illum quoque Joannes Balæus in Catalogo Scriptorum Britanniæ, *Centur.* 6. *in Appendice* 2. *ad Joannem Scharpe* distinguit à Roberto de Sancta Fide, qui sub Urbano VI. legationibus functus est circa annum 1386. & à *Guillelmo de Sancta Fide* Doctore Cantabrigiensi, qui circa annum 1372. floruit. Benedictum nostrum insuper nominant Joannes-Baptista de Lezana *Tomo* 4. *Annalium* ad annum 1391. *num.* 5. *pag.* 732. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 47. ubi eum assignat ad annum 1410. sed quo fundamento? Daniel à Virgine Maria *Tomo* 2. *Spec. Carmel. pag.* 967. *num.* 3398. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris pag.* 328. ubi eum Neapoli obiisse anno 1410. supponit.

L I I.

BENEDICTUS GALLUS à natione sic dictus, Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor circa annum 1299. *In Libros* IV. *Sententiarum Magistri Lombardi* scripsisse refertur à Michaele de Fuente in Compendio historiali; recitaturque à Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 47.

L I I I.

BENEDICTUS HENRIQUEZ, Hispalensis Carmelita, Doctor Theologus, *Augustini del Gadilli* Præceptor, eximius verbi Dei præco, & in Granatensi Gymnasio primarius sacræ Scripturæ interpres, scripsit circa annum M. D. XC.

1. *Theologica in S. Thomam Commentaria.*
2. *Metaphysicas Prælectiones.*
3. *Sermonum Libros plures.* An hæc omnia edita fuerint, non affirmant, qui de illo loquuntur. Augustinus Nuncius del Gadillo in suis *Operibus.* Emmanuel Roman in *Elucidario Carmelitico.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris pag.* 434. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 47. Nicolaus Antonius *Tomo* 1. *Biblioth. Hispana, pag.* 165.

LIV.

BENEDICTUS A JESU-CHRISTO; Mediolanensis, in seculo BENEDICT. CASTELLUS nuncupatus, in ipsis paternis ædibus severissimo Carmelitarum Nudipedum Instituto præludere jejuniis, atque inculpatæ prorsùs vitæ integritate visus fuit. Ab omni solatiorum genere, ubi vel minimùm innocentia periclitari posset, piissimus adolescens constantissimè abstinebat. Quam infans virginitatem Deo voverat, quemadmodùm ab aliquibus asseritur, ut securiùs servare posset, ad præfati Ordinis claustra convolavit. Inter tyrones tantam præferebat modestiam, ut Præfectus angelicam in eo conspicatus indolem, summis ipsum laudibus extolleret. Cum morum candore magnum conjunxit ingenium, ex quo dum fructus uberrimos præstolarentur omnes, acerbâ morte raptus est terris *Cremonæ*, anno ætatis suæ 18. die primâ Februarii, anno autem Orbis redempti, 1638. Ejus effigies apud suos in Cœnobio Mediolanensi, in suburbio *Portæ Novæ*, inspicitur cum hac Epigraphe.

D. *O.* *M.*

FR. BENEDICTUS A JESU-CHRISTO,
PRÆCOCITER SANCTUS,
SAPIENS, PRUDENS,
XIV. ANNOS NATUS,
DE JUVENUM DIRECTIONE
CŒLESTEM DICTAVIT OPELLAM.
QUINQUENNIS EMISIT VIRGINITATIS VOTUM;
RENOVAVIT GRAVIOR,
SERVAVIT ADULTUS:
SACER VIRGINI SOCIUS,
ANGELIS LILIUM ÆTHEREIS.
QUARE COMMUNE DEPOSITUM
PURIFICATIONIS SUÆ PERVIGILIO
REDDIDIT DEIPARÆ CŒLO,
ÆTATIS ANNO XVIII.
SALUTIS M. DC. XXXVIII.

Plures, si diuturniorem in terris traxisset moram, tanti viri labores haberemus. Quod satis ostendit anno

B.

anno ætatis decimo quinto conſcriptus Liber *de Juventum Directione :* Qui utrùm fuerit editus, nunc affirmaverit nemo : fortè adhuc inter Anecdota deliteſcit.

Benedictum à Jeſu-Chriſto memorant Joachimus à S. Maria, Diſcalceatus Carmelita, in *Hiſtoria fundationis Cœnobii Cremonenſis S. Imerii*, anno 1607. erecti. Philippus Picinellus, in *Athenæo Virorum literatorum Mediolanenſium*, *pag.* 79. Philippus Argelati in *Scriptorum Mediolanenſium Biblioth. pag.* 341. *num.* 481.

L V.

BENEDICTUS A S. JOSEPH, natione Belga, patriâ Neomagenſis, in ſeculo dictus BUNS, Carmelita, quondam Supprior : qui cum eſſet excellentiſſimus Organiſta, Cantor & Muſicus, multa pulcherrima *Opera Muſica* compoſuit, propter quæ nominatiſſimus fuit in multis Provinciis & Regnis. Varia inter cætera, nova ſacra cantu Gregoriano prodiverſis Provinciis ornavit, atque *novum Proceſſionale* publico juri donavit Antuerpiæ, an. 1711. Obiit autem *Boxmerci*, plenus meritis & diebus, anno 1716. ætatis 74. ut ſcripſit nobis Aureliam Bruxellis Rev. P. Illuminatus à S. Spiritu, die 13. Auguſti 1741.

L V I.

BENEDICTUS A S. JOSEPH, in ſeculo dictus PERRAT, Occitanus, patriâ *Turnonienſis*, Provinciæ Narbonenſis Carmelita, Connovitius, Condiſcipulus, & Illuſtriſſimi Dom. AMABILIS FAYDEAU, Dienſis Epiſcopi, ex Ordine Carmelitico aſſumpti, coætaneus : atque in deformi ſtatura huic aſſimilis, ſed ſcientiâ forſan præſtans : quâ ubique portentoſus excelluit. Philoſophiam & Theologiam diu docuit : pluribus in Conventibus Prior, ter Definitor, ſemel Provincialis, bis Commiſſarius Generalis ; plurimorum Eminent. Cardinalium admirationem ſibi conciliavit, ipſius etiam æſtimationem Pontificis Maximi CLEMENTIS X I. devinxit, qui ſecum *Romæ* detinere illum tentavit, & aureo nummate donavit. Tenacis adeò memoriæ fuit, ut ea omnia quæ didicerat, promptè redderet, Sanctorumque Patrum textus ad paginam tutò deſignaret, inſolitas etiam quoad quæſtiones à quocumque obvio & interrogante propoſitas. Ad Eccleſiaſticas dignitates facili gradu provehi potuiſſet, ſimplex niſi & humilis obſtitiſſet animus. Priores partes apud illuſtriſſimum Dom. D. *Franciſcum de Salignac de la Mothe Fenelon* Cameracenſem Archiepiſcopum habuit ; cujus in Palatio per annum commoratus, *Opera omnia* recognovit, correxit, & nonnulla collaboravit ; ipſe verò BENEDICTUS nulla propria juri publico concedere onquam auſus, *Turnonii* die 20. Junii 1741. ætatis 83. ſpiritum reddidit. Hæc *Lugduno Aureliam* ad nos miſit eodem anno die 2. Julii in *Schedis Mſſ.* R. P. Philippus à Sancto Claudio Chaudeau, tunc Lugdunenſis Carmeli Prior, poſteà ſuæ Provinciæ Narbonæ Definitor, & deinde in Comitiis Generalibus Romæ 1744. celebratis in ſocium R. Prioris Generalis *Aloyſii Laghi* aſſumptus : ſed non accepit illud officium.

L V I I.

BENEDICTUS A S. LUDOVICO, cognomento GRAVALLE, natione Gallus, patriâ *Crepiacenſis* in agro Valeſio, Carmelita Excalceatus, qui obiit in Conventu Pariſienſi die 9. Junii 1662. poſtquam nonnulla Opera pia Gallico idiomate reliquiſſet, putà,

1. *Martyrologe des Saints de France.*
2. *Examen de l'homme de ce temps ; dans lequel eſt traité des mœurs des Séculiers.*
3. *Méditations pour la Semaine ſainte.*
4. *Tableaux des Religieux.*

Hæc refert Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 47.

L V I I I.

BENEDICTUS MARIA A JESU-CHRISTO, Papienſis, Carmelita Excalceatus, qui anno 1666. Florentiæ vivere deſiit, ſcripſit,

1. Opus inſigne *De Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis, in-folio* reviſum & approbatum, ſed nondùm typis editum

2. Aliud, cui titulum appoſuit : *Novæ veteres Vindiciæ poſtulatæ* à P. F. Benedicto a Jeſu-Chriſto, *Carmelita Excalceato, Ticinenſi, Inſubriæ Provinciæ, dum quædam aſſerta legalia, moralia ad ſanctum Officium, Philoſophiam, Theologiam ſcholaſticam, Hæreticorum impugnativam, regularem, myſticam, & expoſitivam ſpectantia, ab impugnatoribus defendit. Quarum partis primæ, hic tomus primus continet Vindicias dignitatis, & authoritatis juris civilis, præfulgentis Vindiciis Juſtinianiſmi, ab eodem Patre in Italia editis, ab omnibus primariis utriuſque juris, & ordinariis juris civilis Interpretibus, Regiæ Univerſitatis Papienſis approbatis, poſt hoc opuſculum, in Galliis edendis.* Lugduni, ſumptibus Claudii Proſt 1694. *in-4°.*

Ita Ludovicus Jacob in Scheda Mſ. *ad paginam* 47. *ſuæ Bibliothecæ Carmelitanæ Mſ.* appoſita : & Martialis à S. Joanne-Baptiſta in *Bibliotheca Carm. Excalceat. pag.* 48.

L I X.

BENJAMIN A S. JOANNE CHAUDEAU, natione Gallus, patriâ *Cabillonenſis*, *Philippi a S. Claudio* Frater unicus natu major, Provinciæ Narbonenſis Carmelita, diverſis in Conventibus Prior, hoc officium in Cœnobio Podienſi Velannorum ſeu Anicienſi gerebat anno 1739. quo feſtum & Confraternitatem *de Corde Mariæ Sacro* inſtituit, quod ingenti plebis Urbanæ Villanæque Concurſu celebratur, & *Officio ſingulari* per eumdem *Benjaminum compoſito* illuſtratur : cui & ſuum Illuſtriſſ. Dom. *Joannes-Georgius de Pompignan* Anicienſis Epiſcopus, ſuffragium conceſſit, noſtrum Carmelitam ſeu pium & ſanctum virum habens ; ſicut nobis Lugduno miſſis ad nos Aureliam in *Mſſ. Sched.* ſcripſit R. P.ᵉ præfatus Philippus à S. Claudio Chaudeau *anno* 1741. *die* 2. *Julii.*

L X.

BENIGNUS MARTIN, ideo dictus à S. MARTINO, natione Burgundus, patriâ Divionenſis, præclarâ ortus proſapiâ, ex Senatu Burgundiæ Advocato & Prætore Abbatis Ciſtercienſis, *Nicolai Boucherat*, qui uxore mortuâ factus eſt Carmelita antiquioris regularis obſervantiæ in Provincia Narbonenſi, ubi moritur anno 1636. menſe Septembri & Divione ſepelitur ſuos apud Fratres, poſtquam ſub nomine BENIN MARTIN edidiſſet Gallico idiomate,

1. *Traité pour la Confrairie du Roſaire*, ſeu Latinè, *Tractatum de Confraternitate Roſarii.* Lugduni anno 1615. *in-4°.*

2. *Les Saillies de l'Amant de Jeſus & de Marie ſur le Saint Sacrifice de la Meſſe*, id eſt Latinè,

B.

Gaudia Amantis JESU *&* MARIÆ *in Sasrosanctum Missæ Sacrificium.* Divione apud viduam Claudii Guyot, anno 1634. *in-24.*

Ita Ludovicus Jacob io *Dsfsripsione Provinciæ Narbonæ, eap.* 4. Idem in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 47. cui præiverat in citando tractatu de Rosario Hippolytus Maraccius *tomo* 1. *Bibliothecæ Marianæ*; secutus est Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Spesuli Carmelitani, pag.* 1089. *num.* 3830. Nonnihil mutavit Philibertus Papillon aut reticuit in *Bibliothssa* Gallice scripta de *Aushoribus Burgundiæ tomo* 2. *pag.* 34. ubi nihil dicitur de assumpto habitu Carmelitieo.

L X I.

BERENGARIUS TOBIAS, patione Celtiber, patriâ Cæsaraugustanus, ex nobilissimo Tobiarum ibi sanguine prognatus, Oscensis Carmeli alumnus, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, cœnobiticæ regularis disciplinæ vexillifer strenuus, cujus hortatu *Hugo de Metaplana* Cæsaraugustanus Antistes commotus, erigendi Cœnobii licentiam, libens subministravit, die xv. Junii anni M. eexe. cùm jam *Osfensis* Carmelitarum Conventus runc ab annis plùs minúsve septuaginta, sive ab anno 1187. erectus esset; quo tamen loco, anno-ve obierit noster *Tobias* non determinat Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelit. Decoris, pag.* 165. 260. *&* 273. cui accitit Lezana *tomo* 4. *ad an. sit.* 1187. *num.* 12. *pag.* 103. Vide tomo 2. verbo, TOAIAS BERENGARIUS.

Si quid autem *vir tantus, tamque sapiens feripsfrit, quo dederis typo, prætervolat nobis*, inquit idem Cassanatus, *pag.* 273. *col.* 2. *lin.* 16. *ultimis. Sed sapientiâ omni, omnique virtusum stadio slarissimum Patrem lecturis suis tum Philosophicis, tum Theologicis in publiso Parisiensi Musæo dictitasis, eslebrem sibi gloriam composuiss quis dubitavit?* Quæ verba satisfuerunt Ludovico Jacob, ut in sua Bibliotheca Carmelitana Mf. pag. 47. assereret Berengarium Tobiam scripsisse,

1. *In sacram Ssripturam quædam Commentaria*, quæ ideò citat Le Long, in *Bibliosheca sasr. pag.* 1211.

2. *In Philosophiam Prælectiones.*

3. *Ssrmones varios.* Ast ubi servantur MSS.

LXII.

BERENGARIUS DE VALLE-ARENOSA, Hispanus, Carmelita Provinciæ Aragoniæ Provincialis, posteà Lector sententiarum destinatus pro anno sexto, & Cibliorum pro anno primo in studio generali Parisiensi per Comitia generalia Lugduni Sebusianorum anno 1342. celebrata à Petto Raymundo Priore Generali electo. Scripsit, teste Ludovico Jacob io Bibliotheca Carmelit. *Mf. pag.* 48. quem exscripsit Fabricius in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tom. pag.* 578. quamvis de scriptis taceat Lezana *tomo* 4. *ad an.* 1347. *num.* 7. *pag.* 573.

1. *In quosdam sacræ Ssripturæ Libros Commentaria*; quæ Jacobus Le Long in *Bibliotheca sacra pag.* 1211. *sol.* 2. citat ex fide ejusdem Ludovici Jacob.

2. *In Libros* IV. *sntentiarum Commentaria Mf.* depetdita.

LXIII.

BERNARDINA A JESU, *Ferdinandi Martinez, & Helenæ de Robbes* filia, Hispana, patriâ Veacensis, ibique Carmelitana Discalceata, S. JOANNI A CRUCE nota, virgo consummatæ virtutis & magnæ sanctitatis famâ illustris, pœnitentiâ, oratione & signis præclara, obiit auno salutis 1626. die 12. Octobris, postquam scripsisset, *Rslationem de sanctitats & virtutibus Joannis à Cruce*: quâ usus est P. Hieronymus à S. Joseph in *vita* ejusdem *Joannis lib.* 4. *sap.* 14. sicut animadvertit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelit. Mf. pag.* 48.

L X I V.

BERNARDINUS A S. ANGELO, Discalceatus Carmelita Provinciæ Neapolitanæ, vit spectatæ virtutis, rigidissimus regularis observantiæ custos, pluries Novitiorum Magister, edidit Opus Italicum, cui titulus,

Arbor scisntiæ boni & mali, opus Theologicum, morals, mysticum, dogmatisum, satheckisticum, juxta mentem Angelici Doctoris: in quo agitar de virtutibus ac vitiis, & de praxi ad illarum eoasesutionem, & istorum sugam: Neapoli *in*-4°. tribus tomis, quorum *primus* anno 1718. *secundus* anno 1720. & *tsrtius* 1722. Sic habet *Bibliothssa Carm. Exsalceatorum pag.* 48.

L X V.

BERNARDINUS LANDUCCIUS, Tuscus, patriâ *Senensis*, Carmelita, Theologus Parisiensis, postea Doctor, anno 1503. in Capitulo Generali *Placsntiæ* celebrato Definitor & Provinciæ Tusciæ Prior Provincialis adfuit, in quo & Procurator Generalis, à *Psiro Terassa* in Priorem Generalem electo constitutus fuit; posteà in Comitiis Generalibus Neapoli anno 1510. celebratis ad idem officium electus: anno 1511. post obitum *Petri Terassæ*, in Vicarium Generalem instituitur; & quia celebrandum ideò Capitulum Ordinis Generale erat, varias tamen eo tempore ob turbines in Italia bellorum commotione serpentes, JULIUS II. Literis datis ad nostrum BERNAROINUM die 8. Martii 1512. celebrationem Capituli ad unum annum à Festo Pentecostes proximè futuro, auctoritate Apostolicâ propagavit.

Similiter, cùm juxtà Capituli Generalis Neapolitani præmemorati Dectetum, proximè futurum Capitulum celebrandum esset *Barcinons* in Catalonia, Pontifex motu proprio, & ex certa scientia Literis datis ad eumdem BERNAROINUM Generalem Vicarium, sub die 18. Octobris præcepit, ut celebraretur in Conventu *Ssnarum*. Causas hujus mutationis assignat Pontifex distantiam dicti Conventûs Barcinonensis à Romana Cutia, & quod in dicta Urbe *Roma* non esset Conventus sufficiens ad hujusmodi Generale Capitulum recipiendum, sed non incongruè etiam suspicantur BERNARDINUM Vicarium desiderasse suum Conventum, Senarum scilicet, Capituli celebratione decorari.

Non *Ssnis* tamen, sed *Romæ* habita sunt Comitia Generalia anno 1513. in Conventu *S. Martini de Moatibus*, & in Generalem ab omnibus, duobus exceptis, electus est Magister *Baptista Mantuanus*, qui absens erat à Capitulo: *Bernardinus* autem de *Ssnis* continuatur Provincialis *Romæ* ac Procurator Ordinis. Mortuo *Baptistâ Spagnolo Mantuano* die 20. vel 18. Martii 1516. *Leo X.* Pontifex Maximus die 30. ejusdem mensis & anni *Joannem-Baptistam de Parma* Vicarium Generalem totius Ordinis nominavit Literis Apostolicis; alio tamen Apostolico Diplomate die 26. Aprilis anni 1517. mortuo forsitan eodem *Joanne Baptistâ de Parma, Bernardinum de Ssnis, Vicarium in Ordins Carmelitarum Gsneralem*

B.

deputavit & creavit, utpotè quem experientiâ didicerat in hujusmodi officio religiosè & prudenter se gessisse, & omnia ad tale officium spectantia, quoad fieri potuit, exercuisse ac perfecisse.

Simul ei concessit Romanus Pontifex, ut in Capitulo Generali apud *Senas* celebrando posset supplere voces, aliosque gremiales infirmitate vel alio impedimento detentos, & minus idoneorum loco alios subrogare. Jam in Priorem Generalem per Comitia *Senis* celebrata anno 1517. electus BERNARDINUS ad Conventus Ordinis visitandos se accingit, ab eodem LEONE X. literis acceptis, quibus reformationem jam elucentem promovere possit, quam Conventibus non solùm Alemaniæ & Franciæ, verùm & Congregationi Albiensi instiller, ita ut pro votivo hujus reformationis stabiliendæ successu, vel quietiore statu, omnia ad dictam Congregationem concernentia in Conventibus Parisiensi, Rothomagensi, Albiensi, Meldunensi & Tolosano statuat, & alia contraria per Cardinales GEORGIUM DE AMBACIA & PHILIPPUM DE LUXEMBURGO, Episcopum Tusculanum, Sedis Apostolicæ Legatum, & per ipsum etiam LUDOVICUM XII. Christianissimum Regem Galliæ instituta, ordinata & concessa, perpetuò supprimat.

Quem ut finem efficaciùs assequeretur *Bernardinus*, Literis eum commendavit Pontifex idem ad Senatum Tolosanum, & ad *Laurentium de Medicis*, Ducem Urbini, suum nepotem directis, qui dicto *Bernardino* favorem & patrocinium impendat apud Regem Christianissimum, quatenùs Commissionem Apostolicam liberè posset exercere. Literæ hæ datæ sunt die 27. Julii anno 1518. quibus ad Regios Præsidentes & Consiliarios Curiæ Parlamenti Tolosani significat, quatenus, non sine animi displicentia, accepit sua Sanctitas, in Tolosana Carmelitarum Domo, quâ quondam *Guillelmus de Cumba*, & *Ludovicus de Lira* dicti Ordinis fratres nonnullorum Laicorum favoribus in sui tutelam nuper abutentes, sub Reformationis specie Reformationem ipsam diversis viis, & formis penitùs declinantes, pacem turbaverint, ac cum Populi & totius civitatis scandalo, præcipitato gradu, ambitione ducti multos fratres ibidem existentes, absque totius Ordinis Capitis facultate expulerint, carceri mancipaverint, & ejecerint, eamdemque Domum à plena ejusdem Ordinis Generalis tutela, & jurisdictione surripuerint, non sine Religionis dedecore, animarumque periculo, & Populorum scandalo. BERNARDINUS autem hac authoritate munitus, alacri animo, magnoque perfectionis suorum Religiosorum zelo varias Ordinis sui Provincias visitavit & quos in Theologiæ studio peritiores & magis idoneos reperiit, Magisterii gradu cum solitis insignibus & privilegiis decoravit, juxta facultatem ab eodem summo Pontifice obtentam. An. 1519. Dominicâ quartâ post Pascha celebravit Turonis Capitulum Provinciale, in quo Magistris duobus Provincialibus, *Antonio Bienvenu* distinctionis Franciæ, & *Joanne Jary* distinctionis Britanniæ contendentibus, sancivit *Bernardinus*, quòd nullatenus in posterum alternativa Provincialium Francorum & Britonum violaretur: duos tamen hos Provinciales pro suo quoque districtu confirmavit ad proximum Capitulum Provinciale. In aliis Provinciis, præsertim in Provincia Narbonensi, Provinciales Priores ad triennium prorogati sunt, ob reformationem ibi inceptam, sic specialiter statuente LEONE X. per litteras die 24. Januarii 1520. datas. Anno sequenti 1521. die festo S. Magdalenæ 22. Julii Capitulo Provinciæ Franciæ in Conventu Remensi celebrato præfuit Bernardinus, & Indulgentias huic conferendas ab eodem summo Pontifice accepit.

Sic peragratis sui Ordinis Provinciis, cum animo reformationis inibi inchoandæ & magis ac magis fovendæ & firmiter stabiliendæ, Capitulum Generale primò Lugduni celebrandum cogitaverat, quod ad Provinciam Neapolitanam posteà transtulerat: Ast ante celebrationem dicti Capituli, è vita migravit Romæ anno Domini 1523. die 28. Martii. Sepultus est primùm in Conventu *S. Mariæ Transpontinæ*: deinde jussu *Nicolai Audeti* ejus successoris, ossa cadaveris apud *S. Martinum de Montibus* sont translata, & honorificè sub tumba eleganti marmorea, ejus effigie decorata, recondita, hac cum inscriptione:

D. O. M.

BERNARDINO LANDUCCIO,
SENEN. VIRO DOCTRINA INCOMPARAB.
CARMELIT. RELIGIONIS
ANTIST. PRÆSTANTISS.
NIC. AUDET SUCCESS. PIENTISS. F. C.
M. D. LXXIII.

Hanc inscriptionem à se collectam anno 1638. Ludovicus Jacob scribit in *Bibliotheca sua Carmelit. Mss. pag.* 48. Verùm is vel calamo præcurrente lapsus est, vel error Chronologiæ in inscriptione præfata obrepsit, vel translatio ossium *Bernardini Landuccii* post mortem *Nicolai Audet* contigit, quippe qui obiit die 6. Decembris 1562. ætatis suæ 82. ut dicitur tomo 2. Aliod Epitaphium *Landuccii* cecinit Petrus Lucius in *sua Carmelitana Bibliotheca pag.* 20. versa, & in *Commentario suo Carmelit.*

D. O. M.

Gloria qui quondam fuerat non parva virentis
Carmeli, exiguo clauditur hoc tumulo.

Complura scripsisse Landuccium pro certo habeo, inquit idem Lucius: ex multis autem hæc novimus:

1. *De B. V. Mariæ laudibus Tractatum.* Qui *Ms.* quondam anno scilicèt 1640. apud Ambrosium Landuccium Bernardini gentilem Senis asservabatur.

2. *De sensu composito* libellum, mole quidem exiguum, eruditione tamen grandem & eximium. Neapoli, an. 1514. *in-4°.*

Bernardini Landuccii laudes celebrant Julius II. Leo X. Adrianus VI. & Clemens VII. in litteris Apostolicis, quæ leguntur *tomo* 1. *Bullarii Carmelit. pag.* 445. 461.—515. & *tomo* 2. *pag.* 20. Petrus de Lilla Carmelita in *Præfatione Calendarii Solis* Leoni X. Romano Pontifici dicati: Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*: Hippolytus Maraccius in *Bibliotheca Mariana*: Joannes-Antonius Philippinus in *Descriptione Ecclesiarum SS. Martini & Sylvestri de Montibus*: Claudius Robert in *Catalogo Generalium Ordinis Carmelitarum*: Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annalium ad an.* 1503. & *alios citatos*. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelit. Decoris pag.* 387. Ludovicus à S. Teresia in *Successione Eliæ, cap.* 260. *pag.* 594. ubi postulat quisnam Carmelitarum Generalis adfuerit Concilii Lateranensis V. sessioni duodecimæ die 16. Martii 1517. *Joannes-Baptista de Parma* Vicarius tum erat, de quo intelligendus est Generalis Carmelitarum, qui citatur *tomo* 14. *Conciliorum, pag.* 327. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli pag.* 537. *num.* 967.

B.

LXVI.

BERNARDINUS AB OMNIBUS SANCTIS, in seculo dictus JOANNES ROGERIUS, natione Gallus, Provinciæ Aquitanæ Carmelita Discalceatus, *Nobiliaci*, natus anno 1624. conceptum Novitiatûs fervorem, ad extremum usque halitum retinuit, vir simplex, rectus ac timens Deum toto ferè, quo à Sacerdotio vixit, tempore, tum verbo, tum exemplo, in concionando per Adventus & Quadragesimas insumpto; boni ac optimi Pastoris munere, in regendis Lemovicensi, Riomensi, & Engolismensi Conventibus functus. Ad Provinciale Capitulum dum pergeret, morbo in itinere contracto, Medicis incognito, multis invictæ patientiæ productis ad graves sustinendos dolores actibus, piè obiit die 25. Maii 1688. ætatisque 64.

Edidit vitam admirandam S. Leonardi, sex libris distinctam, idiomate Gallico. Lemovicis, anno 1681. *in*-12. de qua Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag. 49.

LXVII.

BARDINUS, seu BERNARDINUS SAMPSONIS, aliàs SANSONIS, natione Neustrius, Carmelita Rothomagensis, Theologus & Lector Bibliorum Parisiis designatus in Capitulo Generali *Montispessulani* anno 1420. & Lector sententiarum, ibidem in Generalibus *Appamiarum* Comitiis etiam ordinatus anno 1425. ac in Capitulo Nannetensi an. 1430. Lector sententiarum Parisiis pro anno sequenti, libellum supplicem Procurator Generalis *Eugenio quarto* obtulit cum *Petro de nova Ecclesia* Priori Provinciali Germaniæ, quatenus facultatem ampliandi Provinciam inferioris Alemaniæ ad tria loca concederet Pontifex Maximus: qui assensum præbuit per litteras Apostolicas Ferrariæ datas anno. 1438. duodecimo Kalendas Octobris. Italiæ Vicarius Generalis & Procurator Generalis etiam in Archivio *Florentiæ* nominatur. Cum autem eo tempore alii fuerint Procuratores Generales Ordinis in Capitulis Generalibus nominati, non incongruè elicimus, hunc BARDINUM, Generalis vice, Synodo Ferrariensi & Florentinæ, saltem pro aliquo tempore Procuratorem Generalem designatum, & Italiæ Vicarium interfuisse. Obdormivit autem in Domino, *Florentiæ*, anno 1439. die 25. Septembris, postquam scripsisset,

1. *Quosdam in libros sacræ Scripturæ Commentaria* Parisiis dictata: quæ Jacobus Le Long commemorat in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 1220. *col.* 1.

2. *In Magistrum sententiarum Commentaria*, quæ Parisiis dictavit *an.* 1425. & 1430.

3. *Sermonem coram summo Pontifice, & alios Sermones Mss.* qui asservantur in Bibliotheca Vaticana, ad *Inventarium tomi quinti*, *codice* 41. & citantur à R. P. Domino Bernardo de Montfaucon in *Bibliotheca Bibliothecarum manuscriptarum*, *pag.* 114. *col.* 2. *C.*

4. *Libellum supplicem Eugenio IV.* oblatum pro facultate obtinenda ampliandi Provinciam Inferioris Germaniæ ad tria Cœnobia: Hujus meminit ipse Eugenius IV. in *Diplomate Apostolico*, (incipit ad uberes, quos, &c.) quod Ferrariæ edidit an. 1438. die 20. Octobris, & prodiit *tomo* 5. *Bullarii Carmelit. pag.* 194. 195.

De Bardino Sampsonis loquuntur Eugenius IV. *loco mox citato*: Horatius Justinianos in *Notis ad Concilium Florentinum tomo* 13. *Concilior. edit. Labb. pag.* 890. *E.* Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annal. ad annum* 1439. *num.* 2. *pag.* 850. Necrologium *Carmelitarum Florentinorum*, quo usus est Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelit. Mss. pag.* 49.

LXVIII.

BERNARDUS DE AMBASIA, aliàs AUREOLI, natione Gallus, patriâ Ambasianus, unde, à natali solo, de Ambasia, Carmelita Tolosanus, sacræ Theologiæ Doctor, ac Lector Parisiensis sententiarum pro nono anno nominatus in Capitulo Ferrariensi anno 1357. & Lector Bibliorum pro octavo anno: & in Capitulo Treverensi anno 1362. Lector sententiarum Tolosæ pro tertio anno, & Bibliorum pro primo. In Capitulo autem Montispessulani an. 1369. Definitor Generalis Tolosæ: idem in Comitiis Generalibus Podiensibus anno 1375. In Brugensibus autem anno 1379. Provincialis Tolosæ institutur.

Posteà, teste Possevino, factus fuit sacri Apostolici Palatii Romæ Lector, & inde sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. An à vero Pontifice Romano, an verò ab Antipapa hujus temporis, incertum. Illum fuisse præstanti doctrinâ spectabilem Cardinalem scribunt Conradus Gesner, Castaneus de la Roche-Posay, Antonius Aubery, Hippolytus Maraccius, Jacobus Le Long, &c. Scripsit,

1. *In Epistolam D. Jacobi Lectiones* LXIV.
2. *In Epistolam D. Joannis Lectiones* CXII.
3. *In libros sententiarum Commentaria.*
4. *Sermones Quadragesimales, lib.* I.
5. *Sermones Mariales, lib.* I.
6. *Sermones Hyemales, lib.* I.
7. *Sermones Æstivales, lib.* I.
8. *Collationes varias, lib.* I.

Meminerunt Bernardi de Ambasia cum laude Sixtus Senensis, *lib.* 4. *Biblioth. sacr.* Angelus Rocca in *Biblioth. Scripturali*: Jacobus Le Long in *Bibliotheca sacra tom.* 2. *pag.* 635. *col.* 2. *E.* Conradus Gesnerus in *Bibliotheca Universali*: Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana*: Hippolytus Marraccius in *Bibliotheca Mariana*: Antonius Possevinus in *Apparata sacro tom.* 1. *pag.* 214. Henricus-Ludovicus Castaneus Rupipozæus in *Nomenclatore Cardinalium*: Antonius Auberius in *Historia Generali Gallica Cardinaliam*: Fabianus Justinianus *lib.* 3. *de Scriptura sacra*, *pag.* 565. & 568. Fabricius in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo.* 1. *pag.* 587. ubi vocat eum Cardinalem.

E Carmelitis Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 318. Joannes-Baptista de Lezana *tom.* 4. *Annal. anno* 1390. *num.* 4. *pag.* 729. Emmanuel Roman de *Illustribas Viris Ordin. Carmel.* Joannes-Antonius Philippinus in *Descriptione Ecclesiarum SS. Martini & Sylvestri de Montibus*: Franciscus Bonæ Spei in *Visione Eliæ.* Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelit. Mss. pag.* 49. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 915. *nam.* 3183. Idem in *Vinea Carmeli*, *pag.* 495. *num.* 883. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli.*

LXIX.

BERNARDUS ANGRIANUS, aliàs AIGUANS, aut DE BONONIA, *Stephani* filius, & Michaelis *Doctoris incogniti frater*, natione Italus, Bononiensis patriâ, Doctor Theologus, Carmelitarum Provinciæ Bononiæ Prior bis Provincialis: vir tum in profanis, tum in sacris etiam litteris apprimè exercitatus, magnæ pietatis, paris etiam apud suos authoritatis, Concionator suâ ætate, scilicet circa annum 1586. celebris, Bononiæ sepultus cum

eum suo patre & fratre; sicut in primo Claustro, & lapide marmoreo profert sequens Epitaphium:

D. O. M.

Hic ego qui jaceo Ayguanis stirpe, duorum
Stephanus in utero genui membra virorum,
Jacobæ Serenis, major extat Michaël quorum
At minor Bernardus: ambo nos ex fonte Doctoris
Huc petra sic tegit, sub bis centum, & quinquaginta Francorum.
Lustris ter novem, rota quinta, in festo Magorum.

In hoc trium virorum *Ayguani* Epitaphio, æquè ac in uno *Michaëlis titulo*, de quo infertùs, nomen *Ayguani* cum littera *y* insculptum legitur, eam litteram etiamsi non admittat recta scribendi Italicè methodus; ut animadvertit vir clarissimus & peritiss. Dom. Bernardus de la Monnoye in *Notis* ad Adriani Bailler tractatum Gallicè inscriptum: *Déguisemens des Auteurs, 1. part. chap. 5. tom. 6. pag.* 265. Bernardus autem Ayguanus scripsit, *Sermones per annum lib.* 1.

De illo loquuntur Antonius Possevinus in *Apparatu sacro, tom.* 1. *pag.* 214. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 317. Fabricius in *Bibliotheca media & infimæ Latinitatis, tom.* 1. *pag.* 588. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Conradus Gesnerus in *Biblioт. universali*: Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. Carmelit. ad an.* 1386. *num.* 4. *pag.* 720. 721. Ludovicus Jacob in *Bibliot Carmelit. Ms. pag.* 50. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1008. *num.* 3702. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Carmelit. pag.* 69.

Urbanus V. Petro Thomæ Patriarchæ Constantinopolitano, qui ex Ordine Carmelitarum est assumptus, committit ut promoveat ad gradum Magisterii, nostrum Bernardum de Bononia. » Cum itaque, » *inquit summus Pontifex*, sicut accepimus, dile- » ctus filios Bernardus de Bononia Ordinis Fratrum » Beatæ Mariæ de Monte Carmeli Professor, qui in » Parisiensi studio multis annis in Theologica Facul- » tate studuit, & inter alios Theologos ibidem re- » putatur sufficiens, & expertus, & demum ad » studium Bononiense accedens in loco Fratrum di- » cti Ordinis ibidem quasi continuò sacræ Theolo- » giæ libros perlegit, aliosque actus scholasticos in » ipsa Theologia exercuit, sic divinâ sibi gratiâ » suffragante, in eadem Facultate profecerit, quod » se dignum reddit ad obtinendum honorem Ma- » gisterii in eadem, fuit nobis pro parte ipsius Ber- » nardi humiliter supplicatum, ut ipsum ad præfa- » tum honorem promoveri de benignitate Apostoli- » ca mandaremus.

» Nos itaque de sufficientia, & idoneitate ipsius » Bernardi ad hoc certam notitiam non habentes, » fraternitati tuæ, de qua in eis, & aliis fiduciam in » Domino gerimus specialem, per Apostolica scri- » pta committimus, & mandamus, quatenus si per » tuam, & aliorum saltem quatuor in eadem Facul- » tate Magistrorum Bononiæ existentium, eumdem » Bernardum ad hoc sufficientem, & idoneum esse » reperetis, hujusmodi Magisterii honorem, & do- » cendi licentiam in Facultate prædicta eidem Ber- » nardo . . . largiaris. . . . Ita tamen quod ex hoc » præfatus Ordo ad præstandum aliquid sibi pro » suis expensis, vel aliis necessariis ultrà quàm an- » teà, minimè teneatur, eâdem authoritate conce- » das. . . . Datum Avenione 2. Idus Julii, Pontifica- » tûs nostri anno secundo », id est, 14. Julii anno 1364. Hæ literæ Apostolicæ, quæ incipiunt: *Viri sanctæ lectionis, &c.* prodierunt *tomo* 5. *Bullar. Carmelit. pag.* 120.

LXX.

BERNARDUS A S. CATHARINA, Discalceatus Carmelita Provinciæ Neapolitanæ, vir acutissimi ingenii, per viginti annos Lectoris officio functus, in disputando terror omnium, omnium disciplina fuit, sine magistro in Geometriæ ac Mathematicarum disciplinis adeò profecit, ut coætaneos scientiarum istarum peritissimos superaverit. Non minori humilitate quàm doctrinâ clarus, obiit Neapoli, anno 1713. postquam Philosophicum edidisset librum, cui titulus:

Crisis Carthesiana, sub nomine *Marci Aurelii*. Beneventi, anno 1712. sicuti refertur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 49.

LXXI.

BERNARDUS A S. CLEMENTE, natione Gallus, provinciâ Picardus, patriâ Laudunensis, anno 1619. natus, inter Carmelitas Excalceatos in Conventu Burdigalensi professus, Perpinianense, Engolismense, ac pluries Burdigalense S. Ludovici Cœnobium Prior rexit; & in eodem Burdigalensi animam exhalavit die 29. Novembris 1694. ab omnibus dilectus, in senectute bona.

Ex Hispanico idiomate in Gallicum transtulit *Vitam venerab. Matr. Annæ à S. Augustino*, ac Burdigalæ edi curavit, anno 1685. *in-8°*. Ita *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 49.

LXXII.

BERNARDUS A JESU MARIA, Hispanus, Carmelitarum Discalceatorum Prior Barcinonensis, eruditione pariter & virtute spectabilis, edidit *Acta authentica Canonizationis S. Teresiæ à Jesu*, in quibus Seraphicæ Virginis sanctitas Romani judicii rigidissimâ discussione, auri instar probata lucidissimè splendet, & splendidissimè lucet. Barcinone 1622. Parisiis 1625. & Viennæ Austriæ 1629.

Hæc præfatur Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelitana Ms. pag.* 50. quem secuti Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1128 *num.* 3962. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 49. Hæc Acta Mss. reperiuntur in Bibliotheca Coisliniana, de qua vide Montfaucon in Bibliotheca Bibliothecarum Mss. tom. 2. pag. 116. col. 2. A.

LXXIII.

BERNARDUS A S. JOSEPH, in seculo dictus LUDOVICUS DE GOURDON DE GENOUILLAC, ex nobilissima stirpe Comitum *Devaillac*, in arce Burdigalensi, *Castello Buccinæ*, Gallicè *Château-Trompette*, cujus pater erat Gubernator, natus est anno Domini 1585. die 25. Decembris. Matrem habuit Annam de Mouberon, ex nobilissima etiam familia d'*Estetouville*, sororem *venerabilem matrem Galliotam à S. Anna*, præpositam Monasterii *Belli-loci* apud Cadurcos, Ordinis *S. Ioannis* de Jerusalem, quod mirâ pietate ad finem vitæ rexit, reformavit, & cujus vitam scripsit *P. Thomas Aquinas à S. Joseph* Carmelita Discalceatus. Filiorum Comitis *Devaillac* sui patris fuit secundò genitus noster BERNARDUS, sed posteà jure primogenitus, fratre primogenito facto Episcopo Tutelensi.

Post humaniorum litterarum studia, *Romam* à patre missus, non tam nobilitatis quàm pietatis

B.

ſtodiis, ac exercitiis ſe totum ſic applicuit, ut poſt iteratas plures inſtantias inter Tyrones Excalceatos Carmelitas anno 1605. die 21. Martii in Monaſterio B. V. *Mariæ de Scala* admiſſus ſit à V. R. P. *Joanne à Jeſu Maria*, Vicario ſanctitate & ſcriptis celeberrimo: & anno ſequenti die 25. Martii ſolemnia dixerit vota inter manus V. P. *Petri à Matre Dei*, Prioris, & Commiſſarii Generalis Apoſtolici.

Genuam primùm, poſteàque *Lodanum*, ſtudiorum causâ miſſus, dignus inde à Superioribus viſus eſt, qui Galliæ Conventuum ſuæ Congregationis primus exiſteret Fundator. Anno itaque 1609. in illud florentiſſimum Regnum pergens, mirâ animi magnitudine, non ſolùm Pariſienſe anno 1611. quod rexit, anno 1614. ſed Charentonenſe, Lugdunenſe, Gerbevillenſe, Muſſipontanum, Toloſanum, Rothomagenſe, Lemovicenſe, Nivernenſe, Venetenſe, Barroducenſe, Maſſilienſe, Cadurcenſe, Tutelenſe, & alia fundavit Cœnobia.

Moniales Tereſianas è Belgio Nancæum adduxit: alios Monialium Ordinis *S. Dominici*, Pariſiis, Burdigalæ, Maſſiliæ, Dinantii in Britannia Minori ædificati, & ejuſdem Ordinis in *Caſtro-Saraceno*, *Toloſam* inter & *Agennum* reformari Conventus procuravit. Ven. Matr. *Margaritam d'Arbouze*, dictam à *S. Gertrude*, conſiliis ac directione ſuâ, ad maximam ſanctitatem promovit. Celebris Abbatiæ Cellenſis Ordinis *S. Benedicti*, ab illuſtriſſima Domina *Borbonia*, Viſitator poſtulatus, ab illuſtriſſ. Archiepiſcopo Pariſienſi electus eſt.

Primus Gallicanæ Provinciæ, ac poſteà Aquitanicæ, Conventuum ſeparatione factâ, Provincialis pariter electus, Definitor Generalis, ac Viſitator Pariſienſis ſic egit, ut Miſſionum Angliæ & ipſe inter viros Apoſtolicos vir Apoſtolicus Regi etiam admirationi eſſet Carolo I. Obiit virtutibus & meritis clarus die 25. Auguſti, anni 1649. in Conventu Toloſano. Scripſit obedientiſſimus vir, licèt omnium Galliæ Carmelitarum Excalceatorum Pater, juſſu R. P. *Ludovici à S. Tereſia*, qui tunc ei à confeſſionibus erat:

1. *De propria vita Relationem*, quâ uſus eſt ipſe dictus Ludovicus, lib. 2. Annalium Carmelitarum Excalceatorum Galliæ à *cap.* 81. *ad caput* 90. *pagg.* 514. 543.

2. Scripſit etiam *brevem Relationem de virtutibus venerab. M. Magdalenæ à Jeſu Maria*, Monialis Tereſianæ, quâ potitus eſt Paulus à *SS.* Sacramento in ejus vita.

3. *Epiſtolam Latinam* ad Petrum Seguerium Franciæ Pro-Cancellarium: quam præfixit *Manueli Pauperum* P. Alexandri à S. Franciſco: quod prodiit Lugduni, 1633. *in*-8°.

4. *Epiſtolas varias*, quarum *unâ* ſe potiri gaudebat Auguſtiſſ. Dom. Anna Auſtriæ Regina Galliæ; ut refert Ludovicus à S. Tereſia in *Annalibus citatis pag.* 543.

De Bernardo à S. Joſeph honorificè loquuntur ipſe memoratus Ludovicus à S. Tereſia *loco citato*: Philippus à SS. Trinitate, 3. *p. Decoris Carmeli*, *pag.* 192. Armandus Cardinalis de Richelieu, *part.* 2. *Diarii*, *pag.* 44. Michael de Marillac, *de Inſtitutione Monialium S. Tereſiæ in Regno Galliæ*: Hilarion Coſte, *lib.* 4. *Hiſtoriæ Catholicæ*: idem *tomo primo illuſtrium Mulierum*: Thomas Aquinas à S. Joſeph in *vita Galiotæ à S. Anna*: idem libro de *Patriarchatu Eliæ*: Jacobus Ferraye in *vita Margaritæ d'Arbouze*: Iſidorus à S. Joſeph in *vita Joannis à Jeſu Maria*, & *tom.* 1. *Annal. Carmelit. Excalceat.* Ignatius à Jeſu Maria in *Relatione fundationis Conventûs S. Joſeph Pariſienſis*: Leo à S. Joanne in *Delineatione Provinciæ Turoniæ*, Paulus à SS. Sacramento in *vita venerabilis Matris Magdalenæ à Jeſu Maria*: idem in *vita ven. Matr. Mariæ Lieſſe à Luxemburgo.* Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 50. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1052. *num.* 3641. Martialis à S. Joanne-Baptiſta in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 49.

LXXIV.

BERNARDUS A S. MAGDALENA, natione Andinus, die 22. Julii (in pago Salmurienſi natus anno 1588. veſtem Carmelitanam Induit Tyro Rhedonibus anno 1610 in Reformatione ſeptimus dixit vota,) Anno 1611. in Carmelo *Rhedonenſi*, recentem & pubeſcentem adhuc Reformationem anhelante, ſolemnia iterùm dixit vota inter Prioris manus *Philippi Theobaldi*, cujus quidem prima exercitia ſpiritualia ad hanc Reformationem ſuſtinendam & promovendam conducentia, poſteà ipſe tum Superior Andegavenſis anno 1615. ſeptimo Kalendas Maii ſignavit, & horum jam Promotor ſtrenuus, primariis in Toroniæ Provinciæ Conventibus munia diverſa Prioris, Definitoris mirè ſuſtinuit, & anno tandem 1629. ad Comitia *Juliodunì* celebrata, in Provincialem electus eſt. Quod munus tantâ dexteritate & modeſtiâ exercuit, ut non ſolùm ſodalibus ſuis, ſed etiam extraneis hominibus amabilem & æſtimabilem ſeſe præſtiterit. Illi debentur fundationes Conventûs *Flexienſis* an. 1629. & *Pariſienſis* SS. Sacramenti acceptationem an. 1651. Abſoluto ſui officii triennio, totum exercitiis vitæ interioris ſeſe devovit, partes Magiſtri Novitiorum per quindecim annos ſuſtinuit, ſuæ Provinciæ utilitati conſulens, devixit *Turonibus* anno 1669. die 6. Auguſti, relicto eximiæ ſanctitatis odore. Scripſit,

1. Collectanea nonnulla Novitiorum uſui conducibilia. De his loquuntur Patres Capituli Provincialis anno 1635. Aureliæ congregati ſic ſtatuentes: *Perficiat R. Pater* BERNARDUS *à S. Magdalena quod jam ſuſcepit Directorium pro Novitiis: ſimiliter & P. Valentinus à S. Armagillo Directorium quod cœpit pro Magiſtris Novitiorum.* Et Congregatio annua die 24. Maii celebrata *Rhedonis* anno 1646. ſic habet: *Ut tam noſtræ Provinciæ quàm aliarum neceſſitati iteratis ſæpè precibus & poſtulationibus ſatisfiat, decretum fuit ut* R. P. Leo à S. Joanne *Provincialis Directoria vitæ internæ tum regularis, tum ſpiritualis quantociùs & omninò perfici & abſolvi procuret.* Capitulum Provinciale Pictaviis perhonorificè die 8. Junii 1647. celebratum ſic loquitur: *Directoria & hujuſmodi alia Opera pia recognoſcendi & imprimendi cura ſpecialiter demandatur R. P. Leoni Exprovinciali.*

2. *Relationem de geſtis & virtutibus R. P. Philippi Thibault*: Quâ uſus eſt *in ejus* vita deſcribenda P. Hugo à S. Franciſco, *cap.* 12. *pag.* 87. & *ſeqq.*

Honorificam Bernardi à S. Magdalena mentionem habent *Acta Mſſ.* Provincialium Priorum Provinciæ Turoniæ: Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1089. *num.* 3830. Columbanus à Noſtra Domina de Monte-Carmelo in *ſerie* ſeu *Catalogo Mſ. Provincialium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 14. Licinius à S. Scholaſtica in vita vener. Philippi Thibault, *Cap.* 12. 13. 15. & 26. *pag.* 121. 158. 141. 165. & 285. Hugo à S. Franciſco in vita ejuſdem Philippi Thibault, *Cap.* 9. 13. 14. 16. 27. 51. 55. 51. 55. *pag.* 87. 93. 102. 118. 125. 203. 234. 256. 265. & 405. Qui ambo, ſcilicet Licinius, *Cap.* 15. *pag.* 165. & Hugo, *Cap.* 26. *pag.* 126. noſtro

B.

Bernardo originem *devotionis erga Jesum puerum* seu infantem in cunis vagientem adjudicant in Conventu Andegavensi anno 1615. inchoatæ, & ad alias Religiosas communitares propagatæ. Hi tamen Authores duo de illius ætate non conveniunt. Nam Licinius, *pag.* 120 & 121. scribit eum anno 1610. Novitium fuisse ætatis suæ vigesimo secundo: ast Hugo, *pag.* 405. loquens de Capitulo Provinciali Turonis anno 1651. celebrato cui præfuit Rev. P. *Joannes-Antonius-Philippinus*, & magnum splendorem contulit Illustris. Dom. *Victor le Bouthillier* Turonensis Archiepiscopus. *Qui magno affectu*, inquir, *conspicit Carmeli Novitiatum, in quo magnos perfectionis profectus intuetur duce R. P. Bernardo à S. Magdalena Exprovinciali, Rhedonensique bis Priore: qui septuagesimo quamvis anno natas, post varia annis quadraginta munia, dies suos magna mansuetudine atque mira spiritûs alacritate insumit.* Ast hæc verba forsan referri possunt ad annum 1662. quo vitam Venerabilis Philippi Thibault scribebat Hugo à S. Francisco.

LXXV.

BERNARDUS A MATRE DEI, Hispanus Carmelita Excalceatus, Collegii Complutensis Rector, scripsit *Elogium insignis Doctoris Ludovici Montesini*: Quod excusum est Compluti anno 1622. apud viduam Joannis Gratiani Dantisco, cum *duobus tomis* ejusdem Montesini *Commentariorum in primam secundæ Partis S. Thoma in-folio*, quæ edi curavit Bernardus noster.

Id refert *ex Schedis Mss. Pauli ab omnibus Sanctis* Carmelitæ Excalceati Germani Ludovicus Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 50. Cui assentiri videtur Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliotheca Hispanæ*, *pag.* 44. dicendo quod dicti Ludovici Montesini, qui cogitasse dicitur de commutanda in religiosam presbyterali vita; id que inter Carmelitas Excalceatos, *Opera Carmelitarum Collegium Complutense post mortem authoris edi curavit.*

LXXVI.

BERNARDUS MARIA DE JESU, ex oppido *Palazioli* Diœcesis Syracusanæ, in seculo dictus *Carolus Bernal*. natione Hispanus, annum agens 18. Carmelitarum Excalceatorum habitum accepit *Panormi* die 23. Februarii 1642. ac sequenti anno die 24. Februarii solemnia emisit vota. Studiis addictus, humanis sacras univit literas. In gravioribus disciplinis, & disputationibus usque ad admirationem egregius enituit. Philosophiam, ac Scholasticam Theologiam magnâ cum ingenii laude ac Doctrinæ profunditate *Panormi*, ac *Messanæ* docuit. Ipse unà cum P. *Elisæo à S. Agnete* ejusdem instituti Religioso falsitatem spiritûs cujusdam muliercylæ detexit, quæ astu Dæmonis, insimulatis visionibus ac miraculis, dolosâ sanctitatis famâ Siciliam ac Italiam deceperat.

A D. *Francisco Alvarez* Messanensi Archiepiscopo *Messanam* accersitus est, ut cujusdam Monialis gesta, quæ extrà coosuetas spiritualis vitæ semitas incedebat, discuteret. In sacro Inquisitionis Tribunali Censoris & Consultoris munere functus, apud Præsules Siciliæ, *Neapolis*, *Roma*, *Melitæ* maximam sibi conciliavit existimationem. In suæ præcipuis Provinciæ Conventibus, Prioris, Definitoris, ac tandem Provincialis munia gessit; Melitense Collegium, ac Romanum Sancti Pancratii Seminarium Missionum, non minori sapientiâ rexit, & omnium calculo, totius Congregationis Procurator Generalis electus, maximâ sagacitate & prudentiâ, illius negotia tractavit. Vir denique tam pietate quàm doctrinâ clarus, depositâ curâ Panormitani Cœnobii, paulò post apoplexiâ correptus, Panormi decessis die 27. Februarii, anno 1696. Edidit Italicè vitam Monialis inscriptam:

Vita della serva di Dio suor Giovanna Maria dellà Trinità, Monica Carmelitana Scalza nel Monastero delle Sancte Anna, è Teresa della felice Città di Palermo nel Secolo D. Anna Maria Velasquez de Avilla è la Cerda Baronessa di Serravalle. Id est Latinè,

Vita serva Dei sororis Joannæ Mariæ à SS. Trinitate Monialis Carmelitanæ Discalceatæ in Monasterio S. Annæ Panormitano: dictæ in secalo: Anna Maria Velasquez de Avila & la Cerda de Serravalle. Bononiæ apud Jacobum Montem, anno 1684. *in*-4°.

Hujus vitæ compendium typis tradidit in Libro de fundatione, ac Translatione Monasterii Panormitani S. Teresiæ Italicè edito, Venetiis apud Turrinum, anno 1672. *in*-4°.

BERNARDUM MARIAM DE JESU collaudant Franciscus à Cruce *in quinque verbis D. Pauli; verbo* 5. *pag.* 267. *& verbo* 3. *pag.* 216. Blasius à Purificatione, in *vita sororis Mariæ Magdalenæ à S. Augustino, Lib.* 3. *cap.* 4. 5. *pag.* 222. *& seqq.* Martialis à S. Joanne Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 52. Antoninus Mongitor in *Bibliotheca Sicula*, *tomo* 1. *pag.* 108.

LXXVII.

BERNARDUS DE MONTESA, natione Hispanus, * Bilbitanus patriâ, & ejusdem Conventûs Carmelitici, & Provinciæ Aragoniæ alumnus. Fuit hic Pater Bilbilis Prior, & Diffinitor ejus Provinciæ in Capitulo Generali Aureliacensi, anno 1469. Ubi etiam Vicarius Generalis super omnes Provincias Hispaniæ institutus fuit, & illi commissa præsidentia Capituli Provinciæ Castellæ pro eligendo in illa Priore Provinciali. In Capitulo autem Astensi anno 1472. Diffinitor etiam, & Provincialis Aragoniæ dicitur, ac iterum institutus Vicarius Generalis in Provinciis Hispaniæ, videlicet Aragoniæ, Cataloniæ, Castellæ, & Portugalliæ. Ad annum autem 1477. refert Lezana, quod in posterioribus Capitulis Generalibus nulla de ipso ulterius in Libro Ordinis memoria reperiatur. *Vir sine dubio Religione præcelsus, & assiduo adamantinus literario labore vocatur* ab Alegreo Cassanato, pag. 354. Scripsisse fertur,

1. *Elucidationes in Librum Joannis Patriarchæ Jerosolymitani*, de Institutione Monachorum. Lib. I.

2. *Explicationes in Librum Philippi Riboti*, de peculiaribus gestis Carmelitarum. Lib. I.

3. *Commentaria in Librum D. Thomæ Aquinatis*, de quatuor virtutibus Cardinalibus. Lib. I.

4. Ex Italico in Hispanicum vertisse dicitur cujusdam veteris Jurisconsulti Librum *de moribus politicis.* Quæ omnia Mss. asservari in Biblioth. Carmelitarum Cæsar-Augustanâ,

Dicebant Marcus Guadalajarra in *Historia Pontificali*: Valerius Ximenes de Embun in *stimulo antiquitatis Ordinis Carmelitarum*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 354. *citata.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad annum* 1477. *num.* 7. *pag.* 947. Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmel. Ms. pag.* 51. Fabricius in *Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 5. *pag.* 631.

Verum hos fuisse hac in parte deceptos demons-

* *Bilbilis* excisa est, & locus *Baubala* dicitur: hodie *Nova Bilbilis Calatayud.*

travit *Nicolaus Antonius* post examen sedulum Codicis Ms. Cæsar-Augustani, quem ei mutuò misit R. P. *Raymundus Lumbier*, Carmelita Doctissimus Theologus; namque statim agnovit dictum nostrum *Montesam* horum operum auctorem non fuisse, sed exscriptorem duntaxat.

Primum extat opus decem Librorum » de Institu- » tione & peculiaribus gestis Monachorum Carmeli- » tarum *: cujus prologus incipit :* Cum populum » Israel Dominus : *cujusque operis auctorem* ostendit » se in eodem prologo Philippus Raboti (ità, *non* » *Riboti*) Mag. in sacra pagina, Prior Provincialis » Provinciæ Cataloniæ. *Et in fine*, Hæc de nostræ » Religionis origine, & primævâ institutione in pri- » mo Libro, & de primis Fundatoribus & Profes- » soribus Religionis prædictæ in secundo, &c. » à me Fr. Phillppo Riboti (Ità hic) Magistro in » sacra pagina, nec-non Priori Provinciali in Pro- » vincia Cataloniæ existenti post veteres Patres hujus » Ordinis scripta & dicta sufficiant. Immensas autem » de hoc opere reddo gratias. Perfectus fuit hic liber » nonâ die Augusti vesperè S. Laurentii, an. à Na- » tivit. Dom. M. CD. LVIII. (mixtis Latinis cum » Arabibus numerorum characteribus) & est Fr. » Bernardi de Montesa Ordinis S. M. de Monte- » Carmelo.

Sequitur in Codice Cæsar-Augustano opusculum quoddam vulgaris linguæ Castellanæ quod incipit: *A labucnâ mente*, &c. In cujus fine est hæc notula: *Explicit libellus super* quibusdam Senecæ (fortè *Sancti*, nam obscura scriptura est) *dictis*, *editus à quodam Italico Bachallario*, *& à quodam juris perito in hoc idioma reductus. Scriptus à Fratre Bernardo de Montesa primâ die mensis Junii anno Domini M. CD. LVIII.* Barbaris hic notis idem annus significatus, qui in superiore Latino-Barbaris.

Sequitur *Tractat. super quatuor Virtutibus Cardinalibus S. Thomæ de Aquino*, cum eadem nota Scriptoris Montesæ IX. die Augusti M. CD. LVIII, in fine. Tria hæc sunt quæ continentur in laudato Codice opera, Bernardo Montesæ per errorem negligenter librum manu exaratum inspicientium (quod sæpè contingit) adscripta, inquit jam memoratus Nicolaus Antonius, *tomo 2. Bibliothecæ veteris Hispanæ, pag 179. num. 446.——452.*

LXXVIII.

BERNARDUS OLLERIUS (Oleri vocant domestici) Catalanus, & ipse ex Conventu Minorisæ, ex *Manresa* oppido, * *Vicensis* Diœcesis, sic ex proxima Gentilium ejus domo *Mas-oller* vocata. In patrio Conventu Carmelitarum institutum, si credas Nicolao-Antonio, in Conventu *Majoricensi* si aliis fidem adhibebis, amplexus est. Parisiis ut Bachalarius Biblia Sacra per tempus ad Superiores sacræ Theologiæ facultatis gradus adipiscendos statutum legit; sed gradum Magisterii à *Joanne Balistario* Priore Generali accepit ex speciali Apostolica Commissione URBANI XV. ità in literis ad hunc Priorem Generalem datis die 14. Septembris 1363. scribentis:

» Sicut debetur bene meritis præmium, & servi- » tiis gratitudo, sic etiam dignum reputamus, & » congruum, ut illis, qui sacræ Theologiæ studio » longis temporibus insudarunt, laborum suorum » honor debitus impendatur.

» Cùm itaque, sicut accepimus, quàm plures Magi- » stri in sacra Theologia tui Ordinis fratrum B. Mariæ » de Monte-Carmeli Professores ab anno citrà pro- » pter mortalitatis pestem, quæ in diversis Mundi » partibus viguit, decesserint, & propterea in plu- » ribus studiis generalibus non valeas de ejusdem » Ordinis Professoribus, & Theologiæ Magistris » commodè providere, ac dilectus filius Bernardus » Olerii ejusdem Ordinis Professor, qui Parisiis in » loco fratrum dicti Ordinis, ut Bachalarius Bibliam » per tempus ad hoc statutum legit, adeò divinâ » gratiâ ei suffragante in dicta Theologia profecerit, » quod dignè meretur honorem Magisterii recipere » in eadem....

» Nos itaque de sufficientia, & idoneitate ipsius » Bernardi ad hoc notitiam non habentes, discre- » tioni tuæ, de qua fiduciam in Domino gerimus » specialem, per Apostolica scripta committimus, » & mandamus, quatenus eidem Bernardo, si per » tuam, & sex aliorum Magistrorum in dictâ Facul- » tate in civitate Romana existentium diligentem » examinationem ipsum ad hoc sufficientem, & ido- » neum esse reperis, Magisterii honorem, & do- » cendi licentiam in dictâ Facultate.... authoritate » nostrâ concedas..... Datum apud villam-novam » Avenionen. Diœcesis decimo octavo Kalendas Oc- » tobris, Pontificatûs nostri anno primo.

Avenionensis Carmelitarum Cœnobii studia Theologica Professor BERNARDUS idem rexit: Provinciæ suæ præfecturam habuit in Capitulo Generali *Montispessulani* anno 1369. Definitoris Generalis munere gaudebat in Capitulo Generali *Aquensi*, seu *Aquismortuis* habito anno 1371. Et post mortem præfati *Joannis Balistarii* in Comitiis Generalibus, *Podii* Velanorum (*Le Puy en Velay* sive *Anicii*) celebratis in Priorem Generalem electus anno 1375. à *Gregorio XI.* die 9. Novembris obtinuit eodem anno ut altare portatile posset habere, super quo in locis ad hoc congruentibus & honestis ipse, vel per alium Sacerdotem idoneum, Missam celebraret: ut locum in civitate *Bituricensi* ad fundandum Conventum reciperet, datis litteris Apostolicis die 3. Junii 1376. Et ut Carmelitarum Conventus de *Aculeo* Agennensis Diœcesis relictâ antiquâ domo in suburbiis sitâ, transferretur intra muros dicti loci, eodem anno Diplomate Apostolico scripto die 12. ejusdem mensis Junii. Ab eodem Pontifice facultatem habuit, ut Conventus Carmelitarum fundaretur in civitate *Regii* Episcopali sub Archiepiscopatu Ravennatensi, nunc autem Bononiensi, litteris datis die 23. Aprilis 1377. Anno sequenti 1378. adjudicat fundationem insignis Abulensis Conventûs in Hispania Joannes Baptista de Lezana, quo etiam tempore defensionem sui Ordinis Bernardus Olerius districto calamo suscepit.

Cùm enim *Joannis Stockii* sive Stocci Angli Dominicani impugnationibus Ordo Carmelitarum infestaretur, non obstantibus Universitatis Cantabrigiensis decretis, in favorem hujus Carmelitici Instituti anno 1374 die 23. Februarii datis, opem à Sede Apostolica postulandam cogitavit. Quia verò inter purpuratos unus erat *Petrus Corsinus* Florentinus, *Andreæ Corsini* Carmelitæ, anno 1372. defuncti consanguineus ac propterea Ordini Carmelitano devotus, ideo ad ipsum pro Papa informando relationem scripsit *Olerius*: qui & anno 1379. vidit *Urbani VI.* concessionem Priori Provinciali & fratribus Provinciæ Lombardiæ sui Ordinis datam pro Conventu construendo in terra Basignana Papiensis Diœcesis.

Eodem anno 1379. die 29. Maii *Brugis* in Flandria Capitulum Generale celebravit, in quo declaratum est ipsum Olerium à nullo fuisse accusatum, neque

* *Vicus* vernaculè *Vich* urbs in Catalonia, parva, sed Episcopalis sub Archiepisc. Tarraconensi.
De Conventu *Minorisæ* seu *Minorissa* vulgò Manresa & *Manressa. Vide tom. 1. Speculi Carmelit. pag. 266.*

B.

neque in aliqua culpa reprehensum; quin per omnes postulatum & confirmatum in officio Ordinis, cujus protector *Bartholomæus Mezzavacca*, S. Marcoli Presbyter Cardinalis eidem Capitulo authenticum testimonium Romæ dedit suâ syngraphâ die 26. Apr. 1379. signatum, quo constaret quod *Urbanus VI.* juxta *Nicolai de Luca* Procuratoris Ordinis postulationem ad hoc authoritate Prioris Generalis & singulorum fratrum nixi, *concederet gratiosè ex vivæ* vocis oraculo, *indulgentiam trium annorum, & tot quadragenarum, perpetuis temporibus duraturam, omnibus Christi fidelibus, qui Ordinem ipsum, & fratres ejusdem Ordinis, Ordinem & fratres Beatissimæ Mariæ Genitricis Dei de Monte-Carmeli vocaverint, nominaverint, seu appellaverint, si in gratia extiterint.*

Non obstante autem testimonio Capituli Generalis de inculpabili vita *Bernardi Olerii*: quia tamen partes *Clementis VII.* cum Hispania, Gallia, & Catalonia sectabatur, eum ab officio deponi suscepit *Urbanus VI.* ideóque die 9. Aprilis 1380. universis fratribus Ordinis Carmelitarum litteras scripsit, quibus ad Generale Capitulum in festo Pentecostes proximè futuro celebrandum conventuris commendat ut procedant ad electionem Prioris Generalis, qui sit vir probus, prout tanti officii onus postulat. Die 19. Aprilis ejusdem anni Pontifex Romanus idem *Urbanus VI.* in locum *Bernardi Olerii* omni administratione privati, nominat usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis, Vicarium Generalem *Michaëlem Ayguanum de Bononia*, qui anno sequenti 1381. in Generali Ordinis Synodo *Veronæ* congregata ad diem festum Pentecostes, in Priorem Generalem ab omnibus de gremio unanimiter fuit electus. Mansit tamen *Bernardus* Rector super illos, qui Clementi VII. obediebant, usque ad annum 1383. quo suo cessit officio. Quo autem tempore obierit, incertum est; etsi *Biscarreus* sub an. 1390. contigisse credat.

Jam fuerat primùm socius Generalis Prioris Joannis Balistarii designatus in Capitulo Trevirensi an. 1362. ubi etiam Lector sententiarum Parisiis pro quinto anno describitur: deinde in Capitulo Generali Montis-Albani anno 1366. ordinatur Magister Regens in Curia Romana. Ac in Capitulo Montis-Pessulani anno 1369. Provincialis Provinciæ. Item in Capitulo Generali Aquensi anno 1372. erat Definitor Generalis ejosdem Provinciæ, ac etiam Provincialis. Demum in Capitulo Generali Podiensi an. 1375. totius Ordinis Generalatum ascendit, in quo res officii sui egregiè perfecit. Scripsit,

1. *De Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ* librum unum.

2. *Informationem circa originem, intitulationem & confirmationem Ordinis fratrum B. Virginis Mariæ de Monte-Carmeli* ad D. Petrum Corsinum Cardinalem immediatò, & per eum ad summum Pontificem Urbanum VI. Prodiit Venetiis an. 1507. in Speculo Ordinis à folio 53. usque ad 56. deinde novis typis excusum est Antuerpiæ anno 1680. tom. 1. Speculi Carmelitani à pag. 166. ad 171. Hic tractatus an. 1376. habetur scriptus: sed quia sub hoc anno Gregorius XI. Sedem Pontificiam referre Romam constituit, postquam Avenione per 71. annos permanserat; annoque sequenti 1377. illuc pervenerit summus Pontifex, qui statim obiit die 27. Martii 1373. suspicantur *informationem* hanc pro Urbano VI. duntaxat Gregorii XI. successore deserviisse.

Tribus articulis contentas tres probat partes, 1. scilicet institutionem ac successionem Ordinis à S. Propheta Elia. 2. De intitulatione Ordinis à B. Virgine Maria desumpta. 3. De confirmatione Ordinis institutionem quidem, & ab Elia Propheta originem acceptam ostendit ex documentis & traditionibus antiquorum Patrum dicti Ordinis, venientium de Terra sancta ad Partes Cismarinas. Ipsi enim successores suos, quos citra mare ad Ordinem duxerunt, informarunt, docuerunt, ac aliis subsequentibus in scriptis reliquerunt; ut patet *Rubrica prima antiquarum constitutionum Ordinis* prædicti. Secundò, pro eadem informatione facit authoritas beati Hieronymi *Epistolâ LXVI.* Tertiò, testimonia Historiographorum, Historias, & facta antiqui temporis conscribentium: quales sunt *Josephus* Antiochenus in *Speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ, cap.* 12. Sigibertus Historiographus in Historia Jerosolymitana, quam Vincentius Bellovacensis allegat in *Speculo historiali*: Jacobus de *Vitriaco lib.* 1. *Histor. Orient. cap.* 52. Gerardus Episcopus Laodicenus, in *libro de conversatione virorum Dei* in *Terra sancta* ad Guillelmum Presbyterum: *Chronica antiqua*, quam habet Dominus Rex S. Ludovicus IX. ex Oriente asportata, & ad suam Bibliothecam translata: alia antiqua *Chronica Romana*, &c. Neque opponendum est Carmelitas Fratres Fratribus Prædicatoribus & Minoribus postponi: quia hi Fratres Prædicatores & Minores tempore Innocentii III. in Cismarinis Partibus inceperunt, qui suis prædicationibus & doctrinis in hominum frequentia laudabiliter insistentes, statim post suam fundationem habebantur venerabiles & famosi: Fratres vero Carmelitæ tempore Innocentii IV. primò ad partes Cismarinas se transferentes, hi potiùs extra civitates & frequentiam hominum, modo eremitico, quo fecerant in Terra sancta, quàm intra civitates cum hominibus habitare elegerunt.

Secundam partem de intitulatione Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Monte-Carmelo dictis Fratribus Carmelitis adjudicatâ probat Olerius. Quia Religiosi aliqui titulum & nomen desumunt ab officio pro quo fundantur; sicut Prædicatores ab officio prædicationis. Aliquando à virtute quam præcipuè sectari debent: sicut B. Franciscus ab humilitate voluit Fratres suos vocari Minores: aliquando à loco ubi Ordo illorum inchoatus est, qualiter Carthusienses & Cistercienses. Aliquando à Patrono sive activè qui fundat Religionem & inchoat, qualiter S. Benedictus; sive passive cujus honore Ordo instituitur sicut Fratres de Trinitate: istis duobus modis nomen accipit Carmelitarum Ordo à B. Virgine Maria tanquam à Patrona in cujus honorem fundatus est, & à Monte-Carmeli tanquam à loco, unde traxit originem.

Tertiam partem de confirmatione Ordinis statuit ex variis Apostolicis diplomatibus per summos Pontifices in gratiam dicti Ordinis ad eum in statu solido & permanente stabiliendum datis.

Hæc sunt quæ fusiùs in dicto tractatu refert Bernardus Olerius, quem honorificè laudant Joannes Grossi in *Viridario, part.* 2. *tom.* 1. *Spec. Carmelit. pag.* 135. *num.* 574. Joannes Palæonydorus, *lib. Fasciculi tripartiti, cap.* 13. *eod. t.* 1. *Spec. Carm. p.* 267. *num.* 1104. Fabricius in *Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis, tom.* 1. *pag.* 635. Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana*: Rodolphus Hospinianus de *Origine Monachatûs, lib.* 6. *pag.* 390. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro, tom.* 1. *pag.* 217. Aubertus Miræus de *Scriptor. Eccles. in supplemento, cap.* 486. Gregorius Matthias Konig. in *Bibliotheca veteri & nova, pag.* 58. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 3. *Annalium ad annum* 1375.—1383. *pag.* 685.—714. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli, ad annum*

B.

1390. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 311. Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelit. Mſ. pag.* 48. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 532. *num.* 954. Idem, *tom.* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 1077. *num.* 3766. Nicolaus Antonius in *Bibliotheca vetæri Hiſpana*, *tom.* 2. *pag.* 114. *num.* 318, *&c.*

LXXIX.

BERNARDUS A S. ONUPHRIO, in ſeculo dictus JOANNES-HIERONYMUS COSTAGUTA, nobiliſſimis parentibus *Gregorio Coſtaguta* & *Camilla Coregia*, Genuæ anno 1601. die 11. Junii natus, Carmelita Excalceatus, ad hujus inſtituti Tyrocinium cum fratre ſuo die pariter 11. Junii, anno 1619. admiſſus, ille ſub nomine PETRI A S. BERNARDO, iſte BERNARDI A S. ONUPHRIO in Conventu Genuenſi *S. Mariæ de ſanitate*; cujus Prior erat *P. Petrus Franciſcus à S. Maria*, & Magiſter Novitiorum *P. Agapytus* item *à S. Maria*.

Emiſsâ ſolemni profeſſione, ſtudiorum causâ ad Lodanenſem Conventum mittitur, ubi Philoſophicis vacavit diſciplinis. Romæ deinde anno 1623. Theologiæ ſcholaſticæ operam dedit in Miſſionum Seminario, ſed majori ſollicitudine Myſticæ vacavit Theologiæ ſub diſciplina *Thomæ à Jeſu* tunc Definitoris Generalis. Ibi votum Miſſionum pro converſione Infidelium, juxta conſuetudinem emiſerat: onde finito ſtudiorum curſu in Poloniam miſſus, Philoſophiæ ac Theologiæ Prælector, deinde Magiſter Novitiorum electus eſt. Anno 1632. in Capitulo Romæ celebrato, ad inſtantiam Patrum Genuenſis Provinciæ, primus inſtituitur Conventûs Savonenſis Prior, deinde ad regimen Eremi S. Joannis aſſumitur, ubi anguſtiis vitæ purgativæ vexatur, præter gravem, quam frater ejus *Petrus à S. Bernardo* paſſus tempeſtatem.

Anno 1640. Confeſſarius Monialium, ſemel in Genuenſi Novitiatu, bis in Collegio S. Annæ ejuſdem Civitatis, Prior, pluries Definitor Provincialis & ſocius Capituli Generalis, anno 1651. Viſitator Generalis Provinciæ Lombardiæ, munus ex obedientia injunctum in rigore hyemis acceptavit: gravibus tandem infirmitatibus, acutiſſimiſque doloribus oppreſſus, opinione ſanctitatis clarus obdormivit in Domino die 21 Julii, anno 1652 divinæ contemplationis dono illuſtratus, aliquando repertus in extaſim raptus ac è terra elevatus. Maximâ facilitate de rebus myſticis diſſerebat; & ſuperſunt adhuc plures illius de hac materia *Epiſtolæ*, quas aptè & eleganter currenti calamo ſcribebat, & quæ publicam lucem merentur. Duo tamen edidit Opera Genuæ, quæ inſcribuntur idiomate Italico,

1. *Increata Columba, ſuper Hymnum*, Veni Creator Spiritus, &c.

2. *Suſpiria intima Animæ contemplativæ, in Pſalmos* 41. & 42.

Vitam ejus ſcripſit Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli religioſi*, *parte* 3. *pag.* 205. Etiam ejus meminit *Lib. VIII. Hiſtoriæ Carmelitanæ*, *Cap.* 13. quem ſecuti ſunt Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 51. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1053. *num.* 3641. Martialis à Sancto Joanne-Baptiſta, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 51.

LXXX.

BERNARDUS DE PAREDES, natione Hiſpanus, natus in oppido *Villa-Tobas*, Toletanæ Diœceſis, Carmelita regularis antiquioris Obſervantiæ cuſtos, Provinciæ Caſtellæ alumnus; Vir pius & religioſi tenax inſtituti, obiit in Cœnobio *Vallis Olivarum*, Conchenſis Diœceſis, anno 1661. Edidit,

1. *Sermones para los Domingos de Advento, y Paſquas Haſtalz Quinquageſima incluſivè.* Matriti, 1648. *in*-4°. apud Didacum Diaz de la Carrera.

2. *Sermones paralos Domingos, Miercoles, y Viernes de Quareſma y Semana ſanta.* Matriti, anno 1649. apud eumdem Didacum.

3. *Sermones para los ferias de Quareſma.* Matriti, 1652. apud eumdem. Hæc refert Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hiſpana*, *tom.* 2. *pag.* 176.

LXXXI.

BERNARDUS DE REGIBUS, natione Siculus, *Panormi* natus anno 1615. in ſeculo dictus BENEDICTUS DE LAPE, à teneris annis inter Carmelitas Excalceatos habitum ſumpſit *Panormi*, die 4. Januarii, 1633. & anno probationis abſoluto, ſolemnia emiſit Vota die 6. Januarii, 1634. Regularem obſervantiam, quam in Novitiatu ebiberat, ad ultimum uſque halitum retinuit. Cellæ amantiſſimus, in ea ſacrorum librorum, ac ſanctorum Patrum ſtudiis, tenaciſſimè incumbens, maximam cæleſtis doctrinæ copiam, ad morum ſuorum normam, proximorumque ſalutem acquiſivit. Concionatoris munere functus, in præcipuis Siciliæ civitatibus, ut etiam Altæ ſubalpinis, Tridenti, & in aliis Italiæ urbibus magno audientium concurſu, ac fructu auditus eſt. Moralem Theologiam ſuos pluries ſodales docuit: Conventus Panormitanum & Meſſanenſem gubernavit; ac in primo vitam, quam ſemper religioſè tranſegerat, cum morte commutavit die 7. Junii, anno 1690. Scripſit Italicè,

1. *L'Ombre luminoſe in conſermatione della verita del ſacro ſoglio Sotto il Duomo di Meſſina nel* 1657. ſeu Latinè: *Umbram lucidam in confirmationem veritatis*, *&c.*

2. Edenda reliquit hæc alia, numeris omnibus abſoluta, nempe *Quadrageſimale*, *Panegyricos.*

3. Scripſit etiam *Apologiam pro Epiſtola à B. Virgine Maria ad Meſſanenſes data*, Meſſanæ, apud Petrum Brea, anno 1652. *in*-4°. cum variis Poëmatibus tam Latinis quàm Italicis in Authoris laudem: ut ferunt *Schedæ Mſſ.* R. P. Pauli ad omnibus Sanctis Carmelitæ Diſcalceati, quas appellat Ludovicus Jacob in *ſua Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 51.

Hujus cum laude nominaverunt Placidus Reina in *Notitia Hiſtariæ Meſſanenſis*, *part.* 1. *pag.* 59. Antoninus Mongitor in *Bibliotheca Sicula*, *tomo* 1. *pag.* 109. Martialis à S. Joanne-Baptiſta in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 52.

LXXXII.

BERNARDUS DE ROMA, natione Italus, primùm Lector Biblicus Pariſienſis anno 1366. in Capitulo Generali Montis-Albanenſis, & Romæ Provincialis in Capitulis Montis-Peſſulani, anno 1369. Aquenſi anno 1372. Podienſi an. 1375. & Brugenſi 1379. Pauló poſt Epiſcopus Sutrienſis ſucceſſit *Dominico*, & obiit ſub initium, aut ante medium anni 1406. Poſtulavit *poteſtatem condendi teſtamentum*, teſte Ferdinando Ughello.

Hunc Bernardum fuiſſe Cardinalem aſſeruerunt Conradus Geſnerus & Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, *tom.* 1. *pag.* 217. quos fermè ſecuti ſunt Carmelitæ Philippus Metius Prior Bambergenſis in *Tractatu de Viris illuſtribus Ordinis Carmelitici*:

B.

Antonius Biſcarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Alegreus Caſſanatus in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 208. Joannes-Baptiſta de Lezana, *tom.* 4. *Annal. an.* 1376. *num.* 10. *pag.* 701. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 915. *num.* 3184. Aſt Epiſcopum Surrienſem duntaxat num. 33. collocat Ferdinandus Ughellus *tom.* 1. *Italiæ ſacræ*.

Eundem Bernardum inter viros eruditos annumerandum eſſe probant ejus ſcripta, ſcilicet,

1. *In quoſdam ſacræ Scripturæ libros Commentaria.*

2. *In libros* IV. *ſententiarum lecturam.*

3. *Sermones ad Clerum Romanum.*

Id teſtantur, præter Authores citatos: Ludovicus Caſtanæus Rupipozæus Epiſcopus Pictavienſis in *Nomenclatura Cardinalium*: Joſias Simlerus in *Epitome Geſneriana*: Leander Albertus Ord. S. Dominici Religioſus, in *Deſcriptione Italiæ*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 49. ubi eum vocat Bernardinum. Et his omnibus antiquior Catalogus Doctorum Ordinis Carmelitani, qui in *Speculo Ordinis*, *fol.* 103. legitur Venetiis edito anno 1507.

LXXXIII.

BERNARDUS DU SEREIN, natione Gallus, in oppido *Alniæ* * ad confinia Santonenſis Diœceſis ſito natus, in Carmelo ſuæ patriæ habitum ſumpſit, & poſt emenſum Philoſophiæ atque Theologiæ ſtudiorum curſum, lauream doctoralem in ſacra Facultate Pictavienſi adeptus fuit; vir probitate mirus, religione clarus, benignitate amabilis, concionibus celebris, re & nomine *ſerenus.* Variis poſtquam in ſuæ Provinciæ Turoniæ Conventibus Priorem geſſiſſet, & Definitoris honorem pluries tenuiſſet, in Comitiis *Julioduni* habitis die 19. Novembris 1546. promotus & electus ad ſuæ Provinciæ præfecturam, quam tantâ prudentiâ, vigilantiâ & dexteritate tenuit, ut veri & boni Paſtoris partes omninò impleverit. *Alniæ* defunctus eſt anno 1555. poſtquam ſcripſiſſet,

1. *In libros quoſdam ſacræ Scripturæ Commentaria*, quæ dictavit Pictavis.

2. *In libros* IV. *ſententiarum Commentaria* quæ ibi legit.

3. *Conciones varias.*

De illo agunt Mathurinus Aubron in *Annalibus Mſſ. Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *cap.* 5. Columbanus à Noſtra Domina de Monte-Carmelo in Catalogo Mſ. *Priorum Provincialium ejuſdem Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 9. Idem in *ſerie* ſeu *Catalogo* Mſ. *Virorum Illuſtrium ejuſdem Provinciæ.*

LXXXIV.

BERNARDUS TARBES, natione Gallus, Provinciâ Occitanus, Carmelita Toloſanus, ſacræ Theologiæ Doctor Pariſienſis, ac apud ſuos Sodales Profeſſor in Maubertino Collegio, Prior Toloſanus, & Provinciæ Toloſanæ Præfectus, edidit ad Ludovicum de Nogaret de la Vallette Carcaſſonenſium Epiſcopum,

1. *Oratorium Davidicum, ſivè Theſaurum Orationum, & piarum reflexionum ad inſtar locorum communium.* Latinè. Pariſiis apud Carolum du Meſnil, 1656. *in-8°.*

2. *Excerpta ex Senecæ operibus* prælo parata Mſ. ſicut ab eo didicit Ludovicus Jacob, qui id ipſe ſcribebat anno 1669. & retulit in ſuam *Bibliothecam Carmelitanam Mſ. pag.* 51.

* Alnia Gallicè Aulnay.

LXXXV.

BERNARDUS A S. TERESIA, natione Gallus, Provinciâ Burgundus, in ſeculo dictus *Duval*, patriâ *Clamerienſis* Diœceſis Bethlemitanæ in Comitatu & Epiſcopatu Antiſſiodorenſi, naſcitur honeſtis parentibus anno Chriſti 1597. die 22. Aprilis. Pariſios miſſus ad artes liberales & ſcientias Philoſophicas ediſcendas, factus eſt Carmelita Diſcalceatus in Conventu S. Joſeph Pariſienſi anno 1614. menſe Martio ſub R. P. Bernardo primo in Gallia Novitiorum Magiſtro. Anno probationis elapſo tria vota ſolemnia die 15. Martii 1615. publicè dixit. Studiorum curſu egregiè peracto, munus Concionatoris tanto plauſu peregit, ut primarios Parochiarum Pariſienſium ſuggeſtos magno audientium fructu conſcenderit ab anno 1630. temporibus Adventûs & Quadrageſimæ; & indè ſummam pecuniæ impenderit devota mulier ad Epiſcopatum in regione Infidelium fundandum, quo ipſe BERNARDUS fungeretur & potiretur.

Anno quidem 1631. Definitor Provinciæ Galliarum, & anno 1634. Meldenſis Prior fuit inſtitutus: Aſt anno 1638. ab URBANO VIII. Pontifice Maximo Epiſcopus *Babylonenſis* conſtitutus, & *Romæ* die 26. Auguſti conſecratus in Monaſterio S. Sylveſtri in capite, ab Eminentiſſimo Cardinali *Palotta*. Cum *Antonio Severolo* Epidauri Archiepiſcopo, & *Thoma Caraffa* Epiſcopo Vulturenſi aſſiſtentibus: ſimulque Nuncius Apoſtolicus in Regno Perſarum & Vicarius Aſpahanenſis ordinatus. Poſt acceptam Apoſtolicam benedictionem, in Gallias reverſus, ubi à Chriſtianiſſimo Rege LUDOVICO XIII. & *Armando* Cardinali *Richelio* regni Adminiſtro benignè receptus, ſe parat novam ſuam Eccleſiam, & partes Orientales, ſummis cum laboribus viſitare.

Quapropter negotiis apud *Pariſios* peractis, libriſque & Eccleſiaſticis ornamentis munitus, die 19. Aprilis 1639. *Maſſiliam* contendit, ubi die 22. Julii navim aſcendit, Græciam, Chaldeam & Perſidem appulit: multa pro Romanæ Eccleſiæ exaltatione in Civitate *Aſpahanenſi* Perſarum Metropoli agis, domumque pro ejus Seminario conſtruendo, emit propriis ſumptibus, cum Regis licentiâ, anno 1640. die 13. Februarii Viſitator Apoſtolicus Eccleſiæ *Etheſiphontis* conſtitutus. Solidiori autem fundamento ut ſuum Perſidis Seminarium firmaret, Congreſſum cum Eminentiſſ. jam memorato Cardinali *Richelio* neceſſarium cogitavit; ideòque in Gallias anno 1642. rediit, & rebus compoſitis Seminarium alterum in ſuburbio *S. Germani Pariſius* ædificat, in quo Viri Eccleſiaſtici admittuntur pro Miſſione Perſica. Intereà Comes Conſiſtorialis à Rege Chriſtianiſſimo LUDOVICO XIV. factus eſt die 26. Februarii 1647. & Adminiſtratos Epiſcopatuum Principatûs Cataloniæ; in quo Epiſcopalia munia ut gereret, ſacra permiſit Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 9. Novembris, ejuſdem anni. Illic omnia ſapienter ſagaciterque cum geſſiſſet ad plenam cunctorum Ordinum ſatisfactionem, in Galliam ſic ordinante Rege Chriſtianiſſimo, rediit anno 1648. & tandem ſanctis operibus onuſtus migravit, *Pariſiis* anno 1669. die 11. Aprilis, ætatis ſuæ 72. Jacet apud Carmelitas Excalceatos, vir ſpectatæ virtutis, excellentis ingenii, & linguarum Orientalium peritiſſimus, qui ſcripſit,

1. *Hiſtoriam ſui itineris. Pariſiis:* Qua uſus eſt Ludovicus à S. Tereſia, *lib.* 2. *Annal. cap.* 15. *pag.* 338.

2. *Dictionarium Turco-Perſicum.* Quod citat idem Ludovicus *ibid*, *cap.* 16. *lin.* 12.

B.

3. *Sermonum tomos quàm plurimos Mss.* apud Carmelitas Excalceatos Parisienses.

Vitam ejus usque ad annum 1648. Scripsit mox memoratus Ludovicus à S. Teresia, *lib.* 2. *Carmelitar. Excalceatorum Galliæ*, *cap.* 14.—18. *pag.* 335.—347. Indè nonnulla transtulit Ludovicus Jacob in *Bibliothecam Carmelitanam Mss. pag.* 51. in *Scheda Ms. ibi affixâ.*

LXXXVI.

S. BERTHOLDUS primus apud Latinos Prior Generalis Carmelitarum, *Guidonis de Malafayda* nobilis Equitis filius, in Vico *Salaniac* Diœcesis Lemovicensis natus, Doctor Parisiensis, animarum zelo accensus, cruciatâ signatus, in Orientem profectus est, militiâ Ecclesiasticâ insignitus, exercitum Christianorum secutus. Cum esset vitæ solitariæ amantissimus, sæpè sæpiùs Eremicolas per Palæstinam, Judæam, Syriam dispersè habitantes visitabat, animum suum ad pietatem in colloquiis eorum recreabat, & vanitates mundanas spernebat; adeò ut hanc vitam eligeret, eorumque habitum indueret in Monte Carmelo: ubi ob vitam ejus angelicam, miram prudentiam & animi magnitudinem, omnium unanimi Eremitarum consensu in Priorem Generalem circa annum M. CXLV. institutus fuit ab *Aymerico Malafayda*, Lemovicensi ejus consanguineo, & Patriarcha Antiocheno. Ordinem annis quadraginta tribus vixisse fertur, & obiisse circa annum M. CLXXXVIII.

LXXXVII.

S. BERTHOLDUS quartus inter Latinos Prior Generalis Carmelitarum, natione Longobardus, post mortem Sancti Cyrilli anno 1224. defuncti, electus est vir utique scientiâ & probitate præclarus: qui, ut gregem sibi commissum ab adversariis tueri, in bono confortare, & ad ampliora promovere posset, *B. Simonem Anglicum* in Europæ partibus Generalem Commissarium constituit, qui in Curia & coràm summo Pontifice comparere, adversantium calumniis obstare, & Ordinis negotia pertractare valeret.

Nam in eisdem Comitiis generalibus, in quibus ad supremum regimen BERTHOLDUS hic promotus est, statuta fuit & paulò post incboata plurimorum Montis Carmeli Eremitarum è Syria in Europam transmigratio: ast hos novos aut extraneos Eremitas Prælati & Parochi infestare cœperunt, ac si contra prohibitionem Concilii Lateranensis quarti, novam religionem invenissent, vel Regulam approbatam non haberent. Quid tunc agerent pauperes & humiles Eremitæ, quibus magis Deo placere, quàm litibus immorari in votis erat? Ad Jerosolimitanum Patriarcham, eo tempore *Radulphum*, *Alberti* successorem, qui eidem Lateranensi Synodo interfuerat, pro consilio capessendo recurrunt. Hic ad majorem cautelam, majusque robur eidem Regulæ præstandum, consuluit Fratribus, ut eam peterent à Sede Apostolicâ expressiùs & clariùs confirmari.

Radulphi consilium sequuntur Carmelitæ suæ Regulæ, confirmationem ab *Honorio III.* obtinere curantes. Verùm distulit ad primum Pontifex facere, Curiæ forsan negotiis distractus, vel curialium quorumdam aversâ voluntate, qui Ordinem extingui potiùs, quàm confirmari moliebantur, quasi contrà Lateranensis Concilii jussa noviter adinventum. Duo sanè Curiales, quos Pontifex Carmelitarum Patronos designaverat, adversariorum potiùs officia gerebant: At Beata Dei Genitrix Virgo, Ordinis Carmelitani singulare tutamen, *Honorio* Papæ noctu astitit, eique jussit, ut institutum, & homines benignè complecteretur, Curiales Carmelitarum æmulos, Deo ultore, occubuisse denuncians. Unde Pontifex anno 1226. Urbe Reate sub tertio Kalendas Februarii, in Ordinis & Regulæ confirmationem expediri fecit Bullam, quæ incipit: *Ut vivendi normam*, &c.

Ob perpetuandam insignis hujus beneficii memoriam, BERTHOLDUS noster fertur in toto Ordine instituisse *Festum solemnis Commemorationis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo*, ad XVII. Kalendas Augusti posteà determinatum. Providus insuper sui gregis Pastor, & de morbidarum ovium salute sollicitus, pro eis Fratribus dispensandis, qui apostasiæ crimen commiserant, auctoritatem à Gregorio IX. Honorii successore postulavit: bellorum enim turbines, armorum strepitus, & infidelium insultus quandoque hæc mala in Terræ sanctæ partibus parturiebant. Hæc Bulla, data Perusii nonis Aprilis an. 1227. Incipit: *Providi more Pastoris*, &c.

Novæ quorumdam calumniæ adversùs Carmelitas, circa id tempus exoriri videbantur. Occasione namque illorum verborum diplomatis *Honorii III.* *quam ante generale Concilium vos dicitis humiliter suscepisse*, insultabant quidam dicentes, assertioni Fratrum Carmelitarum affirmantium se suscepisse Regulam ante præfatum Concilium standum non esse, nisi id legitimis documentis comprobassent. Verumtamen istorum placitum vanum omninò fuisse dilucidè demonstràverunt Carmelitæ coram jam memorato summo Pontifice *Gregorio IX.* ex registro anni sexti decimi *Innocentii III.* probantes *Innocentium* scripsisse *Alberto* Regulæ Carmelitarum Authori an. 1313. eum ad Concilium Lateranense vocando: sed eidem Concilio *Radulphum* Jerosolymitanum Patriarcham, pro *Alberto* jam defuncto adfuisse. Ex hoc enim manifestè fiebat dictam Regulam Carmelitis ante illud Concilium fuisse datam, cùm, qui eam dederat *Albertus*, ante Concilii celebrationem suum obiisset diem extremum.

Agendum etiam erat nostro BERTHOLDO Generali Priori, tum cum exteris quibusdam Ecclesiarum Prælatis, tum cum domesticis Ordinis Carmelitici Professoribus. Illi enim in alienam messem falcem mittere cupientes, contendebant, contra Regulæ Carmelitanæ intentum, quæ, *cap.* 1. præcipit unum pro Priore habere, *qui ex unanimi Fratrum assensu, vel majoris vel sanioris partis ad hoc officium eligeretur*, non Fratribus, sed ipsis Prælatis hoc munus incumbere succlamabant.

Quidam etiam Carmeli Montis Eremitæ dubitare cœperunt an possessiones, domus, redditus, & loca, quæ pro sustentatione vitæ eorum à Christi Fidelibus in dies ex devotione offerebantur, ab ipsis teneri, & acceptari possent, sine præjudicio Regulæ, *cap.* 4. dicentis: *Nullus Fratrum dicat sibi aliquid esse proprium, sed sint vobis omnia communia.* Cùm autem BERTHOLDUS, nec Prælatorum placito sufficienter obviare, nec altercationi inter suos sodales exortæ, satisfacere propriâ auctoritate posset, ideò ad summum Pontificem Gregorium IX. pro cunctorum quiete recurrendum putavit. Pontifex autem an. 1229. die 6. Aprilis Bullam *Perusii* dedit: quâ, nullus præter Fratres Eremitas Montis Carmeli, Priorem instituere posset; & possessiones, domos, seu redditus habere illis non esse permissum declaravit. Bulla incipit: *Ex officii nostri*, &c. Eodem anno, die 9. April. aliæ Apostolicæ litteræ, quæ incipiunt: *Religionis vestræ*, &c. datæ sunt, quibus Prior, & Fratres Eremitæ Montis Carmeli possunt tempore Generalis interdicti, januis clausis divina Officia celebrare, dummodò causam non dederint interdicto. Anno tandem 1231. BERTHOLDUS ultimum clausit diem,

B.

diem, cum Ordinem studiosè laudabiliterque septem annis texisset, juxtà Chronologiam in Annalibus Lezanæ sic positam.

S. BERTHOLDUS primus factus est Generalis anno circiter 1141. seu 1145. obiit anno circiter 1187. Ergo fuit Generalis circiter 45. juxtà Auctorem *Libri de Processu & variis Regulis Ordinis Carmelitar. Cap. 5. Processu autem temporis, mortuo primo eorum Priore, videlicet Fratre Bertholdo, sub regimine ejus quadraginta quinque annis manserunt.* S. Brocardus factus est Generalis secundus, prout idem Auctor scribit: *Post lapsum temporis, Frat. Brocardum, Virum perfectum unanimiter præficientes, ei omnes obedientiam promiserunt.* Hæc autem verba: *tandem post lapsum temporis*, denotant Electores aliquando fuisse congregatos, antequam Generalem eligerent, ad maturè deliberandum super difficultate, de qua idem Auctor: *Perplexitas magna eorum animos invasit de Successore ejus instituendo, de cujus institutione nullam certam formam prædictus Patriarcha Aymericus morte præventus eis reliquerat.* Tandem superatâ difficultate S. Brocardus factus est Generalis secundus anno 1187. & obiit circiter anno 1221. Ergo fuit Generalis triginta tribus annis, juxtà illud ejusdem Auctoris ibidem: *Sub regimine cujus triginta tribus annis permanserunt.* S. Cyrillus factus est Generalis tertius anno 1221. & obiit anno (non 1234. ut falso & absquè probatione contendit Papebrochius) 1224. ergo Generalis fuit tribus annis. Bertholdus secundus factus est Generalis IV. anno circiter 1224. & obiit anno circiter 1231. ergo fuit Generalis septem annis. Alanus factus est Generalis V. anno circiter 1231. & obiit anno, vel officio renuntiavit anno 1245. ergo fuit Generalis quatuordecim annis. S. SIMON STOKIUS factus est Generalis VI. anno circiter 1245. & obiit anno 1265. ergo fuit Generalis post Alanum, cujus aliquot annis fuerat Vicarius, viginti annis. Undè patet Papebrochium non consulto scripsisse: *Ad scopulos miserrimum naufragium fecisse Carmeliticorum Scriptorum omnium Chronologiam, hisce duobus, aut tribus seculis.*

Neque consultiùs de S. Bertholdo primo Generali scripsit: *Nisi aliquid dandum Traditioni putavissemus, potuerimus cum Viris quibusdam eruditis dubitare, utrùm aliquando fuisset Bertholdus iste in rerum natura.* Neque traditione tantùm hunc virum sanctum extitisse Bertholdum in rerum natura, sed scriptis omnium seculorum continuis tenent Carmelitæ. Nam S. Cyrillus, anno 1224. defunctus in *Epistola ad Eusebium Montis Neroi Priorem, cap.* 1. illum expressè notat primum Priorem Generalem: Joannes de Cimineto, seu potiùs Chimineto qui anno 1340. floruit, in lib. cui etiam titulus, *Speculum Ordinis, cap.* 5. qui est cum volumine eodem modo nuncupato Venetiis an. 1507. edito *à fol.* 49. similiter eumdem Bertholdum appellat *Virum religiosum, sanctum & famosum.* Joannes de Veneta Provincialis Franciæ an. 1370. in Chronico sic scribit: *Aymericus Patriarcha Antiochenus* BERTHOLDUM *sanctum & famosum de unanimi omnium assensu in primum Priorem eis instituit.* Philippus Ribori, qui suum de *Institutione & Carmelitarum gestis* Opus scripsit, anno 1370. ut ipse testatur *lib.* 10. *cap.* 5. recitat verba Cyrilli *lib.* 8. *cap.* 2. dicentis in *sua Epistola, cap.* 4. *Patriarcha Aymericus... fratrem* BERTHOLDUM *perfectum, religiosum, sanctumque Presbyterum... de unanimi omnium assensu... in primum Priorem eis instituit.* Similia scripsit Joannes Grossi circa annum 1380. in *Viridario, clavi* 2.

Ab exteris verò initium habet Wernerus Rolewinck, qui floruit anno 1480. in fasciculo temporum. *Sanctus* BERTHOLDUS *Carmelitici Montis Eremicolis ab Aymerico Antiocheno Patriarcha in Priorem assignatus, famâ celebri multis innotescit: hic inter præclara sua sanctitatis indicia, animas quàm plurimorum fratrum, quas Saracenorum absumpsit gladius, cum corona martyrii ab Angelis in cælum deferri vidit.* Onuphrius Panvinus, qui floruit anno 1560. in Chronico Ecclesiastico ad annum 1141. *Ordo Carmelitarum restitutus & reformatus ab Aymerico Malesaida Lemovicensi Patriarcha Antiocheno... in Monte Syriæ Carmelo, quorum primus Prior fuit frater* BERTHOLDUS, *vir sanctus.* Alios obmitto recentiores Scriptores & Martyrologiographos.

Ipse Henschenius Papebrochii collega senior ad VI. Martii in vita S. Cyrilli sic scribit: *Post Terram sanctam à Christianis recuperatam seculo* XII. *&* XIII. *in dicta regione, puta Palestinæ, cùm Ordo hic Carmelitarum floreret, accepit suos Priores Generales, quorum tres primi cælitibus adscripti Ecclesiastico cultu honorantur: primus* BERTHOLDUS, 29. *Martii: secundus Brocardus,* 2. *Septembris: tertius Cyrillus hoc* 6. *Martii, de quo agimus.* Papebrochius autem ad vitam Sancti Alberti sic loquitur, num. 142. *Faciamus Historiæ Carmelitanæ initium in* BERTHOLDO *& Brocardo, in quibus indubitabilis de ea cognitionis invenitur principium.* Ibidem, num. 66. *Erat enim* BERTHOLDUS *(ut Joannes Phocæ nos primus docuit) oriundus ex Calabria, ideòque Antiocheno Principi in temporalibus, Patriarchæ in spiritualibus, subjectus: ac verosimiliter unus eorum Monachorum Latinorum, qui in Montanis nigris juxta Antiochiam sua habebant Monasteria, teste Vitriaco,* lib. 1. cap. 52. Qui omnes, quamvis essent locis sejuncti, eamdem tamen vitam solitariam servare satagebant, quam servabant Eremitæ Montis Carmeli; ut notat Guillelmus de Sanvico in *Chronico, cap.* 1. Quin & ipsemet Papebrochius fatetur Bertholdum nostrum fuisse Gallum, dum ibidem, *num.* 56. scribit: *Quem vel ex nomine colligas à Francis Normanisve Calabriæ dominantibus originem trahere.* Quæ sanè testimonia nullatenus sinunt *dubitare utrùm aliquando fuisset Bertholdus iste in rerum natura.*

S. BERTHOLDUS nomine secundus libellos supplices obtulit summis Pontificibus, primum Honorio III. à quo confirmationem Regulæ per Albertum Jerosolymitanum Patriarcham datæ accepit Reate tertio Kalendas Januarii, anno 1226. Secundum Gregorio IX. qui facultatem ei concessit an. 1227. die 8. Aprilis, ut cum suis fratribus super apostasia & irregularitate dispensare posset. Tertium eidem Gregorio IX. qui an. 1229. die Aprilis districtè prohibuit Carmelitis, ne reciperent possessiones, domos aut alios reditus, nec Prior institueretur, ni de assensu majoris & sanioris partis fratrum. Quartum Eidem summo Pontifici, qui eodem an. die 9. April. permisit ut Prior & fratres Eremitæ Montis-Carmeli possent tempore Generalis interdicti januis clausis divina officia celebrare, dummodò causam non dedissent interdicti. Horum libellorum supplicum mentio habetur in constitutionibus summorum Pontificum præmemoratorum, editis *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 1.—5.

LXXXIV.

BERTRANDUS FIZALANUS, sive filius *Alani*, *Lincolnia* natus illustri in Anglia ex prosapia oriundus, Instituti Carmelitani alumnus, *Oxonii* strenuam bonis operam litteris dedit,

nec à studiis cessavit, donec ibi Doctoralibus Insignibus solemniter esset donatus. Singularem amicum habuit, teste Lelando, Guillelmum *Quapludum* ejusdem Ordinis Monachum, & Episcopum Kildariensem in Hibernia; quo ad multos annos familiarissimè usus dicitur. Porrò Bertrandus tum diligentiâ propriâ, tum amicorum expensis, insignem Bibliothecam erexisse & instruxisse perhibetur: Migravit *Lincolniæ* anno 1424. die 17. Martii. Ejus Opera sunt:

1. *Quæstiones Theologicæ*, libro uno: incipit: *Utrum quolibet sacræ Scripturæ.*

2. *In librum quartum sententiarum*, liber unus.

3. *Conciones ad populum*, libro uno.

4. *Excerpta quædam* ex aliis *Authoribus*, libro uno; qui *Mſ.* asservatur Oxonii in Collegio Balliolensi.

De Bertrandi Fizalani laudibus & scriptis agunt Lelandus & Pitseus de *Scriptoribus Angliæ*: Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 333. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. an.* 1424. *num.* 2. *pag.* 801. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1114. *num.* 3943. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelit. Mſ. pag.* 32. &c.

LXXXV.

BERTRANDUS STEPHANI, natione Gallus, Provinciæ Turoniæ Carmelita, Doctor Theologus Parisiensis, ibidemque Professor & Prior floruit circa annum 1484. scribens,

1. *De Conceptione B. V. Mariæ immaculata* librum unum.

2. *Joannis de Baccone Carmelitæ Commentaria in libros* IV. *sententiarum* recognovit unà cum *Joanne Mercatore* Carmelita ejusdem Provinciæ itidem Doctore Parisiensi; quæ prodierunt Parisiis anno 1484. *in-folio.*

Bertrandum Stephani laudant Petrus de Alva in *Militia Conceptionis immaculatæ*: Hippolytus Marraccius in *Bibliotheca Mariana*: Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelit. Mſ. pag.* 32. Franciscus Bonæ Spei in *Visione Eliæ.*

LXXXVI.

BERTRANDUS, sive BERNARDUS VASQUERIUS, aliàs BACHERIUS, natione Italus, Doctor Theologus, in Ordine Carmelitano celebris, quippè qui fuit Procurator Generalis sub Joanne Grossi in Capitulo Generali Balneolarum anno 1416. & Montispessulani an. 1420. ubi etiam Provincialis Romæ instituitur, atque in Capitulo Apamiarum anno 1425. ubi non solùm Procurator Ordinis, sed & Provincialis Romæ nuncupatur, teste Lezana, *tom.* 4. *pag.* 804.

Unde idem non est atque *Raymundus Vasquerius*, seu, *Baquerius* Provinciæ Narbonæ alumnus, quem Joannes Palæonydorus appellat *Raymundum Aquarii*, hunc pars illa Ordinis quæ Clementi VII. Papæ obediebat, ob cessionem *Bernardi Olerii* Exgeneralis, ne sine capite maneret, in Capitulo Generali Avenione celebrato anno 1384. in Generalem elegit; & rexit Ordinem in sua obedientia quatuor annis, mensibus quatuor, & decem diebus. Cui successit *Joannes Grossi*, Provinciæ Tolosæ, Conventûs Apamiarum, qui in primo anno sui Magisterii, in Generali Capitulo an. 1389. in festo Nativitatis B. Mariæ, in Conventu Perpiniani, Provinciæ Cataloniæ celebrato, in Priorem Generalem electus est, & rexit Ordinem in sua obedientia XXII. annis, sive usque ad annum 1411. quo ab utraque parte agnitus fuit.

Id ipse Joannes Grossi scriptis mandavit in *Viridario*, *parte* 1. *clavi* 2. Bostius, *Lib. VII. Speculi historialis*, *Cap.* 46. Joannes Palæonydorus, *Lib.* 9. *Fasciculi tripartiti*, *Cap.* 13. Lezana, *tomo quarto ann.* 1384. *num.* 2. *pag.* 716. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 593. *num.* 957. ubi animadvertit Raymundum Vaquerium fuisse virum doctum, quippe ano 1375. in Capitulo Generali Podiensi institutus Lector Biblicus & Sententiarum.

LXXXVII.

BILGERIUS, aliàs BURGERUS, * aliàs HELGERUS A BURGIS, natione Germanus, Cœnobii Coloniensis Carmelita, qui anno 1422. ibidem studiis theologicis operam dedit, posteà Lector, Doctor, & Prior Coloniæ, atque Provinciæ Alemaniæ inferioris Definitor. Ab anno 1440. & deinceps agit Pœnitentiarium Archiepiscopalem Coloniæ usque ad annum 1446. quo anno à *Theodorico de Morsa*, Archiepiscopo Coloniensi assumitur in Vicarium Generalem, pro administrandis Pontificalibus, creatus Episcopus *Buduanensis.*** Quin & dicto Principi à Confessionibus fuisse indicant Literæ Magnifici Rectoris almæ Universitatis Coloniensis *Jacobi Glant*, nomine ejusdem Universitatis anno 1444. ad Capitulum Generale Ordinis Carmelitarum Cabilone Ambarrorum ad Ararim celebratum, in ejus commendationem scriptæ, quarum initium sic habetur: *Reverendi Magistri, ac Patres dilecti, reverà cum Frater Heylgerus de Burgis, Pœnitentiarius Reverendi in Christo Patris & Domini nostri gratiosi* THEODORICI, *Archipræsulis Coloniensis*, &c. Posteà Leodium translatus est, ubi in Suffraganeum assumptus à Rev. Dom. JOANNE DE HEINSBERG, Episcopi Leodiensis. Obiit anno 1452. die primâ Novembris, sepultus in Conventu Carmelitarum Leodiensium, ante principalem Aram, cum sequenti Inscriptione:

D. *O.* *M.*

HIC JACET SEPULTUS
REVERENDUS IN CHRISTO PATER
† BILGERUS A BURGIS,
EPISCOPUS BUDUANENSIS,
ORDINIS CARMELITARUM;
QUI OBIIT ANNO DOMINI M. CDLII.
PRIMA DIE MENSIS NOVEMBRIS,
CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

Amen.

Scripsit *in omnes D. Pauli Apostoli Epistolas Commentaria*, quæ *Mſſ.* servantur Coloniæ Ubiorum ad Rhenum, in præclara Carmelitarum antiquioris regularis Observantiæ Bibliotheca, prout accepit Ludovicus Jacob ex Schedis R. A. P. Jacobi Emans, tunc ejusdem Monasterii Prioris, ad eum missis, beneficio R. P. Guillelmi à S. Basilio, Carmelitarum Moguntiensium Prioris. Idem testatur Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *tom.* 1. *pag.* 485. *col.* 2.

* *Burgerus* à *Burgis* vocatur tomo 2. Speculi Carmelit. pag. 915. num. 3188.

** *Budon* sub Cretensi Archiepiscopo.

B.

De Bilgero sive Hilgero à Burgis agunt Ægidius Galenius in Libro *de Colonia Agrippina*, *Lib. III. Syntagm.* 43. §. 3. *pag.* 480. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. pag.* 1058. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 159. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 928. *num.* 3249. Stephanus Bylmannus seu Bubmannus Jurisconsultus, in *suis Collectaneis* : Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 652. *col.* 1. *C.*

LXXXVIII.

BLASIUS A SANCTO ALBERTO, Hispanus, Excalceatus Carmelita, in Oppido *Talamanca*, Toletanæ Diœcesis ortus, *S. Catharinæ de Cordona* charus, Reformationis S. Teresiæ cultor egregius, in Monasterio Vallisoleti Magister Novitiorum, diversis in Conventibus Prior, atque postea Definitor, & Vicarius Generalis: Vir prophetiæ dono, ac miraculis illustris, prævisâ mortis horâ, nonagenarius quievit in pace die 20. Martii, anno 1636. Salmanticæ cum sanctitatis opinione.

Decreto Capituli Generalis Matriti congregati anno 1590. quamdam formulam pro tyronibus Ordinis ritè instituendis, eruditam, lectuque dignissimam, ex SS. Patrum sententiis hinc inde collectis, breviter & summatim composuit, ad sitis duobus aliis, illius ævi religiosissimis in adjutorium, scil. Joanne-Baptista, qui postea fuit Provincialis Provinciæ S. Eliæ, & Thoma à Jesu, qui tum Subpræfectus erat Cœnobii Matritensis Sancti Hermenegildi. Inscriptio hujus Operis Hispanicè,

La Instruccion de Novicios Descalcos de la Virgen Maria de Monte Carmelo: id est Latinè: *Instructio in gratiam Novitiorum Discalceatorum Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo.* Matriti, in Officina Viduæ Ildephonsi Goinesii, anno 1591. *in-8°.*

De Blasio à S. Alberto illustre testimonium perhibent Franciscus à S. Maria, *tom.* 1. *Annal. Congregationis Carmelit. Excalceat. Cap.* 16. & 19. Anonymus Carmelita Excalceatus, in *Vita Francisci à S. Mariæ*, §. 1. *num.* 6. & §. 4. *num.* 4. Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Eliæ*, *Cap.* 273. *pag.* 631. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 52. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tom.* 1. *pag.* 487. ubi agit de Joanne-Baptista. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1128. *num.* 3962. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliot. Carmelit. Excalceat. pag.* 54. &c.

LXXXIX.

BLASIUS ANDERNARIUS, aliquandò AZEMARIUS, aliquando ANDEMARIUS, natione Gallus, in Capitulo Generali Montis-Pessulani anno 1369. Lector Sententiarum Parisiensis pro tertio anno, & Lector Bibliorum pro primo designatus: in eadem Academia Doctor Theologus anno 1376. factus; ideòque *Magister* vocatus in *Speculo Carmelitici Ordinis*, ad Catalogum Doctorum hujus Religionis. Scripsit,

1. *In Libros Sententiarum Opus valdè notabile.* Lib. IV.

2. *Quæstiones & Collationes.* Lib. I.

3. Dicitur etiam *de Philosophia Morali* nonnulla quoque scripsisse.

De illo agunt Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. Cap.* 689. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tom.* 1. *pag.* 229. Simphorianus Champier, *de Viris illustribus Galliæ*. Bartholomæus Chassanæus, *parte* 12. *Catalogi gloriæ mundi.* Renatus Chopin, in *Monastico*, *tit.* 2. *art.* 16. Joannes Rioche, in *Compendio Historiæ Ecclesiasticæ.* Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 23. Lezana, *tom.* 4. *an.* 1373. *num.* 6. *pag.* 680. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*, ubi ad annum 1400. ipsius vitam protrahit. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 52. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1085. *num.* 3806. Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tom.* 1. *pag.* 677.

XC.

BLASIUS AB ASSUMPTIONE, natione Gallus, Provinciâ Vasco, sed natus *Regulæ* ad ripam Garumnæ; dum ibi supremus Aquitaniæ, die Martii anno 1683. patre BLASIO DUDON, matre verò MARGARITA POUILLET: ipse in sacris Baptismatis undis vocatus est JULIUS. Peractis humanioribus literis, Vestem Carmelitarum Excalceatorum religiosam induit in Conventu Lemovicensi die 14. Augusti anno 1698. in eoque Professionem emisit anno sequenti die 15. Augusti. Decursis Philosophicis ac Theologicis disciplinis, legit & eos docuit maximâ omnium laude. Post hæc Aginnensem Conventum rexit in sequenti Capitulo Provinciali, Vicarius primùm Provincialis, ac deindè omnium calculo Prior Provincialis electus.

Occasione Jubilæi anni 1725. animadvertens plures insolitas excitari quæstiones, quæ negotium interdum peritioribus etiam Confessariis & difficultatem causarent, edidit idiomate Gallico resolutionem Casuum & Quæstionum, quæ formari ac excitari possunt circa Jubilæum, sub hoc titulo:

Collectio Casuum Conscientiæ, & Quæstionum circa Jubilæum. Burdigalæ, anno 1726. *in-12.*

Ita refertur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 54.

XCI.

BLASIUS A CONCEPTIONE, natione Gallus, in seculo dictus BERTRANDUS RIQUET, in Oppido *Nogenti-Retrodi* Diœcesis Carnotensis natus anno 1603. Professionem inter Carmelitas Excalceatos emisit *Carentoni*, die 20. Decembris anni 1623. Plures tum Philosophiæ tum Theologiæ cursus, Prælector jubilatus docuit in Gallia, Italia, ac universa Congregatione Magister torius Ordinis verè dictus. Monasteria Parisiense, Rothomagense, Charentonense, Meldense singulari observantia gubernavit. Pluries Definitor, tum Provincialis, anno 1655. die 17. Aprilis electus, Provinciarum Lugdunensis, & Aquitaniæ Visitator Generalis, ampliavit, fovit, ac tum verbo, tum exemplo disciplinam regularem promovit. Obiit Vir tam insigni doctrinâ quàm pietate clarus in suo Conventu Rothomagensi die 28. Augusti, anno 1694. Edidit Latino sermone ad Salomonem Philippeaux, Comitem Consistorialem.

1. *Metaphysicam in tres Libros distinctam*: in quibus Quæstiones, quæ ad integritatem Cursûs Philosophici Complutensium desiderantur, juxtà Divi Thomæ doctrinam tractantur. Parisiis, apud Dionysium Thierry, annis 1640. & 1642. *in-4°.* Item Parisiis *in folio* cum Cursu Complutensium.

2. *Philosophiam Moralem in tres Libros divisam*, à Quæstione 1. usque ad 76. primæ secundæ Divi Thomæ. Parisiis, apud eumdem Thierry, an. 1647. *in-4°.*

3. Aliarum partium Philosophiæ desiderium ex-

B.

citavit: aft illius extat Manufcriptum, cujus titulus eft: *Novus Homo per gratiam Christi.*

De Blafio ifto loquuntur Gabriel Naudæus, in *Dialogo politica*: Francifcus Suarez junior, in *Præfatione fua Philofophiæ*: Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Hiftoriæ Carmelitanæ*, *Cap.* 12. Francifcus à S. Maria, *tom.* 1. *Hiftoria Reformationis S. Terefiæ*, *Lib.* 5. *Cap.* 16. *num.* 23. Ludovicus à S. Terefia, *Lib.* 2. *Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ*, *Cap.* 30. *pag.* 373. Joannes-Baptifta Gonet, in *Epiftola nuncupatoria Clypei Theologici ad S. Terefiam*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 53. Nicolaus Antonius, *tom.* 1. *Bibliothecæ Hifpanæ*, *pag.* 113. *col.* 2. ubi de *Antonio à Matre Dei.* Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1128. *num.* 3962. Martialis à S. Joanne-Baptifta, in *Bibliotheca Carmelitaru m Excalceatorum*, *pag.* 55.

X C I I.

BLASIUS HOYCIUS PALACIUS, natione Polonus, patriâ Colvenfis, Carmelita Cracovienfis, Doctor Theologus, Provinciæ fuæ Polonicæ Præfectus, anno 1623. electus, & continuatus ufque ad annum 1629. & tunc rurfus electus: Vir Literarum amantiffimus, & morum fuavitate præclarus. Scripfit Latino fermone,

1. *De ortu & progreffu Ordinis propheticí Eliæ Patris gloriofiffimi, cum defignatione Provinciarum & Conventuum ferè totius Ordinis Tractatum.* Incipit: *Multos preffit premitque ignorantia facri Ordinis gloriofiffimæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli*: Affervatur *Mſ.* Coloniæ Agrippinæ, in Bibliotheca Carmelitarum antiquæ regularis Obfervantiæ, fi credas Ludovico Jacob: dubitabat tamen Daniel à Virgine Maria, utrum hic Tractatus cum fequenti non interiiffet in vaftatione per Suecos in Poloniam factâ anno 1655.

2. *De Confraternitate Scapularis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli*, Lib. I. Iftum Tractatum Auctor primò Polonico idiomate fcripfit, fed poftea Latino fermone donavit, & cum præcedenti Tractatu fimul atque alia nonnulla monumenta congregavit, & tradidit in fuo Capitulo Provinciali anno 1629. Librum hunc citat Daniel à Virgine Maria, *tom.* 1. *Speculi Carmel. pag.* 595. *num.* 2299.

Noftrum Blafium laudant Juftinus Miechovius, Sarmata, *fuper Litanias Lauretanas*, *tom.* 2. *difcurfu* 236. *num.* 4. Hippolytus Maraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Alegreus Caffanatus, in *Paradifo Carmelitici Decoris*, *pag.* 486. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 53. Daniel à Virgine Maria, in *Tractatu de Revelatione Dei-paræ factâ Sancto Petro Thomafio.* Idem, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 521. *num.* 930. Idem, *tom.* 1. *Speculi Carmeli*, *pag.* 322. *num.* 1317. ubi fcribit Apographum Tractatûs *de ortu & progreffu facri Ordinis*, *&c.* extare in Belgio. Ibidem, *tomo* 2. *pag.* 1104. *num.* 3917. Paulus ab omnibus Sanctis, Carmelita Difcalceatus, in *Auctuario ad Caput* 7. Tractatus Auberti Miræi, *de Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 213.

X C I I I.

BLASIUS LORINUS, Carmelita, Theologus & Poëta fcripfit *Carmina varia*, feu *Eclogas ad Ludovicum*, prout colligitur ex Joanne Balæo, in Catalogo quorumdam Scriptorum, qui habetur in fine *Centuriæ decimæ-tertiæ de Scriptoribus Britanniæ*, *pag.* 266. Ita Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 53.

X C I V.

BLASIUS A PURIFICATIONE, Carmelita Difcalceatus, Romæ in Conventu S. Mariæ de Scala die 4. Februarii factus eft. Emenfis ftudiis, nec adhuc Sacerdos, dignus habitus eft, qui alios literis ac virtute formaret: quod per viginti & ampliùs annos feliciter præftitit in Conventu Romano S. Mariæ de Victoria ftudiofam juventutem utiliter exercens. Scribendæ Hiftoriæ Generali Congregationis fuæ Italicæ deftinatus, R. P. Magiftro facri Palatii, in Librorum edendorum cenfura, pluribus annis non deftitit, vivere definens anno 1705. Scripfit quæ infcribuntur,

1. *Tractatus de Adoratione*, Latinè. *Romæ*, 1678. *in-folio.* Italica funt quæ fequuntur Opera, fcilicet.

2. *Relationes facrarum Victoriarum à Fidelibus ope Virginis obtentarum*, *ab anno* 534. *ufque ad annum* 1683. Romæ, 1687. *in-4°.*

3. *Vita venerabilis Sororis Claræ Mariæ Columnæ à Paffione Terefianæ*, Romæ, 1681. *in-4°.* Hæc *Vita Sororis Claræ* manufcripta Italicè fervatur, in *Bibliotheca Slufiana* Romæ, *num.* 264. ut afferit Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Biblioth. Mſſ. pag.* 178. *col. B. tom.* 1.

4. *Vita & virtutes infignis Servi Dei D. Julii Tamafii, Ducis Palmæ, cum brevi Relatione Vitæ D. Ferdinandi ejus filii.* Romæ, 1685. *in-4°.*

5. *Vita Sororis Magdalenæ à S. Auguftino; Terefianæ*, Opus pofthumum. *Romæ*, 1713.

6. *Compendium Vitæ S. Terefiæ.* Romæ, 1683.

7. *Compendium Vitæ Beati Joannis à Cruce.* Romæ, 1691.

8. *Compendium Vitæ Sanctæ Rofæ Viterbienfis.* Romæ, ...

9. *Sermones Adventûs pro Monialibus.* Romæ, 1685. *in-8°.*

10. *Sermones Quadragefimales pro Monialibus.* Romæ, 1703. *in-4°.*

Alia item Opufcula ab eo fcripta, alieno nomine prodierunt. Præclara etiam alia Manufcripta reliquit, quorum Catalogus exhibetur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 56. Pauca recenfet de eo Profper Mandofius, in *Bibliothica Romana*, *Cent.* 4. *num.* 22. *pag.* 227.

X C V.

BLASIUS SENENSIS,* *Senis* natus eft; Carmelita factus, vitæ fanctitate præfulgens poft multa fanctitatis opera, & Epifcopatum fapientiffimè geftum, moriens in Carmelitarum æde fepultus eft in Senarum Cœnobio, clarus miraculis circà annum 1229. Ipfiufque caput cum effigie fub majori altari ad cornu finiftrum reverenter habetur.* Sunonenfem in Tufcia Epifcopum fuiffe, verofimilius opinatur Lezana, *tomo* 4. *an.* 1229. *pag.* 268. Ubi de illo plurimos fcriptores affert, & Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 915. *num* 3185. Ibidem, *pag.* 975. *num.* 3423.

X C V I.

BLASIUS SICULUS natione, & ideò cognomine Carmelita, Doctor Theologus circa annum 1330. fcripfit *figurarum Bibliorum librum*, *ex facra Scriptura excerptum*, quem ex fide Ludovici Jacob citat Jacobus Lelong in *Bibliotheca facra*,

* *Suana* Urbs parva Italiæ in agro Senenfi, fub Archiepifcopo Senenfi in Hetruria. Hunc Blafium, *Cremonenfem Epifc.* appellat Philippus à SS. Trinitate, *in Decore Carmeli*, *pag.* 173.

pag.

B.

pag. 1211. *col* 2. *lin.* 7. *ult.* Alia *volumina nonnulla in sacram Scripturam*, eidem Blasio adjudicat Michaël à Fonte Hispanus Carmelita in suo *Compendio Historiali :* Verum ex quo Fonte id hausit ? Ast jam memoratus Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 53.

XCVII.

BLASIUS SILVESTER, natione Italus, Carmelita, sacræ Theologiæ Magister unus foit ex Magistris Ordinis, quos in Capitulo Astæ celebrato, anno 1472. Christophorus Martignonus tum Vicarius Generalis, die scil. 12. Maii quinque diebus antè celebratiooem hojus Capituli, quæ fuit die 17. hujus mensis præsentes adhibuit, quando auctoritate Apostolica divisit Provincias Italiæ iu hunc modum. Videlicet Provinciam Siciliæ, in Provinciam communiter dictam *Siciliæ*, qoæ tenet locum post Provinciam Terræ Sanctæ ; & Provinciam *Vallis Mazzariæ* ; quæ *Sancti Angeli* dicitur. Item Provinciam Romanam, in *Romanam*, quæ tenet quintum locum post Provinciam *Narbonæ* ; & *Neapolitanam*, quæ tenet locum post Provinciam *Sancti Angeli*. Item Provinciam *Thusciæ* in Provincias *Florentiæ*, & *Pisarum*. Item Provinciam *Bononiæ*, in Provincias *Bononiæ*, & *Venetiarum*.

Ipse autem BLASIUS SILVESTER, qui & Illic BLASIUS DE FLORENTIA nuncupatur, propter vitæ integritatem Doctrinam, religionis xelum, ac præcipuam ad summum Pontificem & S. Romanam Ecclesiam devotionem, promeruit ut SIXTUS IV. literas Commendatitias ad dictum *Christophorum* Martignonum daret, quibus instaret ut præfatus *Blasius* in Capitulo Generali proximè celebrando, vel priùs Provincialis *Thusciæ* institueretur, & ad ipsum officium admitteretur. Literæ datæ sunt Romæ die 18. Martii 1472. & prodierunt *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 294.

XCVIII.

BONAVENTURA A S. AMABILI, *Burdigalæ* natus, Carmelitarum institutum antiquioris regularis observantiæ amplexus est in suæ patriæ Cœnobio, sub R. P. *Joanne Cheron*, tali pietate, prudentia, ac religiosa sedulitate ut illum ex tunc dictus Magister *Cheron*, tanquam firmissimam Religionis columnam, successorem destinaverit. Verùm arctioris vitæ cupidus, Teresianæ reformationi, Tolosæ die 5. Augusti annò 1633. nomen dedit, in quà miris virtutum progressibus proficiens, post solemnem emissam professionem, Presbyter ordinatus, ad majorem perfectionem anhelans ex Soperiorum veniâ, Eremum Provinciæ Genuensis petiit : ibi in divinis contemplationibus, quantum in ipso erat, toto vitæ tempore permansurus, nisi ingruentes infirmitates ex eâ recedere illum compulissent. Plenus tandem dierum, ac bonorum operum, die 5. Decembris obiit Lemovicis anno 1691. Scripsit Gallico idiomate opus inscriptum, & cui titulus est :

La Vie de S. Martial, ou défense de l'Apostolat de S. Martial, & autre contre les Critiques de ce tems. Id est Latinè, *Vita S. Martialis, sivè assertio Apostolatûs S. Martialis, & aliorum adversùs hujus temporis censores :* tribus voluminibus *in-folio*. Quorum primum prodiit Claro-Montii anno 1676. apud Jacquard. Secundum Lemovicis, anno 1683. Tertium ibidem, 1685.

Hujus operis meminit Vir clarissim. Dom. Lenglet du Frenoy in *Catalogo Historicorum*, *tomo* 3. *suæ methodi pro studio Historiæ* Gallicè edito *in-4°*. *pag.* 230. Meminit etiam Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibl. mediæ & infimæ Latinitatis*, *tom.* 5. *pag.* 104. Meminit etiam Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *pag.* 38. *num.* 1066. Sed cum ista censurâ : *Liber indigestus & parum accuratus*. Ad paginam 42. num. 1162. citat Sanctos Lemovienses. Ad pag. 779. *num.* 15156. tertium denotat volumen, in quo disseritur Historia Lemovicini tractûs à tempore Julii Cæsaris quo Annales tùm Ecclesiastici tùm Civiles describuntur. Ad paginam 872. num. 17071. appellat etiam idem volumen. Tertium ubi de Viris illustribus Lemovicini pagi agitur.

Primum igitur volumen præter Epistolam nuncupatoriam, præfationes & indices habet *paginas* 649. sat minutis characteribus. In eo impugnat opinionem Authorum asserentium Apostolatum *S. Martialis* ad tempora *Decii* Imperatoris remittendum esse. Fidem Christianam arbitratur Bonaventura noster non solum in Italia & Græcia, sed etiam iu Gallia, Hispania, Germania, & Anglia ab Apostolorum discipulis annuntiatam fuisse.

Volumen secondum habet *paginas* 668. totum insumitur in referendis *S. Martialis Vita*, virtutibus, miraculis, corporis translationibus, ostensionibus, ac epistolis, quas illius genuinum noo suppositum opus esse contendit Author.

Tertiom volumen, quod satiùs inscribi posset *Annales tùm Ecclesiastici, tùm Civiles superioris & inferioris Lemovicini pagi*, habet *paginas* 874. tractat de ejusdem Provinciæ rebus, tùm Ecclesiasticis, tùm Civilibus à tempore S. Martialis seu à sæculo primo ad annum 1682.

Alia insuper *Manuscripta* reliquit *pia Poëmata Latina*, quorum Catalogus exhibetur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 60.

XCIX.

BONAVENTURA A S. ANNA, in seculo dictus BONAVENTURA D'HERSOIT, in oppido *Oudon* ad ripam Ligeris dexteram in Diœcesi Nannetensi versùs Orientem quinque leucis ab Urbe Episcopali dissito natus, apud Carmelitas Rhedonenses emisit Religiosam professionem anno 1629. die 21. Novembris : Anno 1638. die 28. Decembris Æditaus Aurelianensis ; Anno 1641. Secretarius ejusdem Communitatis die 3. Augusti institutus est ; qood officium idem sex annis interruptum, resumpsit ibidem ab anno 1647. die 22. Augusti ad annum 1651. die 14. Septembr. Vir morum probitate, ingenio & litterarum cognitione præcellens, Theologus eximius & juris Canonici peritus, decessit è vitâ *Nannetis*, apoplexiæ morbo correptus die 2. Aprilis, horâ quintâ matutinâ, ætatis anno 55. & à partu Virginis 1667. sub personato *Jacobi de Vernant* nomine edidit Gallico sermone opus, cojus titulus est :

La défense de l'autorité de Notre Saint Pere le Pape, de Nosseigneurs les Cardinaux, les Archevêques & Evêques, & de l'emploi des Religieux Mendians, contre les erreurs de ce tems. A Mets, 1658. *in-4°*.

Hæc elucubratio diris devota est die 24. Maii, anno 1664. à Theologis Parisiensibus, & quinquaginta tres propositiones indè extractæ damnationem subierunt ; & die 26. ejusdem mensis & anni hæc damnatio Decreto illorum Doctorum, fuit confirmata. Ast *Alexander VII.* Pontifex Maximus, Censuram istam seu temerariam telo Apostolico confixit, septimo Kalendas Julii, anno 1665. in Constitutione, *Cum ad aures nostras*, &c. prohibuitque ne quis eâ uteretur Censurâ, sub pœna excommunicationis reservata Summo Pontifici, excepto mortis articulo. Obstitit autem Curia supremi Senatûs Pari-

B.

ſienſis, ne dicta ſummi Pontificis Conſtitutio ullatenùs reciperetur; ſicuti conſtat ex relatis tum apud Ellies Dupin, in *Hiſtoria Eccleſiaſtica Seculi XIV.* Gallicè ſcripta, *tomo 3. pag. 312. & ſeqq.* tum apud Illuſt. D. Carolum Dupleſſis d'Argentrè, Tutelenſem Epiſcopum, lu Opere cui titulus eſt: *Collectio judiciorum de novis erroribus, tomo 3. parte 1.*

Ipſe quoque illuſtriſſ. Dom. Jacobus-Benignus Boſſuet, Meldenſis Epiſcopus, de præfata Pontificis Romani Alexandri VII. Conſtitutione ait: » Hoc » Pontificium Diploma, tametſi non erat ad Nos » ſolemni more miſſum, Româ tamen in privatarum » Epiſtolarum faſciculis pervenit in Galliam. Deputati » à Facultate qui rem examinarent: conſtitit » apud omnes, Diploma Pontifieium Inquiſitionis » eſſe opus: editum quippe non de Fratrum conſilio » in publico Conſiſtorio, ſed auditis ſuffragiis » Cardinalium in tota Republica Chriſtiana Generalium » Inquiſitorum motu proprio, quali nemo » unquam in Gallia admiſit, præſertim cum illa » clauſula, motu proprio, quam novam & priſco » jure incognitam Gallicana Eccleſia non admittit.

» Conſtabat & illud, ut etiam optimâ formulâ » conſtaret, ne quidem ad nos pertinere Bullam, » quæ more ſolemni miſſa non eſſet, neque ipſi » Pontifici eam mentem ineſſe ut Gallos obligaret, » his ritibus prætermiſſis, qui antiquo Gallorum, » imò totius Eccleſiæ jure nitantur.

» Ita facultas quieſcendum rata, Rector Academiæ » admonitus ſacræ Facultatis ſpopondit ſuam & Univerſitatis » operam minimè defuturam more majorum, » ſi quid graviùs contingeret, Senatus Bullam » divulgari vetuit, neque ulteriùs proceſſit negotium. « Hactenùs Illuſtriſſimus Dom. Boſſuet, in Opere quod Latinè inſcribitur: *Deſenſio declarationis Cleri Gallicani, tom. 2. parte 2. Lib. X. Cap. 28. pag. 117.* Cætera autem quæ ad noſtrum Bonaventuram à S. Anna pertinent, conſule inferiùs verbo, JACOBUS VERNANT.

C.

BONAVENTURA GINOCHI, Genuenſis, Carmelitici Ordinis Baccalaureus, Theologiæ peritus, *Carmen Latinum* panxit in laudem Fr. Ambroſii Staibani Auguſtiniani, Auctoris Operis inſcripti: *Templo Eremitano de Santi & Beati dell' Ordine Agoſtiniano*, di Ambrogio Staibano, *in folio.* Napoli, 1628.

Ita referunt Michaël Juſtinianus, *primâ parte Scriptorum Ligurum*, anno 1667. editâ Romæ; & Auguſtinus Oldoinus, in *Athenæo Liguſtico* Peruſiæ edito *in-4°.* 1680. *pag.* 117.

C I.

BONAVENTURA A MATRE DEI, Hiſpanus, Carmelita Excalceatus, Subprior & Magiſter Novitiorum Monaſterii *Pueblæ*, ſcripſit circa annum 1630. ad R. P. Alphonſum à Cruce, Carmelitam Excalceatum, *Relationes hiſtoricas de Provincia Caſtellæ veteris S. Eliæ:* quibus uſus eſt P. Franciſcus à S. Maria, *tomo 2. Hiſtoriæ Reformationis S. Tereſiæ, Lib. 7. Cap. 6. num. 5.* prout monet Ludovicus Jacob, in *Biblios. Carmelit. Mſ.* in Scheda Mſ. affixa *ad pag.* 54.

BONAVENTURAM alium A MATRE DEI, Arvernum, Carmelitam Excalceatum, Pariſiis Profeſſum, die 15. Aprilis, anno 1620. Philoſophiæ ac Theologiæ Lectorem, Priorem Pariſienſem & Toloſanum, atque Definitorem; Virum doctrinâ, vitæ ſanctitate, & ſenſuum mortificatione conſpicuum, atque Toloſæ defunctum anno 1635. die 30. Auguſti, laudat Ludovicus à S. Tereſia, *Lib. II. Annal. Cap. 5. pag. 315.*

C I I.

BONAVENTURA DE LA PELICIARA, Laicus Ferrarienſis, cujus uxor nomine *Lucretia* fuit, filium habuit nomine *Archangelum de la Peliciara*, Carmelitam quoque Ferrarienſem, cujus gratiâ Pius IV. Fratribus Carmelitis Ferrarienſibus conceſſionem confirmavit uſusfructûs factam dicto Fr. Archangelo, ejuſdem Conventûs alumno Congregationis Mantuanæ, quoad ipſe viveret. Literæ Apoſtolicæ datæ ſunt Romæ, anno 1563. ſeptimo Idus Octobris, juxtà *Libellum ſupplicem*, quem dictus Archangelus obtulerat memorato jam Pontifici Maximo, & exhibetur *tomo 2. Bullarii Carmelitar. pag.* 129.

Bonaventura à Sancto Staniſlao, Polonus, *Plures Orationes funebres* edidiſſe Polonico idiomate *in fol.* perhibetur in *Bibliot. Carmelit. Excalceat. pag.* 60.

C I I I.

BONIFACIUS A S. EUPHRASIA; Armoricus, Carmelita Provinciæ Turoniæ, profeſſus eſt Rhedonis tecentem hujus Conventûs Reformationem anno 1619. die 10. Martii. Tanquam Prior Alnenſis interfuit Congregationi Generali ſuæ Provinciæ Nannetis celebratæ anno 1637. die 25. Junii, & unus ex quinque deputatis ad Conſtitutiones ſtrictioris Obſervantiæ efformandas & redigendas juxtà normam à ſingulis & cunctis hujus Provinciæ Religioſis propoſitam vel approbatam in præcedenti ultimo Capitulo Provinciali Aurelianenſi, anno 1635. die 4. Maii. Obiit autem in Conventu Ploermelenſi, die 21. Septembris anno 1659. poſtquam edidiſſet Opuſculum cui titulus eſt:

Fælix memoria Fratrum Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmeli, Provinciæ Turonenſis, qui ab inſtituta reformatione Rhedonenſi, cum odore virtutum receſſére, Menologii Centuriæ duæ. Prodiit Pariſiis, apud Florentinum Lambertum, 1646. *in-4°.* Latinè ad calcem alterius Operis, quod Leo à S. Joanne inſcripſit: *Delineatio Obſervantiæ Carmelitarum Rhedonenſis in Provincia Turonenſi.*

Primus Carmelita qui prædicto Menologio adſcribitur, *Dionyſius à S. Michaële* appellatur; qui conſummatus in brevi, explevit tempora multa, ſi quidem primus floribus & S. Reformationis gemmis innutritus, impinguatus, viginti circiter annorum juvenis tranſlatus eſt anno 1613. Rhedonis.

Bonifacium commemorant noſtrum Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelit. pag.* 1094. *num.* 3862. Acta Capitulorum Provincialium Provinciæ Turoniæ *Mſſ. ad annum* 1637. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 54. Antonius Teiſſerius, in *Catalogo Auctor. pag.* 46.

C I V.

BONIFACIUS, Venetus Carmelita, Epiſcopus Venecomponenſis, ſeu Venecompenenſis obiit & ſepultus eſt in Templo ſui Ordinis Venetiis, ubi hodie lapidi inſcriptum legitur iſtud Epitaphium:

D. O. M.

HIC JACET VENERABILIS PATER ET DOMINUS
† FR. BONIFACIUS,
ORDINIS DIVÆ MARIÆ DE CARMELO,
EPISCOPUS VENECOMPENENSIS,
QUI OBIIT ANNO M. CCCLXXIV.
XXVI. MENSIS APRILIS.

B.

Ita referunt Petrus Lucius, in *Bibliotheca Carmelitana*, in additionibus *Lit. B. pag.* 81.—82. Lezana, *tomo Annal.* 4. *ad annum* 1374. *num.* 8. *pag.* 684. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Ms. Antistitum Ordinis Carmelitarum.* Daniel à V. Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 915. *num.* 3186.

C V.

BORCHARDUS FORBIN, Ordinis Carmelitarum, electus est Episcopus Granensis seu Grandensis, quinto Idus Novembris, anno 1389. ita legitur in Libro *de Provisionibus*, *sub Bonifacio IX. anno primo*, *fol.* 73. & *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 955. *num.* 3187.

C V I.

BROCARDUS BILLICUS, aliis Burchardus, natione Germanus, Coloniensis Carmelita, & patrii Conventûs Prior, atque S. Theologiæ Doctor & Professor, *Eberhardi Billici* patruus, divinarum Scripturarum scientia insigniter doctus, & divini Verbi præco longè Clarissimus; adeo ut per annos quadraginta & amplius Conciones in variis Alemaniæ suggestibus habuerit. Grandævus Obiit *Coloniæ* anno non 1487. ut scribit *Ludovicus Jacob*, sed 1527. die 4. Decembris.

s. Scripsit insigne opus uberrimâ eruditione refertum, & in quatuor tractatus, sivè Sermones principales admodum copiosos divisum, cui titulum dedit *LOGOTESSERON* Ms.

2. *De Sacramento Matrimonii Lib. I.*

3. *De peccatis alienis*, *Lib. I.* Ms.

4. *Alia*, quæ in uno volumine compacta in Bibliotheca Carmeli Coloniensis asservantur Mss.

Ita Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmel. p.* 1096. *n.* 3874. Et paulò obscuriùs Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 54.

C V I I.

S. BROCARDUS JEROSOLYMITANUS patriâ, Carmeli incola fuit. Mortuo *S. Bertholdo*, perplexitas magna Eremitas hujus sacri Montis invasit de successore ejus instituendo, tùm quia magnæ terræ sanctæ Clades, quâ tota ferè manu *Saladini* subversa est, abs dubiè non facilè permittebat in unum illos pro Pastore eligendo congregari, tùm quià de hujus Pastoris institutione nullam certam formam Patriarcha Aymericus, qui omnes ipsos per obedientiæ vinculum colligaverat, & sub curâ unius Prioris adstrinxerat, morte præventus eis reliquerat. Populo tandem Christiano in Syria paulisper respirante anno 1188. aut 1189. TumCarmelitæ in unum è suis Monasteriis coëuntes, *Brocardum*, virum perfectum, unanimiter præfecerunt, & ei omnes obedientiam promiserunt.

Terræ autem Sanctæ & Christianorum negotiis, ob *Acconem* recuperatam, feliciùs procedentibus, noster Prior Generalis, pro sibi commisso grege custodiendo, & ad altiora Spiritûs dona provehendo, vario Doctrinæ genere excultus, ac vitæ sanctimonia conspicuus, haud segniter in Carmelo laborabat. Quià tamen bellorum turbinibus, Sarracenoruminsultibus, & Eremitarum suorum ex uno ad alium locum persecutionis fugiendæ causâ diversionibus, Tyrones noscebat suos instructione & vitæ regularis methodo indigere, ideo sui Ordinis *Canonem*, seu *statuta quædam*, quæ observare deberent, eisdem Latinè composuit circa annum 1191. E quibus nonnulla capita *Albertus* Jerosolymitanus Patriarcha inseruisse regulæ, quam Carmeli Eremitis circà annum 1209. edidit, refertur.

BROCARDUS anno 1221. obiisse in Carmelo & ibi sepultus perhibetur, & per 33. annos Ordinem rexisse: sicut legitur in *Speculo Ordinis Carmelitici*; quod Archivium Transpontinæ, conservat, valdè correctum: tametsi *Codex Ms. Coloniensis* Bibliothecæ Carthusianorum, quo usus est *Segerus Pauli*; assignet obitum *S. Brocardi*, anno 1213. *Daniel* autem *Papebrochius* remittit ad annom 1100. electionem ejus, & mortem ad annum 1231. sed quo fundamento? Scripsit S. Brocardus,

1. *Statuta in Carmelo*: Quæ ab Alexandro IV. vocantur *Constitutiones Ordinis* in Bulla data die 24. Februarii anno 1256. quæ incipit: *Qui ex Apostolici cura*, *&c.* Id ipsum sapiunt antiquiores Carmelitæ. Scilicet Cyrillus in Epistola ad Eusebium dicens: *Obnixè requirebant* Eremitæ Carmeli à *Patriarcha Alberto*, *ut juxta propositum eorum traderet eis de quibusdam articulis*, *per eos sibi oblatis*, *conversationi monasteriali necessariis*, *brevem vitæ formulam*, *quam tenere imposterum deberent.* Quinam etenim erant *Articuli per eos oblati Alberto Patriarchæ?* Joannes de Molinis in *Speculo Historiali*, *cap.* 4. qui claruit anno 1360. Bernardus Olerius, in *Informatione* ad Petrum Corsinum Cardinalem, anno 1376. ubi citat *Rubricam primam antiquarum Constitutionum Ordinis.* Thomas Waldensis, *tomo* 1. *Doctrin. Lib. IV. art.* 2. *Cap.* 27. Circa annom 1420. Thomas Bradley Scropus circa annum 1440. in *Chronico*, *Cap.* 2. *testimonium* appellat *Antiquorum Patrum Carmelitarum Ordinis*, *qui de origine suæ Religionis in sua Rubrica Constitutionum edita ab antiquo tempore* memoriale *suis successoribus reliquerunt*, *&c.*

Fragmentum harum Constitutionum S. Brocardi refertur *tomo primo Speculi Carmelitani*, *pag.* 121. *num.* 522. in quo laudatur testimonium Joannis Antiocheni, *Lib. de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ*, *Cap.* 12. Verùm hic Liber, inquit *Daniel Papebrochius*, » quamvis Pseudo-Joannis Jerosolimitani Libro fortè uno seculo antiquior, non » meretur ad Brocardi ætatem aspirare, quando istud » nomen Fratrum Beatæ Virginis Mariæ de Monte » Carmeli adhuc ignotum erat: Brocardum igitur » ipsum antiquarum Constitutionum auctorem di» cere; gratis assertum, nec indiget refutatione; » probaret tamen, si verum esset, saltem Brocardi » ævo ignotum Carmelitis fuisse Librum, Joanni » Jerosolimitano suppositum à posteris. *Vide tom.* 2. *col.* 165. *&* 169.

Attamen Emmanoel Romanus, in *Elucidationibus Carmel. elucidat.* 27. asserit, se hunc Josephi Antiocheni Librum legisse in Bibliotheca Universitatis Salmanticensis. Librum eumdem novit Philippus Ribori, anno 1370. & alii Scriptores Carmelitæ quos modo appellabamus, & alii exteri quibus non Possevinus in *Apparatu sacro* tantùm, sed & Bollandos, in *Vita S. Telesphori*, §. 3. *& in Notis.* Prætereà nomen Fratrum Beatæ Virginis de Monte Carmeli non erat ignotum ætate Brocardi; hac enim Nomenclaturâ Carmelitas honestat Gregorius IX. creatus Summus Pontifex anno 1227. in Constitutione eo anno data die 5. Aprilis, anno sexto post mortem Brocardi, *Dilecto Filio Priori Eremitarum S. Mariæ de Monte Carmelo:* Incipit, *Providi more Pastoris.* Et ipse Brocardus morti proximus, suos Fratres & Sodales his compellabat verbis: *Filioli mei*, *vocavit nos Deus in Ordine Eremitarum & Sacerdotum*, *& vocamur Fratres B. Mariæ: Videte ne post decessum meum sit hoc nomen Fratrum Beatæ Mariæ falsum in vobis.*

2. S. Brocardus ex Commissione S. Bertholdi

B.

ubi divinâ benedictione, propter eximiam charitatem & indefessum laborem, innumeros ad Fidem Catholicam convertit. Quamvis percussus fustibus & chordis pro defensione Ecclesiæ Romanæ, pro fide & veritate, tantæ tamen non solùm Christianis, sed etiam Mahometanis venerationi fuit, ut ad eum filios benedicendos adducerent. Mortuus est Aleppi, anno 1661. die 5. Julii. Funus ejus celebratum est solemni *D. Francisci Piquet*, Francorum Consulis, cum omnibus ejusdem nationis residentibus, ac Religiosorum omnium Europæorum comitatu, sicut & Patriarchæ Græcorum cum Clero suo; Archiepiscopi Jacobitarum & Armenorum cum Presbyteris suis, & infinitæ plebis multitudine: magno applausu funebrem Orationem habuit Arabico Sermone R. P. *Sylvester à Sancto Agnano*, Missionis Capucinorum in Oriente Custos. Scripsit BRUNO A S. YVONE,

1. Librum Controversiarum; Arabicè: de quo ipse sic loquitur in Epistola scripta die 1. Novembris, anno 1659. ad R. P. N. Carmelitam Discalceatum Parisiensem: *Sacra Congregatio exigit à me Compendium hæreseon orientalium, quod Arabicè scripsi; ostendens veritatem Fidei Catholicæ, ut typis mandetur, sed hucusque transmittere non potui.*

2. *Epistolam* Gallicam *de pia morte R. P. Pauli à JESU MARIA Bertii*, Leidensis, Carmelitæ Excalceati, ejus charissimi Socii; hujus Autographum penes se habuit Ludovicus Jacob, sed illud posteà dono dedit R. P. Ludovico à S. Teresia, Carmelitæ Discalceato.

3. *Epistolam aliam*, cujus fragmentum Latinè redditur a Philippo à SS. Trinitate, loco mox citando.

4. Ex Latino sermone in Arabicum idioma vertit *Officium Beatæ Virginis Mariæ.*

5. Similiter Arabice transtulit *Officium Mortuorum.*

Vitam Brunonis à S. Yvone dederunt in Relationibus authenticis DD. *Angeli de Bonig*, & *Francisci Piquet*: Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi, parte 3. pag. 254. & seqq.* Ludovicus à S. Teresia, in *Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ, Lib. 2. Cap. 146. & 147. pag. 709.–716.* Compendium hujus vitæ dedit Auctor *Bibliothecæ Carmelitar. Excalceat. pag. 60.—63.*

Mentionem verò hujus Brunonis & illius operum facit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag. 55.*

C X.

BUSSIANUS A S. FRANCISCO, Laudensis Carmelita Discalceatus, vertit ex Hispanico in Italicum idioma Librum *De periculis & remediis pacis & perfectionis religiosæ*, per Alphonsum a Jesu Maria, Generalem Congregationis Hispanicæ inscriptum, & edi curavit Cremonæ anno 1683. *in-4°.* Obiit Romæ anno 1714. Ita Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, *pag. 63.* ubi perperàm distinguitur hic *Bussianus* à *Bassitano*, quem Bononiæ defunctum anno 1714. asseruit, *pag. 47.*

C.

I.

CÆCILIA A NATIVITATE, natione Hispana, *Valli Soleti* ann. 1570. nata, patre *Antonio Sobrino*, & matre *Mariâ de Morillas.* Mox ut ex ephebis excessit, sacræ virginitatis cupidissima, in *Pontianum* Carmelitissarum Teresianarum Cœnobium evolavit, ubi Deo perfectionis nexu devincta, tantis virtutum ac sapientiæ radiis præfulsit, ut nihil præter sacras lectiones die nocteque tractaret; eoque assiduo studio progressa est, ut abstrusiores earum sensus luculenter exponeret. His pietatis operibus, ac sacris lectionibus intenta, honestissimæ vitæ cursum felici agone finivit, anno 1646. die sextâ Aprilis, ætatis 76. Quàm præclaram & sanctam suî memoriam, apud posteros relinquerit, testantur manu suâ exarata scripta; videlicet,

1. *Commentaria in obscuriora loca divinorum Bibliorum.*

2. *Tractatus* aureus *de immaculata Dei-paræ Conceptione.*

3. *Codex suæ vitæ*, interiorum affectionum mysticarum explanationum mirabilis. Hæc tria Opera *Mss.* asservantur in Archivio Pontiani Monasterii Teresianarum Monialium.

4. *Plura carmina mystica*, cum quadam illorum explanatione: quæ *Mss.* asservantur in Archivio Matritensi Monialium Teresianarum: sicuti refertur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag. 63.*

I I.

CÆLESTINUS A S. LIDUVINIA, alias PETRUS GOLIUS, Batavo-Lugdunensis, *Jacobi Golii* viri undequaque doctissimi germanus frater, Catmelita Discalceatus; vir verè Apostolicus, sacrarum litterarum seu Linguarum imprimis peritus, Missionarii munus *Aleppi* in Syria, aliisque Terræ sanctæ locis, necnon in Indiis Orientalibus cum laude exercuit. Conventum Ordini suo in *Monte Libano* erexit, ac in eo venerabilem Dei servum, Franciscum *de Chateuil*, Gallum, excepit, & illic notoriâ sanctitatis opinione defunctum anno 1644. Oratione funebri, & Epitaphio Arabicè celebravit.

Unus fuit *Cælestinus* ex iis quos illustriss. *Sergius Risius* Archiepiscopus Damascenus Maronita potissimùm consuluit pro editione Bibliorum Arabicorum, *Romæ* anno 1671. jussu & typis sacræ Congregationis de propaganda fide editorum; quorum etiam mendis typographicis emendandis præpositus fuit, cum aliis viris ejusdem Linguæ Arabicæ peritis adjunctis. Ad Missiones Orientales sui Ordinis visitandas missus à suo Præposito Generali; *Suratæ* vivere desiit, virtutibus, ac zelo salutis animarum clarus.

1. Ex Latino in Arabicum idioma transtulit pium de *Imitatione Christi Librum*, qui eo idiomate fuit editus *Romæ*, anno 1663. typis de propaganda Fide. Versio hæc, cui nihil deest tum quoad dictionem, tum quoad stylum, perfectè elegans est, inquit Mercurius Gallicus anno 1744. *mense Julio, pag. 1526. 1527. Cette Version est d'une élegance parfaite, &*

C.

rien n'y manque du côté de la diction & du stile.

2. Vertit etiam Arabicè *Vitam* aut *Compendium Vitæ S. Teresiæ.*

3. Ex Arabico Latinum fecit volumen continens *plurimas Parabolas ac Sententias Auctorum Arabicorum.*

4. *Pratum Solitarii*, & *consolationem Anachoritæ : tractaus de præcipuis virtutibus, Opus quingentis retrò annis*, à Monacho quodam Ægyptio scriptum.

5. *Volumen Alcorani.*

6. *De præcipuis controversiis inter Catholicos & Hæreticos Orientis.*

7. *Sermones aliquot in Evangelia.*

8. *Sermonem historicum S. Gregorii Decapolitæ.*

9. *Pios aliquot alios Libellos.*

10. *Initia Missionis PP. Carmelitar. Excalceat. in Monte Libano.*

Hæc referuntur à P. Martiali de Sancto Joanne-Baptista, in *sua Bibliotheca Carmelita. Excalceat. pag.* 77. ex qua suam in *Bibliothecam Belgicam*, *pag.* 188. transtulit Joannes-Franciscus Foppens. Sed celebrem insuper memoriam Cælestini à S. Liduvinia faciunt, Petrus Gassendi, in *Vita Nicolai-Claudii Fabricii de Peirese*, *Lib. V, pag.* 187. & 193. Franciscus Legoux, Dominus de Laboulaye, in *Itinere Europæ*, &c. *pag.* 341. Franciscus Boulart, in *Apologia pro Thoma à Kempis*. Gabriel de Boissi, in *Deliberatione de Auctore Librorum de Imitatione Christi :* Georgius Hesserus, in *Præmonitione nova adversùs Pseudo-Gersonistas:* Philippus à SS. Trinitate, in *Itinere Orientali :* Idem, in *Compendio Historiæ Carmelitanæ*, *Lib. VIII. Cap.* 12. Ludovicus à S. Teresia, *Lib. II. Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ*, *Cap.* 43. *pag.* 411. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 55. Jam citatus Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 514. & 1156. Daniel Papebrochius citatus *tomo* 1. *Speculi Carmelit. pag.* 971. *num.* 3537.

III.

CÆLESTINUS A S. SIMONE, natione Belga, Provinciæ Gallo-Belgicæ Carmelita, imò & Provincialis, *Vitam Ven. Fr. Basilii à S. Spiritu* edidit Duaci, anno 1676. à Theologis approbatam, sicuti legitur tomo 2. Speculi Carmelit. *pag.* 1028. *num.* 3575. & *pag.* 1112. *num.* 3939.

IV.

CÆSAR BASADONA, Venetus Carmelita, Doctor Theologus, scripsit & dixit *Orationem ad PIUM V. Pontificem Maximum.* Defunctus anno 1607. die 11. Decembris, ut ex Necrologio Conventûs Carmelitarum Venetorum Ludovicus Jacob collegit; retulitque inde in *Bibliothecam suam Carmelitanam Mss. pag.* 56.

V.

CÆSARIUS A S. BONAVENTURA, Lugduni-Batavorum natus die 6. Martii 1605. patre Petro Bertio, celebri ibidem Theologiæ Calvinianæ Professore; ast postmodùm ejuratis erroribus, constanti Religionis Catholicæ propugnatore. Pattem unà cum matre & fratribus secutus in Galliam, Carmelitis Discalceatis nomen dedit, uti & duo ejus fratres germani PAULUS A JESU MARIA, & PETRUS A MATRE DEI. Ipse verò deindè destinatus Missionarius anno 1647. in Hollandiam, fundavit illic, seu primus instituit Gallicam Missionem Carmelitarum Excalceatorum, quæ est in Haga-Comitis. Hinc *Ambianensis* Prior anno 1661. & anno sequenti 1662. per Definitorium Generale ad Insulam *Melitensem* evocatus, ibique Prior anno eodem, die 27. Octobris obiit, pietate & doctrinâ insignis.

Scripsit *Tractatum de SS. Eucharistiæ Sacramento :* in quo è SS. Scripturis demonstrat realem Corporis Christi præsentiam; nomen & significatum *Transsubstantiationis* vindicat, & potestatem Ecclesiæ ad prohibendum Laicis usum Calicis; ac probat in Missa offerri verum ac proprium Sacrificium.

Cæsarem seu Cæsarium laudant Ludovicus à S. Teresia, *Lib.* 2. *Annal. Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*, *Cap.* 43. *pag.* 410. *Cap.* 126. *pag.* 651. sed potissimùm *Cap.* 149. & 150. *pag.* 718.—724. Eusebius ab omnibus Sanctis, in *Epistola Mss.* ad Martialem à S. Joanne-Baptista missa, quæ typis prodiit in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 64. & unde aliis novis typis translata est in *Bibliothecam Belgicam*, *pag.* 148.

VI.

CÆSARIUS A S. PAULO, Aquitanus natione, natus in loco dicto *Savagnac* Diœcesis Lemovicensis, anno 1636. *Lemovicas* studiorum causâ missus, ibidem Carmelitarum Excalceatorum habitu indutus, Religiosam emisit professionem anno sequenti 1637. Peracto studiorum cursu, totum se animarum lucro consecravit, confessionibus audiendis, mœstis consolandis, infirmisque visitandis. Tum in seculo, tum in Religione, tentatâ à mulieribus pudicitiâ, gloriosum triumphum retulit. Ad extremam senectutem perveniens, epiphoræ morbo correptus, obiit Cadurci die 31. Januarii, anno 1718.

Edidit Epistolas duas Gallicas de *Divitum obligatione elargiendi eleemosynam.* Claromontii, anno 1704. *in*-12.

Servatur etiam in Conventu Excalceatorum Carmelitarum Cadurcensi, Opus limatum, *contra eâ pius* Dom. Armandus - Joannes le Bouthillier de Rancé *Abbas Trapensis scripsit de obligatione Religiosorum ad laborem manuam ;* sicut notatur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 65.

VII.

CÆSARIUS A SS. SACRAMENTO, natione Lotharingus, in oppido *Vic*, Diœcesis Metensis anno 1616. natus die 10. Octobris, professus *Nanceii* anno 1634. die 28. Martii. Vix prima attigerat sacerdotii tempora, cùm divini verbi dispensationi totus Apostolico more incubuit; magnam existimationem apud Magnates, Principes, Episcopos, ac Ludovicum XIV. ob miram de Deo ac rebus divinis loquendi facundiam, adeptus. Conventum *Vici* ex eleemosynis Magnatum ac Ludovici XIV. fundavit. Episcopatus sibi oblatos constantissimè recusavit. In dignitatibus Prioris, Definitoris Provincialis, ac Visitatoris Generalis spiritum Religionis fovit, defunctus Parisiis die 21. Maii, an. 1688. Scripsit Gallicè, ac prælo subjecit Opera inscripta,

1. *De prece peccatoris pœnitentis in recitatione Orationis Dominicæ.* Parisiis, 1690. *in*-16.

2. *Methodus, diem sanctè transigendi, ac modus audiendi Missam, & se ad Communionem disponendi.* Parisiis, anno 1692. *in*-12.

3. *Relatio de virtutibus R. P. Juliani à Cruce* Neustrii Carmelitæ Excalceati, Parisiis defuncti an. 1663. die 12. Januarii: quâ usus est Ludovicus à

C.

S. Teresia in Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, *Cap.* 159. *& seqq.*

4. *Ultima verba R. P. Mauritii à Cruce*, Barensis Carmelitarum Excalceatorum Prioris Provincialis, Parisiis defuncti anno 1650. die 1. Decembr. Parisiis, 1661. *in-4°.*

Cæsarii hujus memoriam faciunt Ludovicus à S. Teresia in *Annalibus citatis*, *pagg.* 765. 784. *& alibi*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 56. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 65. ubi celebrat etiam

Cajetanum à S. Joseph Ulyssiponensem, & *Calixtum à S. Dominico*, Mauriacensem Alveroum, quorum Opera quædam enarrat, sed ætatem eorum, & locum, & seculum reticet.

VIII.

CAMILLUS AUSILIUS, Neapolitanus Carmelita, Doctor Theologus, edidit ad Annibalem de Capua, Archiepiscopum Neapolitanum, Italico sermone,

1. *Historia Carmelitanæ Summarium.* Venetiis, 1603. apud Petrum Riccardum, *in-4°.*

2. *Privilegiorum & indulgentiarum Ordinis Carmelitarum Tractatum*, Italicè.

3. *Priorum Operum Librum.* Venetiis, an. 1603. Item Neapoli, an. 1607. Italicè.

Memoriam hujus Camilli agunt Valerius Ximenez de Embun, *tract. de Antiquitate Ordin. Carm.* Petrus Thomas Sarracenus in *Menologia Carmel. pag.* 61. Alegreus Cassanatus in *Paradisa Carmel. Decoris*, *pag.* 450. Joannes-Baptista de Lezana, tomo 1. Annal in *Apparatu*, *cap.* 10. *num.* 20. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 56. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 322. *num.* 1517. obi vocatur CAMILLUS AUXILIUS.

IX.

CAMILLUS LOMATIUS, natione Italus, patriâ Melegnanus, Carmelita Theologus, ad Placentinos edidit Latinè *Orationem pro Generalibus sui Ordinis Comitiis in Carmelo Placentino*, octavo Idus Jonii 1575. *in-4°.* ut refert Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 56.

X.

CAMILLUS VISCHI, natione Italus, patriâ Tranensis in Regno Neapolitano, patricia gente ortus, Carmelita sacræ Theologiæ Magister, Prior in diversis locis, deinde Provinciæ Apuliæ semel & iterum Præfectus, cùm Neapoli in majori Cœnobio Commissarium Generalem ageret, obiit mense Julii, 1656. Edidit Italico idiomate,

Il culto de la Novena ò Aopettatione del parto di S. Anna Madre della Madre did Dio, solito festeggiarsi Fra Padri Carmelitani dell'antica Osservanza regolare: id est Latinè, *Novendialem cultum expectationis S. Annæ, Matris Deiparæ, celebrari solitum apud Patres Carmelitas antiquioris regularis Observantiæ.* Trani, apud Laurentium Valerium, 1647. *in-16.*

Camillum Vischum citant & laudant Matthias à S. Joanne, *tomo* 2. *Historiæ Parænetica Carmelit.* Gallicè scriptæ; Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 56. Nicolaus Toppi, in *Bibliotheca Neapolitana* Italicè scripta, *pag.* 46. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1069. *num.* 3729.

XI.

CARMELA DI DONE, in sacro Baptismate CATHARINA dicta, in Oppido *Calassibeta* sub Catanensi Diœcesi nata die 3. Martii 1672. inter Ordinis Carmelitici Sorores Terriarias insignis Priorissa & Magistra Novitiarum, die 8. Septembris 1724. obiit ætatis anno suæ quinquagesimo tum septem mensibus, sapientiæ dono ita ditata; ut syllabas ad conjungendas scripto vix experta, res tamen altas quæ mentem Theologorum transcenderent, scripserit, quas inter multas denotatur Volumen *de duodecim stellis coronam B. Virginis adornantibus* tractans; teste R. P. Seraphino Potenza, in suis Codicibus Mss. de Vitis Servorum Dei quorumdam Carmelitarum.

XII.

CARMINIA FATI, lustralibus in undis ROSA vocata, in vico vel oppido de *Valdina* sub Messana Diœcesi nata, anno ætatis suæ decimooctavo Regulam Sororum Terriarii Ordinis Carmelitani accepit, & illarum Priorissam diu egit. Vitâ pœnitente, austeritate, fervido erga pauperes amore, summoque salutis animarum zelo illustris obiit primâ Sabbatina Julii die 1717. suæ anno ætatis 74. Scripsit,

1. *Avitamenti spirituali per le persane Religiase.*
2. *Altri Avitamenti spirituali per le medesime.*
3. *Sposalitio, che deve fare l'anima con Giesu.*
4. *Regola da osservarsi da quelle Religiose, che vogliano incaminciare vita spirituale.*
5. *Regola da osservarsi da quelle persone, che vogliono perfectionarsi nella vita spirituale.*
6. *Regola da osservarsi da colòro che vogliono perfettionarsi nello spirito, é sóno di forte complessione.*
7. *Atti di amore, che fâ l'Anima verso Giesu suo Amante.*
8. *Espressioni amarose versa Giesu Sacramentato.*
9. *Modo, come si deve portare la Maestra delle Novizie colle sue Novizie.*
10. *Regola, come si devono portare le Religiosè in tutte le occazioni, é lóro esercisi, per maggiormente piacere al lóro Sposo.*
11. *Portamento esterno, che deve avere la Religiosa.*
12. *Come debba portarsi la Religiosa nel conversare coll' Esteri.*
13. *Come si deve portare la Religiosa, quando perde la salute, rabba, ed altro.*
23. *Come debba partarsi la Religiosa nelle contrarieta, é disprezzi.*
15. *Come debba portarsi la Religiosa nelle ubidienza.*
16. *Dieci considerazioni per li dieci giorni avanti la Festa della Pentecoste.*
17. *Novegiornate ó gradi per la via della perfezzione.*
18. *Alfabeta che Giesu insegna all' Anima in ottava rima, sulla parole del Salmo:* Audi filia, *&c.*
19. *Meditazioni per dieci giorni da farsi nelli Esersizzi spirituali.*
20. Altere *per l'ottava del santissimo Sacramento.*

Hæc omnia Manuscripta penes se habet R. P. Seraphinus Potenza Carmelitarum Transpontinæ sacer Æedituus.

C.

XIII.

CARMINIUS PHILOMARINUS, Eques Neapolitanus, Carmelita ſacræ Theologiæ Doctor ac Profeſſor, & Concionator facundiſſimus, ibidem Prior & Vicarius Generalis, quem ſumma & exquiſita erudítio & vitæ integritas celebrant, & dignum declarant, ut ſemel atque iterum Provinciæ Terræ-laboris Provincialis profiteretur, & titulum Provincialis Terræ ſanctæ teneret, florens circa 1564. Scripſit juſſu Joannis-Baptiſtæ Rubei Prioris Generalis,

In Joannem de Baccone Carmelitam interpretationes & deciſiones: quæ aſſervantur *Mſſ.* in Bibliotheca Carmelitana Neapolitana.

De Carminio Philomarino loquuntur Petrus Lucius in *Appendice Carmelit. Bibliothecæ*, *pag.* 82. ubi ſcripſit quòd diem clauſit extremum ſepultus Neapoli: Joſephus Faleo in *Chronico Carmelitico*: Franciſcus Sixtus in *Teſſera Decade*, *Decad.* 4. *cap.* 186. Franciſcus Turcus in *Oratione habita ad electionem Joannis-Baptiſtæ Caffardi*: Alegreus Caſſanatus in *Paradiſo Carmel. Decoris*, *pag.* 383. 384. Joannes-Baptiſta de Lezana, *tom.* 4. *Annal. pag.* 397. *lin.* 17. Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carm. Mſ. pag.* 56.

XIV.

CAROLUS A S. ANASTASIO, natione Germanus, in ſeculo dictus FREYWILLIGER, patriâ, & profeſſione Carmelitarum antiquiorum Religioſâ Moguntinus, pro animarum ſalute, quâ concionando, quâ ſacrum pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrando, procurandâ, non minùs quàm Ordinis ſui regulari obſervantiâ promovendâ valdè fervens & zeloſus. Vitæ ſuæ curſum conſummavit in Carmelo Boppardienſi, an. 1670. die 10 Martii. Diverſos libros & Auctores Latinos in idioma Germanicum, cujus erat diſertiſſimus, convertit. Nimirum,

1. *Pædagogum Chriſtianum* R. P. *Philippi d'Outreman* Societatis Jeſu ex Latino tranſtulit in Germanicum, & R. Eminentiſſ. Principi Archiepiſcopo, & Electori Trevirenſi dedicavit. Impreſſum Coloniæ, anno 1664. *in*-4°.

2. *Sermones ſpirituales in ſingulas totius anni Dominicas & feſtos dies, diſtributos V. P. Joannis Tauleri* Ordinis Prædicatorum, ab heterodoxo quodam interprete in Linguam Germanicam, perperàm multis in locis, tranſlatos, cum magna diligentia recognovit; & juxta Catholicum P. *Laurentii Surii* Carthuſiani exemplar Latinum, emendavit, atque correxit, typiſque imprimi curavit Coloniæ, anno 1660. *in*-4°. & Eminentiſſimo Principi Archiepiſcopo & Electori Moguntino dicavit.

3. *Plurimas ſui aliorumque Ordinum vitas* in Germanicum vertit: quæ habentur in vitis Sanctorum Germanicè editis, per D. *Valentinum Leucthium* S. Th. Doctorem Concionatorem ad S. Bartholomæum Francofurti, *in folio.* Coloniæ, apud Joannem Buſæum, anno 1640. quamvis ibi mentio non fiat CAROLI noſtri traductoris, quia ipſe noluit.

4. *Artem artium*, ſive *libellum de Meditatione*, à P. Daniele de Virgine Maria Carmelitarum Flandro-Belgicæ Exprovinciali compoſitum, è Lingua Flandria in Germanicum vertit.

5. *Exercitationem Novitiorum* à P. Dominico de S. Alberto, Carmelita Provinciæ Turoniæ compoſitum, è Gallico ſermone in Germanicum vertit.

Carolum à S. Anaſtaſio traductorem horum quinque Operum aſſerit Ludovicus Jacob in *Scheda Mſ.* quam appoſuit ad *paginam* 56. *ſuæ Biblioth. Carm. Mſ.* Aſt tria duntaxat priora Opera à Carolo noſtro traducta recenſet Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Spec. Carmel. pag.* 1101. *num* 3903.

XV.

CAROLUS ALOYSIUS A S. ALEXIO, natione Italus, patriâ Laudenſis Carmelita Excalceatus tranſtulit ex Hiſpano in Italicum idioma, *Tomum tertium Hiſtoriæ Carmelitarum Excalceat. Congregationis Hiſpanæ*, ac Parmæ typis edi curavit, anno 1689. *in-folio.* Obiit Mediolani anno 1699. ut fertur in *Bibliotheca Carmel. Excal. pag.* 71.

XVI.

CAROLUS AB ASSUMPTIONE, natione Belga, patriâ *Ghiſlenus*, dictus in ſeculo CAROLUS DE BRIAS, Comitis Briacenſis, pro Rege Catholico, *Maribargenſis* civitatis, tum inter Belgicas munitiſſimæ, Gubernatoris filius, *Duaci* apud Carmelitas Excalceatos Religioſam profeſſionem emiſit, omnibus ſeculi, ſuperatis impedimentis, quibus ob præſtita in bello fortitudinis ac generoſitatis argumenta, ad avitam majorum gloriam conſcendere cœperat, Patrui potiſſimum Marchionis de *Molinghen* præproperè defuncti morte perculſus.

Emiſsâ ſolemni profeſſione, ac peracto ſumma cum laude ſtudiorum curriculo, enixis precibus à ſuo R. P. Præpoſito Generali litteras patentes obtinuerat, ut primò ad Romanum ſuum Miſſionum Seminarium, deinde in Perſidem ſe transferret; ſed talem diſpoſitionem mutaverunt ſuæ Provinciæ Superiores. Quod autem Barbaris ac Infidelibus impendere non potuit, compenſare ſtuduit, tum Lectoris munere per plures annos fungendo, tum Superiorem gerendo ſe pro inferiorum utilitate ac profectu.

Religioſam humilitatem nobilitati prætulit, nihil ex doctrinæ fama ſuperbiens, quamvis ingenii ſubtilitate & ſolertiâ adeò floruerit, ut nulli Academiæ Duacenſis Doctori doctrinâ cedere ſit exiſtimatus. Adveniente demùm tempore, quo laborum ac bonorum operum mercedem erat conſecuturus, obdormivit in Domino, primo reaſſumpti Provincialatûs anno, die 23. Februarii, an. 1686. ætatis 60. profeſſionis 31. ſacerdotii 27. Plura edidit ac reliquit Opera, quæ inſcribuntur:

1. *Thomiſtarum triamphus, id eſt, ſanctorum Auguſtini & Thomæ, gemini Eccleſiæ ſolis ſummâ concordiâ, circa ſcientiam mediam; naturam puram aut duplicem Dei amorem, libertatem, contritionem, & probabilitatem.* Editio ſecunda Duaci, an. 1672. *per Germanam Philalethem Eupiſtinum, in*-4°. Citatur à Vincentio Placcio in *Theatro Pſeudonymorum*, *pag.* 497. *num* 2099.

Tomus ſecundus complectens quatuor poſteriora opuſcula, *de Natura pura, ſeu de duplici Dei amore, de libertate, de contritione, de probabilitate.* Ibidem 1673. *in*-4°.

Tomus tertius adversùs defenſionem R. P. Fourmeſtraux, cui adjungitur præclara ac ſolida de Phyſica prædeterminatione diſputatio Theologi Lovanienſis, ex triumpho Thomiſtarum nervosè deducta. Ibidem, 1674. *in*-4°.

2. *Funiculus triplex, quo neceſſitas Angelici luminis D. Thomæ, ad veram S. Auguſtini intelligentiam inſolubiliter ſtringitur, adversùs Baium, Molinam, & Janſenium, per Carolum ab Aſſumptione Carmelitam Excalceatum, in Collegio ſuo Duaceno nuper*

nuper Lectorem, nunc & semper Germanum Phylalethem Eupistinum. Cameraci 1675. *in-4°.*

3. *Pentalogus Diaphoricus, sive quinque differenciarum rationes, ex quibus verum judicatur de dilatione absolutionis, ad mentem gemini Ecclesiæ solis SS. Augustini & Thomæ, oblatus ad examen S. Papæ Innocentio XI. in-8°.* Citatur in Bibliotheca Tell rianâ, *pag.* 90. *num.* 1641. sed damnatus est ex Decreto S. Congregat. Indicis 3. Aprilis 1685. & vide inferiùs, verbo, *Germanus Philaleches Eupistinus.*

4. Epistolæ decem Galliæ ad Illustrissimum D. Episcopum Tornacensem sub hoc titulo: *Theologi Flandri Epistolæ, ad Illustriss. &c. ubi de dilatione Absolucionis, de Confessione informi, ac de frequente ad sacram Synaxim accessu tractatur.* Repetiuntur in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 50. *num.* 779.

5. *Elucidatio circa usum Absolutionis consuetudinariorum & recidivorum, secundùm Doctrinam S. Thomæ, cum tribus regulis pro frequente Communione, &c.* Leodii, anno 1682.

6. *Vindiciarum postulatio à* JESU CHRISTO, *peccatorum omnium pænitentium & impænitentium Redemptore, adversùs Rigoristas, homines à sacro Tribunali retrahentes.* Leodii, anno 1683. quod opus idem utrumque Gallicè ibidem edi curavit; & citatur in dictâ *Bibliothecâ Tellerianâ, pag.* 50. *num.* 778. *& pag.* 90. *num.* 1641. *& seqq.*

Vitam & Apologiam Caroli ab Assumptione dedit Martialis à Joanne Baptistâ in *sua Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 66—71. Censuram à contrario ejus *Pentalogi Diaphorici* multoties tulit Henricus à S. Ignatio *tomo* 3. *Ethicæ amoris, lib.* 5. *capp.* 13. 42. 91. 97. *&c.* Daniel autem à Virgine Maria Carolum nostrum citat, & opera ejus *tomo* 2. *Specul. Carmelit. pag.* 1128. *num.* 3962. Dupinus in *Tabula universali Scriptorum, pag.* 2634.

XVII.

CAROLUS A S. BENEDICTO, Provinciæ Franciæ Carmelita, S. Theologiæ Professor, in majori Parisiensis Cœnobio jure filiationis addictus, edidit Gallico idiomate,

Examen de conscience très-abrégé, pour faciliter la memoire du pénitent dans la recherche de ses fautes: ou moyen facile pour connoître l'état de sa conscience, &c. Id est Latinè: *Examen conscientiæ valdè compendiosum ad levandam pænitentis memoriam, in inquisitione suarum culparum: seu modum facilem cognoscendi statum suæ conscientiæ.* Parisiis, *in*-12. apud Nicolaum Simart, 1720.

XVIII.

CAROLUS DU BOYS, Gallus, natione & professione Carmelitanâ *Parisinus*, à primæ ætatis tyrocinio adolescens vias Domini duras terere, & jugum Domini ferre assuefactus, pietatem ac regularem vitam unà cum bonis litteris, indissolubili quodam vinculo semper connectere sibi proposuit. *Burdigalæ*, annuentibus Superioribus, gradus Theologicos accepit. Ita lauteà decoratus Magisteriali Nannetas appulit, ubi curam Noviriorum gessit. *Parisios* posteà vocatus, Collegium Maubertinum sancto regimine, corde submissus, dulcis sermone, fervens charitate, in consilio prudens, annos circiter quinque suprà viginti gubernavit, & onus Prioris tulit.

Incredibili erga sanctissimam Dei Matrem devotione fervens, ultra quotidianum horarum Canonicarum pensum, parvum B. *Virginis* Officium cum *Corona* singulis diebus recitabat. Nunquam Matutinis, quæ mediâ nocte in dicto Conventu ab initio devotè cantari aut recitari solent, horis abfuit, nisi gravi infirmitate quâdam premeretur, quam ex diuturna scribendi assiduitate sedendo contraxerat. Nam extra quotidianum in choro diu noctuque cantandi atque psallendi morem, semper aut studuit, aut Ecclesiasticos libros scripsit. Quippè qui *Ecclesiasticum Cantum* multipliciter vitiatum, & Bibliopolarum incuriâ depravatum, diligentiâ sua *emendavit.* Demùm Christo militans, in tenuitate ciborum, in asperitate vestium, & in vigiliarum excubiis, tandem bonam vitam sancto fine conclusit in Regio majore Carmelo *Parisiensi*, anno salutis Christianæ 1624. teste Cyrillo Penneclt Aremorico Carmelitâ in *suo Gymnasio Carmelitano Ms. post annum* 1624. Cui multùm accinit Leo à S. Joanne in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis, Cap.* 5. *pag.* 31.

XIX.

CAROLUS CAPORALE, Neapolitanus Carmelita, S. Theologiæ Magister & Doctor, necnon Prior olim S. Mariæ Transpontinæ de urbe, publico juri fecit opus inscriptum iconologicum, *Series & Effigies omnium Generalium Latinorum Ordinis Carmelitarum.* Romæ, anno 1718. *in-8°.* prout scribit Elias de Amato in Schedis Mss. ad nos è Monte Altino Aureliam missis anno 1747.

XX.

CAROLUS A S. CATHARINA, Provinciæ Turoniæ Carmelita, sacræ Theologiæ Professor, in controversiis planè versatus, Prior Vivonensis in Diœcesi Pictaviensi obiit anno 1689. die 14. Novembris: quo quidem anno edidit Gallico sermone librum, cui titulus est:

Traité des propriétés de l'Ecriture en faveur des nouveaux convertis, & de ceux qui aiment les saintes lettres. Id est Latinè: *Tractatus de proprietatibus sacræ Scripturæ, in gratiam hominum ab errorum caligine ad fidei recens revocatorum, & eorum quos sacræ litteræ delectant.* Pictavii, apud Joannem Fleureau 1689. *in-8°.*

XXI.

CAROLUS DE BONONIA, Italus Carmelita, ante annum 1420. celeberrimus: quippè qui ordinatus est Lector sententiarum Bononiensis Conventûs pro primo anno in Capitulo Generali Brixiensi anno 1387. celebrato. Deinde in Capitulo Generali Placentino anno 1396. & in Bononiensi anno 1405. Provincialis Bononiæ designatur. In Capitulo Silvarum anno 1399. Deffinitor ejusdem Provinciæ dicitur. In Capitulo vero Bononiensi anno 1411. Deffinitor & Provincialis ejusdem Provinciæ. Ac tandem in Capitulo Balneolarum anno 1416. solùm Provincialis Bononiæ scribitur; posteà, nulla de ipso memoria in *Libro Ordinis Carmelitani Ms.* invenitur. Scripsit autem:

In libros sententiarum commentaria, quæ Bononiæ dictavit; sicut animadvertit Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 57. post Joannem-Baptistam de Lezana, *tom.* 4. *Annal. ad annum* 1419. *num.* 6. *pag.* 790.

XXII.

CAROLUS CORNACCIOLUS, Mediolanensis Carmelita, parentes habuit *Simonem Cornacciolum* militum Ductorem, atque *An-*

dronicam Mediceam ex Marchionibus *Melegnani* jugales. Neapoli Philosophiam, Mediolani verò Theologiam suis sodalibus tradidit. In hac eadem urbe, Patavii, Florentiæ, Romæ, atque alibi Apostolicum munus non sine ingenti nominis sui fama, atque Christiani populi exercuit. Sacræ Theologiæ Magisterio & Doctoratu decoratus, Cœnobiis Mediolanensi, & Transpontino in urbe præfuit. Provincialis Lombardiæ, atque Generalis Ordinis sui adlectos, amplissimæ dignitati prolusit: nam in Comitiis anno 1716. die 31. Maii celebratis Romæ, summo omnium consensu ad supremum Ordinis Carmelitici moderandum officium eligi meruit.

Mox in Archygimnasio Romano plures annos sacras litteras interpretatus, anno 1726. ad Bobiensis Ecclesiæ Cathedram assumptus fuit à Benedicto XIII. creditumque sibi populum verbo atque exemplo optimè gerere studuit. Diœcesi namque omni vigilanter lustratâ, Synodum habuit, in qua salubribus decretis conditis gliscentes errores compescuit, & plebis clerique mores reformavit. Vir fuit non modicæ eruditionis, quam summa cum pietate conjunxit. Bibliothecam domi habuit selectissimam, quam simul cum ingenti pecuniæ summa ultimis tabulis legata, intulit in Cœnobium S. Mariæ de Monte Carmelo Mediolanense; ubi ejus imaginem ad grati animi significationem ejusdem Monasterii sodales collocarunt. Magna cum sanctitatis fama desideratus est anno 1737. die 17. Januarii. Ejus munificentiam in præfati Mediolanensis Cœnobii Bibliothecæ hac inscriptione foribus præfixa testatam voluere Carmelitæ:

D. O. M.

IN ROMANO ATHENÆO PROFESSOR
LIBRIS ÆDEM, SCIENTIIS LIBROS
PATRIÆ ET ORDINIS PALÆSTRAM
EREXIT, DICAVIT
REVERENDISS. P. M. CORNACCIOLI
GENERALIS EMERITUS
ANNO M. DCC. XXII.

Edidit, 1. *Decreta Synodalia Bobiensis Diœcesis.* Mediolani, per Petr. Antonium Frigerium, 1729. *in-4°.*

2. *Prolusiones de scholastica Theologia*, habitas in Archigymnasio Romano *MSS.* apud suos.

3. *Epistolas varias*, quarum una Capitulum Provinciale Provinciæ Turoniæ die 23. Aprilis 1717. Turonibus celebratum confirmat: sed inter alias admonitiones præcipit & jubet ut in quibuscunque & singulis in posterum celebrandis Comitiis Provincialibus nominentur tres Religiosi graves & periti, qui promovendos ad verbi divini prædicationem, ad confessiones excipiendas, ad legendum & docendum in dicta Provincia, aut ad quoscunque Ordines sacros vel minores suscipiendos, priusquam ad ejusmodi ministeria admittantur, simul examinent, tum quoad doctrinam, tum quoad mores, conformiter ad mandatum fel. record. Clementis VIII. & constitutionum reformatarum præscriptum, parte 3. cap. 8. §. 1.

Neque omittenda est Epistola altera, Romæ data die 6. Decembris 1718. quâ omnibus & singulis suis Religiosis subditis præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, quatenus in unum congregati Pontificiam Constitutionem *Unigenitus*, per publicum actum simpliciter & puro corde, nullis penitùs conditionibus aut tergiversationibus admixtis; cum omnibus & singulis in ea contentis integrè acceptent; illique & illis submissè & cæcis oculis in omnibus & per omnia pareant & obtemperent; statim mittentes ad ipsam Reverendiss. Paternitatem, hujus acceptationis & paritionis authenthicum & irrefragabile testimonium.

Laudatus est Carolus Cornacciolus in *funebri Oratione* de illo habita Italica ab Antonio Francisco Abannio, Cathedralis Bobiensis Ecclesiæ Canonico Theologo: atque in altera Latina à Joachimo Maria Ponzalti, ad publicam Parentationem in Mediolanensi urbe celebratam: utraque autem Oratio prodiit Mediolani, typis Petri Antonii Frigerii, 1737. *in-4°.* Laudatur insuper à Philippo Argelati in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 475. *num.* 632.

XXIII.

CAROLUS MARIA GATTUS, natione Italus, Provinciâ Longobardus, patriâ Mantuanus, & Mantuanæ Congregationis alumnus; Lutetiam Parisiorum missus, studiis Philosophiæ tantam & Theologiæ percorrendis operam navavit, ut in Regio Maubertino Collegio Lector evaserit, Primariusque Professor, & inter Sorbonicos Theologos lauream Doctoralem promeruerit. In patriam reversus, studiorum Regens sæpiùs fuit, & Prior. Anno 1688. Procurator Generalis in Curiam Romanam deputatus, & anno 1694. die 3. mensis Maii ad suæ præfecturam Congregationis promotus fuit, vir ob ipsius doctrinam, & sapientiam summoperè Sereniss. Ferdinando Carolo Gonzagæ gratus. Tandem variis agitatus ærumnis, an. 1710. die 28. Januarii cessit è vita. Reliquit post se,

Volumen manuscriptum insigne *de rebus dogmaticis*; teste Carolo Vagho in Commentariis Congregationis Mantuanæ, pagg. 182. 184. & 212.

XXIV.

CAROLUS MARIANUS A S. MICHAELE, Mediolanensis, nomen MICHAELIS BEBULCI in fonte Baptismatis accepit die 5. Februarii anno 1644. natus, Carmelit. Excalceatorum habitum induit die 5. Martii an. 1662. tantâ pietate præditus, tot virtutibus excultus evasit, ut ipsius religio suas omnes præcipuas dignitates ipsi donaverit. Fuit nempe Prior, Definitor, atque Provincialis Vicarius, & non tantummodò suis, sed etiam Eminentissimo Cardinali *Resso*, aliisque Principibus summoperè carus extitit. Is filius *Caroli* & *Isabellæ* conjugum in Insula Melitensi, in urbe Cremona, atque in patria munus sancti Officii Consultoris summa cum laude sustinuit; atque ejus vota à viris doctis magnâ existimatione accepta semper fuerunt, uti doctrinis Theologicis & Ecclesiasticâ eruditione referta. Obiit Theologus Serenissimi Ducis Parmæ & Placentiæ *Francisci primi*, necnon Vicarius Provincialis sui Ordinis atque Consultor S. Officii perpetuus & ubique, ex diplomate Pontificio, cùm annos ageret 75. die 14. Octobris 1719. Scripta ejus:

Orazioni sacre da lui dette in vari Luoghi. Piacenzo, per Leandro Bazachi, 1702. *in-12.*

2. *Panegirici sacri del M. Rev. Padre Fr. Carolo Mariano di S. Michaele Carmelitano Salzo, della Provincia di Lombardia, Lettore di S. Theologia, è Consultore S. Officii in Malta.* Palermo, per l'Adamo, 1694. *in-8°.*

Hæc leguntur in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium* edita anno 1745. *in-folio*, duos in tomos distributa, per Philippum Argelatum Bononiensem, *pag.* 132. *num.* 183. & *pag.* 1948.

C.

XXV.

CAROLUS PHILIBERTUS BARBERIUS, natione Pedemontanus, *Jaannis-Antonii Barberis* Taurinensis Medici celeberrimi, anno 1668. die 7. Januarii defuncti nepos, Carmelita scientiâ, & mansuetudine præstantissimus, Romam vocatus, sacræ Theologiæ Magister, publicus in Collegio sapientiæ Lector, in Priorem Generalem ad Comitia Generalia in eadem urbe celebrata anno 1698. gratulante Innocentio XII. summo Pontifice fuit electus. Quo assistente idem Romanus Pontifex litteris Apostolicis perpetuum imposuit silentium soper primæva institutione Ordinis Carmelitarum, illiusque successione à sanctis Prophetis Elia & Elisæo: de qua controversiam, instante Sereniss. Carolo IV. Hispaniarum Rege Catholico, jam avocaverat dictus Pontifex ad Sedem Apostolicam, anno 1696. die 17. Junii.

Verùm hæc Innocentii XII. Bulla revocata est à Benedicto XIII. anno 1725. statuam Eliæ Prophetæ in Basilica S. Petri Romæ inter alios Ordinum Religiosorum Fundatores & Patriarchas erigi permittente, cum inscripto propria ipsius Pontificis Maximi manu isto titulo: *Sancto Eliæ Fundatori* suo Religio Carmelitarum erexit. Nam, ut scribebat eodem anno 1725. Reverendissimus Pater Eliseus Monsignanus (nam titulo *Reverendissimi* cohonestavit idem Benedictus XIII. hunc Patrem totius Ordinis sui Carmelitani Procuratorem secundo Generalem) in Epistola encyclica ad omnes Priores suos Provinciales, *Tempus advenit quo nobis etiam tacentibus* Carmelitis, *marmor loquetur & dicet Eliam Prophetam esse nostrum Patrem & Fundatorem.*

Anno 1699. noster Barberius religiosæ tranquillitati opportunum judicavit, si alternativa electionum & officiorum in Provincia Portugalliæ statueretur; quam & Apostolico Diplomate muniri curavit. Effecit etiam ut exemptiones Magistris, Lectoribus & studentibus concessæ & concedendæ contrà Constitutionis Ordinis formam, vel contrà Ordinationes Apostolicas nullatenùs sustinerentur imposterùm aut valerent, juxta Decretum Congregationis Regularium negotiis & consultationibus præpositæ, die 18. Martii, anno 1700. datum. Pro vitandis etiam expensis, quæ Provinciam Romandiolæ, & Marchiæ Anconitanæ onerassent, simulque pro levandis nonnullis incommodis & dissensionibus, quæ in celebratione hujusmodi Capituli, maximè propter nonnullas difficultates circa personas eligentium incurrentes, oriri potuissent, apud Clementem XI. egit, ut suâ auctoritate Apostolicâ ipse summus Pontifex institueret Provincialem ac Definitores hujus Provinciæ; sicuti reipsâ instituit per Apostolicas Literas die 23. Martii, anno 1701. Romæ datas.

Eâdem auctoritate munitus R. P. Josephum *Van Eycke*, Carmelitam Provinciæ Flandro-Belgicæ alumnum, Doctorem Theologum, Seren. Electoris Palatini supremum ab eleemosinis & sanctioribus Consiliis, instituit Barberius, & declaravit Generalem suum, Commissarium omnium totius Ordinis Carmelitici Missionum, quæ fiunt in Anglia, Hybernia, Scotia, Batavia, Brasilia, Nova-Francia, finitimisque Regnis Americæ, per Literas Romæ datas die 17. Decembris 1701. quas & summus Pontifex confirmavit anno sequenti 1702. die 14. Januarii. Ab eodem Papâ requisivit Barberius, imò & statuente Eminentiss. Cardinali Josepho Sacripante, obtinuit ut erectio Confraternitatem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo spectaret ad Superiores Generales Ordinis. Comitiis Generalibus Romæ congregatis anno 1704. successorem habuit Angelum de Cambolas Tolosanum, qui per duodecim annos jam agebat Procoratorem Generalem: ipse verò Barberius Lectoris munus in Collegio Sapientiæ posteà exercere pergens, diem extremum obiit Romæ anno 1722.

XXVI.

CAROLUS-PHILIBERTUS BARBERIUS, *Raconisii*, sub Diœcesi Taurinensi in lucem editus anno 1652. inter Carmelitas die 4. Martii ascitus anno 1668. in patrio Cœnobio, quod anno 1487. fundatum est: sacræ Theologiæ Magister, & totius in Generalem Priorem Ordinis Carmelitarom electus Romæ die 17. Maii, anno 1698. & anno 1722. defonctus, præter innumera monumenta inedita, typis mandavit *Orationem præambulam ad primam Lectionem Metaphysices*, in Archigymnasio Romano Sapientiæ habitam. Romæ, 1689. apud Dom. Anton. Herculanum.

Scripsit *varios Theologiæ Tractatus.*

Scripsit etiam *multiplices Libellos supplices ad summum Pontificem*, quorum mentio habetur in Bullarii Carmelitarum tomo 2. *pag.* 677. *& seqq.*

Scripsit quoque *plurimas Epistolas*, quarum unâ die 7. Julii 1699. ad Patres Carmelitas Provinciæ Turoniæ datâ jubet ut deleatur verbum, *confirmavit*, à Commissario usurpatum in actis Capituli Provincialis Aureliis celebrati die 15. Maii ejusdem anni, electionem Prioris Provincialis declarante. In eadem Epistola monet R. P. Barnabam Provincialem à Definitoribus consultum verbo vel scripto ut referat quâ lege vel consuetudine, minorum Conventuum Priores assumi non possint ad majoris Conventûs Prioratum, quando fortuitò vacat.

Altera Epistola ineunte anno 1700. dirigitur ad omnes Priores Provinciales sibi subditos, qui instruuntur, ut moneant quoscunque singulorum Conventuum Priores & Religiosos ad colligenda Monumenta viros suæ respectivè Provinciæ illustres spectantia, quæ mittantur ad R. P. *Andream à S. Nicolao.* Quâ occasione in Provincia Turoniæ R. A. P. *Barnabas à S. Mathurino* Provincialis jam nominatus elegit R. P. *Columbanum à Nostra Domina de Monte Carmelo* ad collectionem redigendam.

De illo mentionem habent Carolus Vaghi Carmelita in suo *Commentario fratrum & sororum illustrium Cangregationis Mantuanæ:* Elias de Amato Montaltinus Carmelita in *Schedis Mss.* datis an. 1747. & 1748. R. P. Timotheus Bergerot Assistens Generalis Carmelitarum, in *Schedis Mss.* ad nos Româ Aureliam missis anno 1748.

XXVII.

CAROLUS SERNICOLA in Carmelo Majori Neapolitano religioni nomen dedit die septimâ Aprilis 1674. sacræ Theologiæ Magister & Doctor & Decanus, atque Sereniss. Cardinalis Medices Theologus, fuit præfati Carmeli Majoris Prior, Provincialisque Bohemiæ & Terræ sanctæ: obiit autem Neapoli die 27. Augusti, an. 1721. *vir sui ævi*, inquit Andreas Gargli, *eloquentia, & eruditionis laude commendatissimus, cujus sermone Italo omnia Opera sunt concinnata: in iis etenim oris nitorem non exiguum animadvertere est.* Sic autem inscribuntur, quæ Italico idiomate elaboravit.

1. *Panegyres duæ*, quarum prima Neapoli an. 1705. altera ibidem, anno 1714. prodiit.

2. *Libri duo sacrarum Concionum.* Alter quidem earum quæ inscribuntur ad Principes, seu *Politiche sacre*: erat enim Regius Concionator. Neapoli, an. 1710. Alter de *Adventu.* Neapoli, 1712. apud Raillard.

C.

3. *Oratio funebris in obitu Mariæ Reginæ Hispaniarum.* Neapoli, typis Paci, anno 1697.

4. *Panegyris de Beato Franco Senensi Carmelita.* Florentiæ, an. 1686. apud Vincentium Vergal.

5. *Variæ Poëseos libri X.* singulatim editi, & proceribus Italis nuncupati.

Ita refert R. P. Andreas Gargsi in Schedis MSS. ad nos missis anno 1747. Nec non partim R. P. Elias de Amato in aliis Schedis MSS. anno 1748. datis. *At humaniores disciplinæ*, inquit Gargsi, *tunc temporis depravato hominum gustu satis corruptæ censentur. Hinc multa videre est in nostro Carolo, quæ modò politioris litteraturæ cultores jure merito dedignentur. In multis excolendis fuit uberrimus, non itidem summi judicii vir & emunctæ naris.*

XXVIII.

CAROLUS TAURUS, Neapolitanus, Carmelita, sacræ Theologiæ Lector, scripsit suâ vulgari Linguâ circa annum 1652. *de tumultibus Neapolitanis Relationem*, quam Ludovicus Jacob vidit Ms. apud Auctorem, & in Bibliotheca Harlæana Parisina; ut asserit idem Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 57.

XXIX.

CASILDA A S. ANGELO, natione Hispana, patriâ Burgensis, filia magnæ & sanctæ illius fœminæ Catharinæ de Tolosa, quæ Burgensis Cœnobii Carmelitarum Teresianarum fundatrix fuit, & huic Religioni duos filios & quinque filias, ac demùm seipsam dedit *Palentiæ*, habitum Religionis assumendo, ubi rarâ sanctitate vixit & devixit. Casilda autem virgo coram Deo & hominibus, omnibus Angelicis decorata virtutibus, vitæ sanctimoniâ, prophetiæ spiritu, innumeris revelationibus, ac Christi & Sanctorum apparitionibus illustris, scripsit circa annum 1592.

De gratiis ac revelationibus sibi à Deo exhibitis volumen integrum Ms.

Agunt de illa virgine Casilda S. Teresia *Libro fundationum, cap.* 30. eadem Sancta, epist. 12. Joannes Palafox in *Notis ad eamdem epistolam*: Franciscus à S. Maria, *tom.* 1. *Historiæ Congregat. Hispanicæ, lib.* 2. *cap.* 17. & 18. ibidem, *lib.* 5. *cap.* 16. Hieronymus à S. Joseph in *Annal. Congregationis Hispanicæ, &c.* Teresia à Jesu de Vela in suis *Revelationibus*, quibus usus est in ejus *vita* Michaël Baptista de la Nuza, &c.

XXX.

CASIMIRUS A S. DOMINICO, Tranensis, Carmelita Discalceatus, vir litteris humanioribus valdè peritus, Neapoli suis Concionibus celeberrimus, bis Prior Neapolitanus & Melitensis, Visitator Siciliæ, obiit *Manzaræ* quam actu visitabat, anno 1670. Edidit,

1. *Un Ottavario di sermoni Panegirici, & della Concettione.*

2. *De Lingua Latina*, 1. vol. Latinè.

3. *Tota Filosofia in verso.*

Hæc refert Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana, pag.* 61.

XXXI.

CASIMIRUS A
Carmelita Excalceatus, Conventûs Huiensis in pago Leodiensi Cœnobita edidit Gallicè Librum cui titulum apposuit:

Collatio elocutionum Scripturæ sacræ, Conciliorum sanctorum Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, maximè S. Francisci Salesii, cum verbis Quesnelli, & 101. ejus propositionibus, per Bullam Unigenitus, &c. *damnatis.* Accedit ejusdem S. Francisci *Salesii instructio de modo concionandi, ad meliorem stylum redacta.* Leodii, apud Bronckartium, anno 1720. *in-12.*

Præmittitur huic Operi Epistola illustriss. Dom. *Joannis-Joseph Languet* tum Suessionensis Episcopi, posteà scilicet an. 1730. Senonensis Archiepiscopi: quâ & illud commendat, & ex eo se pro suis elucubrationibus aliquam utilitatem percepturum asserit; sicuti notat Martialis à S. Joanne Baptista in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 71.

XXXII.

CASSIANUS A SANCTO ELIA, Mediolanensis, in seculo CASSIANUS PARAVICINUS nuncupatus, tertio ætatis lustro emenso, Institutum Carmelitarum Excalceatorum suscepit, jam eloquentiæ præceptis imbutus: ideò emissâ solemni professione, Philosophiam atque Theologiam auditurus Bononiæ, Ludovico-Mariæ Agudio, viro eruditissimo traditur circa annum 1649. Eo Doctore cum non modicum profecisset, Romam ad sui Ordinis Seminarium missus fuit, ut exoticas linguas, & eam quæ ad dogmata pertinet, sacræ Facultatis partem perciperet. Addixerat se Cassianus emisso voto ad sacras Missiones, in hæretica labe infectis regionibus habendas; & eam ob causam Majorum Decretis paratiorem se exhibiturus, operæ pretium existimavit his disciplinis, quæ ad rem ipsam apprimè faciunt, animum excolere.

Jamque *Insubriam* revisere meditabatur, cum in itinere Generalis præpositi sui Literæ ei redduntur, jubentis ut in Florentino Cœnobio speculativas scientias auditoribus prælegeret. Verùm cognita ejus in sacris concionibus habendis peritie, ad apostolicum ministerium *Venetiis* primùm, tum in aliis Italicis Urbibus multos per annos verbum Domini, non sine ingenti plausu atque profectu Christianæ Religionis, populis annuntiavit circa annum 1670. quando scribente Picinello, per bina jam lustra Concionatoris officio functus fuerat; & inter celeberrimos sui Ordinis Oratores computabatur, frequentesque ad eum audiendum S. R. E. Cardinales, Principes & Proceres conveniebant. Post se reliquit hæc eruditionis suæ monumenta Italicè MSS. & unum Latinum Ms.

1. *Theologia prædicabilis de Trinitate ad usum Concionatorum.*

2. *Rassegna delle virtu, è de vizi, per ordine alphabetico citati, &c.*

3. *L'anima inferma curata, & instauata.* Hoc opus primum est Auctoris Quadragesimale.

4. *Il corpo umano con filosofia considerato.*

5. *Il tempo eternato dell'animâ. Opera spirituale.*

Hæc omnia apud Auctorem ipsum MSS. prelo parata esse, testis Philippus Picinellus, in *Athenæa virorum litteratorum Mediolanensium, pag.* 132. & *seqq.* sicuti refert Philippus Argelati in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, pag.* 1039. *num.* 1236.

Magnopere sub dubio utrum distinguendus sit ab altero Mediolanensi Carmelita Discalceato, qui in seculo dicebatur *Joannes-Baptista Palavicinus*, & in Claustro *Cassianus à S. Elia*, cujus opera referuntur in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag. 71. 72. Quin & ipse Argelatus in Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, pag. 1022. num. 1221.

inter opera utriusque Cassiani recenset *Il tempo eternato dell' Anima.*

XXIII.

CATHARINA DE CARDONA, Neapolitana, ex Ducibus Cardonæ, anno salutis 1519. orta, Infantium Hispaniæ Moderatrix, lucidissimum Pœnitentiæ speculum, & immortale Congregationis Teresianæ decus, sanctissimorum Anachoretarum perfectissima imitatrix, decessit sanctissimè in habitu Carmelitarum Excalceatorum, in Eremo Rodæ propè illorum Monasterium anno Christi 1577. die 11. Maii, Miraculis clara, præsentibus Carmelitis Discalceatis, die 8. Ascensionis Domini. Scripsit,

Epistolas quàm plurimas ad S. Teresiam, Joannem Austriacum Caroli V. Cæsaris Nothum, aliosque Magnates Curiæ Hispaniæ.

Illam Catharinam laudibus extollunt S. Teresia *Libro fundationum, cap.* 27. Franciscus à S. Maria *tom.* 1. *Histor. Reformationis Teresianæ lib.* 1. *cap.* 10. & 40. Ibidem *lib.* 3. *cap.* 56. Ibidem *lib.* 4. *cap.* 1. Hieronymus à S. Joseph in *Annalibus ejusdem Congregationis.* Philippus à SS. Trinitate *lib.* 7. *Compendii Historiæ Carmelitanæ cap.* 15. Idem in *Decore Carmeli parte* 2. *pag.* 15. Ludovicus à S. Teresia in *Successione Eliæ cap.* 273. *pag.* 626. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 57. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Spec. Carmel. pag.* 1061. *num.* 3676.

XXIV.

CATHARINA A CHRISTO, *Madrigali* nata in Castella veteri anno 1545. die 28. Octobris, parentibus Christophoro *de Balmaseda* consanguineo *S. Teresiæ*, & Joannâ *de Bustamante.* Decimo ætatis anno divinitùs illustrata, votum Castitatis emisit. Post mortem piorum Parentum, cœpit anno Domini 1571. de Statu Religionis assumendo cogitare, & die 6. Octobris Carmelitana Discalceata *Metyninæ* Campi, sub S. Teresia facta est. Emissâ Professione, ad omnia obedientiæ munia fuit parata; *S. Teresia* in fundatione *Soriæ* anno 1581. sociata, ac ibidem prima Virginum illius Instituti Monialium Superior: posteà Monasteriorum Pompeiopolitani & Barcinonensis Fundatrix & Superior. Quo in officio *Barcinone*, maxima cum Sanctitatis fama in Domino obdormivit anno salutis 1594. die 3. Januarii. Scripsit,

Epistolas nonnullas, quibus respondet S. Teresia, præsertim per Epistolas 62. & 63. cum notis Illustrissimi Dom. Joannis de Palafox.

Catharinam à Christo *de Balsameda* laudant Michael-Baptista de Lanuza *Lib.* 1. *Vitæ Isabellæ à S. Dominico cap.* 9. Joannes Caramuel in *Vita Dominici à Jesu Maria.* Franciscus à S. Maria *tom.* 1. & 2. *Historiæ Reformationis Sanctæ Teresiæ:* Philippus à SS. Trinitate *lib.* 3. *Vitæ Dominici à Jesu Maria*, *cap.* 7. Idem in *Decore Carmeli Religiosi*, *parte* 2. *pag.* 50. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 57. *Spec. Carmel. pag.* 1062. *num.* 3678.

XXV.

CATHARINA A CHRISTO, natione Hispana, nata in oppido *de Villa-Castin*, in Tractu Abulensi: in ea civitate Teresianis Monialibus adscripta anno 1593. omni virtutum genere florescens, ibidem sanctissimè obiit anno 1646. die 19. Decembris. Scripsit,

Opusculum Hispanè inscriptum: *Christi Locutiones;* quæ Mſſ. asservantur in Abulensi Cœnobio.

De Catharina à Christo ista loquitur Franciscus à S. Maria *tom. Annalium Congregationis Hispanicæ lib.* 4. *cap.* 23. Ibidem *lib.* 6. *cap.* 20. Michael-Baptista de Lanuza *lib.* 1. *Vitæ Isabella à S. Dominico cap.* 20. Ibidem *lib.* 3. *cap.* 3. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 57. Martialis a S. Joanne-Baptista in *Biblioth. Carmel. Excalceat. pag.* 72.

XXVI.

CATHARINA A JESU, natione Hispana, in oppido *de Veas* die 24. Februarii, anno 1540. nata, patrem habuit nobilissimum virum *Sanchez Rodericum de Sandoval*, nec minùs illustrem matrem *Catharinam Godinez.* Suis sumptibus Cœnobium Carmelitis Excalceatis extrui curavit in oppido *Veas* anno 1575. in quod ipsa ingressa, Institutum idem amplexa est. Posteà missa ad Granatensis Conventûs fundationem, à V. Anna à Jesu in ejus Priorissa locum substituta est, quamvis totis viribus obstaret. Jussu S. Theresiæ sibi apparentis, fundato Conventu in oppido Sabiore, rediens Veasium, obiit anno 1586. die 24. Februarii. Scripsit,

1. *Monita* ad R. P. Hieronymum à Matre Dei, à S. Teresia post mortem data contra Revelationes divinas. Gallicè prodierunt ad Calcem Epistolarum S. Teresiæ *pag.* 687. Bruxellis *in* 8°.

2. *De Revelationibus sibi cœlitùs factis*, mediante S. Teresiâ, *sui Ordinis Reformationem concernentibus Relationem.* Ibidem *pag.* 727. & *seqq.*

De Catharina à Jesu legendi sunt fusiùs S. Teresia *Lib. fundationum cap.* 21. & 51. Joannes de Palafox, in *Notis super illa monita loco citoto pag.* 691. 692. Scriptores *Vitæ S. Teresiæ*, scilicet Didacus Jepex, Franciscus Ribera, Joannes à Jesu Maria. Præterea Hieronymus à S. Joseph in *Vita S. Joannis à Cruce.* Franciscus à S. Maria *tom.* 1. *Historiæ Congregationis Hispanicæ lib.* 1. *cap.* 1. Ibidem *lib.* 3. *cap.* 32. 33. 34. Ibidem *lib.* 5. *cap.* 11. 27. 28. Ibidem *lib.* 6. *cap.* 16. 44. 46. Ibidem *lib.* 7. *à cap.* 13. *ad* 33. Philippus à SS. Trinitate in *Decore Carmeli*, *parte* 2. *pag.* 36. in 4°. Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Eliæ cap.* 263. *pag.* 603. & *cap.* 277. *pag.* 637. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 58. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 72. 76. ubi notat quod hæc Catharina *suam* ipsamet *Vitam* scripserit, S. Teresiæ tunc defunctæ & Superiorum præcepto, quâ præfatus Philippus usus est.

XXVII.

CATHARINA A JESU, natione Aquitana, Burdigalæ nata die 5. Aprilis, anno 1589. patre *Carolo de Nicolas*, divite ac pio mercatore, in sæculo appellari *Rosa Lequen* solita, à teneris ungulis sic orationi fuit dedita, ut decennis sæpissime in Ecclesiis, oculis ad Christi crucifixi imaginem elevatis, quinque horarum spatio genuflexa, permaneret immobilis. Tandem Parisios missa, Monasterium Monialium Teresianarum, anno 1608. die 4. Augusti, ingressa, tam salutares & uberes in omni virtutum genere progressus fecit, ut magnum omnibus Consodalibus suis Virginibus extiterit exemplum. Migravit in Cœlum Parisiis, anno 1629. die 19. Februarii, in Monasterio *Matris Dei:* sed ejus Corpus delatum & hu-

matum fuit in Cœnobium *Incarnationis* in suburbio *S. Jacobi.* Scripsit sub vulgari idiomate Gallico,

Epistolas nonnullas; quas in lucem emisit Eminentiss. Petrus Cardinalis Berullus unà cum ejus Vita, quam composuit Venerab. Mater Magdalena à S. Joseph, testis oculata. Parisiis 1624. 1626. 1628. *in* 8°: cujus ad Calcem extant dictæ *Epistolæ*, numero *quinquaginta*, cum *aliis piis opusculis*, *à pagina* 179.

De Catharina à Jesu istius laudibus agunt præter Magdalenam à S. Joseph, Andreas du Sanssay, in *Martyrologio Gallicano*: Hilarion de Coste, in *ejus elogio*: Ludovicus Doni d'Attichi, Episcopus Æduensis, in *Vita Petri Cardinalis Brullii*: Germanus Habertus, in *Vita ejusdem*: Jacobus Amelot, in *Vita soror. Margaritæ à SS. Sacramento*, *lib.* 9. *cap.* 4. Arturus a Monasterio, in *Martyrologio fœmineo*: Joannes-Baptista Senault, in *Vita Ven. M. Magdalenæ à S. Joseph*: Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, *parte* 3. *pag.* 49. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 58. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 76. Jacobus le Long, in *Bibliotheca Historica Franciæ*, *pag.* 291. *num.* 6305.

XXVIII.

CELEDONIUS seu CHELEDONIUS, aliàs ZELIDONIUS A SANCTIS, Carmelitarum in Provincia veteris Castellæ Moderator, sacræ Theologiæ Professor, ac sancti Officii Consultor, tam in divinis, quàm in humanis egregiè doctus, suâ ætate apud Hispanos in prædicando, docendo, scribendo celeberrimus, *Opera Christophori de Avendanno* Typis cudi Vallisoleti permisit, inquit *Cyrillus Pennect* in suo *Gymnasio Carmelitico*; ubi sic prosequitur: » Multa quidem de » hoc illustri Doctore à me scribenda essent, & » quoad Institutum nostrum attinet, de litterariis » suis monimentis elegantes exaratis; sed nescio » an adhuc in Hispania in lucem prodierint. Vi» vebat anno 1628. quo *Theologica Opera* præ» stantissimi Doctoris *Petri Comejo* Salmanticensis, » in Carmelo Pinciano prælo mandavit Joannes » Varesius Typographus. « Quæ *Cyrilli* verba significant solummodo quod noster *Celedonius à Sanctis* approbationem suam Vallisoleti dederit nonnullis *Operibus Christophori de Avendanno.* Vid. infer. *tom.* 1.

XXIX.

CHERUBINUS FERRARIUS, Mediolanensis, in Carmelitarum Congregationis Mantuanæ societate adscitus, miram ingenii perspicuitatem præ se præbuit; nam linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ peritus, Philosophicam & Theologicam disciplinas, in quibus lauream Magistralem & Doctoralem promeruit, apprimè calluit. Oratoriam quoque ac Poeticam facultatem plurimùm incoluit. Apud *S. Carolum Borromæum* tanti fuit, ut cùm aliquandò in Cœnobio *S. Joannis*, cui cognomen *ad Concham* in Urbe Mediolanensi, cibum sumpturus recumberet, *Ferrarium* concionantem è triclinii suggestu audire voluerit.

Serenissimi Mantuani Ducis *Guillelmi* Theologus electus Ferrarius, in Aula ejusdem Principis magna cum existimatione versatus est; omnibus enim animi doribus mores addebat homine verè religioso dignos. Concionatoris munus in multis Italiæ Urbibus adeò præclarè gessit, ut ad idem officium in Apostolico Palatio assumeretur. Contractas Priscorum siglas passim in Nummis, veteribusque Codicibus ac Marmoribus occurrentes, in queis explicandis Ædipo nonnunquam opus est, diligenti investigatione scrutatus fuerat; ideòque ad Ipsum persæpè, tanquam ad Oraculum, declaranda hujusce modi Monumenta deferebantur. Præstantissimus hic Religiosus obiit circa annum 1625. Scripsit plura,

1. *Orazione in lode della Città di Bologna.* Ivi; (seu in eadem Urbe) 1594. in-4°.

2. *Predica sopra le parole del Evangeli*: Memento, homo, quia cinis es: *detta Nella Cattedrale di Bologna.* Ibidem 1599. in-4°.

3. *Orazione in lode di S. Cecilia Vergine e Martire.* Milano, 1599. in-4°.

4. *Orazione nelle nozze di D. N. Ode calchi e D. Angela Marliana.* Ibidem 1619. in-4°.

5. *Orazione nella nascità del Prencipe Francesco Gonzaga.* Ibidem 1611. in-4°.

6. *Lagrime dell'Insubria nel compassione vol caso avvenuto al sign. Marchese Dom. Ottavio Gonzaga sotto l'assedio di Vercelli.* Orazione. Ibidem per il Malatesta, 1617. in-4°.

7. *Orazione avata in Bologna nell Capitulo della sua Religione.* Ivi, seu ibid. 1598. in-4°.

8. *Orazione in lode della Nuova elezione del suo Vicario Generale.* Ibidem 1599. in-4°.

9°. *Predica nella quale con ragioni, autorita, ed esempi si mostra, che giusta, e santa e l'impressa di cacciar gli Eretici dalla Valtellina.* Milano, per il Malatesta, 1621. in-4°.

10. *Orazione per la nascità del Primogenito di Mantoa.* Milano, presso il Lantoni, 1611. in-4°.

11. *Orazione per le Nozze di Francesco si liberto Ferrari de Fieschi, e Francesca Grilietta de Prencipi di Masserano.* Milano, 1603. in-4°.

12. *Predica sopra la fede Cristiana, par la quale alcuni soldati abjurarono publicamente la loro Eresia.* Milano, 1619. in-4°.

13. *Lettera Consolatoria alla Prencipessa Orsini.* Milano, 1619. in-4°.

14. *Vita della Beata Groanna de Scopelli fondatrice delle Monache Carmelitane di santa Maria del Popolo nella Città di Reggio di Lombardia.* Milano, per il Malatesta, 1617. in-4°.

15. *Giubilo della Citta di Casale del Monferrato per l'ingresso del vescovo Monsignor Scipione Agnelli*, Casale, 1624. in-4°

16. *Racconto della solennissima Processione fatta in Milano, con l'Imagine della Beata Vergine di S. Gio. in Conca.* Milano, 1614. in-4°.

17. *Istoria della miraclosa statua di Maria Vergine ritrovata in un Campo fuori di Vinovo, terra del Piemonte.* Torino, presso il Pizzamilio, 1614. in-8°.

18. *Relazione dell'Incoronazione dell'Imagine della Beatissima Vergine fatta in Bresciæ.* Ivi.

19. *Fiori delle grazie, e delle belleze di nostra signora di Casale Monferrato. Madrigali XXVI.* Ivi, 1610. ed. in Milano, 1613. in-4°.

20. *Componimenti Poetici sopra diversi bellissimi soggetti, dedicati all'Arcivescovo di Salsburg.* Milano, presso il Ferioli, 1617. in-4°.

21. *Stanze sopra le stigmate di S. Francesco, con l'esposizione del Padre Aurelio Corbinellini Agostiniano.* Casale, presso il Goffi, 1621. in-4°.

22. *Gaudio di Maria Vergine nella Nativita di Cristo, e pianto nella di lui morte: Rime, colla Musica al tre voci.* Milano, 1618. in-4°.

23. *Rime sopra la salutazione Angelica.* Parma, 1624. in-4°

24. *Poesie in lode dell' Orazione del P. Maestro Cornelio Guarguanti, ditta in onore di Santo Girolamo.* Bolognona, 1592. in-4°.

25.° *Elogi della Nobile familia de Borzi.*

26. *L'Allegrezza di Milano. Orazione nella venuta del Excellentissimo sign. Don. Pietro di Toledo Osorio Marchese di Villa Franca, ec Governadore di Milano, dopo l'espulsione degli Eretici della Valtellina.* Milano, per il Malatesta, 1616. in-4°.

27. *Il Trionfo di Milano nella ventura del Eccellentissimo sign. Don. Gornez Suarez, Duca di Feria, ec Governadore di Milano.* Ivi, per lo stesso, 1618. in-4°.

28. *Il Trionfo di Novara nella venuta del Cardinale Ferdinando Taverna vescovo di Novara.* Milano, per il Medesimo, 1616. in-4°.

29. *Lagrime della B. Verg. presso la Croce. Poesie.* Milano, per il Nava, 1623. in-4°.

30. *Devotissime lodi, ed Orazioni da cantarsi, e recitarsi alla Madona sanctissima delle Grazie di Vimercato.* Milano, per il Malatesta, 1625. in-4°.

31. *Quadragesimale compiuto.* Ms. autographus in-4°. magnæ molis, extas apud suos S. Joannis ad Concham in Bibliotheca Mediolanensi.

32. *Expositio in Aristotelis Philosophiam.* Vol. V. in-8°. justæ molis, optimè scripta. Ibidem.

33. *Carmina Italica*, quæ extant in collectione Borgonii, 1599.

Cherubinum Ferrarium commendant Hyppolitus Marraceius in *Bibliotheca Mariana, parte 1. pag.* 274. Ranuccius Picus in *Catalogo Doctor. Jurisconsultor. Academiæ Ferrariensis.* Petrus de Alva sive Petrus à Conceptione, in *Militia immaculata Conceptionis.* Hieronymus Borserius Novocomensis (*natif de Come*) in *Supplemento Nobilitatis Mediolani, Cap.* 12. Milani edito 1619. *in-8°. Italice* apud Bidellum. Joannes-Petrus Crescentius, in *Præsidio Romano, parte 3. Lib. III.* Philippus Picinellus, in *Athenæo Virorum Litteratorum Mediolanensium, pag.* 145. Philippus Argelati, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, pag. 600. num. 762.*

Hi omnes Extranei: sed domestici seu Carmelitæ, Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli.* Ludovicus a S. Teresia, in *Successione Eliæ, Cap. 252. pag.* 578. Franciscus bonæ Spei, in *Visione Eliæ.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 59. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 1072. num.* 3730. Clemens Maria Felina, in *Musæo General. Vicarior. Congregat. Mantuan.* Carolus Vaghus, in *Commentario Fratr. & Soror. Congregationis ejusdem Mantuanæ, pag.* 333.

X X X.

CHERUBINUS A S. JOSEPH, in seculo dictus ALEXANDER DE BORIA, divitibus ac honestissimis parentibus die 5. Augusti anno 1639. ortus est * *Martelli*, urbe non ignobili amplissimi ac nobilissimi Vice-Comitatûs Turenensis ad Lemovicensium & Cadurcorum fines, propè *Duranium*, seu ut vocant, *Dordoniam*, sitâ. Anno ætatis suæ nondum completo 16. Religioni Carmelitarum Excalceatorum nomen dedit *Burdigalæ*, anno 1655. & anno sequenti die 20. Martii Professionem ibidem emisit.

Emenso Philosophiæ ac Theologiæ curriculo, tantùm in iis profecisse Superioribus visus est, ut eas docendi cura ipsi mandata fuerit: sed zelo salutis animarum æstuans, licentiam à Superioribus obtinuit, ut cum R. P. *Angelo à S. Joseph*, suo condiscipulo, in Romanum *S. Pancratii* Seminarium adiret, Operariis Vineæ Domini instituendis destinatum, ubi ætatis suæ anno 22. Sacerdotio initiatus est. Sed cum post aliquod tempus ibi transactum, ob infirmas vires, impar sustinendis Apostolicis laboribus fuisset repertus, suam magno sui mœrore in Provinciam Aquitanicam remissus fuit: ibique pluribus in Conventibus tum Philosophiam, tum Theologiam diu docuit, ut nedum vix ab aliquo superaretur, sed paucos forsan æquales haberet. Antiquæ Philosophiæ minimè contentus angustiis, sic novam ipsemet didicit, et procuratis machinis, nullum ferè genus experientiæ, illi perdiscendæ aut utile, aut commodum omiserit, studens simul Mathematicis disciplinis Opticæ, Dioptricæ, Catoptricæ, Geometriæ, Astronomiæ, aliisque hujus præclaræ scientiæ partibus, in quibus summè delectabatur, & quas nullius aut magisterio aut auxilio comparavit.

Peractis temporibus ad studiosam juventutem in literis erudiendis, à Superioribus præfixis, solitudinis amantissimus, & à Sæcularium conversatione multùm alienus, festivis licet moribus ac optimâ indole præditus, primus *Eremi* apud suos *Aquitaniæ* sodales, Supprior deinde *Cadurcensis* Prior, sæpissimè Definitor Provincialis, ac tandem Prior Provincialis electus est anno 1682. Ad eamdem dignitatem iterùm post aliquot annos assumptus, ac posteà Provinciæ *SS. Trinitatis & Parisiensis* Visitator Generalis, sic Fratrum subditorum gubernationi incumbebat, ut nec libros inspicere videretur: sic Scripturæ sacræ Conciliorum, SS. Patrum, Historiæ Ecclesiasticæ studio vacabat, ut nihil aliud cogitare posse crederetur. Ad ea omnia, ad Hebraicam Linguam perdiscendam, sine ullius subsidio, vastissimum sufficiebat ingenium.

Interim ditissimorum consanguineorum, germani præcipuè Fratris, qui *Figeacense* Seminarium instituit (in quo piissime obiit, ut *ejus Vita typis edita* commonstrat) elargitionibus, libros optimos cujuscumque generis, Superiorum assensu comparavit, evolvit, & ad eam doctrinæ & eruditionis pervenit amplitudinem, quæ tum in editis, tum in manuscriptis ejus operibus splendet. Illud autem & admiratione & imitatione dignum, usque ad octogesimum sextum ferè ætatis annum, in eodem semper indefesso labore versatum fuisse, non solùm absque ullo regularis observantiæ detrimento; sed additis etiam pluribus supererogationis operibus, quorum plenus & dierum bonorum anno 1725. die Paschatis 4. Aprilis cum infirmus, & matutinis horis interesset, nocte surrexisset, gravi correptus infirmitate, receptis Ecclesiæ Sacramentis, piè obiit in Conventu Burdigalensi *S. Mariæ de Salute*, completo Religionis anno septuagesimo.

OPERA EDITA.

Præcipua sunt *Bibliotheca Criticæ Sacræ*, quatuor voluminibus *in-folio* comprehensa, & *Summa Criticæ Sacræ*, novem voluminibus *in-8°.* contenta.

In Bibliotheca Criticæ Sacræ, placita Interpretum tum antiquorum, tum recentiorum in unum corpus sedegit, propriis eorum plerumque verbis utens, ita ut quæ vix alibi dispersa reperiuntur, collecta ibi occurrant circa sacram Scripturam, quibus & proprias adjunxit conjecturas, atque sanum criterium. Promiserat Auctor *duodecim* de eadem materia *Volumina in-fol.* sed dum quintum prælo subjiciendum *Bruxellis* pararet, ea in civitate ab exercitu Fœderatorum occupatâ, quamvis à Ducibus Anglis & Batavis, tanti viri doctrinam & eruditionem suspicien-

* *Martellum*, Gallicè *Martel*.

tibus, benignè & humaniter in ea permanere permissum esset, non sustinuit tamen Regi suo addictissimus, diutiùs immorari. Undè in Provinciam suam Aquitaniam remeans, sequentium voluminum editio, magno Rei Litterariæ damno suspensa est: eumque *Burdigalæ* deessent Typographi, qui aut caracteres Hebraicos haberent, aut in iis edendis satis exercitati essent, nec ætas provecta aliàs transmigrare sineret, aliud Opus ad omnium captum magis accommodatum, titulo *Summa Criticæ Sacræ, &c.* inscriptum edidit, cujus novem volumina *in-8°.* prodière diversis temporibus. Itaque prius Opus inscribitur:

BIBLIOTHECA Critica Sacra Theologiam Positivam duodecim voluminibus Scholasticâ ferè methodo exponens: Supremo agnorum & ovium Pastori CLEMENTI XI. oblata.

TOMUS PRIMUS sic expanditur:

Bibliotheca Critica Sacra circa omnes ferè sacrorum Librorum difficultates. Opus plurimorum annorum, studiosis Scriptura Sacræ paratam, Tyronibus quàm maximè necessarium, Theologis omnibus percommodum, Concianatoribus etiam oppartunam, Doctis memariæ juvandæ idoneum. Ex veterum Patrum traditione, probatiorum Interpretam caris, clariorum Criticorum jadiciis, non ingenti vi, sed patienti labore collectum. Lovanii, Typis Guillelmi Strickwant, anno 1704.

Volumine isto quinque Dissertationes continentur; & unaquæque Dissertatio dividitur in plures Articulos, unusquisque Articulus subdividitur in Sectiones, & quælibet Sectio in Paragraphos: & aliquandò inseruntur his Dissertationibus Digressiones, & aliquando Disputationes.

Dissertatia prima ad Sacræ Scripturæ studium, ipsismet Sanctorum Patrum verbis hortatur. Plura in Digressionibus curiosa describit, de ritu quo Judæi eam in Synagogis legèbant: de modo quo Sacros Libros scribebant: de eorum reverentia & propensione; ubi nonnulla circa eorum pueros refert: de illorum Hæreticorum calumnia, qui Scripturas Sacras à Catholicis negligi & ignorari dixêre. Inquirit an Cathecumeni, & quomodo ad illarum lectionem audiendam, admitterentur? Quo ritu primis Ecclæsiæ seculis legerentur, & præcipuè Evangelium in Ambone, *pag.* 197. Quomodo per illud juraretur, *pag* 212. Tractat deinde de miraculis per Sacras Scripturas patratis, *pag.* 214. De iis qui eas in pectore gerebant, *pag.* 215. De variis modis quibus nonnulli homines his libris abuterentur, *pag.* 219. Sive ad alienos sensus detorquendo, sive adulterando, sive Christianæ Religionis hostibus tradendo, *pag.* 224. 226. 228. Denique tractat de Hæreticorum contemptu circà Sacram Scripturam, *pag.* 239. 236.

Dissertatio secunda quatuor in partes scinditur *à pagina* 238. *usque ad* 504. Generalem Scripturæ Sacræ notitiam, ad speciales & difficiliores quæstiones Lectorem præparat. Ideòque pars prima hujus Dissertationis viginti-sex indicibus complectitur omnia, quæ ad Sacræ Scripturæ studium, & studii illius initium necessaria videntur; tum ut Tyrones ad illud accendat, tum ut illorum memoriam juvet. Dissertationis secunda pars probat Præceptoris in hoc studio necessitatem, Interpretum cùm veterum tum recentiorum utilitatem, *pag.* 347. & 353. Rabbinorum auxilium quanti valeat ex *Morini*, *Simonii*, & aliorum censura, *pag.* 369. Hæreticorum Commentaria ad examen vocat: quid prosint Litteraturæ profanæ, *pag.* 374. Celebrem de Hieronymi flagellatione, ob *Ciceronis* lectionem, Historiam ventilat, *pag.* 380. Tertia pars, *pag.* 295. Tractat de nonnullis ad Sacræ Scripturæ scientiam comparandam parùm utilibus aut inutilibus studiis; ubi de *Miscnæ*, *Talmadis*, & *Masaretharum* observationibus, *pag.* 437. Pars quarta docet, *pag.* 468. methodum in Scripturæ Sacræ studio tenendam, varia Eruditorum monita referens, varias sobriasque regulas Criticæ proponens, *pag.* 482. quo denique ordine, & quinam præcipui libri legendi, *pag.* 498.

Dissertatio tertia, quæ à pagina 504. ad paginam 555. excurrit, de Tabernaculo disputat jussu Dei à Moyse constructo. Pagina autem 524. discutit locum S. Pauli. *Hebræ* 9. *V.* 3.

Dissertatio quarta à *pag.* 555. usque ad *pag.* 589. versatur circà *Excelsa* & *Idola*, de quibus Scriptura loquitur, quæ juxtà ordinem alphabeticum recenset: ubì plurima de *Seraphim*, de *Vitulis Aaronis* & *Jeroboami*, ac de *Idololatriæ origine*.

Dissertatia quinta differit de Templo Salomonico, quatuor in partes divisa, quarum prima est de ipso Templo, *pag.* 589. secunda de Ministris, *pag.* 697. tertia de Ministerio, *pag.* 799. quarta de aliis ad notitiam Templi conducentibus, *pag.* 826. ad *pag.* 852.

TOMUS SECUNDUS eodem anno 1704. ibid. Lovanii, apud eumdem Typographum Guillelmum Stryckwant editus, habet 834. *paginas*, Dissertationes quinque. *Prima* hujus voluminis *Dissertatio* & ordine sexta, versatur circà Sacrificia Antiquæ Legis, & 1°. circà ipsa generaliter sumpta. 2°. Circà ea particulariter considerata, *pag.* 89. Denique 3°. circà ea quæ afferebantur diebus festis, *pag.* 136.

Dissertatia septima, *pag.* 370. usque ad *pag.* 433. excurrit circà Judæorum *Festa*, Jejunia, & *Preces* in Templo & Synagogis fieri solita. Considerat 1°. quæ communia sunt festis, ut prohibitionem operum, ciborum ritum, institutionem, finem, originem, causam, convivia, lætitiam; *pag.* 184. Deindè ea elucidat festa, quæ singulis mensibus occurrebant, *pag.* 245. Tertiò de Festis Annuis agit, *pag.* 275. Quartò de *Anno Sabbatico* ejusque Privilegiis, *pag.* 360. de *Anno Jubilæo*, tum quantùm ad nomen, tum quantùm ad tempus à quo computari cœpit, *pag.* 367. Tandem plura præmittens circà Dei cultum, loquitur 417. de Precibus in Templo & Synagogis fieri solitis.

Dissertatio octava à *pag.* 433. usque ad *pag.* 564. tractat peritissimè de *Urim* & *Thumin*. Expendit etiam, *pag.* 552. quæ dicuntur in Scriptura de *Cherubim*; & ea omnia, quæ ad eorum nomen & figuram pertinent, sollicitè investigare satagit.

Dissertatio nona trifariam divisa, versatur circà Judæorum Scholas, Rabbinos, Sectas, ac Libros præcipuos. Prima igitur pars, *pag.* 564. Scholas, earumque varias Classes, primis etiam temporibus erectas describit; præcipuosque circà *Rabbinos* ritus observari solitos patefacit, *pag.* 577. & Rabbinorum discipulis propria considerat, *pag.* 587. Secunda pars expedit quid sentiendum sit de Sectis, Ritibus, Nominibus *Pharisæorum*, *Essenorum*, *Saducæorum* & *Caraïtarum*, *pag.* 591. Pars tertia tractat de *Miscna*, de *Thalmade* Babylonico & Hierosolymitano, de *Ghemara*, & aliis Judæorum Libris, *pag.* 612. usque ad *paginam* 654.

Dissertatia decima bipartita, utramque Judæorum Theologiam tam speculativam quàm positivam exponit, ex *Thalmade* & aliis eorum Libris petitam, quam si quis Gallico sermone donaret, non mediocriter ostenderet quantâ cœcitate & ignorantiâ detenti fuerint ii, quos hodierni & recentiores Judæi, ut Magistros in Israel venerantur.

TOMUS TERTIUS Bruxellis prodiit anno 1705. apud Joannem Smedt, tribus solùm Dissertationibus contentus, & paginas 850. complectens.

Dissertatio

C.

Dissertatio prima & ordine *undecima*, doctè ac fuse *Artis Cabalæ* notitiam tradit. Exponit deindè *pag.* 36. *Alphabetum Athbasticum*, Imitatur posteà methodum *Notaricam*, *pag.* 50. ubi de voce quæ habetur *III. Reg. Cap.* 2. *vers.* 8. *Nimreseth.* Modum *Gematricum* exponit, *pag.* 51. ubi de numeris *Antichristi nominis* affertur inquisitio, tum veterum tum aliorum eruditorum, cum observationibus ipsius Auctoris. Aggreditur deindè *pag.* 69. de *Divinis nominibus* tractationem, & inprimis de nomine *Jehova*, *pag.* 69. cujus occasione ea explanat, *pag.* 208. quæ ad nomen Jesu pertinent. Posteà inquirit *Talmudis*, *Cabalæ* ac Rabbinorum doctrinam, *pag.* 269. eorum Librorum vel utilitatem, vel inutilitatem ad exponendos Libros novi Testamenti. Tandem *pag.* 299. Criticum Examen instituit de Josephi Libris.

Dissertatio duodecima circa Regimen spirituale ac politicum destinetur in duas Partes divisa, quarum prima de his quæ ad *Synagogam* & *Synedrium* pertinent, agit *pag.* 446. Secunda circa ea quæ ad *varia suppliciorum genera* spectant, determinat, *pag.* 560.

Dissertatio decima-tertia versatur circa *Versiones Scripturæ Sacræ.* In prima parte *recentiores Latinas*; in secunda *Vernaculas* refert, & suas observationes adhibet speciales à *paginá* 645. usque ad finem Voluminis, ubi maximè occupatur *pag.* 738. circa celebrem Versionem, quæ *Montensis* appellatur, & quæ tot in Gallia & in Belgio excitavit controversias.

Tomus Quartus etiam Bruxellis editus anno 1706. apud eumdem Bibliopolam, continet paginas 786. & tres Dissertationes circa earumdem Vernacularum Versionum Historiam, licentiam aut prohibitionem eas legendi; circa Polyglotta Biblia, & alia duo Opuscula versatur.

Dissertatio prima hujus Voluminis, & ordine *decima-quarta*, resumit quæ appendicis loco, in præcedenti volumine indicaverat, circa mutationes factas in Versione *Montensi* Leodii edita anno 1702. Versionem *Quesnelli* confert cum prædictâ editione *Leodiensi*, quidque de eâ censendum exponit. Hinc occasione arreptâ, *pag.* 30. diligens inquisitio exhibetur circa Versionem Belgicam *Embrincensem*, ubi RR. PP. *Francisci Joyeux*, Ordinis Prædicatorum, & *Buttentot* Recollecti Ordinis Minorum, circa eam notas, reperies. Discutit deindè *pag.* 65. quæ Versionem Dom. *de Sacy* concernunt, quæ ad Versionem Simonii attinent, *pag.* 68. Posteà Versiones alias *pag.* 118. Gallicas Dom. *Godeau*, R. P. *Bouhours*, *Castalionis*, *Diodati*, ac *Joannis Clerici*, exhibens, earum methodum exponit. Excurrit deinceps *pag.* 134. ad Italicas, Hispanicas, Germanicas, Saxonicas, Belgicas, Anglicas, Scoticas, Hibernicas, Polonicas, Bohemicas, Hungaricas, Sueeicas, Danicas, Finnicas, Islandicas, Lappicas, Cappicas, Arabicas & Turcicas Versiones, de quibus singulis suum profert judicium.

Dissertatio decima-quinta, *pag.* 216. excitat difficiliorem ac magis necessariam quæstionem circa licitum vel illicitum usum Versionum Vernacularum, nostris temporibus acriter controversam. Inquirit etiam *pag.* 579. an liceat *Missale* & similes ad Ecclesiæ usum Libros in Linguam vulgarem convertere.

Dissertatio decima-sexta varias recenset *pag.* 648. Bibliorum Polyglottorum editiones, maximè Complutensia, Parisiensia & Anglica, quorum occasione differit *pag.* 668. de Versionibus Arabicis, Æthiopicâ & Persicâ.

Dissertatio decima-septima proponit *pag.* 1. *secundæ Appendicis*, Indicem Librorum, vel Sanctis Patribus, vel aliis Auctoribus suppositorum, aut saltem dubiorum, usque ad seculum decimum-tertium, ex variis Censoribus desumptum, maximè *Possevino*, *Baronio*, *Bellarmino*, *Caveo*, *Riveto*, *Spanhemio*, *Dupino*, *Natali Alexandro*, *Tillemontio*, *Ardodio*; quid circa hæc Opera sentiant ii eruditi viri breviter referens; sicque terminat Volumen quartum suæ *Bibliothecæ Criticæ Sacræ.*

Summa Criticæ Sacræ hanc sumpsit occasionem, quod dum Auctor Cherubinus noster quintum suæ *Bibliothecæ Criticæ Sacræ* Volumen edendum *Bruxellis* pararet, iis à Fœderatorum exercitu occupatis, in Provinciam suam Aquitanicam reversus, sequentium Voluminum editionem suspendit, ac *Burdigalæ*, prædictum Opus magis ad omnium captum accommodatum edidit, novem Voluminibus *in*-8°. comprehensum: in quibus circa difficultates Librorum Sacrorum, ea perpendit, quæ à veterum Auctorum ætate, usque ad nostra tempora fuêre scripta.

Primum itaque *Volumen* prodiit Burdigalæ anno 1709. cum hac inscriptione aliis communi: *Summa Criticæ Sacræ*, in quâ Scholasticâ methodo, exponuntur universa Scripturæ sacræ Prologomena, ad usum Theologorum, pro Theologiæ positivæ studio, feliciter inchoando. *pag.* 576. *in*-8°.

Secundum Volumen ibidem anno 1710. editum, habet paginas 632. *Tertium* ibidem eodem anno paginas 648. continet. *Quartum* ibidem anno 1711. editum, paginas 635. habet. *Quintum* ibidem, eodem anno 1711. prodiit paginis 652. comprehensum. *Sextum* ibidem anno 1713. impressum continet paginas 772. *Septimum* ibidem anno 1715. editum paginas 606. complectitur. *Octavum* anno 1716. ibidem prodiit; cujus post editionem folii primi, nostrum Cherubinum mors eripuit; ita ut ex ejus Schedis continuatum sit istud Volumen, & ad ejus justam magnitudinem supplendam, appositus fuit Index materiarum quatuor Voluminum *Bibliothecæ Criticæ Sacræ*, ab uno Carmelita Discalceato Sodali collectus, & ab Auctore dum viveret approbatus, ac à viris doctis desideratus.

Volumen nonum, quod adhuc vivens idem Cherubinus paratum habebat, ante octavum, anno 1716. editum ibidem, habet paginas 731.

Hæc sunt Opera ejus edita, circa quæ, saltem circa *Bibliothecæ Criticæ Sacræ*, videri possunt Diaria Eruditorum Gallica anno 1707. Lipsientia eodem anno 1707. *à paginâ* 249. ubi *Bibliotheca* hæc *Opus splendidum ac magnum.* Vir clarissimus N. Goujet, Continuator *Bibliothecæ* Ecclesiasticæ Dupini, *Sæculo XVIII.* edito Parisiis anno 1711. *tomo* 1. *à paginâ* 227. Jacobus Lelong, In *Bibliotheca sacra*, *tom.* 2. *pag.* 674. Augustinus Calmet, in *Bibliotheca sacra*, quæ prodiit initio *tomi primi Dictionarii Bibliorum*, & *tom.* 4. *pag.* XIII. & CLVI.

Opera Manuscripta.

Viginti & amplius servata apud Burdigalenses Carmelitas Excalceatos, quæ circa Scripturam sacram versantur, Martialis à S. Joanne-Baptista, Discalceatus Carmelita recenset in sua Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, *pag.* 96. quibus & *pag.* 97. plura *Theologica* superaddit, de *Scientiâ Dei*, de *Divinorum Decretorum efficaciâ & prædestinatione: De Summo Pontifice: De Sacramentis Baptismi & Eucharistiæ: De Missa, Communione & Liturgiis.* His accedit *Physica*, cujus nullam reliquit partem intactam, recentiorum præcipuè Systematum, eorum omnes experientias referens. Plura etiam Manuscripta ibidem conspiciuntur ejusdem Auctoris Opera de *Geometriâ*, *Astronomiâ*, *Opticâ*, *Musicâ*, *Geo-*

graphiâ, *Arithmeticâ*; imo de *Rubricis* tùm *Missæ*, tùm *Officii Divini*, ac de aliis *Miscellaneis*; ita ut citrà adulationem dici possit, eum nihil ferè ignorasse rerum quæ à peritioribus cognoscuntur.

XXXI.

CHERUBINUS BLANCHIUS, natione Italus, Bononiæ ortum habuit Vir, ut omnes norunt, tum ob vitæ probitatem, tum ob doctrinæ sublimitatem commendabilis. Inter eas ingenii dotes ob quas à Scriptoribus laudatur, jure ac meritò à Concionibus eruditissimis illustratur, quas Bononiæ, Parmæ, Ferrariæ, Mantuæ, Placentiæ, Mediolani ac Romæ declamavit circa annum 1584. sicuti testatur Joseph Falconius in *Chronica Carmelitana*; & ex eo Cyrillus Pennecto à S. Paulo, in *Gymnasio Carmelitano Ms.* ad annum 1584.

XXXII.

CHERUBINUS GRIFFONIUS, Alexandriæ in Italia splendidis natus est parentibus. Vir fuit facundæ linguæ, elocutionis claræ. *Paduæ* Venetorum ditionis, sacris disciplinis dedit operam, Baccalaureatûs gradum obtinuit: *Placentiæ*, Theologicæ Facultatis Lauream Doctoralem consecutus est, clarus circa annum 1595. Præceptorem habuit Joannem Rosinum, si audies Cyrillum Pennectum à S. Paulo, in *Gymnasio Carmelitano Ms.* ad hunc annum 1595.

XXXIII.

CHERUBINUS A S. MARIA, natione Gallus, amplissimi & illustriss. Dom. Præsidentis DE VENNES filius, natus die 1603. apud Carmelitas Excalceatos in Conventu Charentonio professionem emisit die 25. Julii 1620. Magistro Novitiorum R. P. Adriano ab Ascensione: cujus sub disciplina ad miram simplicitatem & cæcam obedientiam provectus, doctas dixit Conciones coràm frequente applaudentium Auditorum cœtu diebus *Dominicis*, *Octavis SS. Sacramenti*, *Adventualibus & Quadragesimalibus*, defunctus in Cœnobio Abbavillæo, cujus genitor fuit Fundator, die 7. Junii, anno 1648. prout scribit Ludovicus à S. Teresia, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*, *Lib. II. Cap.* 78. *pag.* 507. & 508.

XXXIV.

CHERUBINUS SERBONELLUS, Braydensibus in Scholis optimè doctrinis & moribus excultus, inter Monachos Armenos S. Basilii adscribi postulavit, ubi Facultates Philosophicas & Theologicas publicè, & plaudentibus omnibus defendit in Conventu tum suorum *S. Damiani*, deinde ad sacras conciones disseminandas conversus, tam feliciter ut non solùm in patria Mediolanensi quater Quadragesimali tempore libentissimè auditus fuerit; sed etiam *Ferrariæ*, *Novariæ*, *Venetiis*, *Bononiæ*, atque in aliis Italiæ Urbibus. Ita felici ingenio præditus extitit, ut Quæstionibus in qualibet sacra doctrina ex improvisò ei oblatis, illicò non tantùm responsa doctissima traderet, sed Dissertationes integras sine mora tam doctè ac eruditè dictaret, ut ipsæ typis tradi potuissent. Musas quoque adamavit, & pro more seculi, Carmina illius tam Latino quam Italico sermone minimè spernenda fuerunt. Ad ipsum quoque pro arduis casibus conscientiæ evolvendis ac declarandis, plures frequentissimè confugerunt: tantaque in ipso erant Theologiæ fundamenta, ac facilitas in eis explicandis, ut quasi *Oraculum* à Professoribus ipsis nuncuparetur.

Religione Basilianâ ab Urbano VIII. anno 1639. partim antiquatâ, CHERUBINUS noster ad Carmelitas Congregationis Mantuanæ se contulit in Conventu *S. Joannis ad Concham*, in qua mutato nomine CHERUBINI in FRANCISCUM-MARIAM, post biennium, scilicet anno 1649. ætatis suæ quinquagesimo, die 23. Septembris, vitam cum morte piissimè commutavit, Sacramentis summâ cum devotione acceptis. Opera quæ secum tulit ad Congregationem Mantuanam transiens, hæc indicantur:

1. *Prediche*, *Discorsi*, *Panegyrici Mss.* si Picinellus audiatur: At vero Argelatus evolvens Codices in Bibliotheca S. Joannis ad Concham Mediolanensi, nihil aliud invenit de Cherubino Serbellono præterquàm quod duas Panegyres hoc titulo inscriptas:

2. *Panegirico fatto in Duomo nell' Apertura de Tribunali*, *ed. altro nella Fasta di Santo Tomaso d'Aquino.* Reliqua verò in aliorum usum & commodum forsan derivata fuêre.

3. *La Suzanna: Representazione in Versi Italliani*, *Ms.* apud P. Gasparem Majoccum, Ordinis Prædicatorum, quam recitatam fuisse Laudæ Pompejæ à Clericis Seminarii ejusdem Urbis, scripsit idem Picinellus.

4. *Rime di* CHERUBINO SERBELLONI. Milano, presso il Paganelli, 1614. *in*-4°.

Celebrem Cherubini Serbelloni mentionem habent *Necologium* Cœnobii *Carmelitarum* S. Joannis ad Concham, *Mediolanensium*. Philippus Picinellus, in *Athenæo Virorum literatorum Mediolanensium*, *pag.* 145. Clemens-Maria Felina, in *Musæo Mantuanæ Congregationis Carmelitarum*, *pag.* 115. Philippus Argelatus in Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, *pag.* 1335. *num.* 1546. Carolus Vaghus in *Commentario Fratr. & Soror. Carmelit. Congregationis Mantuan.* edito Parmæ 1735. in-fol. *pag.* 334.

XXXV.

CHRYSOSTOMUS MARASCA, natione Italus, Cremonensis, patriâ, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor, illustrator *Operum Joannis Bachonis*, quæ illius labore & curâ prodierunt *Cremonæ*, anno 1618. ut notat Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1071. *num.* 3730. Ejus etiam Ludovicus Jacob meminit in *Catalogo Ms. alphabetico Fundationis Monasteriorum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 70. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 427, ubi eum vocat CHRYSTOPHORUM.

XXXVI.

CHRISTIANUS ANTUERPIENSIS, Belga, sacræ Theologiæ Professor in Carmelo Angienosi, tunc Reformatorum habitaculo; Vir in divinis Scripturis studiosus, & in seculari scientia egregiè doctus, subtilis ingenio, clarus eloquio, in declamandis ad populum concionibus excellens, minores etiam aut inferiores disciplinas nequaquam contempsit. Ad vitam immortalem transiit anno 1540. die 29. Martii, postquam scripsisset

1. *Sermones de Tempore*, *Mss.* Lib. I.
2. *Sermones de Sanctis*, *Mss.* Lib. I.
3. *Passionum Tractatum notabilem*, *Ms.* Lib. I.
4. *Glossa in 2am. partem Rolandi. Ms.* Lib. I.
5. *Glossa in 3am partem Rolandi. Ms.* Lib. I.
6. *Themata Guidonis*, *Mss.* Lib. I.
7. Decii Junii *Juvenalis Satyras idiomate Teutonico donavit.* Lib. I.

C.

8. *Grammaticalia Præcepta* pro Juvenibus instruendis, *Mss.*

9. *Epistola variæ elegantissimæ*, ad Episcopum Catalaunensem, quondam ejus discipulum in præfato Angiæ Carmelo, ad quem plurimi confluebant seculares jovenes nobiles, literis humanioribus instruendi. Has à se visas Epistolas fuisse narrat Julianus Hassart, qui in eodem Cœnobio habitum induit Carmeliticum, quâ die Christianus noster è mundo sublatus est, scilicet vigesimâ nonâ Martii 1540.

Celebrem quoque Christiani Antuerpiensis mentionem habet Angustinus Biscaretus in suis *Palmitibus Vineæ Carmeli Mss. fol.* 59.

XXXVII.

CHRISTOPHORUS DE ASSUMPTIONE, Hispanus, observantiæ regularis sectator Carmelita, edidit *Poëma de immaculata Conceptione*, Hispali, anno 1616. cujus meminerunt Petrus de Alva, in *Militia immaculatæ Conceptionis*: Franciscus bonæ spei, in *Visione Eliæ*: Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 59.

XXXVIII.

CHRISTOPHORUS DE AVENDAGNO, natione Hispanus, patriâ Pincianus, Medinæ-Campi Carmelitæ alumnus, Doctor Theologus, Complutensem, Pincianam & Medinam domos rexit Prior, suæ Provinciæ Castellæ Veteris Definitor, inter Regios Evangelici Verbi, apud PHILIPPUM Regem Quartum Declamatores, ingenio, eloquentiâ, eruditione, pietateque eximius. *Pinciæ* obiit anno 1628. die 8. Februarii. Edidit Hispanico Sermone.

1°. *Sermones de Adviento con sus Festividades, y Santos.* Matriti apud Alphonsum Martinum, 1603. *in*-4°. Item Ollissipone, 1610. *in*-4°. Item Valentiæ, 1623. *in*-4°. Iterumque Matriti, 1617. *in*-4°. Qui & in Gallicum Sermonem conversi prodierunt Parisiis, 1628. *in*-8°. apud Gasparem Meturas, Interprete Bartholomæo Milet Divionensi, Juris Licentiato, cum Epistola Dedicatoria ad Cardinalem Berullium. Ibidem, an. 1636. *in*-8°. sicuti observat Vir Clarissimus *Papillon* in Bibliothecâ Authorum Burgundiæ, *tomo* 2. *pag.* 56. Unde corrigendus eruditus Dominus Nicolaus Antonius, qui *tomo* 1. *Bibliotheca Scriptorum Hispaniæ*, *pag.* 183. Hanc illorum sermonum interpretationem adjudicat R. P. *Jacobo du Bosc* Franciscano. Iidem sermones prodierunt Italico Sermone donati Venetiis, anno 1629.

2°. *Sermones de Quaresma*, duobus tomis, Matriti apud Alphonsum Martinum 1622. & 1623. *in*-4°. Item Barcinone 1630. *in*-4°. Item Gallicè Parisiis, 1628. *in*-8°.

3°. *Marial*, *Sermones en las Festividades de Nuestra-Señora.* Vallisoleti, Typis Joannis Ruedæ, 1620. *in*-4°. Item Valentiæ, 1623. *in*-4°. Item Barcinone apud Sebastianum Cormellanum, 1629. *in*-4°. Item Pinciæ eodem anno 1629. *in*-4°. Item Gallicè Parisiis, 1632. *in*-8° Interprete R. P. Joanne Verbiate, Aquitano Carmelita Burdigalensi. Item, Venetiis Italicè, Typis Tomascini 1633. interprete R. P. Bartolomæo de Bella Dominicano.

4°. *Sanctoral*, seu *Sermones de Sanctis*, 2. *tom.* Prior lucem vidit Matriti 1626. Alter Pinciæ *in*-4°. Item, Barcinone 1629. apud Sebastianum Cornellas *in*-4°. Item, Parisiis Gallicè 1629. apud Carolum Roüillard *in*-8°. Interprete R. P. Jacobo du Bosc Franciscano. Undè corrigendus adest R. P. Lucas-Wadingus, qui libro *de Scriptoribus Ordinis Minorum pag.* 181. Adjudicat hos sermones Sebastiano de Avendanno Minoritæ. Item Venetiis Italicè 1630. Interprete diserto ac erudito Joanne-Francisco Lauredano.

5°. *Auream Coronam Sanctuarii*, sive *Sermones verè aureos in præcipuis totius anni Festivitatibus*, Coloniæ, 1660. *in*-4°. apud Joannem Busæum. Hanc præcedentis operis interpretationem à se visam latinam testatur Nicolaus Antonius loco citato *Bibliotheca Hispanæ pag.* 183. & factam per R. P. Georgium à Reginâ Angelorum, Viandensem Carmelitam Provinciæ inferioris Alemaniæ.

6°. *Litaniam Æterni Patris luminum* confecit noster Christophorus ex variis sacrorum Bibliorum locis, cui peculiare Festum à Sede Apostolicâ destinatum cum *Officio singulari* per ipsum composito sollicitabat, cum in diem ultimum incidit. *Mss.*

7°. *Sermones Funebres.* Mss.

8°. *Cargos y des cargos de Judas.* Cujus libri jam Typis initiati meminit Author in Prologo alterius Voluminis *Sermonum de Sanctis.*

Laudes Christophori nostri celebrans Bartholomæus Milet, Dominus de Marsilly, Divionensis in Jure Licentiatus, qui in *Epistola ad Eminentiss. Cardinalem Berullium nuncupatoria*, & sermonibus Christophori de Avendagno præfixa testatur se in Hispaniis intimâ cum eo familiaritate conjunctum, & Parisiis etiam concionante usum fuisse. Aubertus Miræcius *Lib. de Sriptoribus Sæculi XVI. Cap.* 204. Ubi eum Matriti donatum anno 1629. scribit. Hyppolytus Maræcius in *Bibliotheca Mariana:* Franciscus Sabinas Jesuita ad *Jonam Prophetam suis in Commentariis:* Arturus à Monasterio in suo *Martyrologio Franciscano:* Ludovicus Ellies Dupin in *Tabula Universali Scriptorum Ecclesiasticorum tomo* 3. *pag.* 213. Auctor Dictionarii Moreri verbo *Avendaño*; præ cæteris autem Nicolaus Antonius in *Bibliothecâ Scriptorum Hispaniæ tomo* 1. *pag.* 183. ubi notat quod Ferdinandus Salazarius Jesuita, Hieronymi Florentiæ sodalis, nomine de Avendagno nostro conqueritur, Plagii eum insimulans, nescio quo jure, *ad Caput VIII. Proverbiorum num.* 307.

E Carmelitis Emmanuel Romans in *Elucidationibus Ordinis Carmelitici.* Antonius Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 495. Joseph à Jesu Mariâ *Lib. II. Venerab. Francisci à Puero Jesu Cap.* 30. Philippus a SS. Trinitate *Lib. VI. Compendii Historiæ Carmelitarum Cap.* 9. Franciscus bonæ spei in *Visione Eliæ:* Ludovicus Jacob in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 59. Daniel à Virgine Mariâ in *Vineâ Carmeli pag.* 517. *num.* 924. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani pag.* 1077. *num.* 3766.

XXXIX.

CHRISTOPHORUS CRAVERIUS, Pedemontanus Carmelita, *Archangeli Lanfranconis* alterius Carmelitæ auditor & discipulus, Doctor Theologus sacræ Patavinæ Facultatis, ibidemque suos apud sodales nec-non alibi Professor, variis decoratus scientiis, ut potè Philosophus acutus & Orator facundus, obiit Patavii anno 1580. sui ingenii monumenta relinquens in *Theologiam & Philosophiam Commentaria*; simol atque

Varias eleganti stylo concinnatus *Orationes:* testibus Josepho Falconio in *Chronico Carmelitano:* Cyrillo Pennecto à S. Paulo in *Gymnasio Carmelitano Ms.* Ludovico Jacob in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 60.

XL.

CHRISTOPHORUS DE ESLAVA, Hispanus Carmelita, Doctor Theologus, ac in Conventu Hispalensi Sacræ Theologiæ Professor præ-

clarus, scripsit circà annum 1620. in primam partem D. Thomæ: De *Voluntate Dei, de Prædestinatione, nec-non de Reprobatione Commentaria*, quæ *Mss.* asservantur Attrebati in Bibliothecâ Antiquiorum Carmelitarum, prout R. P. Jacobus à S. Bernardo, Carmelita Provinciæ Franciæ retulit in quasdam *Schedas Mss.* a Ludovico Jacob citatas in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 60.

XLI.

CHRISTOPHORUS DE FASSINETO, natione Ligur, Patriâ Genuensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, suâ concionator ætate facundus, scripsit latinè *Sermones varias*, quorum primus est de Avaritiâ. Hos vidit Ludovicus Jacob *Manuscriptos* Genuæ apud Antiquiores Carmelitas, sicut ipse asserit in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 60. Quando vixerit ille Christophorus de Fassineto, se ignarum confitens.

XLII.

CHRISTOPHORUS FRASSINETUS, Ligur, Carmelitici Ordinis Alumnus, Theologus primi nominis, plura scripsit, quorum unum Ms. custoditur in Bibliothecâ Cœnobii Genuensis, cum hoc titulo: *Tractatus Prædicationum extructus diversis locis*, & compilatus per Sacræ Theologiæ Professum Magistrum Christophorum Frassinetum, dum esset Regeos anno 1478.

Ita loquuntur Raphaël Sopranus In *Vitis Ligurum Illustrium*, & Augustinus Oldoinus in *Athenæo Ligustica pag.* 138.

XLIII.

CHRISTOPHORUS A JESU, natione Hispanus, *Giennensis* patriâ, Carmelita Discalceatus, Cœnobio *Antiquarensis* septimus Prior; quod officium anno 1624. maximâ illius domûs utilitate auspicatus est. In Theologia peritissimus, ingenio facilis, ac eloquio dulcis: suarum *Concionum* reliquit *tomos octo in*-4°. quos decenti ordine disposuit, ac prælo maturos, eosque præclarissimos, Monasterium Antiquarense, in quo defunctus est, possidet. Hæ leguntur in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceat. pag.* 97.

XLIV.

CHRISTOPHORUS A S. JOSEPH, Hispanus, in oppido de *Barcenvilla* Diœcesis Burgensis inter Excalceatos Carmelitas professus Vallisoleti, Vir fuit in utrâque Theologiâ, Scholasticâ & Morali versatissimus, pro sua Congregatione in Curiâ Romanâ Procurator Generalis, ac post Definitor Generalis, egregium opus edidit inscriptum:

Tractatus de Regulis Morum, adhærendo Sacræ Scripturæ, autoritati, Sacris Canonibus, Pontificum Decretis, Sanctorum Patrum Doctrinæ, præsertim Ecclesiæ luminum D. Augustini & D. Thomæ, & etiam fundamentis à ratione in duas partes divisus. Per Fr. Christophorum à S. Joseph, Ordinis Carmelit. Discalceat. quondam Sacræ Theologiæ Lectorem Collegii Salmaticensis Rectorem, in Castella veteri Provincialem, nunc Procuratorem Generalem in Curiâ Romanâ pro Congregatione Hispaniarum Romæ, anno 1711. *in-folio.*

In prima parte agit de prima & secunda Regula Morali, de Conscientia in Communi, de Conscientia recta, dubia & erronea. In secunda parte tractat de *Conscientia probabili*, ubi præcipuè tendit probare, in dubiis morum opinionibus, tutiorem partem esse sectandam; ac in occursu duarum opinionum, illicitum esse sequi minus probabilem faventem libertati, in concursu probabilioris faventis præcepto. Ita scribit qui eum senem novit Martialis à S. Joanne-Baptista, sua in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 97. & 98.

XLV.

CHRISTOPHORUS MARQUEZ; qui ab Alegreo Cassanato MARCHIO vocatur, natione Hispanos, patriâ Matritensis, Carmelita Provinciæ Castellæ, cujus & Definitor fuit, Doctor Theologus, Vir pietate & literis clarus, sexagesimo sexto ætatis anno diem vidit extremum in Curia Matritensi die xx. Octobris anno MDCXXXII. scripsit Hispanico Sermone:

1°. *Tesoro de Ignorantes, donde se declaran las puntos essenciales de la Doctrina Christiana: ion un Dialogo de avisos importantes para el que se desea salvar, y exercitar en la Oracion Mental*; id est latinè, *Thesaurum Ignorantium, in quo explicantur puncta essentialia Doctrinæ Christianæ: cum una Dialogo de monitis ponderosis ad eos qui salvari cupiunt, & in Oratione Mentali exerceri.* Matriti apud Viduam Alphonsi Martini, anno 1624. *in*-8°.

2°. Convertit ex Italico in Vernaculum Idioma, Librum de *Purgatorio*, quem Paulus de Aresio, composuit.

3°. *Vitam R. P. Hieronymi Gratiani à Matre Dei*, Carmelitæ Pintiæ seu Vallisoleti, apud Franciscum de Corduâ, anno 1619. Quinquennio ab obitu ipsius P. Gratiani; hispanicè uti notat Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 984. *num.* 3452.

Christophorum Marquezium laudant Ægidius Gonzales Dailva in *libro de las Grandezas de Madrid.* Emmanuel Romans in Elucidationibus Ordinis Carmelitani. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Scriptorum Hispaniæ pag.* 189. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici decoris, pag.* 445. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 60. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 984. citatâ.

XLV.

CHRISTOPHORUS MARTIGNONUS, natione Italus, patriâ Brixiensis in ditione Reip. Venetor. sapientiss. Carmelita, Doctor Theologus, Definitor Provinciæ Terræ Sanctæ in Capitulo Generali *Auriliaci* apud Arvernos anno 1469. celebrato, in quo factus est Procurator Generalis, sub venerab. *Joanne Sorethio*, cujus post obitum anno 1471. à *Sixto IV.* Rom. Pontifice, Vicarius Generalis Apostolicus fuit constitutus, ob singularem doctrinam, religionis zelum, & alias multiplices virtutes, quarum causa prælatus fuit *Petro de Laln* Sacræ Theologiæ Magistro, Provinciæ, qui se Vicarium Generalem gerere præsumebat.

Anno 1472. in Comitiis Generalibus *Astæ* congregatis in Magistrum Generalem Ordinis Carmelitici unanimiter est electus in Vigilia Festi Pentecostes. Summo Pontifici gratus & charus, ab eo missus fuit Legatus Apostolicus ad *Fridericum III.* aliàs *IV.* cognomento *Pacificum*, Germaniæ Cæsarem, pro bello suscipiendo adversùs Ottomanorum Imperatorem, Christianorum hostem acerrimum. *Quod munus egregiè ac strenuè exercuit, in eoque prudentissimè se gessit; ac bonum nomen apud omnes adeptus est*, ut loquitur Augustinus Biscarretus. Anno 1473. Apostolicis literis die 5. Martii munitus cum *Guillelmo d'Estouteville* Rhemensi Archiepiscopo & Ostiensi Episcopo S. Rom. Ecclesiæ Cardinali, atque Ordinis Carmelitici Protectore allaboravit ad Reformatio-

nem

C.

nem dicti Ordinis, divisionem Provinciarum, Provincialium institutionem, & habitûs uniformitatem, pro quâ obtinendâ latum est Decretum eodem anno die 9. Martii, *ut Clerici tunicas nigras tinctas cum ejusdem coloris caputio & scapulari, non berretinas, aut griseas & ad nigredinem tendentes. Conversi quippè similis coloris tunicas, cum scapulari & caputio albis, ad oppositum Ordinis Prædicatorum gestare, & se talibus habitibus respectivè habituare debeant.*

Anno 1476. ab eodem Pontifice Romano Sixto IV. die 28. Novembris, accepit *Mare magnum*, Carmelitarum plura complectens Privilegia ac Indulta à summis Pontificibus concessa; & ab eodem Sixto Quarto approbata & confirmata, nec-non in multis aucta & explicata. Incipit: *Dum attentâ meditatione pensamus*, *&c.* Anno 1478. ad Festum Pentecostes Comitia Generalia celebravit Brixiæ in sua patria, pro quibus juvandis amplam obtinuit indulgentiam, Fidelibus Ecclesiam illic visitantibus impartiendam. Ampliorem alteram obtinuit Indulgentiam in forma Jubilæi, anno 1480. die 28. Junii, pro Ecclesia Conventûs *Januæ*, ad quadriennium tunc valituram in Festo Nativitatis & Annuntiationis B. V. Mariæ Festivitate. Tandem Vir funè de Ordine suo optimè meritus, & immortali laude dignus decessit Romæ anno 1481. die 17. Maii, sepultus in Basilica S. Martini in Montibus, sub tumba marmorea effigiem ejus insculptam habente, ad vivum repræsentatam, cum hoc Epitaphio:

D. O. M.

HIC JACET FR. CHRISTOPHORUS,
TOTIUS ORDINIS CARMELITANS GENERALIS,
QUI PRIVILEGIA DICTI ORDINIS
SUA VIRTUTE CONFECIT,
EAQUE A SIXTO IV. PONT. MAX.
APPROBARI FECIT.
REXIT ORDINEM ANNOS DECEM,
OBIITQUE XVII. MAII, MCDLXXXI.

Annus vix unus ipso Generali transiit quin beneficia, vel privilegia, vel indulgentiæ, vel fundationes Ordini Carmelitico advenerint, præter illa quæ jam retulimus. Nam anno 1472. die 12. Martii, quinque scilicet diebus ante celebrationem Comisiorum, quæ *Asta* facta sunt die 17. ipsius mensis, Vicarius ipse MARTIGNONUS, præsentibus Provincialibus Siciliæ, Tusciæ & Bononiæ, & aliis Magistris auctoritate Apostolicâ Provincias Italiæ divisit.

Anno 1473. die 27. Junii, Summus Pontifex concessit, ut ad postulationem FRANCISCÆ D'AMBOYSE Priorissæ, Monasterio *Triarum Mariarum*, propè *Bonum-Donum*, Diœcesis Venetensis, uniretur Prioratus Insulæ de *Ars*, Ordinis S. Benedicti, per Moniales Monasterii S. Georgii Rhedonensis, dicti Ordinis, gubernari solitus. Eodem anno 1473. die 21. Octobris, instante Nobili Viro FRANCISCO DE LAVAL, Comite DE MONTFORT, Summus Pontifex concessit, ut suppressio Prioratûs Danemeres, propè *Laval*, Ordinis S. Benedicti, Diœcesis Cenomanensis, in Conventum Fratrum Carmelitarum institueretur.

Anno 1474. lites compescuit MARTIGNONUS in Ordine suo motas, circà colorem habitûs suorum Sodalium Carmelitarum, an scilicet niger, an purè griseus esse deberet; & quamvis Patribus Mantuanæ Congregationis intimatum esset, ut juxtà Breve SIXTI IV. Romani Pontificis, habitum uniformem cum toto Ordine gestarent: attamen vivæ vocis oraculo Papæ, referente Guillelmo D'ESTOUTEVILLE, Cardinali Rothomagensi Protectore, quoad illos fuit suspensum. Auctoritate quoque Apostolicâ negotium totum sedavit adversùs JULIANUM DE BRIXIA & PETRUM NEBOLARIUM, Carmelitas motum, quod ii cum aliis sacræ Theologiæ Professoribus & Baccalaureis, propositiones quasdam in Concionibus & Disputationibus per Italiam asseruissent, quas Censurâ dignas alii Theologi adversarii credebant.

Anno 1475. die primâ Maii, concessit Pontifex SIXTUS IV. Quatuor Ordinibus Mendicantibus, *quorum*, inquit, *scientiâ & doctrinâ militans Ecclesia continuò suscipit incrementa*: ne Religiosi, qui *de Observantiâ* vocantur, procurarent aut tentarent accipere Monasteria aliorum, qui *Conventuales* nuncupantur, &c. Eodem anno, die 17. mensis ejusdem Maii, MARTIGNONUS noster JOANNI DE SIONTO contulit Magisterii gradum, juxtà commendatitias ejusdem Pontificis Literas Apostolicas.

Die 20. Junii, eodem anno, idem SIXTUS IV. licentiam dedit pro fundatione tredecim Conventuum in Regno Neapolitano, instante FERDINANDO, Siciliæ Rege: ubi notatur quod *Ecclesiam Carmelitanam per totum mensem Augustum*, *usque ad Festum Nativitatis B. V. Mariæ*, *Populus Neapolitanus à trecentis & ultrà annis visitare consuevit.* Eodem anno 1475. die 19. Octobris, Pontifex idem, instante Christophoro Martignono, concessit licentiam pro fundatione Conventûs *Marchiæ in Famena*, Diœcesis Leodiensis, sub invocatione B. V. *Mariæ de Recuperantiâ.*

Anno 1476. die 4. Februarii, Pontifex idem confirmavit fundationem Conventûs Monialium Carmelitarum jam ab anno 1456. factam extrà muros civitatis *Leodiensis*. Die 31. Maii, confirmavit etiam, ad postulationem MARTIGNONI, vivæ vocis Oraculum Calixti III. pro cultu & veneratione *S. ALBERTI*, Drepanensis Carmelitæ. Die 22. Junii, instante Francisco II. Britanniæ Duce, suppressit Prioratum *Beatæ Mariæ de Scotiis*, vernaculè *de Scoetz*, Ordinis S. Benedicti, in Nannetensi Diœcesi situm, qui à Monasterio S. Sulpitii, Ordinis prædicti S. Benedicti, in Rhedonensi Diœcesi sito pendebat, & concessit ut Sororibus B. V. Mariæ de Monte Carmelo daretur. Die 31. Octobris, instantibus nostro Martignono, & Fratr. Carmelitis Portugalliæ, prohibuit, ne JOANNES EMMANUEL, Regis EDUARDI Filius, Episcopus Egitaniensis, olim Provincialis Provinciæ Portugalliæ, posset ulteriùs Provincialatûs officium exercere.

Anno 1477. die primâ Aprilis, Pontifex idem Romanus confirmat, ad postulationem ejusdem MARTIGNONI, Indulgentias Ordini Carmelitano à pluribus Prædecessoribus concessas, aliasque insuper elargitus est per Bullam: *Dum attentâ meditatione*, quæ habet idem proemium pro isto Ordine satis præclarum, quod altera *Mare magnum* dicta. Die 27. Julii, instante Franciscâ d'Amboyse, Summus Pontifex confirmavit suppressionem Prioratûs B. V. Mariæ de Scotiis, ejusque erectionem in Monasterium Monialium Ordinis Carmelitarum. Quam quidem confirmationem iteravit anno 1479. die 16. Februarii. Eodem anno 1477. decimo Kalendas Septembris, novam Bullam idem SIXTUS IV. edidit, quæ Incipit: *Sacer Ordo vester*, in qua Carmelitas ab omni jurisdictione, dominio ac potestate Inquisitorum fidei exemit ac liberavit. Causa porrò hujusmodi concessionis ea fuit, quod (ut in ea refert ipse Pontifex) CHRISTOPHORUS noster MARTIGNONUS ipsi exposuerat, quod nonnulli Inquisitores hæreticæ pravitatis in diversis mundi partibus constituti, *minùs veraciter asserentes* quosdam è Carmelitis sacræ Theologiæ Professores, res fidei

C.

articulis contrarias in Sermonibus & Disputationibus affirmasse, contra eos inquirere, ac procedere voluissent. Hos verò Patres Carmelitas fuisse credit *Lezana* doctissimos *Julianum de Brixia* & *Petrum Nebularium*, de quibus agetur paulò inferiùs *pag.* 204. 590. *tom.* 2.

Anno 1478. in die Pentecostes Generalia sont in Conventu *Brixiæ* celebrata Comitia sub nostro *Martignono*; ibique inter alia decreta, ordinatum fuit ut quilibet Provincialis, dum ad propria rediisset, peteret à Regibus & Principibus pro Canonizatione *S. Angeli Martyris* & *S. Andreæ Carsini*. Præterea revocantur omnes gratiæ, & privilegia concessa per *Joannem Emmanuelem*, Reverendissimum Episcopum Egitaniensem, anno 1416. defunctum Fratribus Carmelitis Provinciæ Portugalliæ; & ordinatur Provinciali Aragoniæ, ut erga dictam Provinciam vices generalis haberet.

Anno 1479. Die 13. Decembris, Sixtus IV. instante Francisca d'Amboyse, unionem concessit Monasterii de *Bono Dono* Diœcesis Venetensis cum Monasterio *de Scotiis*. Et per aliud Breve Apostolicum eodem die & anno datum, permisit *Raphaëli de Rosis* Carmelitæ, ut posset obtinere quodconque Beneficium Ecclesiasticum. Hoc anno erectum dicitur Cœnobium *Doglianæ*, sub Dominio Serenissimi Ducis Sabaudiæ, hodie Sardiniæ Regis, ab Excellentissimo Principe *Ludovico* Marchione primo de Saluzzo, sub titulo *Sanctissimæ Annuntiatæ*. In eo Conventu constituta fuit anno 1639. Observantia Regularis, instante Francisco Emmanuele *Solario*, Marchione *Doglianæ* seu *Doliani*; quod oppidum Marchionatus titulo nobile, sub *Solariorum* Familia positum, agri fertilitate, & vini generositate gaudet, inquit, *Andreas Rossatti*, in Indice Patriæ Scriptorum Pedemontii. Indè & illic ortus est *Joannes-Antonius Perretus* Carmelita, cujus mentio est inferiùs.

Anno 1480. die quindecimâ Martii, Summus idem Pontifex concessit perpetuò singulis annis Indulgentiam pro Ecclesiis Conventuum Ordinis Carmelitani in Ducatu Britanniæ consistentibus, in quatuor B. V. Mariæ Festivitatibus, videlicet Annuntiationis, Nativitatis, Conceptionis & Purificationis, ad instantiam Francisci Secundi Britanniæ Ducis. Ast ob ampla ejusmodi privilegia, quia hi Carmelitæ plurimas à secularibus personis molestias & injurias paterentur; Generalis, & alii Priores, ac Fratres & Sorores dicti Ordinis à Sede Apostolica obtinuerunt die 21. Maii Judices conservatores in Regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ, per Bullam quæ incipit: *Militanti Ecclesiæ*. Præterea, quarto Kalendas Julii *Sixtus* idem *IV.* Indulgentiam Peccatorum plenissimam concessit Ecclesiam Conventus *Genuensis* Carmelitarum visitantibus, ad Quadriennium valituram, in Festo Annuntiationis, & per alios quatuor dies continuos, similiter in Festo Nativitatis & per quatuor dies continuos; ità ut Fideles possent absolvi à Confessariis per Generalem designandos, quindecim diebus antè dicta Festa & quindecim post. Hoc anno inchoatam Ecclesiæ *S. Chrysogoni* in alma Urbe donationem opinatur Joannes-Baptista de Lezana, quam *Innocentius VIII.* posteà Carmelitis Congregationis Mantuanæ concessit die 4. Julii anno 1489. Quos jam anno 1473. die 13. Julii Sixtus IV. jusserat introduci à nostro Martignono Generali in Conventum *Forolivii*.

Sub hoc eodem anno 1480. Conventus *Narnensis* in Sicilia in Diœcesi Agrigentina, qui titulo *S. Mariæ Annuntiatæ* potitur, largitione regiâ proventuum exornatus est, operâ M. *Hyeronimi de Guagliardo* Natsensi, qui apud Regem & Duces Bivonenses, magnæ fuit æstimationis, ob ejus vitæ & morum candorem. Additum insuper Religioni Carmelitanæ sub eodem anno Monasterium *Golingense* in Germania quod circà annum 1640. Bellorum tumultibus, Catholicorum discordiis, hæreticorum protervià, sub ipsorum ditione manet: sicuti scripsit R. P. Bartholomæus Eixelim, Provincialis Germaniæ ad Reverendiss. *Theodorum Stratium* Generalem.

Sub eodem anno primam habet Ægidius *Gonzales Davila* mentionem *Salmaticensis* Carmelitarum Collegii, in quo Theologiæ studiis vacabat anno 1606. Joannes-Baptista de *Lezana* qui eam altiùs repetendam audivit suis à Majoribus illic commorantibus.

Anno 1681. Prior & Fratres Carmelitæ, qui Ecclesiam *S. Mariæ Gratiarum* extra Soncinum oppidum habitabant, *Joanni Galeazza* Vicecomiti Mediolanensi supplicarunt, ut præfatum locum, in quo à duodecim annis versabantur, illis confirmaret. Annuit Dux literis die 26. Januarii datis, approbante Episcopo Cremonensi, cujus in Diœcesi parva fuerat extructa Ædicula B. Virgini dicata anno 1468. Cujus autem possessionem hoc anno 1481. confirmavit dictus Mediolanensis Dux; dum in vivis adhuc esset noster *Martignonus*.

Cujus etiam supplicatione confirmaverat *Sixtus IV.* Kalendis Augusti 1475. factam *Elizæo de Signorellis*, Priori Provinciali Provinciæ Anconitanæ donationem duarum Ecclesiarum pro fundando Conventu *Anconitano*. Quo itidem anno *Gurgulagi* Conventus Ordini Carmelit. concessus fuit per literas ejusdem summi Pontificis sexto Nonas Maii, postulante *Joanne de Leipis*, qui per nostrum Generalem Prior illic ad vitam constituitur in Congregatione Mantuana, cujus Jurisdictioni subest hic Conventus. Circa quod etiam tempus, cum Oratorium quoddam S. Antonii nuncupatum, *Stephano à Ponte* Carmelitæ oblatum fuisset, Conventus domûs *Ossulæ*, vulgò *Dondossola* appellatus, Provinciæ Lombardiæ, initium habuit; sicut & in eadem Provincia fundatus est eodem ferè tempore Conventus *Lucini* à Fratre *Jacoba Lucina*: hujus autem Ecclesia pro titulo habet *S. Mariam de Gratiis*. *Attrebatense* quoque Cœnobium, cujus primam fundationem anno 1295. factam confirmaverat *Joannes XXII.* die 4. Martii 1329. in melius mutatum est circà anonn 1478. Et anno sequenti 1479. sub 13. Maii, Duce Genuæ Joanne-Baptistâ à *Campofregoso* fundatur Monasterium *Novarum*, vulgo *Nove* ab incolis, ob quoddam miraculum. Est autem sub Provincia Lombardiæ.

SCRIPSISSE plurima Christophorum asserunt *Martignonum* Authores Carmelitæ, probantque *libelli supplices* quos Apostolicæ Sedi obtulit numero plurimos à nobis hactenus citatos. Extant etiam *literæ quædam* anno 1473. directæ Fratri *Peregrino* de *Corsinis* ejusdem Ordinis, quibus innitens aliis literis *Sixti Quarti* Summi Pontificis, de anno proximè præterito emanatis, facultatem ei concedit ædificandi novum Conventum in oppido *Reveri*, Mantuanæ Diœcesis, inter Ferrariensem & Mantuanam Civitates posito. Constituitur etiam in eo Prior pro sua vita & tali conditione fundatur, ut subsit vitæ regularis Observantiæ. Renuntiavit posteà sub anno 1488. juri suo in manibus Superiorum Congregationis hujus Mantuanæ, ipsis relinquendo facultatem eligendi Priorem.

Christophorum Martignonum laudibus celebrant Sixtus IV. Pontifex Maximus variis in diplomatibus, quæ prodierunt *tomo primo Bullarii Carmelitarum pag.* 290. *& seqq.* Guillelmus d'Estouteville, Cardinalis Rothomagensis, Protector Ordinis Carmelitani, in *Constitutione* lata *pro divisione Provinciarum & uniformitate habitûs*, quæ *ibidem* prodiit *pag.* 297. *& seqq.* Claudius Robertus in *Catalogo Generalium Carmelitarum.* Petrus Lucius in *Carme-*

C.

litana Bibliotheca, *pag.* 29. Joannes-Aotonius Philippious in *descriptione Ecclesiarum Sanctor. Silvestri & Martini de Montibus Romæ* : Franciscus Voersius in *Catalogo Generalium Carmelitarum*. Joannes-Baptista de Lezana *tomo quarto Annal. an.* 1472. *pag.* 929. & *an.* 1481. *pag.* 952. Ludovicus à S. Teresia *in successione Eliæ. Cap.* 152. *pag.* 575. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 359. Ludovicus Jacob in *Scheda* affixa *ad pag.* 60. suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Ms.* Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli pag.* 536. *num.* 963, Idem *tomo* 2. *Speculi* Carmelitani, pag. 1004. num. 3703. &c. Quibus superadditur Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro* : Carolus Vaghus in suis *Commentariis*, *pag.* 57.

XLVI.

CHRISTOPHORUS RACHETTUS, Mediolanensis, patrem habuit *Josephum Thomam*, qui filium suum, dum sacris ablueretur undis, *Joannem-Baptistam* appellaverat. Hic autem divino se mancipaturus obsequio, Carmelitarum Congregationem Mantuanam elegit, habitumque suscepir die 4. Julii anno 1659. qui ætatis illius erat decimus-sextus. Scientias avidissimè didicit tam divinas quam humanas : Philosophus enim, Theologus atque Orator non infimus extitit. Humilitatem intereà sic coluit, ut præter studiorum Præfecturam quam prudenter exercuit tam Mediolani, quàm Bononiæ & alibi, Cœnobiorum regimen, aliasque inter suos dignitates inviro semper animo, ne à sapientiæ amplexibus abriperetur, recusaverit. Anni vitæ illius postremi sumus inscii : adhuc tamen mortalis erat anno Christi 1690. Lucubrationes post se reliquit his notatas titulis :

1°. *Vicentina Exemptio pro Regularibus Confessariis approbatis*, *Allegatio juris.* Vicentiæ apud Amadæum, 1681. *in-folio.*

2°. *XII. Volumina Mss.* Quæ Mediolani servantur in Bibliotheca Carmelitarum S. Joannis ad Concham. In his autem voluminib. Mss. continentur :

1°. *Summæ Logicales.*
2°. *Quæstiones in Logicam.*
3°. *Quæstiones in Metaphysicam.*
4°. *Explanationes in Physicam.*
5°. *Commentaria in quatuor Libros Institutionum.*
6°. *De Actibus Humanis.*
7°. *De Vitiis & Virtutibus.*
8°. *De Voluntate Dei.*
9°. *De Gratia & Prædestinatione.*
10°. *De Attributis.*
11°. *De Visione Beata.*
12°. *De Incarnatione.*
13°. *De Scientia Dei.*
14°. *De Angelis.*
15°. *Lexicon Theologicum.*

16°. Præter hæc duodecim volumina, aliod est volumen Ms. ibidem asservatum, in quo continentur *Prediche varie*, è *Panegirici in-folio.* Sicuti refert Philippus Argelatus testis ocolatus in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 1567. *num.* 1384.

XLVII.

CHRISTOPHORUS A PURIFICATIONE, natus in *Cantabria*, omnium virtutum exemplar excellentissimum inter Carmelitas Discalceatos se exhibuit. Divinâ & humanâ literaturâ copiosè instructus, totam Beticam Provinciam Superior rexit, & obiit ætatis anno 71. ac Religionis 52. postquam scripsisset anno

Epistolam Pastoralem, qoæ typis edita in omnibus suæ Provinciæ Cœnobiis reperitur. Alia ejus *plura Manuscripta* videntur Malacæ, ubi idem extremum obiit, inquit Author *Bibliothecæ Carmelitar. Excalceat. pag.* 98.

XLVIII.

CHRISTOPHORUS LEROY, latinè REGIUS, natione Gallus, in oppidulo *Belsiæ* dicto *Pattay*, Diœcesis Carnotensis, quatuor leucis seu duodecim millibus passibus ab *Aurelia* versùs oceasum æstivum dissito natus ; undè *Aurelianensis* plerumque vocatus. Carmelitanam autem Religionem professos est *Nannetis* in Armorica ad *Ligeris* amnis nobilissimi ostia : ubi juveniles annos politioribus literis ac philosophicis excoluit disciplinis. Posteà *Lutetiam* Parisiorum accedens, & Theologicis vacans studiis per varios gradus ad Magisteriale Doctoris scamnum pervenit. Indè ad suos reversus, inter Academicos Gymnasii Nannetensis proceres coaptari postulavit, in quo facultatis Theologicæ Sindici munus ad vitæ finem feliciter & expeditè exercuit. Cum pluries Prioris munus in Conventu ejusdem Civitatis exercuisset, in Turoniæ Provincialem assumptus fuit *Pictavii* anno 1607. ad Comitia, quibus præerat Magister *Ludovicus Charpentier*, Aurelianensis Alumnus, Doctor Parisiensis, ac ejusdem Regii Collegii Prior. Anno 1611. *Hennebonti* celebrato Provinciali Capitulo, in quo Præfecturam ejusdem Turoniæ Provinciæ accepit *Petrus Chalumeau*, Aurelianensis Cœnobii Alumnus, & Parisiensis Baccalaureus, noster *Christophorus Leroy Nannetas* secessit, ubi Priorem adhuc se gerebat anno 1620. Quo se ab illo officio absolvi procuravit, & ad Sanctimoniales de Scotiis, quæ tribus millibus passibus à Nannetis distans Monasterium habitant, gerens abiit Vicarii Generalis vices aut Confessarii lubens usque ad mortem, quæ contigit anno 1629. Cujus memoriæ tanquam Theologi Parisiensis, & Theologicæ Academiæ Nannetensis Decani hæc cecinit carmina *Cyrillus Penneck à S. Paulo*, Carmelita :

D. O. M.

Siste Viator iter, violis hoc contege Marmor
Quo nostræ tegitur Religionis honos.
Cui Sorbona dedit Laurum, cui plectra Camœnæ :
Cui dedit Armoricæ Nympha Trophæa Scolæ.
Quid Sophus exoptat, nisi lilia Regius ? hæc sint
Vota tua ! has violas sparge Viator : Abi.

Edidit Gallico Sermone 1°. *Le Sacré Bocage de l'Ame, divisé en deux Livres* : sive latine, *Sacrum Animæ Nemus duobus Libris distinctum.* Parisiis, apud Petrum Chevalier, 1626. in 8°.

2°. *La vie de la Bien-Heureuse Françoise d'Amboise, Duchesse de Bretagne, depuis Fondatrice & Religieuse Carmelite ; avec les Ardeurs de la même :* seu latinè, *Vitam Beatæ Franciscæ de Ambasia, Ducissæ Britanniæ, posteà Fundatricis & Sanctimonialis Carmelitanæ* : simul & *Ardores ejusdem*, Parisiis, *in-12.*

3°. *Le Jardin des Prieres de Ste. Therese dans les Fêtes de la Vierge* ; id est latinè, *Hortum precum S. Teresiæ pro diebus B. Virginis*, Parisiis, apud Tussanum du Bray, anno 1604. *in-16.*

De Christophoro Leroy loquuntur Albertus Legrand, Dominicanos, in *Vitis Sanctorum minoris Britanniæ*, *pag.* 335. Leo à S. Joanne, *in Delineatione Observantiæ Carmelitarum Rhedonensis*, *Cap.* 71. *pag.* 45. & *Cap.* 16. *pag.* 103. Gregorius Nazianzenus à S. Basilio in *Adoptione Virginali*, *pag.* 1129.

C.

Paulus ab omnibus Sanctis in *Auctario* ad Caput 7. de *Origine & Incrementis Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 214. Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annal.* *sub anno* 1485. *pag.* 962. Hugo à S. Francisco in *Vita Venerab.* Patris Philippi Theobaldi, *Capp.* 8. 11. & 26. *pag.* 54. 83. & 196. Qui scilicet notat pag. 83. à nostro Christophoro Leroy datum fuisse Cœnobio Andegavensi Calicem novenni Bessi ponderosum: arte & opere laboratissimum. Licinius à S. Scolastica in *Vita ejusdem P. Philippi Thibault*, *Cap.* 9. *pag.* 81. & *Cap.* 18. *pag.* 207. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1089. *num.* 3831. ubi eum obiisse anno 1620. incorrecte scribit, post Ludovicum Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 60. Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Franciæ pag.* 290. *num.* 6291. Cyrillus Pennect à S. Paulo in *Gymnasio Carmelitano Ms. ad annum* 1629. Columbanus à Nostra-Domina de Monte-Carmelo in *Catalogo Ms. Provincialium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 3. Idem in *Encomio brevi Ms. Virorum Illustrium* ejusdem *Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 16. &c.

XLIX.

CHRISTOPHORUS SILVESTRANUS BRENZONUS, vel BRENZONIUS, natione Italus, patriâ Veronensis, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor Venetus, Florentinus atque Pisanus, eximius, nec-non Sacrarum Concionum Declamator per illustriores Italiæ Civitates Senæ, Florentiæ, Pisæ, Venetiæ, Mediolani, Genuæ, Navarræ, &c. Facundissimus, obiit Pisis anno 1608. die vigesimâ Maii, postquam edidisset Opera eruditissima, quæ inscribuntur:

1°. *In Psalmum* 136. super Flumina Babylonis, &c. *Commentaria.* Veronæ, apud Petrum Discipulum *in-8°.* anno 1593. Prodierunt Gallicè Parisiis, anno 1608. apud Nicolaum du Fossez, in-8°.

2°. *In Cantica Canticorum Commentaria.*

3°. *In Divum Lucam Commentaria*, sive (ut loquitur Crovæus) *in Lucæ Capitis primi*, *Vers.* 46. & *seqq.* Veronæ, 1595. quod idem sunt ac

4°. *In Canticum Magnificat Lectiones.* Veronæ, apud Franciscum Donnium anno 1595. *in-4°.* Italicè; ad Ferdinandum Austriæ Archiducem.

5°. *In Epistolas D. Pauli Lectiones*; Veronæ, anno 1591. *in-8°.* Italicè.

6°. *De Christi Pretioso Sanguine*; Veronæ apud Petrum Disscrolonum, 1596. *in-8°.*

7°. *De Conceptione B. V. Mariæ Tractatus*; Quem laudant Ferdinandus Quirinus de Salazar in *Tract. de Conceptione B. V. Mariæ*, *Cap.* 42. *pag.* 430. *col.* 2. *lin.* 2. Hippolytus Marracius in *Bibliotheca Mariana.* Petrus de Alva in *Militia Conceptionis*, &c.

8°. *De Doloribus B. V. Mariæ*, & *de Cruce Domini nostri Jesu-Christi*, ad Lucretiam Ducissam Urbinatem. Italicè.

9°. *In Librum primum*, *secundum & tertium Sententiarum*; Veronæ, 1591. *in-folio.*

10°. *Examen Theologicum*, *in tertium Sententiarum cum suis Lectionibus ad seriem distinctionum Magistri*, *Sixto Quinto dicatum*; Veronæ, 1569. *in-folio.* Ad *Clementem VIII. Examen Theologicum in quartum Sententiarum cum suis Lectionibus ad seriem distinctionum Magistri*, *omnibus utilissimum* laudat Georgius Draudius *in Bibliotheca classica*, *pag.* 590. Veronæ editum anno 1599. *in-folio.* *Examen* verò *Theologicum in secundum Sententiarum pro laureandis ad Clementem VIII. Pontif. Max. asservari Manuscriptum* asserit R. P. Dom. Bernardus de Montfaucon in *Bibliotheca Medicæa Laurentiana*, *pluteo* 24. *num.* 9. uti legere est in ejusdem Reverendi Patris *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tomo primo pag.* 290. *col.* 2. *A.* Ubi notat hunc codicem fuisse editum Veronæ anno 1598. *in-folio.* Undè ista varietas? Deceptus-ne est Petrus Lucius, qui Coætaneus propriis oculis vidit editionem anni 1569? Varietas accidit-ne Codicibus superstitibus, aut Editionibus posterioribus?

Editionem anni 1594. Clementi VIII. qui sedere cepit die 30. Januarii 1591. dicatam laudat Henricus à S. Ignatio in Ethica Amoris *tomo* 5. *pag.* 518. *col.* 2. *num.* 2011.

11°. *Speculum clarissimum*, *in quo Summi Pontificis Romani imago expressaque sedes utriusque gladii*; Ferrariæ, apud Balduinum, anno 1607. *in-4°.* Cujus Apographum citat Philippus Dubois in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 172. *num.* 1059.

12°. *Sermo de Christi Cruce* habitus Veronæ anno 1577. in Ecclesia *S. Thomæ.*

13°. *Sermo primus de Indulgentiis*, anno 1583. habitus Veronæ. Ibidem editus apud Sebastianum Dalle-Donne, anno 1583. *in-4°.* Italicè.

14°. *Sermo secundus de Indulgentiis*, anno 1584. habitus Florentiæ, apud Franciscum Tosi, eodem anno 1584. *in-4°.* Italicè ad Blancham Capello Florentiæ Ducissam.

15°. *Sermo tertius de Indulgentiis suprà Evangelium Dominicæ Quartæ Quadragesimæ* habitûs Mediolani anno 1589. in Ecclesia Carmelitarum, Editus Veronæ apud Hieronymum Discipulum *in-4°.* anno eodem 1489. Italicè ad Mathæum Vasques, Hispaniarum Regis Philippi Secundi, & S. Generalis Inquisitionis Consiliarium. Editus etiam est Venetiis, apud Nicolaum Morettum, eodem anno 1589. *in-4°.* Italicè.

16°. *Sermones sex-decim* habiti in Processione sacri Scapularis B. V. Mariæ de Monte-Carmelo in *Canticum quartum Salomonis.* Pisis, Typis Joannis-Baptistæ Boschetti, & Joannis Fontani, anno 1606. *in-4°.* Italicè ad Luciam, Lucretiam & Florettam de Sezzelli.

17°. *De Cypri Bello.* Ad Carolum Principem Austriacum. Veronæ, 1591. *in-4°.* Italicè.

18°. *Vita & res gestæ Astori Balgioni*, *Perusini*, *Exercituum Ducis*, Veronæ anno eodem 1591. *in-4°.* Italicè; cum superiori.

19°. *Vita Venerab. Petri Cernovichii*, *Principis Macedoniæ* in Regno Valentiæ ad oppidum de *Torrente*, defuncti anno 1581. die 8. Octobris; cujus corpus ad Conventum Carmelitarum *Valentiam* delatum fuit, & ibi traditum sepulturæ inter alios Religiosos, quod post biennium, repertum fuit incorruptum, suavissimi odoris fragrantiam emittens. Vita hæc prodiit Italicè *in-8°.* & hujus meminit Daniel à Virgine Maria tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 978. num. 3433. & Aubertus Miræus, Lib. de Ordine Carmelitar. Cap. 7. pag. 214.

20°. *Sermones alii varii Manuscripti* asservantur Veronæ in Bibliothecâ PP. Antiquiorum Carmelitarum, ubi à se visos anno 1640. testatur Ludovicus Jacob.

21°. *De Excellentiis Scapularis*, & *inconsutilis togæ Christi Domini.* Sicut animadvertunt Aubertus Miræus in sua *Bibliotheca Cap.* 7°. & Irenæus à S. Jacobo in *Tractatu Theologico de Singulari Immaculatæ Virginis protectione*, *sect.* 1*d. cap.* 1°. *paragrapho* 7. *pag.* 28.

Christophori Silvestrani Brenzoni honorificam habent mentionem Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, *tom.* 1. *pag.* 355. Ferdinandus Quirinus de Salazar, *Lib. de Conceptione B. V. Mariæ*, *pag.* 430. Fabianus Justinianus, *Lib. II. de Scriptura sacra*. *pag.*

C.

pag. 425. 513. 544. *&c.* Hyppolitus Marracclus, in *Bibliotheca Mariana.* Sylvester de Saavedra, in *Sacra Dei-para.* Petrus de Alva, in *Militia immaculatæ Conceptionis.* Theophilus Raynaudus in *Scapulari Partheno Carmelitico.* Georgius Draudius in *Bibliotheca Classica*, *pag.* 372. 536. 590. Guillelmus Crovæus in Elencho Scriptorum, *pag.* 92. Jacobus Lelong in *Bibliotheca Sacra*, *pag.* 980.

E Carmelitis Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 29. Franciscus Voersius in *Descriptione Provinciarum Ordinis* : Josephus Falco in *Chronico Carmelitico* : Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. Annal. ad aun. 1300. *num.* 11. *pag.* 478. Idem, in *lib. de Maria Patrona*, *cap.* 5. *Emmanuel Romans*, in *Elucidationibus Ordinis Carmelitici:* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 482. ubi defunctum illum anno 1619. erronee scribit. Cyrillus Penneck a S. Paulo *in Gymnasio Carmelitico Ms. ad annum* 1597. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 61. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1000. *num.* 3703. Irenæus à S. Jacobo in Tract. Theologico de *singulari Immaculatæ Virginis Protectione*, *sect.* 1. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 28. ubi notat quod Christophorus Silvestranus de excellentils Scapularis à B. Virgine Simoni Stochio traditi, & inconsutilis togæ Christi Domini librum edidit, quem Aubertus Miræus *cap.* 7. Tractatûs de *Ordine Carmelitarum* appellat *eruditione*, *subtilitate & spiritu plenissimum*, *&c.*

ADDITION pour l'Article de SYLVESTRANUS BRONZONUS, extraite d'un Livre qui a pour Titre : Essais de Litterature, *par MOULIER, page* 148.

CHRISTOPHORUS SYLVESTRANUS BRONZONUS étoit Carme ; il est mort en 1619. Henri IV. en faisoit beaucoup de cas, & il eut une fois le dessein de l'attirer à la Cour pour en faire son Confesseur ; mais les Ennemis secrets de BRONZONUS éluderent le coup.

Ibidem, *pag.* 48.

SYLVESTRANUS BRONZONUS, in quatuor Libros Sententiarum.

On ne trouve presque plus ce Livre : il est si rare, qu'on en a offert autrefois une grosse somme, & c'étoit pour un Exemplaire non complet, qui ne contenoit que le premier & le second livre des Sentences. Cet Auteur est un très-bon Scholastique, & il y a beaucoup de fruit à faire dans la lecture de cet Ouvrage.

» Un Ecclesiastique, ami de Monsieur Baloze, » disoit, il y a quelque-tems, qu'il en avoit eu un » tout entier pour 7. liv. mais ce sont des coops de » fortune qui n'arrivent qu'une fois dans un Siecle, » & dont il faut profiter avec empressement. Le » Livre est généralement estimé, & rempli d'une gran- » de érudition. Un des plus sçavans Prélats du Ro- » yaume, connu par son mérite & par sa piété, en fait » son étude ordinaire, & dit que ce seul Traité ren- » ferme à la verité, & d'une maniere concise, toute » la Théologie. Tous les Gens Doctes font un cas » extraordinaire de l'Auteur : il est connu par sa » grande Doctrine & par la connoissance parfaite » qu'il avoit des Peres de l'Eglise ; & un de nos plus » celebres Théologiens assûre qu'il étoit une des lu- » miéres de son tems. C'est one vraïe désolation de » voir la chûte & la décadence d'aussi excellens Ou- » vrages, & on ne peut presque, sans gémir, prévoir » l'oubli entier dans lequel seront ensevelis dans

» quelques années des Ouvrages, dont pour toute » connoissance il ne nous reste presque plus à pré- » sent que la Note. Etrange effet de la vicissitude des » choses humaines, d'autant plus déplorable, que l'a- » mour des Sciences & des Belles Lettres, qui a été » de tous les âges & de tous les tems, n'en peut pas » même fixer l'instabilité; & que des Ouvrages qui ne » devroient avoir d'autre mesure de leur durée que » celle du monde, éprouvent si souvent le sort fatal » de l'oubli. Heureux ! si cette reflèxion pouvoit en- » gager quelqoe docte Personnage à entreprendre » une nouvelle Edition de ce Livre, dont, sans ce » secours, la posterité sera bien-tôt privée.

L.

CHRISTOPHORUS A TOLETO, natione Hispanus, patriâ Toletanus, ubi & Carmelita, & Doctor Theologus, & sacræ Scripturæ poblicus Interpres in Academia hujus Civitatis, & Consultot S. Inquisitionis, & Examinator Beneficia postulantium, scripsit circà annum 1588. *Placita Theologica varia*, sicuti asserunt

Philippus à S. Jacobo Lib. de *Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum* : Emmanuel Romans in *Elucidationibus Ordinis Carmelitarum* : Alegreus Cassanatus *in Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 431. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 62. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 69.

LI.

CHRISTOPHORUS MARINUS, gente Calaber, patriâ Crotoniates, Carmelitarum ejusdem Provinciæ Provincialis anno 1613. *Orationem panegyricam R. P. Pauli Antonii Scarini* aliàs *Foscarini*, de quo infer. *pag.* 462. *tom.* 2. agimus, edidit Consentiæ, apud Riccium, an. 1615. teste Elia de Amato, in Schedis Mss. anno 1747. datis.

LII.

CLAUDIUS A JESU, Persona est sub quâ se occultavit PHILIPPUS A S. CATHARINA, Sequano-Burgundus, Carmelita Discalceatus, sacræ Theologiæ Professor typis mandans,

1. *Delicias Virgineas*, aliàs *Epulum Virgineum.* Moguntiæ, anno 1629. *in*-4°.

2. *Epulum Eucharisticum*, sive Sermones & Discursus reales de SS. Eucharistia, *sexdecim ferculis omnibus Christianis præparatum.* Moguntiæ, impensis Joannis Theobaldi Schonweteri, anno 1630. *in*-4°.

Hæc quondam scripsit Paulus ab omnibus Sanctis Excalceatus Carmelita, Germanus, *in Schedis* missis ad Ludovicum Jacob, qui earum meminit sua in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 62. Ast paucis meminerunt Claudii à Jesu Daniel à Virgine Maria *tomo secundo* Speculi Carmelitani, *pag.* 1128. & Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliot. Carmelit. Excalceat. pag.* 98.

LIII.

CLAUDIUS A MONTE-MARTYRUM, Gallus, ideò nuncupatus, qoia natus in Pago *Montis-Martyrum à Lutetia Parisiorum* mille passibus dissito, Doctor Theologus Academiæ Parisiensis, atque Professor in Collegio Maubertino Carmelitano, nec-non Congregationis Albiensis Vicarius Generalis & anno 1544. Prior Parisiensis, floruit anno 1549. quò edidit in *Apocalypsim Enarrationes.* Parisiis, apud Joannem Maceum & Guillelmum Thibout, 1549. *in*-16. Ad Joannem Bellaium S. R. E Pres-

C.

byterum Cardinalem S. Cæciliæ, Episcopum Parisiensem, Archiepiscopum Burdegalem ac Aquitaniæ Primatem.

Hujus Claudii meminerunt Sixtus Senensis in *Bibliotheca sancta Lib. IV.* Angelus Rocca in *Bibliotheca scripturali.* Fabianus Justinianus *Lib. III. de Scriptura sacra, pag.* 570. Possevinus in *Apparatu sacro tomo.* 1. *pag.* 359. Mathurinus Pigneroneus in *Anagraphe Carmelitana.* Michael Naveus in *Chronico Apparitionum & gestorum S. Michaëlis Archangeli.* Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana Bibliothecæ.* Joann. Balæus *de Scriptoribus in Apocalypsim cent.* 13. *pag.* 172. Guillelmus Crovæus in *Elencho Scriptorum pag.* 94. Cyrillus Penneck in *Gymnasio Carmelitano Ms. ad annum* 1550. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 62. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1085. *num.* 3806. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 351. Jacobus Lelong in *Bibliotheca sacra, tomo* 2. *pag.* 677.

LIV.

CLAUDIUS PERRIER, natione Gallus, patriâ Aniciensis apud Vellaunos, Carmelita Provinciæ Narbonæ, Doctor Theologus Tolosanæ Academiæ, Prior in diversis locis, obiit circà annum Salutis 1652. postquam ex Italica Lingua vertisset in Gallicum Idioma

Vitam S. Angeli Hierosolymitani, Martyris Carmelitæ, à R. P. Joanne-Antonio Philippino, Romano tum Priore SS. Sylvestri & Martini de Montibus, & posteà totius Ordinis Moderatore supremo Romæ editam. Lugduni, apud Petrum Bailly, 1643. *in*-12.

Hæc scripsit Ludovicus Jacob in *Descriptione Provinciæ Narbonæ, cap.* 4. Quæ repetiit in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 62. & indè transtulit Daniel à Virgine Maria suum in *secundum tomum Speculi Carmelitani, pag.* 1089. *num.* 3831.

LV.

CLAUDIUS PERRINI, Italus natione, patriâ Parmensis, Congregationis Mantuanæ Carmelita, Doctor Theologus dixit:

1°. *De Laudibus S. Petri Thomæ Carmelitæ, Patriarchæ Constantinopolitani Orationem*, Bononiæ, anno 1582. prout refert Josephus Falco in *Chronico Carmelitico*; quod exscripserunt Cyrillus Penneck in *Gymnasio Carmelitico Ms. ad annum* 1597. & Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 62. ubi & adjudicat eidem Claudio Perrinni,

2°. *Adversùs Hæreses Tractatum.*

LVI.

CLEMENS COPPOLA, natione Italus, Neapolitanus patriâ, & Professione Carmelitanâ, laureâ Theologicâ Doctor & Magister, obiit in eodem Conventu Neapolitano anno 1647. die 31. Julii, postquam edidisset

1°. *Hierologiam de Mysteriis Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramenti: seu Paraphrasim super Prosam*, lauda Sion Salvatorem. Neapoli, anno 1630 *in*-4°.

2°. *Vitam S. Onuphrii.* Neapoli, anno 1643. Italicè.

Hæc leguntur apud Ludovicum Jacob in Bibliotheca Carmelitana Ms. *pag.* 62. & apud Danielem à Virgine Maria, *tomo* 2. Speculi Carmelitani, *pag.* 1071. *num.* 3731.

LVII.

CLEMENS GHERARDINUS, Italus natione, Parmensis patriâ, sacræ Theologiæ Magister & Regens, Conventûs patriæ Prior, & totius Congregationis Mantuanæ Definitor Generalis, obiit in patria anno 1655. postquam edidisset,

Orationes de Beato Petro Thoma Carmelitâ, Patriarchâ Constantinopolitano. Bononiæ, annis 1576. & 1578. *in*-4°. Latinè: teste Daniele à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1071. *num.* 3731. qui hæc didicit ex *Schedis Ms.* Ludovici Perez Carmelitæ, in Conventu S. Mariæ Transpontinæ Professoris Theologi: Cyrillus Penneck, an. 1595.

LVIII.

CLEMENS MARIA FELINA, Congregationis Mantuanæ Carmelita, S. Theologiæ Magister & Doctor, atque Congregationis ejusdem semel anno 1664. & iterùm Vicarius Generalis, scripsit *Musæum Congregationis Mantuanæ, in quo celebriorum Heroum singula simulachra propriis gemmis coronata, suisque locis aptè disposita conspiciuntur.* Quod quidem Opus Author valdè gravioribus, & magis ætate suæ ac professioni congruis lucubrationibus intentus, Typis demandare non ausus est: sed ægro animo permittente, illud, ne ingenitæ ipsius modestiæ communi tàm fidelium quàm literatorum virorum utilitati singulare præsidium denegaret, R. P. Gaudentius Robertus jam memoratæ Congregationis Mantuanæ Carmelita, edidit *Bononiæ, in Typographia Pisanaria anno* 1691. *in*-4°. & nuncupavit Eminentissimo Principi Palutio de Alteriis S. R. E. Cardinali Amplissimo, Ordinis Carmelitarum Protectori humanissimo.

De Reverendiss. P. Magistro CLEMENTE MARIA FELINA eruditissimi Operis Authore hæc præcinuntur Carmina:

Vivit aquis Pindi Elias conceptus in igne
Spiritus, & Domini est, qui quoque fertur aquis.
Spiritu Eliseus referat duplicatus Eliam.
Tertius hic vates *spiritus ingenio est.*
Undè Prophetarum Carmelus gloria vatum
Pindus, erit Thabor, spiritu in hoc triplici.

ALIUD EPIGRAMMA.

Quos tuus Elias magnos produxit Alumnos,
Grande tuum summo carmine reddit opus.
Conditor Iliados jam dicebatur Homerus:
Ipse novus CLEMENS, *conditor Eliados.*

CLEMENS quidem MARIA FELINA ad singula Carmelitarum simulachra, quæ suo in *Musæo* depinxit, quosdam suis picturis seu elogiis congruos adjunxit versus.

LIX.

CLEMENS A S. MARTINO, natione Aquitanus, *Tutellensis* patriâ, Discalceatus Carmelita, *Tolosæ* professus anno 1630. die 29. Novembris: adolescens in brevi consummatus, amore Dei succensus, ac omnium virtutum Cultor ferventissimus simul ac humillimus, interiit *Tolosæ* peste correptus, anno 1631. die octavâ Septembris, ætatis vigesimo. Scripsit:

1°. *Sententiarum Patrum Libellum, quinque capitibus distinctum Ms.*

2°. *Regulam de modo serviendi Deo, cum lætitia & diligentia Ms.*

Virtutes ejus compendiosè posuit Ludovicus à S. Teresia, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*, *Lib. I. Cap.* 100. *pag.* 261. 262. & indè Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 63. in Scheda Mſ. ibi affixa.

L X.

CLEMENS PEROZZOLA, *Vercellis* natus, Vir ingentis ſcientiæ, atque caritate ſummâ donatus, Verbi Divini Præco facundiſſimus & magno zelo accenſus, ad peſte anno 1630. graſſante infectos plurimùm adjuvandos totum ſe præbuit; pluribus in ſuæ Provinciæ Cœnobiis Priorem geſſit, primarius S. Officii Conſultor *Vercellis* extitit, ubi viam mortalium communem ſubiit an. 1659. De peſtis Lue ſcripſit Opus Italicè inſcriptum: *Apparato allè Conſervatorì della ſanità*. Taurini anno 1631. apud Joannem-Guilielmum Ziſan.

Hæc habet cauſarum Patronus Amedæus Bellinus in primo Codice Mſſ. ſicuti teſtatur R. P. Timotheus Bergeror in Schedis Mſſ. anno 1748. die 4. Februarii datis.

L X I.

CLEMENS STRATTA, Aſtenſis Carmelita, Philoſophicis in rebus verſatiſſimus, ſacræ Theologiæ Magiſter, divini verbi Eccleſiaſtes celeberrimus, diligens ſtudiorum in patria Moderator, edidit *Commentaria in Joannem Bacconem* Carmelitam Angium, circiter annum 1680. De illo mentionem habent Andræas Roſſotti in *Syllabo Scriptorum Pedemontii*, *pag.* 16. Augustinus ab Eccleſia in *Catalogo de Scrittori Piemonteſi*; R. P. Timotheus Bergerot, in *Schedis Mſſ.* anno 1748. elaboratis.

L X I I.

COLUMBANUS A NOSTRA DOMINA DE MONTE-CARMELO, natione Gallus, patria Turonenſis, Pictavii profeſſionem emiſit anno 1684. Rhedonenſis Obſervantiæ fideliſſimus ſequax, vitam plenè religioſam extremum uſque ad halitum accuratè ſervavit. Vir Colloquio jucundus, indole lætus, labore indefeſſus, concionibus aſſiduus, Sacro Tribunali ad animarum regimen continuus, in oratione fervens, in cantu dulcis, in voce blandus, ſuis fratribus amabilis, & Deo pius, obiit Turonibus die 5. Junii anno 1732. cui hæc cecinit R. P. Hieronimus à S. Michaële, Prior tum Turonenſis, ſacræ Theologiæ quondam Profeſſor:

Quam benè cum propria tibi congruit indole nomen?
Non alia ſanè voce vocandus eras.
Mitis enim mores referens geniumque Columbæ:
Pacem inter fratres, non mala bella feris.

Scripſit Gallico Sermone:

1°. *L'Hiſtoire Chronologique & abbregée de l'Inſtitution & Succeſſion de l'Ordre du Mont-Carmel*, depuis l'An du Monde trois mille cent vingt-ſept; neuf cent vingt-ſix ans avant Jeſus-Chriſt, juſqu'à l'an 1730. *in-folio pag.* 159. *Mſ.*

2°. *L'Année Carmelitaine*, à chaque jour de laquelle ſont rapportées une ou pluſieurs Vies des Saints & des Saintes qui ont vécû dans l'Ordre des Carmes, *in-folio Mſ.* Cujus occaſione jam citatus R. Pater Hyeronimus hæc cecinit:

Quas tibi pro tanto referemus munere, grates,
Qui referas nobis grandia facta Patrum?
Jam facilè poterunt ſuperari culmina ſacri
Montis: aperta via eſt; omnibus ire datur.
Sivè per inſuetos quis amet juga ſcandere calles;
Seu ſolito cupiat tramite ad alta vehi.
Expoſita, quo quiſque modo deveneris illuc,
Difficilem haud quiſquam dixerit eſſe viam.

3°. Latinè ſcripſit *Provinciæ Turoniæ Ordinis Carmelitarum Erectionem*, *Provincialium Seriem*, *Capitulorum numerum, Conventuum fundationem, Virorum tum pietate, tum dignitate, tum eruditione illuſtrium, Encomium. Mſ.* Opus iſtud cum aliis duobus in Scrinio Turonenſi Carmelitico aſſervatum ſuſcepit *Columbanus* noſter 1701. Quo electus à RR. PP. Provinciali & Definitoribus ad colligenda monumenta, quæ juxtà determinationem R. Patris *Philiberti Barberii* Prioris Generalis ſingulis in Ordine Carmelitico Provinciis denuntiatam mitterentur ad R. P. *Nicolaum à S. Andrea*, Provinciæ Narbonæ Exprovincialem, tùm ſcribendæ Bibliothecæ Carmelitanæ inhærentem, & in Conventu Veſontionenſi commorantem.

COMPLUTENSE COLLEGIUM Carmelitarum Diſcalceatorum, Divo Cyrillo ſacrum, ut expeditiùs poſſent Auditoribus Domeſticis Philoſophicam inſinuare Doctrinam Angelici Doctoris S. Thomæ, cui additiſſimi haberi vehementiſſimè cupiunt, Curſum integrum Philoſophicum, juſſo Magiſtri Generalis familiæ ſuæ, compoſuerunt, Typiſque ediderunt Tomis quatuor comprehenſum: quorum primus in *Logicam Ariſtotelis*. Secundus in *octo Libros Phyſicorum*. Tertius in *Libros de Ortu & Interitu*, ſeu de *Generatione & Corruptione*. Quartus in *Libros de Anima*. Quorum quidem Tomorum *in-4°*. Authores fuerunt Antonius à Matre Dei & Michael à SS. Trinitate; ut fuſiùs exponitur *pag.* 174. 281.

Curſum hunc memorant Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hiſpana tomo.* 1. *pag.* 196. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 63. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 118. *num.* 3962. Martialis à S. Joanne-Baptiſta, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 99. ubi notat quod Ludovicus Baniellus *tomo.* 1. Moralis D. Thomæ edito Avenione anno 1677. in commendatione illius doctrinæ, operi ſuo præmiſſa, refert Statutum Congregationis Generalis RR. PP. Oratorii celebratæ Pariſiis anno 1675. ibidem Gallico Idiomate editum ſeſs. 21. quod ſic habet: *Renovando Statuta Congregationis undecimæ ſeſſ.* 7. *& duodecimæ ſeſſ.* 8. *noſtri Profeſſores Philoſophiæ docebunt Doctrinam S. Thomæ, quantùm fieri poterit, prout explicatur à præcipuis ejus Commentatoribus, ut Complutenſibus, Joanne à S. Thoma, & Philippo à SS. Trinitate.*

L X I I I.

CONRADUS ALDENDORPIUS, aliàs ALPENDORP, natione Germanus, patriâ Trevirenſis, illic Carmelitanam Religionem profeſſus eſt, & anno 1377. ordinatus Curſor ſtudii. Anno 1382. Lector *Frankfordiæ*. Anno 1383. & 1384. Lector Argentinæ Primarius. Anno 1385. 1386. & 1387. Prior *Boppardiæ* & tertius Provinciæ ſuæ Definitor: ab anno 1388. ad annum 1390. incluſivè Prior *Trevirenſis*. Anno 1391. in Capitulo celebrato *Harlemii*, in Feſto *Aſſumptionis Mariæ* in Priorem *Argentinenſem*: Vir moribus inſignis, doctrinâ præclarus, prudentiâ ſingularis, dexteritate unicus, in Verbi Dei prædicatione eximius, ac ſtudio excellens Theologiæ, cujus laureâ doctorali inſignitus eſt, ut propterea Epiſcopus *Azotenſis* tertio Idus Julii inſtitutus ſit, atque Trevirenſis Suffraganeus, poſt *Nicolaum de Arluno* itidem Carmelitam, *Wernheri à Konigſtein hujus Sedis Archiepiſcopi.*

C.

Ibidem obiit Aldendorpius anno 1413. die 13. Aprilis, postquam scripsisset:

Historiam S. Cyrilli Constantinopolitani, Ordinis Carmelitarum Prioris Generalis. Ex qua Historia, inquit R. P. Philippus Metius Carmelita, circa eadem tempora proprium Officium Ecclesiasticum hujus *S. Cyrilli* compositum est. Quod etiamnum eum Notis seu *Cantu Gregoriano*, in antiquioribus MSS. Membranis extat sex Libris Ecclesiasticis; prout vidit & legit Ludovicus Jacob Bruxellis In Brabantia, & in Montium-Carmeli Monasterio Antiquioris.

De Conrado Aldendorpio perhonorifica reddunt testimonia, Liber MS. *de Beneficiis vacantibus sub Bonifacio IX. fol.* 119. Item liber MS. *Provisionum sub Martino V. in quo ad annum* 1414. *fol.* 181. ista leguntur: *secundo Nonas Septembris, Provisa est Ecclesia Azotensis, vacans per obitum Conradi.* Item Tabulæ antiquæ *MSS. Carmelitarum Provinciæ Alemaniæ inferioris.* Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana.* Gerardus-Joannes Vassius *Lib. III. De Historicis Latinis cap.* 3. *pag.* 450. ubi notat præfatam Cyrilli Historiam *circa annum* 1390. fuisse scriptam. Antonius Possevinus in *Apparatu sacro tom.* 1. *pag.* 380. Antonius Teisserius in *Auctuario Catalogi Scriptorum pag.* 50. Fabricius In *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 1. *pag.* 1151.

E Carmelitis Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal ad annum* 1390. *num.* 8. *pag.* 730. Philippus à S. Jacobo de *Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 318. Philippus Metius *de Viris Illustribus Provinciæ Alemaniæ*: Emmanuel Romans *de Ordine Carmelitico*: Cyrillus Penneck à S. Paulo in *Gymnasio Carmelitico MS. ad annum* 1390. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana MS. pag.* 63. Dominicus à Jesu, in *Spicilegio Antistitum Ordinis Carmelit.* Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 917. *num.* 3194.

LXIV.

CONRADUS AB ANSBERG, filius illustris Comitis ANSBERGII, natione Germanus, professione Coloniensis: qui quantum generis nobilitate claruit, tantùm quoque splendore virtutum, ac doctrinæ excellentiâ. Anno 1384. fuit Informator, id est, Dialecticès seu Logicès Professor, in Carmelo & Studio *Coloniæ*, deindè Magister Studentium ibidem. Anno 1386. Lector Sententiarum *Boppardiæ*: anno 1387. ex decreto Capituli Provincialis, *Moguntiæ* celebrati, destinatur ad Academiam Viennensem *Austriæ*; ubi tunc florebat Magister ARNOLDUS DE AUSTRIA, Carmelita, publicus & celeberrimus Cathedraticus Professor. Ibique in studio perstitit, usque ad annum 1390. Quo anno revocatus suum in Provinciam, ordinatur Lector in Conventu *Cassellensi* in Hassia.

Deindè assumptus est à THEODORICO ex Comitibus Lurwardensibus, seu de MORSA, aut Morsensibus, Archiepiscopo Coloniensi, in Vicarium Generalem, pro administrandis Pontificalibus in locum EVERHARDI MUSCHIN, ex eodem Ordine Carmelitano, Suffraganei Coloniensis, vitâ functi anno 1397. undecimo Kalendas Februarii: & creatus Episcopus *Venecomponensis.* Anno 1399. consecravit Coloniæ Ecclesiam Parrochialem *S. Lupi.* Anno 1410. Universitati Coloniensi novellæ sese adscribi fecit. Anno 1429. decimo-tertio Kalendas Maii consecravit inferiorem partem, cum duobus Altaribus, in domo Fratrum S. Crucis, Ordinis S. Augustini in Schwartzenbroich.

Ædificari quoque fecit suis expensis Sacellum Deiparæ Virginis Mariæ, Coloniæ in Ecclesia sui Ordinis, quod ipsemet consecravit, ipso Virginis immaculatè conceptæ sacrato die; ibique instituit Confraternitatem Beatiss. Virg. Mariæ, quam *Majorem* vocant: quæ etiam in hodiernum usque tempus solemnissimè celebratur annuè in Dominica infrà Octavam Assumptionis Virginis Dei-paræ. Cujus Confratres sunt, quotquot sunt tam intrà quam extrà muros Colonienses, Monasteriorum Abbates, Collegiorum Decani, aliique Prælati Ecclesiastici; nec-non totus amplissimus & nobilissimus Senatus, & Magnates inclytæ civitatis Coloniensis.

Eximius fuit Dei-paræ Cultor: hinc omnibus in locis, seu Picturis, ubi reliquit sui memoriam, semper ad ejusdem Dei-paræ imaginis vestigia sese collocari fecit, prout adhuc variis in locis Ecclesiæ, ac Sacristiæ Carmeli Coloniensis cernitur. Hæc de eo antiqua hujus Cœnobii fert traditio: quod nimirum insignem illam Dei-paræ Virginis imaginem, quæ super Aram Sacelli ejus cernitur: & cui (sivè magnitudinem, sivè pulchritudinem, sivè artificium spectes) nec Coloniæ, nec multis in Provinciis similis visa fuerit, eidem suo Carmelo Coloniensi procuraverit. Quæ usquè adeò civibus Coloniensibus & amplissimo Senatui perplacuit, ut statim ab ejus obitu Conradi, anno 1443. dictam confraternitatem in eodem Sacello festivè peragere perseveraverint. Die 31. Julii defunctus dicto anno 1433. apud suos Coloniæ Fratres tumulatus, sub lapide aliis paulò altiori, cui ipse in plena forma, atque Pontificalibus Vestibus in ære incisus cernitur, in sex partibus per circuitum, nobilitati suæ insignia addita habens, (agente nimirum familia sua) cum hac per quatuor partes extremitatem circumscriptione.

D. O. M.

ANNO DOMINI millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, die ultimâ mensis Julii, obiit quondam Reverendus Dominus ac Pater Dominus † CONRADUS DE ANSBERG, Dei gratiâ Episcopus Venecompensis, Ordinis Carmelitarum, Reverendiss. in Christo Patris & Domini nostri, Domini † THEODORICI DE MORSA, eâdem gratiâ sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi, in Pontificalibus Vicarius Generalis, hic sepultus: cujus Anima per piissimam Dei misericordiam requiescat in sancta pace. Amen.

Scripsit:

1. *Sermones ad Clerum & Populum*, Lib. I.
2. *Collationes feriales*, Lib. I.

De Conrado de Ansberg tractant Liber Universitatis Coloniensis *MS.* Ægidius Gelenius, Canonicus Coloniensis, in *Sacrario Coloniensi*, *pag.* 480. Idem, in *Syntagmate* 43. *Suffraganeorum Coloniensium*: Josias Simlerus, In *Epitome Gesneriana*: Antonius Possevinus, in *Appendice tomi primi Apparatûs sacri.* E Carmelitis, Philippus Metius, *de illustribus Viris Ordinis Carmelitarum*: Emmanuel Romans, *ibidem*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 322. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Episcoporum Germaniæ*, *MS.* Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annalium*, *ad annum* 1398. *num.* 5. & in *Appendice ibid. pag.* 1050. & 1051. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana MS. pag.* 63. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 503. *num.* 903. Idem, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 916. *num.* 3191. &c.

LXV.

CONRADUS DE S. GEORGIO, natione Germanus, Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor. Is socius fuit GOBELINI Teutonici, à BONIFACIO VIII. in Angliam missi circa annum 1302. pro secando quodam schismate inter Carmelitas orto, Provinciæ suæ divisionem alios postulantes, alios è contrà negantes. CONRADUS noster Provincialis fuit Germaniæ inferioris, & scripsit

1. *De Eucharistiæ Sacramento.* Lib. I.

2. *Quæstiones varias.* Lib. I.

3. *Lecturas Theologicas.* Lib. I.

Ita Josias Simlerus, in *Epitome Gesneriana* : Et de illo mentionem facit Paulus Segeri, *Lib. de Viris illustribus Ordinis Carmelitani* : quem secuti sunt Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 64. & Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1096. *num.* 3875.

LXVI.

CONRADUS AB HEYDEN, natione Teutonicus, Coloniensis Carmelita, Theologus Baccalaureus, electus est Episcopus Nicopolitanus, sexto Idus Januarii, anno 1497. ab Alexandro VI. & Suffraganeus Metensis, sub Henrico à Lotharingia, ubi obiit anno 1532. postquàm dixisset *Metis*

Orationem nomine Cleri, in Ecclesia Cathedrali ad MAXIMILIANUM Cæsarem, Metim ingredientem, anno 1492. die 6. Novembris.

Conradum ab Heyden honorificè memorant *Acta Consistorialia ALEXANDRI VI. ad annum* 1497. Idem Pontifex Maximus in ejus *Bullis datis anno* 1499. *die* 14. Junii, ubi Conradus Episcopus Nicopolitanus, residens in civitate Metensi, commemoratur. Ægidius Gelenius, *Lib. III. de Magnitudine Coloniæ Agrippinæ, Syntagmate* 43. *§.* 3. Martinus Murissius *Lib. III. Historiæ Episcoporum Metensium, pag.* 599. & 600. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Mſ. Episcoporum & Suffraganeorum* quorumdam *Carmelitarum nationis Germanicæ*, quem Ludovicus Jacob communem secum habuit, & laudat sua in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 64. Joannes-Baptista de Lezana *ad annum* 1266. *num.* 3. *pag.* 389. ubi errore Typographico Conradus Nicopolitanus Episcopus Joannis Lotharingiæ Metensis Episcopi Suffraganeus obiisse refertur anno 1552. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani pag.* 917. *num.* 3193. ubi notatur quod in Carmelo Coloniensi inter alios Illustres istius Cœnobii, effigies Conradi ab Heyden cernitur.

LXVII.

CONRADUS TREMONIUS, aliàs ERNESTUS, natione Germanus, sacræ Theologiæ Doctor in Academia Bononiensi, Magistro Thomæ Waldensi charus, cum quo Constantiensi Concilio interfuit, & indè reversus in Angliam, obiit Londini anno 1419. ac in sui Ordinis Cœnobio sepultus, atque decenti marmore tectus, postquam scripsisset :

1. *In Libros IV. Sententiarum* ad sensum Michaëlis Angriani Carmelitæ, quem compendiosè redegit.

2. *Catalogum Virorum Illustrium Ordinis Carmelitani.*

Hæc opera nominant Gesnerus in *Bibliotheca Universali litera C.* & ejus Abbreviator Josias Simlerus in *Epitome.* Fabricius in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 1. *p.* 1182. Joann. Balæus *de Scriptoribus Britanniæ cent* 13. *cap.* 14. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 331. Emmanuel Romans *de Scriptoribus Ordinis Carmelitani.* Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *ad annum* 1416. & 1419. *pagg.* 416. & 419. & 790. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 64. Paulus ab omnibus Sanctis in *Auctuario ad caput* 7. *Auberti Miræi de Origine Ordinis Carmelitarum, pag.* 214.

LXVIII.

CONSTANTINUS MONTOBLIUS, Carmelita, Republicæ Genuensis Theologus, Philosophiæ ac Theologiæ Moralis Doctor, Scrutator Synodalis, Provincialis, & Cœnobiarcha pluries in suo Ordine, vivebat anno à Partu Virginis 1620. Hujus Authoris sunt in Bibliotheca Carmelitica Genuæ *Opuscula plurima Mſſ. Philosophica, & Theologica*, à Viris doctis magni habita ; ut referunt Raphael Sopranus in *Vitis Ligurum Illustrium*, & Augustinus Oldoinus in *Athenæo Ligustico pag.* 143. nec-non Ludovicus Jacob in Catalogo Alphabetico Mſſ. fundationum Conventuum Ordinis Carmelitici, *pag.* 96. ubi notat quod CONSTANTINUS MONTOBLIUS, Theologiæ Doctor ac Professor, dormitorium propriis impensis construxit ; atque Provincialis, moritur Genuæ anno 1648. die undecimâ Maii.

LXIX.

COSMAS FACELLINUS, natione Tuscus, Carmelita Pisanus, historiæ placitis & factis mirificè delectatus, obiit Pisis anno 1632. die 16. Septembris postquam scripsisset Etrusco Sermone

Novum Legendarium Vitarum Sanctorum & Sanctarum, Beatorum & Beatarum Ordinis Gloriosissimæ Virginis de Monte-Carmelo : unà cum compendio Vitæ ipsius Virginis, & de solemni Commemoratione à Patribus Carmelitis celebratâ die 16. *Julii Mſ.* Incipit *la Vita & Miracoli di Elia Propheta, &c.* Hoc Manuscriptum in Bibliotheca antiquorum Carmelitarum Pisis vidit Ludovicus Jacob anno 1640. sicut ipse testatur sua in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 64.

LXX.

COSMAS MARIA A S. HYACINTHO, patriâ Genuensis, Carmelita Excalceatus, cui Ordini nomen dederat anno 1631. anteà nuncupatus *Cosmas Cervetus*, scripsit *Vitam Fr. Bernardini à S. Onuphrio*, quæ Mſ. custoditur Romæ, in Tabulario Ordinis ; sicuti scribunt Michael Justinianus *primâ parte Ligurum Scriptorum*, & Augustinus Oldoinus in *Athenæo Ligustico pag.* 145.

LXXI.

COSMAS A SANCTO STHEPHANO, in seculo nuncupatus COSMAS DEVILLIERS, natione Gallus, Diœcesis Parisiensis, ad Fanum S. Dionysii in Francia sex milliaribus à Lutetia Parisiorum distans, natus anno 1683. die 8. Septembris, & eadem die sacris undis in Ecclesia Parochiali S. Marcelli Martyris lustratus, humanioribus literis in Collegio Academiæ Parisiensis Harcuriano studuit. Vestem Carmelitarum induit Turonibus anno 1700. die 13. Junii, & anno recurrente 1701. die 19. ejusdem mensis Junii vota sua ibidem dixit. Parisios statim immissus, annum transegit in Conventu san-

C.

ctissimi Sacramenti *Billetarum* dicto, ad exercitia pietatis devinctus. Indè anno 1702. die 2. Julii egressus, in Ploermeiensem Aremoricæ Carmelum destinatus perrexit; in quo cursum Philosophiæ & Theologiæ annis septem complevit. Ab anno 1709. ad annum 1727. suos Sodales utramque disciplinam continuè docuit variis in Conventibus Aurelianensi, Nannetensi, Hennebotensi, Leonensi, & iterùm Aurelianensi.

Aureliæ potissimùm commoratus, Concionatoris munus sæpissimè sustinuit; ibique Supprioris, juvenum Religiosorum Directoris, imò & Prioris atque Commissarii Provincialis vices gessit: suæ quoque Provinciæ Definitor electus fuit. Anno 1741. die 27. Junii Decanus Societatis Literariæ in eadem Civitate institutæ nominatus: ab Illustrissimo Domino D. Nicolao Josepho DE PARIS Præsule, institutus est Superior Domùs, vulgò *Crucis* dictæ, quam sacræ Fœminæ incolunt & gerunt ad educationem mulierum ab hæresi recens conversarum ad fidem catholicam. Sacris insuper à confessionibus annos fermè quadraginta fuit, & spirituali animarum regimini Sanctis Monialibus Ordinis Fontis Ebraldensis in Monasterio Sanctæ Magdalenæ à præfata Urbe tribus stadiis distante commorantibus. Præter conciones centum & plures, quæ Manuscriptæ servantur apud Authorem, edidit,

1. *La Vie de MICHEL ANGRIANI, dit DE BOULOGNE, dix-huitiéme Général de l'Ordre des Carmes.* Id est latinè, *Vitam Michaelis Angriani, de Bononia dicti, Ordinis Carmelitarum Prioris Generalis XVIII.* Hæc Vita Gallicis typis prodiit Parisiis anno 1728. cum Catalogo, Censura & Dissertatione circà *Commentarios in Psalmos*, nomine *Incogniti* sæpiùs editos. Prodiit, inquam, Gallicè *tomo.* 5. Memoriarum R. P. Joannis-Petri Niceronii, *pag.* 392. *& seqq.* Prodiit etiam latinè in hac *Bibliotheca Carmelitana*, sed pauló contractior, *tomo* 2. *pag.* 433. *& seqq.*

2. *La Vie du Pere LOUIS JACOB de l'Ordre des Carmes.* Seu latinè, *Vitam Patris Ludovici Jacob Carmelitæ.* Gallicè prodiit Parisiis anno 1739. *tomo* 40. Memoriarum Niceronii *pag.* 87. *& seqq.* Prodiit autem latinè in hac *Bibliotheca Carmelitana*, *tomo* 2. *pag.* 273. 286.

3. *Bibliothecam Carmelitanam, Notis Criticis & Dissertationibus illustratam*, duobus *in-folio* tomis distinctam, Aureliæ, 1752. Hanc jam secundâ denuntiarunt aurâ Eruditorum Diaria Parisiensia, Ephemerides Trivultianæ, Acta, &c.

LXXII.

CYPRIANUS A S. MARIA, natione Belga, Dismundanus patriâ, in seculo dictus PHILIPPUS OU PLOUY, Carmelita Discalceatus, Philosophiæ ac Theologiæ Professor, Novitiorum Magister, Prior in diversis locis, & Socius Provincialis, Romam ad Capitulum Generale iturus, nec-non Serenissimo Principi Carolo Duci Lotharingiæ à Confessionibus sacris fuit. Bruxellis obiit die 23. Martii, anno 1653. postquam edidisset latinè:

1. *Thesaurum Carmelitarum, sivè Confraternitatis Sacri Scapularis Excellentiam, in duas partes distinctum.* Coloniæ, apud Bernardum Gualterum, anno 1625. *in-4°.* sæpius recusum, scilicet Monachii in Bavaria, Augustæ Vindelicorum, &c. Et rursùs Germanicè translatum, Coloniæ anno 1628. *in-4°.* interprete Anonymo Carmelita Discalceato. E latino quoque versus est ab Anonymo in Gallicum sermonem, qui olim extabat Ms. Lugduni, apud Vincentium Cavissy, Typographum, à quo id Ludovicus Jacob didicit. Hujus autem sivè Apographi Ms. sivè Autographi meminit R. P. Bernardus de Montfaucon, *tomo* 2. *Bibliathecæ Bibliothecarum Manuscriptarum*, *pag.* 1280. *col.* 1. *B.*

2. *Josephum Teresiam; hoc est modum colendi S. Joseph, juxtà Doctrinam & Exemplum S. Teresiæ.* Herbipoli, apud Elium Zinet, anno 1630. Continet quoque hic Liber ejusdem Sancti Josephi Vitam.

3. *Tractatum de Exercitiis Spiritualibus Ms. continentem quadraginta Materias diversas Rerum Spiritualium*, quæ Exhortationes vocari possunt, *refertas dictis ac sententiis Sanctorum Patrum.* Extabat quondam apud R. P. Lucianum Carmelitam Excalceatum Parisiensem, qui dono hunc Codicem Ms. acceperat à Matre Elisabetha de Jesu-Christo, Priorissa Iprensi Carmelitarum Discalceatorum.

CYPRIANUM A S. MARIA, laudabiliter memorant Thomas Aquinas à S. Joseph *in Dissertat. Theologico-historica de Patriarchatu Eliæ.* Gregorius Nazianzenus à S. Basilio in *Adoptione Virginali*, *pag.* 654. Philippus à SS. Trinitate in *Compendio Historiæ Carmelitanæ.* Lodovicus à Sancta Teresia in *Annalibus Carmelitarum Excalceatarum Galliæ*, *Lib. II. cap.* 59. *pag.* 719. Irenæus à S. Jacobo in *Tract. Theologica de singulari Immaculatæ Virginis Protectione*, *sect.* 3. *cap.* 1. §. 2. *pag.* 243. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 65. Daniel à Virgine Maria *tomo secundo Speculi Carmelitani*, *pag.* 1128. *num.* 3962. Inter exteros Scriptores Theophilus Renaudus io *Scapulari Partheno Carmelitico*, *parte* 2. *quæst.* 2. *pag.* 200. Ibid. *parte* 1â. *cap.* 6. *pag.* 130. Petrus de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptionis.* Hippolytus Marraccius in *Bibliatheca Mariana.* Joannes-Franciscus Foppens in *Bibliotheca Belgica tomo* 1. *pag.* 223.

LXXIII.

CYPRIANUS A NATIVITATE VIRGINIS, natione Gallus, io seculo ANDREAS DE COMPANS dictus, Parisiis natus die 26. Novembris, anno 1605. Excalceatos inter Carmelitas ibidem professus est anno 1633. die 18. Septembris. Dum scilicet in seculo fortunam constituisse videbatur, peragratis pluribus Orientis partibus, in Regio Ærario Præfectus, variis linguis instructus, ità divinis inspirationibus adhæsit, ut inter dictos Carmelitas adscitus, totum se Deo, ac proximorum utilitati in concionando, ac scribendo devoverit, vitamque in virtutum exercitiis exercuerit usque ad obitum, quem Parisiis oppetiit anno 1680. die 16. Septemb. sequentia Opera Gallicès typis mandavit cum titulis qui sic habentur:

1. *Mundus Sanctus*, seu *Modus sanctè vivendi in quolibet Statu.* Parisiis, 1650. *in* 8°.

2. *De Divinæ Orationis Exercitia*, *pro quolibet Statu.* Ibidem, eodem anno, *in-*8°.

3. *Descriptio Eremorum, ac Vitæ Eremiticæ Carmelitarum Excalceatorum.* Parisiis, anno 1651. apud Joannem Roger *in-*4°. Ibidem, anno 1668. *in-*8°. Ex quo collegit, quæ de illis Eremis refert Hippolytus Helyot in sua Gallicè scripta: *Historia Ordinum Religiosorum*, *tom.* 1. *pag.* 361.

5. *Clavis Thesaurorum Cœlestium*, *seu de Exercitio Presentiæ Dei.* Parisiis, anno 1651. apud eundem, *in-*12. Iterùm Bruxellis, anno 1662. *in-*16.

4. *Consilia Spiritualia.* Parisiis & Lugduni, anno 1661. *in-*12.

6. *Crucis Suavitas.* Parisiis, anno 1561. *in-*12.

7. *Virtutes & Scripta D. Baronæ de Neuvillete.* Parisiis, 1660. *in-*18. Gallicè: Recüeil des Vertus

C.

& des Ecrits de la Baronne de Neuvillete. Citatur à Jacobo Lelong in Bibliotheca Historica Franciæ, *pag. 66. num.* 1511.

8. *Cæcitas & Ingratitudo sine pari*, per modum Dialogi inter duos Solitarios. Bruxellis, anno 1664. *in-8°.*

9. *Meditationes de Æternitate pro Magnis & Parvis, & quocunque Statu.* Rothomagi, anno 1665. & Parisiis anno 1672. *in-12.*

10. *Contra Pugnantes in Duello.* Parisiis, anno 1651. *in-4°.*

11. *Praxis Christiana, & Præparatio ad bene moriendum, & ad adjuvandos morti Proximos.* Parisiis, anno 1651.

12. *Pacis & Pietatis Regiæ Triumphus.* Parisiis, apud Antonium de Sommaville, 1660. *in-4°.* Ex Hispanico Idiomate in Gallicum Sermonem vertit:

1. *Opera S. Teresiæ*, tomis duobus *in-4°.* Parisiis, anno 1644. & pluries: quæ quamvis antiquis & ferè insolitis nonnullis verbis scateat, in pretio tamen audit apud plurimos.

2. *Vitam* ejusdem *S. Teresiæ* scriptam *per Didacum Yepez.* Parisiis, anno 1643. *in-4°.* apud Dyonysium de Lanouë, iterùm alio anno.

3. *Opera B. Joannis à Cruce, cum Elucidationibus Phrasium Mysticarum à R. P. Nicolao de Jesu Maria*, scriptis. Parisiis, anno 1641 & 1665. *in-4°.* apud Viduam Petri Chevalier.

4. *Vitam* ejusdem *B. Joannis à Cruce per R. P. Josephum à Jesu Maria* priùs datam, & per R. P. Elisæum à S. Bernardo de novo Gallicè editam correxit; & ibidem edidit annis 1638. & 1642. *in-8°.*

5. *Opuscula Vener. Matris Annæ à S. Bartholomæo.* Ibidem 1646. *in-12.*

6. *Praxim Vivæ Fidei* per R. P. *Thomam à Jesu* Carmelitarum Excalceator. Præpositum Generalem scriptam. Parisiis, anno 1644. apud Viduam Petri Chevalier *in-12.* Iterum, ibidem anno 1674. *in-8°.*

7. *Vitam Spiritûs per Antonium de Rojas* scriptam. Ibid. 1646. *in-8°.* Item 1648. *in-12.*

8. *Vitam Venerab. Fr. Francisci à Puero Jesu* scriptam per R. P. *Joseph à Jesu Maria.* Parisiis, anno 1647. in-8°.

9. *Ejusdem Operis secundam partem, per Antonium de Rojas*, id est *ejusdem Vitæ Spiritus secundam partem.* Ibidem anno 1649. *in-12.*

Ex Italico Idiomate *Clypeum Pietatis Christianæ.* Bruxellis, anno 1663. *in-8°.* Ex Latino Sermone vertit in Gallicum Idioma,

10. *De Linteis Sepulchralibus Christi Salvatoris Crisim historicam*, à Joanne-Jacobo Chifflet, Vesontionensem Archiatrum scriptam. Parisiis, apud Sebastianum Cramoisy, anno 1631. *in-8°.* Sic autem titulus Gallicè habetur: *Hierothonie de J. C. ou Discours des saints Suaires de N. S. traduit du Latin de J. Jacques Chifflet par A. C. P.* (id est per *Andream de Compans Parisinum*: hoc enim anno Cyprianus noster Vestem Carmelitanam nondum induerat, quam anno tantùm sequenti 1632. assumpsit.)

11. Instructionem Novitiorum, per Joannem à *Jesu Maria.* Parisiis, 1647. & 1672. *in-12.*

12. Ejusdem Theologiam Mysticam, ibidem, anno 1651. *in-12.*

13. *Interiorem Exhortationem ad S. Communionem*: seu *Manna Eucharisticum, pro omnibus Dominicis, Festivitatibus & diebus Quadragesimæ*, per R. P. Justum ab Assumptione. Bruxellis, anno 1665. *in-8°.*

Cypriani à Nativitate meminerunt Gabriel Naudæus in *Dialogo Politico*: Petrus à S. Romoaldo in *Diario Chronologico die 10. Aprilis*: Franciscus Colletet in *Apologia Sacræ Solitudinis*: Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historicâ Galliæ, pag. 66. num.* 1511. N. Lengler du Fresnoy in *Methodo studendi Historiæ tom. 3. pag.* 152. Edit. *in-4°.* Hyppolytus Helyot in *Historia Ordinum Religiosorum tom. 1. pag.* 361. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 65. Idem in *Bibliotheca Personata Ms. pag.* 63. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1128. *num.* 3962.

LXXIV.

CORNELIUS GUARGANTUS, natione Italus, patriâ Socinas Diœcesis Cremonensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister & Professor, nec-non Patrii Cœnobii, Romanique S. Chrysogoni Prior & alibi; atque Definitor Generalis Congregationis Mantuanæ, Mantuæ obiit anno 1602. postquam edidisset

Orationes Latinas de S. Hieronymo & de B. Petro Thoma. Bononiæ 1575. & 1592. *in-4°.* prout refert Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1071. *num.* 3732. Josephus Falco in *Chronico.* Vide inferiùs *tomo* 2. verbo, *Vincentius Cornelius Guargantus.*

LXXV.

CYRILLUS CANDIDUS, Neapolitanus, Carmelita, Doctor Theologus, ac studii generalis Carmelitarum Neapolitanorum Præfectus, Poëta non inelegans edidit circà annum 1629.

1. *Epigramma ad Antonium Aurificum.* Quod legitur *parte 2. Elogiorum Virorum Illustrium Julii Cæsaris Capacii, pag.* 348.

2. *Hymnum in Laudem S. Andreæ Corsini, Fesulani Episcopi.* Incipit *Sanctum Canamus Præsulem, quem, &c.* teste Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag. 66.*

LXXVI.

S. CYRILLUS Constantinopoli honestis & christianis parentibus natus, puer liberalibus disciplinis feliciter studuit, & Theologiâ apprimè instructus, adeò ut Philosophos & Theologus atticâ linguâ luculentissimus haberetur. Anno 1181. Soldanum Iconii Saracenum refertur ad Fidem Catholicam convertisse. Constantinopolim reversus, Sacerdotii gradum recepit: sed paulò post ortâ circà S. Spiritûs Processionem dissenssione inter Patriarcham & aliquot ejus Clericos, Cyrillus ad Montem-Carmelum appulit circa annum 1190. in quo benignè à S. Brocardo acceptus, vitam eremiticam usque duxit, dum in Armeniam ceu cœlitùs missus, eam totam regionem intrà decennium in Orthodoxa fide confirmavit, Comitem sibi adsciscens & Socium Eusebium nomine. Anno 1192. in Montem-Carmelum redierat, & austeræ pœnitentiæ famulatum ibi exercebat, cum die 21. Octobris Ministerio Angelico decoratus fuisse asseritur intrà Missarum Solemnia, quandò duas tabulas argenteas Græcis Literis inscriptas recepit, futurum Ecclesiæ statum prænontiantes: quas per Eastum suum Coeremitam è Syria in Calabriam misit ad Joachimum Abbatem Florensem, qui eas (ut petebat Cyrillus) explicare dignaretur. Mortuo S. Brocardo anno 1221. Cyrillus in Priorem Eremitarum Carmeli Generalem electus, ibidem obiit die 6. Martii, anno 1224. Multa scripsit quæ inscribuntur:

1. *Oraculum Angelicum*, cujus Prologus sic incipit: *Domui totius divinæ.* Oraculum verò sic incipit: *Tempore annorum Christi, &c.* Lib. I.

2. Liber *de Processu, & variis Regulis Ordinis Carmelitaram*, ad Eusebium Priorem Montis Neroi, per modum Epistolæ. Incipit: *Sacræ hajus Religionis*, &c.

3. *Epistolæ plures ad diversos.* Lib. I.

Ita referunt Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Cap.* 409. Jacobus Philippus Foresta, cognomento Bergomensis, in *Supplemento Chronicorum, Lib. XII. ad annum* 1199. Conradus Gesnerus, in *Bibliot. anivers. pag.* 191. Joannes-Jacobus Frisius, in *Epitome hujus Bibliotheca, pag.* 182. *col.* 2. Godefridus Henschenius, inter *Acta Sanctorum, die 6. Martii, tom.* 1. *pag.* 498. *& seqq.* Conradus Oldendorpius, Trevirensis Carmelita, circa anuum 1384. in vita hujus S. Cyrilli: Nicolaus Kenton, Anglus Carmelita, circa annum 1440. in vita ejusdem S. Cyrilli: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana, pag. 66.*

De Oraculo SANCTI CYRILLI *Angelico;* *APPENDIX. PRIMA.*

1. Oraculum cum Joachimi Abbatis Commentatio & Literis mutuis S. Cyrilli & Joachimi prodiit Lugdoni anno 1663. *in-8°.* operâ R. P. Philippi à SS. Trinitate, præpositi Generalis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Italicæ.

2. Prodiit Antuerpiæ anno 1680. *in-fol. tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 287.—296.

3. In idem Oraculum Commentaria & egregia testimonia dedit anno 1680. GILBERTUS Theologus, cognomento *Magnus*, in Anglorum natione Monachus, & Ordinis Cisterciensis Abbas, præpositus Generalis.

4. In Oraculum idem Commetaria dedit, anno 1357. Joannes de Rupe-Scissa, natione Gallus, Ordine seu professione Franciscanus & Minorita. Quæ quidem Commentaria Parisiis servantur in Bibliotheca Regia, codice 5695. nec-non in Bibliotheca Colbertina, codice 4356. prout asserit Stephanus Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionensium, *pag.* 942 *&* 1430.

5. In Oraculum idem Commentaria dedit Thelesphorus, sive Theslesphorus aut Theophorus de Cusentia, Presbiter & Eremita propè Thebas Lucanas in Calabria, circà annum 1400. cujus acta & scripta referuntur apud Danielem Papebrochium inter Acta Sanctorum ad diem 29. Maii, *tomo* 7. *pag.* 125. nec-non apud Casimirum Oudinum in Commentariis de Scriptoribus Ecclesiasticis, *tomo* 3. *pag.* 2217. *&* 2218. ubì appellatur præfati Theophori opus latinè inscriptum: *De magnis Tribulationibus & Statu Ecclesiæ.*

6. Prodiit etiam in alio libro qui titulum haber:
» Expositio magni Prophetæ Joachim in Librum
» Cyrilli de magnis Tribulationibus & Statu Ec-
» clesiæ, cum compilatione Theolosphori de Cu-
» sentia. Item Explanatio in Apocalypsim de residuo
» Statu Ecclesiæ. Item, Joannes Parisiensis de Anti-
» Christo. Item Ubertinus de Cabali, de septem Sta-
» tibus Ecclesiæ. Venetiis apud N. de Soardis 1516.
» *in-4°.* Hi Tractatus omnes in uno volumine contenti, citantur, *pag.* 55. *Bibliothecæ* sive *Catalogi Librorum Abbatis Aurelianensis de Rothelin*, Typis Parisiensibus editi apud Gabrielem Martin, 1746. *in-8°.*

7. Oraculum idem Angelicum Commentariis illustravit Jacobus Græcus Silanæus Cisterciensis Monachus, in *Chronologia Operum & Vitæ Joachim Abbatis:* cujus meminit Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annalium Carmelitarum, ad annam* 1192. *num.* 4. *pag.* 117. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 291. *num.* 1073. Illustravit quoque Bartholomæus Albizi, anno 1399. in Libro *Conformitatam Vitæ B. Francisci, &c.* §. 6. edito anno 1510. apud Gotardum Ponticum, *Mediolani, in-folia.* Illustravit Joannes Ergon ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Anglus Monachus, qui Angelicum Sancti Cyrilli Oraculum anno 1490. edi curavit Herefordiæ, suas *inter Compilationes Vaticiniorum;* ut animadvertit Joannes Balæus, *Centuria VIII. cap.* 50. *pag.* 623. & *Centuriâ tertiâ*, in Appendice ad Ranulphum Glaunyle, *cap.* 93. *pag.* 279. Quibus addi potest Petrus de Natalibus, Equilinus Episcopus, in *Auctuario Vitarum Sanctorum*, sub titulo: *De Sanctis nuperrimè canonisatis, cap.* 3. ubi agit de S. Cyrillo.

EJUSDEM ORACULI ANGELICI *Codices Manuscripti.*

Hujus Angelici Oraculi Codices non desunt manuscripti, quorum antiquissimus ante annum 1280. servabatur in celeberrima Cluniacensi Bibliotheca, de qua hæc scribit GILBERTUS cognomento *Magnus.*
» Cum ad Monasterium Cluniacense, quibusdam
» negotiis exigentibus, pervenissem, contigit, ut
» nobis multa volumina revolventibus, hic modicus
» codicillus nigro corio coopertus occurreret, anti-
» quissimis seu vetustissimis litteris descriptus: In
» litteris capitalibus, quæ sunt in toto volumine un-
» decim deauratus. Sed & tota Cyrilli Presbyteri
» Eremitæ Carmeli salutario, litteris aureis effulge-
» bat. Angelus quoque cum nebula, & quæ infrà
» scribuntur suo loco curiosissimè scripta erant; cu-
» jus titulum cum legissem, & vidissem in eo Joa-
» chim famosum describere textum, conversus ad
» Librarium Monasterii, & hunc perii cum antelato
» volumine commodari; quod renuens ipse Libra-
» rius Monachus, tandem precibus devictus assensit.
» Ecce quam laudabilem iste Cyrillus Eremita adhi-
» buit diligentiam, ut nec modicum quid omitteret
» in scribendo ista. Nec dubium est summæ capaci-
» tatis tantum hominem extitisse; cum occupatus
» missalibus studiis, quæ totius hominis totalem cu-
» ram exigunt, & requirunt tanta, tam varia, &
» subtilia, in tam parvula mora, memoriæ com-
» mendavit, nec eò minùs processit in mysteriis.

Secundus Manuscriptus Cyrilli Presbyteri Eremitæ Montis-Carmeli Liber de Oraculo Angelico ad Abbatem Joachim, cum Expositione Gilberti Anglici servatur in Bibliotheca Vaticana inter Codices Reginæ Sueciæ, Codice 481. sicuti refert R. P. Domnus Bernardus de Montfaucon in sua Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum: *tomo* 1. *pag.* 25. *col.* 2. A.

Tertius Codex ibidem citatur *pag.* 63. *col.* 2. D. tamquam servatus in eadem Vaticana Bibliotheca inter Codices Alexandri Petavii, *lit.* C.

Quartus Codex ibidem appellatur, *pag.* 167. *col.* 2. In Catalogo Manuscriptorum Bibliothecæ Slosianæ.

Quintus Codex ibidem nominatur *tomo* 2. *pag.* 738. *col.* 1. B. inter Codices Manuscriptos Parisiensis Regiæ Bibliothecæ latinè scriptos *in-folio* parvo.

Sextus Codex ibidem laudatur, *pag.* 1278. *col.* 2. C.

Septimos Codex ibidem numeratur, *pag.* 1281. *col.* 1. B.

Octavus Codex asservatur Claramonte in Arvernia apud Patres Carmelitas Excalceatos.

Nonus Codex reperitur Parisiis in Bibliotheca Canonicorum Regularium S. Victoris.

Decimus Codex servatur Bruxellis in Belgio apud

antiquiores

C.

antiquiores Carmelitas in Vita Mſ. S. Cyrilli, quam Conradus Alendorpius Carmelita & Trevirenſis Suffraganeus, ſcripſit circà annum 1384.

Undecimus Codex occurrit ſimilis apud antiquiores Carmelitas Montenſes in Hannonia, in Vita S. Cyrilli ab eodem Conrado Alendorpio ſcripta, quam utrobique viſam a ſe fuiſſe teſtatur Ludovicus Jacob in Bibliotheca ſua Carmelitana Mſ. *pag.* 63.

Indè patet quàm celebre fuerit olim Sancti Cyrilli Oraculum; quamvis R. P. Daniel Papebrochius dixerit in Hiſtoria Chronologica Patriarcharum Hieroſolymitanorum, *cap.* 10. *num.* 213. *pag.* 51. » Antiquiori Autore deficiente, fatemur ſuſpe» cta nobis manere omnia, ſicut etiam ſuſpecta no» bis eſt ejuſdem Cyrilli ad Abbatem Joachim, quâ » petit interpretationem Oraculi ſibi per Angelum » traditi, tum reſponſio ejuſdem ad jam dictum » Cyrillum. Sed cur ſuſpecta? *Quia timeo ne ſola nominis Græci ratio fecerit eum* Cyrillum *Græcum videri*: inquit idem Papebrochius, tomo primo menſis Aprilis, in Notis ad Vitam S. Alberti Patriarchæ Hieroſolymitani, *num.* 70.

De Epiſtola S. CYRILLI *ad* EUSEBIUM, *Montis Neroï Priorem*, *APPENDIX SECUNDA.*

Inter Opera S. CYRILLI Carmelitarum Prioris Generalis Tertii, recenſetur *Liber de Proceſſu & variis Regulis Ordinis* Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte-Carmeli, ad Euſebium Priorem Montis-Neroï, *per modum Epiſtolæ*. Hic Liber prodiit Venetiis anno 1507. in antiquiori Carmelitarum Speculo, *foliu* 28. *& ſeqq.* Prodiit Antuerpiæ anno 1662. in Vinea Carmeli, *pag.* 1. *& ſeqq.* cum Notis Danielis à Virgine Maria. Prodiit iterùm Antuerpiæ anno 1680. in recentiori Carmelitarum Speculo, *tomo* 1. *pag.* 78. Inſertus *Lib. VII. cap.* 6. *& Lib. VIII. cap.* 1. 2. & 3. Philippi Riboti *de geſtis Carmelitarum.*

Quoad hujus Libri exemplaria manuſcripta, viderunt & citarunt Joannes de Venetta, Compendienſis Carmelita, antè annum 1630. Philippus ipſe Riboti Catalanus antè annum 370. Joannes Groſſi Toloſanus antè annum 1390. qui titulum hujus Epiſtolæ hunc legit: *Cyrillus Eremita Montis-Carmeli ad Abbatem Joachim*, juxtà aliquot Epigrapha manuſcripta, in quæ is error irrepſerat, eò quod Cyrillus alteram celebrem Epiſtolam ſcripſerit ad Joachimum Abbatem Florenſem, de qua mox ſuperiùs egimus: Amanuenſes autem nonnulli hanc ad Euſebium Epiſtolam cum illa ad Joachimum de Oraculo Angelico Epiſtola miſſa inconſideratè confuderunt; ſicut animadvertit Lezana ad annum Chriſti 1192. *num.* 6.

Genuinus tamen & primævus poſterioris Epiſtolæ titulus *ad Fratrem Euſebium Montis-Neroï Priorem* inſcribitur, in Codicibus Manuſcriptis vetuſtioribus, qualis fuit is quo uſi ſunt Scriptores Joanne Groſſo antiquiores, putà Joannes Bacho ante annum 1345. Joannes de Venneta, Philippus Riboti, &c. qualis is fuit, qui Pariſiis in Collegio Navarræ anno ſaltem 1446. ſcriptus in pergameno, per Joannem Simonis de Nova-Terra, & aſſervatur in Carmelo Gandavenſi, & in quo etiamnum legitur: *Ad Euſebium Eremitam Montis-Neroï Priorem.*

Attamen ſi R. P. Papebrochio fidem dabis, Epiſtola ad Euſebium ipſa ſe probat ſcriptam eſſe non à Cyrillo, ſed ab aliquo qui fuerit ignorans, quo anno data ſit Regula Carmelitarum, quæ eſſet forma habitûs Carmelitani, quo is nomine appellaretur: undè conjicit Papebrochius in Notis ad Vitam S. Alberti Patriarchæ, *num.* 551. Authorem hujus Epiſtolæ ſcripſiſſe eo tempore, quo hæc omnia ex memoria Carmelitarum exciderant.

Reſpondent autem Carmelitæ, juxtà Logicum effatum: Qui nimis probat, nihil probat. Neque enim aſſignari poteſt tempus, quo ea quæ objicit Papebrochius exciderint è memoria Carmelitarum.

OBJICIT 1°. PAPEBROCHIUS Autorem Epiſtolæ ſcribere Regulam Carmelitarum datam fuiſſe ab Alberto Hieroſolymitano, anno MCXCIX. quo electus nondum erat ad hanc ſedem Albertus.

Reſpondent Carmelitæ hunc errorem adjudicandum eſſe non Cyrillo, ſed Sciolo Amanuenſi & librario inconſideratè ſcribenti annum MCXCIX. pro anno MCCIX.

1°. Hic error non S. Cyrillo adjudicandus eſt; haud dubiè ſcribenti Regulam prout ſuo tempore annotabatur. Annus autem nullus apponitur datæ Regulæ, quam ibidem Refert Cyrillus *cap.* 6. Neque in Regiſtro Innocentii IV. Autographo, qui Regulam mitigavit, ullus aſſignatur annus datæ Regulæ.

2°. Guillelmus de Sanvico, qui Capitulo Generali Montiſpeſſulano interfuit anno 1287. ſcribit in ſui Chronici capite ſecundo Regulam Carmelitarum datam fuiſſe anno M. CXCIX. Attamen *Guillelmum Sanvicum amo*, inquit Papebrochius, *& dignum veniâ judico, & præ cæteris Carmelitarum originum Scriptoribus lectu dignum.* Illius proindè Chronicum non reſpuit Papebrochius, neque recentiùs arbitratur ex eo quod datæ Regulæ Carmelitarum aſſignetur in eo annus M. CXCIX. Eadem veniâ dignus cur non judicaretur Cyrillus? etiamſi annum eumdem deſignaſſet.

3°. Si ob unum errorem vel alterum (inquit Baronius in Notis Martyrologii, die 9. Octobr.) in Vitis Sanctorum inventum, cætera quæ remanent, fide carere dixerimus: profectò omnes ferè Sanctorum Vitas in maximum diſcrimen inducimus: cum penè in omnibus aliquid notari poſſit quod corrigendum videatur.

Neque verò plurima deſunt Acta Sanctorum, quibus veniam parem conceſſerit ipſe Papebrochius, vel Henſchenius, vel alii Hagiographi.

4°. Et verò ad diem 13. Maii, in Vita S. Joannis Silentiarii, in Notis ad *Cap.* 2. *lit.* D. *pag.* 236. *col.* 1. Papebrochius ait: » Alamundarus Zizices, » Saracenorum Regulus, irruptione factâ, primam » Syriam depopulatus eſt. Sed hæc refert Theopha» nes ad annum 529. cum hæc irruptio ſit viginti » annis citiùs facta. Forſan Theophanes, ubi aber» ravit in Hyeroſolimitanis Epiſcopis iſtorum tem» porum, ita potuit aberraſſe circa tempus irru» ptionis.

5°. Die 15. Maii, poſt Vitam S. Nicolai Myſtici, Patriarchæ Conſtantinopolitani, anno 925. defuncti, Henſchenius, *pag.* 511. *col.* 2. *num.* 8. ait: » Hactenùs Leo Grammaticus, Auctor coævus & » oculatus teſtis in ſua Chronographia, quam Indi» ctionibus perperàm definitis inturbavit incurioſus » aliquis Amanuenſis.

6°. Die 12. Maii, in Notis ad Vitam S. Germani, Conſtantinopolitani Patriarchæ, anno 730. *pag.* 161. *num.* 3. obſervat Henſchenius ex Photio, in Bibliotheca, *Cap.* 233. » Quoſdam S. Gregorii » Nyſſeni Libros præ cæteris interpolando, in rem » ſuam trahere conati ſunt hæretici, eiſque eripere » ſuâ defenſione contendat Germanos. Poteſt de his » videri Labbeus, rectè cum Caſaubono advertens, » neque *Catecheticam magnam Orationem*, toties » à Theodoreto in Dialogis adversùs hæreticos citatam, etſi contineat nævos aliquos ab Origenis Se-

» ctatoribus aspersos, debere in dubium vocari, utrùm
» verè Nysseni sit: neque *Dialogum ad Macrinam*,
» quod ibi ad caput sextum legatur de Animis
» Humanis simul cum Angelorum Choro creatis
» juxta eosdem Origenistas, à quibus hæretica
» quædam dogmata ei operi admixta accepisse se
» scribit Nicephorus Callistus, *Lib. II. Cap.* 19.
» Eodem modo excusandus libellus erit *de Perfectio-*
» *ne Christiani* ad Olympium, qui hic videtur notari
» à Photio: res autem tota pateret clariùs, si ip-
» sum S. Germani opus pro illis compositum veni-
» ret in lucem.

7°. Ad diem 12. Maii, in Vita S. Epiphanii *cap.* 7. *num.* 58. *pag.* 49. *col.* 2. Papebrochius Libros de Vita & Morte Prophetarum Sanctis Epiphanio & Isidoro adjudicatos recensens ait: » Huic Isidoro
» excusando aliud non suppetit, quàm cum Lab-
» bæo, vel agnoscere ab aliquo Interpolatore cor-
» ruptum, vel ingenuè fateri, quod nimis credulus,
» quæ ab aliis scripta reperit, minùs discussa, non
» tàm suâ quàm alienâ postulaverit fide. Quamdiù ta-
» men alterutrum dicere, pro tuendo qui EPIPHANII
» nomine controvertitur libro, similis ponderis non
» cogit auctoritas. Bene de illo omnes mereri existi-
» mo, qui id quod ejus gravitate indignum esse ra-
» tionabiliter censent, ab ipso scriptum esse non
» libenter credunt: male è contrà, qui mordicus id
» sustinere volunt, ut ejus auctoritate, sicut & S.
» ISIDORI fulciri videantur, quæ ibi de Eliæ
» Prophetæ natalibus leguntur.

» Equidem existimo Partes istos, si talia ipsi re-
» vera scripserunt, merè interpretum & collecto-
» rum fungi officio voluisse, nullum autem iis ex
» se pondus addere. . . . . Convenit profectò non
» tam considerare quis quid scripserit, de iis quæ
» antè longissimas ætates acta feruntur, certis nullis
» Coævorum monumentis testata: sed quod fuerit
» Duces in scribendo secutus. . . . . ISIDORUS
» quidem sic excusatur, & tamen meliùs fuerit pro-
» prio honori consulturus, si præcautione saltem ali-
» quâ usus, judicasset non magnam iis à se fidem
» haberi. EPIPHANIUS autem nec excusatione qui-
» dem eget, quamdiù nullo veteri & ineluctabili
» testimonio probatur hæc verè illius esse scriptio.
» Adde quod *plures EPIPHANII* fuerint sub-
» sequentibus seculis etiam in Cypro Episcopi, quo-
» rum aliqua, ut fieri vulgò solet, principaliori hu-
» jus nominis Scriptori tribui potuerunt; sicut Ora-
» tiones illæ, quæ Epiphanii nomine Fucum jam-
pridem faciunt, Petavio Judice.

8°. Alia si quæras exempla interpolationum, quas benignè Papebrochius excusaverit, lege nostram Bibliothecam Carmelitanam, *tomo* 2. *pag.* 169. necnon Dissertationem præviam *parte* 3. §. 5. *num.* 150.

OBJICIT 2°. PAPEBROCHIUS, quod Autor Epistolæ ad Eusebium, sive Pseudo-Cyrillus tentavit inducere falsam de Barrati pallii origine opinionem, Auctorem faciendo Humarum Tyrannum Arabem natione, superstitione Saracenum; qui occupatà anno 639. Hierosolymâ, & in Monachis sibi invisis non ferens dehonestari, ut rebatur, colorem album, solis Saracenorum Satrapis concessum, jusserit Barratis palliis uti. Fabulæ occasionem dedisse potuit, quod ex Villanio scribit S. Antonius, *titulo* 20. *cap.* 5.

Respondent Carmelitæ Auctorem Epistolæ verè attulisse Barrati pallii originem, Auctorem faciendo Humarum Tyrannum, tertium à Mahumede Califam, qui post annum 639. colorem album solis Saracenorum Satrapis concessum, jusserit omnibus non solum Monachis sed etiam Christianis, palliis Barratis uti. Hanc assertionem de Barrati pallii origine, certa probant testimonia ex Historia Patriarcharum Alexandrinorum per clariss. Dominum Renaudot, editâ Parisiis anno 1713. *in*-4°. hausta & accuratè relata in Dissertatione prævia ad Bibliothecam Carmelitanam, *tertiâ parte* §. 4. *num.* 144. *& seqq.*

2°. Papebrochius suam de palliorum Barratorum origine sententiam confirmare tentat ex testimoniis Joannis Villanii & Sancti Antonini: quamvis ipse Papebrochius in Notis ad Vitam S. Alberti *num.* 43. promiserit, se explicaturum Res Carmelitanas ex Auctoribus, qui vicini fuerint Bertholdo, Brocardo & Cyrillo, quorum hic ultimus obiit anno 1224. Joannes autem Villanius floruit anno 1348. & Sanctus Antoninus obiit anno 1459.

3°. Papebrochius in sua Apologia, quæ prodiit *tomo* 2. Maii, *pag.* 713. *num.* 18. asserit » neque
» S. Cyrillo, nec alii cujuscunque, & quantæcun-
» que æstimationis viro ullam fieri injuriam, quan-
» do Auctor alicujus scripti, sub nomine Cyrilli v.
» g. perperam obtrusi & vulgati, causâ brevitatis
» & phrasi in talibus usitatâ *Pseudo*... Demonstrabo
» è vincentibus monumentibus coævorum testium,
» eum qui ex professo & longa experientia tractat,
» non impingere in id quod dicitur vulgato adagio,
» *stultum plus videre domi propriæ, quàm sapien-*
» *tem alienæ.*

4°. Papebrochius in eadem Apologia, *pag.* 715. *num.* 26. sic pergit: » Si ego forsitan excessi septies,
» retribuit Triumphator ultrà septuagies septies:
» quod sicut ei condono libens, ita mihi vicissim à
» discipulis ejus condonari peto; successoribus Apri-
» lem recognituris mandans, ut quæcunque acer-
» biùs responsa vel dicta censuerint, molliant, mu-
» tent, expungant liberrimè. Absit enim ut pro hoc
» illove verbo graviùs quàm ipse intendi accepto,
» jurgium mihi sit cum Viris religiosis *Ordinis* (a)
» *mihi carissimi.*

LXXVII.

CYRILLUS FABER, Gallicè LEFEVRE, natione Gallus, Provincia Neustrius, patriâ Pont-Audomariensis, Franciæ Carmelitat. Provinciæ Alumnus, Græcæ atque Latinæ Linguæ peritissimus, & Artis Poeticæ admodum eruditione instructus; dum Parisiis studeret Theologiæ adhuc juvenis, in Sequana Fluvio se lavans, miserè immergitur, summo cum suorum mœrore sodalium, anno 1619. Latino carmine cecinit:

1. *Panegyrim ad Laudem suæ Carmelitarum augustæ Provinciæ Franciæ*, editam Rhemis, apud Frognaos Fratres, in Academia Rhemensi Typographos, anno 1618. *in*-4°.

2. *Elegiam Panegyricam ad Laudem S. Teresiæ*, Ms. quæ incipit: Culmina non scando montis super alta bicollis. Hanc præ manibus habuisse se testatur Augustinus Biscarettus.

3. *De Conventûs Pontis-Audemarensis Carmelitarum Fundatione* Carmen Ms.

De CYRILLO LEFEVRE loquuntur Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Mss. Vineæ Carmeli*, *folio* 41. *verso*; & Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 67.

LXXVIII.

CYRILLUS A S. FRANCISCO, natione Rutenus, Carmelita Excalceat. Provinciæ Poloniæ, sancti Spiritûs dictæ, patrio idiomate edidit Tractatum inscriptum:

(a) Verba hæc ultima Papebrochii leguntur *tomo primo* Aprilis, In Notis ad Vitam S. ALBERTI, *Cap.* 9. *pag.* 789. *num.* 85. B.

1. *Praxis benè moriendi.* Cracoviæ, anno 1686. Ibidem anno 1696. *in*-8°.

2. Vertit, evulgavitque Polonicè, Instructionem Novitiorum per R. P. Joannem à Jesu Maria, Hispanum & Congregationis Italicæ Præpositum Generalem, scriptam & editam Latinè.

Hæc Paulus ab omnibus Sanctis Carmelita Discalceatus scripsit in *Schedis MSS.* quarum mentionem habet Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 67. Praxim benè moriendi commemorat solam Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 101. Vivebat Cyrillus à S. Francisco anno Domini 1655.

LXXIX.

CYRILLUS GARLANDIUS, natione Anglus, sanguine nobilis, virtute nobilior, Carmeli Ordini se ab adolescentia devovit in Norwicensi Conventu. *Cantabrigiæ* Philosophicæ ac Theologica studia peregit, ibique doctoralem gradum solemniter accepit: huic Thomas Scropus, Priori Norwicensis Cœnobii dedicavit decem libros Philippi Riboti Catalani, de Peculiatibus Carmelitarum gestis, quos in Anglicum Sermonem transtulerat circà annum 1434. Postquam autem is Thomas ab Eugenio IV. Episcopus anno 1450. Dromorensis factus est, & ex Legatione Apostolica ad Rhodios Equites rediit, aliud opus *de Institutione, Successione, Intitulatione & Propagatione Ordinis* Carmelitani scripsit; cujus Prologus sic incipit:

» Thomas Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ, Dromorensis Episcopus, ac Legatus Sanctæ Romanæ » Ecclesiæ, dilecto filio Cyrillo Archidiacono Ecclesiæ nostræ Dromorensis Salutem, Gratiam & Benedictionem. Cum quidem minus intelligentes in » Hibernia, nec ratione nec auctoritate muniti, originem Monachorum Carmelitarum impugnare nitantur; utique indiscretè; & infiçiando negent » Carmelitas alios Ordines Monasticos tempore præcessisse, ut asseris Cyrille: undè petiisti à nobis humiliter & devotè, ut ad modernorum & futurorum » notitiam, librum utilem Lectoribus, & acceptabilem componere de Institutione dictorum Carmelitarum dignaremur. Conclusio hujus operis hæc est: *Ex dictis hactenus manifestum habes, dilecte Cyrille, quàm indiscretè & falsò nonnulli impugnent Carmeli Ordinis originem & antiquitatem.*

De Cyrillo Garlandio mentionem habent dictus Thomas Scropus, cujus Opus prodiit Antverpiæ anno 1680. in *tomo* 1. *Speculi Carmelitani, pag.* 171. *num.* 758. & *seqq.* Cyrillus Penneck à S. Paulo in *Gymnasio Carmelitano Ms. ad annum* 1491. Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annalium*, ad eundem annum 1491. *num.* 5. *pag.* 976.

LXXX.

CYRILLUS GIAIMO, natione Italus, ex oppido *S. Laurentioli* in Regno Neapolitano oriundus, ibidem habitum Carmelitanum induit, posteà ejusdem Cœnobii, & Neapolitani Prior, atque Commissarius Generalis in strictâ regulari observantia, ad Conventum *S. Mariæ à vita* & ad Conventum *S. Mariæ à concordia.* Obiit autem in patria, anno 1652. die 21. Julii, postquam scripsisset Italicè:

Compendium Meditationum, quatuor partibus distinctum, cum discursu de utilitate & necessitate Orationis. Neapoli apud Octavium Beltranum, anno 1640. *in*-4°. Ibidem apud Secundinum Runcaglio-lum, anno 1643.

Hæc Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 393. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3731.

LXXXI.

CYRILLUS DE LASHERAS, natione Hispanus, Carmelita, composuit circà annum 1610. *Ceremoniale Carmelitarum*; ut testatur Franciscus Voersius in Vita Henrici Sylvii: & refert Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 67.

LXXXII.

CYRILLUS A S. MARIA, in seculo nuncupatus SANTARCHANGELUS CRIPPA, Mediolani natus die 5. Maii, anno 1661. literis jam humanioribus satis instructus, moribusque peregregiè à parentibus educatus in Carmelitarum Excalceatorum patrium Conventum ingressus est die 13. Martii, anno 1678. & anno sequenti ad mensem Maium emisit solemnem Professionem. Mirum est quantum studiis pietatique ipse se dederit: nam inter alias dotes ad dicendi singularem quandam in Cathedris facultatem natus videbatur; cum in eisdem, tam clarè, tam subtiliter docuerit, ut ex pluribus Alumnis sui Ordinis varios Magistros effecerit. In Libris tam legendis quàm scribendis, toto suæ cursu vitæ insudavit, usque dum meritorum annorumque plenus è vivis gloriosè decessit anno 1733. mense Maio, suorum in Conventu Sodalium Civitatis Laudensis, anno 1643. fundato. Opera ejus inscribuntur:

1. *Theologia, juxtà sacras Litteras, Concilia & sanctos Patres, scholasticis, dogmaticisque rationibus communita, ex Collegio Salmanticensi, ad compendiosiorem methodum redacta.* Auctore P. Cyrillo à S. Maria, Carmelita Excalceato. *Tomus primus de visione, & incomprehensibilitate, scientia, & voluntate Dei, atque de prædestinatione & reprobatione:* faustissimis sub auspiciis Illustriss. & Reverendiss. DD. GEORGII CATTANEI, Episcopi Viglebanensis, Comitis, &c. *Cremonæ*, apud Petrum Ricchini, 1720. *in*-4°.

2. *Complementum* suprà dicti *Cursûs Theologici.* Extat Manuscriptum in præfato Conventu Laudensi Carmelitarum Excalceatorum.

3. *Cursus Philosophicus*, Ms. Ibidem.

4. *Consultationes variæ, tam in Jure Canonico, quàm de aliis rebus sacris*, Mss. Ibidem.

5. *Decisiones plures de Casibus ad Theologiam Moralem pertinentibus*, Mss. Ibidem.

Cyrillum à S. Maria Mediolanensem parcè memorat Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitar. Excalceat. pag.* 101. Fusiùs Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Mediolanensi*, *tom.* 1. *pag.* 514. *num.* DCLXXV. sed errore typographico (ut sentio) Santarchangelus Crippa dicitur *Augustinianensium Excalceatorum* Religiosus; cum titulus & Auctor *Theologiæ* memoratæ denotet Carmelitam Excalceatum.

LXXXIII.

CYRILLUS MOREL, latinè MORELLUS, fuit unus ex AMADÆI GUIMENII, Theologiæ Moralis, quos sacra Facultas ad Vadimonium venire primâ die Martii 1665. jussit, Approbatoribus. Ille MORELLUS, Sequanus regione, patriâ Claræ-Vallensis in Comitatu Burgundiæ, vernacule *Clairval*, Provinciæ Narbonæ alumnus, tot & tanta sui excellentis ingenii indicia ostendit, ut Claro-Vallenses Carmelitæ donum vendiderint pro expensis ad ejus studia percurrenda & absolvenda subministran-

dis. Neque spem eventus fefellit; namque Morellus Doctoralem Lauream in sacra Parisiensi Facultate adeptus, Lugdunensem Domum Prior rexit, semel & iterùm suæ ad Provinciæ Præfecturam recepit in Comitiis Lugduni habitis anno 1669. quibus præerat R. P. Marcus à Nativitate, Commissarius Apostolicus, Provinciæ Turoniæ alumnus. Doctor eruditus & Concionator suo tempore celeberrimus Morellus, insigniores Regni Galliæ Cathedras, magno Auditorum plausu, summoque fructu fidelium conscendit: indéque plura, quæ acceperat, bona suum in Claro-Vallense Cœnobium abundè refudit & adduxit: defunctus tamen Lugduni circa annum 1678. teste R. P. Philippo Chaudeau à S. Claudio, in *Schedis Mss.* ad nos Lugduno Aureliam missis, die 2. Julii, anno 1741.

LXXXIV.

CYRILLUS A PASSIONE, natione Gallus, in seculo dictus ANIANUS DE LAURENS, patriâ Castellodunensis, natus die 7. Julii, anno 1708. inter Carmelitas Excalceatos professus Charentoni, die 8. Aprilis 1629. Obiit Parisiis, die 29. Januarii, anno 1689. cœlestium meditatione incensus, nec-non spiritualibus spiritualia comparans, mysticæ Theologiæ operam dedit; tantâ pietate decoratus, ut intra sacra Missarum solemnia celebrans ad Altare, totus in lacrymas effunderetur. Scripsit Gallico sermone:

1. *De Divina Sapientia, & Contemplatione, & de reciproco inter Deum & hominem amore.* Nancæi, apud Antonium & Claudium Charlots, anno 1658. *in-8°. pag.* 715.

20. Reliquit etiam Manuscriptum *de vera Ecclesia Dei, circa realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, secundùm sanctos Patres, quatuor priorum Sæculorum, in-4°. pag.* 400.

3. *In Ecclesiasticum Commentaria* parabat anno 1664. quo Ludovicus suæ Bibliothecæ Carmelitanæ Mss. *paginam* 67. scribebat. Verum duorum tantum priorum Operum meminit Martialis à S. Joanne in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 101.

LXXXV.

CYRILLUS PENNECT A S. PAULO, natione Armoricus in minori Britannia natus, ad Urbem S. Pauli Leonensis; ibique Carmelita anno Domini 1611. die 15. Aprilis professus, Provinciæ Turoniæ Alumnus, Theologus Doctor, pro reformatione Rhedonensi vota renovavit, & *R. P. Philippo Thibault* primam sui Provincialatûs visitationem agente in Conventu Hennebotensi anno 1618. Prior ibi fuit electus. Quo in regimine Cœnobium tantâ prudentiâ gubernavit, tamque regulari prædictæ reformationis observantiâ effulsit, ut & apud Cives bonum odorem Carmeli reduxerit, & intra claustra perfectam Monasticæ vitæ normam, anno 1620. viderit ipse Restitutam. Migravit in suo Diocesanæ Urbis patrio Monasterio S. Paoli Leonensis anno gratiæ 1649. die 1. Maii, postquam Latino Sermone scripsisset Opera, quæ titulo vocantur,

1. *Viridarium Carmeli*, sivè ut in secundo folio inscribitur, Index *Chronologicus Gravissimorum Patrum Generalium Sacri Ordinis Carmelitarum, & nonnullorum Clarorum ac Illustrium Virorum prædicti Ordinis, Mss.* Quod nobis communicatum fuit Aureliæ, anno 1746. sed reportatum ad Rhedonenses Carmelitas in Scrinio communi Provinciæ Turoniæ servandum, sicut hactenùs integrè asservatum fuit *in parvo folio paginis triginta sex* compactum. Incipit à S. Bertholdo Malfacida, quem anno 1103. Generalem Carmelitarum primum fuisse electum serie chronologicâ turbatâ supponit, & naturæ debitum solvisse quarto Kalendas Aprilis 1146. postquam Ordinem rexisset annis 45. Brocardum quoque anno 1166. electum scribit, & obiisse anno 1197. Definit Index ad Theodorum Stratium, quem Generalem trigesimum octavum numerat.

Ad calcem hujus Viridarii describitur *compendiosa Series omnium Capitulorum Almæ Provinciæ Turonicæ* Carmelitarum, ab ejus instauratione, anno 1384. ad annum 1641. septem paginis comprehensa.

In secunda pagina hujus Viridarii describitur ad Authorem hoc Epigramma.

Deformata situ, tenebrisque subhorrida priscum
Perdiderat nivei montis imago decus:
Felici EN RECTUS *dextrâ* PENICILLUS; *avitam*
Induit faciem, verius ast animam.
G. à S. J.

Quem forsan credere posses Fratrem *Georgium à S. Joanne* Carmelitam, defunctum Rhedonis anno 1656. die 15. Octobris. At si quis diceret *Gatianum a S. Joanne* mortuum Hennebonti anno 1669. die 9. Decembris; vel *Guillelmum à S. Joseph*, qui Nanneris obiit anno 1677. die 5. Decembris; vel *Germanum à S. Juliano* Veneti mortuum anno 1679. die 14. Septembris; vel *Georgium à S. Joseph* Parisiis defunctum anno 1681. die 13. Martii. Hæc enim nomina quæ iis literis initialibus *G. à S. J.* indicantur, æqualiter conveniunt his Carmelitis, quos Necrologium Provinciæ Turonicæ solos connotat ab anno 1641. ad annum 1681. signatos his literis.

2. *Gymnasium Carmelitarum, sivè Elogia Clarorum Virorum & Scriptorum penè omnium, Sacri Ordinis Fratrum Gloriosissimæ Dei-paræ Virginis Mariæ de Monte-Carmelo. A patre Cyrillo Pennecto à S. Paulo Carmelita S. Pauli Leonensis.* Manuscriptum quoque istud nobis anno 1746. commodatum, asservatur in Archivo communi Provinciæ Turoniæ apud RR. PP. Rhedonenses Carmelitas. Facultatem illius Typis mandandi concesserat Cyrillo R. Albertus Massarius Ordinis Carmelitani Prior Generalis per *Schedam Mss.* datam Romæ die 15. Septembris 1643. quæ integra etiamnum intra illud volumen in *parvo folio* 172. *paginis* compactum repetitur: sed ad libellam hodiernæ crisis accuratam necessariò recognoscendum, saltèm circa narrationes ibi exaratas de Prioribus Generalibus & nonnullis Sanctis Chronologiam tangentibus.

3. Gallico Idiomate scripsit *Historiam B. V. Mariæ de Folgoat*: quam etiam Typis mandandi facultatem concessit jam memoratus R. P. Albertus Massarius per alteram Epistolam ibidem, & eodem die ac anno signatam atque intra eumdem Codicem Mss. Gymnasii Carmelitarum servatam; quæ dictam Historiam sub hoc titulo denuntiat: *Le Sacré Bocage de Notre-Dame de Beruen.*

Cyrillum Pennect à S. Paulo commendant Mathurinus Aubron, *in Annalibus Mss. Carmelitarum Provinciæ Turoniæ.* Justinus ab Epiphania, in *Catalogo Carmelitarum Observantiæ Rhedonensis defunctorum.* Hugo à S. Francisco in *Vita Vener. Philippi Thibault, cap.* 22. *pag.* 167. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 67. Philippus Labbe in *Bibliotheca Bibliothecarum, pag.* 203. Antonius Teisserius Calvinista in *Catalogo Scriptorum, pag.* 66,

LXXXVI.

C.

LXXXVI.

CYRILLUS THERMITANUS, Gallicè TERMINE, sic dictus, quia *Thermis Himeris*, sivè *Himerensibus* in Sicilia natus est die 20. Aprilis 1623. in seculo dictus *Gregorius-Vincentius Martorana*. Ordinis Carmelitarum antiquioris instituti *Montis Sancti* religionem amplexus, in ea sacræ eloquentiæ gloriam & officiorum dignitates obtinuit Clarus: plura etenim Prioris munere rexit Cœnobia: bis Provinciam Montis Sancti gubernavit, ac Socius fuit Generalis totius Ordinis. Obiit Neapoli, mense Novembris 1694. Ejus Opus editum inscribitur:

L'Infaticabil Sole Maria, predica della Lettera scritta dalla Virgine alla Citta di Messina recitata nella Congregatione delli Schiavi di N. S. Sotto il duomo con la presenza dell' Ill. Senato l'anno 1656. Id est Latinè, *Infatigabilis Sol Maria: concio de Epistola scripta à B. Virgine ad Messanensem Civitatem, habita in Ecclesia Cathedrali, coram Illustrissimo Senatu, anno* 1656. Messanæ 1656. *in*-4°.

E Carmelitis unus hic non est Cyrillus, qui præfatam B. Virginis Epistolam defenderit: eam quoque sustinuerunt Lezana, *tomo* 2. *Annal. an.* 42. Item *tomo* 3. *an.* 1126. Item *tomo* 4. *an.* 1238. *num.* 3. Andreas Lao in *Tractatu Mʃ.* superius citato *pag.* 87. Quibus non defuit Melchior Inchofer Jesuita, Viennensis, anno 1648. die 28. Septembris Mediolani defunctus; uti videre est apud Nathanaël Sotuel in *Bibliotheca Scriptorum Societatis Jesu*, *pag.* 608. apud Niceron, *toma* 35. *Memor. pag.* 327. apud Petrum Bayle in *Dictionario Critica tomo* 2. *pag.* 1544. apud N. Lenglet du Fresnoy in *Methodo studendæ Historiæ*, *tomo* 3. *pag.* 369.

Cyrillum Thermitanum laudant Placidus Reyna in *Histor. Messan. parte* 2. *pag.* 62. Vincentius Solitus in *Histor. Thermat. tom.* 2. *part.* 6. *cap.* 4. *pag.* 140. Antonius Mongitor in *Bibliotheca Sicula tom.* 1. *pag.* 148.

LXXXVII.

CYRILLUS TIPALDI in Carmelo Neapolitano Professionem emisit die 4. Octobris. Ejusdem Collegii Doctor Bibliothecam Cœnobii ad pretium bis mille aureorum libris ditavit, defunctus die 16. Septembris 1700. Reliquit Manuscriptorum varii generis *tomos* 7. quos Præfationibus, Notis & Indicibus perfecit; adeò ut promptissimi ad prelum videantur, ad privati hominis potius commodum, quam ad publicam utilitatem elaborati: inter quos leguntur *Scientiarum ex SS. Patribus ordine alphabetica dispositarum tomi duo*: atque *Hæreticorum & Scriptorum Indices duo* locupletissimi; inquit Andreas Gargsi in Schedis Mʃʃ.

LXXXVIII.

CYRILLUS XIMENEZ, natione Catalanus, Barcinonensis Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor suos apud Sodales, diversis in locis Prior, suæ Provinciæ Catalaniæ Præfectus; deindè in Academia Barcinonensi publicus Metaphisicès Professor, tandem Collegii S. Angeli Rector, & suâ ætate Concionator insignis scripsit circà annum 1618.

1. *Varios Tractatus Theologicos.*
2. *In Metaphysicam Commentaria.*
3. *Conciones plurimas*, inquit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mʃ. pag.* 67.

LXXXIX.

CYRILLUS DE VICONOVO, Pedemontanus, in oppido *Vicinovi* pertinentis ad Illustrissimos Dominos de Rovera natus, ibidem habitum Carmelitanum induit. Ex bonis paternis unum prædium situm extrà mœnia Oppidi, seu loci *Rippolarum*, vulgò *Rivoli* Taurinensis Diœcesis emit; ac in eodem prædio Ecclesiam sivè Capellam, ac Domum, seu Conventum, aut Monasterium sub Invocatione *Beatæ Mariæ de Misericordia* ad usum & pro usu, ac habitatione Fratrum Ordinis Carmelitarum, in illius augmentationem à fundamentis erigi, construi & ædificari fecit. Quam ob causam *Bernardinus Landuccius* (vulgò de *Senis* dictus) in Generalem electus anno 1517. *Cyrillum* habilem & idoneum repertum, de Provincialis, Generalis, ac Patrum Diffinitorum dicti Ordinis in Capitulo Provinciali Placentiæ anteà celebrato, consensu in Conventûs seu Monasterii ab eo *Cyrillo* constructi, priorem localem, quoad viveret, fecit, constituit, creavit & deputavit, illiusque coram, regimen & administrationem Fratrum ibi existentium, ac bonorum ejusdem Monasterii, seu Conventûs in spiritualibus & temporalibus plenariè commisit. Quorum ad confirmationem *Cyrillus* ad *Adrianum VI.* obtulit *Libellum Supplicem*, & ab eo Pontifice plenam petitionem accepit in Literis Apostolicis Romæ datis die vigesimâ Februarii M.DXXII. sicut prodierunt in *Bullario Carmelitarum*, *tomo* 1. *pag.* 514.

Hyeronimum Aymi in eodem Ripularum Conventu Priorem perpetuo constitutum videbimus inferiùs, *pag.* à Reverendiss. Mathæo Orlandi. Ejusdem Conventûs Fratres Carmelitæ sacram Rituum Congregationem consulentes « an liceat ipsis » facere Processiones extra ambitum & Claustrum » eorum per limites Parochiales, & Collegiatæ Ecclesiæ Beatæ Mariæ de Stellâ dicti loci Ripularum, » absque licentiâ Capituli, illiusque Parochi? Sacra » Rituum Congregatio tam in voce, quàm in scriptis, Patribus informantibus auditis, respondit, » licere, petitâ licentiâ Parochi, etiam non obtentâ; » & ita decrevit, & servari mandavit. Die 26. » Februarii 1701.

D.

I.

DAMASUS A S. LUDOVICO, Neustrius, Provinciæ Turoniæ Carmelita, Observantiam regolarem Rhedonensem anno 1624. die 15. Augusti, *Dolæ* Armoricorum professus, Reformationis promovendæ, ac religiosæ perfectionis desiderio æstimandus, in Germaniam missus est; & *Coloniæ* Ubiorum pluribus annis munus Magistri Noviliorum sustinuit, perutilem navans operam in juventute formandâ: humilitate ac patientiâ obsessam à dæmone puellam sanavit. Cum etenim Damaso hæc insultasset, colaphumque maxillæ incussisset, ille præbens & alteram colaphis cædendam; dæmon confusus, è corpore mulieris egressus, longè fugit. Suam in Provinciam reversus Damasus, in Conventu Parisiensi Sanctissimi Sacramenti Suppriorem egit, & obiit in Carmelo Juliodunensi, anno 1684. die 20. Octobris. Scripsit Gallico sermone

Historiam SS. Ursulæ & Sociarum. Parisiis, apud Dionysium Thierry, anno 1666. *in-4°*.

Nostro de Damaso loquuntur cum debito Encomio Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag. 356. num. 657*. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 68. Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. Virorum illustrium Ordinis Carmelit. Provinciæ Turoniæ, pag. 26.*

II.

DAMASUS PEYRONNET, in oppido Montis Pinsati, ad Cadurcensem Agrum natus, in Albigensi Carmelo tyrocinium egit & Vota Religiosa dixit: Vir in Linguis Hebraica, Græca & Latina æqualiter versatissimus: Juris utriusque adeo peritus, ut ejus sensa in Senatu Tolosano vix atque perraro infirmarentur; nec-non in rebus temporalibus gerendis adeò dexter, ut duodecim annis officio Procuratoris in suo Conventu perfungi teneretur; sed à scientiis & studiis tam parùm alienus, ut emptas & pretio soluto merces relinqueret venditori, in Cellulam advolans, cogitationem quamdam scripturus. Obiit *Albiæ*, post annum 1730. Scripsit:

1. *In omnes Davidis Psalmos Commentaria Mſſ.*

2. *Octonarias Conciones de SS. Sacramento*, super hæc verba: Hoc est Corpus meum. *Mſſ.*

3. *Varios Tractatus super universam Theologiam*. Mſſ.

Hæc omnia Manuscripta servantur Albiæ, in Bibliotheca Carmelitarum, teste R. P. Joanne-Baptista Charmes, in *Schedis Mſſ.* ad nos missis anno 1745. Damasus ex nobili sanguine satus, fratrem germanum habuit Carmelitam in sua Provincia Aquitaniæ Provincialem, pietate simul ac eruditione illustrem, nomine SIMEONEM PEYRONNET.

III.

DAMASCENUS AB ASSUMPTIONE, natione Gallus, patriâ Luziniacensis, in pago Pictaviensi gradum Licentiatûs in sacra Facultate Pictaviensi obtinuerat, antequam Carmeli Habitum susciperet. In Palæstra Monastica exercitatissimus, subesse potiùs quàm præesse in votis semper habuit. Invitus ad Superioris munia exercenda vocatus, tremens & tristis illa exercebat. Tantâ puritate conscientiæ præcelluit, ut ipsâ vel in mimis reluctante, nihil aggrederetur: aliquid solvendum-ne illi proponebatur? solutionem à Patre luminum, precibus expostulabat. Invitus in Comitiis Aurelianensibus anno 1675. die 10. Maii, ad Præfecturam suæ Provinciæ assumptus fuit. Exuvias mortalitatis reliquit Pictaviis, anno 1691. die 15. Aprilis, magno cum sanctimoniæ nomine. Scripsit,

1. *Conciones Quadragesimales, Adventuales, Festivales & Dominicales*, quarum nonnullas præ manibus juvenis habui, & aliquandò palam dixi.

2. *Varias ad varios Epistolas*, quarum una suos Religiosos inferiores monet de Clementis XI. Decreto pro facultate data die 17. Junii 1676. recitandi singulis mensibus Officium S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Altera ad eosdem dirigitur, quos certiores reddit de Regio LUDOVICI XIV. Galliarum Monarchi Placito, ne Religiosi ad laxiores Ordines transeant, absque suorum licentiâ Provincialium: quod die 11. Septembris latum fuit, anno 1676.

DAMASCENUM AB ASSUMPTIONE celebrant *Acta publica Mſſ. Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*; nec-non Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, in *Catalogo Mſſ. Priorum Provincialium ejusdem Provinciæ*. Idem, in *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum illustrium ejusdem Provinciæ, pag. 29.*

IV.

DANIEL A SANCTO JOSEPH, in seculo dictus JOSEPH LEGOUVERNEUR, natione Gallus, Provinciâ Armoricus, anno 1601. natus in civitate San-Macloviensi, Reverendissimi & Illustrissimi GUILLELMI LEGOUVERNEUR, Præsulis Macloviensis nepos, Provinciæ Turoniæ alumnus, in Observantia Carmelitarum Rhedonensi professionem emisit in Conventu *S. JOSEPH DE CHALINO*, ad pagum Andegavensem nuperrimè constructo, anno 1618. die 28. Januarii: Vir religiosus, generis claritate, ingenio, eruditione & eloquentiâ præclarus: Linguarum Græcæ, Latinæ & Hebraicæ peritissimus, atque Concionator præfacundus. Per plures annos Theologiæ Professor sua in Provincia Turonica, deinde Cadomi, tandem etiam Romæ, in primario Ordinis Carmelitici Conventu S. Mariæ Transpontinæ. Indè reversus, in Priorem Provincialem anno 1651. die primâ Septembris, in Capitulo Turonensi, omnibus singulisque Patribus gremialibus unanimiter consentientibus, nominatus fuit à R. P. Joanne Antonio Philippino Præside, supremoque totius Ordinis Moderatore. Deo acceptus, Fratribus amabilis, impositam sibi Præfecturam perfectâ suorum subditorum Religiosorum oblectatione assecutus est. Sacrum Oratoris munus, quod in sua Ecclesia Cathedrali exercendum obtulit, patrus Præsul admittere renuit; quin & ab eodem illustrissimo Præsule Coadjutor expostulatus, consentire noluit. Solitariam in Carmelo Guildonensi, qui millibus distat ab urbe San-Macloviensi, jam senex ducens vitam, ad æternam translatus est anno 1666. die quintâ Februarii. Edidit,

1. *Disputationum in Summam Theologicam D. Thomæ, tomum primum, in priores undè quinquaginta Quæstiones partis primæ* Cadomi editæ sunt, apud

D.

Joachimum Maſſienne, anno 1649. *in-folio*, ad Eminentiſſ. Julium Cardinalem Mazarinum. Alios tomos pararos aſſervari in aliqua ſuæ Provinciæ Carmelitarum Bibliotheca dicunt; ſed in qua? tutò & certò oondum didici. Scripſit Gallico ſermone,

2. *La Vie de S. André Corsin, Carme, Evêque de Fiezoli.* A Rennes, 1630. *in-8°.*

3. *Manuel de la Confrairie de la ſainte Famille de Jeſus, ſous l'invocation de S. Joſeph, S. Joachim & Sainte Anne, érigée dans l'Égliſe des Carmes d'Angers.* A Angers, chez Pierre Avril, 1640. *in-16. pagg.* 99. Nihil aliud eſt quàm Concio illìc habita de illa Confraternitate hoc anno, diebus bacchanalibus erectâ.

4. *Le nouveau Théologien François, ſur le Myſtère de la ſainte Trinité.* A Paris, chez Jean Joſt, 1643. *in-4°.* Tunc temporis Danielem officio Provincialis Prioris fungentem nonnulli Scriptores perperàm aſſerunt. Hoc enim anno Turoniæ Provinciæ præerat Prior Provincialis R. P. Angelus a S. Agnete.

5. *Sermons panégyriques des Saints, prononcés en divers lieux.* A Paris, chez Antoine Padeloup, 1660. *in-4°.* Peccant hæ Conciones, ſi Eruditiſſ. ſimul & Illuſtriſſ. Præſulem Abrincenſem Danielem Huet audies, affectato ſtylo, & exquiſitiore arte quæ potiùs Declamatorem, quàm Oratorem Chriſtiaoum decent. Eodem vitio peccant ejus Quæſtiones Theologicæ.

6. *Nouveau Théologien François, de la Grace actuelle & habituelle.* Mſ.

7. *Sermons Moraux de diverſes matières.* Mſ.

Danielis a S. Joseph laudes celebrant Theophylus Raynaudus, in *Scapulari Partheno Carmelitico, parte primâ, cap.* 4. §. 5. *pag.* 104. ubi eum vocat *Scholaſticum Theologum & ſoliditate, & acumine, & nitore præcellentem.* Leodegarius Quintinus, in *Apologia antiqua de veri Martyrii adæquatè ſumpti notione, pag.* 26. Illuſtriſſ. & Eruditiſſ. Dom. Daniel Huet, in *Originibus Cadomenſibus*, Gallicè ſcriptis, *Cap.* 24. *pag.* 623. *num.* 97. *Edit.* 1702. Vir clariſſ. Dom. N. Goujet, in *Supplemento Dictionarii Moreriani*, Gallicè editi 1735. *tomo prima, pag.* 343.

E Carmelitis, Franciſcus Bonæ Spei, in *Præludio Curſûs Philoſophici*: Hugo à S. Franciſco, in *Vita Venerab. P. Philippi Thibault, cap.* 45. *pag.* 332. Mauritius à S. Michaele, in *Phytologia ſacra, pag.* 124.—209. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 68. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1089. *num.* 3832. Columbanus à Noſtra Domina de Monte Carmelo, in *Encomio brevi illuſtrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ, pag.* 24. Mſ.

V.

Daniel a S. Petro, natione Brabantinus, in ſeculo dictus Bosch, ex Patricia ſtirpe Bruxellarum natus eſt ibidem anno 1646. Poſteà Religionem Carmelitanam in eadem Civitate profeſſus, Concionator eximius evaſit, variis Excellentiſſimis Luſitaniæ Legatis à Confeſſionibus fuit, & multis annis apud Fœderatos Ordines Miſſionarius Apoſtolicus. Vivere deſiit Bruxellis, die 8. Decembris 1719. ætatis ſuæ 79. Librum edidit, cui titulus inſcribitur,

Paranymphus Cœleſtis. Gandavi, anno 1694. *in-8°.* prout ferunt *Schedæ Mſſ.* quas ad nos Aureliam Bruxellis mittere dignatus die 13. Auguſti 1741. R. P. Illuminatus à S. Spiritu.

VI.

Daniel Petrodensis, ſivè potiùs Antaradensis, Epiſcopus ſub Metropolitano Tyrenſi, Carmelita Leodienſis, quem *Henricus ab Geldria* ſuum in muneribus Pontificiis Vicarium & ſuffraganeum circà annum 1337. ſibi ſubſtitui curavit, ut in Rempublicam liberiùs ipſe Henricus Comitis Geldrienſis Frater intenderet. A noſtro Daniele Carmelus Leodienſis nonnullos reditus habet. Clauſtrum ab eo ſtratum fertur, & ab ejus ſacellano perfectum. Sepultus eſt coràm ſummo Altari ejuſdem Conventûs, ſub marmore, laminis æreis honeſtato. Ejus Epitaphium in pergameno ad parietem affixo ſcriptum, è regione dicti tumuli marmorei ſic legebatur.

D. O. M.

† *Daniel ipſe fui, domûs hujus qui Monachatum*
Primitùs obtinui, pariter quoque Pontificatum.
Hinc Arthanenſem: ſed quid mihi nunc valuere
In necis hæc enſem nam cuncta modo cecidere.
Hic clauſtrum ſtravit mihi, proſunt meliora.
Lector, ut indè gravi pœnâ caream, precor, ora.
Poſt paulum Jano morior dum craſtinat anno
M. C. ter X. trina ſeptem ſimul I. quoque.

Hæ notæ numerales, ſivè cyfræ ſi deſignant annum 1337. quo diem ultimum abſolverit *Daniel* noſter Leodienſis, non Henrici Geldriensis, ſed Adolphi Comitis à Marka Suffraganeus fuerit opportuerit.

de Daniele Leodienſi Suffraganeo & Antaradenſi Epiſcopo loquuntur, ſed non unâ Chronologicâ voce Bartholomæus Friſenin *Hiſtoria Eccleſiæ Leodienſis*; Joannes-Baptiſta de Lezana *toma* 4. *Annal. p.* 1042. Ludovicus Jacob in *Catalogo Mſ. Epiſcoporum Ordinis Carmelitarum.* Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Mſ. Epiſcoporum & Suffraganeorum quorumdam Nationis Germanicæ*, apud utrumque citato. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 917. *num.* 3196. Auguſtinus Biſcarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli*, apud Lezanam citatus, *pag.* 565. *num.* 3. ſic loquitur:

» Daniel Leodienſis, à præclara illa urbe Leodii
» ſic dictus: inter Carmeli Palmites Doctor rarus ac
» celebris, in rebus gerendis prudens ac induſtrius;
» fuit aliquot annis Prior in ſuo Monaſterio, poſteà
» factus fuit Epiſcopus Antaradenſis, inde Suffraganeus
» Epiſcopi Leodienſis: quo in munere, Clero &
» populo gratiſſimus extitit. Obiit ibidem & ſepultus
» in Eccleſia Carmelitarum, ad cujus tumulum la-
» pideum æneis laminis coopertum & auratum, op-
» poſitum fuit ſimplex nominis, & dignitatis illius
» memoria, & anni obitûs, qui contigit 1337.

VII.

Daniel de Wictherich, latinè de Victoriaco, natione Germanus, Carmelita, Doctor Theologus Colonienſis (*Monumenta Mſſ.* Germaniæ appellant Doctorem Pariſienſem; negat Ludovicus ex *Catalogo Mſ.* Doctorum Pariſienſium quem penès ſe habuit) ac Profeſſor, Alemaniæ inferioris Definitor ſecundus, Prior Provincialis, anno 1315. poſteà Vicarius Generalis, tandem à Clemente VI. Romano Pontifice Epiſcopus *Verdenſis* in Germania ſub Moguntino Archiepiſcopo, vernaculè *Werden* ſeu Ferden, conſtitutus anno 1343. quo quidem anno, in *Libro Obligationum* ſub dicto

D.

Clemente VI. legitur: *Frater* DANIEL, *Episcopus Werdensis, promisit die 7. Januarii* 1343. Quapropter non accuratè locuti sunt Lezana & Ludovicus Jacob, ac alii dicentes illum à Benedicto XII. qui Avenione decessit die 25. Aprilis 1342. Episcopum Werdensem electum; nisi constaret illius consecrationem ad Clementis VI. tempora protelatam fuisse.

DANIEL ad Werdensis Ecclesiæ gubernacula admotus, sedem illam pravis ac corruptis moribus deturpatam, atque à primævo sacrorum Antistitum instituto degenerem, eum in pristinum nitorem restituere conarentur, pio fraudatus desiderio, renitentes sibi potiores reperit. Cum nec mansuetudinis moderamine, nec justitiæ rigore ad Ecclesiasticam Disciplinam adigere posset, lubens tandem cessit malitiæ; locum dedit iræ. Ad suos *Coloniam* reversus, cùm à Clero, tùm ab ipso Principe ac Archiepiscopo Coloniensi honorificè susceptus est, cujus etiam in Pontificalibus Vicarium sivè Suffraganeum aliquandiù egit.

Tandem, cum ob negotia *Altenburgum* divertisset, ad Abbatiam Veteris-Montis, Ordinis Cisterciensis, non procul à Colonia, ad alteram Rheni partem, in Montensi Ducatu sitam, ibidem infirmatus, piè in Domino defunctus est, atque in ejusdem Abbatiæ Ecclesia honorificam accepit sepulturam, circà annum 1364. Nam *in Lib. II. de Provisionibus Prælatorum sub Urbano V.* anno secundo legitur: *Werdensis Ecclesia vacat, per obitum Fratris Danielis Episcopi: eligitur à Capitulo Gerardus, ejusdem Ecclesiæ Canonicus, in cujus persona provisa est dicta Ecclesia, sexto Kalendas Julii anno* 1364. Et aliundè constat Danielem obiisse sub Pilligrino dicti Monasterii Abbate vigesimo sexto, qui præfuit ab anno 1363. Undè Ludovicus Jacob erravit scribens Danielem decessisse anno 1356. & alii citiùs. Scripsit Daniel

Librum Apologeticum, seu Defensorium contra Ecclesiæ suæ Clerum, quem excommunicavit ob Contumaciam; & a quo ipse Daniel fuisse excommunicatus perhibetur, addito isto ludicro disticho:

DANIEL Antistes, non curat Clerus ubi stes;
Optans, ut valeas, dummodo non redeas.

Hinc est quod Albertus Crantius, cujus Opera in Indice Romano prohibentur, donec expurgentur, in sua *Metropoli* scripsit Danielem obiisse Coloniæ excommunicatum; ac si subdicti Prælatum suum, & Ecclesiæ Pastorem excommunicare possent.

De Daniele à Witerich mentionem habent Joannes-Henricus Heister *in Syntagmate Suffraganeorum Coloniensium.* Ægidius Gelenius *Lib. III. de admiranda sacra* & civili magnitudine Coloniæ §. 3. Petrus Cratepolius in *Catalogo Episcoporum Werdensium.* Item Ægidius Gelenius jam citatus in *Syntagmate* 43. *Suffraganeorum Coloniensium.* Gaspar Bruschius in *Catalogo Episcoporum Werdensium.* Gaspar Jongelinus in *Notitia Abbatiarum Ordinis Cisterciensis.* Ludovicus Cellotius *Lib. V. de Hierarchia cap.* 9. Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro.* Joannes Balæus *de Scriptor. Angliæ, cent.* 5. *cap.* 100. *in Appendice.* Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana.*

E Carmelitis, Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 288. ubi hunc eum Daniele Leodiensi confundit. Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annal. pag.* 563. & 1042. ubi dubius admodum suam exponit mentem. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 68. Paulus ab omnibus Sanctis in *Catalogo Ms. Episcoporum & Suffraganeorum quorumdam Nationis Germaniæ*: ubi notat quod Daniel noster sui tempore Episcopatûs Arcem Bodemburg egregiè communivit, & Valvas immunitatis Canonicorum in Australi parte Ecclesiæ erexit, aliaque præclarè (approbantibus viris omnibus probis) gessit. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 917. *num.* 3197.

VIII.

DE DANIELIS A VIRGINE MARIA *Vitâ & Scriptis, Dissertatio.*

DANIEL A VIRGINE MARIA, natione Belga, in seculo AUDENAEROE nuncupatus, piis & honestis parentibus natus est septimo Idus Junii, anno 1615. in oppido *Hamme*, quod patriæ Teneramundanæ (Gallicè *Dendermonde*) nobile mancipium est, ab ea urbe distat uno lapide. Ceræ ad omnem virtutem indolis homo, à puero datus est & educatus in Carmelo Gandavensi: in quo, ubi per ætatem licuit, Vestem anno M. DCXXXI. induit religiosam, & anno sequenti sese Votis devinxit. Veste candidus, candore emicuit. De virtute in virtutem progrediens, pietatis lucens omnibus speculum, anno M. DCXL. Sacerdos consecratur. Magister Novitiorum anno 1642. efficitur. Duobus indè post annis in Suppriorem assumitur, simulque Theologiæ Lectorem. Mirum hic speculum fuit: sic enim totum doctrina habuit, ut totum pietas possideret: sic Schola assiduum, ut non haberet Chorus absentem. Gradus fuêre:

Anno 1649. in Priorem Bruxellensem electus, Cœnobium dein Mechliniense Prior rexit. Verè Prior fuit, virtutum speculo prior omnibus. Anno 1652. quo Reverendiss. Generalis Philippinus Belgium visitat, Daniel in Unitarum adhuc Belgii Provinciarum Provincialem eligitur; & iterùm anno 1663. præsente & præsidente altero Generali, Hyeronimo Ati, ad idem munus assumitur, licet invitus. Quid ampliùs dicam, Provinciæ fuisse Definitorem sæpiùs, & Provincialis Capituli Præsidem semel extitisse anno 1659? Munus nullum, officium aut dignitas fuit nulla, quin obierit, omnibus par, dignus pluribus, ad regimen factus. Talem conscientiæ puritas, morum gravitas, oris suavitas, vultûs majestas, mentis sagacitas, verbo, talem vitæ sanctitas fecerat. Abstinentiâ, in infirma semper valetudine fuit mirabili: charitate in Deum & proximum incredibili. Dum sævit Antuerpiensibus in ferali autumno mortalitas, proximi eum arsit, ursit & abstulit hæc charitas. Perdius & pernox adeo ad infirmos vocabatur & ibat, ut sustinendo non esset labori. Dum sublevando prompta aliorum succurrebat Fratrum alacritas, una infirmorum clamantium erat vox: *Sanctus veniat Pater.* Dum se impendit, & superimpendit infirmitatibus, quæ fuere ferè continuæ, exhaustus, morbo obrutus fuit, assuetæ adeò retinens orationis, ut illius nonnisi cum vita finem fecerit. Inter Fratrum suspiria & preces IX. Kalendas Novembris, anni M. DCLXXVIII. sanctè, uti vixit, obiit, ingenti relicto sui desiderio, odore sanctioris vitæ majori, victurus æternùm cum Deo.

ANIMA BEATA, exclamat R. P. Daniel Papebrochius, in *Appendice ad Vitam* ANGELI Martyris, Carmelitæ, *tom.* 2. Maii, *pag.* 799. *col.* 1. *num.* 4.

» Anima beata, anima R. P. Danielis à Virgine
» Maria, Anima, quomodocunque res erant, semper
» me diligens, semper à me dilecta. Jam enim cum
» R. P. Bonæ Spei (quem ipsum credo non alio
» quàm pio, licet non secundùm scientiam, zelo
» contrà

D.

» contrà me sic excanduisse.) Jam inquam, cum ipsius beato spiritu, tali Te confido receptam loco, ubi æternùm vives, memor vicennalis amicitiæ, immemor molestiæ, quam in hujus mortalitatis caligine versans sæpè attulisti mihi & sæpè retulisti, propter judiciorum ex principiis diversissimis procedentium diversitatem. Ibi siquidem non æternam dumtaxat contemplaris veritatem ineffabilium mysteriorum religionis ac fidei nostræ, etiam in hac tenebrarum valle citra cunctationem credendorum; sed & præteritorum quoque temporum gesta, de quibus fas homini quærere & ambigere, intueris ut præsentia; procul ab aliis præjudiciis, quibus vivens plusculum videris tribuisse.

» Sanè nec mentionem quidem ferre poteras patienter ullius dubii, circà receptas in Ordine traditiones movendi; videbarque tibi deliramenta loqui, quoties aliquid conabar communicare eorum principiorum, quæ Historico convenit esse familiarissima; quæque omnibus, ad solidam eruditionem veri & falsi discretionem, suggerit ars prudenter dubitandi circa res facti; Ars multiplicis scientiæ & filia & mater; Ars ignota ferè superioribus seculis, maximè autem exculta hoc ævo, quod Dei singulare munus censeri potest: Factum enim per eam est, ut præterita cum præsentibus comparanti, videatur medii temporis historia, à tenebris plusquam Cymmeriis, ad lucem gratissimam esse traducta, paulatimqoe proficere ad plenam meridiem, labore & constantiâ provehentibus.

Quo sensu hæc intelligi volueris Papebrochius, colligi fortè cuperes ex ejusdem Papebrochii verbis in suo Commentario Apologetico, qui prodit *eodem tomo* 2. Maii, *pag.* 716. *col.* 2. *num.* 33. dicentis: » Ferè quotidie observamus complures Romani Martyrologii errores: quos tamen jam semel positos, non expedit continuo faciléque mutari; consultiùs vero expectari Operis nostri de Sanctis, non absolutionem tantùm, sed & recognitionem illius maturam ac seriam; ne quid mutatum præproperè ex sententia tunc nostra, posteà vel à nobis ipsis, vel ab aliis certiora documenta nactis, judicetur fuisse retinendum.

Ibidem & in eodem Commentario Apologetico, *pag.* 709. *col*, 2. *num.* 4. » Nos certè in hoc quod persequimur Opere, Veritatem ex puteo quocunque emergentem, quamvis alicui priori nostro asserto contrariam, cupidissimè amplectimur; eamque vel reservamus posteris lucubrationes nostras recognituris; vel aliquâ opportunitate oblatâ proferimus ultrò, non magis docere parati quam discere; neque pudet in quæstionibus facti, quarum decisio ex allegatis, probatisque deducitur, mutare sententiam, si quando contingat certiores prioribus offerri notitias.

Saniorem equidem opinionem de probata Danielis à Virgine scientia Papebrochius habuisse videtur, dum ibidem, *pag.* 847. *col.* 2. *lit.* E. fassus est se scire *Speculum Carmelitanum* ab Editoribus *augeri*, *mortuo jam P. Daniele.* Verùm jam videamus quæ sint

DANIELIS A VIRGINE MARIA

Scripta.

1. *Ars aurea benè confitendi.* Flandricè. Bruxellis, anno 1649. *in*-12.

2. *Ars benè moriendi.* Flandricè. Bruxellis, anno 1649. *in*-12.

3. *Demonstratio veræ Ecclesiæ.* Flandricè. Bruxellis, anno 1649. *in*-8°.

4. *Introductio ad Confessionem.* Flandricè. Antuerpiæ, anno 1649. *in*-12.

5. *Epitome Vitæ S. Petri Thomæ, & Scala virtutum ejusdem.* Latinè. Antuerpiæ, anno 1659. *in*-8°.

6. *Vita S. Angeli, Carmelitæ, Martyris.* Latinè. Bruxellis, anno 1665. *in*-8°.

7. *Vinea Carmeli, seu Historia Eliani Ordinis Beatissimæ V. Mariæ de Monte Carmelo, contracta in variis Opusculis, Regulam, Originem, propaginem, eventus varios, patrocinium multiplex, Viros illustres, & Provincias omnes delineantibus.* Latinè. Antuerpiæ, apud Jacobum Meursium. Anno M. DCLXII. *in*-4°. *pagg.* 776. absque Indicibus: Illustrissimo ac Reverendissimo D. D. Andreæ Creusen, Archiepiscopo Mechliniensi, Belgii Primati nuncupata.

» Vinea Carmeli vocatur, inquit Auctor in Proloqoio *pag.* 4. quud Carmelitanus Ordo originem habuerit in Carmelo monte fertiiiissimo etiam Vinetis, teste S. Hieronymo in cap. 6. Isayæ.

» Additur in titulo, seu Historia Ordinis, &c. non quod omnia complectatur eam cuncernentia, singolosque eventus poni dignos, sed quòd universalis historiæ sit quasi Breviarium; tepore succinctè, sed tamen in nonnullis etiam latiùs tractans de sequentibus. Primâ parte, in Opusculo S. Cyrilli, agitur de Vineæ Carmelitanæ Maceria, seu sepe, nempè Regula.

» Parte secundâ & tertiâ, Sermo est de ejusdem Vineæ plantatione per magnum Prophetam Eliam; de rigatione per S. Eliseum, filiosque Prophetarum, eorumque successores, seu traduces Essenos; de illius fructificatione in primordiis Ecclesiæ, & multiplicatione ac divisione subsequentibus seculis; de successione hæreditaria, jugiter continuata usque in præsens; deque variis seculo Christiano tertio per Tyrannos Gentiles, & longè post per Cosdroem & Homar, ac Saracenos, persecutionibos; è quibus tamquam torcularibus nobile *Vinum* Martyrii effluxit.

» Parte quartâ, tractatur de Vineæ illius pamplinatione, & excisione variis in locis ætate superiore; & de repastinatinne, ac reflorescentia hoc seculo nostro. Parte quintâ, Sermo fit de Turrice, seu Patrona illius, Virgine Dei-para, ejusque singulari patrocinio, ac tutelæ signo *Scapulari*, instar *turris* fortissimæ contra adversariorum impetus, in medio Carmeliticæ *Vineæ* ædificatæ.

» Parte sextâ, prodeunt palmites præcipui, nempè personæ sanctitate eximiâ, doctrinâ singulari, aut dignitate ecclesiasticâ præcellentes: quique Regularis Observantiæ per tria vota (sicuti Claviculis, seu Brachiolis palmites suis ridicis, seu Pedamentis) maritati, & circumvoluti per religiosarum virtutum actus *Deo adhærentes*, sursum creverunt, & Botros bonarum suarum exercitationum, & in illis Vinum suave doctrinæ & pietatis, in torculari patientiæ expressum libaverunt.

» Parte septimâ exhibentur Custodes, & Cultores præcipui hujus Vineæ: ii potissimum sunt Reverendissimi Patres Generales, quorum Series etiam ibi texitur: consequenter varii proferuntur Pulvini seu Areolæ: eæ sunt distinctæ inter se Provinciæ, quæ sigillatim describuntur. Et insuper ejusdem traduces novelli, per S. Teresiam propagati, nempè bina Patrum Discalceatorum Congregatio.

» Parte octavâ, de Vineæ hujus origine, ac propagatione variæ opiniones proponuntur & refelluntur, atque una vera declaratur, & stabilitur.

8. *Vinea Carmeli sivè Compendium Vitarum San-*

D.

ctorum Ordinis. Flandricè. Bruxellis, anno 1666. *in*-12.

9. *Delineatio tertiæ Regulæ Carmelitarum.* Flandricè. Antuerpiæ, anno 1666. *in*-12.

10. *Introductio ad Vitam devotam.* Flandricè. Antuerpiæ, anno 1668. *in*-12.

11. *Spirituale A. B. C.* Flandricè. Antuerpiæ, anno 1669. *in*-12.

12. *Ars Artium, sivè Methodus bene orandi.* Flandricè. Antuerpiæ, anno 1669. *in*-12. aliàs facilis orandi modus, ex Scriptis S. Teresiæ maximè exceptus, atque in tres partes distributus.

Prima pars agit de Oratione in genere, & de modo utiliter orandi vocaliter.

Secunda pars tractat de Meditatione, seu interiori Oratione, & de modo utiliter orandi, ac quàm sit omnibus necessaria hæc Oratio.

Tertia pars versatur circà ariditatem, tristitiam, atque evagationem in illa Oratione contingentem, & quomodo in salutarem Orationem mutari possit. Huic Arti adjungitur Officium parvum S. Teresiæ. Prima editio prodiit Antuerpiæ, anno 1648. apud Viduam Joannis Cnobbaert.

13. *Origo, Privilegia, vera & solida Devotio sacri Scapularis.* Latinè. Antuerpiæ, anno 1673. *in-folio.* Item prodiit ibidem, anno 1680. *tom.* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 515. —— 652.

14. *Phœnix Seculorum: sivè Vita S. Eliæ Prophetæ.* Latine. Francofurti, anno 1670. *in*-8°. Prodiit *in-folio*, Antuerpiæ, anno 1680. *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1. —— 71.

15. *Speculum Carmelitanum, sivè Historia Eliani Ordinis Fratrum Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo: in qua à S. Propheta* ELIA *origo, per Filios Prophetarum propagatio, per Essenos, Eremitas & Monachos diffusio & continuata successio, ex vetustis fideque dignis Autoribus exponuntur.* Opus posthumum Eminentissimo Principi PALUTIO; Cardinali Alterio S. Romanæ Ecclesiæ Camerario, Ordinis Carmelitani Protectori dicatum. Antuerpiæ, Typis Michaelis Knobari, anno 1680. duobus tomis *in-folio* designatum, se quatuor voluminibus itidem *in-folio* frequentissimè compactum.

Opus posthumum vocamus; 1°. Quia Daniel viam mortalem subiit anno 1678. hujus autem operis editio assignatur, anno 1680. 2°. Quia R. P. Papebrochius in *Appendice ad XI. diem Maii*, *tomo* 2. *pag.* 843. *col.* 1. *lin.* 21. sibi gratulatur, quòd acceperit a P. Cornelio Hazart, sex partes Speculi Carmelitani jam impressas, sicut ad ipsum P. Hazart tulerat ipse DANIEL, anno 1672. quibus tunc quidem vix aliquid videbatur ad editionem deesse præter indices, & quasdam appendices, ultrà unius voluminis molem non extensuras opus, sicut illud ordinario librorum censori exhibitum fuit, ab eoque approbatum VI. Decembris M. DCLXXII. 3°. Quia ibidem, *pag.* 847. *num.* 12. R. P. Papebrochius ægrè ferre se fatetur, & queritur quòd pars secunda *Armamentarii* à Patre Francisco Bonæ Spei compositi fuerit attexta Speculo Carmelitano, anno 1680. edito, contra expressam voluntatem Auctoris, communi Typographo sæpè protestati, nihil in opere suo appariturum ejusmodi: quodque qui novam istam *Armamentarii* impressionem curarunt, fecerint ipsum P. Danielem alieno sensu loqui in fine sui *Propugnaculi*, *tom.* 1. *pag.* 791. *num.* 2983. sciente ipse Papebrochio, *ab aliis augeri speculum, mortuo jam P. Daniele.*

In illo Speculo sive in hac Collectione continentur JOANNIS XLIV. Antistitis Hierosolymitani, B. Cyrilli Constantinopolitani, Guillelmi de Sanvico, Siberti de Beke, Philippi Riboti, Joannis Bachonis, Joannis de Hildensheim, Bernardi Olerii, Joannis Grossi, Thomæ Bradley, Joannis de Vineta, Balduini Leersii, Arnoldi Bostii, Joannis Palæonydori, Baptistæ Mantuani, Joannis Trithemii Abbatis, atque aliorum quorumdam veterum Auctorum Libri, Tractatus, Apologiæ, nec-non monumenta antiqua selecta.

Quorum equidem nonnulla jam in ejusdem tituli *Speculo Carmelitano* prodierant semel Venetiis edito anno 1507. *in-folio*: sed adeò rara erant exemplaria, ut etiam in Carmelitarum Conventibus paucissimis reperirentur. Ad fidem vetustorum exemplarium MSS. eum isto Veneto inter se collatorum, Antuerpiensis editio confecta est, & ad accuratiorem formam parata.

DANIELEM A VIRGINE MARIA commendant Joannes-Baptista de Lezana in literis ad ipsum Româ missis anno 1658. & 1659. uti videre est in *Prologuio Vineæ Carmeli*, *pag.* 4. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 69. Franciscus Bonæ Spei in *Visione Eliæ.* Philippus Labbe in *Bibliotheca Bibliothecarum*, *pag.* 31. Antonius Teisserius in *Catalogo Scriptorum*, *pag.* 68. Godefridus Henschenius in *Vita Joannis Bollandi*; ipse Bollandus in *Vita S. Cyrilli ad VI. diem Martii.* Daniel Papebrochius *tomo* 2. *Maii*, *pag.* 710. *num.* 7. ubi vocat eum amicum unanimem, & *pag.* 714. *num.* 24. virum mansuetissimum: Nicolaus Lenglet in *Methodo ad studium Historiæ*, *tomo* 3. *pag.* 148. Joannes-Petrus Niceron in *Memoriis Illustrium Virorum tomo* 2. *pag.* 98. & 99. Hyppolitus Heliot in *Historia Ordinum Religiosorum tomo* 1. *pag.* 285. Philippus Dubois in *Bibliotheca Telleriana pag.* 265. *num.* 919.

IX.

DAVID BOYS, latinè BOYSIUS, aliquandò DUAOYS, aliquando BOSCHUS, natione Anglus, Cœnobii Glocestrensis Carmelita, Doctor Oxoniensis, ibique Theologiæ Professor, invisit Cantabrigiam, & exteratum nationum Academias adiit, ubique fructum suum, & magnam ad bonas disciplinas accessionem faciens. Quod magis in eo æmulandum, id est, quod inter hujusmodi peregrinationes & studia, suæ professionis nunquam immemor, ubicumque ageret, semper hominum frequentiam declinabat, seculares strepitus fugiebat, Deo & sibi quantum poterat, vivebat, & vitam quam elegerat solitariam aut agebat, aut agere cupiebat; quam anno 1450. tandem Glocestriæ absolvit. E Thesauro suo literario promens pro Ecclesiæ utilitate,

1. *Eruditas Conciones*, Lib. I.
2. *De Spiritûs Doctrina*, Lib. I.
3. *De vera Innocentia*, Lib. I.
4. *De duplici hominis Immortalitate, contrà Agarenos*, Lib. I.
5. *Contra Agarenorum Insanias*, Lib. I.
6. *De variis Gentium Ritibus*, Lib. I.

DAVIDEM BOYS commendant Joannes Lelandus *cap.* 558. Balæus *cent.* VIII. *cap.* 12. & Pitseus *pag.* 641. de *Scriptoribus Angliæ.* Fabricius in *Bibliotheca Mediæ & Infimæ Latinitatis*, *tomo* 2. *pag.* 43. Nicolaus Harpsfeldius in *Historia Ecclesiastica.* Josias Simlerus in *Epitome Gesneriana.* Antonius Possevinus in *Apparatu Sacro tom.* 1. *pag.* 417. Lezana *tomo* 4. *pag.* 874. Daniel à Virgine Maria *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 114. *num.* 3943. Cyrillus Penneck à S. Paulo in *Gymnasio Carmelitano Ms. ad an.* 1450. ubi ex Pitseo notat quod Cantabrigiæ conscripserit quatuor voluminibus simul Opera Joannis Barningham Carmelitæ,

D.

quæ anteà ſparſim volitabant, & in quadam prædictæ Academiæ Bibliotheca reponi ſervanda curaverit. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 70. ubì ex Franciſco Godwino Lib. de *Præſulibus Angliæ* eum vocat Epiſcopum Landavenſem in Wallia, Alienoræ Duciſſæ & Humfredo ejus conjugi, aliiſque magnatibus charum. Alegreus Caſſanatus in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 350. eadem fermè ſcribit ex Nicolao Harpsfeldio jam citato; tametſi Arnoldus de Vion, Monachum Cluniacenſem appellet Benedictinum.

X.

DAVID CHIRBURIUS, natione Anglus, Carmelita Theologus, eruditione adeò clarus, ut ad *Dromorenſem* in Hibernia Epiſcopatum fuerit anno 1431. die 22. Junii ab *Eugenio IV.* promotus. Ad ipſum *Nicolaus Kentonus* ejuſdem Provinciæ Carmelita Librum à ſe compoſitum dixit. CHIRBURIUS autem ad annum 1446. mortuus ſepulturam accepit *Ludloæ* in Conventu Carmelitarum.

Nonnulla Opera ab illo ſcripta teſtantur Joannes-Lelandus *cap.* 584. & Pitſeus *pag.* 832. ſed eorum titulos non indicant. Illius quoque mentionem habent *Acta Conſiſtorialia Eugenii IV. ad ann.* 1431. *die* 22. *Junii.* Fabricius in *Bibliotheca Mediæ & Infimæ Latinitatis*, *tomo* 2. *pag.* 44. Jacobus Waræus Lib. *de Antiquitatibus Hiberniæ*, *cap. XXIX. pag.* 307. ubì in Chronologia Richardum Meſſimum Carmelitam Davidis Chirburii prædeceſſorem perperam deſignat: nam anno 1457. duntaxat die 29. Julii Richardus Myſſin obtinuit Sedem Dromorenſem, ut conſtat ex *Actis Conſiſtorialibus Callixti III.* Joannes-Baptiſta de Lezana, *tomo* 4. *anno* 1420. *pag.* 792. *num.* 3. ubì Thomam Bradley Scroppum Davidis Chirburii ſucceſſorem erroneè appellat. Nam Thomas Bradley ſucceſſor fuit Joannis anno 1450. prout conſtat ex *Actis Conſiſtorialibus Nicolai V.* Cyrillus Penneck in *Gymnaſio Carmelitano Mſ. ad annum* 1420. cui obitum noſtri Davidis perperam attribuit. Eomdem in errorem impegit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 70. Alegreus verò Caſſanatus in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 332. illum anno 5428. obiiſſe tradit. Non determinat *Speculum Carmelit. pag.* 918. *num.* 3198.

X I.

DAVID ESAU, natione Tuſcus èx familia de Girolamis Florentiæ natus, in ejuſdem Civitatis Academia Theologus Doctor, & publicus Profeſſor atque Decanus; cum in Monaſterio *Sylvarum* inter Obſervantes exiſteret, ac videret Congregationem Mantuanam ſuam in dies ſe extendere ultrà terminos ſuos, anno 1506. pro ſuis Fratribus obtinuit Eccleſiam *S. Clementis* propè portam civitatis Florentinæ in via S. Galli; conſentiente Reverend. Domino Raynaldo Urſino, Romano Archiepiſcopo Florentino, & acceptante Baptiſta Mantuano, tunc Vicario Generali; qui præfatum Davidem Eſau inſtituit primum hujus Cœnobii Priorem. Aſt duos poſt ferè annos illa domo propter ipſius anguſtias & incommoda relictâ, idem Eſau anno 1508. die 25. Junii, Eccleſiam *S. Barnabæ* Apoſtoli impetravit; in quam eodem die Carmelitæ Mantuaniſtæ tranſmigrarunt; ubi anteà erat habitatio Patrum S. Auguſtini. Verum & anno 1521. die 8. Julii, hac Eccleſiæ ſecundâ S. Barnabæ datâ aut conceſſâ Monialibus ejuſdem Congregationis Carmelitanis, ipſi Carmelitæ ad Sacram Parochialem Ædem *Sanctæ Mariæ Majoris* properarunt, & in eam eodem anno 1521. in vigilia omnium Sanctorum triginta Mantuaniſtæ Religioſi proceſſionaliter acceſſerunt.

Davidem Eſao referunt à celeberrimo Hieronymo Savaranola, Dominicano, ſemel atque iterum miro quodam modo viſitatum, & à perturbationibus quibus premebatur, liberatum. Obiiſſe autem anno 1504. notant Faſti Theologici Florentini, *pag.* 187. die 1. Januarii. Scripſit quæ inſcribuntur:

5. *In varios Sacræ Scripturæ textus Commentaria*, quæ dictavit Florentiæ, ubi Bibliorum Sacrorum Interpretem in Academia hujus Univerſitatis ageret publicum circa annum 1484.

2. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*, quæ Baccalaureus ſuis auditoribus legit in eadem Academia ante diem 14. Junii, an. 1482. quo ad hunc gradum promotus eſt.

DAVIDIS ESAU memoriam habent celebrem, Abraham Bzovius ad annum 5498. *num.* 29. Joannes-Baptiſta de Lezana, *tomo* 4. *Annal. pag.* 906. Carolus Vaghus in ſuis *Commentariis*, *pag.* 114. & 339. Lucas-Joſeph Cerracchinus in *Faſtis Theologicis Univerſitatis Florentinæ*, *pag.* 187. & 207.

X I I.

DAVID GALLUS, natione Apulus, Carmelita, ſacræ Theologiæ Doctor, edidit *Vitam S. ANGELI Jeroſolymitani*, *Carmelitæ & Martyris.* Italicè: moriens circa annum 1635. teſte Ludovico Jacob, in ſua *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 70. Nicolaus Toppi, in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 331. ſic habet: David Gallo da Noia nella Provincia di Bari Carmelitano ha dato.

Il Trionfo e Martirio di S. ANGELO, *Carmelitano. Tragedia ſpirituale.* In Bari appreſſo Pietro Michaeli, 1630. *in-8°. verſo.*

X I I I

DAVID AB OMNIBUS SANCTIS, Provinciæ Germaniæ variis in Conventibus ipſe Germanus Prior, *Relationem hujus Superioris Germaniæ* communicavit R. P. Danieli à Virgine Maria: in qua notabat quod ante hæreſes, plerique Provinciales Carmelitani fuerint in Univerſitate ſive Academia Vienenſi vel Rectores ſtudii, vel Profeſſores publici (ſive ut loquuntur Cathedratici) ſacræ Theologiæ, vel Canonum Doctores, aut Profeſſores; prout legitur *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 5100. *num* 3897. Ille DAVID AB OMNIBUS SANCTIS diſtinguitur ab altero recentioris Inſtituti Carmelita DAVIDE AB OMNIBUS SANCTIS, qui Polonus, Carmelita Diſcalceatus, edidit patrio idiomate, *Concionum tomos duos in-fol.* anno 1701. prout refertur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 105.

X I V.

DAVID OBUGÆUS, natione Hibernus, Carmelita Kildarienſis, ſacræ Theologiæ Doctor ac Profeſſor, Oxoniæ primùm in Anglia, deindè Treviris in Germania, ob eruditionem non vulgarem celebris evaſit. Supremæ Claſſis Magiſter, Hybernicæ nationis lucerna & decus appellatur: cui tanta fuit peritia, ut Bibliotheca vivens diceretur. Factus tandem Ordinis *Carmelitarum in Hibernia Prior Provincialis*, *in patriam rediit*, *ubi in Atherdet*, *ſive Atrio Dei*, ut loquitur Jacobus Waræus: & *Dubliniæ* (etiam Balæo teſte) *Capitula celebraſſe dicitur. Erat is Philoſophus*, *Rhetor*,

D.

Theologus, & *utriusque Legis in tota illa terra peritissimus*, circa annum 1320. *atque ita totius Hibernicæ Nationis, lucerna, speculum & decus*: Kildiriæ senex admodùm decessit. Scripsit,

1. *In sacram Scripturam Commentaria, sive Postillas.*
2. *Sermones ad Clerum.* Lib. I.
3. *Propositiones disputatas.* Lib. I.
4. *Lectiones Trevirenses.* Lib. I.
5. *Regulas Juris quasdam.* Lib. I.
6. *Sermones per annum.* Lib. I.
7. *Epistolas ad diversos* XXXII. Incip. *A dilectianis fædere non recedit.*
8. *Contra Gerardum de Bononia*, Ordinis Carmelitarum Priorem Generalem, qui anno 1303. in Comitiis Generalibus Tolosæ habitis, divisit in duas Provinciam Angliæ, ut diximus superiori pag. 352. ubi Conradum de S. Georgio commemoravimus.

Davidis Obugæi mentionem habent Gobelinus Alemannus, Carmelita, in *Commentariis*: Joannes Bloxamus, Carmelita, in *Epistolis*; Joannes Balæus, *de Scriptoribus Angliæ*, *Cent.* 14. *Cap.* 92. Josias Simlerus, in *Epitome Gesneriana*: Guilelmus Eiseingrenius, in *Catalogo testium veritatis*: Jacobus Waræus, *Lib. I. de Scriptoribus Hyberniæ*: Lezana, *tom.* 4. *anno* 1320. *pag.* 512. *num.* 7. Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tom.* 2. *pag.* 45. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 70.

X V.

DAVID WATERSON, natione Anglus, circa annum 1524. scripsit,

1. *De Viris claris Ordinis Carmelitarum.* Lib. I.
2. *Sermonum Repositorium. Tom. I.* Ast verò utrumque Opus *Kreimondoæ* ab hæreticis combustum fuisse scribit Thomas Dempsterius, in *Historia gentis Scotorum, Lib. XIX. pag.* 665.

X V I.

DEGENHARDUS DE DUMETA VANDERHAECKEN, natione Germanus, Cœnobii *Morsensis alumnus*, ejusque ultimus Prior, sacræ Theologiæ Doctor in Academia Coloniensi, anno 1604. promotus. Circa annum 1606. hæretici Conventum hunc invadentes, ipsum Degenhardum cum ejus Religiosis Carmelitis ejecerunt. Exindè ipse in variis Conventibus Regens, Prior, Definitor, Vicarius Provincialis exhibetur ad annum 1624. quo Priorem Franckofordiensem gerebat, & ulterior de ipso mentio habetur nulla. Scripsit,

In Libros IV. Sententiarum Commentaria, quæ Mff. asservantur in Archivo Provinciæ inferioris Germaniæ: teste Daniele à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1102. *num.* 3904.

X V I I.

DELACROIX, Docteur en Théologie; sub hoc nomine tantummodò Delacroix latuit Michael Potier, Burgundus, Carmelita Semuriensis, Doctor Romanus Theologus, Prior Semuriensis & Parisiensis; atque Provinciæ Narbonæ Definitor. Obiit Turnoni anno 1666. postquam sub fictitio nomine Delacroix edidisset Gallico Idiomate,

A Monsieur de St. Martin, Prêtre, Docteur en Théologie en l'Université de Rome, Sieur de la Mare, Protonotaire Apostolique, & très-digne Recteur de la Royale Université de Caen: Discours d'un sien Ami. Incipit: *Monsieur, si j'ai rendu mon jugement suspect*, &c. Definit autem: *Votre très-humble Serviteur*, Delacroix. Hic porro discursus editus est inter Opera Domini Michaëlis à S. Martino, de quibus mentionem habent Vigneul-Marville in *Miscellaneis Historiæ & Litteraturæ* gallicè scriptis, *tomo* 1. *pag.* 397. Gabriel de la Monnoye in *Menagiana*, *tom.* 2. *pag.* 95. & 336. ubi notat dictum Michaëlem à S. Martino, virum staturâ & ingenio insolitum, obiisse Cadomi in Neustria, anno 1687. Michaelis Potier, fictitio nomine Delacroix meminit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca personata Mf. pag.* 59. Idem in *Catalogo Mf. Monasteriorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 239.

X V I I I.

DESIDERIUS BUFFET, natione Gallus, provinciâ Campanus, in pago *Dommarensi*, Diœcesis Lingonensis natus, humili loco, rusticis & egenis ex parentibus: Carmelum in Divionensem logressus, habitum religiosum ibi sumpsit, undè plerique Scriptores hunc natu Divionensem appellarunt. Doctor Theologus in Academia Parisiensi anno 1559. proclamatus; Prior Divionensis, bis Provinciæ *Narbonæ* Præfectus; anno 1582. Præses Provincialium Comitiorum Provinciæ Viennæ celebratorum die 7. Octobris, ac per universum Galliarum Regnum Vicarius Generalis anno 1582. Vir *Gilberto Genebrardo* intimus, apud suos summè potens, Religionis Catholicæ strenuus Defensor, Linguarum Hebraicarum, Græcarum & Latinarum studiosissimus; Divionensium Carmelitarum honos & tutela.

Nam Bibliothecam amplissimam illic construxit, quam selecta librorum supellectili, magnis sumptibus non tantum locupletavit, sed etiam ornavit ita pulchrè & splendidè, ut celeberrimas Burgundiæ quasque post se relinquere posset; Cabilonensisque Conventus ei quam maximè debet. Nam *Caroli IX.* jussu, destructo Monachorum Benedictinorum Cœnobio, ad Arcem ibi construendam, Regium Diploma ii obtinuerunt, quo illis liceret in Conventu Carmelitarum manere perpetuò, & ex eo Carmelitas expellere: verùm *Desiderius* noster *Buffet Molinum* se contulit ad solemnia Regni Comitia illic anno 1565. celebrata; ubi tam vehementi studio tantaque prudentia egit, ut præ sui nominis famâ & æstimatione literas alias regias acceperit, quibus Monachi Benedictini è Carmelo Cabilonensi exire jubebantur, damnumque quater mille librarum & amplius resarcire.

Decessit Divione senectutis plenus, anno 1603. ibidemque sepultus in Sacello S. Desiderii, cujus contra parietem hæc leguntur carmina.

D. O. M.

Lingonensis erat patriâ, sed Divionensis
Incola, sacratam professus religionem
Carmelitarum: Sorbonæ Doctor, Alumnus
Rectorque istius Conventûs pluribus annis.
Nec-non Præfectus Narbonæ, ac totius Almi
Citramontani Carmeli Progeneralis.
Ædiculam hanc fieri & dotari fecit, in usum
Sacrum divini cultûs, propriique sepulchri:
Quod Salvatori, ut sit gratum ara pie lector;
Et dic Buffeto; Sit lux æterna, quies, pax.
Amen.

Suprà

D.

Supta ejus sepulturam in medio Sacelli legitur :

D. O. M.

DECORIS DOMUS STUOIUM, VITÆ TESTIMONIUM
ET PARTICIPATIONIS IN BEATORUM,
FIDELIUMQUE VIVENTIUM PRECIBUS,
RELIGIOSUM OESTOERIUM FECIT
AO DEI ADORATIONEM, SACRORUM CUSTOOIAM,
ET CAOAVERIS SEPULTURAM.
ANNO M. DLXVII.

Ingenii sui, multiplicisque Doctrinæ monimenta iteraria, quæ posteritati reliquir, inscribuntur :

1. Sermones Quadragesimales Lib. I. Gallicè. Inclp. *Simile est Regnum Cœlorum*, &c. *Matth.* 20. qui *Mss.* asservantur in Bibliotheca Carmelitatum Cabilonensi.

2. *Sermones varii* : Qui *Ms.* asservantur in Bibliotheca Carmelitana Divionensi.

3. *Versus contra Hæreticos* : Qui *Ms.* Leguntut in Sacello S. Desiderii, quod fundaverat & construxerat propriis impensis.

4. *Epistolæ ad Diversos* : Quas *Ms.* Ludovicus Jacob à se visas anno 1628. fuisse testatur, dum studiis philosophicis navabat operam sub R. P. Petro Atcis, Licentiato Parisiensi.

5. *Laurentii Burelli* Carmelitæ Divionensis, *Episcopi Sistaricensis Elogium*. Quod *Ms.* asservatur Claromonte, in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum.

Laudes Desiderii Buffet celebrant Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 31. *folio verso.* Josephus Falco in *Chronico Carmelitico.* Emmanuel Roman in *Elucidario Ordinis Carmelitici.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 445. Leo à S. Joanne in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis*, *cap.* 5. *pag.* 31. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 511. *num.* 914. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1089. *num.* 3833. Ludovicus Jacob in *compendiosa Descriptione Provinciæ Narbonæ*, *cap.* 4. Idem in tractatu gallicè scripto *de pulcherrimis Bibliothecis*, *pag.* 628. Idem in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 71. Dominicus Gravina, *parte* 2. *vocis turturis cap.* 26.

XVIII.

DESIDERIUS MAZZAPICA A SANCTO MARTINO, natione Siculus, patriâ Panormitanus, sacræ Theologiæ Magister, Procurator Generalis Carmelitarum in Curia Regis Catholici, pro Hispaniarum Provinciis ; missus est ad Concilium Tridentinum Theologus *Philippi II.* Regis Catholici, Literis Regiis datis Matriti die 14. Julii 1562. Ibique & concionem habuit Dominica IV. post Pentecosten 1562. & votum dixit in Congregationibus post sessionem vigesimam à die 9. Junii usque ad 23. diem ejusdem mensis. Indè redux *Desiderius*, nominatione præfati Regis Institutus est Episcopus Ugentinus in Regno Neapolitano die 6. Aprilis 1593. uti constat ex accurata Relatione Ugento Romam missa. Quare corrigendus est error Ferdinandi Ughelli, *tomo* 9. *Italiæ Sacræ*, quoad diem electionis, & tempus mortis nostri *Desiderii* : qui scripsit :

1. *Orationem in Synodo Tridentina habitam* die Dominica IV. post Pentecosten.

Votum quod in Congregationibus ejusdem Concilii *tulit* post diem 9. Junii 1562. habitis *circà Articulum sextum* propositum, *an parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessaria sit Eucharistiæ Communio.*

» Noster Desiderius Panormitanus solus censuit » articulum hunc omittendum : quod cum à nostri » seculi protestantibus id in quæstionem vocatum » non fuerit, non videretur tempestivum ejus tra» ctatione novitates in medium adducere. Rem » ipsam in utramque partem probabiliter disceptari » posse : ubi verò percrebuerit agitatam in Synodo » multorum curiositatem ad altiorem disquisitionem » facilè stimulatum iri, & cespitandi occasionem da» turam. Enimverò facilè aliquem adduci posse, ut » credat Eucharistiam Sacramentum esse necessitatis, » non minùs quàm Baptismum, &c.

Desiderium Panormitanum à S. Martino commemorant Paulus Sarpi, *Lib. VI. Historiæ Concilii Tridentini*, *pag.* 427. *Edit. Latin. Londin.* Rochus Pirrus, in *notitia Episcoporum Siciliæ*, *pag.* 521. Ferdinandus Ughellus, *tomo* 9. *Italiæ sacræ*, *pag.* 147. Franciscus de Barone, *Lib. II. de Majestate Panormitana*, *Cap.* 6. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 82. Philippus Labbeus, *tomo* 14. *Conciliorum*, *pag.* 924. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 381. Dominicus à Jesu, in *Spicilegio Antiquitum Ordinis Carmelitici.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 71. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 509. *num* 912. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 918. *num.* 3199. Ibidem, *pag* 1068. *num.* 3704.

XIX.

DESIDERIUS PLACA, natione Siculus, Cataneasis Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, atque publicus in alma Catanensium Academia Professor, & in eadem sua patria diu Prior : Provinciæ *S. Alberti* in Sicilia ter Provincialis ; ad annum 1592. primùm electus ; iterùm anno 1601. & tertia vice, currente anno 1608. assumptus interea in Vicarium Generalem Diœcesis Catanensis, sub Reverendiss. VINCENTIO CUTELLIO, insignis probitatis Antistite.

Tot præclaris muneribus perfunctus Desiderius ; Dux plane emeritus existens, tyrocinium pro suæ Religionis Carmelitanæ arctiori disciplina ponere non recusavit, reformationem *Montis Sancti* nuncupatam & novam ejusdem nominis Provinciam instituendo, sociumque sibi adsciscendo R. Patrem *Alphium Licandum.* Igitur in patria, ad veteris instituti normam, novo erecto domicilio, & alibi fœcundâ sobole propagatâ, ad mortem usque, constantissimâ sui abnegatione, alacriter jugum Domini portavit.

Approbata fuit à R. P. *Sebastiano Fantono* Priore Generali, anno 1621. die 4. Februarii. Dicitur etiam quandoque *primi instituti* ; eo quod in illa observatur regula primitiva, qualis ab *INNOCENTIO IV.* fuit approbata anno 1248. Kalendis Octobris ; renuntiatâ scilicet mitigatione factâ per *EUGENIUM IV.* anno 1432. quinto-decimo Kalendas Martii circà esum carnium, quibus perpetuò abstinent nostri Carmelitæ *Montis Sancti*, sicut Patres Excalceati. Constitutiones habet easdem, quas cæteri in Ordine Carmelitano reformati, confirmatas scilicet à Summis Pontificibus *URBANO VIII.* & *INNOCENTIO X.* additis quibusdam Statutis specialibus, ad exactam Regulæ Observantiam spectantibus, in Capitulo Generali anno 1645. approbatis. Augescente numero Conventuum istam *primi Instituti*

D.

Observantiam profitentium (qui sunt Romæ, Neapoli, Catanæ, & in aliis Italiæ, Siciliæ, ac Regni Neapolitani locis) decretum fuit in dicto Capitulo Generali Romæ celebrato anno 1645. ex iis instituendam peculiarem Provinciam, dictam *Montis Sancti*, quod anno sequenti, accedente Apostolicæ Sedis authoritate, executioni mandatum.

Iis reformationis instituendæ curis distentos erat DESIDERIUS, nihil minus quam curiam cogitabat, eum ex nominatione PHILIPPI IV. Regis Catholici, Episcopus *Agrigentinus* in Sicilia, sub Metropoli Panormitanâ, destinatus fuit. Cæterùm priusquam onus Episcopale susciperet, felici morte, sublatus est die 3. Augusti, anno Salutis 1624. ætatis suæ 70. religiosæ vitæ 56.

Opera nonnulla Theologica circumferuntur, quæ hactenus indicta sunt; sed quæ dictavit per multos annos in Academia Catanensi, in qua illum anno 1601. audiebat Rocchus Pirrus.

Insignia ejus merita multi celebrarunt. Rocchus Pirrus in sua *Sicilia sacra*, *Notitia prima Ecclesiæ Catanensis*, *pag.* 67, & 85. Joannes-Baptista de Grossis in *Decachordo*, sivè *novissima Catanensis Ecclesiæ Notitia*, *chordâ* 2. *modulo* 10. *pag.* 160. Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 82. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 467. Franciscus à S. Maria in *Histor. Carmelit. Lib. V. cap.* 43. Ludovicus à S. Teresia in *Successione Eliæ cap.* 261. *pag.* 597. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 72. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 353. *num.* 654. Ibidem *pag.* 518. *num.* 926. Ibidem *pag.* 581. *num.* 1039. Idem Daniel *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 958. *num.* 3372. Ibidem, *pag.* 979. *num.* 3436. Vide Catalogum Episcoporum ex Ordine Carmelitano assumptorum, *tomo* 2. *hujus Bibliothecæ*.

X X.

DESIDERIUS RICHARD, natione Gallus, Provinciâ & patriâ Andinus, professione Carmelitanâ Nannetensis, ejusdem Academiæ Doctor Theologus, diversis in locis Prior, perlustratâ Turoniæ Provinciâ per duos annos tanquam Commissarius Generalis, & Præsidis munere in Capitulo Provinciali Turonibus celebrato anno 1576. perfunctus; tandem anno 1581. ad Comitia Pontis-Abbatis habita electus est in Provincialem. Quod officium cum religionis splendori non mediocri, & suorum profectu subditorum maximè adimplevit ad annum usque 1584. quo Sigillum suum cessit Joanni Boucher, Aurelianensi, in Cœtu Provinciali ad Conventum Boni Domi adunato; cui & Commissarius Generalis præfuit.

Provincialatu absoluto, Ecclesiastes Theologus Ecclesiæ Cathedralis Rhedonensis nominatur: Et quis hoc dignior munere? De eo Rhedonenses quod olim de *Pericle* Athenienses dicebant: In *labiis hujus viri templum non persuasionis modo extare ad impellendum, quodcunque vellet auditorum animos, sed & consolationis eximiæ, quâ timidis vires & afflictis solamen inspirabat.* Spatio duorum suprà viginti annorum, quibus è suggestu conciones ad populum habuit, facundiorem Oratorem reperire non erat. Totam corporis constructionem tam grata tamque amœna gravitas temperabat, ut mansuetudo gravitati juncta omnium corda animosque illi conciliaret. Coram primariis Aremoricæ Dynastis, coram Senatoribus summæ Curiæ, imò coram Christianissimo Rege Galliarum HENRICO IV. nectarea adeò verba promebat, ut tanquam Minister ab astris emissus audiretur. Inter Regios Concionatores ascriptus annuâ pensione ditatus fuit.

Dum Rhedonensis Ecclesiæ sacrum ageret Ecclesiasten, duarum successivè Parochiarum, *Orgeriæ* primò, deindè *Sancti Heleri* ad Parochiam *de Iram* transiit, in quâ quinquennio laboravit, suas oves pascuis egere nunquam bonus pastor sinens. Dissolutionem verò sui corporis præsentiens, ad suum Rhedonensem, soli Deo vacaturus, se recepit Conventum, in quo animam efflavit inter manus Petri Behourt Prioris, anno Christi 1607. ætatis suæ 74. Scripsit Gallicè:

Apologie pour sa Défense contre ses Calomniateurs & Hérétiques. A Paris, chez Etienne Colin, 1603. in-8°. Latinè id est: *Apologiam pro sui defensione adversùs Calumniatores suos & Hæreticos.*

DESIDERIUM RICHARD egregiè celebrant Leo à S. Joanne in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis*, *cap.* 5. *pag.* 30. dicens quod » Desiderius » Ricardus, patriâ Andinus, Religione Nannetensis, Doctrinâ Theologus, facundiâ Orator eximius, officio Commissarius Generalis, dein Provincialis; captus demùm in Ecclesiasten insignis Ecclesiæ » Rhedonensis, eo in munere totos suprà septemdecem annos felix perseveravit donec Deo, non vulgari » pietate: hominibus, etiam viris principibus incredibili urbanitate dilectus; desiit in Carmelo » Rhedonensi, anno M. DCVII. inter Ecclesiæ Sacramenta, precesque ad Deum ardentissimas. Mathurinus Aubron in *Annalibus Historicis Provinciæ Turoniæ Mss.* Cyrillus Pennect à S. Paulo in suo *Gymnasio Carmelitano Ms.* ubi eum anno 1609. obiisse asserit postquam dixit: » DESIDERIUS RICHARD, » Doctor Theologus, Carmeli Nannetensis Alumnus, Vir fuit eruditione singulari & virtutum meritis præclarus. Inter præcipua ipsius hominis ingenii ornamenta, totius Armoricæ divini verbi » præcones suo tempore fuit eloquentissimus. Nitebat enim luculenti claritate sermonis; ad ædificationem non solùm tersis verbis, verum etiam » vivis operibus prædicabat: nam ut haberet vocem » vel in concionibus tonantem, vel in orationibus » efficacem, satagebat semper ut se divinus fervor » accenderet. Cum itaque grassante civilium bellorum tempestate, divinæ gloriæ zelo ebulliret, vir » iste, Apostolicus in Ecclesiasten civitatis Rhedonensis fuit electus. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 72. ubi notat illum fuisse Rectorem Parochiæ *Trani* in Neustria. Columbanus à Nostra-Domina de Monte-Carmelo in *Catalogo Ms. Provinciarum Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 11. Idem in *Encomio brevi Ms. Virorum Illustrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 12.

X X I.

DIDACUS ÆGIDIUS, vulgò GIL, natione Lusitanus, Ulyssiponensis Carmeli Prior, Lusitanæ Provinciæ Præfectus M. CCCXXXV. creatus, scripsisse dicitur Librum *de Fundatione & Monumentis Ordinis Carmelitani*, Lusitanè, ut creditur; cujus rei adducere testem possumus R. P. Fr. Emmanuelem à Resurrectione, Lusitanum ex reformatis S. Augustini, rerum Lusitanarum curiosissimum; inquit Nicolaus Antonius in *Bibliotheca veteri Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 500. *num.* 217.

X X I I.

DIDACUS DE ANGULO, natione Bæticus, sacræ Theologiæ præsentatus, decessit è vivis in Carmelo antiquioris Observantiæ Hispalensi, post ann. 1640. relinquens opus inscriptum:

Vida de S. Andres Corsino Obispo de Fiesoli de

D.

la Orden de N. Señora del Carmen ; con la Relacion de sa Canonizacion y del solemne Otavario que se celebro en el Convento de Sevilla de la misma Orden. Seu latinè : *Vita S. Andreæ Corsini Episcopi Fesulani , Ordinis B. V. M. de Monte-Carmelo , simul & Relatio de ejusdem Canonizatione, & illius solemnis Octavæ , quæ celebrata fuit in Conventu Hispalensi Carmelitarum.* Hispali apud Ludovicum Estupinnam , anno 1630. *in-4°.*

Hæc Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hispana , tomo 2. pag.* 320. quibus similia fere dixerat Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 72.

X X I I I.

DIDACUS A CASANATE, Aliis JACOBUS CASANAT, & certè proprius , natione Celtiber , patria *Turiasonensis* , Cæsar-Augustanæ civitati vicina civitas , in Cæsar-Augustano Carmelo vota solemniter dixit : Magisterii lauream opportuno tempore , pro meritis obtinuit , atque post alia obita munera , Prior Provincialis suæ Aragonicæ Provinciæ institutus fuit. Dum eam Præfecturam gerebat , venit *Patavium* ad Comitia Generalia , ibi circà Festum Pentecostes anno , 1532. celebrata , Definitoris partes ex munere peregit , & in officio Provincialis confirmatus est usque ad terminum Triennii.

Peractis Comitiis , sesqui-mense vix exacto , in Antistitem assumitur noster JACOBUS , & eligitur in Episcopum ALAOENSEM seu LADENSEM , titularem & suffraganeum *Turiasonensem* die 3. Julii anno 1532. Tenuit etiam partes Archiepiscopi Cæsar-Augustani , in munere Suffraganei , sub Excellentissimo Principe D. *Ferdinando de Aragonia* Archipræsule. Obiit tandem noster Jacobus in præfata Urbe Cæsar-Augustæ , currente anno 1557. & apud suos Carmelitas sepultus in Sacello *S. Acatii* , legatis ad eosdem bonis non contemnendis. Scripta ejus nominantur :

1. *Tentacula Moralia* , Lib. I. in quo quid ad mores componendos attinet , dialogistica methodo eruditissimè indicatur Mss.

2. Commentatiola brevissima in Regulam B. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani , *tractatibus duobus* digesta , quæ ipse *Adductiones Morales* inscribit. Mss.

3. *Catechismus Catholicus adversùs Agarenos* , Lib. I. Ms. qui asservabatur quondam apud R. P. Marcum Antonium Alegreum Cassanatum ; cum alia duo priora Opera Mss. possideret Ludovicus a Cassanate , Turiasonensis civitatis primus (ut vocant) Justitiæ Assertor , & Heres secundus aut tertius Bibliothecæ & supellectilium nostri Reverendiss. Episcopi Jacobi sive Didaci à Casanate.

DIDACUM A CASANATE laudant Didacus Maurillo Franciscanus , *in Historia B. Virginis de columna* , & urbis *Cæsar-Augustanæ* , *tract.* 2. *cap.* 39. ubi non rectè vocat eum Hispanicè Episcopum de *Arze.* Philippus à S. Jacobo Carmelita Toletanus in *Catalogo Illustrium Carmelitarum.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris* , *pag.* 401. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 72. Daniel à Virgine Maria , *tomo* 2. *Speculi Carmelitani* , *pag.* 928. *num.* 3251.

X X I V.

DIDACUS A CONCEPTIONE , natione Hispanos , patriâ Caravacensis , Carmelita Excalceatus , qui anno Christi 1587. fundavit Monasterium Caravacense , Prior Guadalajaræ 1596. Pennuelæ , scripsit :

Relationem de virtutibus & signis Ven. P. Joannis a Cruce Carmelitæ Discalceati : quâ usus est Hieronymus à S. Joseph , in vita ejusdem *S. Joannis à Cruce* ; teste ipso Hieronymo , præter Franciscum à S. Maria *tomo* 2. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ* , *Lib. VI. cap.* 43. & 49. Ludovicum Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 72.

X X V

DIDACUS ENRIQUEZ , natione Hispanus , ex oppido de *Peñeranda* Diœcesis Salmanticensis , Carmelita , sacræ Theologiæ Doctor ac Professor , edidit circà annum 1596. *Theses Theologicas* , quas Salmanticæ & Vallisoleti de variis fidei Mysteriis publicè disputavit.

2. Opuscula varia Theologica : quæ Mss. asservantur in Bibliothecis Carmelitarum Hispanorum , prout refert Emmanuel Roman , Matritensis Carmelita , *Lib. de Viris Illustribus Ordinis Carmelitici* , ex illo Ludovicus Jacob in *Bibliatheca Carmelitarum Ms. pag.* 72.

X X V I.

DIDACUS A S. JACOBO , natione Hispanus , patria Tucitanus , quod est oppidum superioris Bæticæ , Carmelita Discalceatus , in Theologia Scholastica , Morali & Mystica , nec-non positiva exercitatissimus , edidit Hispanico Idiomate :

1. *Concianam Volumen* , Granatæ anno 1725.
2. *Elogiam S. Pii V.*
3. *Elogium S. Catharinæ de Bononia.*
4. *Beatæ Virginis dolores historialiter expensi.*
5. *Tractatum de Interpretationibus Hebraicis , Græcis & Latinis.* Hæc , inquam referuntur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum* , *pag.* 101.

X X V I I.

DIDACUS A JESU , cognomento SALABLANCA , natione Hispanus , patriâ Granatensis , non Pincianus , ut ait Nicolaus Antonius , Carmelita Excalceatus , Prior Toletanus & Definitor Generalis , natus est anno 1570. ex nobilissima familia SALABLANCA & BALBOA primogenitus. *Matriti* institutum Carmelitarum Excalceatorum amplexus est anno 1586. sequenti 25. Octobris Pastranæ professus ; in *Daimielensi & Complutensi* Collegiis studia philosophica & theologica perferit. Posteà *Compluti* , sacræ Theologiæ Professor in Evangelicis declamationibus , *Cæsar-Augustæ* , *Toleti* , *Matriti* , ac ferè per totam Hispaniam , ad stuporem usque suspensos habuit populos. Obiit *Toleti* , anno 1621. Scripsit in universam *Aristotelis* Philosophiam , ac in omnes D. Thomæ partes egregia Commentaria , quæ cum destinaret Typis , è vivis sublatus est : edita sunt ,

1. *Commentaria in Logicam Aristotelis.* Matriti , anno 1608. *in-4°.*

2. *Annotaciones a las Obras del Venerable Padre F. Juan de la Cruz* : id est Latinè , *Expositio Phrasium Mysticarum Venerabilis Patris Frat. Joannis à Cruce* , Barcinone apud Sebastianum de Cormellas , 1619. *in-4°.*

3. *Carmina & Sententiæ Spirituales* Hispanè *conceptæ* Matriti post ejus obitum , anno 1668.

4. *Compendium Vitæ Venerabl. P. Joannis à Cruce* ; ut refert Ludovicus Jacob. Barcinone , apud Sebastianum de Cormellas , 1719. *in-4°.* Quod Gallicè reddidit Renatus Gautier , Magni Consilii Advocatus Generalis , unà cum Annotationibus ejusdem

D.

Didaci super Phrases Mysticas S. Joannis à Cruce. Parisiis apud Michaelem Sonnium, 1621. *in-8°.* Et iterùm anno 1665. *in-4°.* procurante R. P. Cypriano à Nativitate, Carmelita Excalceato.

DIDACUM A JESU collaudant Alphonsus à Matre Dei in *Indice Illustrium Scriptorum Carmelit. Excalceat.* Emmanuel Roman in Elucidario Carmelitico. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 17. Franciscus à Sancta Maria, *tomo* 2. *Historiæ Generalis Reformationis S. Teresiæ Lib. VII. cap.* 11. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 72. ubi asserit hunc Didacum priùs fuisse antiquioris Observantiæ Carmelitam. Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hispana*, *tom.* 1. *pag.* 225. Idem *tomo* 2. *pag.* 673. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1128. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelit. Excalceatorum*, *pag.* 102.

X X V I I I.

DIDACUS A JESU MARIA, natione Hispanus, natus in civitate Regali, *Pastrani* inter Carmelitas Excalceatos professus, ubi piè sanctéque educatus, dum postea Prior Cœnobio de Guadalaxara præfuit, anno 1649. Magalonensi, anno 1652. deinde patrio suo civitatis Regalis S. Angeli, anno 1665. Vir brevi consummatus & visionibus cœlestibus illustris, obiit Toleti in Novitiatu, postquam scripsisset opera inscripta Hispano sermone :

1. *Historia de la Imagen de Nostra Señora de Prado de Luidad-real.* Id est latinè, *Historiæ miraculosæ Imaginis Dei-paræ de Prado.* Matriti, 1650. *in-4°.*

2. *Desierto de Bolarque de Carmelitas de la Reforma.* Sivè latinè, *Descriptio deserti* seu Eremitici Cœnobii de *Bloarque Carmelitarum Reformatorum.* Matriti, 1651. *in-4°.*

Didaci à Jesu Maria celebrem habent mentionem Franciscus à S. Maria, *Lib. VII. Histor. Reformat. S. Teresiæ*, *cap.* 39. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 72. Nicolaus Antonius *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 225. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitaram Excalceatorum*, *pag.* 103.

X X I X.

DIDACUS AB INCARNATIONE, natione Hispanus, patriâ *Cângas*, in seculo dictus MONTAGNEZ, Carmelita Excalceatus : qui cum esset summo fidei ardore accensus, in Regnum *Congo* anno 1584. jussu Superiorum profectus est : ubi post multorum infidelium conversionem, ac pro fide Christi susceptos labores, ad suos tandem reversus, factus est primus Vicarius Monasterii Incarnationis Taurensis, anno 1589. deindè Prior Pegnulæ anno 1593. Interfuit Capitulo *Cremonæ* celebrato cum *Joanne à S. Paulo*, *Castellæ* veteris Provinciali, & *Francisco à Matre Dei* Priori Osmensi, altero socio ejusdem Provincialis ; tandem anno 1694. in Priorem Taurensem institutus, qui jubentibus Rege Catholico & Superioribus scripsit,

Relationem amplissimam de Regnis Congo & Angolæ.

De isto DIDACO loquuntur Franciscus à S. Maria *tomo* 2. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ*, *Lib. VI. cap.* 27. 29. & 30. Ibidem *Lib. VIII. cap.* 17. 47. & 67. Philippus à SS. Trinitate in *Vita Francisci à Jesu Cognomento indigni.* Ludovicus Jacob in Scheda Ms. affixa ad *paginam* 73. *Bibliothecæ suæ Carmelitanæ.*

X X X.

DIDAQUS AB INCARNATIONE, natione Castellanus, Carmelita Excalceatus, divinarum Scripturarum summâ intelligentiâ præditus, quantum ex ejus scriptis conjici potest, quæ sunt,

1. *Commentaria in Esther.*

2. *Commentaria in caput* 13. *Joannis.*

3. *De Sacramentis novæ legis in genere.* Hæc absolvit in Conventu *Rioseco*, anno 1617. prout legitur in *Bibliotheca Carmelitar. Excalceat. pag.* 105.

X X X I.

DIDACUS AB INCARNATIONE, Hispanus Valderanus, Carmelita, sacræ Theologiæ Professor : vir facundi ingenii, felicis memoriæ, artium liberalium & aliarum disciplinarum laude clarus edidit :

Grammaticam Hispano-Gallicam, tribus Libris distinctam. Duaci, ex Typographia Balthazaris Belleri, 1624. *in-8°.* sicut animadvertit Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 73. ubi scribit hunc Didacum, cujus meminit Dominicus Gravina, *parte* 2. *Vocis Turturis*, *cap.* 26. devixisse in Belgio inter Carmelitas antiquioris Observantiæ.

X X X I I.

DIDACUS A SANCTO JOSEPH, natione Hispanus, patriâ Pincianus, sive Vallisoletanus, Carmelita Excalceatus, Theologus scientiâ & vitæ probitate conspicuus, collegit, & in lucem emisit Hispanicè Opus cui titulus est :

1. *La Historia de las Fiestas que las Ciudades de España Hizieron en la Beatificacion de Santa Teresa de IHS. año de M. DCXIV.* id est Latinè : *Descriptio acclamationum populorum Hispaniæ, pro Beatificatione S. Teresiæ.* Matriti, 1615. *in-4°.*

2. *Ordo judicialis :* Qui Ms. asservatur in Collegio Complutensi Carmelitarum Excalceatorum.

DIDACUM A S JOSEPH, qui obiit anno 1621. laudant Alphonsus à Matre Dei, in *Indice illustrium Scriptorum Carmelit. Discalceat.* quem Emmanuel Roman edidit in suis *Elucidationibus Carmeliticis.* Joannes Tamagus Salazar, *tom.* 5. *Martyrologii Hispani, ad diem* 15. *Octobris.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 73. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 226. Martialis, in *Bibliotheca Carmel. Excal. pag.* 103.

X X X I I I.

DIDACUS A SANCTO JOSEPHO, alter Hispanus Carmelita Excalceatus, ex Rectore Complutensi, anno 1655. Definitor Generalis electus, scripsit

Elogium Vitæ & virtutum ISABELLÆ A S. DOMINICO, Monialis Teresianæ, cui à Confessionibus sacris per plures annos fuit, sicuti notat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca citata*, *pag.* 73.

X X X I V.

DIDACUS DE LEON, aliquandò A LEONE, Hispanus, *Utrariensis* Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, atque insignis Concionator, & trium linguarum Latinæ, Græcæque & Hebraicæ peritus,

peritus, præfuit Prior cum laude Conventui Hispalensi: institutus est Columbricensis Episcopus à *Pio IV.* die 22. Octobris 1560. cum indulto non accedendi ad illam Ecclesiam quæ extat in partibus infidelium, & cum facultate exercendi Pontificalia in Diœcesi Sypontina, Suffraganeus *Bartholomæi* Cardinalis *de la Cueva*. Haud multò post venit Didacus ad Concilium Tridentinum, ingressus eam urbem die 5. Julii 1561. ibique ad diem 20. Junii 1561. concionem habuit ad Reverendos Patres, quibus associatus, ultimæ Concilii Sessioni, 4. die Decembris exeunte, anno 1563. interfuit. Quin & die 14. Julii præcedentis in Congregatione solemni impsobaverat *Petri Guerreri* Archiepisc. Granatensis opinionem, petentis in primo capite verba adjecta de testimonio desumpto ex cap. 6. S. Joannis, *aicunque, &c.* in patriam post liminio reversus, cum fratribus suis Hispali anno 1575. morabatur, ubi & mortuus est anno M. DCXXXIX. Opera ejus Manuscripta asservantur Hispali in Bibliotheca Carmelitarum antiquioris Observantiæ, & inscribuntur:

1. *In IV. Libros Sententiarum Commentaria.*
2. *De Arte Grammatica Hebræa*, Lib. I.
3. *Tres Orationes in Concilio Tridentino dictæ.*
4. *Disputationes in eodem Concilio agitatæ.* Lib. I.
5. *Dictionarium Græcum.*

DIDACUM A LEONE celebrant Rodericus Carus in *Notis ad Flavii Lucii Dextri Chronicon.* Andreas Schottus in *Bibliotheca Hispanica*, *classe* 4. Philippus Labbeus in *Indice Patrum Concilii Tridentini tomo* 14. *pag.* 931. *A.* Pallavicinus *tomo* 3. *Histor. Concil. Trident. Lib. XVII. cap.* 11. *num.* 25. Nicolaus Antonius *tom.* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 226. Ibidem *tom* 2. *pag.* 288. ubi animadvertit nostri Didac i mentionem fieri in Actis Consistorialibus Pii IV. Jacobus Lelong *in Bibliotheca Sacra pag.* 700.

E Carmelitis, Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca folio* 31. *verso.* Didacus Maldonatus de Coria *Lib. I. Dilucidarii Carmelit. cap.* 50. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 407. Franciscus à S. Maria *Lib. III. Historiæ Reformationis S. Teresiæ*, *cap.* 2. & 23. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 73. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 918. *num.* 3200. *&c.* Ibid. *pag.* 1077. *num.* 3767.

XXXV.

DIDACUS LOPPEZ, natione Castellanus, Carmelita professione, doctrinâ Doctor Theologus ac publicus in Academia Salmanticensi Hispaniarum principe Professor, diversis in locis Prior, Concionator egregius & facundus, scripsit circà annum 1641.

1. *Sermones Quadragesimales.*
2. *Sermones per Adventum.*
3. *De laudibus Ordinis Carmelitani quodlibeta.*

Ita refert Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 74. cui præiverat Cyrillus Penneck in *Gymnasio Carmelitano ad annum* 1640. ubi vocat eum Discipulum Petri Cornejo.

XXXVI.

DIDACUS LOZANO, Hispanus, *Matriti* ex MICHAELE LEZANO & FRANCISCA GONÇALEZ, die 22. Junii 1622. natus, ibi Carmelitarum habitum sumpsit, & anno 1638 professionem emisit die 7. Augusti. Item in patria sacrum Presbyteratus Ordinem accepit die 24. Februarii 1646. è manibus *Reverend. Timothei Perez*, Episcopi Listriensis, pariter Carmelitæ. Jam verò studiis formatus, Philosophiam in Cœnobio *Requena*, Theologiam *Taleti & Campluti* docuit, doctorali laureâ interim obtintâ. Cæterum Concionatorio muneri, in quod à natura ferebatur, potissimùm addictus, Concionator ordinarius a Rege *Carolo II.* Hispaniarum Catholico anno 1663. institutus est, nec-non stipendio annuo, nonnullis ejusmodi officii ministris dispensari solito adauctus anno 1671.

Interim Cœnobia, *Complutense*, & patrium *Matritense* repetitis vicibus diù Prior rexit, & per triennium Castellanam Provinciam gubernavit Provincialis, electus ad id ministerium in Conventu Vallis-Maurensi die 7. Maii 1672. atque post mensem Procurator Generalis omnium Hispanarum Provinciarum apud Catholicam Curiam etiam destinatus. Ad hæc, inter Qualificatores S. Officii Inquisitionis locum de jore habuit ab anno 1664.

Ibi præfatis curis detinebatur, cum ad diem 5. Martii 1677. à Rege Catholico nominatus est Antistes *Potentiæ* (vulgò *Potenza*) in Regno Neapolitano. Quamobrem ex Hispania in Italiam profectus, *Urbem* ingressus est die 15. sequentis Junii. Hic præsens, post præmissum consuetum inaugurandorum examen, die 14. Augusti peractum, electus seu confirmatus est Episcopus Potentinus, sub *Materana* Metropoli, die 13. Septembris præfati anni. Elapsis sex diebus, Dominica proxima, die 26. ejusdem mensis in Ecclesia Transpontina sui Ordinis inauguratus est à *Carolo* Cardinali *Pio*, assistentibus JOANNE-ANTONIO MELTIO Archiepiscopo Capuano & LUDOVICO CIONIO Episcopo Venafrano. Possessionem suæ sedis inivit per procuratorem die 12. Novembris 1677. Urbem *Potentiam* solemni ritu ingressus est die 5. Decembris. Scripsit:

Triumphos gloriosos in Solemnitat: Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virginis Carmelitæ, Matriti apud Cœnobium Carmelitarum peractæ: *duabus concionibus* à se ibi publicè prolatis, *adjunctis.* Matriti apud Franciscum Sanz, 1672. *in-4°.*

Alios etiam *Sermones* edidit; sicuti legitur *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1083.

XXXVII.

DIDACUS MARTINEZ DE CORIA MALDONADO, Hispanus, patriâ *Utrariensis*, Carmelita Cordubensis, Doctor Theologus: vir præclaris naturæ dotibus, ac variâ literarum cognitione conspicuus; omne tempus, quod ab horis nocte dieque in choro psallendis vacuum avere potuit, sacris Historiis singulatim domesticis impendit. Obiisse aiunt in patria anno M. DCI. aut M. DCIII. aliàs M. DCVII. Scripta ejus:

1. *Dilucidaria, y Demonstration de las Coronicas, y Antiguedades de la Orden de la Madre de Dios del Carmen*, Libris undecim. Cordubæ, 1598. apud Andream Barrera, *in-folio.* cujus Lib. X. cap. 5. laudat Papebrochius *tomo* 2. *mensis Maii*, *pag.* 58. *num.* 10. occasione olei quod olim scaturiebat in domo in qua S. Angelus Martyr tumulatus fuit.

2. *De los Sanctos de la Orden del Carmen.* Quod opus aut partem fecit Historiæ præcedentis, aut à principio ejus portio fuit; seorsim tamen edita est curâ *Salvatoris Serræ* ejusdem Ordinis. Hispali, 1592. *in-folio.*

3. *Vida del Beato Franco de Sena, Lego de la Orden de Nuestra Señora del Carmen.* Barcinone, apud Stephanum Liberos 1613.

4. *Para los Hermanos, y Hermanas de la Orden Tercera de Nuestra Señora del Carmen.* Hispali,

1592. sivè Directorium Tertiariorum Ordinis Carmelitani.

5. Contra Judæos Liber, quem morte præventus imperfectum reliquit Mſ.

DIDACUM A CORIA celebrant egregiè Aubertus Miræus de *Scriptoribus Ecclesiasticis seculi XVII. cap.* 161. Lucas Wadingus in *Notis ad Vitam S. Petri Thomæ Carmelitæ.* Arturus à Monasterio in *Martyrologio Franciscanorum.* Georgius Cardosus in *Alosio Lusitano.* Hippolytus Marraccius in *Bibliotheca Mariana.* Benedictus Haephenius in *Disquisitionibus Monasticis*, Franciscus Salinas in *Commentariis* in *Jonam Prophetam.* Daniel Papebrochius in *Notis ad Vitam S. Angeli Martyris*, *tomo* 2. *mensis Maii pag.* 58. *num.* 10. ubi ex testimonio hujus Didaci probat miraculum scaturientis olei jam cessasse. Nicolaus Antonius *tomo* 1. *Bibliotheca Hispana*, *pag.* 211. & 212. E Carmelitis Franciscus à S. Maria *tomo* 1. *Historia Reformationis Sanctæ Teresiæ*, *Lib. IV. cap.* 30. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 74. Alegreus Cassanarus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 449. Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1077. *num.* 3767. Petrus Thomas Saracenus in *Menalogio Carmelitico*, *pag.* 61. Paulus ab omnibus Sanctis in *Auctuario capitis* 7. ad Aubertum Miræum, de *Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 214. &c.

XXXVIII.

DIDACUS MERINO, Hispanus Beaciensis, Carmelita, sacræ Theologiæ Magister & Professor, Conventuum S. Martini & S. Mariæ Transpontinæ de urbe Prior. Vir planè industrius, creatus est Episcopus Montis Pelusii, in Regno Neapolitano, die 20. Novembris 1623. translatus indè ad Ecclesiam Eserniensem vel Iserniensem in eodem Regno, die 24. Augusti 1626. ibique decennis & amplius moratus obiit, die 1. Januarii 1637. Scripsit:

1. *In IV. Libros Sententiarum Commentaria.*

2. *Statuta Synodalia.*

De illo loquuntur Joannes Vincentius Ciarlanrea in *Relatione Mſ. autographa*; ubi notat eum die secunda Januarii 1637. sepultum fuisse in sepulchro, quod ipsemet Didacus construi fecerat pro se & pro Episcopis successoribus. Ferdinandus Ughellus in *Italia sacra tomo* 1. *de Episcopis Montis-Pelusii.* Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 918. *num.* 3201.

XXXIX.

DIDACUS DE NORONNA, natione Lusitanus, Carmelita, Doctor Theologus, ac Episcopatûs Elnensis in Ruscinone Examinator, edidit,

Orationem in Nuptiis LUDOVICI XIII. *Regis Christianissimi*, & *Hispaniarum Infantis* ANNÆ-MAURITIÆ AUSTRIACÆ. Tolosæ, apud Raymundum Colomiez, 1616. sicuti profert Alegreus Cassanarus in *Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 472. & ex illo Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 74.

LX.

DIDACUS A PRÆSENTATIONE, Hispanus, patriâ ex oppido *la Puebla de Monthalan* Regni Toletani, ad Carmelitarum Nudipedum professionem admissus *Patranæ*, Philosophiam atque Theologiam in Complutensi familiæ suæ Collegio diù docuit; diversis posteà in locis Prior, deindè suæ Congregationis Hispanicæ ex Definitore Generali Vicarius, tandem Præpositus Generalis Pastranæ anno 1655. die 17. Aprilis in Comitiis Œcumenicis, viâ Spiritûs sancti electus: quo quidem munere dum fungeretur, mense Novembri cursum vitæ mortalis absolvit anno 1660. Ejus Scripta dicuntur:

1. *Epistola ad* PHILIPPUM IV. *Regem Catholicum*; præfixa est Literis S. Teresiæ: Philippus autem IV. Hispaniarum Rex catholicus obiit die 15. Septembris 1655.

Carta Pastoral a los Religiosos del Carmen Descalzo: sivè latinè, *Epistola Pastoralis ad Religiosos Carmelitas Excalceatos.* Matriti, anno 1657. *in-4°.*

Didacum à Præsentatione laudabiliter memorant Joannes Palafox in *Epistola ad ipsum* data & *Epistolis S. Teresiæ præfixa.* Michael-Baptista de la Nuza in *Vita S. Teresiæ à Jesu de Vela*, *cap.* 5. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 673.

XLI.

DIDACUS RAMIREZ, Hispanus, patriâ & professione Carmelitanâ Toletanus, majorem vitæ partem usque ad obitûs diem in Italia transegit, non minùs in Cathedris Academicis, quàm in Concionatoriis suggestis probatus Titularis, inter suos Sodales Præfectus Bohemiæ, Prior Provincialis. Obiit anno M. DCL. Scripta dicuntur:

1. *Della Guarda della Lingua*, *e delli vitii di essa*, *e li suoi remedii*: sivè latinè, *de Custodia Linguæ*, *& de hujus vitiis*, *atque remediis.* Mediolani, 1602. *in-8°.* In Typographia quæ olim fuit Pacifici Pontii.

2. *Sermones Quadragesimales* duobus voluminibus *Mſſ.*

3. *Sermones Dominicales* unico volumine *Mſſ.* Qui æquè ac Quadragesimales asservantur Augustæ Taurinorum, in Bibliotheca Carmelitarum antiquiorum.

Didaci Ramirez mentionem habent celebrem Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 429. Augustinus Biscarretus in *Palmitibus Vineæ Carmeli.* Ludovicus Perez in *Schedis Mſſ.* ad Ludovicum Jacob anno 1668. quas ipse Jacob commemorat in *Scheda Mſ. ad paginam* 74. suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Mſ.* affixâ. Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 320. ex qua Daniel à Virgine Maria *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1079. *num.* 3791.

XLII.

DIDACUS SANCHEZ DE LA CAMERA, natione Hispanus, Regno Castellanus, patriâ Abulensis, Carmelita, Theologus, Concionator & Poëta, edidit Hispanieè circà annum M. DXC.

1. *De la Passion de Nuestro Señor*, Librum unum, anno 1589. *in-8°.*

2. *Conceptos espirituales sobre el Miserere*, *ex Italico Cæsaris Calderarii de Vincenza.* Compluti, anno 1594. & Matriti, anno 1589. *in-4°.*

3. *Varios Sermones.*

Hunc Didacum de la Camera laudant Marcus-Antonius Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 433. Emmanuel Roman de *Viris Illustribus Ordinis Carmelitorum.* Franciscus Bonæ Spei in *Visione Eliæ.* Ludovicus Jacob in *Biblioth. Carmelitana Mſ. pag.* 74. Petrus de Alva in *Militia Immaculata Conceptionis.* Nicolaus Antonius *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 842. *col.* 2.

D.

XLIII.

DIDACUS DE TUREGANO BENAVIDES, Hispanus natione, Matritensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister, Complutensisque primùm in Vespertina minori, ut vocant, inde in majori Cathedra Theologicæ Facultatis, Bibliorum necnon Sacrorum Professor, tandemque Scoticæ Doctrinæ ex proprio etiam huic destinato loco Præceptor, Hebraicæ quoque literaturæ Gnarus, diem suum obiit *Compluti* gravi in ætate VI. Februarii, anno M. DCLV. postquam edidisset:

1. *Lecturas Literales & Morales super Scripturam, ac de arte & methodo Scripturam interpretandi.* Compluti, anno 1649. *in-4°*.

2. *Lectiones Magistrales in IV. Libros Sententiarum* ineditas. Sicuti hæc referuntur *tomo* 1. *Bibliotheca Hispana*, *pag.* 247. ubi Nicolaus Antonius sedulo notat quod noster Didacus Complutense Collegium & Provinciam suam texit.

XLIV.

DIDACUS VELASQUEZ à CORONA, Hispanus natione, Castellanus Regno, patriâ Medinensis Carmelita, Theologus eruditus & divini verbi præco facundus scripsit:

1. *Conciones in Regina Cœli de Beata Virgine*, Lib. I. Medinæ à Campo, ex Officina Francisci del Canto, 1580. *in-8°*. Toleti, anno 1583. *in-4°*. Hispanicè.

2. *De Vita & Excellentiis Salvatoris*, Lib. I. Hispanicè.

3. *Del Meno sprecio de la muerte*: seu de *Contemptu mortis*. Lib. I.

Didacum Velasquez celebrant Hippolytus Marraccius in *Bibliotheca Mariana*. Petrus de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptionis*. Emmanuel Roman de *Scriptoribus Illustriss. Ordinis Carmelitici*. Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 417. Franciscus Bonæ Spei in *Visione Eliæ*. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 75. Nicolaus Antonius *tomo* 1. *Bibliotheca Hispanæ*, *pag.* 248.

XLV.

DIETHERUS DE MOGUNTIA, Germanus Carmelita, Doctor Theologus Coloniensis, Prior Carmeli Moguntinensis. Vir veritatis catholicæ accerrimus Propugnator, omnibus liberalibus disciplinis nobiliter instructus, ac in divinis Scripturis egregiè versatus, Concionator excellens, moritur Moguntiæ, anno 1519. dum Officio Prioris fungeretur. Scripsit:

1. *Sermones quosdam* Coloniæ habitos: Qui Mss. asservantur Moguntiæ, in Bibliotheca Carmelitarum antiquioris Observantiæ.

2. *Quædam alia Opera*: Quæ Mss. asservantur in Bibliothecis Carmelitanis Germaniæ: teste Ludovico Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 75. Item in suo Catalogo Ms. *Monasteriorum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 144.

XLVI.

DIMAS A CRUCE, in seculo JACOBUS TONELLUS nuncupatus, natione Tuscus, patria *Montis-Leonis*: Venerab. P. *Aurelii à S. Sigismundo* Excalceati Carmelitæ, viri sanctitate clarissimi, anno 1652. die 23. Januar. defuncti Frater, ab adolescentia S. FRANCISCO Fratrum Minorum Patriarchæ devotissimus. Attamen *B. Mariâ* volente, factus est Carmelita Discalceatus Romæ 1610. in Coventu S. Mariæ de Scala, tempore Prioratûs Venerab. Patr. *Dominici à Jesu Maria*, cui fuit intimus.

Anno 1615. *Ferdinandus à S. Maria*, Præpositus Generalis, Dimam in Persidem, pro infidelium conversione misit; ubi ad instar Viri Apostolici animum omninò applicuit ad Armenos revocandos. Quod egregiè præstitit ingenti eorum cum fructu & Ecclesiæ gloria. Summo flagrans martyrii desiderio, sese sæpius obtulit ad illud percipiendum: sed Dei voluntate ad alia extitit destinatus. Fuit Vicarius Monasterii *Ormusii* usque ad annum 1622. quo hæc urbs à Persis & Anglis capta fuit suprà Lusitanos tum maximè impetitos. Deindè Aspahamensis quoque Vicarius & Prior, atque Vicarius Provincialis totius Missionis Persidis & Indiarum.

Anno 1634. Urbanus VIII. Summus Pontifex, de zelo animatum, de ardenti charitate, de summa pietate, eruditione, Linguarum Orientalium peritiâ, & de piissima conversatione nostri Dimæ optimè informatus, eum Babyloniæ Chaldæorum Episcopum nominavit, eique Pontificalia in Orientem misit ornamenta, mitram, baculum, &c. sed hic perfectissimus Carmelita hunc sublimem honorem constantissimè recusavit, & ad Romanum Pontificem ornamenta remisit Episcopalia. Magno in honore apud Persarum Reges, Principes, Oratores Europæos, ac universos populos exemplar insigne, apud suos quoque Sodales Carmelitas speculum immaculatum factus, migravit in Cœlum cum magna sanctitatis opinione *Aspahami*, anno 1639. die 23. Decembris. Composuit:

Vocabularium Persico-Italicum: Quod dono dedit *Aspahami Ms.* Hieronymo *Imbof*, patritio Nurimbergensi, viro literatissimo, qui promiserat se illud emissurum in lucem; ut observavit Adamus Olearius in suo pererudito *itinere Moscovitico-Persico*, *pag.* 539. Quod Gallicè reddidit vir Clariss. Abrahamus de Wickfort, Conciliarius & Prolegatus Marchionis Brandeburgensis apud Regem Christianissimum.

Laudes Dimæ à Cruce dicunt, Philippus à SS. Trinitate, *in ejus vita* quæ prodiit *in Decore Carmeli*, *parte* 3. *pag.* 123. Idem *Lib. VIII. Itineris Orientalis*, *cap.* 4. Prosper à Spiritu sancto in *Relatione de successibus Missionum Carmelitarum Excalceat. in Perside.* Joannes Caramuel in Vita Venerab. P. Dominici à Jesu Maria. Auctor *Itineris Persici Garciæ de Silva & Figueora*, *pag.* 369. Daniel à Virgine Mariæ *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1135. *num.* 3969. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 75.

XLVII.

DIONYSIUS, in seculo LEONARDUS RIZZA, aliàs à S. ANDREA, *Siracusis* in Sicilia ortus, cum vix attigisset annum XIV. in Conventu Carmelitarum Excalceatorum Panormitano S. Erasmi, die 24. Decembris 1660. Religiosum habitum induit, ac transacto per biennium donec XVI. complevisset, tyrocinio, solemnem emisit professionem die 6. Januarii, anno 1663. gravioribus ac amœnioribus literis apprimè excultus, subtilis multa ingenii præbuit argumenta. In Cœnobio S. Joseph Castriveterano, sacram Theologiam maximo omnium plausu sodales suos docuit, ac ejusdem Conventûs Prior electus anno 1679. in eodem obiit die 20. Augusti ejusdem anni. Scripsit Italicè, sed suppresso nomine:

L'Armonico Decacordo toccato da febo, edalle

D.

Nuove Muse, Tributo di devota obligatione al merito dell illust. e Rev. Monsig. Vescovo di Siracusa D. Gio. Antonio Capobianco. Sivè Latinè : *harmonicum Decachordum à Phæbo novemque Musis percussum : tributum ac dicatum illustriss. Episcopo Siracusano D. Joanni Antonio Capobianco.* Neapoli, anno 1670. *in-8°.*

Dionysium à S. Aodræa celebtat Antoninus Mongitor, in *Bibliotheca Sicula, tomo 1. pag.* 164. ubi eum obiisse anno 1676. non rectè scribit, teste Martiali à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Scriptorum Carmelitarum Excalceat. pag.* 144.

XLVIII.

DIONYSIUS BLASCO, Hispanus, Utrillensis, ex regno Aragoniæ, sodalis Carmelita, in Cæsar-Augustana, & Oscensi Academiâ Theologus Doctor, atque in harum postrema Vespertious Professor, Diffinitor Provinciæ suæ Aragonensis, & judicibus fidei Apostolicis à censendi munere ; & posteà ad locum profitendi primarium promotus, edidit :

1°. *Hortulum Philosophicum, sivè cursum integrum ad brevissimam summam redactum.* Cæsar-Augustæ, apud Joannem de Ybar, anno 1668. *in-12.*

2. *Cursum Philosophicum juxtà gravissimam & reconditam Joannis de Bachonio, Doct. Resoluti Parisiensis Doctrinam. Partem primam.* Cæsar-Augustæ, apud eumdem Joannem de Cybar, anno 1671. *in-folio.*

3. *Theologiam Abreviatam pro S. Josephi in Collegio Carmeli Cæsar-Augustano alumnis, ex diversis Provinciæ Aragoniæ sapientissimis Magistris.* Cesar-Augustæ, apud Aug. Verges, 1670.

Hæc leguntur in *Bibliotheca Hispana tomo 1. pag.* 250. Item *tomo 2. pag.* 115. & *pag.* 657. Dionysii Blasco mentio fit *tomo. 2. speculi Carmelitani, pag.* 1080. *num.* 3791.

XLIX.

DIONYSIUS A CRUCE, Hispanus ; Carmelita Excalceatus, Theologus, Vir non minùs, singularis doctrinæ, quàm eximiæ virtutis titulis insignitus. Barcinonensis Prior anno 1655. Scripsit in *D. Thomam Commentaria* ; teste Philippo à SS. Trinitate io *Compendio Historiæ Carmelitanæ, Lib. VII. Cap.* 17. *pag.* 605. Alter DIONYSIUS A CRUCE, Carmelita antiquioris observantiæ, Germanus, patria Coloniensis, obiit Aquisgrani, anno 1665. die 12. Januarii ; prout refert Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 75.

L.

DIONYSIUS A S. FRANCISCO, natione Belga, Carmelita Discalceatus, vir pius & literarum studio deditus, Latinè reddidit circà annum 1656.

1°. *Historiam Vitæ, Virtutum, ac miraculorum Vener. Fratr.* FRANCISCI A PUERO JESU, *Carmelitæ Discalceati.* Coloniæ, Tipis Bernhardi Gualteri, anno 1628. *in-8°.*

2°. *Vitam Venerab. Matr.* ANNÆ A S. BARTHOLOMÆO, à Chrysostomo Henriquez Scriptam.

3°. *Opuscula ejusdem Venerab. Matris* ANNÆ, ex Gallico P. Thomæ Aquinatis à S. Josepho.

4°. *Vitam Beati* FRANCI, *Senensis Carmelitæ*, ex Italico sermone.

5°. *Vitam B.* FRANCISCÆ DE AMBASIA, *Ducissæ Armoricæ, & Carmelitanæ.* Ex Gallico. Hæc *ex Schedis Mss.* Pauli ab Omnibus Sanctis Carmelitæ Nudipedis Germani, suam in *Bibliothecam Carmelitanam Ms. pag.* 75. transtulit Ludovicus Jacob, vide Biblioth. Carmelitarum Excalceatorum, *pag.* 144.

LI.

DIONYSIUS GASTELIER, oatione Gallus, patria Melodunensis, in alma Facultate Parisina Doctor celeberimus, quatuor linguarum, nimirùm Latinæ, Græcæ, Hebraicæ ac Chaldaicæ peritissimus, Concionator egregius, eloquio facundus, & vario scienciarum genere ornatus ; quotidiè legendo, scribendo versatus, multos eruditionis & pietatis libros composuit ; teste Petro lucio in *Carmelitana Bibliotheca.*, *pag.* 32. Quem imitati sunt Joseph Falco, Emmanuel Roman & Alegreus Cassanatus *pag.* 486. Ludovicus autem Jacob *pag.* 76. suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Ms.* Negat hunc GASTELIER, qui floruit circa annum 1593. aliquid in lucem emisisse.

LII.

DIONYSIUS HOLCANUS ; natione Anglus, Carmelita in Cœnobio Burnhaniensi professus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis : Vir in sacris & prophanis literis plus quàm vulgariter eruditus, obiit Burnhaniæ, anno 1466. relinquens

Formalitates Logicas, lib. I.

Ità loquuntur Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus de *Scriptoribus Angliæ.* Ex quibus hauserunt Josias simlerus in *Epitome Gesneriana :* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 356. 357. Lezana *ad annum* 1466. *num.* 5. *pag.* 912. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 76. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi. Carmel. pag.* 1114. *num.* 3943.

LIII.

DIONYSIUS JUBERO, Aragonus ; Barbastrensis, nobili loco natus, Carmelita provinciæ Castellæ alumnus, cujus præfectura ei injuncta fuit anno M. DCIV. Græcè & Hebraicè Doctus, Salamantinusque Artium ac Theologiæ Magister, ibique Philosophus Professor : vixisse dicitur ad annum usque 1612. scripsit vernacolè :

1. *Sermones para las Dominicas despues de Pentecostes* sivè Latinè *Sermones Dominicales post Pentecosten.* Salamanticæ apud Arturum Tabernier, anno 1612. *in-4°.* Deindè & Barcinone eodem anno, vel potius anno 1610. apud Joannem Amellum *in-4°.*

2. *In Dialecticam & Philosophiam Disputationes.* Salamanticæ, apud Arturum Tabernier, anno 1610. *in-4°.*

3. *Dictionarium Hibraicum :* Quod forte, ut alia in schedis servata Viri doctissimi monumenta, dum Tormes fluvius, qui Salmanticam præterfluit urbem, grandi illa & miserabili anno, circiter 1669. inundatione in ima ejus suburbia effusus est, unà cum Bibliotheca ipsa & Cœnobio Carmelitarum perdidit.

Dionysii Jubero meminerunt Nicolaus-Antonius *tomo 1. Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 251. antè ipsum Philippus à S. Jacobo in *Catalogo Carmelitarum illustrium.* Emmanuel Roman, in *Elucidationibus antiquitatis Ordinis Carmelitarum.* Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, p.* 450. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 76. posteà Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, p.* 1080. *num.* 3792.

D.

LIV.

DIONYSIUS A S. MARIA, natione Germanus, patriâ Trevirensis, Carmelita Excalceatus, anno 1619. Bruxellis factus; posteà Prior Coloniensis & Herbipolensis, Gallicè *Wisbourg*, decessit Viennæ Austriæ, anno 1634. die 26. Maii. Vir vitâ, conversatione, morum candore, religione, & eruditione venerabilis, qui Germanico idiomate dedit:

1. *Thesaurum Carmelitarum.*

2. *De Disciplina regulari*, Lib. I. Coloniæ, Typis Gualterianis, anno 1650.

Hæc exhibentur in *Schedis Mss.* R. P. Pauli ab Omnibus Sanctis, Carmelitæ Discalceati, quibus usus est Ludovicus Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag. 76.*

LV.

DIONYSIUS A MATRE DEI, natione Aquitanus, ex nobilissima Dynastia DE LA SALAGOUROE oriundus, illustrissimis parentibus JACOBO, alias JOANNE DE MACHANAN, Petracoricensi, & MARIA DE LA MOTTE, anno Christi 15.... Burdigalæ ad *Garumnam* natus. Adolescens *Romam* profectus, Carmelitarum Excalceatorum regularem observantiam amplexus est Novitius in *Asceterio B. V. Mariæ de Scala* anno 1600. tandem Professus *Genuæ* ad Mare Ligoricum anno 1605. die vigesimâ Octubris, primus Gallus hujus Italicæ Congregationis alumnus.

Superiorum obedientia in Gallias, pro Conventus *Avenionensis* fundatione anno 1608. unà cum R. P. *Cæsario à S. Josepho*, cognomento de la Favergue, nobili Sebusiano missus, *Lugdunum* die 22 Januarii 1610. advenit cum R. P. *Bernardo à S. Josepho*, in Coeventu antiquiorum Carmelitarum benignè receptus ab illustriss. Dom. *Roberto Berthelot*, Honorario Priore: Inde *Parisiorum Lutetiam* petens, ibi fundationem Conventûs absolvit anno 1611. die undecimâ Maii; cui non defuit, imo & magnoperè profuit R. P. *Philippus Piquelin* Semuriensis, Provinciæ Narbonæ alumnus, Doctor Theologus Parisiensis, Collegii Maubertini Carmelitarum Prior, qui coràm supremo Parisientium Senatu accersitus, egregium Carmelitis Excalceatis reddidit testimonium.

Multorum posteà Monasteriorum fundator extitit Dionysius noster, ac Prior Provincialis secundus Galliarum: vir laboribus indefessus: revelationibus, apparitionibus, vitæ sanctitate, prudentià, charitate, obedientià, paupertate & doctrina percelebris; Concionator fervidus & Theologus eximius, Moniales Teresianas sub obedientia Carmelitarum Excalceatorum directas, è Belgio in Gallias, primùm *Morlaei in* Armorica adduxit anno 1620. Obdormivit autem in Domino *Avenione*, anno 1622. die festo *Præsentationis* B. V. *Mariæ*, 21. Novembris. Scripsit Gallicè:

1. *Homilias de SS. Eucharistiæ Sacramento.* Parisiis, apud Michaelem Sonnium, 1618. & 1619. *in-8°.*

2. *Discursum Theologicum de visionibus & revelationibus, atque divinis locutionibus.* Qui unà cum sanctæ Gertrudis insinuationibus divinæ pietatis præfixus est. Parisiis, apud eundem Michaelem Sonnium, anno 1619. *in-8°.* Gallicè.

3. *Amatorem veritatis*, contra novos terminos sivè locutiones, quibus Petrus Berullius, postea Cardinalis, in operibus suis utebatur; suppresso nomine.

4. Ex Hispanico in Gallicum Sermonem vertit *Librum fundationum S. Teresiæ à Jesu.* Parisiis, apud Michaëlem Sonnium, anno 1616. *in-8°.* Et Librum

5. *Canticorum Spiritualium S. Joannis à Cruce*, Operibus ejusdem præfixorum, scilicet Libris *Ascensionis Montis-Carmeli; noctis obscuræ Animæ: & vivæ flammæ amoris*, versis in Gallicum sermonem ex Hispano à Domino Renato Gautier, & impressis Parisiis apud Michaelem Sonnium, anno 1621. & 1628. *in-8°.*

6. *Instructiones* R. Matris Mariæ à S. Josepho Lusitanæ, ad *Moniales gubernandas*, & ad R. Matr. Hieronymam à Matre Dei, Priorissam Monialium Teresianarum Segobiensium S. Josephi *directas.* Parisiis, apud Rolinum Thierry, anno 1617. *in-16.*

Meminerunt Dionysii a Matre Dei, amplissimus vir Michael de Marillac, Franciæ Pro-Cancellarius, Libro *de institutione Monialium S. Teresiæ in Regno Galliarum.* R. P. Hilarion à Costa, Ordinis Minimorum Theologus, in *Elogio S. Teresiæ*: Thomas Aquinas à S. Josepho, in *Dissertatione historico-Theologica de Patriarchatu Eliæ.* Isidorus à S. Joseph in *Vita Joannis à Jesu Maria*, & *tomo* 1. *Annalium* Philippus a SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 8. *pag.* 647. Paolus à SS. Sacramento, in *Vita Magdalenæ à Jesu Maria.* Jacobus Gaffarellus in *Typo S. Teresiæ.* Ludovicus Jacob in *Schedula Ms.* affixa ad suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Ms. paginam* 76. Ludovicus à S. Teresia in *Successione Eliæ*, *cap.* 288. *pag.* 671, sed præcipuè in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*, *cap.* 3. *& seqq. pag.* 35. *& seqq.* Ibidem imprimis Lib. *eod. primo cap.* 58. *pag.* 148. Ubi non oblitus est referre, quod Martialis à S. Joanne-Baptista postea scripsit in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 145. scilicet nostrum *Dionysium* fuisse primum natione Gallum, qui exemplum præbuit Baroni de *Vaillac* alias R. P. *Bernardo à S. Joseph*, & Domino *de la Favergue*, sivè R. P. *Cæsario à S. Joseph*; ut mundo nuntium remitterent; & ii cum ipso tres fuerunt Galliæ primi Carmelitæ Excalceati.

Alii ejusdem nominis in eodem Ordinis Carmelitici instituto vixerunt, P. Dionysius à Matre Dei, Polonus, Carmelita Excalceatos, defunctus Cracoviæ, anno 1663. P. Dionysius à Matre Dei, Gallus, Carmelita Excalceatus, Provinciæ Lugdunensis Definitor tertius, anno 1655.

LVI.

DIONYSIUS A NATIVITATE, in seculo PETRUS BERTHELOT nuncupatus, natione Neustrius, patriâ *Honflorius*, PETRO BERTHELOT & FLORIDA MORIN parentibus anno 1600. initio mensis Decembris natus, in Baptismo PETRUS appellatus. Ex Nauta peritissimo & Cosmographo Regio Indiarum Orientalium anno 1634. die 24. Decembris in Cœnobio Goano Carmelita Discalceatus, R. P. *Philippo à SS.* Trinitate Avenionensis, tunc Priore existente, factus est Novitius, & anno 1635. die Dominicâ infrà Octavam Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi Vota sua emisit: Vir humilitate conspicuus, fide, spe, charitate Dei, amore proximi, & summo martyrii desiderio flagrans: quod assecurus est in urbe *Achen* ad insulam Sumatra, cum venerabile Fratre *Redempto à Cruce*, Lusitano, ejusdem Ordinis alumno, anno Christi 1638. die 27. Novembris.

Cum esset Regis Catholici Cosmographus eximius & Linguarum Malacensis atque Lusitanæ versatissimus, proprià manu fecit, delineavit, instante & anxiè petente Excellentiss. Dom. Michaele de Noroña, Comite de Lignarez, Indiarum Rege.

Tabalas Maritimas varias exactissimas, quas dictus Prætor Regi obtulit Catholico. De Laudibus Dionysii à Nativitate agunt Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ, cap.* 11. Idem in ejus *Vita*, quæ prodiit in *Decore Carmeli, parte* 3. *pag.* 112. Ludovicus à S. Teresia in *Annalibus Carmelitarum Excalceatoram Galliæ, Lib. II. cap.* 20-28. *pag.* 351-370. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 77. Daniel à Virgine Maria in *Viaea Carmeli, pag.* 596. *num.* 1065. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1053. *num.* 3641. *&c.* Hieronymus à Conceptione, de quo *infr. pag.* 592.

L V I I.

DIONYSIUS PERRONET, natione Gallus, patriâ Melodunensis ad Sequanam fluvium, Carmelitanam vestem induit, & in Academia Parisiensi disciplinis humaniorum literarum operam navavit: quibus Philosophiæ ac Sacræ Theologiæ studium cum adjunxisset, statuto curriculo Lauream doctoralem adeptus est anno 1567. Biennio currente, anno scilicet 1569. in Vicarium Generalem Congregationis Albiensis electus est, & anno sequenti Ecclesiastes Sarlatensis, posteà Petracoricensis Canonicus S. Aviti; tandem Canonicus, Pœnitentiarius & Vicarius Generalis Autissiodorensis à Reverendiss. ac eruditissimo Dom JACOBO AMYOT, concive suo factus est. Autissiodori ad *Icaanam* (Gallicè *l'Yone* fluvius) obiit, inclinante anno 1609. quo scribebat ad Reverendiss. PETRUM DE GONDI, Lingonensem Episcopum, se ante annos triginta & ampliùs *Linganam* fuisse missum. Sepultus est in Eclesia Cathedrali propè Jacobum Amiotum jam memoratum. Opera ejus dicuntur:

1. *Sermons poar la déclaration des Cérémonies de l'Eglise de Diea.* A Paris 1577. *in-8°*. Et a Rouen, chea Robert Mallard, 1586. *in-8°*.

2. *Sermons pour les Fêtes de Notre Seigneur Jesas-Christ.* A Paris, chez Guillaume Chaudierre, l'an 1586. *in-8°*.

3. *Sermons & Exhortations Catholiques poar les Fêtes des Saints.* En deux tomes, dediea au Reverendissime Pere en Dieu M. JACQUES AMYOT, Evêque d'Auxerre. A Paris, chez Guillaume Chaudierre, 1584. & 1598. *in-8°*. Et à Lyon, 1684. *in-8°*.

4. *Sermons du Carême*, dediés à M. FRANÇOIS DE DONADIEU, Evêque d'Auxerre. A Paris, chez Nicolas du Fossé, 1601. *in-8°*. & chez Nicolas du Pré, 1603. *in-8°*.

5. *Sermons & Exhortations Catholiqaes sar les Evangiles Dominicales*: dédiés à M. le Reverendissime CHARLES DE BONNY, Evéque d'Angoulême. A Lyon 1594. chez Jacques Roustin, *in-8°*: & en 1606. *in-8°*. trois tomes. Quorum editiones duæ jam aliæ præcesserant Parisiis; una apud Guillelmum Chaudiere 1583. altera apud Petrum Berthault, 1599. *in-8°*.

6. *Manael general & Instructions des Curés & Vicaires, contenant sommairement le devoir de lear charge, fais à faire Prône, à administrer les Saints Sacremens, & enseigner leurs Paroissiens, par exhortations propres, adaptées à iceux. Le taac tiré des Ecritares saintes, & anciens Docteurs de l'Eglise.* Dédié à M. le Reverendissime FRANÇOIS DE SALAGNAC, Evêque de Sarlat. A Paris, chez Guillaunte Chaudiere. 5577. *in-8°*. Item Rouen, 1589. *in-8°*. Item Parisiis, 1574. *in8°*. Item Antuerpiæ, apud Petrum Bodlo, 1582. & 1586. *in-12*. Citatur in *Ethica Amoris tom.* 3. *pag.* 518. *num.* 2011.

7. *In Psalmos Davidicos Commentaria Mſſ.* quæ morte præventus non absolvit.

8. Tractatum *Arnaldi Carnatensis Bonæ vallis de Operibas sex dieram* edi curavit, & DAVIDI Cardinali Perronio dicavit. *Aatissiodori*, apud Dionysium Vatar, anno 1609. *in-8°*. Citatur hæc Editio in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 36. *col.* 2. apud Casimirum Oudin, in *Commentariis de Scriptoribus Ecclesiasticis, tom.* 2. *pag.* 1292: apud Georgium Draudium, in *Bibliotheca Classica, pag.* 174. apud Domn. Joannem Liron in Opere Gallicè inscripto: *Singularités historiqaes, tom.* 1. *pag.* 410. ubi notat hanc Editionem carere Præfatione Arnoldi, quam dederunt Operum S. Cypriani Editores Oxonienses.

DIONYSIUM PERRONETUM laudibus commendant Fridericus Morel in *vita Jacobi Amyoti*, Antonius Possevinus in *Apparata Sacro, tomo* 1. *pag.* 476. Franciscus Grudæus, de Cruce Cœnomana in *Bibliotheca Scriptorum Gallorum*; Philibertus Mareschal in *Pramptuario Gallico omnium librarum*. Georgius Draudius in *Bibliotheca Exotica, pag.* 41. Hyppolitus Maraccius in *Bibliotheca Maria*. Petrus de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptianis*. Michael Navœus in *Chronico S. Michaëlis Archangeli*. Carolus *de Wisch in Bibliotheca Cisterciensi*. Clariss. & antiquitatum scrutator fideliss. Dominus le Bœuf, in Opere Gallicè inscripto: *Memoires concernant l'Histoire Ecclésiastique & Civile d'Auxerre, tom.* 2. *pag.* 508. Ubi tamen nullam habet Carmelitanæ professionis à Perroneto factæ mentionem. Qua in omissione sectatorem habet alterum in omni scientiarum genere versatissimum Dom. Goujet, *tom.* 2. *Sapplementi Dictianarii Moreriani, anno* 1749. *editi, pag.* 236.

E Carmelitis, Petrus Lucius in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 29. his verbis: » DIONYSIUS PERONET, » Meldunensis Doctor egregius, Theologus insupe» rabilis, Philosophus clarissimus, & Orator facun» dissimus, metro exercitatus & prosâ, in docendo » clarus, in disputando acutus, colloquio comis & » placidus, in studiis assiduus; multa in dies cudit » eruditissima volumina, non solùm suæ Galliæ, » verùm & exteris profutura nationibus, inter quæ non postremas obtinet insigne quoddam Quadrage» simale typis evulgatum, Opus varium, politum » nec unquam satis laudandum. » Hæc Synchronus scribebat *Lucius*, cui posteà consenserunt, Josephus Falco in *Chronico Carmelitico*: Emmanuel Roman in *Elacidario Carmelitico*: Cyrillus Peneck in *Gymnasio Carmelitico Mſ. ad annam* 1594. ubi Perronetum vocat *virum linguarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ & Latinæ* peritissimum: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 467. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 77. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli, pag.* 511. *num.* 914. Ludovicus Perez à Castro, de Rebus Carmeliticis, *Codice Mſ.* Antonius Corroset, Carmelita Synchronus in *Epigrammate* Gallico ipsios Perroneti Operibus præfixo. Henricus à Ignatio in sua *Ethica Amoris, tomo* 3. *Lib. V. cap.* 165. §. 3.

L V I I I.

DIONYSIUS SEVERINUS, Neapolitanus Carmelita, Doctor Theologus, ac in Conventu Neapolitano Professor, scripsit circà annum 1590. de *Arithmetica*; prout indicant Franciscus Sixtus Neapolitanus Carmelita, in *Tesseradecade Genealogiæ Jesa-Christi, cap.* 197. Philocalus Caputus, Carmelita Neapolitanus, in *Monte-Carmelo, discarsa qainta*, & Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 78.

D.

LIX.

DIONYSIUS SOLERTI, natione Italus, ex oppido *Elusone* in districtu Bergomensi, Carmelita Congregationis Mantuanæ, Theologus & Poeta pius, obdormivit in Domino post annum 1630. Bergomi, scribens:

1. *Psalterium Decachordum super Magnificat.* Bergomi, apud Petrum Venturam 1629. *in*-8°. Latinè & Italicè, ad Marcum-Antonium Maurocenum Equitem Bergomens. Præfectum.

2. *In B. Virginem Mariam, & in B. Mariam Magdalenam de Pazzi carmina varia* Italicè: sicuti testantur Hippolytus Marraccius in *Bibliotheca Mariana:* Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 78. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1071. *num.* 3733.

LX.

DIONYSIUS STEPHANI, natione Belga, Carmelita Thenensis, cujus notionem nobis exhibet ipsius Epitaphium in Ecclesia sui Conventus Thenensis, antè summum Altare, ubi jacet sepultus sub lapide insigni appositum, quod tale legitur:

D. O. M.

HIC JACET INHUMATUS
REVERENDUS IN CHRISTO PATER
DOM. D. † DIONYSIUS STEPHANI,
EPISCOPUS ROSSENSIS,
NEC-NON SUFFRAGANEUS ILLUSTRISSIMI
DOM. D. † JOANNIS DE HEYNSBERGE,
EPISCOPI LEODIENSIS:
EX ISTO CONVENTU FRATRUM
ORDINIS CARMELITARUM ASSUMPTUS,
QUI OBIIT ANNO DOMINI M. CDLVIII.
XXV. DIE MENSIS OCTOBRIS.

Ejus mentionem habent *Acta Consistoralia Eugenii IV*, decimo-sexto Kalendas Novembris, anno 1436. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium anno* 1458. *num.* 6. *pag.* 896. Augustinus Biscarreius in *Palmitibus Vinea Carmeli.* Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 505. *num.* 906. & *pag.* 585. *num.* 1047. Idem Daniel, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 919. *num.* 3203. &c.

LXI.

DOMINICUS A S. ALBERTO, in seculo VINCENTIUS LESCHART dictus, natione Gallus, Provinciâ Armoricus, patriâ *Filgeriensis*, seu *Fugeriaaus*, Vernacule *Desougeres*; parentibus natus est, inter cives, non ultimis, anno 1595. aut 1596. humanioribus studiis in Collegio Societatis Jesu Rhedonensi confectis, vix annum ætatis decimum-quintum excesserat, cum Beatissimæ Virgini Mariæ se dicavit anno 1612. in Carmelo ejusdem Civitatis, Priore R. P. *Philippo Theobaldo.* Verum nonnihil puerilis ætatis, eo adhuc retinente, per aliquot menses de illius perseverantiâ dubitatum fuit. Patienter egit sapientissimus tunc Novitiorum Magister R. P. *Mathæus Pinaldus*, rerum nescio quid & eximium in adolescente præsentiens, ac præsagiens.

Quâdam die, acri superioris correctione stimulatus, ad Altare Beatæ Virginis lacrymabundus pergit, coram sacratissima illius, ac S. Josephi imagine infletus, compunctionis largè, abundaterque effusus, verè ex animo se puerilia omnino depositurum spopondit. *Dixi*, inquit, *Domine, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.* Nec deinceps vel tantillum deflexit à proposito, ante actam vitam, veteremque hominem sic efficaciter, veluti sepulchro æternæ oblivionis, tradens ut ad præscriptum Apostoli, nullo usquam modo carni acquieverit aut sanguini. Nihil in gestu incompositum, in verbo leve nihil, in omni conversatione sua derepentè omnium fratrum exemplar effectus est. Cæterùm nemo magis quietus; cellæ & solitudinis amantissimus, rariùs quidem Librorum etiam Spiritualium, lectioni, & orationi jugiter incumbebat.

Sacræ Scripturæ ac præcipuè *D. Pauli* Epistolarum, erat studiosissimus, utpotè quas ex abundantia cordis semper habebat in ore. Illas verò sic reverebatur, ut nonnisi genuflexus ac detecto capite, perlegeret. Aliquot annis circa Novitios in cæremoniis, officiis edocendis fuit occupatus. Non mysticâ solum Theologiâ sed & Scholasticâ deinceps instituit, quam ex officio, in publicis Scholis ad fratres fuerit professus: licet multùm conquereretur de illatis sacræ contemplationis quieti per phantasmata, variasque species, impedimentis.

In Congregatione annua die 21. Maii 1630. *Nannetis* celebrata electus in Vicarium reformationis Provincialem tenente Provinciæ Præfecturam communem R. P. *Bernardo à S. Magdalena. Dominicus* divini honoris zelantissimus, charitate ad fratres mellifluus, juniorum maxime educationi assiduam impendens operam, cum probè nosset, ad tuendam, augendam, roborandamque reformationem, in Noviriatu & Seminariis, tamquam in radice totius boni, vel mali, præcipuas Superiorum curas esse collocandas. Anno 1632. Prior Nannetensis, quamvis renitens creatus, mirùm quantum de regularum observatione sollicitus fuerit. Nemo unquam vigilantior, delinquentes corripiebat in spiritu lenitatis, ad sanctæ Orationis studium tanquam ad primitivum Ordinis Carmelitici genium, suos semper provocabat. Vultus ille semper modestissimè hilaris, ac subridens, nec ullo unquam tristitiæ nubilo offuscatus.

Circà triennii medium in morbum incidit, quo & mortuus est. Ea porro mortis prænaturæ causa fuit, quod ulcus in hæmorroidalibus venis lethale, præ castissimo pudore, subaperite noluerit. Paulò antè obitum, porrectam sibi, ex inscitia fratris ei advigilantis, amarissimum de absynthio & camomilla confectam potionem, loco ptisanæ, totam usque ad fœces epotavit. Cumque posteà de hoc reprehenderetur ab infirmario (qui tunc aliquantulùm quiescebat, & expergefactus rem animadvertit) *Mi frater*, inquit, *Calicem quem dedit mihi Deus non volebas ut biberem illam, nisi id Deus à me voluisset, offerri non permisisset.* Addiditque, si unquam religioso debet esse mortificatio in commendatione, maximè in morte; utpotè qui fit rationi Deo reddendæ de tota sua vita propinquior, judicemque suum tunc æquum sit sibi propitium facere.

Obiit vir Dei æternâ memoriâ dignus, anno ætatis suæ 38. post Christum natum 1634. die 24. Januarii. Ad illius funus confluit ferè tota civitas Nannetensis, cum lucem omnium, quasi Angelus eorum tutelaris excessisset. Cujus domum sanctitatis hoc illustre dedit testimonium Vener. Fr. Joannes a S. Samsone spiritualis illius Magister: *se vix credere pariorem fuisse in Ecclesia sanctitatem, quam in do-*

D.

functo Patre Dominico agnoverat. In hujus Religiosissimi Patris *sequens* legitur *Tetrasticon*, loco *Epitaphii* in Menologio Observantiæ Rhedonensi, *pag.* 8.

BEATÆ MEMORIÆ

V. P. FR. DOMINICI A S. ALBERTO,

CARMELITÆ RHEDONENSIS.

D. O. M.

Integer hoc tumulo clausus, si corpore mansit,
Integrum servat Virginitatis honos.
Si cinis est, nil mirum; qui fuit ignis amore
Divino exustus, debuit esse cinis.

Scripsit vir magnis decoratus virtutibus, vitæ sanctimonia, morum puritate, animi demissione, & literarum cùm divinarum, tùm humanarum cognitione spectabilis:

1. *Exercitationem spiritualem Fratrum tum Novitiorum, quàm Professorum in nostro Carmeli Rhedonensis Novitiatu degentium.* Parisiis, apud Josephum Cottereao 1650. *in*-12. Ibidem apud Claudium Calleville 1665. *in*-24. Item è Latino sermone in Germanicum transtulit R. P. Carolus à S. Anastasio Carmelita Germanus.

2. *Regulas exteriores*, seu *Praxim æternam præcipuarum virtutum* Mss. Incipit: hactenus ô *Domine de interno spiritu*, *&c.*

3. *Epistolas varias ad varios.* Quarum una præficitur exercitationi spirituali, modo memoratæ, universis fratribus Carmelitis strictiorem observantiam in Provincia Turonensi profitentibus directa, dum esset Vicarius Provincialis, die 1. Januarii 1632. Nam quoad tempus, quo illa exercitatio spiritualis composita fuit, *vix tertiam à professione annum compleverat.* Aliarum Epistolarum nonnulla fragmenta refert Hugo à S. Francisco in vita venerab. Philippi Thibault, *cap.* 51. *pag.* 372. *& seqq.*

Dominici à S. Alberto meminerunt Leo à S. Joanne in *Delineatione Provinciæ Turoniæ*, *cap.* 9. *pag.* 50. Donatianus à S. Nicolao in *Vita* venerab. Fratris *Joannis à S. Samsone*, *cap.* 18. 22. & 27. Idem in *Vita* ipsius *Dominici*, quam præfixit ipsius exercitationi spirituali. Mathurinus à S. Anna in *Vita* ejusd. *Fr. Joannis à S. Samsone*, *cap.* 11. *pag.* 126. & 130. Bonifacius à S. Euphrasia in Menologio Carmelitarum Observantiæ Rhedonensis, *p.* 7. Hugo à S. Francisco in *Vita* vener. P. Philippi Thibault, *cap.* 25. 31. 51 *pagg.* 187. 234. 365. & 375. Ubi notatur quod noster Dominicus unà cum Bernardo à S. Magdalena composuerit etiam *Directoria.* Licinius à S. Scholastica in vita ejusdem Venerab. P. Philippi Thibault, *cap* 13. *pag.* 139. & *cap.* 26. *pag.* 282. Cyrillus Penneck in *Gymnasio Carmelitano Ms. ad annum* 1634. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 78. Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte-Carmelitarum in Encomio Brevi Ms. *Carmelitarum illustrium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 18. Daniel à Virgine Maria in *Vinea Carmeli*, *pag.* 346. *num.* 646. & *pag.* 519. *num.* 927. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *p.* 1008. *num.* 3522. & *pag.* 1089. *num.* 3834.

LXII.

DOMINICUS ANTONIUS BASILE, natione Italus, regno Napolitanus, provincia Apulus, diœcesi Tarentinus, ex oppido *Cryptaliarum*, Carmelita, sacræ Theologiæ Baccalaureus, juxta opinionem Nicolai Toppi; sed sacræ Theologiæ Doctor, si alios audies; obiit *Tarenti* die 30. Augusti, anno 1670. postquam edidisset,

Collectanea Compositionum ad festivitatem Canonizationis S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Carmelitanæ. Romæ, typis Jacobi Dragonelli, anno 1669. *in*-4°.

Id legitur apud Nicolaum Toppi in *Biblioth. Neapolitana*, *pag.* 74. & *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3733. apud Danielem à Virgine Maria.

LXIII.

DOMINICUS CAMPANELLA (quem Ferdinandus Ughellus DIONYSIUM nuncupat *tomo* 8. *Italiæ sacræ*, æquè ac Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 70. natione Italus, ex oppido *Putiniani*, Diœcesis Sipontinæ natus, parentibus DOMINICO CAMPANELLA & SILVIA BALSAMO, honoratis inter Putinianenses, conjugibus. Sub nomine VITI-OCTAVII, sacro baptismate renatus die 24. Septembris anni 1581. Ex Religioso Societatis Jesu, Carmelita antiquioris Observantiæ factus, varia obivit munia. Sacræ Theologiæ Magister, ejusdemque Professor *Panormi*, *Neapoli* & *Romæ*, atque in Collegio Sapientiæ Romano publicus Metaphysices Regens: Conventûs itidem Transpontini de Urbe Prior, & totius Ordinis Carmelitarum Procurator Generalis: inter sacræ Inquisitionis Qualificatores accitus, & unus è Consultoribus Congregationis pro quinque propositionibus *Cornelii Jansenii* examinandis destinatæ, fuit delegatus.

Institutus Episcopus S. AGATHÆ Gothorum in Regno Neapolitano, die 12 Januarii, 1654. Consecrationem accepit die 18. ejusdem mensis in Ecclesia Transpontinæ sui Ordinis, à *Joanne-Baptista* Cardinali *Pallota.* Tenuit Sedem per novennium, mortuus in ipsa urbe *S. Agathæ* die Januarii 1663. Jacet in Choro Canonicorum, ad Cornu Evangelii, sub lapide cum hoc Epitaphio:

D. *O.* *M.*

HIC JACET FRATER
† DOMINICUS CAMPANELLA
A PUTIGNANO,
ORDINIS CARMELITARUM,
EPISCOPUS S. AGATHÆ GOTHORUM.
OBIIT ANNO SALUTIS M. DCLXIII.
EPISCOPATUS SUI ANNO X.

Scripsit. 1. *In Metaphysicam Commentaria amplissima*, Mss.

2. *Orationes varias Latinas in Sacello Pontificio habitas* quæ prælo destinatæ ab eo fuerunt, teste Ludovico Jacob, quem de his certiorem fecit Romæ anno 1638.

3. *Vota super quinque propositionibus Cornelii Jansenii* prolata: quæ cum aliorum Consultorum votis prodierunt ad calcem *Diarii Ludovici de Sancto Amore*, inter *Monumenta* ad *Negotium Jansenianum spectantia*, *pag.* 175. & *seqq.* Item prodierunt ad *calcem Litterarum Provincialium*, quæ è Gallica in Latinam linguam translatæ sunt sub nomine Wilelmi Wendrockii, Coloniæ, apud Nicolaum Schouten, 1658. *in*-8°. *pag.* 581. & *seqq.* Et alibi pluries.

D.

Dominicum Campanella laudabiliter memorant Ferdinandus Ughellus *tomo* 8. *Italiæ Sacræ*, *pag.* 506. ubi malè nuncupat *Dionysium* : Gregorius Canalius Ordinis Carmelitici Prior Generalis, in *Præfatione Constitutionum* ejusdem *Ordinis*, *anno* 1625. *correctarum.* Theophilus Raynaudus in *Scapulari Partheno-Carmelitica*, *parte* 2. *quæst.* 1. *pag.* 173. Ludovicus de Sancto Amore in suo *Diario* Gallicè scripto *de Negotiis* Romæ *gestis* circa quinque propositiones Cornelii Jansenii, *pagg.* 509. 116. 127. 131. 295. 364. 372. *&c.* Nicolaus Toppi in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 70. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 78. Daniel à Virgine Maria, *toma* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 959. *num.* 3205. Michael Justinianus, *tom.* 1. *Epistolarum*, *pag.* 22. Autor *Historiæ de quinque Propositionibus Jansenii* Gallicè editæ *in*-12. Trevoltii, anno 1702. inter Carmelitas Excalceatos perperàm reponit *tomo* 1. *pag.* 22.

L X I V.

DOMINICUS A S. CATHARINA, natione Gallus, Provinciâ Armoricus, Carmelita Provinciæ Turoniæ, Rhedonis die 28. Novembris 1638. professus: vir non minus probitatis moribus, quàm doctrinæ studiis clarus, anno 1648. à Definitorio Capituli Pictaviensis deputatus est in Provinciam Tolosanam, ubi Magistrum Novitiorum gereret R. P. *Prospero à S. Ludovica*, qui mox Commissarii Generalis vices in dicto Capitulo Pictaviensi tenuerat, Priore Tolosano constituto, *& Juliano à S. Claudio* ejusdem Provinciæ Turoniæ alumno, in sacrum Æditauum nominato. Ad suos Armoricos reversus, & totus piis exercitiis deditus, migravit è vita in Conventu *Hennebontensi*, anno 2669. die 24. Septembris. Edidit sermone Gallico :

Vitam Petri de Govello, *Domini de Queriolet*, *Sacerdotis*, *Senatoris Rhedonensis* ; cui à sacrà directione & spirituali animæ regimine ipse Dominicus fuerat. Parisiis, apud Florentinum Lambert, 1663. *in*-16. Ibidem anno 1665. Parisiis, apud Georgium Josse 1677. *in*-12.

Dominici à S. Catharina meminerunt Hugo à S. Francisco in *Vita Vener. P. Philippi Thibault cap.* 31. *pag.* 238. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana*, *Ms. pag.* 79. Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 217. *num.* 4719.

L X V.

DOMINICUS DE CREMONA, aliàs de DOMINICIS, natione Longobardus, patriâ *Cremonensis*, Carmelita in suo instituto celebris. Nam in Capitulo Generali *Montis-pessulana* anno 1369. Lector Biblicus pro tertio anno in studio Tolosano ordinatur, & in Capitulo Generali *Aquensi* 1372. Lector Sententiarum pro primo anno in eodem studio Tolosano instituitur. Postea in Comitiis Generalibus *Viennæ*, anno 1381. habitis, vocatur Diffinitor Provinciæ Lombardiæ, & tunc primò titulo Magistri decoratur.

Insuper in eodem Capitulo Provincialis Provinciæ eligitur. Quia quamvis ipse Italos esset, illa tamen Provincia, & alia Hispaniæ atque Galliæ, schismate divisæ non comparebant in Capitulis sub Papa *Urbano sexto* congregatis, ut propterea illis tamquam absentibus, Prior Generalis & Capitulum de Provincialibus providerent. *Dominicus* noster in Capitulo *Bambergensi* an. 1385. celebrato, eodem titulo Provincialis Povinciæ vocatur, sicut & in Capitulo *Brixiensi* anno 1387. Diffinitor & Provincialis ejusdem Provinciæ nuncupatur. Quo etiam Capitulo Procurator Curiæ Romanæ, & Regens ejusdem pro tribus annis instituitur. Ac demum in Comitiis *Francofurdiæ* aggregatis anno 1393. Procurator itidem Generalis, & ejusdem Curiæ, & ità benignè suum in Conventum *Cremonensem* affectus, ut teste Biscareto, *Coloniam* à Francofurto veniens, plurimas Sanctorum reliquias obtinuerit, easque Cremonam delatas, in Sacristia Conventûs asservari curaverit.

Post biennium, die ultimâ Aprilis, 1395. electus est Episcopus *Sithiensis* sive *Sytiensis*, in *Creta* Insola, & sub Metropoli pariter Cretensi, post modum octavo Kalendas Decembris 1399. translatus est ad Ecclesiam Milopoianiensem seu Meliporanensem, in qua quo anno obierit satis non constat, quamvis ad annum 1409. supervixisse illum verosimiliter conjiciunt æque ac suam ad Sedem neutram accessisse. Solemnis autem ejus memoria tenetur in Conventu *Cremonensi*, quò adducta inter sacra pignora, ejus operâ, colitur ibi sacrum Caput *S. Guidulberti* Episcopi & Martyris, cum inscriptione, nomen ipsius *Dominici* referente. Scripsit :

1. *In Libros quasdam S. Scripturæ Lectiones nonnullas.*

2. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria.*

3. *Orationes & Sermones quas habuit in* Sacello Pontificio & in Curia Romana.

Dominicum de Dominicis Cremonensem commendant Joannes Michael Pius, Ord. FF. Prædicatorum. In Opere Italico, de *Nobili progenie S. Dominici*, *part.* 1. *Lib. I. cap.* 67. *pag.* 243. *Edit. Bonon.* 1618. Petrus Maria Campo in *Historiæ Placentina*, *tom.* 2. *Lib. XXIV. pag.* 189. Josephus Bressanus in opere Italico sub titulo *Cremona Sancta*, *pag.* 81. Necrologium Carmelitarum Cremonensium. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 919. *num.* 3206. qui rectè correxit Scriptores alios Carmelitas, scilicet Augustinum Biscaretum in *Palmitibus Vineæ Carmeli* ; Joannem-Baptistam de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad an.* 1394. *num.* 7. *pag.* 738. Ludovicum Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 78. quibus addi potest Jacobus Lelong, Oratorii Jesu Sacerdos *in Bibliotheca Sacra*, *pag.* 5213. *col.* 2. arbitrantes nostrum Dominicum anno 1400. die 4. Aprilis obiisse, ejus Episcopatûs mentione factâ : verum *ex Libro obligationum Prælatorum sub Bonifacio IX. anno* 6. *folio* 57. constat Dominicum nostrum electum fuisse Episcopum Sithiensem die ultimâ Aprilis 1395. Item fuisse religiosum expressè Professum Ordinis Carmelitarum, constat manifestè *ex Libro de Regularibus sub eodem Bonifacio IX. anno* 6. *folia* 55. Item ex Sede Sithiensi hunc fuisse translatum ad Milopoianiensem Ecclesiam, octavo Kalendas Decembris 1399. constat *ex Libro* 2. *de Regularibus sub eodem Bonifacio IX. anno* 11. *folio* 203.

DOMINICUS DARIUS, de quo infer. *pag.* 572. verbo *Joannes-Antonius Darius.*

L X V I.

DOMINICUS DOUAT, Provinciæ Tolosanæ Carmelita, ad annum 1681. natus, in rebus mathematicis versatissimus, atque *Sebastiani Truchet* Carmelitæ discipulus, edidit Parisiis, anno 1721. Librum Gallicè inscriptum : *Methode pour faire une infinité de compartimens & de desseins differens, avec des carreaux mi-partis de deux couleurs, par une ligne diagonale.*

« Ce Livre renferme les Observations du R. P.

D.

» Dominique Douat sur le Memoire de l'Academie » des Sciences, présenté en 1704. par le P. Sebastien Truchet, du même Ordre. Ouvrage utile, » tant pour l'Architecture, que pour les desseins » du pavé des Eglises, des carreaux des appartemens, » des cabinets; que pour les Peintres, la Marqueterie, les Ebenistes, les Menuisiers, les Vitriers, » les Tapissiers, les Brodeurs, les Tisserands, & » tous ceux qui se servent de l'éguille, qui pourront » faire toutes sortes de desseins, avec quatre carreaux mi-partis de deux couleurs, par une ligne « diagonale.

Extractum è *Mercurio Galliæ pro mense Octobr.* 1721. *pag.* 116.

» Ce Livre est imprimé à Paris *in*-4°. chez Delaulne, ruë St. Jacques, chez Jombert & Cailleau, Place Sorbonne 1721. orné de vingt-neuf » Plans en taille douce. Il y a une table qui contient » un nombre si prodigieux de combinaisons & permutations de desseins differens qu'on peut faire » avec ses carreaux, que quand l'Auteur vivroit » autant que Mathusalem, pardessus quarante ans » qu'il a, il ne pourroit les figurer tous sur le papier, » quand il auroit toujours le crayon à la main. Ce » Livre est autorisé par huit approbations des plus » sçavantes personnes du Royaume. Extractum atque collectum hoc est seu transcriptum è *Mercurio Galliæ pro mense Novembri* 1721. *pag.* 51.

LXVII.

DOMINICUS A S. GABRIELE, natione Gallus, provinciâ Delphinas, in civitate *Rape-Maurensi* (vernaculè *Roche-Maure*) ex nobili familia natus die 29. Septembris 1595. in Diœcesi Valentinensi. Pro custodia quotidiana Ludovici XIII. militem ordinarium agebat, quando ad Carmelitas Excalceatos convolavit Parisienses, apud quos professionem emisit anno 1621. die 8. Martii. Ex quo tempore usque ad obitum die 6. Aprilis 1674. singulari modestiâ præditus, in oratione assiduus, tam intra quam extrà claustrum ab omnibus fuit dilectus hic Frater Laicus.

Scripsit *Librum sanctarum cogitationum & piarum affectionum animæ Deum diligentis, & ad perfectionem anhelantis*; Gallicè. Parisiis, apud Antonium Delapierre 1641. Ibidem, apud Sebastianum Huré 1648. *in*-32. iter editum. Ibidem 1655. quinto apud Federicum Leonard 1665. *in*-32.

Hunc Fratrem Dominicum memorant Ludovicus à S. Teresia in Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, in *Præfatione cap.* 7. *pag.* 15. suppresso nomine. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 79. Marcialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *p.* 103.

LXVIII.

DOMINICUS A JESU, in seculo *GIRALDUS VIGIER* nuncupatus, natione Gallus, provinciâ Arvernus, patriâ Auriliacensis, die 4. Octobris 1595. aut 1596. inter Carmelitas Excalceatos Parisiis, unus è duodecim Primariis Novitiis vestem religiosam induit 1613. die 2. Julii, nomine Fr. Cyriaci à Visitatione: professionem verò emisit die 13. Julii 1614. ingenio subtili donatus, antequam sacerdotio initiaretur, Prælectoris munus exercuit in Cœnobio tum Pariensi, tum Charentonensi propè Parisios. Anno 1621. ad Sacerdotium evectus, cum sequenti anno illustrissimus Princeps, HENRICUS BORBONIUS, Episcopus Metensis, de universa Theologia Theses propugnaret, præsente Rege Christianissimo, ac pluribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Doctoribus, Magnatibus, voluit LUDOVICUS XIII. ut primus omnium disputaret: quod tam subtiliter præstitit, ut communem totius Cœtûs applausum meruerit. Illum in rebus majoris momenti consuluere Eminentissimi Cardinales RICHELIUS, RUPEFUCALDIUS, LAVALETTA, ac Illustrissimus Galliæ Cancellarius D. SEGUIER. Prior Charentonensis, ac Provinciæ Galliarum Definitor, crescentibus ejus virtutis & eruditionis meritis, ab URBANO VIII. Pontifice Maximo, Archiepiscopus Regni Persarum destinatus; sed LUDOVICO XIII. Rege Christianissimo instante, ac JOANNE ARMANDO, Cardinale Duce RICHELIO cooperante, Summus Pontifex consilium mutavit, illumque ab hac illustrissima dignitate revocavit. Vix è portis mortis miraculosè fugerat anno 1623. vitas Sanctorum stirpis Regiæ Franciæ aggressus, cum literis commendatitiis Regis munitus, Galliæ, Germaniæ & Italiæ Doctores consuluit, ditiores Bibliothecas perlustravit, ac Manuscripta indefessè perscrutatus est. Prior Claromontani Conventûs, obiit Parisiis, anno 1638. die 30. Januarii. Opera ejus inscribuntur:

1. *Epigrammata* Græca & Latina ad R. P. Dionysium à Matre Dei, Carmelitam Excalceatum: Cujus *Operibus* præfiguntur. Parisiis, anno 1618. & *seqq.*

2. *Catechismus Doctrinæ Christianæ*, exiguus; sed in pretio habitus. Parisiis, Gallicè 1610. 1621. 1622. & 1623. apud Michaelem Sonnium. *in*-24.

3. *Acta Canonizationis S. TERESIÆ*, Latinè, cum *Præfatione*, & *Epistola* ad Nicolaum, de Verdun, Senatûs Parisiensis Principem. Parisiis, apud Michaelem Sonnium, 1628. *in*-24.

4. *Acta Canonizationis S. ANDREÆ CORSINI*, cum ejus *Vita* è Ms. Codice recensita, Notisque illustrata. Parisiis 1638. apud Claudium Sonnium, *in*-8°. Latinè.

5. *Vita B. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS*, Florentinæ Carmelitanæ. Parisiis, typis Sonnii, 1631. *in*-8°. Gallicè, ad MARIAM MEDICEAM, Reginam Matrem nuncupata.

Epistola de propagatione Ordinis Carmelitarum, & *de Regum Christianissimorum in eum beneficentia*. Parisiis, apud Claudium Sonnium, 1630. *in*-4°. Ad Regem Christianissimum LUDOVICUM XIII. *Operibus S. Teresiæ* præfixa Gallicè.

7. *Epistola Latina*, Libro Logicæ Cursûs Artium Patrum Carmelitarum Excalceat. Complutensium *præfixa*. Parisiis, apud Michaelem Sonnium, 1628. *in*-4°.

8. *Epistola* altera *Latina* Libro Physicæ ejusdem Cursûs *præfixa*. Ibidem.

9. *Epistola Latina* tomo secundo Cursûs Theologici Salmanticensis, eorumdem Patrum Carmelitarum Excalceatorum præfixa, ad Eminentissimum Cardinalem Richelium. Parisiis, apud Claudium Sonnium, 1534. *in folio*.

10. *Historia Parænetica Sanctorum FLORI, Episcopi Lodovensis, MARII Presbyteri, & GERARDI, trium superioris Arverniæ Patronorum; cum aliquibus notis ad illustrandam Historiam Ecclesiasticam illius Provinciæ*. Gallicè *in*-8°. magno. Parisiis, typis Sonnii 1635. Ad Carolum de Noailles, S. Flori Præsulem doctissimum. Hujus Historiæ meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Historica*, *pag.* 41. *num.* 1144.

11. *Monarchia Francorum historica & sancta*: Sivè *Fasti Regii*, quibus inscribuntur Christianissimi Imperii Reges, Reginæ, Regum filii, filiæ, Generi, Nepotes, Neptes, aliique consanguinei, vitæ sanctitate

D.

illustres; eorumqoe res præclaræ, pace ac bello gestæ describuntur. *Opus in tres partes totidemque volumina*, juxtà Regiam Stirpem triplicem *distributum*. Magno sanè labore & diligentia ex diversis diversarum regionum & Religionum Bibliothecis & Manuscriptis *conquisitum ac compositum*. Morte præventus Author illud edere non potuit, quod ex *Voto* composuerat anno 1623. ad extrema facto. Codex autem Manuscriptus Claromonte apud Arvernos in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum asservatos, Gallico idiomate donatus fuit eâ ratione quam exponemus inferiùs, *pag.* 465. verbo, *Modestus à S. Amabili*; & *pag.* verbo, Thomas *Aquinas a S. Josepho*. Monarchiæ hujus sanctæ & Historicæ meminit Jacobus Lelong in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 41. *num.* 1142. Sed eam ungue critico vellicat Vir Clariss. Dom. Lenglet, *tomo* 4. *Methodi*, in *Catalago Scriptorum Historicorum*, *pag.* 169. *lin.* 9. ubi ait: *Voilà un beau Titre, mais l'Ouvrage est peu de chose*, inquit de ista Monarchia Gallice edita.

12. *Martyrologium Carmelitarum Ms.* apud eosdem Claromontenses asservatum.

13. *In Metaphysicam Commentaria Mss.* Ibidem quondam asservata apud R. P. Thomam Aquinatem à S. Josepho, Carmelitam Excalceatum, P. Dominici discipulum.

14. *Spicilegium Episcoporum Ordinis Carmelitarum.* Parisiis, apud Claudium Sonnium, 1638. *in*-4°. ad calcem vitæ S. Andreæ Corsini. Hujus spicilegii Hippolytus Helyor meminit in *Catalago Authorum Historiæ Ordinis Carmelitarum*, præfixo, *tomo primo Historiæ* Gallicè editæ de *Ordinibus Religiosis*, *pag.* 11. Meminit quoque doctus vir clarissimus Dom. Lenglet, in *Methoda Historiæ studendæ*, *tomo* 3. *pag.* 149.

15. *Tractatus de Controversiis omnibus, quæ habentur inter Catholicos & Hæreticos hujus temporis.* Ms. Codex extabat quondam apud R. P. Lucianum à Sancta Maria, Carmelitam Excalceatum, Parisiis commorantem, teste Ludovico Jacob.

16. *Meditationes in Orationem Dominicam S. Teresiæ* adjudicatas vertit ex Hispanico idiomate in Latinum sermonem, eodem referente Ludovico Jacob in *Bibliotheca sua Carmelitana*, *pag.* 80.

DOMINICI A JESU laudes celebrarunt R. P. Franciscus Lanovius (Gallicè *Lanouë*,) Ordinis Minimorum, Parisinus, in *planctu in obitum R. P. Dominici à Jesu, Carmelitæ Excalceati*, ad R. P. Ignatium à Jesu Maria ejusdem Ordinis Carmelit. Excalceatum nuncupato: qui legitur ante *Acta Canonizationis S. Andreæ Corsini*. Hilarion de Coste itidem Minimus, in *Vitis S. Teresiæ*, *B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi*; & *vener. P. Marini Mercennii*, *Ordinis Minimorum Theologi*. Franciscus Victon etiam Minimus, tract. *de Canonizatione Sanctorum*. Joannes Bollandus, *tom.* 2. *Actor. Sanctorum in vita S. Andreæ Corsini*. Arturus à Monasterio, in *Martyrologio Franciscanorum*. Stephanus Cavet, Canonicus S. Pauli Lugdunensis, in *Elogio S. Teresiæ*. Joannes Tamagos de Salazar, *tomo* 2. *Martyrologii Hispani*, *die* 12. *Martii*.

E Carmelitis, Leo à S. Joanne, in *Delineatione Observantiæ Carmelitarum Rhedonensis*, *cap.* 7. *pag.* 47. Hugo à S. Francisco, in *vita venerab. Philippi Theobaldi*, *pag.* 32 Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 79. & 80. Ludovicus à S. Teresia, *Lib. I. Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ*, *cap.* 6. *pag.* 43. & *Lib. II. cap.* 12. *pag.* 329. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 13. *pag.* 684. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 103.

L X I X.

DOMINICUS A JESU MARIA, dictus, in seculo DOMINICUS RUXXOLA, *Bilbili*, vulgo *Calatayud*, in Hispania Tarraconensi natus est die XVI. Maii, anno M. OLIX. Patrem habuit MICHAELEM RUXXOLA Cantabrum, matrem verò HIERONYMAM LOPEZ, cujus Frater R. P. M. FRANCISCUS LOPEZ, Avunculus Dominici, Carmeli antiquioris Observantiæ, Prior Bilbiliensis DOMINICUM septimo ejus ætatis anno, mortuo patre, in suo Conventu retinere voluit. Ætatis anno duodecimo DOMINICUS in eo Cœnobio Novitius indutus est. Completo decimo-sexto ætatis anno professionem emisit. Cum autem in Cæsar-Augustano Conventu pestis sæviens, anno 1580. terreret, septuaginta suscepit infirmorum curam, in qua gerenda non defuêre prodigia. Ad majorem postea perfectionem anhelans, obtentâ Superiorum licentiâ, in celebri *Pastranensi* tyrocinio Carmelitarum Excalceatorum Novitius admittitur, & professione anno 1598. emissâ, Magistri Novitiorum socius electus est.

Anno 1690. Romam missus est ad novellæ Congregationis augmentum Italicæ, quam fovit & illustravit. Profectus Genuâ in urbem anno 1604. perveniens, electus est Novitiorum Magister. Anno 1608. Definitor generalis, ac Prior *Sanctæ Mariæ de Scala*. Anno 1611. Prior Conventûs Neapolitani electus, jussu & autoritate summi Pontificis, continuatur in Romano; postea Procurator Generalis; tandem Legatus GREGORII XV. Pontificis maximi ad FERDINANDUM II. Cæsarem. Die decimâ Octobris 1620. *in Strakonitzio* palatio, inter alias ab Hæreticis profanatas imagines, unam reperit Nativitatis CHRISTI, cui ut & *beatissimæ Virgini*, & à *S. Josepho* sacrilegè oculos eruerant: hoc tristi commotus spectaculo, & amarè flevit, vovitque effecturum totum quod posset ad eam honorandam. Illam secum in collo suspensam portans, in bello effecit ut Catholici insignem victoriam adversus FREDERICUM V. Electorem Palatinum reportarint die octavâ Novembris; & inde nomen *Beatæ Mariæ de Victoria* hæc imago sortita est.

Germaniam, Belgium, Galliam & Italiam magno cum honore lustravit DOMINICUS: à Principibus, Magnatibus, perbenignè & honorificè acceptus, præsertim à FERDINANDO II. Imperatore, cui multum charus extitit. Quasi Legatus ab URBANO VIII. mittitur iterum in Germaniam, procurandæ pacis causâ inter Imperatorem & Ducem Mantuæ. *Viennæ* obiit, die decimâ sextâ Februarii 1630. vir immortali famâ dignus. Scripsit Italico idiomate:

1. *Sententias spirituales circa viam purgativam, illuminativam & unitivam*, tomis tribus *in*-12. quæ in Latinum, Gallicum, Germanicum & Belgicum translatæ fuerunt. Gallica prodiit Parisiis, apud Michaelem Sonnium, 1623. *in*-16. Interprete Matthæo à S. Joanne-Baptista, Allobroge, Carmelitâ Excalceato, ibidem anno 1625.

2. *Argumenta Psalmorum*, ad utiliorem divini Officii recitationem, è multiplici Sanctorum Patrum, & insignium doctorum expositione tam literali quàm spirituali, decerpta. Latinè. Romæ, 1623. *in*-4°. apud Franciscum Cabatum.

3. *Alia argumenta Psalmorum.* Romæ, eodem anno *in*-8°.

4. *Tres Litteras Pastorales ad totam Congregationem suam*, quæ habentur Italicè in collectione Mediolanensi, 3. *parte*, *pag.* 117. & *seqq.*

5. *Vitam Fratr.* ALEXII Poloni à S. BER-

D.

NARDO: Ex qua multa deprompsit Philippus à SS. Trinitate, 3. *parte Decoris Carmeli Religiosi*, *pag.* 26. & *seqq.*

6. *De protectione B. Virginis Mariæ* Librum. Parisiis, apud Petrum de Bresche 1645. *in*-24. Gallicè Interprete, Anonymo Carmelitâ Excalceato Gallo inquit, Ludovicus Jacob.

7. *Concordiam spiritualem.* Bruxellis, 1626. *in*-8°. Hispanicè.

8. *De Theologia Mystica* Libros duos: Quos fortè eosdem, quos laudavimus numero primo, nonnulli Scriptores existimant.

9. *Directorium bene moriendi.*

10. *Compendium ipsius vitæ*, quod jussu Ven. P. Joannis à Jesu Maria, Generalis Præpositi, scripsit.

11. *Relationes*, quas citat P. Franciscus à S. Maria, in *Historia Congregationis Hispanicæ Carmelitarum Excalceatorum.*

De DOMINICO A JESU MARIA loquuntur Joannes Caramuel, in *vita DOMINICI*: Henricus Spondanus, in *Annalibus Ecclesiasticis*, *anno* 1620. Aubertus Miræus, *de Scriptoribus Ecclesiasticis Seculi XVII. cap.* 206. idem, in *Commentario de Bello Bohemico.* Josephus Riccius, *Lib. I. de Bellis Germanicis anno* 1620. Alesander de Noris, *ibidem Lib. III.* Hippolytus Marraccius in *Bibliotheca Mariana.* Idem, in *Religiosis Marianis*, *cap.* 4. Franciscus Angelomus, in *Historia Interamnensi*, *pag.* 284. Antonius Sanderus, in *Auctuario ad tom. primum Flandriæ illustratæ.* Michaël de Marillac, Franciæ Procancellarius, Libro de *Institutione Monialium S. Teresiæ per Regnum Galliarum.* Ægidius Gelenius, in *Sacrario Coloniensi*, *Syntagma* 50. Petrus à S. Romualdo, *tomo* 3. *Thesauri Chronologici & Historici*, *anno* 1620. Joannes Eusebius Nievembergensis, in *Trophæis Marianis.* Philippus Brietius, in *Annalibus Mundi*, *anno* 1620. Carolus Caraffa, in *Germania sacra.* Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 255. Ibidem, *tomo* 2. *pag.* 657.

E Carmelitis, Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 80. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 989. *num.* 3466. Ibidem, *pag.* 1044. *num* 3619. Philippus à SS. Trinitate, in *Vita* ipsius *Dominici* edita Lugduni 1659. *in*-8°. Idem in *Decore Carmeli Religiosi*, 3. *parte*, *pag.* 9-24. Aloysius à S. Joseph in *Vita ejusdem Dominici.* Franciscus à S. Maria, *tomo* 1. *Historiæ Congregationis Hispanicæ*, *Lib. II. cap.* 7. 30. 36. 38. ibidem, *Lib. V. cap.* 46. Ibidem *Lib. VII. cap.* 37. &c. Joannes à Jesu Maria, in *Vita PETRI A MATRE DEI.* Ludovicus à S. Teresia, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*, *Lib. I. cap.* 3. *pag.* 92. Ibidem, *cap.* 54. *pag.* 136. Isidorus à S. Joseph, in *Annalibus Reformationis S. Teresiæ tomo* 1. Petrus à S. Andrea, ibidem, *tomo* 1. & 3. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 105-118. Ubi addit Apologiam adversùs calumnias Adriani Baillet insertas, in *Vita Edmundi Richer*, *Lib. IV. pag.* 296. & *seqq.*

LXX.

DOMINICUS A JESU MARIA, Tarentinus, ex nobili prosapia *Romanelli* natus, Carmelitarum Excalceatorum institutum suscepit, in quo virtutibus clarus & scientia præcellens: Lector Cœnobii Melitensis, & Concionator celebris, obiit *Neapoli* ante annum 1678. postquam scripsisset,

1. *Trattato di Rettorica, con tutti gli Essempii. Mss.*

2. *Di Panegirici.* 1. *Vol. Mss.* Hæc Opera asservantur apud Excalceatos Carmelitas Neapolitanos, in Bibliotheca Cœnobii *Matris Dei*; teste Nicolao Toppi, in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 72.

LXXI.

DOMINICUS A S. MARIA, in seculo VIRANOS nuncupatus, *Claraszi*, sub Astensi Episcopatu die 27. Julii 1605. natus, se & omnia sua bona in patrio Carmelo die primâ Agusti 1621. solemni professione sacravit. Reformationis fundamenta in Provincia sua Lombardiæ jecit anno 1633. Vicarius Provincialis hujus Reformationis, & dein totius Provinciæ Lombardiæ Prælatus. Concionibus suis inter Virgines Ordinis Carmelitici Tertiarias adduxit Venerabiles sorores EUPHRASIAM A S. TERESIA, & ANNAM PELLINAM PAPIENSEM. Regiæ Celsitudini Sabaudiæ, CHRISTINÆ A FRANCIA, & serenissimo Principi EMMANUELI PHILIBERTO à sacris confessionibus fuit. In osculo Domini obiit Taurini die 27. Aprilis, anno 1665.

Scripsit *Concionis Quadragesimales & Miscellaneas* duobus tomis comprehensas, quæ *Mss.* asservantur in Cœnobio Taurinensi: Sicuti affirmat noster R. P. Timotheus Bergerot, Assistens Generalis, in *Schedis Mss. anno* 1748. *datis.*

LXXII.

DOMINICUS A MATRE DEI, Hispanus, Carmelita Discalceatus, suæ Congregationis Hispanicæ Secretarius, Definitor Generalis, edidit Hispanico idiomate *Elogium Commentariorum in Regulam primitivam Ordinis Carmelitarum*, quæ R. P. Franciscus à S. Elia typis mandavit *Segobiæ*, anno 1638. *in folio*; & his Commentariis præfigitur istud *Elogium*, teste Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 81.

LXXIII.

DOMINICUS MUGGIANUS, Mediolanensis, Congregationis Mantuanæ Carmelita, *Theodori Muggiani*, ejusdem Ordinis Professoris, qui Concionator eximius, & in Academia Ticinensi S. Theologiæ Interpres plures per annos extitit, ex fratre Nepos, patruum imitatus, per studiorum curricula eruditionem sibi, & laudem comparare curavit. Theologicas Quæstiones eximiè enucleavit, in publicis litterariis certaminibus magna dedit ingenii specimina, & Magisterii honorem promeruit. Orator quoque fuit insignis in Sanctorum præcipuè Encomiis è suggestu dicendis, atque ejus inter Orationes illa celebratur, quam habuit Brixiæ de laudibus S. Andreæ Corsini, Episcopi Fesulani.

Non Semel Cœnobium sui Ordinis S. *Joannis ad Concham* nuncupatum Prior administravit, ejusque Templi Sacrarium Sacerdotalibus pretiosis ornamentis, Aram maximam argenteo pallio, aliàque insigni suppellectili ditavit. CAROLO II. Mantuæ, ac Montiferrati Duci plurimùm fuit acceptus, atque ab eo Theologum suum assumptus est. Bis extitit in Romana Curia pro Ordinis negotiis Procurator Generalis, tum ad summum Congregationis prædictæ Præsulatum ascendit, id munus sibi demandante per Apostolicas Litteras Alexandro VII. Summo Pontifice. Hydrope tandem contracta, diem vidit extremam IV. Idus Octobris, anno Redemptionis 1669. Ejus effigiem grati animi ergo in præfato sacrario S. *Joannis ad Concham*, hoc adjecto Elogio, juxta illius seculi turgidum genium inscripto, ejus Cœnobii Alumni collocarunt:

D. O. M.

D.

D. O. M.

Rev. Pat. Sac. Theol. Mag.

DOMINICUM MUGGIANUM,

In fuggeftis Angelicum,

In Cathedris refolutum:

Qui in fer. Carolo II.

Mant. Mont. Ferr. Duci

In Theol. affumptus

Miraculum,

Aulam virtutibus erudivit.

Bis ad Romanam Curiam

Miffus Generalis Procurator,

Tyberi reftituit Catones.

Creatus ab Alexandro VII.

Pontifice Maximo

Generalis Vicarius,

Religionem fuam Macedonico robore,

Vel Apoftolica caritate confirmavit.

Demum argenteo margine,

Pretiofa fuppelletili, multo ære

Aræ elegantiam, Templi Matrem,

Sacrarii conftructionem excitatus,

Se adeò in Ecclefia luculentiam

Evifceravit,

Ut angelicum, melius-ve dicas

Ecclefiæ Filium, an Patrem.

Obiit IV. Idus Octobris,

Anno M. DCLXIX.

Ac Patri Emerito, Præfuli optimo

Hoc æterni monumentum amoris

Carmelitæ pofteri pofuere.

Poft fe reliquit *un Volume, di Panagirici, & Orazioni, Mf.* juftæ molis, quod in Bibliotheca fupra memorati Cœnobii S. Joannis ad Concham affervatur. De illo agunt Clemens Maria Felina in *Mufæo Congregationis Mantuanæ, pag.* 137. Ubi Epigramma pro fuo more in ejus laudem adjunxit. Carolus Vaghus in *Commentario Fratrum & Sororum Congregationis Mantuanæ, pag.* 334. Philippus Argelatus in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanenfium, pag.* 978. *num.* 1171.

LXXIV.

DOMINICUS A NATIVITATE B. VIRGINIS, in feculo dictus VAN DER-HOOGEN, Belga, in oppido Reeck natus anno 1656. Carmelita provinciæ Flandro-Belgicæ alumnus, diverfis in locis Prior, Magifter Novitiorum, Definitor, Concionator præclarus & celeberrimus: vir admodum pietate fimul ac devotione præftans, obiit *Mechliniæ* anno 1722. ætatis 66. poftquam edidiffet *Conciones in Fefta*: Latinè, Antuerpiæ, 1722. duob. tom. *in-8°.* prout refert R. P. Illuminatus à S. Spiritu, in *Schedis Mff.* ad nos Bruxellis Aureliam miffis, die decimâ-tertiâ Augufti M. DCCXLI.

Tom. I.

LXXV.

DOMINICUS A S. NICOLAO, natione Belga, Gueldrienfis Provinciâ, natus eft piis & honeftis parentibus. Adhuc juvenis Carmelitanam profeffionem emifit juxta inftitutum antiquioris regularis obfervantiæ: fed perfectioris vitæ cupidus, ad Excalceatos Carmelitas Bruxeliis tranfiit anno 1622. Ex Belgio in Germaniam cum duodecim ab iis fodalibus tranfiit, anno 1624. ubi Superioris munus aliquoties exercuit. Anno Domini 1647. Romam ad Capitulum generale ivit, focius Provincialis Germaniæ; ubi Prior *Melitenfis* electus eft. Vix annum Prioratûs iftius duxerat, cum affumptus eft in vifitationem generalem Conventuum & Hofpitiorum, quæ poffident in Oriente Carmelitæ Difcalceati, manfurus poftea Vicarius provincialis tam Perfidis quàm Indiarum. Anno 1649. *Goam* perveniens, è Regno Canara, & urbe Mangalor, P. *Sebaftianum à SS. Sacramento* & F. *Jofephum* ejufdem cognominis convocavit, miffionis ipforum rationem reddituros, quibus de fuo fructu evangelico profperè aucto auditis, humi humiliter fe profternens, debitas Deo gratias agere non ceffabat.

Anno 1650. die 18. Junii graviffimam in infirmitatem decidit, fed mire curatus, obtinuit facultatem perficiendi Ecclefiam Collegii fui *S. Terefiæ* ad fuburbium civitatis *Goæ*. Negotiorum fuæ Congregationis causâ in Curia Lufitaniæ pertractandorum, navem confcendit die 24. Januarii anno 1654. cum propè *S. Michaëlis* infulam appuliffet, contracto lethali morbo, in eam delatus à Patribus Societatis Jefu infigni charitate receptus, Ecclefiafticis Sacramentis munitus, die 14. Julii anno eodem 1654. felicem animam exhalavit. Vertit Germanico fermone:

Inftructionem Novitiorum, Venerab. P. Joannis à Jefu Maria, Carmelitarum Excalceatorum Præpofiti Generalis.

2. *Summarium graduum Orationis ac Contemplationis* à R. P. Thoma à Jefu, Carmelita Excalceato confcriptum. Monachii, typis Bergerii, anno 1634. *in-8°.*

DOMINICI A S. NICOLAO dotes eximias laudant R. P. Ludovicus Muzz, Collegii Angrani ad Infulas Azores, Societatis Jefu Rector, in *Relatione brevi* eximiarum Virtutum & fanctiffimæ mortis Dominici à S. Nicolao, ad Præpofitum Generalem Carmelitarum Excalceatorum *datâ*. Philippus à SS. Trinitate, 3. *parte Decoris Carmeli, pag.* 221. & *feqq.* Ludovicus à S. Terefia, *Lib. II. Annalium Excalceatorum Galliæ, cap.* 19. *pag.* 350. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf pag.* 81. Martialis à S. Joan. Bapt. in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. p.* 136.

LXXVI.

DOMINICUS A PRESENTATIONE, Hifpanus ex *Forenda* oppido *Alabæ* oriundus, Doctor Theologus, ac in Academia Granatenfi publicus Profeffor, poftea Carmelita Difcalceatus, ac provinciæ Cataloniæ Prior Provincialis, deinde Generalis Definitor anno 1600. Vir plurium, maximarumque virtutum gloriâ celeberrimus, ingenio & eruditione clarus. Scripfit *Lucubrationes Theologicas* hactenus *ineditas*.

De illo mentionem habent Aubertus Miræus, in Præfatione de *Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum, pag.* 171. Paulus ab omnibus Sanctis in *Bibliographia Carmelitana* hactenùs *inedita*. Philippus à SS. Trinitate, in *Vita Vener. P. Dominici à Jefu Maria*. Ifidorus à S. Jofeph, *tomo* 1. *Annal. Carmelit. Excalceat.* Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 81.

D.

LXXVII.

DOMINICUS PROVANA, Pedemontanus, patriâ Taurinensis, Carmelita Provinciæ Pedemontanæ alumnus, Sacræ Theologiæ Magister, & in majori Neapolitano Carmelo Professor, & ejusdem Neapolitanæ provinciæ Præfectus, atque R. P. Henrici Silvii, provincias Galliæ, Germaniæ, Belgii & Hispaniæ circa annum 1603. visitantis, socius scripsit:

1. *Schedas de Visitationibus* ejusdem *Henrici Silvii accuratissimas*, Quæ Mss. servantur Romæ in Bibliotheca Carmelitarum Transpontina.

2. Explicationem characterum inscriptorum Lapidis Sepulchrali Hentici cujusdam, Prioris Boppardiensis Conventûs Carmelitarum. Namque præfatus Henricus Silvius hunc visitans Conventum, Lapidem Sepulcralem, in quo legitur Epitaphium Prioris hujus Cœnobii, in Claustro positum ad lævam Ecclesiæ ingressûs, è terra clevari & in altum erigi fecit anno 1603. ne tale monumentum vetustum, paulatim pedibus attritum penitùs periret. Dominicus autem Provana, pro sua ingenii subtilitate, judicii soliditate, & Sermonis elegantia, curam adhibuit in pervestigandis characteribus dicti lapidis sepulchralis, sub quo tumulatus fuit Henricus, Prior hujus Conventûs, anno 1012. defunctus, inquit Lezana, *tom.* 3. ad hunc annum; & legitur *tomo* 1. speculi Carmelitani *pagg.* 1008. 1016. & 1018.

Papebrochius autem nulla Carmelitis Cœnobia ante annum 1238. in Europa obtigisse arbitratus, scribit: » fieri facillimè posse, fierique centies; ut » cum locus aliquis inquilinos mutavit, traditio » vulgi (quâ nihil incertius) postremis notisque sibi » incolis applicet, quæ olim contigerunt aliis alterius conditionis ordinisque.« (a) Unde concludit in sectione præfati Epitaphii frustra laborasse Generalem Silvium, cum socio Provinciali Neapolitano Provana: Quia Boppardiensis Conventus Prioratui Benedictinorum Monachorum vel Secularium Clericorum FORSAN DEBET ORIGINEM PRIMAM.

Non solùm hoc occurrit in argumentatione Papebrochii indicium debilitatis: Verùm etiam alterum topographicum excidit erratum de situ Boppardiæ. Nam *Propylæi par.* 2. *cap.* 3. *num.* 23. & 59. Scribit: » Est Boppardia oppidum modicum ad Rhenum, in » eoque Monasterium Carmelitarum; & in Mona- » sterii Claustro sepulchralis lapis, anni M. CXIII. » inscriptus numero.... Suspicari autem tantisper » licebit, Prioratum ibi primò Regularem Benedicti- » norum Monachorum, deinde secularem fuisse Cle- » ricorum; quibus dilapsis successerint Carmelitæ, » postquam hi Metis Trevirisque suos jam Conven- » tus constitutos habebant. Horum si quidem mutuæ » inter se communicationi opportuna omninò Bop- » pardia erat, via utrimque ferè media.

Boppardia quidem sita est ad Rhenum: sed non via est ferè media inter Treviros & Metas; nam è contrà Treviris est via fere media inter Boppardiam & Metas. Quo de errore admonitus ab Editore Armamentarii Carmelitici, *toma* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1024. *col.* 2. *num.* 3759. Papebrochius respondit in Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum, *pag. LXVI. col* 1. *num.* 261.

» Ex Boppardiensi prope Rhenum Epitaphio, quà » scripto, quà sculpto, nihil hactenus extundi po- » tuit, quod probaret Carmelitam esse, qui sub eo olim sepultus fuit: sed nec ex ulla Boppardiensium » antiqua scriptura verificari, quod fuerit ibi Con- » ventus hujus Ordinis anno M. CCXX. Id est multo » prius, quem ille Metis Trevirisque (in Lotha- » ringia, & in Saxonia Francofurti atque Moguntiæ) » suos instituisset Conventus, quorum mutuæ interse » communicationi opportuna Boppardia erat.

» Ita scripseram 2. *parte Propylæi*, *num.* 29. » SED SOCORS TYPOTHETA, & non satis » attentus inter urgentissimas tunc occupationes ocu- » lus meus, nonnisi à puero simul legente adjutus, » inobservatum dimisere defectum, quem hic ap- » positis signis ( ) suppleo, quique nonnullos » haud immerito conturbavit, verba (ut videbatur) » clara legentes, nec tamen valentes credere, quod » ego qui per Rhenum navigans Boppardiæ fui, & » cum Boppardiensi Priore sæpè egeram: tum ipse » per litteras immediatè tum mediatè per nostros Pa- » tres Confluentini Collegii non multùm remoti à » Boppardia sæpè egeram, adeo fuerim HEBES; » ut oppidulum istud collocarem Treviros inter ac » Metas, Mosellæ adsitas civitates. *Vid. infer.* HENRICUS DE MONTE THABOR.

(a) Hist. Chronolog. Patriarch. Hierosolymit. *pag.* 66. *col.* 1. *num.* 260.

LXXVIII.

DOMINICUS ROTA, natione Italus, ex honestâ familiâ GALEATIUM ROTA, & MARIAM CENTI parentes habuit. *Bononiæ* natus currente anno 1575. habitum Carmelitanum induit ad diem 29. Julii 1586. in patriæ Conventu, cui S. *Martinus major* est titulus: ibique professionem emisit die 7. Martii, anno 1591. Postquam verò literis operam dedit, Magister institutus est, & Doctoralem lauream suscepit in patriâ, die 10. Februarii, anno 1612. atque Collegio Academico Theologorum aggregatus est.

Conventus aliquot suæ Congregationis Mantuanæ, & nominatim illum patriæ rexit Prior: indè Romæ Procurator Generalis; ac tandem sub anno 1625. per literas URBANI VIII. assumptus est in Vicarium Generalem ejusdem Congregationis Mantuanæ. Absolutâ Præfecturâ Monasticâ, electus est Episcopus *Sidoniensis* titularis, die 21. Augusti 1628. Nondum vero absolvit biennium in nova dignitate, cum ad diem 14. Maii 1630. Romæ obierit: sepultus cum Fratribus suis, in templo *S. Chrysogoni* de Urbe. Scripsit:

1. *Orationem de S. Alberto Drepanensi*, *Ordinis Carmelitarum Confessore*, anno 1596. habitam.

Hunc Dominicum Rota celebrant P. Thomas Saracenus in *Menologio Carmelitica*, *pag.* 353. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 85. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 920. *num.* 3207. Carolus Vaghus in suis *Commentariis*, *pag.* 160. & 161.

LXXIX.

DOMINICUS A S. TERESIA, Hispanus, ex oppido *la Alberca* propè *Batuecas*, in Castella Veteri natus, Carmelita Discalceatus, vix quinquagenarius, jam cathedrâ, jam Prælaturâ dignus: totus in officio, totus in scribendo, ut nec officium calamo, nec calamus officio obesset. Jam Definitor Generalis, in virtute, in omni disciplinarum genere admirandus, Philosophus & Theologus suprà quàm credibile sit eruditissimus: Curiæ Matritensis proceribus expeditus, à Regio Confessario Martinez de Prado suæ ætatis eximio Theologo, in rebus arduis pluries consultus. Obiit anno 1654. ætatis vero 1654. Author est duorum Voluminum Cursûs Salmanticensis:

1. *Est de Ultimo fine*, *de Beatitudine*, *de voluntario & involuntario*; *de Bonitate & malitia Actuum humanorum.*

D.

2. *De Peccatis* : Salmanticæ, 1647. *in-folio.*

Hunc Dominicum celebrant Petrus de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptionis*. Idem in *Nodo indissolubili*, *pag.* 741. Andreas Mendus S. J. in *Statera opinionum benignarum in Controversiis Moralibus*, *Dissertat.* 13. *Miscellanea*, *Quæst.* 1. §. 2. Nicolaus Antonius in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 2. *pag.* 321. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 82. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1128. *num.* 3962. Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 138.

LXXX.

DOMINICUS A SS. TRINITATE, natione Gallus, *Niverni* natus est die 4. Augusti, anno 1616. patrem habuit *Ludovicum Tandy*, Ducatûs Nivernensis Procuratorem Generalem, matrem verò *Barbaram Trapes*. Adolescens eximiæ indolis, felicissimique ingenii, Parisiis, inter Carmelitas Discalceatos adscribi voluit, à parentibus, supremi Senatûs decreto, ab illis ad tempus avulsus, constanter in eodem proposito perseveravit, & habitum religiosum induit anno 1633. die 12. Junii, & professionem emisit mense Augusti 1634. Emensis Philosophicis ac Theologicis studiis, in Seminarium *S. Pancratii* postea dictum, Romanum, sed tunc S. Mariæ de Victoria, missus, Theologiæ Polemicæ strenuam navavit operam; mox ad Melitense Collegium, ut Prælectoris fungeretur officio se conferens, Inquisitoris munere insignitus est.

Romam revocatus, in eodem Missionum Seminario, ad legendas & docendas controversias commoratus est. Ad publica etiam congregationis officia, tum sapientiâ, tum consiliis, tum prudentiâ totam religionem illustravit. Pluries Definitor, ac tandem Præpositus generalis anno 1659. electus. Tantâ regendi dexteritate ea sustinuit opera, ut sui completo regiminis triennio, pontificiâ dispensatione, iterum anno 1662. ad eamdem dignitatem promotus fuerit. *Alexandro VIII.* charus, *Clementi X.* etiam acceptissimus fuit; à quo inter Romanæ Inquisitionis Qualificatores adscriptus. Pietate, doctrinâ & eruditione celebris, ulcere in pede contracto, podagræ, chiragræ, ac calculi dolores acerrimos sustinuit, quibus tandem oppressus & purgatus, obiit die 7. Aprilis, anno 1687.

Primum opus, quod edidit Romæ 1650. fuit, *Tractatus Polemicus de Anno Jubilæi*, in-4°. qui tredecim controversiis, in sua capita divisis, agit de ejus nomine, ethimologiâ, naturâ, necessitate, origine, antiquitate, ceremoniis, ac ritibus, effectibus, Ecclesiæ thesauro, & aliis, quæ ad hanc materiam spectant.

Alterum Opus & præcipuum, jure merito inscriptum sic habetur septem tomis editum:

Bibliotheca Theologica septem Libris destinata, in qua exacto ordine reponuntur cuncta ad completam sacræ Doctrinæ, vel Theologiæ notitiam spectantia, tam secundùm se, quàm secundum diversa ejus munera, deducendi conclusiones beneficio artis syllogisticæ, undè scholastica vel argumentativa: ordinandi & explicandi locos theologicos, undè positiva sive thetica & fundamentalis: defendendi sua principia adversùs omnia Infidelium genera, undè Polemica: disponendi suas materias, undè methodica: utendi metaphoris, undè symbolica: provocandi vel dirigendi affectum Deum, undè mystica.

Tomus primus Romæ prodiit anno 1665. *in-folio*, ut cæteri omnes; paginas 308. continens præter præfationem & indices. *Secundus Tomus*, anno 1667. *pag.* 545. *Tertius Tomus*, anno 1668. *pag.* 742. *Tomus quartus* eodem anno, *pag.* 583. *Tomus quintus*, anno 1671. in duo volumina sectus, cujus *Pars prima* continet paginas 786. *Pars secunda*, anno 1633. continetur paginis 1186. *Tomus sextus*, anno 1676. editus habet solummodo paginas 72. *Tomus septimus* eodem anno 1676. editus, continet paginas 874. totus in exponenda Theologia symbolica & mystica.

Dominicum à SS. Trinitate commendant Joannes-Thomas de Rocaberti, Archiepiscopus Valentinus in Hispania, *tomo decimo Bibliothecæ Pontificiæ*, *pag.* 223. *& seqq.* Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 82. Ludovicus à S. Teresia *Lib. II. Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ cap.* 112. *pag.* 594. Ibid. *cap.* 148. *pag.* 716. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1128. *num.* 3963. Auctor *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 138. 143.

LXXXI.

DONATIANUS A S. NICOLAO, Armoricus, in seculo dictus BASTARD, Carmelita, Provinciæ Turoniæ alumnus, Observantiam Rhedonensem professus est *Rhedonis* anno 1634. die 22. Februarii, vitæ mysticæ spiritum plurimis insudit tyronibus, præcipuè Novitiorum directioni applicatus, vivendi finem fecit in solitudine Fontis Bellaquensis, anno 1683. die 26. Julii, postquam edidisset:

1. *Vitam venerab. Fratris Joannis à S. Samsone, Ordinis Carmelitarum Laici*. Gallicè. Parisiis, apud Dionysium Thierry anno 1650.

2. *Opera* ejusdem Fr. *Samsonis*, ab ipso relicta, ex Manuscriptis magno labore digesta, quibus & præfigitur *Compendium vitæ illius*. Gallicè. Rhedonis apud Petrum Compard, duobus tomis *in-folio*, quorum primus anno 1658. editus est, & secundus anno 1650.

3. *Vitam venerab. P. Dominici à S. Alberto Carmelitæ*, præfixam exercitationi spirituali ejusdem Dominici. Latine. Parisiis 1650. *in*-12. &c.

Donatianum à S. Nicolao celebrant Hugo à S. Francisco in vita venerab. P. *Philippi Theobaldi*, *cap.* 51. *p.* 366. Ludovicus à S. Teresia *Lib. I. Annalium Carmelit. Excalceat. Galliæ cap.* 30. *pag.* 91. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 82. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1090. *num.* 3844. Jacobus Lelong in *Bibliotheca historica Galliæ*, *pag.* 277. *num.* 5957. ubi eum vocat *Donatum*. Columbanus à Nostra-Domina de Monte-Carmelo in *Encomio brevi Carmelitarum illustrium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 27.

LXXXII.

DOROTHEUS A S. RENATO, in seculo HENRY nuncupatus, natione Armoricus, patriâ Rhedonensis, Carmelita Provinciæ Turoniæ, *Rhedonis* anno 1635. die 1. Maii professus: vir solitudinis & literarum amator, quem hilari vultu & colloquio jucundo donatum sæpius conspeximus juvenes senem, & suæ Provinciæ Decanum, obiit *Parisiis* in Conventu SS. Sacramenti, anno salutis humanæ reparatæ 1703. die 18. Februarii, ætatis suæ 83. Scripsit Gallico sermone duo opera:

1. *Commentarium Theologicum, Historicum & Morale in Libros Regum & in Apocalypsim: in quo SS. Eliæ & Elisæi Prophetarum magnitudines deteguntur.* Parisiis, apud Joannem Julien 1655. *in-fol.* apud Roger, Typographum Parisiensem.

2. Inscribitur aliud opus Gallicè: *Deliciæ vitæ spiritualis, seu expositio Psalmorum* 106. *cum multis digressionibus*, *tom.* 4. Parisiis 1679.

D.

Dorotheum à S. Renato commendant Jacobus Lelong in *Bibliotheca Sacra*, *pag.* 705. *col.* 2.

Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 143. verum hi ambo Scriptores Carmelitis Excalceatis non rectè annumerant. Franciscus Bonæ Spei in *visione Eliæ Prophetæ*. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 85. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 323. *num* 1518. Ibidem *tomo* 2. *pag.* 1090. *num.* 3334. Columbanus à Nostra-Domina de Monte-Carmelo in *Encomio brevi Ms. Carmelitarum illustrium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 30.

LXXXIII.

DOSITHEUS A S. ALEXIO, in seculo dictus GUILLELMUS BRIARD, natione Gallus, Parisiis die 11. Novembris, anno 1687. professionem emisit in eadem civitate inter Carmelitas Excalceatos die 30. Januarii 1707. Philosophiæ ac Theologiæ Lector, edidit:

Vitam S. Joannis à Cruce. Gallicè, *duobus tomis in-4°.* Parisiis, 1727.

LXXXIV.

DOSITHEUS AB ANGELIS, in seculo JOANNES-BAPTISTA BOZZUS dictus, in oppido ditionis Mediolanensis, *Castellum* suprà *Ticinum* nuncupato, *à Francisco* atque *Felice Cardana* parentibus, natales habuit die 17. Octobris 1618. pietati editus, religionem Carmelitarum Excalceatorum ingressus est anno 1636. die undecimâ Martii. Lectoris munus plures per annos exercuit, itemque Concionator egregius evasit pluribus in Italiæ civitatibus, præcipuè *Patavii*. Episcopo ipsius urbis; scilicet sapientissimo & eminentissimo Cardinali *Gregorio Barbarigo*, summopere carus fuit. Provinciam Venetam præclarà cum laude gubernavit. Penes Nepotem suum *Franciscum Bozzum*, hæc ejus Opera servantur:

1. *Funiculus triplex Mysticis Canticis Canticorum sensibus, Allegorico, Anagogico, & Morali intertextus.* Volum. 4. *in-4°.* Ms.

2. *Amoris prodigia congesta in Cantico Canticorum triplici sensu, Allegorico, Anagogico, & Morali exhibita*, Vol. 1. *in-folio* Ms.

3. *Renovatæ urbis & Templi, cujus ideam inspexit Ezechiel, literalis, Allegorica, & Moralis Descriptio.* Volum. 1. *in-folia* Ms.

4. *In Apocalypsim Commentaria.* Volum. 1. *in-folio* Ms. apud Auctorem.

5. *Santa Teresa coronata, con gli Essempi di virtu de suoi figli.* Venetiis, 1584. *in-4°.* Cujus unius & solius operis meminit Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 143.

Dosithei ab Angelis mentionem insuper habuerunt Lazarus-Augustinus Cotta in *Musæo Novariensi*, *pag.* 104. & Philippus Arlegatus in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 221. *num.* 320. Philippus Picinellus in *Athenæo virorum literatorum Mediolanensium*, ubi *Dositheus Buzi* vocatur; & ex Picinello idem nomen *Dositheo nostro Bozzo* indiderunt Jacobus Lelong in *Bibliotheca Sacra pag.* 660. *col.* 1. *B.* & Martialis à S. Joanne-Baptista in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 143. & *Dositheum Buzi* distinguit à *Dositheo de Angelis*: verùm Opera à nobis relata eumdem Carmelitam designant.

E.

I.

EASTUS, natione Græcus, Eremita Montis-Carmeli, linguarum Græcarum & Latinarum peritissimus, non vulgari præditus eruditione, & singulari pietate celebris: è Syria in Siciliam transfretatus, e Græco idiomate in Latinum vertit circa annum 1195.

S. CYRILLI Carmelitæ, qui posteà Prior tertius Ordinis fuit Generalis, *Oraculum*, quod paolò post Joachim Abbas Florensis in Apulia, illustravit commentariis; & anno 1663. Philippus à SS. Trinitate notis ditavit, quæ Lugduni prodierunt *in*-8°. sicuti dictum fuit superiori pagina 359.

Easti laudes dicunt Joachim Abbas citatus, in *Epistola ad Cyrillum* Presbyterum in Monte-Carmelo commorantem; ubi vocat eum *fidelem ac devotum Interpretem*. Josias Simlerus, in *Epitome Gesneriana*: Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 494. Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1195. *num* 3. *pag.* 127. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 254. ubi eum nuncupat ECASTUM. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 83. Daniel à Virgine Maria, *toma* 2. *Speculi Carmeli*, *pag.* 292. *num.* 1076.

II.

EBERHARDUS BILLICUS, vulgò EVERARD BILCK, Carmelita Coloniensis, sacræ Theologiæ Doctor, Alemaniæ inferioris Prior Provincialis: à Carolo V. Imperatore in diversis Colloquiis & Comitiis in Germania contra Hæreticos institutis & habitis, Disputator Theologus specialiter deputatus, nec-non apud sacram ejusdem Cæsaream Majestatem Cleri & Universitatis Coloniensis destinatus Orator: ad sacrum Concilium Tridentinum tum ab Ordinis sui Priore Generali Nicolao Audetho electus, ab Illustriss. & Reverendissimo S. Romani Imperii Principe Electore Adolpho, ex Comitibus de Schawenberg, Archiepiscopo Coloniensi, assumptus & missus Theologus; & tandem ab Antonio præfati Adolphi Archiepiscopi germano fratre, & in Archiepiscopali dignitate successore denominatus suffraganeus Coloniensis, & Episcopus Cyrenensis Romæ pronunciatus, invitus tamen & reluctans; sed vigesimo ante consecrationem die, obiit anno 1557. die 11. Januarii, Coloniæ Ubiorum, non verò Tridenti, anno 1552. die 13. Januarii. Sepultus est apud suos Carmelitas, sub tumba marmorea, docto & artificioso Epitaphio decorata isto:

D. O. M.

EVERARDUS BILLICUS,

Episcopus Cyrenensis,

Postquam, ut erat præcellentis

Lectissimique ingenii

Accerrimique judicii

Differenda, concionando,

Commentando quamplurima;

atque egregia præstitisset:

In Wormatiano Colloquio An. 1540.

Et in Ratisponensi Congressu An. 1541.

In Trident. Concil. An. 1546.

A Cæsare R. I. Carolo V. coactis,

Orthodoxorum Religionem

Mirificè tutatus esset:

Postquam legationes varias

Cleri, Universitatisque Coloniensis

Nomine obiisset:

Postquam Allemanicam Provinciam

Ordinis Carmelitani

Annos XV. moderatus esset:

Tandem eo quo fuerat anno

Ab Ill. D. ANTONIO SCAWENBURGICO

Principe, Suffraganeus constitutus,

Animam Deo reddidit

Anno M. DLVII. die XI. Januarii.

Scripsit:

1. *Defensionem Judicii Universitatis & Collegii ac Cleri Coloniensis, adversùs calumnias Philippi Melancthonis, Martini, Buceri, Olendorpii*, & aliorum *Assectarum*. Coloniæ 1645. Item Parisiis, apud Carolum Guillard 1545. *in*-8°. Iterum Coloniæ 1549. *in*-4°.

2. *De Dissidiis Ecclesiæ componendis*. Coloniæ, apud Gasparum Gennepæum 1557. & 1560. *in*-8°.

3. *Orationem de Circumcisione Domini* habitam in Concilio Tridentino anno 1552. & editam tum Lovanii 1567. *in-folio*, *pag.* 82. tum in Collectione Labbeana Conciliorum, *tom.* 14. *pag.* 1088.

4. *De Lutheranorum fuga Epistolam ad Cives Colonienses*, editam apud Roverum Pontanum *Lib. IV. rerum memorabilium*, *anno* 1546.

5. *Carmina acrostica in sacram Scripturam* quæ leguntur in Claustro Carmelitarum Coloniensium, & quæ asservabat quondam *Manuscripta* P. Damasus a S. Ludovico, Neustrius Carmelita, cujus mentio facta est *superiori pag.* 370.

EBIRARDI BILLICKII laudes & gesta celebrant Gasparus Gennepæus Typographus, in *ejus vita* Coloniæ edita. Idem Gennepæus, in *Epistola ad Joannem Gebhardum*, Coloniensem Archiepiscopum, quæ *præfigitur quinque Libris Roveri Pontani Carmelitæ, de rebus memorabilibus*. Ipse Roverus Pontanus, *Lib. IV. Rerum memorabilium anno* 1546. & *Libro V. anno* 1557. Jacobus-Augustus Thuanus, *Libro II. Historiarum sui temporis, anno* 1546. Ibidem, *Lib. II. anno* 1552. Ægidius Gelenius, *de Colonia Agrippina Lib. III.* Syn-

tagmat. 43. §. 3. Erhardus Winchim Cartusianus, *in Sacrorio Coloniensi*, *pag.* 196. Hentieus Pentaleo, *de Viris Illustribus Germaniæ*, *parte* 3. Cornelius Callidius, in *Catalogo illustrium Germaniæ Scriptorum.* Alphonsus Salmeron, *tomo* 13. *Operum.* Henricus Spondanus, *anno* 1556. *num.* 8. *in suis Annal.* Laurentius Surius Cartusianus, *in Commentariis rerum in Orbe gestarum : Joannes Schmidius*, Norimbergensis, *in Diario historico.* Joannes-Franciscus Foppens, *in Bibliotheca Belgica*, *pag.* 279.

E Carmelitis, præter Roverum Pontanum jam citatum, Petrus Lucius, *in Carmelitana Biblioth. fol.* 27. *verso.* Antonius Alegreus, *in Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 402. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1196. *pag.* 143. Ludovicus Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 38. Daniel à Virgine Maria, *in Vinea Carmeli*, *pag.* 511. *num.* 915. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 920. *num.* 3210. Ibidem, *pag.* 958. *num.* 3374. Ibidem, *pag.* 1096. *num.* 3876. &c.

I I I.

EBERHARDUS MAYNARDUS, aliàs DE ODENDORUP, natione Germanus, patriâ Moguntinus, Carmelita, Doctor Theologus, Concionator celebris in Capitulo Generali ad Conventum Sylvarum in Thuscia celebrato, anno 1399. Definitor Provinciæ Allemaniæ inferioris, quem ad annum 1403. floruisse aiunt. Scripsit :

1. *De triplici Vita* Lib. I.
2. *Sermones de Tempore.*
3. *Sermones post Trinitatem* Lib. I.
4. *Sermones per Adventum* Lib. I.
5. *Sermones Quadragesimales* Lib. I.

Hæc memorantur apud Josiam Simlerum, *in Epitome Gesneriana*, Possevinum, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 445. Cyrillum Pennect, *in Gymnasio Carmelitico ad annum* 1400. Alegreum Cassanatum, *in Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 324. Lezanam, *ad annum* 1403. *num.* 3. *pag.* 757. Danielem à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1096. *num.* 3877. Ludovicum Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 84.

I V.

EBERHARDUS TEUTONICUS, Ordinis Carmelitarum Doctor Theologus ac Professor, scripsit circà annum 1612. *Quodlibetorum Librum unum* ; teste Michaële à Fonte, Carmelita Hispano, in suo Compendio historico Ordinis Carmelitici ; ut animadvertit Ludovicus Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 84.

V.

EDMUNDUS MATHEROT, Burgundus, Carmelita Semuriensis apud Mandubios, Doctor Theologus Parisiensis, in Collegio Maubertino, sicut & in Conventibus Cabilonensi atque Semuriensi Prior, deindè Provinciæ Narbonæ Præfectus, Cabilone ad Ararim anno 1586. electus; Gilberto Genebrardo charus & familiaris, Concionator facundus, ingenio acri pollens, prudentiâ sagax, ideoque istâ sententiâ utens, *matura lentè.* Forti generosâque animi magnitudine suum Conventum & totum Mimatensem ab universali liberavit strage. Cùm enim Dominus FAUSSUSE, Gubernator hujus Civitatis & Arcis, atque Gabalorum Seneschallus magnus, horrendum concepisset consilium de Primoribus Civibus secretò necandis per noctem, quingentos ideò viros bugonotos adduxit, Militum stationes exubiasque quibusvis vicis apposuit & biviis, cum morte etiam intentata iis hominibus, ad donum Gubernatoris accessuris. Noster tamen MATHEROT, qui in Ecclesia Cathedrali tum *Mimati* Adventûs tempore concionabatur, de Gubernatoris deliberatione statuta certior factus per quemdam ejus intimum, consiliorum participem, superatis cunctis obicibus, comite R. P. Guillelmo Portallier Carmelitâ, profundâ & tardâ nocte vias tentat, stationes Militum transit, & ad ædem atque cubiculum Præfecti accedit mirè stupefacti : ad visum & præsentiam Edmundi, quem hac horâ haud expectabat. EDMUNDUS autem adeò validis & piis verbis Gubernatorem aggressus est, ut lacrymas oculorum, cordis compunctionem, ab eo acceperit, Militum elongationem, & Urbis liberationem, quæ ceu miraculum etiamnum ab omnibus narratur. Decessit MATHEROT Flaviniani, apud Mandubios, anno Christi 1608. Dominicâ primâ Quadragesimæ. Posteà ejus cadaver Semurim delatum, ac sepultum in Ecclesia Ordinis sui, postquam ædificasset :

1. *Supplementum Officii Ecclesiastici sacri Ordinis Fratrum Carmelitarum ; omnia Responsoria, Versus, Antiphonas, & Officia propria notata complectens, quæ Breviario ejusdem Ordinis nuper restituto adjecta sunt.* Parisiis, apud Guillelmum de Marnef, & Viduam Guillelmi Cavellar, 1589. *in*-4°.
2. *Processionale antiquum Ordinis Carmelitarum* correxit & auxit.
3. *Formularium Hymnorum & Responsoriorum brevium* ordinavit.
4. *In Joëlem Prophetam Sermones per Adventum.* Qui *Mss.* asservantur *Semuri*, in Bibliotheca Carmelitarum, *in*-4°. hos a se visos in Majori Conventu Parisiensi Maubertino apud R. P. Hugonem Semuræum testatur Cyrillus Penneɛt, in suo *Gymnasio Carmelitico.*
5. *Annotationem in septem Psalmos Pœnitentiales Mss.* Incipit : *inter centum & quinquaginta Psalmos*, &c. Quondam asservabatur Semuri, & Claromonte Arvernorum, in Bibliotheca Carmelitarum antiquioris regularis Observentiæ, *in*-4°.

De EDMUNDO MATHEROT testimonia perhibent Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *folio* 29. *verso.* Josephus Falconius, in *Chronico Carmelitico.* Emmanuel Roman, *de Viris illustribus Ordinis Carmelitarum.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 446. Ludovicus Jacob, in *Descriptione Provinciæ Narbonæ*, *cap.* 4. Idem, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 84. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1090. *num.* 3835.

V I.

EDWARDUS DONLEIUS, seu DINLAIUS, aliàs DINLEJUS, nobilibus in Anglia natus parentibus, *Novo-castro* Diœcesis Dunelmensis, Carmelita : vir bonarum literarum amantissimus, in quibus etiam operam non inutilem collocavit : & quia naturâ eloquens & facundus, adjunctâ ad illam propensionem industriâ, maximè circà Rhetorices flores, & elegantiam Linguæ latinæ, Concionator evasit insignis, atque eò magis celebris, quò eum suo Provinciali NICOLAO KENTONO ad Monasteriorum visitationem adhibitus in diversis locis, suum talentum pluribus notum fecerit circà annum 1450. quædam non ineruditè scripsisse dicitur: ex quibus ferunt aliquandò fuisse *Londini*,

E.

vel impressum, vel manuscriptum idiomate Latino, *Sermonum viginti-quatuor Librum unum.*

De illo hæc scribebat Joannes Pitsæus, *pag.* 642. in Libro de *Scriptoribus Angliæ*: posteà Joannes Balæus, *cent. XII.* Ibidem *cap.* 70. Josias Simlerus, in *Epitome Gesneriana.* Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 2. *pag.* 253. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 250. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad annum* 1458. *num.* 4. *pag.* 874. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 85. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 114. *num.* 3943.

VII.

EGHEBERTHUS, natione SCOTUS, Religionem Carmelitanam amplexus in Galliis, postquàm totum fermè Orientem lustrasset, linguasque Orientales probè didicisset, in Scotiam reversus circà annum 1624. ALBINI Brechinensis Episcopi factus est Suffraganeus, & precibus industriàque apud hunc Antistitem & alios proceres egit, ut anno 1628. Carmelitæ Monasterium fundaverint *Brechinii*, quod urbs est Scotiæ in Angusia Provincia, Episcopalis sub Archiepiscopo Andreapolitano. Quam quidem fundationem Thomas Dempsterus, in suo *Menologio Scotico* scribit factam fuisse à MALCOLMO DE KARRESTOUM, Barone ex ipsa clarissima familia Dempsterorum. Quo anno ultimum persolverit idem Egbertus, incompertum est: constat eum scripsisse

Contrà Alcoranum, Lib. I.

Id testatur præfatus Thomas Dempsterus, in *Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum*, *Lib. V. pag.* 254. Quem secutus est Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 83. Ludovicus Perez de Castro, in *Collectaneis Mss. de Rebus Carmelitanis*, *codice* 5. *folio verso* 209. Hæc Collectanea Mss. servantur Romæ in Archivis Carmelitarum Monasterii Transpontini.

VIII.

ELEAZARUS A S. DELPHINA, Arausicanus, Carmelita Discalceatus, Provinciæ Avenionensis alumnus, ex Italico idiomate in Gallicum sermonem transtulit *vitam* venerab. Sororis MARGARITÆ AB INCARNATIONE, Monialis Monasterii Parmensis, in seculo nuncupata Serenissima Princeps, CATHARINA FARNESIA, editam per R. Patrem *Maximum à Purificatione*, qui erat ei à Confessionibus. Versio autem Gallica prodiit Avenione, anno 1694. *in*-4°. prout legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 146.

IX.

ELEONORA A S. BERNARDO, die 24. Martii, anno 1579. in Provincia Leodiensi nata, patrem habuit JOANNEM-MARIAM CORBARIUM, Genuensem: matrem verò ELEONORAM DE BAVARIA. Genuam reducta, ac in avorum maternorum domo D. CAROLI DE BAVIERE, & D. BLANCHÆ LOTONÆ enutritur. Prima & ultima quæ protulit verba, fuerunt hæc dulcissima: *Jesus Maria.* Octavo ætatis anno, Matritum à parentibus ducta, Teresiano habitu *Leuchis*, induta est die 20. Septembris 1595. Emisit professionem die 4. Octobris 1598. Ad fundationes gallicanas destinata, *Abulam* primà pervenit, *Parisios* vero cum aliis quinque Monialibus anno 1603. ubi & mediante S. DIONYSIO, tam expeditè locuta est Gallicè, ac si in eo Regno nata, aut nutrita fuisset. In Belgium pergens posteà, *Bruxellas* petiit, & ibi Noviiis præposita decem mensium spatio, ad fundationes *Lovaniensem*, *Montensem*, ac *Mechliniensem* mittitur. *Montensis* Prior à quinque Honorariis Archiducissæ Puellis petitur, ut Monasterio *Gandavensi* ab illis procurato & quasi fundato præficeretur anno 1622. Plurimis tandem infirmitatibus probata per viginti annos, ad cœlestem patriam evolavit die 12. Aprilis, anno 1659. Scripsit tamquam testis oculata,

Vitam Venerab. Matr. ANNÆ A S. BARTHOLOMÆO; de qua *superiùs pag.* 150. consule verbo LEONARA A S. BERNARDO, & Philipp. à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, 3. *parte*, *pag.* 118. nec-non *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 146.

X.

ELIAS DE AMATO, gente Calaber, patriâ Montaltinus, inter Carmelitas Doctor & Theologiæ sacræ Magister, pluries Professor & studiorum Præfectus: in celebrioribus Italiæ Rostris Declamator Ecclesiastes; semel & iterùm suæ Provinciæ Provincialis, Visitator, Commissarius & Definitor Generalis, & Capituli Generalis Secretarius, in Cathedralibus Consentiæ, Cariathensis & Marcopolitanæ urbibus Examinator Synodalis: Eminent. Principis ALEXANDRI Cardinalis ALBANI Theologus & familiaris; nec-non Academiæ *Incultorum* urbis, & *Coloniarum* perpetuus Princeps, sive Archiagricola, nomine *Tirinaeo*, obiit in patrio Cœnobio anno 1748. mense Augusti. Sequentia suæ doctrinæ monumenta reliquit, quorum alia edita, alia Manuscripta in Conventu Carmelitarum Montaltino asservantur.

OPERA EDITA.

Novi Orbis Geographia pro virginali Epistola, Panegyris ad gloriam Messanæ urbis, Etrusco idiomate; Messanæ, Typis Costæ. Anno 1715.

2. *Pantopologia Calabra*, Latine. *tom.* 1. *in*-4°. Typis Neapolitanis, apud Moscam 1725.

3. *Parentalia in obitu Principissæ ser. AGATHÆ; Dom. Jobii Datilli, de Marchion S. Catharinæ; Dom. Talminii, & Isidori Pace Ordinis Minimor. Lectoris Jubilati, Provincialis & Generalis Commissarii.* Typis Neapolis, apud Stephanum Abate 1724.

4. *Panegyres in Sanctorum laudes.* Neapoli, 1712. *in*-12. idiomate Etrusco, apud Severinum, *tom.* 2.

5. *Epistolæ eruditæ Ecclesiastico-Civiles, Academico-Criticæ. tom.* 2. *in*-4°. Parte prima & secunda, Typis Genuensibus, apud Heredes Cella, anno 1713. & 1715. Etrusco idiomate.

6. *Congressus Academici super historicum disceptabile Bibliorum. tom.* 6. *in*-8°. Venetiis, Typis Joannis Radici 1720. Etrusco idiomate: cum epistolis eruditis soprà memoratis, Gallico idiomate editis, in collectione Caloger. 1716. etiam prodierunt.

7. *Orationes Panegyricæ pro exaltatione ad Cardinalatum Eminentiss. Finis, & Josephi Ferrarii*, * *de Principibus S. Agathæ.* Neapoli, apud Severinum 1731.

8. *Terraqueus Orbis*, *&c. in*-4°. Typis Neapolit. *tom.* 1. apud Mutium 1728. Etrusco idiomate.

9. *Musæum Literarium*, *in*-4°. *tom.* 1. Neapoli, 1730. apud Mutium.

10. *Epistolæ Polemicæ*, *&c.* Lucæ, apud Ciuffetum 1739.

11. *Epistolæ Apologeticæ duæ* Etrusco idiomate: quarum prima *in Difesa de Due Pultiver per vario*

* Ferraro, *de quo Supplem. Dictionar. Morari* 1735. *tom.* 1. *pag.* 462. *col.* 2.

E.

Regioni del Mundo nuovo, fia' ora non conosciuto della Geographia. Secunda in *Difesa di Cleandro contra Filocamo, ché nel Mundo Litterario, vi fossero frà scritori piu Plagiari, ché Arrichivino zero libri colli fatiché altrui.* Venetiis, apud Chrysostomum Zane, 1738. *in-4°.*

12. *Animadversiones Historico-Dogmaticæ, Chronologico-Criticæ, super aliquot Acta, & Canones Conciliorum Ecclesiæ; atque super nonnulla Historicorum scriptorum monimenta strictim concinnata.* Latinè. *tom.* 2. *in-4°.* Venetiis, apud eumdem Typographum Chrysostomum Zane, 1739.

13. *Iter per phantasticum Orbem Philosophicum*, tomo 1. Etrusco idiomate. Venetiis, apud Heredes Redici, anno 1745. *in-4°.*

14. *Philosophia rerum exotica*, tom. 2. *in-4°.* Lucæ, apud Ciufferum, 1747.

Opera Manuscripta.

1. *Eliadam Apparatus*, &c. tom. 5. *in-folio.* Latinè.

2. *Idographia Simbolica nella morale traslata*, tom. 1. Italicè *in-4°.*

3. *Thearemata Biblica super selectiora sacræ Scripturæ dubia*, tom. 2. *in-4°.* Latinè.

4. *Secoli Christiani*, tom. 2. *in-4°.* Etrusco idiomate.

5. *Theatrum Symbolicum de naturæ mirabilibus in Religiosorum documenta distributum*, tom. 4. Latinè *in-4°.*

6. *Galleria Istorica nella morale traslata*, tom. 5. *in-4°.* Etrusco idiomate.

7. *Delle scienze l'imagine*: seu scientiarum Icones, *tom.* 2. *in-12.* Etruscè.

8. *Rapporti de Viaggi*, &c. *tom.* 2. *in-12.* Etrusco idiomate.

9. *Pallas gloriosa in eruditis viris, qui à Mundi exordio usque ad nostram ætatem vixere. tom.* 4. *in-12.* Etrusco idiomate.

10. *Samus Sibylla aureus*: sive *dilucidam ad eloquentiæ clypeister*, tom. 4. *in-4°.* Latinè.

11. *Instruzioni morali, sopra il Cathechismo*, tom. 1. Etrusco idiomate.

12. *Factum est Jus pro Carmelitis*, &c. tom. 1. *in-4°.* Latinè.

13. *Licæum polemicum, super Dogmata Catholicæ Fidei*, tom. 1. *in-folio.* Latinè.

14. *Epistolæ Orthodoxæ contra omnes Hæreses à principio Mundi ad nostram usque tempestatem exortæ*, tom. 2. *in-4°.* Etrusco idiomate.

Cuncta Opera edita distinctè asservantur in Bibliotheca Carmelitarum Romanæ Beatæ Virginis Mariæ Transpontinæ, Authoris dono, & insuper sparsim commendantur à pluribus eruditis viris, in eorumdem monumentis & Academiis ultrà montes extantibus; præsertim à Calogerana veteri Salentina, Reghiensi & Gallica.

Commendantur etiam plerumque à præclarissimis viris, Ecclesiasticâ & civili dignitate fulgentibus: nimirùm ab Illustriss. & Eminentissimis Cardinali Alexandro Albani; Damiano Palau, Archiepiscopo Reghino, in suis *Dogmaticis Epistolis*: Alexandro Magno, & Cavallerio, Matcopolitanis Præsulibus, in eorum *Literis Synodalibus*: ab Episcopo Thoma Aceti Calabro, in *Annotationibus supra Barrium*: à Ludovico Benzoni, Exgenerali Ordinis Carmelitarum & Elersiensi, aliàs Elearchiensi Episcopo in *partibus Infidelium*: à Josepho-Maria Pertimezzi, Ordinis Minimorum, Ravellensi Episcopo, & Archiepiscopo Bosevensi, *suis in eximiis Operibus*: ab Antonio Zavarroni, Episcopo Tricariensi, in suo *Apologetico de Catholico Rhegio*: à Petro-Antonio Corsignani, olim Episcopo Venusiensi, nunc Sulmonensi, in suo maximo Opere *Regia Marsicana* dicto.

Aliis omissis, recenseri adhuc possunt Ludovicus Muratori, Angelus Zavarroni, Ignatius Guaran, Consciboni, Diar'alleri, Ignatius Comus, Amenta, aliique suis in *Operibus & Tractatibus* conspicuis; & pro coronide, Joannes-Bernardus Gasuri P. N. in *Bibliotheca sua Neapolitana*, & Auctor Supplementi Dictionarii Moreriani Basileæ editi 1743. & 1745. *lit.* D. & E. *pag.* 132. Quæ omnia hactenùs à nobis relata, leguntur in *Schedis Mss.* ab Auctore *Elia de Amato*, Aureliam è Monte Altino ad nos missis anno 1747. quas & anno 1748. benignè auxit, atque grato animo perfecit, paulopost morti in prædam relinquendus.

X I.

ELIAS ASTORINI, Italus Carmelita; Sacræ Theologiæ Magister & Doctor, edidit de *vera Christi Ecclesia Libros tres.* Neapoli, apud N. de Bonis, anno 1700. *pag.* 372. *in-4°.* In Epistola nuncupatoria ad Carolum-Franciscum Spinelli, Principem de Tarsia notat se in Academia Senensi Philosophiam docuisse, favente Serenissimo Magno Duce Tusciæ, atque protegente Principe Gastone Medicæo.

Opera sua literaria in publicum incipit Author mittere, per Apologiam Sanctæ Sedis Apostolicæ. Ex his tribus Apologeticis Libris, primus confert & comparat omnes Ecclesias cùm Ecclesia Catholica, cui singulas veræ Ecclesiæ notas corripere ostendit. Secundus probat Scripturam sacram per manus Protestantium transeuntem, eâ carere auctoritate, quâ pollet in Ecclesia Catholica. Tertius singillatim disceptatos expendit articulos, singulosque ostendit quos Ecclesia Catholica tenet, conformes esse dogmatibus Ecclesiæ primitivæ.

Duos promittit alios Libros Author adjiciendos; quibus impugnatus est. 1°. Quidquid Protestantes objecerunt adversùs Ecclesiæ Catholicæ regimen. 2°. Quidquid protulerunt ad infirmandam, minuendamque Sanctorum Patrum auctoritatem circà materias Fidei. Laudandæ profectò puritas & elegantia styli, eruditioque Operis, ac eruditæ inquisitiones, nec-non nitor atque claritas cum firmitate, pondere, atque soliditate rationum; inquiunt *Ephemerides Trevoltienses, ad mensem Aprilem anni* 1703. *pag.* 603.

X I I.

ELIAS CARNIVALIUS, natione Longobardus, professione Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor: Cremonæ Prior, Commissarius Generalis ac Vicarius Generalis: R. Joanni-Baptistæ Caffardo, Generali ab itineribus & epistolis: Prior antea Cremonæ, dein Provincialis Terræ Sanctæ, posteà Lombardiæ, tandem Vicarius Generalis Provinciarum Neapolitanæ, Apuliæ & Siciliæ. Vir morum probitate, ingenii maturitate, & eruditionis famâ conspicuus, suæque religionis (teste Petro Lucio) egregium decus: scripsit dum fungebatur Secretarii Ordinis officio, circà annum 1593.

Epistolas Latinas & Italicas non inelegantes, *ad varios* sub nomine sui Prioris Generalis. Eum commendant Petrus Lucius Coætaneus, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 30. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico*: Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico Ms. ad annum* 1597. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 85. Daniel

E.

Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmeli, pag.* 1068. *num.* 3704.

X I I I.

ELIAS A CRUCE, natione Picardus, patriâ Ambianensis, Carmelita Discalceatus, Charemonensis professus 1617. die 25. Aprilis: vir religione conspicuus & doctrinâ splendidus: Prior Nanceianus, Nivernensis, & Mussipontanus, moritur Nanceii anno 1637. Feriâ quintâ in Cœna Domini. Scripsit Gallico sermone, in gratiam Monialium Teresianarum Provinciæ Parisiensis omnium Sanctorum,

Exercitia spiritualia diversa, valdè utilia. Extant MSS. Nanceii, apud Carmelitas Excalceatos, teste Ludovico Jacob, in *Bibliotheca sua Carmelitana Mss. pag.* 85. Hujus etiam Eliæ à Cruce mentionem habet Ludovicus à S. Teresia, *Lib. I. Annalium Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, cap.* 42. *pag.* 31. ubi notat illum cum Leone à S. Josepho primum fuisse Charentonensem professum; & *cap.* 68. *pag.* 165. ubi animadvertit illum anno 1631. Priorem esse Mussipontanum incœpisse.

X I V.

ELIAS A JESU, in seculo EDWARDUS BRETSHER, seu BRAOSHAW nuncopatus, ex agro Lancastriensi, natione Anglus, in tenella adhuc ætate, à nobilibus & catholicis parentibus educandus Cassioensibus traditus est Monachis. In studiis adeò profecit, ut deindè Parisiis Philosophiam docuerit. In Belgio, sua inter Carmelitas Excalceatos vota nuncupavit die quarta Julii, anno 1619. Post aliquot annos in Angliam missus, circà annum 1626. continuis ibi & indefessis laboribus pro animarum conversione laboravit, donec in manus Satellitum incidit, qui ad Cantuariensem Archiepiscopum, Ecclesiæ Anglicanæ sequacem duxerunt, & pro Sacerdote Catholico accusarunt.

Facto strictò examine, in carcerem intrusus est, ubi per aliquod tempus mansit, ac non pauca incommoda patienter & constanter sustinuit: sed intercedentibus amicis, & præcipuè Regis Christianissimi Oratore, è custodia liberatus, in Galliam paulòpost appulit, & à suis Sodalibus exceptus, Lectoris munere functus est in Conventu Parisiensi usque ad annum 1632. quò in Angliam juxtà Superiorum mandatum remeavit. Tum rurì habitare elegit, ubi nulli parcebat labori, ut salutem proximorum promoveret: semper pedes ibat, pauperiores Catholicos invisere solebat, quos verbi divini pabulo ac Sacramentis Ecclesiæ reficiebat; multos hæreticos ad fidem catholicam convertit, & ad Dominum post Sacramentorum Ecclesiæ susceptionem, piissimè migravit *Bensfoldiæ*, in agro *Flintoniensi*, anno salutis 1652. die 25. Septembris.

Quando aliqua dabatur requies à suis functionibus Apostolicis, totum tempus in conquirendis Antiquitatibus Angliæ insumebat, & in Bibliothecis investigandis, ex quibus collegit Opus inscriptum:

1. *De antiquis Monachis Insularum Britanniæ, sub primitiva Ecclesia viventibus.* Extat MS. Londini, in Residentia Carmelitarum. Quod vidit & legit ibid. anno 1668. R. P. Ludovicus à S. Teresia, Visitator Generalis.

2. *Anglia Sancta & Catholica: seu Vitæ Sanctorum Britonum veterum & recentiorum Anglorum, atque etiam exterorum, qui olim ad Ecclesiam & nationem Anglicanam spectant*, in sex tomos divisa. Autore D. V. Eduardo Bradshaw de Mauristria, Anglo, Sacræ Theologiæ Candidato, Catholico Romano.

Eliam à Jeso collaudat Lodovicus à S. Teresia, in *Schedis Mss.* die 14. Junii, anno 1669, datis R. P. Ludovico Jacob, qui eas appellat in *sua Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 85. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 148.

X V.

ELIAS A JESU MARIA, cognomento CASANATE, Hispanus natione, patriâ Toriasonensis, Carmelita Excalceatus; vir magnis naturæ & gratiæ dotibus decoratus, sapientiâ, vitæ austeritate, animi candore, & litterarum cognitione præclarus: scripsit circà annum 1590. *Vitam vener. Fratr. Ignatii Baizensis, Carmelitæ Discalceati*, qui sobrinus erat R. P. Thomæ à Jesu, Carmelitæ iidem Excalceati. Quâ quidem vitâ usus est Franciscus à S. Maria, *Lib. III. Historiæ Congregationis Hispanicæ, cap.* 16. ut animadvertit Ludovicus Jacob, in *sua Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 85.

X V I.

ELIAS A S. JOANNE-BAPTISTA; parentibus nobilibus & Hispanis, *Mexici* natus, Institutum Carmelitarum Excalceatorum ibi suscepit, & doctrinæ suæ luce illum recentem Orbem illustravit. Concionator Apostolicus, facundus & fervidus, adeò populorum animos ad Deum allexit, ut veluti Dei Angelus in remedium peccatorum missus, ab omnibus existimaretur; ad superos, vitæ Sanctimoniâ clarus, obiit anno M. DCV. Edidit Mexicanâ Incolarum linguâ:

1. *Catechesim ad Indos.*
2. *Expositionem Bullæ cruciatæ.*
3. *Examen Conscientiæ*: Opus ex interrogationibus & responsionibus compositum, quod Dialogum vocant.

Ita se explicant Alphonsus à Matre Dei, in *Indice illustrium Carmelitarum Excalceat. Hispanorum.* Emmanuel Romans, Lib. de *Scriptoribus Ord. Carmel.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 85. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana, tomo* 1. *pag.* 261. Martialis à S. Joanne Baptista, in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 149. Addens.

X V I I.

ELIAS A S. JOSEPH, scripsit Italicè Librum, cui titulus:

Thesaurus Castitatis Christianæ, ex Scriptoribus SS. Patrum, ex Historia Ecclesiastica collectus. Florentinæ, 1715. *in*-4°.

X V I I I.

ELIAS LUNA, Siculus natione, patriâ Drepanitanus, Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister; & per annos duodecim Panormi, Messanæ, ac Drepani studiorum Moderator, tum scholastica, tum morali doctrinâ apprimè excultus, apud suos inclaruit. Eloquentiâ insignis Conciones, habuit non sine laude, magno cum animi ardore in præcipuis Siciliæ Civitatibus. Dum *Romam* velificat, in itinere à Turcis captus est, & in nonnullas trajectus plagas, permaximas pertulit ærumnas. Tandem *Tunetum* delatus, per anni circulum durissimè servitutis molestiis oneratus: ibidem acuto febris ardoribus confectus, sanctè decessit die 15. Novembris, anno 1656. Edidit:

1. *De Censuris in specie Tractatum.* Panormi, apud Cyrillum, 1649. *in*-4°. Italicè.

E.

2. *Trattato delli Censure in commune, o vero Casi di Conscienza appartenensi special mente à persone Chiesastiche e regolari.* Panormi, apud Petrum de Isola, anno 1648. *in-8°.* Hæc leguntur apud Mongitorem, in *Biblioth. Sicula*, *pag.* 170. *tomo* 1.

XIX.

ELIAS A S. MARTINO, natione Hispanus, patriâ *Illanensis*, Diœcesis Toletanæ, Carmelita Discalceatus *Altomirensis*, primò Laicus, deindè Sacerdos, Prior Pastranæ, Tocuti & Compluti, atque posteà Congregationis suæ anno 1594. *Matriti* secundus Præpositus Generalis electus; tum etiam Visitaroc Apostolicus ac superintendens Patrum Reformatorum, Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, *à Clemente VIII.* Papâ anno 1699. constitutus. Vir æternâ dignus memoriâ, eximiæ sapientiæ, non vulgari prudentiâ, magni consilii, singularis silentii, raræ probitatis, eminentis virtutis, & exquisitâ eruditionis famâ præstans: obiit *Ocagnæ*, anno 1614. linquens Fratrem Germanum R. P. Franciscum a Conceptione, Carmelitam etiam Excalceatum.

Scripsit:

Epistolas Pastorales, seu Panæreticas ad Religiosos & Moniales suæ Congregationis, divinâ charitate, atque sapientiâ refertas.

Hunc Eliam laudabiliter commendant Thomas à Jesu, *Libro de Antiquitate Ordinis Carmelitarum*, quem ei dedicar. Franciscus à S. Maria, *tomo* 1. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ*, *Lib. II. cap.* 36. 37. 38. 44. 55. 56. Ibidem *Lib. III. cap.* 35. 50. Ibidem *Lib. IV. cap.* 24. Ibidem *Lib. V. cap.* 9. 30. 45. Ibidem *Lib. VI. cap.* 39. Ibidem *Lib. VII. cap.* 87. Philippus a SS. Trinitate, in *Compendio Historiæ Carmelitanæ*. Idem, in *Vita Briandæ à S. Joseph*, & in *Vita Catharinæ à Christo*. Ludovicus a S. Teresia, in *Successione Eliæ*, *cap.* 279. *pag.* 648. Michael Mugnoz, in *Propugnaculo Eliæ*, *Lib. II. tit.* 3. *cap.* 7. *art.* 2. *pag.* 326. Aubertus Miræus, *Lib. de Origine & Incrementis Ordin. Carmelit: cap.* 5. *pag.* 199. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1128. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 85. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 149. &c.

XX.

ELIAS MARUGGI, natione Italus, regno Neapolitanus, Provinciâ Apulus, patriâ Nucerianus, Carmelita Provinciæ Apuliæ alumnus, sacræ Theologiæ Magister; edidit Italicè,

Discursum, ad instar Epistolæ, eloquentem valdè ac eruditum de antiquitate civitatis Nuceriæ suæ patriæ, ad preces Doctoris Felicis Corcione, Canonici Nuceriani. Nuceriæ, apud Camillum Cavullum, anno 1651. *in-4°.* sicuti refert Nicolaus Toppi, in *sua Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 75.

XXI.

ELIAS DEL RÈ, Barrensis primùm Cœnobii alumnus Carmelita, deindè Oetaianensi Carmelo Majori de Grancia ascriptus, Francofordiensis Academiæ sociatione donatus, & Hispaniarum Regis Philippi V. Marbeseos Professoris primarii titulo condecoratus: obiit Neapoli, die decimâ Octobris, anno 1733. relictis Operibus Italicè inscriptis:

1. *Arithmetica è Geometria divisi in due parti.* Primus Neapoli editus est Liber, apud Carolum Traise, 1693. dein verò apud Nicolaum Migliaco. Hic Liber, inquit Andreas Gargi, non inutilis planè, & sui generis eruditionem non mediocrem refert: ast Ordo desideratur & methodus; quo tamen subobscuro & implexo, pro tertia quoque vice Liber recentissimè editus est Venetiis, & summis laudibus exceptus.

2. Annuatim Libros edidit qui inscribuntur: *Discorsi Astronomici.* Animadvertit autem præfatus R. P. Andreas Gargi, quod libelli Astrologiæ judiciariæ pessimam exhibent farinam. Hanc tamen futurorum prædictione adeò insignem fecit, fortuitus rerum ipsarum eventus, ut Romam aliquando accersitus sit Auctor Elias ad suæ doctrinæ dicendam causam. De eodem *Elia del Rè* pauca tenet Elias de Amato, in Schedis Mſ. datis anno 1747. & 1748.

XXII.

ELIAS A S. TERESIA, in seculo Joannes-Baptista Wils dictus, domo Antuerpiensis, sacræ Theologiæ Baccalaureus, ad S. Willibrordum in suburbanis ejusdem oppidi Pastor, post Carmelita Excalceatus: vir magni zeli, & Concionator indefessus, qui potiorem vitæ partem, quà verbum Dei disseminando, quà confessionem peccatorum excipiendo, maximo cum fructu consumpsit, moriens in urbe natali Antuerpiæ, anno 1640. die 6. Septembris.

1. *Epigrammata de Viris sanctimoniâ illustribus, ex ordine Præmonstratensi.* Lovanii, Typis Joannis Masii, 1615. *in-4°.* Nondum Carmelum ascenderat Elias noster.

2. *Legationem Ecclesiæ Triumphantis ad Militantem, pro liberandis animabus Fidelium defunctorum à Purgatorio.* Antuerpiæ, apud Jacobum Meseum, 1638. & 1640. *in-folio*, duobus tomis Latinè.

3. *Vitam S. Teresiæ*, ex Hispanico sermone in idioma Brabantinum vertit, cum notis. *Antuerpiæ*, 1632. *in-8°.* Hujus mentio fit *tomo* 2. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 365.

4. *Vitam venerab. Matr. Annæ a S. Bartholomæo*, Antuerpiæ, 1628.

5. *Palatium spirituale Begginariorum.* Antuerpiæ, 1628. *in-8°.* Brabantice.

Eliam à S. Teresia celebrant Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 398. sub nomine Joannis-Baptistæ Wils, cujus appellat *Epigrammata*. Valerius Andreas, & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 257. Philippus Elsius, in *Encomiastico Augustiniano*. Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis*. Georgius Cardosus, in *Hiagiologio Lusitano*. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 13. Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ*. Joannes Bollandus, in *Vita S. Joseph*. Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mſ. pag.* 86. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1128. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 149. & 150. ubi notat Eliam à S. Teresia, præter opera jam allata, transtulisse ex Latino in Belgicum sermonem, *Opus Thomæ à Jesu*, inscriptum: *vita brevis*. Antuerpiæ, 1635. Vincentius Placcius, in *Indice Autorum Pseudonym. pag.* 594.

XXIII.

ELISABETHA DIAZ DE ORTEGA, Hispana, Toleti nata die 11. Septembris 1611. & Elisabetha a Jesu appellata, quando sacrum

E.

Sororum Tertiarii Ordinis Carmelitici habitum induit, cujus & Prioratum gessit: defuncta die 29. Junii an. 1682. & apud Toletanos Carmelitas sepulta. Vitam ejus edidit Hispanicè R. P. Emmanuel de Parades, ejus Confessarius, Carmelita Castellanæ Provinciæ alumnus, cum hoc titulo: *Thesaurus Carmeli absconditus in agro Ecclesiæ, nuncupatus & apertus in morte, & in vita quam ipsa jubente suo Confessario venerabilis Mater* scripsit *Elisabetha de Jesu, Tertiaria Soror professa Ordinis Nostræ-Dominæ de Monte-Carmelo, antiquiaris Observantiæ Toletanæ.* Matriti, apud Julianum de Parades, *in-folia*, 1685.

In illa Vita sex Libris contenta, *plurima* narrantur illius Sororis, cujus mors etiam mirabilior extitit, *prodigia miraculosa.*

2. *Discursus spirituales*, qui Theologorum admirationem commovent.

3. *Cantinellæ spirituales* metro Castillano concinnatæ ad instar versuum Mysticorum S. Joannis à Cruce.

4. *Canticum Mysticum, in quo Deus Animas fideles docet viam ad ipsum eundi, per secretam Orationis scalam.* Hæc spiritualia leguntur in ejus *Vita, Lib. VI. capp.* 6. 7. & 10. reperiuntur, ab eodem R. P. Paradesio, paraphrasibus & commentariis illustrata.

XXIV.

ELISÆUS A S. BERNARDO ex illustrissimâ *Picolomineorum* familiâ ortus, origine Italus, sed natione Gallus, Provinciâ Neustrius, ex pago *Guisencourt*, Diœcesis Rothomagensis, natus anno 1598. die 12. Decembris, N. PACHARON & N. D'AMPONT filius; undè in seculo, PETRUS PACHARON nuncupatus, Carmelita Excalceatus, die 8. Julii anno 1618. *Charentoni* factus, non verò Bernardinus, seu Monachus Ordinis Cisterciensis, ut tradit Joannes-Baptista Guesnay, in *S. Cassiano illustrato.* Prior Attrebatensis, anno 1661. & Meldiensis anno 1664. electus, obiit Dieppæ, anno 1669. Prior, mense Decembri.

1. *Opera S. Teresiæ* vertit ex Hispanico sermone in Gallicum. Parisiis, apud Michaelem Sonnium, 1630. *in-4°.* tomis duobus. Quam versionem laudat Dom. Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus, *Lib. de Traditione Ecclesiæ, cap.*

2. *Vitam vener. P. Joannis à Cruce, Carmelitæ Discalceati* similiter transtulit. Parisiis, apud Petrum Chevalier, 1668. *in-4°.*

3. *Horologium Animæ*, quod P. Alexander à S. Francisco, Carmelita Excalceatus Italicè composuerat, vertit Gallicè.

4. Elisæum à S. Bernardo celebrant Ludovicus à S. Teresia, in *Annalibus Carmelit. Excalceat. Galliæ, Lib. I. cap. 76. pag.* 198. *Lib. II. cap.* 126. *pag.* 651. *& cap.* 170. *pag.* 787. Josephus Franciscus, in *Necrologio Carmelit. Excalceat. Provinciæ Parisiensis, pag.* 52. *num.* 286. Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. Ms. pag.* 86. in Scheda Ms. ibi affixa. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 150.

XXV.

ELISÆUS BONETTUS, aliàs à MEDIOLANO, florebat in Mantuana Carmelitarum Congregatione ad annum 1669. tamquam vir non solùm pietatis eximiæ decore, sed etiam virtutum præclarissimarum splendore conspicuus; inter quas habuit etiam Musicæ ornamentum, adeòque Chori Magister ab omnibus vocatus. Ejus diligentiæ debemus memoriam plurium Cœnobii S. Joannis ad Concham Mediolanensium virorum illustrium, etsi nunc de aliquibus frustrà quæramus. Undè præter Librorum Chori volumina, quæ diligentissimè cum notis musicalibus conscripsit, & quibus alios Conventus perhumaniter ditavit, instituit etiam,

Librum, *pro Fratrum Defunctarum memoria*, in quo eorum gesta, præcipua, virtutes, beneficia religioni collata, & pro meritis encomia descripsit, nec-non imposterùm describenda ordinavit, *Ms. in-folio.* Quem à se visum asserit Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptor. Mediolanens. pag.* 190. *num.* 270. post Clementem Mariam Felinam, in *Musæo Mantuanæ Congregationis, pag.* 38. ubi Bonettum annotat vixisse ad annum 1686.

XXVI.

ELISÆUS GARCIAS, natione Hispanus, Carmelita Cœnobii *Ondensis*, in Provincia Aragoniæ Carmelitarum, sacræ Theologiæ Professor, & ejusdem domûs Prior, tumque in Academia Valentina ejusdem sacræ Facultatis publicus Cathedraticus Magister: edidit Opus cui titulus inest:

Cursus Philosophicus, juxtà gravissimam & reconditam vener. Patris Magistri Fr. Joannis Bacconii, Angli Carmelitæ, &c. Romæ, an. 1700. Typis Cajetani Zenobi & Georgii Placchi *in-8°.* 1. *vol.* Compendiosum istud Opus, quod vidimus in Bibliotheca Carmelitarum SS. Sacramenti Parisiensi, sub majori mole, sed titulo ferè eodem jam annunciavimus super paginam 376. verbo DIONYSIUS BLASCO.

XXVII.

ELISÆUS A S. JOANNE-BAPTISTA, Hispanus, præclaris parentibus ortus, inter Carmelitas Excalceatos *Pastranæ* ascitus, in Italiam missus est, & unus fuit ex quinque eximiis illis Patribus, qui *Clementis VIII.* jussu, anno 1599. ad condendas, & stabiliendas primas Congregationis Italicæ constitutiones convenère; dignusque habitus, ut præ cæteris cum venerabilibus *Ferdinando à S. Maria, Petro à Matre Dei, Joanne à Jesu Maria, Francisco à SS. Sacramento*, ad hoc gravissimum opus eligeretur, *Genuâque Romam* vocatus, primo illi Congressui adesset, ubi primum sub Cardinali DOMINICO PINELLO, Ordinis Protectore, decretum fuit, ut quartum humilitatis, seu non ambiendi votum, tribus aliis adjungeretur. In omni genere virtutum exercitio, mirabiliter emicuit, altissimæ contemplationis dono illustratus, consummatus in brevi, anno 1701. die 7. Novembris, ætatis anno 29. professionis undecimo, feliciter obiit; magno cunctis Congregationis Fratribus, ob eximias animi dotes, relicto sui desiderio.

Nonnulla *pro sancto meditationis & orationis exercitia* reliquit opuscula, quæ singularem in scribendo artem patefaciunt; ut testantur Petrus Andreas à S. Andrea, *tomo 2. Hist. General. Congregationis Italicæ, Lib. I. cap.* 5. Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 86. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliath. Carmelit. Excalceat. pag.* 150.

XXVIII.

ELISÆUS A S. JOSEPH, Genuensis Carmelita Excalceatus, sextus Novitius *S. Annæ* Genuensis, anno Domini 1595. factus Prior diversis in locis, ac Provinciæ Longobardiæ Præfectus anno 1628. electus, & anno sequenti 1629. mortuus

E.

Romæ in Monasterio *S. Mariæ de Scala* tempore Capituli Generalis sub Ferdinando à S. Maria, Congregationis Italicæ Præposito Generali: posteà sequenti Capitulo (ait Philippus à SS. Trinitate) anni 1632. motivo cujusdam revelationis, apertum est ejus sepulchrum, & in vestibus putridis repertum est corpus incorruptum, & candidum absque ullo fœtore vel marcore. Scripsit Italico sermone:

Exercitia spiritualia, sivè Meditationes in quatuor partes, & totidem tomos divisa. Prima pars tractat de Oratione mentali in genere. *Secunda* de via purgativa. *Tertia* de illuminativa. *Quarta* de unitiva. Extant Mss. Genuæ, apud Carmelitas Excalceatos; teste R. P. Luciano à S. Maria, Carmelita Discalceato, in *Relatione Ms.* data ad P. Ludovicum Jacob id narrantem in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 86. Nostrum hunc Elisæum etiam commendat Isidorus à S. Josepho, *tomo* 2. *Annalium cap.* 25. & 46. nec-non Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ, cap.* 8.

XXIX.

ELISÆUS A S. MARIA, natione Polonus, Carmelita Excalceatus: vir morum suavitate, ingenio ex literis conspicuus, Poeta non incelebris. Edidit carmine Lyrico Latio:

1. *De vita, gestis, & miraculis S. Teresiæ à Jesu Libros IV.* Cracoviæ, Typis Schedelii, 1650. *in*-12.

2. *Epoden.* Lib. I.

3. *Epigrammatum Libros duos.* Cracoviæ, apud eumdem, eodem anno.

4. *Carmen Latinum* in P. Sebastiani à Matre Dei, Poloni, Carmelitæ Excalceati, *Opus Marianum.* Quod quidem carmen præfigitur huic Operi Mariano, Lublini 1652. edito *in*-4°. teste Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 87.

XXX.

ELISÆUS A S. MICHAELE, natione Scotus, Aberdonensis Diœceseos, in seculo GUILLELMUS PENOEWICUE nuncupatus, Carmelita Excalceatus, Parisiis professus anno 1613. die 24. Februarii. Peractis studiis in Angliam missus, anno 1617. Ibi verè Apostolicis operibus totus deditus, obiit anno 1650. Erravit igitur Ludovicus Jacob, illum scribens esse superstitem anno 1669. Scripsit Opera inscripta Anglice:

1. *Expositio super Orationem Dominicam*, in qua clarè, dilucidè, ac nervosè, totam summam Catholicæ fidei explanavit. Londini, *in*-4°.

2. *Contra Sectarios Angliæ* Tractatum Ms. *in*-4°. Anglicè.

3. *Opuscula spiritualia, & de Vitis Sanctorum Angliæ Mss.*

XXXI.

ELISÆUS alter A S. MICHAELE, itidem Carmelita Discalceatus, Lotharingus, edidit *Meditationes & Soliloquia in septem petitiones Orationis Dominicæ.* Antuerpiæ, 1624. *in*-16.

Obiit Leodii anno 1660. ut observat Martialis à S. Joanne-Baptista, *pag.* 151. & dubius confundit eum præcedenti Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelitana Ms. pag.* 87.

XXXII.

ELISÆUS MONSIGNANI, natione Italus, patriâ Forojuliensis, sacræ Theologiæ Magister, totius Ordinis Carmelitarum semel, iterùm atque tertiò Procurator, Angeli Monsignani quondam Prioris Generalis, anno 1681. electi ex fratre nepos, edidit *Bullarium Carmelitarum*, complectens summorum Pontificum constitutiones ad Ordinem Fratrum Beatissimæ semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ de Monte-Carmelo spectantes. Romæ duobus tomis *in-folio*, ex Typographia Georgii Plachi: quorum primus tomus prodiit anno M.DCCXV. secundus anno M.DCCXVIII. Prior ad Eminentiss. JOSEPHUM SACRIPANTI, Cardinalem, Ordinis Carmelitani Protectorem dedicatur. Posterior Eminentissimo Principi FABRITIO, Cardinali PAULUTIO nuncupatur.

In Præfatione primi tomi, notat Collector Monsignani, quod Familia Carmelitana omnium hujus seculi bonorum inops, domibus ac delubris in direptionem & prædam datis per desævientes infideles in Carmelum plusquam semel irruentes, cum è Syria in Europam transmigraret, novasque sedes in partibus occidentalibus exquireret, summâ curâ diplomata non pauca quibus potiebatur, secum tanquam pretiosissimam gazam asportavit.

Baptista Mantuanus, Generalis integerrimus, luculentum perhibet testimonium de quatuor summorum Pontificum Bullis in favorem Ordinis Carmelitici, ad Patriarchas Jerosolymitanos datis, quas ex legenda Carmelitarum in oriente clade ereptas in Cyprum primùm, ubi reliquiæ aliquæ dispersionis eorum sese receperant, deindè in Europam delatas. Quemadmodùm & disertè fatetur penes se tenuisse Regium Gotfredi diploma, quo subsidium charitativum singulis Sabbatis porrigendum decernebatur Fratribus hujus Ordinis incolentibus Montana Judæa.

Verùm non nisi anno M. CCCCLXXVI. Christophorus Martignonus, Generalis vigilantissimus, primus literarum variarum Apostolicarum Ordini huic concessarum collectionem adorsus est, quam à Sixto Quarto Mari magno insertam confirmari curavit; eamque unà cum aliis quinque ejusdem Sixti literis, Joannes-Maria Poluçius de Novellara, primus Typis mandavit. Anno deindè M. DVII. Magister Baptista de Cattaneis, Venetus, nonnullis vetustis Carmeliticæ Historiæ fragmentis, nec-non pluribus aliis Apostolicis literis adjectis, alteram ejusdem Maris magni editionem molitus est, quam *speculum Ordinis*, appellari voluit.

Novis portò gratiis, privilegiis, multisque aliis concessionibus Apostolicis Ordine cumulato, Comitia Generalia anno M. DCXX. Romæ habita, solemni scito Bullarii confectionem Magistro Joanni-Stephano Barberio Lectori Romanæ Sapientiæ, & postmodum Procuratori Generali commendarunt. At ille collectione insigniter adauctâ, & usque ad Urbanum VIII. perductâ, opere infecto decessit. Viri interim quicumque incrementi & decoris Ordinis studiosè ægrè ferebant, tot privilegia ac diplomata egregiis majorum suorum meritis, magnisque laboribus comparata (nemine inchoatum opus perficiente) diutiùs non sine gravi rerum Carmeliticarum jacturâ latere.

Verùm universâ hac collectione, pergit Monsignanus in Præfatione ad tomum secundum, patet Carmelitanam Familiam, quæ è deserto Legis & desertis locis prodivit, magni parentis spiritum duplicem religioso vitæ genere ità excoluisse, ut sanctissimos Pontifices, magnos piosque Reges & Principes excelsos nedum Laudatores, sed & nutritios habere meruerit, quorum munimine fulta, tot seculorum intervallo, inter tot rerum vicissitudines & adversos casus, tuta incolumisque servata, multiplici prole adaucta, in Ecclesia Dei domo tamquam multorum filiorum Mater lætatur. Evanescit indè cujuspiam nuperi præceptoris regulas tradentis

ad

ad methodicum historiæ studium. Hanc enim *collectionem Bullarum curiosam* fatetur & *utilem* : sed *digna miratu*, inquit, *numerosa ista congeries Bullarum, quas à summis Pontificibus obtinent Monachi; quinquaginta diù Principes supremi non tot, quot minimus Religiosorum Ordo, acciperent.* Rationem enim hic Magister si attendisset, jocosè mirabundum sese non ità præbuisset. Elisæus Monsignanus obiit Romæ, in Majori Conventu S. Mariæ Transpontinæ, mense Novembri 1737. Procuratoris Generalis munere quartùm fungens sub R. P. Nicolao-Maria Richiutti, Priore Generali.

XXXIII.

ELISÆUS A S. PAULINO, natione Germanus, *Viennæ* in Austria, die 22. Julii natus, anno 1656. Carmelita Excalceatus, laudabilem Observantiam tenuit, consomptus intentissimis doloribus invictâ patientiâ toleratis, *Gracii* obiit, die 8. Octobris 1708.

Scripsit *Sermones de Festis pro integro anno.* Paratos habebat alios pro omnibus Dominicis, qui cum aliis Manuscriptis ab eo relictis servantur in Græcensi Carmelo, ut scribit Author *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 151.

XXXIV.

ELISÆUS A S. ROSALIA, natione Siculus, domo Panormitanus, in seculo PAULUS RIZZO nuncupatus, annum agens decimum-sextum, die 25. Aprilis anno 1687. indutus est veste Carmelitarum Excalceatorum in Conventu Bacdæ *S. Isidori*, & Novitius appellatus JOANNES-ANDREAS A S. STEPHANO, ibidem post annum emisit Professionem. Vir tum in graviotibus, tum in humanioribus literis apprimè excultus, sodales suos Philosophiam ac Theologiam Moralem pluries edocuit. De Observantia regulari optimè meritus, dum in Conventu *S. Mariæ gratiarum* Messanæ Supprioris ac Magistri Novitiorum munus gereret, ibidem obiit die 15. Decembris anno 1706. Scripsit Italicè Opus quod titulo inscribitur:

Compendio delle parti principali dell Oratione Latina : sive latinè, *Compendium partis principalis Orationis Latinæ*, Panormi, apud Michaelem Constantium, 1703. *in-16.*

Ita Antoninus Mongitor, *tomo* 1. *Bibliotheca Sicula, pag.* 171. & Martialis à S. Joanne-Baptista, *in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 151.

XXXV.

ELISÆUS RUSCONUS, regione Pedemontanus, patriâ Astensis, Carmelita Observantiæ antiquioris alumnus, sacræ Theologiæ Magister, & in Papiensi Conventu Professor : vir scientiarum splendore atque morum suavitate commendabilis, obiit Mediolani, anno 1630.

Scripsit latinè, *Mariale*, seu *de laudibus Beatissima Virginis Maria Lib. I.* Placentiæ, anno 1613. *in-4°.* Alia etiam quædam Opera, quorum titulos non assignant Authores qui de illo mentionem faciunt : Hippolytus Marraccius, in *Appendice Bibliotheca Mariana.* Andreas Rossotti, in *Syllabo Scriptorum Pedemontii, pag.* 184. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli* : Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 87. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1072. *num* 3734.

XXXVI.

ELISÆUS DE SIGNORELLIS, in Theologia Magister, Provinciæ Anconitanæ Prior Provincialis, *Libellum supplicem* obtulit summo Pontifici, à quo postulabat confirmationem duarum Ecclesiarum donationis, pro fundando Conventu Anconitano. Quâ de re Sixtus IV. respondens per literas Apostolicas die primâ Augusti, anno Christi 1475. Pontificatûs sui anno quarto datas Romæ ait: » Sanè pro parte tuâ vobis nuper exhibita petitio » continebat, quod venerabilis Frater noster Antonius » Episcopus, & dilecti filii Thomas de Stochettis Ar- » chipresbyter, & Capitulum Anconitanum, ob » singularem, quem ad dictum Ordinem per » multos Romanos Pontifices magnis privilegiis de- » corarum, & ipsam Beatam Mariam gerunt de- » votionis affectum, & fructum, quem fecisti, » populo in civitate nostra Anconitana verbum Dei » prædicando, ejusdem Beatæ Mariæ in Corthe, » & Sanctæ Crucis Anconitanæ Ecclesias tibi cum » certis terris adjacentibus pro Domo ibidem ædi- » ficanda cum Claustro, Campanili, Campanis, » Cæmeterio, Dormitorio, Hortis, Horraliciis, & » aliis necessariis Officinis pro usu & habitatione » Fratrum dicti Ordinis piè donarunt, prout in Instru- » mento publico inde confecto dicitur plenius » contineri.

» Quare tu asserens, quod in dictâ Civitate nulla » alia Domus dicti Ordinis existit, nobis humiliter » supplicasti ut donationis hujusmodi pro illius sub- » stantia firmiori Apostolicæ confirmationis adjicere, » ac tibi & fratribus prædictis dictas Ecclesias sub » titulo ejus B. M. pro una Ecclesia pro Provin- » cia tua, quam cum illius terminis nuper or- » dinavimus, recipiendi, ac Domum cum Claustro, » Campanili, Campanis, Cæmeterio, Dormitorio, » Hortis, Hortalitiis & Officinis prædictis ædifica- » ri faciendi, illaque pro usu & habitatione » hujusmodi, & dictas Ecclesias pro hujusmodi » Provincia perpetuo retinendi licentiam concede- » re, & alias in præmissis opportunè providere de » benignitate dignaremur.

» Nos itaque, qui Divinum cultum nostris adau- » gere temporibus, intentis desideriis affectamus; » dilecti filii Christophori Martignoni, Prioris Ge- » neralis dicti Ordinis, & hujusmodi tuis in hac » parte supplicationibus inclinati, donationem præ- » dictam, ac prout illa decernunt, omnia in dicto » Instrumento contenta, auctoritate Apostolicâ » confirmamus & approbamus, &c... Datum Romæ » apud S. Petrum: Anno Incarnationis Dominicæ » 1475. Kalend. Augusti: Pontificatûs nostri anno » quarto.

Hæc typis Romanis *in-folio* donata sunt anno 1718. *tomo secundo Bullarii Carmelitarum*, in Additionibus ad primam partem præfixis in limine, *pag.* 15. Cœnobium tamen Anconitanum scribit Lezana fundatum anno 1489. sub Francisco Hispano, Barcinonensi Episcopo Anconitano, & Pontio Raymundo, Ordinis Carmelitani Priore Generali; illudque adjudicat Provinciæ Romandiolæ, quale & vocat Ludovicus Jacob, in *Catalogo Ms.* fundationum omnium Conventuum Carmelitarum, *pag.* 7. Qui & istud Monasterium in cacumine Montis situm perlustravit anno 1640. die 10. Maii.

Quâ igitur ratione dicitur ELISÆUS DE SIGNORELLIS, Provinciæ Anconitanæ Prior Provincialis? Quare ipse Sixtus IV. in verbis mox relatis dicebat pro Provinciâ tuâ, quam cum illius terminis nuper ordinavimus? Quia idem Pontifex Maximus anno 1473. die 5. Martii constitueret

E.

Guillermum Episcopum Ostiensem, S. R. Ecclesiæ Cardinalem, qui Rothomagensis vulgariter nuncupatur è Dynastia d'Estouteville oriundus, totiusque Ordinis Carmelitani Protectorem, Judicem & Commissarium, unà cum R. Christophoro Martignono, ejusdem Ordinis Priore Generali, ad divisionem Provinciarum & Provincialium institutionem; vigore autem hujus Sixtinæ Constitutionis, idem Guillermus præfato anno 1475. die 9. dicti mensis Martii, commisit præmemorato Martignono vices, authoritatem, & facultatem suam, Provincialem instituendi Provinciæ Venetiarum, nec-non deputandi alium ab illo Provincialem, In Provincia Marchiæ Anconæ, cui quidem Provinciæ assignatus Cardinalis Estoutevillæus, Conventos Ravennæ, Forlivii, Cesenæ, omnesque, & singulos, qui Deo disponente in posterùm authoritate Apostolicâ caperentur, usque ad Civitatem inclusivè, & usque ad confinia Civitatis Perusiæ.

Dicta Provincia Anconitana pluribus annis per quinque Provinciales gubernata fuit ad annum 1481. quo suppressa est saltem tacitè in Comitiis Generalibus Avenione celebratis, die 16. Maii atque Provinciæ Venetiarum adjudicata. Verùm quia Pontio Raymundo videbantur Conventus in dicta Provincia Anconitana consistentes, non parùm detrimenti passi fuisse, is libellum supplicem obtulit summo Pontifici Innocentio VIII. qui anno 1488. die 26. Septembris eidem Pontio commisit, & expressè mandavit: ut juxtà ordinationem factam per dictum Guillermum Cardinalem, in Provincia Anconitana Provincialem deputaret, inhiberetque Provinciali Venetiarom, ne de Provincia ipsa Anconitana sese immiscere quoquo modo præsumeret. Anno autem eadem Provincia cum suis Conventibus adjudicata est Provinciæ Romandiolæ. De quibus anteà dictis consulendum est Bullarium Carmelitarum, *tomo primo*, *pag.* 300. *&* 404.

XXXVII.

ELISÆUS VASSALLUS, natione Italus, Provinciâ Basilicatanus, in regno Neapolitano in Oppido *Calvello*, Diœcesis Materanæus natus, Carmelita Observantiæ antiquioris de S. Maria della Vita Neapolitana: vir Philosophus actus & Theologus profundus, Aversæ, & Neapoli in Cœnobio Concordiæ Prior, scripsit Italicè:

1. *Il Christiano invitata al paradiso. Opera molto utile, dono si contengano i tre stati della Vita Christiana, sive Vita purgativa, illuminativa, è unitiva. In Neapoli, per Secundino Roncagliolo*, 1645. *in-8°.*

2. *Candido Liglio Symbolo di Virginita.* In Napoli, 1647. *in-12.* Prodiit operâ Andreæ Carcioni, Sacerdotis Itali.

Consule Nicolaum Toppi, in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 75. Petrum de Alva in *Militia Immaculatæ Conceptionis*: Franciscum Bonæ Spei, *in Visione Eliæ*: Ludovicum Jacob, in *Bibliotheca Carmelitanâ Ms. pag.* 87. Danielem à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Spec. Carmel. pag.* 1072.

XXXVIII.

ELISÆUS VENTURINUS, natione Italus, patriâ Massessis, provinciâ Etruscus, Carmelita Provinciæ Tusciæ alumnus, Patavinæ Academiæ Doctor Theologus, Provinciæ Saxoniæ titulo Prior Provincialis, propter quem natione Saxonum Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris* illum arbitratus est, *pag.* 446. Elisæus noster eruditione præditus exquisitâ, edidit anno 1599. ad Dominicum S. R. E. Cardinalem Pinellum, Ordinis Protectorem,

De Universa peregrini hominis statu Librum unum octo tractatibus divisum, in Isaiæ illud capitis primi: *Omne caput languidum*, usque ad *fotu olea.* Agit tractatu primo, *de hominis voluntate*, in secundo, *de intellectu*, ad illud: *Omne cor mærens.* In tertio *de sensualitate*, ad illud: *A planta pedis.* In quarto, *de triplici humanæ naturæ statu*, ad illud: *capus languidum*, usque *sanitas.* In quinto, *de triplici hominis peccato*, ad illud: *vidimus, livor & plaga tumens.* In sexto proponit triplex remedium contrà triplicem culpam, & præcipuè agit *de ligatura præceptorum*, ad illud: *non est circumligata.* In septimo, *de Sacramentorum curatione*, ad illud: *neque curata ligamine.*

De Elisæo Venturino agunt Aubertus Miræus, *Lib. de Scriptor. Eccles. seculi XVII. Cap.* 159. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 446. Valerius Ximenez d'Ambrun, in *stimulo Antiquitatis Ordinis Carmelit.* Ludovicus Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 87. Paulus ab Omnibus sanctis, *in Catalogo Scriptarum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 71.

XXXIX.

EMILIANUS A S. JOSEPH, ex *Ascoli* de Maria Anconitana oriundus, sed natus in oppido *del Tronto* Regni Neapolitani, Excalceatus Carmelita, literarum humaniorum peritus, Concionator celeberrimus, & illustris Historiographus, versibus Latinis & Italianis scripsit:

La vita S. Emiliani, *in-4°. Ms.* quæ servatur in Archivio Conventûs *Altamurensis*, anno 1632. fundati; ubi obiit circa annum 1670. ut conjicitur ex *Bibliotheca Neapolitana Nicolai Toppi*, *pag.* 77.

XL.

EMILIUS JACOMELLI, natione Italus, Provinciæ Romandiolæ alumnus, patriâ Medicinensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister, terræ Sanctæ Provincialis, ac totius Ordinis Secretarius, in Procuratorem Generalem assumptus est à R. Priore Generali *Matthæo Orlandi*, die 10. Octobris anno 1670. & ad biennium prorogatus die 7. Julii 1674. ac tandem post obitum *Francisci Scannapieci*, electus est Vicarius Generalis in Congregatione habitâ die 18. Novembris 1676. Præfuit tribus annis, mensibus sex; ità ut anno 1680. die 1. Junii, successorem habuerit *Ferdinandum Tartaglia.* Decessit autem *Medicinæ*, die 7. Januarii 1687. ætatis 80.

1. Libellum supplicem obtulit Innocentio XI. summo Pontifici, anno 1677. quo nulla & invalida declararetur Electio Magistri *Gregorii Velez*, in Provincialem Provinciæ Bethicæ, contrà formam sanctorum Canonum, & Concilii Tridentini, ac Constitutionum Ordinis Carmelitani facta, & *Marcus de Palomares*, in Vicarium Provincialem deputaretur ejusdem Provinciæ, usque ad Capitulum Provinciale proximè convocandum. Annuit Pontifex per literas Apostolicas eodem anno datas 1677. die 17. Februarii. Consule *Bullarium Carmelitarum*, *tomo* 2. *pag.* 576. 610. *&* 621.

2. *Literas Pastorales* ad suos Religiosos subditos scripsit varias ad Regularem disciplinam observandam spectantes, quarum nonnullæ laudantur in Capitulo Ploermelensi, Provinciæ Turoniæ celebrato, die 6. Maii 1678. & in Congregatione annua Rhedonibus habitâ, die 28. Aprilis 1679.

E.

X L I.

EMMANUEL A S. ANASTASIO, Lusitanus, Carmelita Discalceatus, tenerrimâ devotione affectus, nepotis nomine edidit:

1. *Vitam Sancti Antonii, cum variis conceptibus.*

2. *Sermones varios.*

X L I I.

EMMANUEL A S. BONAVENTURA, Hispanus, Excalceatus alter Carmelita, in Burgensi territorio ortus, Vallisoleti professus, Philosophicis ac Theologicis disceptationibus clarus, in Burgensi ac Pampelonensi Collegiis eximius Theologiæ Professor, edidit Opera inscripta:

1. *Disputationes Dialecticæ.* Pampelonæ, anno 1710. *in-4°.*

2. *Ignorantia instructa.* Opus Anonimum.

Uterque hic Emmanuel ità refertur in *Bibliotheca Calmelitarum Excalceat. pag.* 151. 152.

X L I I I.

EMMANUEL CARDOSO, Lusitanus, patriâ Pacensis, seu ex *Beja* Urbe Transtaganæ Provinciæ, Carmelita antiquioris regularis Observantiæ alumnus, in facultate Musicâ ævo suo paucis comparandus, edidit artis suæ quædam opera, scilicet *Missas*, *Magnificat*, aliaque Olissipone excusit 1613. 1625. 1636.

Horum tantum *Missas quaternis, quinis & senis vocibus* in magna charta Olissypone, apud Petrum Craesbech 1625. à se visas *Romæ* testatur Nicolaos Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 263.

X L I V.

EMMANUEL A CRUCE, in seculo dictus CELLOT, natione Gallus, patriâ Parisiensis, LODOVICI CELLOTII S. J. Frater, Carmelita Excalceatus, Professus Parisiis, anno 1649. Profectus in montem Carmelum, aliquot annos moratus est Vicarius hujus sacri loci; & anno 1650. die 30. Aprilis scripsit:

Relationem de Monte Carmelo: Quâ usus est Ludovicus à S. Teresia, in *successione Eliæ, cap.* 29. *pag.* 68, idem, *Lib.* II. *Annalium Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, cap.* 119 *pag.* 625. ubi notat dictum Emmanuelem à Cruce, Parisiis natum anno 1611. & in Conventu Parisiensi Professum anno 1629. die 9. Septembris.

X L V.

EMMANUEL A CRUCE, alter Excalceatus Carmelita, natione Lusitanus, patriâ Ulyssiponensis, scripsit *Relationem, quantùm faciant ad divinum obsequium in Indiis Patrum Carmelitarum Discalceat. habitatis.* Ulyssipone, 1639.

Hujus Emmanuelis Lusitani meminit Franciscus à S. Maria, in *Historia reformationis Hispanicæ, Lib. V. cap.* 46. otriusque Emmanuelis à Cruce mentionem habet Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 87.

X L V I.

EMMANUEL DE GOEZ, Lusitanus, antiquioris regularis observantiæ Carmelita, Theologus & Historicus, scripsit de *Ordine Carmelitarum* Librum; ut colligo ex Notis Hagiologii Lusitani, quas dedit Georgius Cardosus ad diem 14. Januarii, *pag.* 142. *col.* 2. §. d.

X L V I I.

EMMANUEL DAS CHAGAS, hoc est DE PLAGIS, Lusitanus, Carmelita Olissyponensis, Doctor Theologus, anno M. OCLXVI. defunctus, scripsit Versibus Vernaculæ Linguæ:

1. *Vida de Santa Theresa*, Olissipone, 1631. Prosâ item oratione.

2. *Vida de Santi Andrè Carsino, Bispo de Fiesoli.* Ibidem 1629.

Hæc habet Nicolaus Aotonios, *tomo* 2. *Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 322. Quibus addit Ludovicus Jacob,

3. *In caput primum S. Lucæ*, Aurora solis divini *nuncupatum.* Ita *Bibliothecæ Carmelit. Ms. pag.* 88.

X L V I I I.

EMMANUEL A S. HIERONYMO, Hispanus, Carmelita Excalceatus, *Granatæ*, Religionem professus, in divinis scripturis eruditissimus, è pulpito eloquentissime populos docuit, tantâque elegantia floruit, ut maximo plausu ubique exceptus, omnibus admirationi esset. Lectoris, Prioris, Provincialis, Definitoris Generalis, necnon Historiographi Generalis munia sapientissimè obivit, ac tandem propè sexagenarius, cum esset Collegii Giennensis Præfectus, in Conventu oppidi *de la Manchareal*, efflavit animam ætatis anno 59. Christi 1719. cum ipse natus esset *Giennii*, in superiori Wandaliâ: Scripsit & edidit sermone Hispanico,

1. *Vitam Venerab. Matr. Gabrielæ à S. Joseph, Ubetensis Monasterii Monialis, cui adjecit vitam Augustini à Cruce eidem à Confessionibus.* Granatæ, anno 1703. *in-folio.*

2. *Tomum Quintum Historiæ Generalis Congregationis Hispaniæ.* Matriti, 1706. *in-folio.*

3. *Tomum sextum ejusdem Historiæ.* Ibidem, 1710. *in-folio.*

4. *Compendium vitæ venerab. Matr. Mariæ ab Incarnatione, Granatensis Monialis Teresianæ.* Granatæ, 1726. Opus posthumum.

5. *Vitam Venerab. Laurentii à S. Teresiâ, Carmelitæ Discalceati.* Quæ Ms. *in-folio* servatur apud Moniales Teresianas Complutenses.

6. *Sermones typis paratos.* Qui Ms. servantur *in-4°.* in Archivio Provinciæ Bæticæ superioris.

7. *Maximas Regias in gratiam Asturiarum Principis*: Quæ Ms. servantur *in-folio* apud suum germanum fratrem, quondam Civitatis Giennensis Decurionem.

8. *Crisim Mysticam adversùs Corruptores Doctrinæ S. Joannis à Cruce.* Quæ Ms. *in-folio* reperitur multis in Conventibus Provinciæ Bæticæ. Hactenùs Hispanè.

9. *Prædicamenta Biblica*, in quorum lucubratione plores Sodales laborarunt. *Latinè.* Hæc leguntur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatarum, pag.* 132.

X L I X.

EMMANUEL A JESU MARIA, in seculo nuncupatus MICHAEL DE AMAROSIO, ex *Saponaria*, Castro Regni Neapolitani, natus die primâ Novembris 1621. apud Excalceatos Carmelitas professus *Neapoli*, anno 1640. die 25. Januarii, Concionator suo ævo facundissimus, Imperatricis ELEONORÆ VIENNÆ Ecclesiastes, Romæ,

E.

Florentiæ, Venetiis, Panormi, Placentiæ, Genuæ, Taurini, Bononiæ, Melitæ, tanto audientium plausu, & fructu auditus est, ut plurimi ex peccatorum fœce ad sinum pœnitentiæ effugerint. Bis Provincialis, Definitor, & Vicarius Generalis, anno 1677. electus est Præpositus Generalis; vitam sudoribus & meritis onustam finivit *Neapoli*, die 17. Septembris 1691. ætatis 71. Edidit Italico sermone:

1. *Flores Carmeli, seu Canciones Panegyricas de Sanctis*, tomis tribus *in-folio*: quorum primus & secundus Viennæ, anno 1666. Tertius Neapoli, 1668.

2. *Fructus Carmeli*, seu Discursus morales in Regulam Carmelitarum, tomis quatuor *in-folio*: quorum primus & secundus prodierunt Romæ, anno 1667. Tertius Neapoli, anno 1670. Quartus ibidem, anno 1679.

3. *Myrrham, Thus & Aurum*, ubi uberrimè de Mortificatione, de Oratione, & de Virtutibus Theologicis. Neapoli, anno 1677. *in-folio.*

4. *Regnum Mariæ*, in quo solidis rationibus, ex sacra Scriptura & Sanctis Patribus desumptis triginta sermones efficit, qui probant, B. Virgini convenire Sceptrum & Coronam Regni, &c. Neapoli, anno 1681. *in-folio.*

5. *Hominem Cælestem*, seu *Tractatum de Cœlo Empyreo, ac de gloria quâ fruuntur Beati.* Anconæ, 1668. *in-4°.*

6. *Excessum amoris Jesu-Christi in ultima Cœna cum Discipulis suis, lotione pedum, & institutione Sanctissimæ Eucharistiæ.* Neapoli, anno 1691. *in-folio.*

7. *Alphabetum Marianum*: in quo præcipua titulorum, figurarum, ac Symbolorum nomina, quibus Dei-para, à sancta Scriptura, Sanctis Patribus, aliisque gravissimis Authoribus ornatur ac decoratur, ordine alphabetico disponuntur. Neapoli, 1691. Latinè *in-4°.*

8. *Historiam Panegyricam, de vita, gestis, ac miraculis S. Joachim, Patris Beatissimæ Virginis*, opus posthumum. Neapoli, anno 1692. *in-4°.* Italicè.

Emmanuelem à Jesu Maria commendant Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1128. *num.* 3963. Franciscus Joseph à S. Margarita, in *Necrologio Præpositorum Generalium, pag.* 209. Author *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 153.

L.

EMMANUEL A JESU, Lusitanus, Carmelita Discalceatus, scripsit *Historiam progressûs Missionum Carmelitarum Excalceat. in Perside & in Indiis Orientalibus*: prout refert Emmanuel à S. Hieronymo *tomo 6. Historiæ Generalis Congregationis Hispaniæ, lib. 26. cap.* 29. nec-non Martialis à S. Joanne-Bapt. in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 153.

L I.

EMMANUEL A S. JOSEPH, natione Picenus, patriâ Salernitanus, Carmelita Excalceatus Provinciæ Neapolitanæ, Matris Dei, bis Definitor & Provincialis, scripsit egregium opus, cui titulus est Italicè: *Frutti del Carmelo*; sicuti Ludovicus Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 88. perhibet ex *Schedis Manuscriptis* ad eum missis anno 1668. per R. P. Philippum à SS. Trinitate, tùm Italicæ Congregationis Præpositum Generalem. Ast ipse: timeo ne error sit in nomine; nam Opus ejusmodi adjudicatur R. P. Emmanueli à Jesu Maria, qui tunc tempori florebat in iis Italiæ regionibus.

L I I.

EMMANUEL DE PARADES, Castellanæ Provinciæ Carmelita, à sacris Confessionibus fuit venerab. Sorori *Elizabethæ Diaz de Ortega*, Toletanæ, Tertiariæ Ordinis Carmelitani Priorissæ, cujus vitam idiomate Hispanico edidit sub hoc titulo: *Thesaurus Carmeli in agro Ecclesiæ absconditus, recuperatus & apertus in morte, & in vita quam ipsa Canfessario jubente scripsit Elisabetha de Jesu, Tertiaria Ordinis Nostræ-Dominæ de Monte-Carmelo, antiquioris Observantiæ, Toletana.* Matriti, apud Julianum de Parades, *in-folio* 1685. Hæc debemus Relationi R. P. Seraphino Potenza, in Monasterio S. Mariæ Transpontinæ de urbe, Ædituo sacro; ad postulationem R. P. Timothei Bergeror, Assistentis Carmelitarum Generalis, mense Junio, anno 1750. *ad diem 29. Junii.*

L I I I.

EMMANUEL DE SOTO, Hispanus Carmelita, primùm Bononiæ in Conventu S. Martini Congregationis Mantuanæ, tum verò Neapoli inter alumnos Carmeli majoris coaptatus est die 8. Februarii 1662. ubi obiit die 2. Maii 1706. Librum edidit Hispano sermone, cui titulus:

Memorial de las tres Parthenopes. Neapoli, apud Novellum de Bonis, 1683. Illum nuncupavit excellentissimo Dom. Gaspari d'Aro y Gusman Proregi: sicut asserit R. P. Andreas Gargsi in *Schedis Mss.* anno 1747. *datis.*

L I V.

EMMANUEL ROMAN, natione Hispanus, patriâ Pincianus, Carmelitis antiquioribus anno M. DLXXXVII. in ipsa urbe *Pincia* aggregatus, rerum domesticarum studiosus, obiit *Matriti*, anno M. DCXXX. Hinc Matritensem putavit eum Ludovicus Jacob; Matritensem aut Toletanum scripsit Alegreus Cassanatus. Edidit Emmanuel Roman,

1. *Elucidationes varias de la Antiguedad, Dignidad, y Escritores illustres de la Orden del Carmen*: nempè Joannis de Carthagine Franciscani *de antiquitate Ordinis Carmelitarum* versum à se, atque examinatum, ac locupletiorem factum: sequitur *el Indice alphabetica de las cosas mas notables de la Antiguedad de la Orden del Carmen*; Matriti, 1624. *in-4°.* & cum additionibus 1628. tertióque 1630.

2. *Epitome de la Vida y milagros de San Andres Corsino, Obispo Fesulano.* Matriti, 1629. *in-4°.* ubi & Hispanicè vertit Acta Canonizationis ejusdem Sancti.

Ita de Emmanuele Roman loquitur Nicolaus Antonius, *tomo 1. Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 271. cui anumerandi sunt Aubertus Miræus, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis seculi XVII. cap.* 221. Philippus Labbæus, in *Bibliotheca Bibliothecarum, pag.* 34. Antonius Teisserius, in *Catalogo Authorum, pag.* 76. Joannes de Lezana, *tract. de Maria Patrona, cap.* 5. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 502. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 88. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Auctuario capitis 7. Auberti Miræi, de Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum, pag.* 216. Daniel à Virgine Maria, *tomo 1. Speculi Carmelit. pag.* 441. *num.* 1740.

L V.

EMMANUEL DE SA, Lusitaniæ Provinciæ Carmelita, Olissiponensis Academiæ Socius, *Bibliothecam Scriptorum suæ Provinciæ* allaboravit

&

& edidit anno 1714. & alterum Opus Lusitanico idiomate inscripto : *Monumenta historica de Illustrissimis Archiepiscopis, Episcopis & Scriptoribus Lusitanis Ordinis Carmelitarum, serie alphabeticâ concinnatis, quæ in regali Historiæ Lusitanæ Academia porrexit, & offert & nuncupat ejus Augustiss. Protectori Regi Dom. Joanni V. nostro Domino, Academicus extrà numerum ascitus Pater Emmanuel de Sa, ejusdem Ordinis Religiosus Provinciæ Lusitaniæ.* Ulyssipone in Occidente, ex Typographia Ferreyriana 1714.

L V I.

EMMANUEL TABAREZ, vel TAVAREZ, Lusitanus Carmelita, Doctor Theologus Academiæ Conimbricensis, ibidemque publicus Professor, scripsit circà annum 1589. *in Theologiam Commentaria* : quæ *Mss.* asservantur apud Conimbricenses Carmelitas antiquiores.

De illo mentionem habent Joannes Pinthus, in *Hierarchia Carmelitana.* Emmanoel Roman de *Illustribus Ordinis Carmelitarum Scriptoribus.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 431. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 88. Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico Mss. ad annum* 1590.

L V I I.

EMMANUEL TABAREZ junior, Lusitanus, Carmelita Theologus, scripsit circà annum 1656.

De Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum Provinciæ Lusitaniæ Relationes quasdam ; sicut indicant Georgius Cardosus, in *Notis Hagiologii Lusitani, ad diem* 28. *Martii* §. 9. Philippus Labbeus, in *Bibliotheca Bibliothecarum, pag.* 204. Antonius Teisserius, in *Catalogo Authorum, pag.* 74. Lodovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 88.

L V I I I.

EMMANUELA S. TERESIA, Carmelita Excalceatus, Laicus, in Bætica Superior, simplex & devotus, illius pauperculæ viduæ inopem largitatem secutus, quæ de sua tenui paupertate, duo minuta, in Gazophilacium templi conjecit ; ipse quoque de sua exigua facultate, obtulit in templum Domini, quod habebat, hoc est :

Stimulum devotionis erga Beatissimam Virginem Mariam de Monte-Carmelo. Hispanè, *in-folio* ; prout exhibetur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 154.

L I X.

EMMANUELA MARIA-ANNA A S. JOSEPH, in oppido *de Aguilar* Inferioris Bœticæ, nobilibus orta, virtutibus & miraculis, ab adolescentia fulsit. Ad Cœnobium *Antiquarense* Monialium Teresianarum translata, quasi stella matutina, Luna perfecta, & Sol refulgens, sic splenduit in templo Dei. Ad fundationem *Scritani* Conventûs, Superiorum jussu se conferens, illum & erexit, & prudentissimè rexit. Ex quo ad æternas Sponsi supremi nuptias vocata, intravit in gaudium Domini, antè & post obitum miraculis clara ; octogenaria major, anno 1708. corpus ejus incorruptum in eodem Monasterio manebat ad annum 1727. Scripsit :

1. *Vitam suam*, jussu Superiorum, stylo elegantissimo, ut erat sermonis venustate & proprietate ad miraculum prædita ; decenti scrinio hæc vita *Mss.* servatur in Scritano Cœnobio.

2. *Plura* etiam *carmina* patrio idiomate, quibus suum ergà sponsum apposite describit amorem, corda effœtatorum hominum, etsi duriora saxis emollientia ; inquit Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 154.

L X.

ERNESTUS A S. JOSEPH, Carmelita Discalceatus, Provinciæ Leodiensis alumnus, edidit Opus inscriptum :

Ministerium practicum Confessarii ; aut sapiens & prudens Dispensator Sacramenti Pœnitentiæ : tomis duobus Leodii. 1710. aut 1718. Gallicè.

L X I.

ERNESTUS A S. MARIA, Discalceatus alter Carmelita, Provinciæ S. Leopoldi, semel & iterùm Provincialis, in idioma Germanicum transtulit

Spirituales Sententias, ex operibus S. Teresiæ, & S. Joannis à Cruce extractas : edidit que Viennæ Austriæ, *in-8°.* sicut inscribitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 154.

L X I I.

ERVEUS, Scotus Carmelita, scripsit circa annum 1300. *Librum de Conciliis Œcumenicis* ; teste Thomâ Dempstero, *Lib. V. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum*, sicut animadvertit Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mss. pag.* 89.

L X I I I.

EVANGELISTA DE GIOCONDO, in seculo CASSANDRA nuncupata, nobilibus ex parentibus *Florentiæ* ortum habuit die 10. Martii 1534. ætatis anno suo decimo nono vitam religiosam in Parthenopæo *S. Mariæ Angelorum* adorsa est, die 27. Septembris 1549. Illic Antistita *S. M. Magdal. de Pazzi* recepit ad vota solemnia, & Magistra in vias spirituales conduxit ac in extasibus miraculis adjuvit ; cujus quidem Magdalenæ ante Beatificationem mense nono defuncta est. De illa Elisabetha dixisse refertur *Urbanus VIII.* se nescire vitam Beatificatione donandam, an Magistram, an Discipulam : defuncta est, inquam, Elizabetha anno ætatis suæ 91. cum mensibus quatuor, diebus decem, 29. Julii 1625. relictis Operibus manuscriptis, quorum hæc dicuntur :

1. *Ricordi Salutevoli per le sue Religiose.*

2. *Plurimæ Epistolæ Spirituales ad varias personas.*

3. *Aliæ Epistolæ ad introducendam Observantiam in Monasterium extrà Florentiam positum.*

4. *Res gestæ S. M. Magdalena de Pazzi* ; quas edidit in ejus vita vir clarissimus Vincentius Puccius, Florentinus Sacerdos, iis Sanctis Monialibus à secretis Confessionibus, anno 1607. & deinceps.

L X I V.

EUGENIUS A S. BENEDICTO, natione Italus, in seculo LUDOVICUS A MONTE nuncupatus, *Romæ* natus die 21. Martii, anno 1587. inter Carmelitas Excalceatos ibidem professus anno 1607. Posteà diversis in locis Supprior & Prior : Præfectus Provinciæ Romanæ, quæ titulo

E.

S. Mariæ decoratur; Visitator Generalis Belgii, Poloniæ, Persidis, ac totius Orientis, deindè Procurator ac Definitor Generalis, anno 1631. Tandem Præpositus Generalis omnium votis electus *Romæ* anno 1644. Vir morum puritate, vitæ sanctimonià, divinæ gloriæ zelo, ingenii perspicuitate, atque variarum literarum cognitione insignis, ubiit sanctissimè *Capreolæ*, anno 1655. die 13. Septembris. Scripsit

Epistolas duas Pastorales ad totam suam Congregationem Italicam. Quarum *in prima*, quæ Romæ prodiit apud Franciscum Moretum 1646. *in-8°.* ostendit *quàm sit alienum* à Carmelitis Excalceatis, sive à *Carmelitarum Excalceatorum instituto, se in negotiis secularibus ingerere. Objectioni respondet, & hortatur ad pacem, & mutuam concordiam.*

In secunda verò, quæ cum præcedenti editur in Collectione Mediolanensi, *pag.* 188. *& seqq.* probat *quâ maturitate ad Superiorum electionem procedendum sit, & quibus dotibus præditi esse debeant.*

Eugenium à S. Benedicto celebrant Franciscus Joseph à S. Margarita, in *Necrologio Præpositorum Generalium.* Ludovicus à S. Teresia, *Lib. III. Annalium Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, cap.* 49. *pag.* 425. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 89. Author *Bibliothecæ Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 154. 156. Isidorus à S. Joseph, *tomo* 1. *Annalium Congregationis Italicæ.*

Anno 1649. die 28. Novembris migravit ad Dominum, Massiliæ venerab. Frater EUGENIUS A S. BENEDICTO, Lugdunensis, Laicus, vir magnæ devotionis ergà sanctam Infantiam Jesu & Mariæ, & ideò Officium parvum Beatæ Virginis quotidiè persolvebat: teste Ludovico à S. Teresia, loco citato, *pag.* 512.

L X V.

EUGENIUS A S. JOSEPHO, natione Neapolitanus, patriâ *Altiliensis*, Carmelita Discalceatus, Philosophiæ ac Theologiæ in Germania Lector, deindè in Italiam revocatus, *Romæ* in Conventu seu Collegio *S. Pancratii* Professor controversiarum constitutus, Prior Altiliensis & Neapolitanus, suæ hujus Provinciæ Definitor & Provincialis, sacræ Cæsareæ Majestatis ELEONORÆ Viduæ, & post ejus mortem FERDINANDI III. Concionator facundissimus. Obiit *Neapoli*, postquam scripsisset Opera quæ inscribuntur:

1. *Arbor mirifica, tributum funebre in obitu FERDINANDI III.* Imperatoris. Viennæ 1657. *in-fol.* Italicè: Eleonoræ Augustæ dictum.

2. *Vita Venerab. Matr. TERESIÆ A SPIRITU SANCTO DE LA CERDA*, Ducissæ de Monte Alto, *Monialis Teresianæ.* Neapoli, 1668. *in-4°.*

3. *Castrum doloris & honoris*, seu *Mausoleum Poëticum*, Mausolæo Austriaco Ferdinando III. Augustissimæ Imperatricis Eleonoræ Conjugi, in Parnasso extructum. Viennæ Austriæ, Typis Cosmeravianis, 1657. *in-folio* Latinè.

4. *Epigramma Latinum*, Ferdinando III. Cæsari, Venerabilis Patr. Dominici à Jesu Maria Encomia metricè describenti. Præfigitur vitæ ejusdem P. Dominici, quam edidit in-folio Joannes Caramuel, Latinè *in-folio.*

5. *Epigramma* alterum in *Vitam* ejusdem P. *Dominici* descriptam ab eodem Illustriss. & doctissimo Joanne Caramuele, Episcopo Misiensi & Suffraganeo Pragensi, *in-folio.*

6. *Sermones sacri in Festivitatibus Sanctorum:* Italicè, tomis quatuor *in-4°.* Quorum duo anno 1668. duo postremi anno 1669. prodierunt.

Eugenium à S. Josepho commendant Philippus à SS. Trinitate, in *Schedis Mss.* ad Ludovicum Jacob missis anno 1668. quas & iste memorat in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 89. & Author *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 154. Nicolaus Toppi sua in *Bibliotheca Neapolitana, pag.* 77. ubi hæc leguntur.

L X V I.

EUGENIUS A S. JOSEPHO, in Oppido *Alto-Muro* (aliàs *Alta-Mura*) ad Provinciam Barensem Regni Neapolitani pertinente natus, Carmelita Discalceatus, edidit,

1. *Tomi tre de Dicorsi.*

2. *La vita di Sor. Teresa dello Spiritu Santo, Duchessa di Mont Alto, Carmelitana Scalza.* In Napoli per Giacinto Passaru, 1668. *in-8°.*

L X V I I.

EUGENIUS MACHBREU, aliàs MACHBREN, natione Anglus, Ordinis Carmelitarum, sacræ Theologiæ Professor, electus est Episcopus *Majonensis* sive *Magionensis* in Hibernia, & absolutus à Censuris die 21. Novembris 1541. ut constat ex *Actis Consistorialibus Pauli III.* Verisimiliter Eugenius ab HENRICO VIII. vel EDWARDO VI. Regibus Angliæ, Episcopus tempore Schismatis nominatus fuerat: verùm regnante MARIA Regina Catholicâ, præsentatus Romano Pontifici, ad eamdem Episcopalem dignitatem, in ea ritè & canonicè confirmatus fuit, sicut & alii non pauci Episcopi Angliæ ac Hiberniæ. Hunc autem Eugenium in regimine Ecclesiæ *Majonensis* diù superstitem vixisse colligitur, ex eo quod in monumentis PAULI III. jam citatis legatur die 12. Februarii 1574. *Provisa eadem Ecclesia vacans per obitum Eugenii*; teste Daniele à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 920. *num.* 3210.

L X V I I I.

EUGENIUS MONTANUS fuit Carmeli Majoris Neapoli Prior, Doctor & Decanus Collegii Neapolitani. Obiit die 5. Junii 1565. postquam scripsisset juxtà mentem Joannis Bacconis Carmelitæ, teste Philocalo Caputo, in suo *Monte Carmelo*: quos tamen Libros elucubraverit, nondum agnoscere potuimus; Inquit R. P. Andreas Gargsi, in *schedis* ad *Mss.* nos Neapoli Aureliam *missis* anno 1747.

L X I X.

EUGENIUS SPELLIUS aliàs SPINELLIUS, à Bollano, Carmelita Genuensis, Doctor, Theologus, ac Florentini Collegii Professor publicus: Vir eruditus & pius, in Sacris & Philosophicis literis apprimè versatus, in dicendo, docendoque assiduus, in disputationis certamine acutus, migravit Florentiæ, anno 1599. die 16. Maii, postquam scripsisset:

1. *De Casibus Conscientiæ.*

2. *De Sacramentis Ecclesiæ.*

3. *Alia plura pietatis opuscula*, quæ acri suo judicio limanda, pro temporis opportunitate in lucem prodire possent.

Ita Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *folio* 31. *verso*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 89. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1088. *num.* 3705. *&c.* Fasti Theologici Universitatis Florentinæ, *pag.* 320.

E.

L X X.

EUSEBIUS A S. AMBROSIO, natione Belga, patriâ Artesianus, die 30. Martii, anno 1598. natus, Carmelita Excalceatus, sinceritatis ac omnium virtutum exemplar; plenus meritis ac bonis operibus, obiit *Viennæ* in Austriâ, die 17. Maii, anno 1671. edidit idiomate Germanico,

Conciones pro Festis & Dominicis diebus. Herbipoli, anno 1702. *in*-4°. Opus posthumum.

L X X I.

EUSEBIUS A S. AMBROSIO, alter Carmelita Discalceatus, natus *Salisborgi*, die 4. Aprilis, anno 1633. humanioribus Literis instructus, ætatis suæ anno 18. Regularium Canonicorum institutum amplexus *Augustæ Vindelicorum*, emensoque Philosophiæ ac Theologiæ curriculo, sedulum sese Verbi Dei, ac Sacramenti pænitentiæ Ministrum exhibuit. Humiliorem ac severiorem vitam appetens, obtentâ à suo Superiore licentiâ, *Monachii* Carmelum ingressus, ibi professionem emisit anno 1668. die 10. Junii, diversis in locis Concionatoris munere, usque ad ultimum ferè terminum vitæ, qui contigit anno 1696. die 17. Decembris, cum magno auditorum fructu perfunctus est. Indè prodierunt,

Tria Dominicalia, totidemque festivalia: Quorum unum solummodò lucem vidit Herbipoli in-4°.

L X X I I.

EUSEBIUS AB OMNIBUS SANCTIS, alius Carmelita Discalceatus, Provinciæ Romanæ Prior, semel & iterùm Definitor Generalis, circà annum 1730. Scripsit Italico idiomate, duobus aut tribus tomis *Historiam Missionum Carmelitarum Excalceatorum*: cui posteà subjunxit *Historiam* latinè scriptam *Congregationis* eorum *Italicæ*; ubi videre est in *Bibliotheca illorum*, *pag.* 156.

L X X I I I.

EUSEBIUS A S. JOANNE, natione Arvernus, *Claromonte* natus, Carmelum Divionensem ingressus, ibi professionem emisit, Provinciæ Narbonensis alumnus, & suæ anno ætatis vigesimo-tertio, Magistri novitiorum, cum dispensatione Superiorum, munus exercuit viginti septem annis, à R. P. *Marco de Nativitate* primùm nominatus. Quinquies Prior Divionensis, bis Vicarius Provincialis, quater suæ Provinciæ Præfectus, & Parisiensis Carmeli Maubertini Prior quidem electus anno 1717. sed nonobstantibus Religiosorum instantiis officium exercere noluit, plurimis Quadragesimis Conciones magno plausu & audientium fructu dixit, & ad pietatis sensus commovendos nihil aptius & magis idoneum quàm exhortationes ejus monasticæ, quas crebrò suis eroctabat sodalibus. Pius sed magis zelosus quàm doctus, nullum regularis observantiæ exercitium tam nocturnum quàm diurnum, ossuim emitit. Artem regiminis novit ossiam prudentiùs nemo, timorem sui simul & amorem aliis instillans. *Divione* obiit anno Christi 1738. ætatis 88. sui magnum in sua relinquens Provincia desiderium. Scripsit:

1. *Conciones Quadragesimales*.

2. *Manasticas Exhortationes*; Quæ MSS. in Antiquiorum Carmelitarum Divionensium scrinio servantur: teste R. P. Philippo à S. Claudio *Chaudeau*, in *Schedis Mss.* ad nos Lugduno *missis* Aureliam die 2. Julii 1741.

L X X I V.

EUSEBIUS A SPIRITU SANCTO, Mediolanensis, in seculo EUSEBIUS BLANCUS nuncupatus, Excalceatus Carmelita, nedum eruditionis splendore, sed morum etiam probitate commendabilis habetur. Idiomata exotica, Hebræum scilicet, Græcum, Germanum, Gallicum, Hispanum, mirificè calluit, Geometrica quoque, Architectonica, Astrologica studia sectatus, principem in his artibus ætate suâ locum tenuit. Optimatibos Mutinensibus, cum in eorum urbis Monasterio degeret, acceptissimus fuit, quorum pluribus Mathematicas, & Geometricas Artes atque Militarem Architecturam tradidit. Morte verò jam instante, volumina per viginti annorum curriculum à se conscripta, ut ambitûs periculum declinaret, igni tradidit: quorumdam tamen titulos habemus, quos damus:

1. *L'Effemeridi per dieci anni*. Editas fuisse asserit Picinellus, nullo tamen indicato, pro suo more, loco, anno, vel Typographo.

2. *Circinus proportionalis Georgii Galchemayr*, ab Eusebio nostro è Germanico in Latinum *translatus*. Hoc opus etiam in Italicum vertit Joachimus Garbicellus in S. Maria, Carmelita Discalceatus, quod typis brevi tradendum promiserat citatus Picinellos.

3. *Interpretatione d'una Lastra di Bronzo Segnata di caratteri Ebraici, da lui transmessa al Marchese Bentivogli*.

4. *Traduzione del libro di Giovanni Enoch Meyers della fabrica, ed uso due tavole tetragonica, e cubica*.

5. *De Jona Propheta in ventre Ceti*.

6. *Regole per fabricar un Organetto, che ance e Gravicembalo, quale à forza di ruote da per se suona, o tre ariette*.

Euzebium Blancum commendant Philippus Picinellus, in *Athenæo Virorum Literatorum Mediolanensium, pag.* 274. Joachimus Garbicellus, in *Historia fundationis Conventûs Plutinensis Carmelitarum Excalceatorum*. Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptor. Mediolanens. pag.* 179. *num.* 452.

L X X V.

EUSTACHIUS A CONCEPTIONE, Carmelita Excalceatus Provinciæ Avenionensis, edidit:

1. *Jus primi Principii Theologiæ Positivæ, Canonicæ, Ecclesiasticæ & Moralis, per quod quidquid præcipuum & difficile in iis scientiis occurrere patest, facili ac claro ordine & methodo explicatur*, &c. Avenione, 1697. *pag.* 858.

2. *Meditationes pro Festis totius anni*, Gallicè. Parisiis, 1698. *in*-12.

3. *Meditationes pro Festivitatibus Carmelitarum Excalceat.* Gallicè, ibidem 1699.

L X X V I.

EUSTACHIUS A S. MARIA, Carmelita Discalceatus, Sacræ Theologiæ Professor, Provinciæ suæ Romanæ Definitor Provincialis, Conventûs *S. Mariæ de Scala* Prior, *S.* Romanæ Censor, ac pro Congregatione Italicâ *Servorum Dei* in Curia Romana Postulator, nec-non Theologus deputatus à summo Pontifice BENEDICTO XIII. in Concilio Romano. Scripsit:

1. *Compendium vitæ S. Joannis à Cruce*, Italicè, suppresso nomine. Romæ, 1717. *in*-8°.

2. *Vitam* ejusdem *S. Joannis* aliam *fusiorem*: Italicè, ibidem 1726. *in*-4°. suppresso nomine.

E.

3. *Compendium Vitæ Fratris Francisci à Puero Jesu*: 1618. *in-8°*.

4. *Vitam Sororis Annæ Mariæ Teresiæ à Jesu*; Italicè, ibidem, 1718. *in-4°*.

5. *Historiam vitæ, virtutum, & factorum Illustrissimi Josephi à S. Maria, aliàs Hieronymi de Sebastianis; Clemente X. inaugurati Episcopi Hyerapolitani, & in partibus Orientalibus Commissarii Apostolici, deindè translati ad Episcopatum Bisnaniensem, & posteà ad Tiphernatem*; dicatam Clementi XI. Romæ, anno 1719. *in-4°*. Italicè.

6. *Scrutinium sanctitatis in examine heroicitatis virtutum.* Ibidem, 1729. *in-folio.*

7. *Scrutinium Sanctitatis in examine heroicitatis donorum.* Ibidem 1730. *in-folio.*

8. *Scrutinium Sanctitatis in examine gratiarum.* Ibidem 1731. *in-folio.*

De quibus consule *Bibliothecam Carmelitarum Excalceat. pag.* 156. & 157.

LXXVII.

EUSTACHIUS ROMANUS, alius Carmelita Discalceatus, Missionarius Apostolicus, in Lingua Persica, aliisque Orientalibus versatissimus, circà annum 1636. *nonnulla Opera* scripsit; & ejus meminit cum honore R.P. Philippus à SS. Trinitate, in *Itinere Orientali*, necnon Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 89. Ubi & memoratur sequens.

LXXVIII.

EUSTACHIUS SALODIENSIS, natione Italus, Carmelita Congregationis Mantuanæ, qui scripsisse fertur *Historiam Ecclesiæ Lauretanæ.* Romæ, 1685. *in-8°*. Cujus mentionem habent Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis*; atque Franciscus Bonæ spei, in *Visione Eliæ.*

LXXIX.

EUSTACHIUS DE TUNO, Carmelita antiquioris regularis Observantiæ, Doctor ac Professor Theologus, scripsit circa annum 1635.

Relata in primam secundæ Divi Thomæ Aquinatis. Quæ *Mss.* Romæ vidit Ludovicus Jacob, in Bibliotheca Carmelitarum S. Mariæ Transpontinæ, *in-4°.* sub Litera B, *num.* 32.

FABIANUS

F.

I.

FABIANUS A S. JACOBO, natione Iraius, patriâ Massensis, Carmelita Excalceatus, *Romæ* anno Domini 1606. die 21. Januarii professus, Noviriorum Magister in Poloniâ constiturus, Provinciæ Germaniæ Definitor Provincialis: Vir Deo charus, omnibus decoratus virtutibus, humilitate, charitate, patientiâ, Innocentiâ, contemplatione, doctrinâ & revelationibus insignis, obdormivit in Domino *Viennæ.Vindibonum*, anno Christi 1649. die 26. Aprilis. Scripsit:

1. *In Cantica Canticorum Commentaria.* Qui *Mss.* asservantur Viennæ apud Carmelitas Excalceatos.

2. *De Regno Dei, quod intra nos est*: seu de *Custodiâ Cellæ ac silentio, libros tres Mss.* Ibidem.

Fabianum à S. Jacobo commendant Paulus ab omnibus Sanctis, in *Schedis Mss.* Ludovico Jacob datis, quas citat in suâ *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 90. Jacobus Lelong, in *Bibliothecâ Sacrâ*, *pag.* 720. *col.* 1. Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliothecâ Carmelitar. Excalceat. pag.* 157.

II.

FAUSTINUS AICARDUS, Mediolanensis, Mantuanam Carmelitarum Religionem ingressus die 18. Februarii anno 1564. prætet Philosophiam ac Theologiam peregrè disciplinis aliis imbutus, adeò excelluit in Jure Canonico, ut multories suum judicium in gravissimis difficultatibus cum laude dederit. Concionatorem etiam eximium in variis Italiæ Civitatibus fuisse ipsum confirmant ejus Opera. Senex factus piè evolavit ad cælos anno 1616. die 28. Aprilis. Scripsit,

1. *Quadragesimale integrum* Italico idiomate *Ms. in-fol.* Extat apud suos.

2. *De Sacramentis in Communi Ms. in-folio* ibidem, seu Mediolani in Cœnobio S. Joannis ad Concham, ubi ea vidit Philippus Argelatus, qui nostrum Faustinum laudat sua in *Bibliotheca Scriptoram Mediolanensium*, *pag.* 9. *num.* 17. post Philippum Picinellum in *Atheneo virorum Literatorum Mediolanensium*, *pag.* 180.

III.

FELICIANA EUPHROSINA DE S. JOSEPHO, Calaguritana Virgo, *Joannis Basili a Santoro* illius, qui Sanctorum vitas stylo hispano piè & eleganter duxit, filia, Institutum Teresianum amplexa Cæsar-Augustæ die 8. Septembris, anno 1588. clarissimum heroicarum virtutum omnium, cœlestiumque a Deo largè concessarum gratiarum exemplar, exuit ibidem corpus, quod adhuc incorruptum perseverat, die 7. Junii propè nonagenaria 1652. Scripsit ad sororum instructionem hispano idiomate:

1. *Suæ Vitæ Relationem.*

2. *Instructionem Monialium de Recreationibus spiritualibus*, quæ prodiit cum ejus vitâ Cesar-Augustæ, apud Dominicum Lapujada 1654. *in-4°.* Authore Domino Michaele Baptista de Lanuza.

Hæc referunt Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 277. *col.* 2. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 90. Martialis à S. Jonne Baptistâ, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 157. 158.

IV.

FELICIANUS A S. MAGDALENA, natione Armoricus, patriâ Nannetensis, observantiam Carmelitarum regulatem *Rhedonis* professus anno 1658. die 9. Augusti, posteà sacræ Theologiæ Professor in Academiâ etiam Burdigalensi, deindè Ageonensis Prior in Provinciâ Vasconiæ; Quod etiam officium primariis in suæ Turoniæ Conventibus, nec-non in Majori Carmelo Parisiensi gessit, tandem Definitor in Capitulo Turonensi die 17. Maii 1669. electus, Præside R. P. *Mathæo Orlandi*, atque ibidem deputatus Theologiæ Moralis in Conventu Rhedonensi: sed anno 1683. à R. *Francisco Tartaglia* exemptionem ab omni & quocumque officiorum onere & bonore obtinuit, & uni æternitati intentus, obiit *Nannetis*, anno 1685. die 28. Novembris; vir musarum cultor assiduus, sicut & Reformationis in Provinciâ Vasconiæ Promotor strenuus. Edidit,

1. *Defensionem providentiæ divinæ, juxtà doctrinam divi Augustini & S. Thomæ, Ecclesiæ Catholicæ luminum.* Opus Latinum *tres in tomos in-4°. divisum.* Burdigalæ, apud Jacobum Mongironem Milangium, 1657.

2. *Novam Eloquentiæ Methodum, quæ complectitur Rhetoricam Aristotelis & Raymundi Lulli, & Gymnasiorum communem.* Latine. Parisiis, apud Antonium Padeloup, 1663. *in-12. pag.* 164.

De illo mentionem habent Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelit. Ms. pag.* 90. Acta Capituli Carmelitarum Turonensis 1669. edita. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1090. *num.* 3836. Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Ms. Illustrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 27.

V.

FELIX A S. ARSENIO, in seculo MICHAEL LEMARIÉ nuncupatus, ex Andegavensi Ducatu oriundus, Nannetis in Armorica natus anno 1702. die 10. Martii, Patrem amisit anno ætatis suæ secundo. Secundas mater nuptias contraxit cum Ludi-Magistro, quem & socerum & præceptorem Felix habuit, à quo liberaliter & humanissimè fuit instructus. In patria operam studiis navavit apud Reverendos Oratorii Sacerdotes, & anno ætatis decimo-nono integrum Philosophiæ cursum ibidem horis matutinis vespertinisque propugnavit publicè, atque plaudente eruditorum cœtu.

Rhedonis Carmelitanam induit vestem anno 1717. die 17. Augusti, solemnemque Professionem ibidem anno sequenti 1718. emisit die 18. ejusdem Augusti

F.

mensis. In patriam anno 1720. studiis cùm Philosophiæ tùm Theologiæ vacaturus missus est. Posteà Philosophiam ipse suos Sodales duobus annis in Carmelo Turonensi docuit, deindè undecim annis Theologiam in Conventibus successivè Parisiensi Billetarum, Pictaviensi & Andegavensi. Priorem quoque Pictaviensi in Carmelo, Turonensi & Flocelleriensi prudenter ac honorificè deinceps gessit, atque Definitoris munus æquè sustinuit. Quantâ tandem facundiâ polleret ac eloquentiâ, ostendit quando hortante Illustriss. Dom. de Sansæi, Turonensi Archiepiscopo, Conciones Quadragesimales in ejus Metropolitana Ecclesia, & posteà in insigniotibus habuit plurimis sacris Galliæ Templis. Vir judicio sagax, eloquio mitis & lenis, urbanitate præcellens, eruditione pollens, profundâque doctrinâ præditus, omnium animos ad se benignè trahebat. Typis etiamsi publicis nihil præ intima modestia committi permiserit, sermone tamen seu Latino seu Gallico nonnulla scripsit, quæ præsentem Bibliothecam non parùm illustraverint, qualia sunt præsertim,

1. *De Scholis Theologicis Oratio Panegyrica, Aureliis habita in Regio & Majori ejusdem Urbis Carmelo, pro auspicandis ibidem solemnibus Provinciæ Turoniæ Carmelitanæ Comitiis, die 10. Maii, anni M. DCCXLVIII.*

Exordium sumit Orator à publicis bonarum artium Magisteriis, quorum utilitatem demonstrat.

Cum enim, *inquit*, recta corporis & animi cura in his rebus maximè posita sit, quæ sine arduo labore comparari nequeunt; utrique sanè profuerit haud parùm, si quid laborem ejusmodi cùm juverit, acriter tùm egregiè commendaverit. Quæ duo felicissimè consociata exhibent nobis Palæstræ illæ nobilissimæ, illi Magistrorum tyronumque concursus, laudis amore speque maximæ utilitatis acti, dum illinc Magistri de copia & perspicuitate doctrinæ, hinc de studio & cupidine addiscendi Tyrones dimicant.

Laudantur hac de causa Ægyptii veteres, Græci, Romanique horum æmuli. . . . Denique in gentem nostram ea derivata sunt bona; nec, si modò candidè loqui velimus, tanta nos eruditionis gloria undique commendaret, ni partæ ab antiquis cognitiones ad nos usque pervenissent, instar pretiosæ hereditatis naviter excolendæ, & quoad fieri poterat amplificandæ. Huic operi non defuimus. . . . Laborem exitus ultrà spem compensavit; sedem apud nos principem fixerunt artes & scientiæ; iisque cæteros vincimus populos, qui cæteris armorum robore invicti sumus. Ast (quod apprimè observatum velim) decus hoc nostrum, quantum quantum est, ab iis profluere hominibus constat, qui veluti quodam fœderati amore litterarum, in multiformem societatem coaluerunt, variis disciplinarum generibus tractandis addictissimam. . . . In iis moror cœtibus longè utilissimis, præstantissimisque, ubi Theologiæ fontes manant absque limo, absque fastidio, nec docendi labor vilescit, aut relaxatur, nec discendi ardor frigescit, aut extinguitur. Quam ob rem illa doctrinæ sanctuaria multi Galliarum Reges, alii piè munifici donis ditarunt, privilegiis condecorarunt, alii patriæ virtutis non degeneres impensè tuiti sunt, verueruntque ne ipsa primævæ celebritatis quidpiam injuria temporum aut invidiæ conflatione amitterent. . . . Proh! quale nomini suo decus Rex ejusmodi quisquis est, tali ac tanto imponit facinore! sic enim agens, religioni simul & imperio consulit: religioni quidem, cui singulare præsidium; nec-non imperio, cui splendor præcipuus à Theologiæ scholis advenit. Hæc orationis partitio.

Prima Pars.

Religionis præsidium arma & milites; id est; hinc quidem armorum vice, doctrinæ robur labore ac studio comparatum; illioc verò, militum instar, Pastores & Doctores ejusmodi viribus instructi. Utrâque ope religio vincit errores, debellat vitia; utramque præstant Scholæ Theologicæ. . . . Privatis litterarum studiis, obtrectare animus non est, quæ tametsi publica exercitatio non præcesserit, fructum suum in viris acutioris ingenii & improbi laboris fortasse pepererunt. At enim scientia quàm facilè, quàm celeriter in scholis acquiritur, quæ lentè ac ægrè obtinetur domi! Isthic eorum similis, quos ingens pondus terræ deprimit, magnopere conaris in æthera mente surgere; illic quasi quibusdam subvectus alis, pernici volatu in Theologiæ scandis fastigia. . . Isthic diceres ingenium gravi nisu lucem suam ex imis visceribus parturire; illic sine labore imaginibus è cœlo affatim radiantibus illustrari. Quid plura? Domi Magister nullus Tyronem Theologiæ insudantem regit; sin adest, socii laboris æmuli desunt, & merces deest certa, illustris, exquisita, quæ in scholis rependitur.

Quantùm enim putas discipulo ad discendum proficiendumque afferre utilitatis Magistrum funditùs scientem, docentem strenuè, alta promentem, ac lucida ex ordine ac serie disputantem, . . . qui factus omnibus omnia, ut omnes Theologiæ lucrifaciat, nunc sapientiam inter perfectos loquatur, nunc sapientiæ rudimenta, lactis instar, parvulis propinet: non nimis austerus, ne terrefactis injiciat animi nauseam; nec plus æquè festivus, ne sui Dominos iniquè cohibeat.

Ubi, quæso, auditores, convertite oculos mentis in atria & adyta cœlestis disciplinæ, in sacerrima Theologiæ penetralia, quæ Lutetia, tantis ædibus superba, suo circumdat sinu, ibi sublimes in exedra; tanquam in doctrinæ arce, sapientiæ doctores, magna sydera eminent; affusi ad audientiam sedent sapientiæ candidati. . . Muta labia, intentus animus, arrectæ aures, oculi vel attentè demissi, vel erecti mirabundè, quisque discipulus ex Magistri ore suspensus. Ille divinis litteris plenus, divina eructat verba; Patrumque sententiis locuples, vetera & nova de thesauro suo profert, origine quidem vetera, expositione autem nova. Quamvis enim videri sibi possit ingeniosus & sapiens, nihilominus cum idiotis & simplicibus paret Ecclesiæ; quique ab aliis magister salutatur, Ecclesiam ipse auscultat magistram. Itaque monente Apostolo, depositum custodit, nimirum Catholicæ fidei talentum illibatum inviolatumque conservat; intelligitur ipso exponente illustriùs, quod anteà obscuriùs credebatur; eadem quæ ab Ecclesia didicit, docet, ut cum dicit novè, non dicat nova.

Interim discipuli fluvios nectaris leniter decurrentis haurire avidius. . . Ut autem alter alterius exemplo allicitur, non ut carpant otia, sed ut augeant studia! ut alter alteri præire contendit, non gloriolæ cupidine, sed amore veritatis! ut alter in alterum sævire ac debacchari videtur, non ad infligendum vulnus, sed ad pertentandam ingenii aciem! ut denique hinc illinc adversa rationum momenta ex syllogismis, velut è sclopetis globulos, vibrantes magna faciunt virium experimenta, magna mentium certamina, magna scholarum theatra, magna scientiarum spectacula! sic sic qui domi languidus torpidusque oscitaret, in scholis fervere incipit & flammigare: qui solus sibique relictus, suis velut sepultus jaceret in tenebris, ex mutua sua cum æmulis, ut ita loquar, frictione, primùm scintillas,

F.

deinde lucem veritatis elicit... Superi! quàm bella illa & nobilia & innoxia, quæ tantùm boni habent, periculi nihil? Non enim ibi pectus hastæ, guttur ensi, caput gladio, totum corpus igneis fistulis objectatur (quæ quidem arma si magnanimi scholarum athletæ in se versa cernerent, plerosque opinor terga versuros) Ast ut viros decet linguâ unâ bellicosos, totum quod in pugnam venit, verbis verborumque ardore pugnatur.

Super his (quod animos vehementer acuit) sua victori corona haud invidetur, quæ quantùm cæteris egregiè factis clarissima scientiæ testificatio, tantum ipsa reliquis egregiè factorum præmiis antecellit. Et quidem post triennium, quid valeres, in frequente hostium congressu, tentasti faustè ac feliciter? Jam incedes laureâ Theologicâ initiatus, tibique vellus ponticum humeros & pectus magnificè obumbrabit. Deinde bino anno totus militiæ Theologicæ vacasti, palam aut alios lacessens, aut ab aliis lacessitus, victoriarum testis & comes? Hoc ipso te manet, summus magisterii gradus, epomisque honorifica, regali cinctura purpurea. O! quantum est Doctoribus assidere, coram selecto & numeroso & applaudente Cœtu, Legis divinæ interpretem conclamatum! Quantum est iis accenseri oraculis, quæ dum Apollo Delphicus multis ab hinc seculis taceret, toto ceperunt orbe interrogari! Quantum est ad primos vocari Ecclesiæ Magistratus, Regibusque nostris, quod religionem attinet, Consiliariorum haberi loco! Hæc iis qui bonum Theologiæ certamen certaverint, reposita corona, præparata laurea, destinata gloria.....

Post hæc, venitur ad innumeros Theologiæ alumnos, è scholis prodeuntes, quos ipsa docuit religioni militare: qui si junctis viribus pugnent, monstrum erroris contra eos stabit nullum, vel non stabit integrum; si vires dividant, & varia subeant loca, fortiter contendunt, ne pars Ecclesiæ ulla fidei morumve hostibus, hæresi criminive pateat.

Effert sese præ cæteris ac micat Episcopalis ordo, præsertim adunatus. Quantum ex eo decus percipiant scholæ, ostenditur.... Apud homines erroris tenacissimos non est magni ponderis maxima in dogmate consensio. Non eos terret, cujus vel terribile nomen est, undequaque vibratum anathema; quasi fulminibus assueti didicerint crebra inter fulmina ludere ac subsilire. Tonat summus Pontifex, perstant: tonanti adstrepunt, reliqui per orbem Episcopi, sibilant: ad tonitrui vocem pavet fidelis populus, rident. Non sic porrò, quibus ratum est Christi versari potestatem in Ecclesiæ manibus, quæ sive irata plectit, sive parcit propicia, Christus ipse plectere aut parcere censendus est: Tantæ potestatis exercitium sacerdotes manere, imprimis Episcopos, quibus inest sacerdotii plenitudo, quibus adest spiritus Dei, non priùs recessurus, quam orbis conflagraverit. Itaque si leges ponunt, corde obediendum, si dogmata sanciunt, mente annuendum; si parant fulminare, totis artubus contremiscendum.....

Quorsum ista? Nimirum ut appareat quanto in pretio habendæ sint Academiæ Theologicæ, quibus tanti est ipsos Ecclesiæ pastores verendos pavisse, doctoresque falli nescios docuisse. Ita sanè quidquid scientiæ ac disciplinæ in conventibus Ecclesiasticis, quidquid in communibus Pastorum documentis affluit, & quadantenus exuberat, in scholis acceptum referunt. Quanquam enim singulari numinis afflactu gaudent, quotiescumque de fide pronuntiant unanimiter, adeò tamen humanæ arti sese divina operatio sociat, ut illam ista perficiat, non tollat, illa isti subsit, non repugnet. Quo pacto Episcopi, quid cum summo Ecclesiæ Capite determinarent, quando fuit determinandum, hinc spiritus divinus, indè Theologia dictitavit; quos nempe Theologia doctissimos (hoc magnum) spiritus veró divinus infallibiles facit (hoc maximum.)

Quin etiam summis laudibus extolluntur sacrarum Facultatum Decreta, inter alias Parisiensis.... Verùm & cedo veniam, si nihil ego de vestris Coryphæis (Religiosi Ordines cùm extranei tum domestici) laudis quidquam vobis à me detractum velim, cui perspectum est felicioribus Ecclesiæ seculis disciplinam vestram in tot claruisse hominibus, quot habuit ministros Christus, vitæ sanctioris æque ac præstantioris laude conspicuos. Alii sub Augustini vexillis merent, alii Benedicto duce & auspice militant. Castra ponunt in deserto, longe ab urbium strepitu: mox erumpunt in auras, metuendi pariter infensis vitiorum monstris, de quibus assiduè triumphant, & pravis ignorantiæ molitionibus, quas evertunt in dies multiplici lucubratione; quo fit ut gratos virtutum flores odorifera solitudo germinet, fructibus eruditionis decenter innexos. Hi Dominicum, illi Franciscum secuti, nec mora, in Ecclesiæ præsidium advolant; nihil vigiliis parcunt ore manuque sic agunt, ut eadem ipsa quos amplexa fuerat milites Ecclesia, sibi sæpe postmodum elegerit duces. Vides ut alii patre illiterato nati, literis nihilominus ac scientiis decore incumbant, non amore fastûs quem despiciunt, sed religionis zelo cui serviunt, nomine ac humilitate minimi, doctrinâ & charitate maximi. Sequitur clarissima societas, ætate suppar, nulli tamen secunda dictis, scriptis, factis, quæ paucis annis explevit tempora multa: in conspectu Regum locuta sapientiam, & assecuta gloriam; Quod superest, laborum quos exantlavit recordatione, quos in posterum subire parat, ob Christi nomen, cui se totam devovit, spe neutiquam fallaci, toti Ecclesiæ pretiosissima.

Te vero sileam, Gens Prophetica, Mariæ deliciæ, Ordo vetustissime, juxta & sanctissime, cujus exceptum sinu prima sincerissimæ pietatis & altioris doctrinæ mella combibisse me fateor? Equidem timendum est ne vilescant laudes matris in ore filii; vixque ausim hic loci turbam Eliadum numerosissimam appellare, quæ Theologiæ Parisiensis Lauream adepta est, duce Pactensi Episcopo Petro Thomâ, viro titulis fulgentibus in suam & Carmeli gloriam abundè insignito, quos inter non est parvi æstimandum fuisse Academiæ Bononiensis apud Italos patrem. Heu! quot olim Carmelo sidera, quantas Ecclesiæ faces accendit cælo grata, Romæ chara Oxfordia! Quot etiamnum Salmantica, fidei Catholicæ propugnaculum! Quin etiam toto qui patet orbe terrarum, eximia sanctitas, ingenio bonisque artibus juncta, quam multos è nostris optimè de Ecclesia meritos provexit ad æthera! Hi Deo jam vivunt absque corpore, quorum nomina laus scholæ sunt.....

SECUNDA PARS.

Ex pace oritur Imperii splendor, ex religione pax. Quocirca si populos eatenus quietè vivere demonstravero, quatenus religionem custodiunt integerrimam, simul apud vos credam effecisse me, ut quia religionis integritatem ex Theologiæ scholis maximè religatam esse, jam constat ab iis pariter splendorem Imperii præcipuum auguremini. Atqui non posse avitam religionem deficere vel antiquari, quin Civium inter sese amicitia & cum cæteris populis concordia vacillet aut etiam subruatur, omnibus est in propatulo. His duobus quasi fundamentis nititur nostræ secunda pars orationis.

Ac primò quidem ob oculos ponite ad vivum expressam, eamque luctuosissimam bellorum imaginem, cùm domesticorum tùm exterorum, queis ansam præbuit religio malè interturbata.... Quæ cum ita sint, à vetere dogmatum norma, ne latum unguem recedat populus otii amantissimus, ut autem illa perstet incolumis, Theologiæ scholas discat ab interitu vindicare: discat & satagere, ut nova surgant, nec labantur quæ antè surrexerint, nec singulis quidquam desideretur quod in eas conferri deceat, ornamentis. Ita, ita crescet reipublicæ gloria; dumque ipsa non timebit, ne exteratum viribus opprimatur, cæteras immo pietatis & ingenii famâ vincet.....

Jam verò quantus hìc loci, quàm pulcher ac nitens aperitur campus ad Encomium. Sileo primis Ecclesiæ seculis florentes, aliarumque longè principes Episcopales scholas; omitto celeberrimum Alexandriæ gymnasium, ubi Parthenus docuit, à quo educatus Clemens auditorem habuit Origenem; Quò non pervenit urbium & regnorum gloria, subsidio Academiarum, quæ primùm quidem habitatione monasteriorum conservatæ, optimarum disciplinarum factæ sunt azila & hospitia, vel mediis in urbibus apertæ, scientiarum decus, totâ quâ patet Europâ instauraruut? ....

Laudem hanc scholarum bipartitam, incipiam à Monachis, quorum ope atque operâ scientias quondam jacentes & penè obrutas nemo nescit rectas fuisse ac restitutas? Postquam ferocissimæ gentes in Romanas provincias more torrentium exundarunt,... Ubique doctrinatum otia nobilissima & permœna vidisses fœdâ mutari hominum strage, quid tristius? Vidisses territas, attritas, confusas litteras antiquo & solio & solo cedere, quid miserius? Vidisses totam ignorantiæ barbariem invehi civilibus ingeniis unà cum barbarorum jugo, quid deplorabilius? Et illa fortè vivendi asperitas fera, sylvestrisque Gallos ad longa tempora invasisset, illa patribus nostris dudum hæsisset mentium rubigo, squallida & indecora; nisi pietas inde peregrinata, ubi vir Dei Benedictus montana ei templa posuerat, huc appulisset mores limatura & politura Gallicos. Venis ad nos quisquis fuerit à quo perlata es, Benedicti Regula, *Sermone luculenta, discretione præcipua*; Venis, & omne adducis Sanctitatis genus, omnem arenam sternis in qua Christianus docetur pro Christo stare ac vincere: venis, & religio consecrat scientiam; scientia religionem commendat; scientiam religio dirigit; scientia munit religionem; ne scientia inflet, religio vetat; ne cedat religio, vigilat scientia. Venis, & scientia religioni maritatur, non ut accedat religioni curiositas, nec ut decedat scientiæ amœnitas, benè verò ut discat scientia religionem colere, scientiam religio adamare.

Nec profectò ignosci debuit viro aliunde clarissimo & singulari observantiâ digno, cujus nota sunt adversùs eruditissimum Mabillonium dissidia, occasione studiorum, quæ ipse Monachis interdixerat... Monastica etenim officia nimis deprimit, nec satis novit quicunque optima scientiarum studia jubet à Monachis exulare: In quo gravem admisit culpam ipse tam pius reformationis auctor, tam severus Monachorum studiosorum censor: Cui si fidem habes, legitimam Benedicti prolem crede nullam esse præter suam, quoniam sua præter alias ignorantiæ mancipata est. Hic edixit ne Ascetæ uspiam dogmate, sed terram crebrò rimentur, quos non igenio conari voluit, sed corpore desudare; non astra contemplari unde ad Deum rapitur animus & affectus, sed in pulverem defigi oculis, quò sese cogitant reversuros, non fructus decerpere lucis & gratiæ, laudis & gaudii, quos evoluta scriptura germinet; sed in labore corporis versari, quo terra fœcundatur & parit; non libris impulvescere, sed ligonibus incurvari; non Augustini placita, sed Gallici hortulani excipere monita; denique rusticanos agere voluit, ut Monachos agant. Absonam profectò vivendi legem, quæ dum salubris doctrinæ penso vilem substituit operam, tot religiosæ vitæ duces, piè doctos & doctè pios, uno verberat anathemate!

Tibi verò Ecclesia non ab norme visum est, quod ibi studia vigerent, ubi scientia florebat, alibi vexata, saltem neglecta, sæpè irrisa: quæ tamen si flocci-fiet, absque præsidio eris. An enim institutum condemnasti, quod in tuam redundavit gloriam, sive hostes tuo monachi verbo & scripto profligarent, sive candelabro impositi tuo & lucerent doctrinâ & arderent charitate?

Veteres illas omnis generis sanctissimarum exercitationum palæstras adhuc in Cœnobiis stantes, excipiunt almæ studiorum Universitates, quæ passim in orbe Christiano vigent: Quàm magno religionis emolumento! Quanta cum fama regnorum & imperiorum! Quocunque pervenit religio, illuc Theologia penetravit; nec illa uspiam altiùs radicata, latiùs diffusa, totiùs defensa, sanctiùs exculta est, quàm ubi plures ista & acriores nacta est discipulos; Hi verò tunc temporis abundant, quando Theologorum studia redditibus valent, prærogativis clarent, honoribus coronantur: Et ista Principum laus est non ultima, religionem deffendisse atque ornasse patriam, quotquot studiorum Universitates condiderunt, religionis custodes, quia Theologiæ studiosas.

Exinde si lustraveris aliarum gentium in hac parte decora & insignia, Romam præ cæteris reperies & demiraberis, unde puri sapientiæ latices, quaquaversum perenni fonte defluunt; juxta Petri Cathedram stare non potest Cathedra pestilentiæ. Sacra autem Sorbonæ atria suspexeris? Caput attolle & exclama: Regia Theologiæ Parisinæ Schola, omnium Scholarum Regina, cæteris tanto dignior, quanto Lycæorum & alumnorum numero superior, & meritò! Pars tu prima illius Societatis, quæ Regum Christianissimorum primogenita vocatur, primam dicet aliquis origine ac dignitate? Ego insuper dico & fama primatu & nomine. Cogitet namque Sorbonam, si quis nobis doctrinæ palmam invideat; Cogitet scholas tot seculis claras, tot populis notas, tot oraculis famosas, tot discipulis conspicuas, tot magistris gloriosas, tot Regum beneficiis amplificatas, tot à Sede Apostolica datis elogiis commendatas; verbo dicam, tot temporum, gentium, Principum, Pontificum, piâ & justâ, profundâ & perpetuâ veneratione consecratas: Cogitet, videatque id majestatis præ se ferre Theologiam in Gallia, quod alia inter regna obtinet Gallicanum.

Longum esset prisca relegere temporum vestigia, virosque illustres recensere à quibus Galliæ simul & Academiæ Parisiensis fama in cœlos exaltata est, omnemque in terram propagata. Duces tantum ac Principes commendantur, inter alios præclara Ecclesiæ lumina, Thomas Aquinates & Bonaventura; hic *Seraphici* Doctoris nomen sortitus, ob igneas divini amoris faces, ille *Angelici*, propter sublimem ingenii volatum; ambo Doctorum antesignani, qui pariter in Aula Theologiæ Parisiensis creverunt; & quoniam ad justitiam erudierunt multos, fulgent sicut stellæ in perpetuas æternitates. Quibus tamen omnibus viam straverat Magistrorum Magister Petrus Lombardus: cujus prout sententias quisque assequebatur, doctus, prout interpretabatur, Doctor æstimari...

Sequuntur

F.

Sequuntur celeberrimi Theologiæ proceres & quasi antistites scholæ, quos ea ne ingrata esset officii, variis unumquemque titulis ac nominibus exornavit. *Irrefragabilis*, cujus placitis obluctari piaculare fuit, adeo erant in scholis rata. *Illuminatus*, quem ubertas cognitionum ditissima & profluentissima locupletavit. *Subtilis*, cui lyncea perspicacitas & cerea facilitas insuit, dum sensa nodis expedivit propria, intricavit aliena. *Resolutus*, qui si visus est opinari liberius paulò & audacius, ingenii celeriter non temerè procedentis argumentum est....

Denique orationem claudit elogium Sancti Ludovici, Francorum Regis, de Sorbona, quin immò de Ecclesia, tam benè ac præclarè meriti. » Vivet, auditores, vivet Ludovici IX. memoria. Vivet he» roum annalibus consignata Gallorum, infixa cor» dibus gloriæ inscripta templi, Cælitum conscri» pta fastis. Vivet, quæ Regem posteris exhibebit » Philosophiæ non dicam fœtibus, at ipsis præstan» tiorem votis: minus enim est quod illa finxit, » quàm quod iste gessit, majorque ambitioso elo» quentiæ mendacio simplex veritatis fides. Vivet » æternùm, vivet cui nunquam perire, nisi regno » & religione pereuntibus datum est. Sed vivet nul» libi clarior, quàm in Sorbonæ atriis; nullis illu» strior factis, quàm Sorbonæ origine, cui Rex » sanctissimus bona benè prodegit amplissima. De» dit enim nasci, natam augeri, auctam ad summum » gloriæ apicem florescere. Ipse doctorum zelo vi» tia compescuit, qui suis fregit viribus perduel» lium vires, doctorum calamo fudit hæreses, qui » suis repressit Edictis blasphemos; doctorum ore » stabilivit fidem; qui vexilla Christi præfixit infi» delium arcibus, demùm ipse doctorum famâ latè » regnat; qui Principibus imperandi, Ducibus bel» landi, Magistratibus judicandi præcepta in sese re» liquit, omnium suffragio regia; Christianis vi» vendi exempla solemni Ecclesiæ judicio agnitæ & » cultu consectata, laudibus nunquam satis ad re» gnum, præsertim Galliarum, imprimis Borboni» dum, & Galliæ splendorem extollenda.

2. *Quatuor Inscriptiones Statuæ LUDOVICI BENE-AMATI, Rhedonis erigendæ.*

PRIMA INSCRIPTIO,

Et hæc quidem lateris eminentioris.

LUDOVICO XV.

REGI OPTIMO,

INVICTO PARITER AC DILECTO,

POST CAPTAS IN BELGIO URBES:

RECUPERATAM EX LETHALI MORBO SALUTEM,

EXPUGNATUMQUE FRIBURGUM,

FESTIVIS UBIQUE GAUDIIS,

PERSONANTE GALLIA,

ÆTERNUM HOC AMORIS SUI MONUMENTUM

POSUIT

AREMORICA PROVINCIA,

ANNO SALUTIS M. DCCXLIV.

Dîs, populis gratum Regem, Heroemque Patremque

Mors fugit; hostem animus, corda subegis amor.

SECUNDA INSCRIPTIO.

Quàm dignum imperio, quàm dignum cernis amore

Regem animo, factis Heroa, corde Patrem.

TERTIA INSCRIPTIO.

Bella geris, LODOIX, pacem-ve reducis, utroque

Magnus, nec patriæ desinis esse pater.

QUARTA INSCRIPTIO.

Mars Reges facit invisos: te fecit amorem

O LODOIX, populi deliciasque tui.

Has Inscriptiones invitatus, rogatus Autor & postulatus à nonnullis insignioribus Rhedonensibus & Armoricis, elucubravit anno 1744. verùm alius vocatus est ad concinnandum; & ideò curam suscepit Clariss. Dom. DUCLOS, tùm Dinantii Senescallus, nunc Regius Historiographus, & Regiæ Academiæ Gallicæ unus è quadraginta sociis.

3. DISCURSUS ACADEMICUS, quem Auctor ad Tolosanam Academiam ludorum Floridorum misit anno 1726. quo nullo tunc ob exhaustos ærarii fundos elucubratio præmio donata fuit: in alia autem, literaria Provinciali Societate præfatus discursus Academicus elegantissimo numismate argenteo coronatus est; & in ea *Felix* anno 1735. ipse receptus est socius.

4. DISCURSUS sive Oratio Academica de humanarum vanitate dignitatum in illa verba 1. *Machab. cap.* 2. de Alexandro prolata: *Siluit terra in conspectu ejus..... Et post hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur.* Ab amplissimo & Illustrissimo Joanne-Paulo Bignon, Regiæ Bibliothecæ Præfecto, plurimùm commendata est hæc Oratio, cujus & Auctor ab eodem Abbate peritissimo honorificos ad studia sua prosequenda stimulos recepit.

5. *CIVES PLANETIS ADSCRIPTOS in somniorum terras amandandos esse.* Oratio Turonibus habita coràm Illustrissimis Dom. Dom. DE TRESSAN, Archiepiscopo Turonensi, & Titulari Berytensi Episcopo, nec-non Amplissimo Dom. DE POMREU, Turoniæ Prætore, & aliis insignioribus Civitatis Proceribus, anno 1727.

Orationis divisio hæc est: Primò quidem, *Cives Planetis jure nullo adscribi*: Deinde *Jure maximo denegari* evincit Orator.

6. *Alia plura Philologica*, sive prosâ, sive metro scripta, quæ Auctor quantâ peritioris & politioris literaturæ notitiâ & copiâ polleat, admodum mirè demonstrant. Ejus autem prosapia LE MARIE, quantùm illustris etiamnum fulgeat in Andegavia multis ostendit argumentis Ægidius Menagius, in vita & in notis ad vitam Petri Ærodii, *pag.* 492. 500. *&c.*

V I.

FELIX BONA FIDES, perperàm BONASTRES, natione Siculus, Domo Panormitanus, Carmelita primi Instituti *Montis sancti*, Ecclesiastes celeberrimus, eruditione, eloquii suavitate, ac facundiâ clarissimus. Nedum Panormi in Principis Templo, verum etiam in præcipuis Italiæ Civitatibus Conciones habuit magno cum plausu exceptas. A Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, ac summis Principibus persæpe honorificentissimis epistolis expetitus est, ut apud suos Quadragesimale curriculum concionando perficeret.

F.

Hinc magnum ubiquè nomen ab eloquentiæ celebritate sibi comparavit. Gravioribus disciplinis instructissimus, in Siculo Inquisitorum Consilio consultoris & Censoris munere cohonestatus est. Pluries Ordinis Cœnobia rexit: præsertim Bononiensi præfuit. Dum Siculam Provinciam gubernaret, ac sedulò lustraret, decessit *Panormi*, 27. Septembris 1681. anno ætatis suæ 58. Edidit:

1. *Arcosphæriantium Salomonis, SS. Virginis Mariæ Carmelitæ, Gratiarum Matris, Encomia continentem.* Bononiæ, Typis Josephi Longi, 1674. *in-4°.*

2. *Le Glorie del Precursore di Christo esposte al publico nel suo Festivo Ottavario Solennizzato nella Metrapolitana Chieza della Citta di Fiorenza con otto Prediche.* Florentiæ, apud Vincentium Evangelistam, & Petrum Martini, 1677. *in-4°.*

3. *Il parto della fenice avivato nelle Ceneri. Discorso Panegirico della Beata Catarina di Bologna.* Bononiæ, apud Josephum Longi, 1674. *in-4°.*

Ita Antoninus Mongitor, in *Bibliotheca Sicula, tomo 1. pag.* 193. Nonnulla etiam præfatus fuit Daniel à Virgine Marià, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1072. *num.* 3735. At perperam BONASTRES vocatur ibi noster FELIX, forsan ex Typographi incuriâ.

VII.

FELIX BUY, BHUIS, aliàs BUHY, natione Gallus, Lugduni circa annum 1637. natus ex locuplete Mercatore. Cabilonensem Carmelum jovenis ingressus, Philosophiæ & Theologiæ curriculo absoluto, universæ Theologiæ Theses anno ætatis suæ vigesimo secundo publicè plaudentibus omnibus propugnavit; & posteà Lauream Doctoralem in Academia Valentina apud Arvernos adeptus est. R. P. *Morelli* Provincialis Assistens assumptus, Lutetiam Parisiorum advenit, ubi Baccalaoreorum Sorbonicorum petitiâ delinitus argumentantium & respondentium, desiderio Doctoratûs in eâdem sacrâ Facultate adipiscendi vehementi stimulatus, se in Sorbonam sistit, & tanta cum eloquentia ad sapientissimos Magistros orationem habuit, ut consucto ab studiorum stadio fuerit solutus.

Propugnatâ quam vocant *Tentativam*, Thesi, *Bisuntinum* in Priorem, deindè assumptus est in *Lugdunensem*; posteà Parisios redux, Licentiatûs Theologici viam percurrit, in quà nusquam argumentatus est, quin adversarium deflexerit. Primus omnium sustinuit die quartà Decembris 1681. Propositiones CleriGallicani, Præside Magistro *Joanne Gerbais*, qui per sex horas adversùs *Felicem Bhuis* argumenta proposuit. Rumorem magnum *Parisiis*, *Romæ*, majorem hæc *Thesis* excitavit, quò & missa fuit cum responsis Defensoris, quæ plus Romanam Curiam offenderunt quàm ipsa *Thesis*. Paulopost Prior Carmelitarum Maubertinorum à Commissario Generali jussus est indicare P. *Bhuissio* interdictionem pontificiam adversùs eum latam ab Innocentio XI. Verùm die sequenti 25. Januarii 1682. prohibitio Regis eidem Priori intimata, ne isthæc interdictio in nostrum *Felicem* valeret, qui *Lugdunum* statim perrexit conciones habiturus, ubi in Principe S. Joannis Ecclesia unanimes generalesque plausus excepit, nonobstante suo interdicto. Superiores autem Carmelitæ tanquam facinorosam molitionem & ejuratam inobedientiam id acceperunt.

Die Lunæ post Dominicam, Passionis, Prior & interioris consilii Patres Maubertini Carmelitæ novas acceperunt literas, quibus Frater *Bhuisius* privilegiis regularium per summos Pontifices concessis exutus denuntiabatur, incapax ad munia Ecclesiastica exercenda, voce activâ & passivâ in electionibus privatus, sub pœna excommunicationis & depositionis Superioribus infligenda contrà hoc judicium agentibus & permittentibus. Quod decretum in Conventuali Capitulo lectum die 4. Aprilis, & consuetâ formâ inscriptum maodatum codici publico.

Paucis interpositis diebus, amplissimus Dominus *Achilles Arlayus*, rerum regiarum Cognitor, supremo Senatui libellum supplicem obtulit, in quo religiosum hominem injustè damnatum exhibebat, postulabatque ut Carmelitarum Maubertinorum Prior accerseretur, qui de gestis in hoc negotio rebus rationem redderet; & secum afferret codicem in quo deliberationes conventuales describuntur. Procuratoris Regii postulationem subsecutum est Senatusconsultum.

Biduo post *Prior* duobus Comitantibus sociis, ad Vadimonium occurrens, in sui purgationem omne jus dixit: videlicet se regiæ voluntati penitùs subjici, à Rege autem minimè prohibitum, quominus suæ communitati redderentur Epistolarum Româ missarum fascicula ad eam allata: quæ si privatâ auctoritate ipse suppressisset, morem sommo Pontifici se denegaturum fuisse, & Regi non cessurum: imperata Romæ suos Religiosos non latuisse, qui jam in murmurationem occultè abibant, quod hæc cum ipsis pro consueta forma non communicarentur, non sine magnâ prudentiæ carnis & scenæ suspicione: murmurationibus istis, quas Superior omnis prudens attendere magnoperè tenetur, incitatum fuisse post quindecim dies, ut Epistolam Commissarii Generalis remitteret suis Religiosis, & eam conventuali codici inscribi faceret.

Commentarios hos secum noo attulit R. P. *Loubaissin* Prior, & rationem dedit quod in Monasteriis æquè ac in familiis nonnulla secreta occurrunt negotia, quæ abscondere prudens est, quapropter non animo contradicendi, Senatusconsultum à se non omninò impletum. Verumtamen amplissimus Dominus *Dionysius Talæus* (Gallicè *Denis Talon*) regiarum causarum Patronus requisivit ut ad diem dictum Prior se sisteret coram Senatore per Curiam designato, à quo & subiret interrogationem; simulque codicem monasticum afferret, ex quo acta extraherentur & notarentur, quæ congruenter judicarentur. Ideò decretum fuit ut P. *Loubaissin* cum ono socio in forense tabularium duceretur, dum alter Carmelita quæsiturus conventuale diarium peteret.

Die 13. *Prior* ad interrogata juridica respondit; & similia his quæ anteà protulerat, dixit. Decimâ autem quartâ die exiit supremæ Curiæ sententia, ut is de Imperio Regio neglecto palam admoneretur, cum interdictione culpæ repetendæ, sub pœna animadversionis publicæ. Statutum simul fuit ut P. *Felix Bhuisius*, qui statim suam post Thesim propugnatam Lector Theologiæ à Sodalibus fuerat nominatus, officio in majori Conventu fungeretur; atque cum aliis Religiosis simul præsentaretur Illustrissimo Dom. D. Archiepiscopo Parisiensi, à quo ad congrua munia exercenda admitteretur; & hoc decretum servandum sub coercitione & apprehensione bonorum temporalium Conventûs, & amissione privilegiorum.

Latâ sententià, amplissimus Dominus Proto-Præses, Patrem *Loubaissin* admonuit, sed ullâ absque verborum felle & acrimoniâ: Imò & huic R. Patri solatium afferre voluisse visus est de scena quam gesserat viro religioso molestâ semper & ægrâ, *nihil amplius superaddam*, inquiebat Illustrissimus Dom. Curiæ supremæ Princeps, sermonem absolvens, vel

F.

minima exprobratio viro tuæ professionis probo acerba nunquam non extet. Ad ministerium tuum abi, & fac ut vita tua sit obedientiæ, sicut pietatis extitit exemplar.

Expositione sententiæ partim fruitus est *P. Bhuis* quoad ea quæ sui erant, sed non diù: nam jubente suo Provinciali ad Conventum suæ Provinciæ paulopost avocatus est. Paucis post annis Parisios redux, majorem non assecutos est gratiam, quàm concionandi facultatem. Quoquidem Apostolico munere occupatus, obiit pleuritide vexatus, in oppido Lutetiæ vicino, ubi quadragesimalem cursum in concionibus dicendis implebat, anno Christi 1687. ætatis autem circà quinquagesimum. Cineres ejus Parisios allati, in Claustro Carmelit. Maubertinorum reconduntur. Judicia dicunt ab eo data doloris acerbissimi de propositionibus qoas sustinuerat Curiæ Romanæ adversis. Vir, cujus corpus robustum & appositè constructum, vita ad normam composita, mores probi juxtà religionis modum adornati, singulis diebus, quæ laudabilem hominem reddunt præditus, mitis, in omnes officiosus, etiam in inimicos & æmulos, horum tantum memor ad bona conferenda. Scripsit,

De sacri Scapularis Confraternitate, Gallicè. Lugduni, 1674. *in*-12.

2. *L'Histaire en abregé des quatre Conciles Généraux.* Id est Latinè, *Quatuor priorum Conciliorum Generalium Historiam in Compendium redactam.* Parisiis, apud Martinum le Prest, 1676. tribus voluminibus *in*-12. Eximium & palmare artis opus, inquiunt Gallicè (*cet Abrégé des Conciles Généraux m'a parû être un coup de Maître*) tametsi sex intrà hebdomadas compositum; sed suppresso nomine editum.

Nomen verò detraxit Dominus Natalis d'Argonne Cartusianus, suis in *Misfellaneis Historiæ & Literaturæ*, quæ Gallicè inscribuntur: *Mélanges d'Histoire & de Litterature, recueillis par M. de Vigneul-Marville, tomo* 3. *pag.* 2. *edit.* 3. Paris, 1713. *in*-12. Hujus Historiæ Conciliorum meminit vir clariss. Dom. N. Salmon, Doctor & Bibliothecarius Sorbonicus, in *Tractatu de studio Conciliorum*, Gallicè, anno 1724. edito Parisiis, *in*-4°. *pag.* 619. sed nomine suppresso. Felicis autem Bhuis negotium fusè describit R. P. N. Davrigny S. J. in *Commentariis Chronologicis & Dogmaticis*, Gallicè editis 1720. *in*-12. *tomo* 3. *pag.* 200. *& seqq.* Mentionem quoque celebrem Felicis Bhuis facit R. P. Philippus Chaudeau à S. Claudio, quondam Prior Lugdunensis, posteà Definitor Provinciæ Narbonæ, deindè anno 1744. Assistens R. Prioris Generalis Aloizi Laghii nominatus in *Schedis Mss.* Lugduno Aureliam ad nos missis, die 2. Julii, anno 1741.

V I I I.

FELIX MARIA SERGIO Sanctimonialis in Parthenone Sanctorum *Petri & Pauli* ad Superioris Calabriæ (*di Castel Vetere*) *Castel Veteranense*, quod anno 1423. fundatum refertur, scripsit anno 1725. plurium hujus Monasterii Carmelitarum Religiosarum vitas, quarum

1. Venerab. Matris *Dominicæ Mosto*, ex Comitatu *de Grotteria* in ulteriore Calabria, Nobilis Virginis, anno 1675 defunctæ.

2. Venerabilis Matris *Giovannæ di Castel Vetere*, ex illustri Dynastia *Mavula* prognatæ, quæ Virgineos artus dissolvit anno 1691.

3. V. M. *Mariæ Magdalenæ Hieracle*, in seculo *Teresiæ di Castel Vetere* natæ, & anno 1691. denatæ die 19. Novembris.

4. V. M. *Mariæ Baptistæ Protospataro* Neapolitanæ, in seculo *Ceciliæ*, defunctæ 1693. die 3. Septembris.

5. Sororis *Mariæ Casalano di Castel Vetere.* Conversæ, mense Octobri mortuæ 1693.

6. V. M. *Mariæ Teresiæ Protospataro* Neapolitanæ, in seculo *Teresiæ*, die 14. Augusti 1698. extinctæ.

7. V. M. *Agnetis Mariæ Alonia*, in seculo *Isabellæ*, Neapolitanæ, die 8. Augusti 1701. ad cœlos avolatæ.

8. Sororis *Ceciliæ Parisi* di Castel Vetere, in seculo *Evoreciæ*, Conversæ, die 20. Decembris 1704. demortuæ.

9. V. M. *Mariæ Teresiæ Sergio* de Castel Vetere, in seculo *Agnetis*, emortuæ die 11. Decembris 1723.

10. V. M. *Mariæ Cherubine Fonte* di Castel Vetere, aliàs *Agnetis*, denatæ die 9. Octob. 1717.

11. V. M. *Annæ Mariæ Alonia* Neapolitanæ, aliàs *Constantiæ*, die 18. Augusti 1724.

Cunctas vitas penes se habet R. P. Seraphinus Potenza, ut nobis scripsit anno 1749.

I X.

FERDINANDUS DEL BARCO, natione Castellanos, patriâ Abulensis, in Carmelitico Dei-paræ Virginis Sodalitio se spectandum, ineunte seculo decimo-sexto dedit Doctor Theologus, CAROLO V. Cæsari à sacris fuit concionibus: Episcopus *Salonensis* seu *Salonæ* electus die 6. Februarii anno 1521. vir publico hominum bono, & nobiliorum disciplinarum, præcipuè sacrarum Scripturarum incremento natus. Obiit *Salmanticæ*, anno 1548. & in Ecclesia *S. Rochi* à se constructa, sepultus. Scripsit:

In novum Testamentum Commentaria: quæ Mss. extare dicuntur.

De illo mentionem habent commendabilem, Ægidius Gonzales, in *Theatro Ecclesiastico*, *tomo* 2. *Hispaniæ*, *pag.* 125. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 282. Didacus Coria, in *Dilucidationibus antiquitatum Ordinis Carmelitarum*; ubi eum perperàm vocat Franciscum. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 396. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 90. sed hi omnes errant illum Salaminæ in Cypro Episcopum asserentes: nam ex *Actis Consistorialibus Leonis X.* constat *Salonæ* in Achæa sub Atheniensi Metropolitano, Episcopum titularem fuisse; ut animadvertit R. P. Ludovicus Peres in *Schedis Mss.* quas edidit Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 920. *num*, 3212. Meminerunt etiam ejusdem Ferdinandi del Barco, Philippus à S. Jacobo *Lib. de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum.* Emmanuel Roman, in *Dilucidario Carmelitico.* Ludovicus de Ariz, in *Historia Abulensi.*

X.

FERDINANDUS A JESU, ob auream dicendi vim & eloquentiam cognominatus sui seculi CHRYSOSTOMUS, Giennii in Hispania natus, *Granatæ*, à *S. Joanne à Cruce* ad Ordinem Carmelitarum Excalceatorum adscitus anno 1588. sanctitate ac doctrinâ clarissimus, trium Linguarum Latinæ, Hebraicæ, ac Græcæ peritissimus. Giennii, Beatiæ, ac Conimbricæ, ubì Concionatorem egit, celebres in Ecclesia Christi fructus protulit, atque maximam in Hispania tota famam comparavit. Superna placidissimè petiit, anno 1644. ætatis suæ 73.

Artium ac Theologiæ pluries Lector, docuit discipulos ad summam usque admirationem. Innumerabiles Libros scripsit, quibus Rempublicam literariam affatim decoravit. Plures invidiosa vetustas deglutiit, alios superùm favor asseruit, qui Mss. in Archivio Carmelitarum Excalceatorum *Beaticensi* servantur Latino sermone.

1. *Commentariæ in Logicam Aristotelis.*
2. *Commentaria in VIII. Libros Physicorum.*
3. *Commentaria in Libros de Anima.*
4. *Tractatus de Trinitate.*
5. *Commentaria super primam, secundam D. Thomæ, à Quæst. 6. ad* 17. inclusivè. Conimbricæ, anno 1606.
6. Item à *Quæst.* 49. *ad* 54. Ibidem, eodem anno.
7. Item de *Donis Spiritûs Sancti, & de Legibus*, anno 1612.
8. *De Peccatis, à Quæst.* 71. *usque ad* 80.
9. *De Gratia & Merito, à Quæst.* 109. *ad* 114.
10. *In secundam secundæ à Quæst.* 1. *ad* 6. inclusivè.
11. *De Regulis Fidei, de Ecclesia, de Pontifice, de Conciliis, de Scriptura sacra, de Traditionibus.*
12. *De Charitate, à Quæst.* 23. *ad* 27. inclusivè.
13. *De Sacramentis in genere.*
14. *De Pœnitentia, Virtute & Sacramento.*
15. *De Justitia & Jure.*
16. *De Electione Prælatorum*, hucusque omnia ista Opera *in-4°.*
17. *De Forma & Modo absolvendi à Casibus Papæ reservatis, in8°.*
17. *Opusculum de Miraculis.*
19. *Institutiones Isagogicæ ad Scripturam sacram.*
20. *Antropologia Sacro-prohana.*
21. *Pædagogus studentium sacris & honestis Literis.*
22. *Stimulus pro studio Scripturæ sacræ.*
23. *Apologia pro Scripturaria veritate tuenda.*
24. *Speculum sacrum pro laude Scripturæ.*
25. *Quodlibeta pro libertate Scriptoris Canonici.*
26. *Orator Evangelicus, cum Rhetorica sacra.*
27. *Institutiones Grammaticæ Linguæ Hebraicæ.*
28. *Institutiones Grammaticæ Linguæ Grecæ.*
29. *Commentaria in Psalmum* 75.
30. *Commentaria in Abdiam Prophetam.*
31. *Commentaria in Nahum Prophetam.*
32. *Commentariæ in Aggæum Prophetam.*
33. *Elucidarium exagesticum de* 12. *Tribubus Israël.*
34. *Opusculum deductâ & continuâ serie scripturæ à Christo Domino ad nostræ usque tempora per Patres.*
35. *Opusculum de nomine Jesu.*
36. *Opusculum de jugi Monachorum habitatione in Monasterio & in Cella*, anno 1632.
37. *Opusculum de Throno excelso Dei, pro Immaculata Virginis Conceptione : omnia hæc idiomate Latino, sequentia verò, Hispanica.*
38. *Elogia Carmelitanæ Religionis.*
39. *Laurus Hispaniæ S. Laurentius.*
40. *Cathechesis & Instructio Infirmorum.*
41. *Elucidarium Heroici operis, ingressus in religionem.*
42. *Nudipedium Christi & Apostolorum.*
43. *Tractatus de SS. Elia, Angelo.*
44. *De Christo in Sacramento.*
45. *Notitia insignium nobilitatis.*
46. *Conciones ducentæ & sexaginta quinque*, multis aliis fragmentis.
47. *Commentaria in tertiam partem D. Thomæ, à Quæst. prima usque ad* 26. Beatiæ, anno 1613. *in-4°.*
48. *Præmium totius sacræ Scripturæ.* Beatiæ; 1625. *in-4°.*

Vide Bibliothecam Carmelitarum Excalceatorum, *pag.* 158. & 159. ubi etiam refertur sequens.

X I.

FERDINANDUS A S. JOSEPH, *Mondensis*, in Bætica superiori natus, Philosophicas ac Theologicas disciplinas *Malacæ* & *Biatiæ* egregiè docuit. *Granatæ* Deo dicavit se apud Carmelitas Excalceatos, inter quos posteà studiorum regimini præfectus, mirum est quantum Cathedræ actibus pulpitique declamationibus effulserit, eloquentiâ, ac sanctorum voluminum explanatione clarissimus. Obiit *Arundæ*, anno Christi 1710. ætatis suæ 40.

1. *Apologiam* scripsit eruditam pro *Abbatibus S. Benedicti & S. Basilii*: ubi de eorum potestate ad conferendos quosdam Ordines, juxtà Concilium Tridentinum doctissimè tractat. Hæc Apologia *Ms.* anno 1702. composita asservatur in Bibliotheca D. *Bartholomæi de Espeso & Cisneros*, Episcopi Malacitani.

2. *Plurimas* præstantissimas *Orationes* reliquit; ex uberrimis potissimùm *S. Joannis Chrisostomi* fontibus, quem sibi quasi primarium, benedicendi exemplar imitandum proposuerat: Quibus multi è suis sodalibus divites effecti, præclarum inter magnos Concionatores nomen adepti sunt.

X I I.

FERDINANDUS A S. MARIA, in seculo dictus FERDINANDUS MARTINEZ, propè Astorgam in Regno Legionensi natus anno 1554. professionem solemnem inter Carmelitas Excalceatos emisit *Manceræ*, die 10. Junii anno 1570. sub disciplinâ *S. Joannis à Cruce*, & *Antonii Jesu*. Potuit *S. Teresiam* Religiosus videre, sed egregio modestiæ ac mortificationis exemplo, clausit oculos, ut in cœlis gloriosam videret.

Ob eximiam virtutis ac prudentiæ laudem, anno 1585. *Genuam* missus Conventûs Sanctæ Annæ Supprior & Vicarius, posteaque Prior electus est. Anno 1605. in primum Congregationis Italicæ Præpositum Generalem assumptus, Aspahamensem in Perside promovit Missionem, quæ anno 1608. stabilita est. Post obitum V. *Petri à Matre Dei* Vicarius Generalis institutus, per literas didicit fundationem Banderabassi anno 1610. Ormusianam anno 1612. Schiresem in Perside per Missionarios suos Religiosos fuisse confectam.

Anno 1613. *Dionysium à Matre Dei* & *Bernardum S. Josephi* in Gallias suum Teresianum institutum introducturos ac propagaturos misit. Anno 1614. iterum electus Præpositus Generalis, Beatificationem *S. Teresiæ* obtinuit, & primus Generalium Monasteria Galliæ visitavit; testimonium perhibens eundem spiritûs fervorem in Parisiensi, ac in Pastranensi Novitiatu vigere. Ab *Urbano VIII.* cui aliquando fuit à Confessionibus, septem Provinciis Reformatis *S. Francisci* Italiæ, Commissarius institutus est. *Neapoli* graves exortas inter Archiepiscopum & Proregem simultates composuit; & graviorem inter eumdem summum Pontificem & Proregem composuit.

Anno 1629. tertiò electus Præpositus Generalis; Constitutiones ab eodem *Urbano VIII.* confirmari curavit. Legatus missus est ad MARIAM Hungarorum Reginam, quæ per Italiam versùs Germaniæ limites iter dirigeret. *Romam* cum rediisset, plenus dierum &

F.

& bonorum operum, non sine sanctitatis famâ, animam exhalavit die 25. Martii, anno 1631. Edidit:

1. *Privilegia Congregationi Carmelitarum Excalceatorum Italicæ* concessa Romæ 1617. *in*-4°. Laudantur *tomo I. Speculi Carmelitani, pag.* 329. *num.* 1353.

2. *Epistolas sex Pastorales* ad totam Congregationem scriptas, quæ simul prodierunt in Collectione Mediolanensi, *pag.* 72. & *seqq.*

3. *Constitutiones Congregationis Italicæ*, quæ completæ anno 1623. difficultatibus nonnullis laborabant, intercedente nostro Ferdinando, confirmationem ab Urbano VIII. acceperunt anno 1631. die 22. Martii, sivè pridiè obitum ejusdem Ferdinandi.

4. *Officia propria Sanctorum Ordinis*, à S. Congregatione Rituum approbata, Romæ edi curavit anno 1609. & 1629. & alibi posteà: sicuti legitur *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1129. *num.* 3964.

Ferdinandum à S. Mariâ laudibus celebrant Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 1. *Annalium Reformationis S. Teresiæ, Lib II. cap.* 40. Ibidem *Lib. IV. cap.* 15. Ibidem *Lib. V. cap.* 43. Ibidem *Lib. VI. cap.* 39. Hieronymus à S. Josepho, *tom.* 1. *Lib. I. in Vita Joannis à Cruce, Lib. V. cap.* 7. Isidorus à S. Josepho, in *Vita Joannis à Jesu Mariâ.* Idem *tomo* 1. *Annal.* Joannes à Jesu Mariâ in *Historia Missionum.* Thomas à Jesu qui ei dedicat *Commentaria in caput*, Non dicatis. Thomas Aquinas à S. Joseph, in *Dissertatione Historico-Theologica de Patriarchatu Eliæ.* Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelit. cap.* 7. & 17. Idem in *Vitâ Dominici à Jesu Mariâ.* Idem, in *Decore Carmeli Religiosi*; *parte* 3. *pag.* 668. Idem, in *Annalibus Carmelit. Excalceat. Galliæ Lib. I. cap.* 60. *pag.* 152. & *cap.* 101. *pag.* 263. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 91. Paulus a SS. Sacramento, *Lib. I. Vitæ Magdalenæ à Jesu Mariâ, cap.* 6. 10. 11. 12. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1053. *num.* 1641. Martialis à S. Joanne Baptistâ, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 160.

Flavius Cherubinus, *tomo* 2. *Compendii Privilegiorum, pag.* 22. & 30. Antonius Oretius Genuensis, in *Epistola dedicatoria ad Joannem Saulium Dominicanum*, quæ legitur antè Opus *memorabilium Conceptaum.* Aubertus Miræus, *Lib. de Scriptoribus seculi XVII. cap.* 147. Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliotheca Hispana, pag.* 674. *&c.*

X I I I.

FERDINANDUS DE MEDINA, Salmanticensis Carmelita, Doctor Theologus; bis Provinciæ Castellæ Prior Provincialis: Vir moribus candidus; religione, ingenio, & doctrinâ præclarus: Concionator ætate suâ celebris, scripsit circa annum Christi 1625.

1. *Sermonum Volumen. unum.*

2. *Tabulam Indulgentiarum Ordinis Carmelitarum*; teste Emmanuele Romano, Lib. de *Scriptoribus Illustribus*, quem citat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 91.

X I V.

FERDINANDUS A RESURRECTIONE, Discalceatus Carmelita, Bæticus, in superiori Vendaliâ, omnium bonarum artium cognitione præditus, scripsit nonnulla, quæ in Antiquarensi Carmelitarum Excalceatorum Cœnobio MSS. asservantur.

1. *Introductionem in Aristotelis Logicam*, *in*-4°.

2. *De Divisione Literarum*, seu de *Ortographiâ*; cui manum ultimam posuit anno 1595.

3. *Sermones varios*, quos absolvit anno 1594. tribus tomis *in*-4°. prout legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 161.

X V.

FERDINANDUS SUARIUS, Toletanus Carmelita, Hispalensis, Doctor Theologus Complutensis, Provinciæ Bæticæ Prior Provincialis, & in Curia Regis Catholici Procurator Generalis sui Ordinis: vir magnæ probitatis, parisque literaturæ: obiit *Hispali*, sexagenario major anno 1610. sepultus in majori Ecclesiæ Sacello, cum sequenti inscriptione:

D. O. M.

Omne tulit punctum, quem cernis ritè defunctum.

E Latino Sermone in Hispanicum vertit, *Vitam S. Magni Antonii*, quam Excellentissimo Duci de Bexar dicavit. Item *Cardinalis Baronii Parænesim ad Rempublicam Venetam.* Item alia Opuscula inchoavit, quæ morte præventus, *imperfecta* reliquit.

De Ferdinando Suario dignè loquuntur Valerius Ximenes de Embun, in *Catalogo Mf. Virorum Illustrium Ordinis Carmelitarum*: Emmanuel Roman, *ibidem.* Alegreus Cassanatus, *pag.* 463. Franciscus Salinas, *in Commentariis super Jonam Prophetam*: Thomas Tamayus de Vargas, in *Catalogo Mf. Scriptorum Hispanorum.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 91. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana, tomo* 1. *pag.* 298. ubi sic loquitur, & pro hoc articulo unus retinendus, cæteris quæ dicta sunt delendis.

X V I.

FERDINANDUS SUARÈZ DEL CASTILLO, Toletanus, Carmelitarum Familiæ Hispali adscriptus, Hispalensem domum semel, Provinciam autem Bæticam bis rexit: Generalisque in regia curia sui Ordinis Procurator fuit: Nostræ autem genti communicavit,

1. *El Compendio de la Historia Antoniana*: hoc est, vitam & res gestas Sancti Antonii Abbatis, originemque & progressum religiosæ familiæ, quæ nomine hujus censetur, ex latino Aymari Falconis. Hispali, 1603.

2. *Exortacion à la Republica de Venecia del Cardenal Baronio*; ex latino ejusdem Baronii, *in*-4°. Matriti, 1607. Obiitque diem suum Hispali circà annum M. DCX.

X V I I.

FERDINANDUS TARTAGLIA, in oppido *Medicinæ* ad Diœcesim Bononiensem pertinente natus, ibi Carmelitarum Antiquiorum Observantiam regularem professus, Philosophiæ ac Theologiæ studiis magno splendore completis, S. Th. Magister evasit, & publicus Metaphysicæ Professor in Urbis Gymnasio, suæ Provinciæ Romandiolæ Provincialis, Cœnobii Transpontini de Urbe Prior, sacræ Congregationis Indicis Consultor, sui Ordinis Procurator Generalis, tandem die primâ Junii 1680. in Comitiis *Romæ* celebratis in supremum Moderatorem electus fuit. Quâ in dignitate nihil non molitus, ut Carmeli gloriam promoveret:

F.

quam ut faciliùs attingeret, non solùm Decreta tulit; verumetiam ut ad praxim duceret, Monasteria sui Ordinis visitare cogitavit, & majus ad robur infligendum Commissarius & Visitator Apostolicus, ab *Innocentio XI.* die 14. Novembris, ejusdem anni creatus est. Huic autem muneri sedulus incumbens, decessit *Catanæ*, die 1. Martii, 1682. ætatis 56.

Præter nonnullas Ordinationes Monasticas, scripsit Italicè sed suppresso nomine *Expositionem vineæ mysticæ*, in Ecclesia Transpontinâ propositæ, occasione solemnitatis *S. Magdalenæ de Pazzis*, Carmelitæ, in sanctarum numerum relatæ. Romæ, 1669. in-4°. sicuti legitur *tomo.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1072. *num* 3754. *ubi* FERDINANDUS TARTASSIA malè nuncupatur errore typographico.

XVIII.

FERDINANDUS A S. VICTORE, Belga Carmelita, vetustioris regularis observantiæ sequax, sacræ Theologiæ Doctor, ac Provinciæ inferioris Germaniæ Prior Provincialis, scripsit circa annum 1619. Librum de *Persecutione Ecclesiæ*.

Id affirmant Aubertus Miræus, *Lib. de Scriptoribus sæculi XVII. cap.* 171. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 465. ubi vocatur Rector illustris, Reædificator & Auctor secundus Cœnobii Bruxeliensis. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 91. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 72.

XIX.

FILOCALUS FARALDUS, Neapolitanus Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, & publicus studii Neapolitani Professor: Vir religiosus vitæ integritate clarus, magnæ lectionis & eruditionis profunditate celebris, inter Theologos & sui temporis Concionatores admodùm nominatus, Canonista etiam non vulgaris: fuit Neapolitani Archiepiscopatûs Examinator, & sacræ Congregationis Consultor, atque Librorum Censor, Monasterium magnum Neapolitanum rexit Prior; ubi & obiit anno 1590. postquam scripsisset,

1. *Tractatum de Humanitate.* Neapoli, anno 1573.

2. *Epitaphium ornatissimum* Bartolomæi Ragusii Carmelitæ, anno 1581. defuncti. Philocali seu Filocali Feraldi laudes & encomia dicunt Nicolaus Toppi, in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 84. Antoninus Mongitor, *tomo.* 1. *Bibliothecæ Siculæ*, *pag.* 97. Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico* ad annum 1590.

XX.

FLORENTIUS A S. ÆGIDIO, Belga, patriâ Namurcensis, in sæculo JOANNES LANCAR nuncupatus, Carmelita Discalceatus, Theologiæ Professor, Prior, Definitor, Vicarius Provincialis, obiit Namurci anno 1701. postquam edidisset:

1. *Reflexiones majoris momenti hominis Christiani.* Bruxellis, 1681.

2. *Colloquia spiritualia.* Namurci, 1694. sicut legitur in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, *pag.* 161.

XXI.

FLORIANUS A S. SPIRITU, Germanus Carmelita Excalceatus, edidit *Carmen Latinum in effigiem V. P. Dominici à Jesu Mariâ*, Carmelitæ Excalceati circa annum 1660. Quod præfigitur hujus *Dominici* Vitæ, à Joanne Caramuele editæ; prout animadvertit Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 92.

XXII.

FRANCISCA DE AMBASIA, serenissima Armoricæ Ducissa, LUDOVICI DE AMBASIA, Vicecomitis de Thouars, & MARIÆ DE RIEUX filia, anno Christi 1427. nata, PETRO II. minoris Britanniæ Duci nupsit anno 1442. Ast post Conjugis obitum anno 1457. defuncti die 22. Septembris, ad arctiorem Vitæ normam aspirans, Moniales antiquioris regularis observantiæ Carmelitanas, quæ *Leodio Venetum* advenerant in Vigilia omnium Sanctorum anno 1463. fundavit in Monasterio *Trium Mariarum*: Quibus posteà associatur à *R. P. Joanne Soreth*, novitia, anno salutis 1467. octavo Kalendas Aprilis, & eodem die anni recurrentis 1468. professionem emisit inter manus ejusdem R. Prioris Generalis. Anno 1475. in Priorissam electa, cujus colloquiis sæpius posse frui cupientes Britanniæ Dux FRANCISCUS II. & Ducissa, judicarunt conveniens, ut quidam Monialium Prioratus, nomine Prioratus *Dominæ nostræ de Scotiis*, (vernaculè *de Schoëtz*) propè Nannetum, ad ripam Ligeris traderetur Monialibus Carmelitanis.

Negotium summo Pontifici propositum fuit, qui, post Informationes debitas, locum illum ad Ordinem Carmelitarum transtulit. Expeditis & acceptis Bullis, FRANCISCA cum novem Monialibus aliis illuc advenit sub initium Adventûs anni 1477. & die 14. Decembris Dux ipse, assistente R. *D. Yvone de Keriac*, Vicario Generali Episcopi Nannetensis, & tota aula sua, ac populo, illas in possessione Prioratûs statuit. Moniales autem, quæ remanserunt in priori monasterio *trium Mariarum* per se & alios amicos instituerunt, ut suum istud Monasterium uniretur Monasterio *B. Mariæ de Scotiis*. Quod *Sixtus IV.* concessit per Bullam datam anno 1479. Idibus Decembris; & executioni mandatum, consentiente Duce Britanniæ. Ipsa porrò FRANCISCA die 4. Novembris migravit ad Dominum, anno 1485. in Monasterio *de Scotiis*, ibidemque sepulta cum sequenti inscriptione Gallicâ:

CY-GIST

TRÈS-HAUTE & vertueuse Dame, SŒUR FRANÇOISE D'AMBOISE, en son vivant Duchesse de Bretagne, Epouse du Bon DUC PIERRE: après la mort duquel, elle entra en la sainte & dévote Religion, Notre-Dame du Carmel, & prit l'Habit le jour de l'Annonciation Notre-Seigneur, l'an 1467. Et audit jour fit Profession l'an révolu; vivante sous clôture, & entiere observance & bonne résolution, jusqu'à son trépas, qui fût le 4. jour de Novembre, au vendredi, heure de None, l'an M. CCCCLXXXV.

Scripsit Gallicè,

1. *Sanctissimos ardores in septem Verba à Christo in Cruce prolata.* Parisiis, 1621. in-12.

2. *Meditationes*, Parisiis, in-12. 1611. Operâ & studio R. P. M. Christophori Leroy.

F.

3. *Documenta* seu *Apophtegmata*, Monialibus suis tradita XXII. Quæ penès se Mss. asservata quondam habuit Thomas Aquinas a S. Joseph, Carmelita Excalceatus; sed Latinè prodierunt in *ejus Vitâ cap. 5. tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 749. num. 2586.*

Vitam B. FRANCISCÆ DE AMBASIA scripserunt Anonyma Monialis Carmelitana: Joannes de Montay, Carmelita Parisiensis, *an.* 1548. Christophorus Leroy, Doctor Nannetensis, Theologus Carmelita, Monialibus de Scotiis à sacris Confessionibus. Alanus Bouchard *Lib. IV. Annalium Armoricorum.* Bertrandus Argentræus, *Lib. II. XII. & XIII. Historiæ Armoricæ.* Sanmarthani fratres, in *Historia Genealogica Domûs Franciæ.* Albertus magnus de Morlasio, Dominicanus, in *Vitis Sanctorum minoris Britanniæ.* Leo à S. Joanne, Carmelita Rhedonensi, anno 1634. cujus Vitæ Gallicè Parisiis editæ *Cap. 27. pag.* 196. referuntur Documenta sive Apophtegmata. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium pag.* 809. *& seqq. sparsim.* Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi, parte* 1. *pag.* 162. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 742. *& seqq.* Et alii plurimi, quibus præstat Vir nobilis & doctissimus Dom. Joannes Barrin, insignis Ecclesiæ Nannetensis Canonicus & Præcentor, atque Illustris. Dom. D. de Beauveau, Episcopi Nannetensis Vicarius, in spiritualibus Generalis: cujus opus titulum habet: *la Vie de* FRANÇOISE D'AMBOISE, *Duchesse de Bretagne, Fondatrice des anciennes Carmelites de Bretagne, Rhedonis,* 1704. *in*-12.

XXIII.

FRANCISCA CIRILLO A CRUCIFIXO, in Baptismalibus undis appellata *Teresia Cyrillo*, nata *alla Tarre del Greca*, Latine in *Turri Octava* quia octo milliaribus distat à *Neapoli*, Monialium Conversarum Carmelitarum in statum cucurrit in Monasterio ejusdem Oppidi, ubi & obiit anno 1732. die 12. Maii, suæ ætatis anno 61. pluribus tentamentis & cælestibus favoribus probata, *quorum Relationem* jubente Confessario reliquit Manuscriptam, & Codici decimo R. P. Seraphini Potenza insertum, & *alteram Relationem paginis* 238. *contentam*, quam idem Seraphinus suo in Codice undecimo Ms. retinet *de rebus Mysticis, Cælestibus & intellectualibus.* Vitam ejus à V. Matre *Maria Gaudiosa* scriptam & autographam Ms. servat ejusdem Patris Seraphini Codex primus manuscriptus.

XXIV.

FRANCISCA A SS. SACRAMENTO, nobilibus parentibus *Bernardo de Binseva & Teresia de Barnuevo*, in oppido *S. Andreæ de Foria*, anno 1561. aut 1562. nata pridiè Idus Maii, se Deo mancipavit Pampelonæ die 11. Novembris 1584. inter moniales Teresianas, inter quas præcipua erga proximum, & majori charitate ergà animas in Purgatorio detentas præfulsit. Ad Videndum Deum in terra Viventium, pia Virgo divini amoris incendiis exæstuans, seculum reliquit die 27. Novembris anno 1629. Hujus nomine prodiit,

Lumen Vivis, mortuorum experientia &c. per Sororem Franciscam à SS. Sacramento, cum notis Illustriss. Dom. Joannis de Palafox, Episcopi Osmensis. Hispanè, Matriti, cum Vitâ ejusdem Franciscæ, per Michaëlem-Baptistam de Lanuza Cæsar-Augustæ, apud Josephum de Lanaja, 1654. *in*-4°.

XXV.

FRANCISCA A S. SPIRITU, natione Galla, Monialis Teresiana, Priorissa Divionensis in Burgundia, Virgo Vitæ integritate præclara, jubente *Jacobo de Gallemant*, Doctore Theologo Parisiensi, primo Carmelitanarum Teresianarum, per Galliarum regnum Superiore, scripsit

1. *Vitam & Virtutes simul Venerab. Sororis Desideratæ à S. Spiritu, Divionensis Carmelitanæ*, ejusdem Congregationis.

2. *Vitam Venerab. Sororis Mariæ à SS. Trinitate*, ejusdem Cœnobii *Monialis.* Utraque Vita circa annum 1635. scripta servatur Divione & Cabilone apud istas Teresianas Moniales, à quibus quondam illam commodatam habuit Ludovicus Jacob, beneficio charissimæ suæ sororis, sub nomine sororis *Euphrasiæ Jacob à S. Angelo*, Monasterii Cabilonensis Monialis Teresianæ: Ipso id referente in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 93.

XXVI.

FRANCISCA A S. TERESIA, Galla, in seculo TRALAGIA dicta, Lemovicis nata, & Parthenonis Monialium Teresianarum ibidem Priorissa, edidit Gallicè:

Vitam Venerab. Matr. Isabellæ ab Angelis, Hispanæ Carmelitanæ, unius è Galliarum regno Fundatricis, juxta narrationes quas audierat tum à Monialibus Conventûs Salmanticensis, tùm ab Monialibus Lemovicensibus, quæ dictam *Isabellam* perspexerant. Parisiis, ex Typographia Antonii Vitray, apud Petrum Lepetit, *in*-8°. 1658.

Hanc Vitam approbarunt Illustrissimi Episcopi Lemovicensis, Condomensis, Coseranensis: citatque N. Collinus in *Additionibus ad Lemovicenses, multiplici eruditione illustres, pag.* 47. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ, pag.* 291. *num.* 6308. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 93. sed non animadverterunt eos, qui huic editioni præfuerunt quædam è Manuscripto prætermisisse, asserentes quod Carmelita Excalceatus, qui conduxit *Beatricem à Conceptione* in Hispaniam, noluisse permitteret, ut per Lemovicas *Elizabetham* visitatura transiret; nam ex testimonio unius itineris socii constat, id nunquam obtineri potuisse à Currûs Auriga, quamvis Pater nullum impedimentum afferret, scribente Ludovico à Sancta Teresia, in *Libro de Regimine Monialium Teresianarum Galliæ, pag.* 151. & Authore *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 163. eadem repetente.

XXVII.

FRANCISCUS A S. ALBERTO, Carmelita Excalceatus, Castellæ veteris alumnus, egregius Concionator, egregios quoque *sermones* prælo commisit Salmanticæ, Segoviæ, Matriti & alibi.

XXVIII.

FRANCISCUS AMEDEUS A B. VIRGINE, Pedemontanus, Carmelita Excalceatus, Prior Astensis, anno 1663. & alibi, scripsisse fertur,

Relationem vitæ venerab. P. Joannis à Cruce, Burdigalensis Carmelitæ Discalceati; quâ usus est R. P. Philippus a SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi, parte* 3. *pag.* 99. ut animadvertit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 93.

XXIX.

FRANCISCUS AMELRY, Belga, facræ Theologiæ Baccalaureus, & Carmelitarum Iprensium Prior: vir cùm eruditus, tùm pius, eoque nomine apud Clerum, populumque nomen & famam adeptus, scripsit

1. *Paraphrasim in Psalmum CXIV. In exitu Israël de Ægypto*, &c. Antuerpiæ, apud Simonem Cocum 1551. in-8°. hujus meminit Guillelmus Crowæus, in *Elencho Authorum*, *pag.* 126. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 607. *col.* 1.

2. *Dialogum sacrum, in quo anima christiana ad perfectam S. Scripturæ cognitionem perducitur.* Coloniæ, apud Conradum Burgenium. Hujus meminit Jacobus Lelong, *loco citato*.

3. *Dialogum de amante anima ad sponsi sui cognitionem perducta.* Coloniæ, apud eumdem 1605. in-12. unà cum Dionysii Rikelii Carthusiani *inflammatorio divini amoris*. Sivè *Tractatu Dialogico inter Salvatorem & hominem*.

Franciscum Amelricum, quem floruisse dicunt circà annum 1551. laudibus celebrant Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 575. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 238. Valerius Andreas, & Joannes Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 281. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad an.* 1263. *pag.* 375. *n.* 2. Ludovicus Jacob, *in Bibliot. Carmelit. Mss. pag.* 93.

XXX.

FRANCISCUS A S. ANGELO, natione Hispanus, patriâ Maritensis, Carmelita antiquioris regularis Observantiæ, S. Theologiæ Magister, scripsit Hispanicè:

1. *Chronicon Ordinis Carmelitarum, duobus Libris.*

2. *Catalogum Sanctorum Ordinis Carmelitani: in quo vita* 138. *Sanctorum & Virorum Illustrium leguntur.* Cæsar-Augustæ, apud Angelum Tavanum, 1608. in-8°.

3. *Compendium Indulgentiarum & Privilegiorum Ordinis Carmelitici.* Pinciæ, apud Guillelmum Drovi, 1598. in-12.

4. *In Bullam Sabbatinam, opus approbatum*, quod Typis mandare non potuit, quia morte præventus.

5°. Ex Italico sermone in Hispanicum transtulit *Vitam S. Franci, Senensis Carmelitæ.*

Franciscum à S. Angelo celebrant Aubertus Miræus, *Lib. de Scriptoribus sæculi XVII. cap.* 159. Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis.* Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 307. Alegreus Cassanatus, *pag.* 445. Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ.* Joannes-Baptista de Lezana, in *Apparatu ad Annales Carmelitarum*, *cap.* 10. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 93. *Daniel à Virgine Maria*, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani pag.* 1077. *num.* 3768. Antonius Teisserius, in *Catalogo Authorum*, *pag.* 92.

XXXI.

FRANCISCUS A S. ANNA, Carmelita Excalceatus, Provinciæ Mediolanensis Præpositus, ad suos scripsit *tres Epistolas Pastorales*, quæ habentur secunda parte Collectionis Mediolanensis, de qua locuturi sumus, inferiùs, *tom.* 2. *pag.* 428.

XXXII.

FRANCISCUS A S. ANNA, Carmelita Discalceatus alter, Hispanus, qui maximâ eruditionis famâ obiit *Salmanticæ*, die primâ Octobris 1707. Secundam partem tomi duodecimi Cursûs Theologici Salmanticensis, pluribus auxit, sicuti refertur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 163.

XXXIII.

FRANCISCUS A S. ANNA, natione Gallus, patriâ Andinus, in seculo FRANCISCUS LECHAT nuncupatus, stemmate glorioso natus, Provinciæ Turoniæ Carmelita, nobilitatem sanguinis, virtutis splendore illustravit. Philosophiæ & Theologiæ Professor, primariis in Cœnobiis Prior, pluries Definitor, lo Capitulo Pictaviensi die 2. Maii 1681. ad Præfecturam suæ Provinciæ tenendam promotus est.

Inerat illi tanta animi magnitudo, ut nihil nisi grande moliretur: erga se rigidus & parcus, aliis mitis & prodigus, perfecti religiosi omnia in eo reperiebantur insignia: proborum amator, iniquorum persecutor, alter *Phinees* videbatur. Provincialis electus, pedes sine servo, sine equo, sine curru, sine vehiculo, suam visitavit toto triennio Provinciam, ferreis sæpè cinctus catenis, vel rudi Indutus cilicio, modico contentus cibo, somnoque mediocri, nollo parcens labori, levabat se suprà se; Provinciæ regimine suæ expleto, abdicato Turonensi Prioratu, *Andegavum* se recepit, soli Deo solique sibi vacaturus; obi viribus exhaustis occubuit, die secundo Decembris anno 1686. fratrem quoque germanum inter Carmelitas ejusdem Provinciæ Turoniæ insignem habuit, qui variis Prioratûs & Definitoris muniis præfulsit, nomine P. ALBERTUM A S. FRANCISCO, ibidem defunctum anno 1707. die 26. Septembris.

Scripsit *varias ad varios Epistolas*, quarum una erat responsoria ad Illustriss. Dom. FRANCISCUM DE HARLAY DE CHAVALON, Parisiensem Archiepiscopum; cujus literas Reverendos admodum *Angelus à Conceptione de Cambolas*, Provincialis Tholosæ nec-non Commissarius Generalis, lo Majori Convento, ac Collegio Maubertino ad totum cœtum Capituli Provincialis Pictaviensis congregatum, sub diebus vigesimâ-tertiâ & vigesimâ-quintâ Aprilis 1681. directas miserat; ut Turoniæ Provincia mitteret in dictom Conventum Maubertinum quinque juniores ad studia tum Philosophiæ, tum Theologiæ, ad gradus sorbonicos promerendos, nec-non duos provectiores, ad Conventualitatem obtinendam. Hoc autem negotio plurimùm & maturè inter omnes omninò Gremiales perpenso, decretum atque declaratum fuit, quòd ob rationes à R. Definitorio per Epistolas excusationis tam præfato, Illustrissimo D. D. Archiepiscopo, quàm Reverendissimo *Ferdinando Tartaglia*, Priori Generali clarè aperiendas. Plenè & in perpetuum renuntiarunt Carmelitæ Turoni, omni juri ipsis pridem acquisito in dicto Majori Conventu Parisiensi. Attamen hanc renuntiationem sivè istorum Gremialium cessionem non admisit R. Prior Generalis: Undè in altero Pictaviensi Capitulo die 17. Maii 1729. inchoata die primâ Junii, quæ erat Feria quarta, habita est cessio omnium Gremialium, in qua juxtà Licentiam R. *Antonii-Josephi-Amabilis Feydeau*, Prioris Generalis, decretum est & statutum provisionaliter, restituendos esse Magisterii grados, sub conditionibus à R. Definitorio in proxima congregatione præscribendis, & ad Capitulum Provinciale proximè futurum referendis.

Alia Epistola continet præceptum R. P. Commissarii Generalis, de precibus ad Deum fundendis ad prosperos Fidelium exercituum exitus, adversùs Turcas Austriam devastantes, & Vindebonam obsidentes

F.

dentes prout idem Commissarius à Summo Pontifice *Innocentio XI.* jussus fuerat intimare. Alterum Epistolæ punctum de recognitione Directoriorum per R. P. *Marcam à Nativitate*, Scriptorum tractat, monente eodem R. P. Commissario. Quamquidem rem ferventiùs prosecutus est R. *Angelus Monsignanus*, mortuo *Ferdinando Tartaglia*, per literas Romæ datas die 26. Augusti, 1682. cùm dictus *Marcus à Nativitate* esset à R. Priore Generali Commissarius Capituli Provincialis Vasconiæ institutus, tumque iis Comitiis præses adfuisset.

Franciscum à S. Annâ celebrant *Acta publica Mss.* Provinciæ Turoniæ: Ægidius Menagius, in *Notis ad vitam Petri Ærodii*, *pag.* 243. Columbanus à nostra Domina de Monte Carmelo, in *serie Ms. Provincialium Priorum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 18.

XXXIV.

FANCISCUS DE AQUIRRE, Hispanus, Carmelita Thologus & Poëta, scripsit Latino Carmine:

Trophæum sanctissimæ undequaqac incontaminatæ Virginis Mariæ Deiparæ, absque ullâ peccati contagione conceptæ. Hispali, 1616. *in-4°.*

Ita referunt Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Petrus de Alva, in *Militia immaculatæ Conceptionis*: Franciscus Bonæ spei, in *Visione Eliæ*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 94.

XXXV.

FRANCISCUS DE AYALA, Hispanus Carmelita, Doctor Theologus, Concionator spectabilis, edidit Hispanico sermone,

Concionem quam in *Festo Beatificationis S. Tere-siæ à Jesu* habuit, in Conventu Giennensi in Hispania. Matriti, 1613.

Ita restantur Emmanuel Roman, de *Illustribus viris Ordinis Carmelitarum*: Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum ejusdem Ordinis*, *pag.* 71. Ludovicus Jacob, *in Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 94. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelic. Decoris*, *pag.* 472. ubi *Honoratum*, illum vocat, & hæc insuper addit: Xayla, Catalanus, domo & Religiosâ professione Perpinianensis, ... suæ Provinciæ Prior Provincialis, dum Priorem Barchinonensem gereret, extremum spiritum reddidit anno 1515. Anno autem Christi 1623. integrum ejus Corpus repertum est, licet vicina corpora tabe fœdarentur, imo & vestes ejus à carie & tabo immunes inventæ fuerunt: ita fertur *Relatio Cathalonica Ms.* missa à R. P. *Francisco Foncio*, à secretis R. P. Provincialis Cathaloniæ.

XXXVI.

FRANCISCUS BACCAREUS, Neapolitanus Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor, atque Professor, in studio Generali Carmelitarum Neapolitano, necnon in Concionibus ad populum habendis apprimè facundus & eruditus, scripsit *sermones notabiles*; sicut colligitur ex R. P. Francisco Sixto Carmelita, *Decad*, 4. *Tessera decacord. Genealogiæ Jesu Christi*, *cap.* 197. floruit anno salutis reparatæ 1564. teste Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 94.

XXXVII.

FRANCISCUS DE BACHONE, sivè de BACHO, in *Gerundensi*, si Lezanam & alios audies; sed in Cœnobio *Peraladæ*, si eredes Nicolao Antonio, Provinciæ Cataloniæ professus

Ordinem Carmelitarum, tantùm docendo & disputando valuit in Academiâ Parisiensi, ut *Doctor sublimis* appellatus sit. Ordinatus scilicet fuit in Capitulo Generali Ferrariensi anno 1357. ad legendum sententias Parisiis, pro decimo anno; & Biblia pro nono.

In Comitiis autem Generalibus Trevirensibus anno 1362. ordinatus ad legendum sententias Parisiis pro tertio anno, unà cum Michaele de Bononia & Simone De spirâ. Deindè in Capitulo Montis-Albani anno 1366. Procurator Generalis, & in sequenti Montis-Pessulani Definitor & Provincialis Cataloniæ vocatur, ubi specialiter titulo Magistri decoratur anno 1369. Quo innuitur lauream Doctoratûs eo tempore accepisse. Triennio exacto, vitam simul & præfecturam anno M. CCCLXXII. Augusti 8. die in Cœnobio *Campi-rotandi* (*Camp-redo* Vernaculè) reliquit moriens, teste Nicolao Antonio, in *Bibliotheca veteri Hispaniæ*, *tomo* 2. *pag.* 114. *num.* 314. Errant ergò Lodovicus Jacob eum vixisse asserens circa annum 1380. post Joannem Trithemium, & Guillelmus Eisengrenius, eum dicens floruisse anno 1410. Inter scripta Francisci de Bachone laudantur, præter alia quæ Trithemium latuere,

1. *Repertorium Prædicatorum: Magnum & insigne opus* ab eodem vocatum, in quo omnia antiquorum Patrum dicta in unum ad Concionatorum usum collegit, nec-non pro more illius temporis, & scholæ Parisiensis.

2. *Super Libros IV. sententiarum.* Qui asservatur Romæ in Bibliotheca domûs Transpontinæ *Ms. Commentarius* pulchræ notæ, quamvis antiquæ: in cujus initio Joannes auctor *sublimis Doctoris* appellatione insignitus apparet.

3. *Sermones plures ad populum.*

Franciscum de Bacho laudant Joannes Thrithemius, *Lib. de Scripor. Ecclesiast. cap.* 712. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali*, *pag.* 246. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *pag* 577. Andreas Texander, *Lib. de Scriptoribus Hispaniæ.* Andreas Scottus, in *Bibliotheca Hispanica*: Jacobus Gaddius, *tomo* 2. *pag.* 114. *num.* 314. jam citato: Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 2. *pag.* 582.

E Carmelitis Arnoldus Bostius, *Lib. de Viris Ord. Carmelit. cap.* 26. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 30. *versâ.* Alegreus Cassanatus, *pag.* 349. ubi eum anno 1448. floruisse infeliciter conjectat, quando Ars Typographica inventa fuisse creditur. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico*: Emmanuel Roman, *de Viris Illustr. Ord. Carmelit.* Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico Ms.* ad annum 1380. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 94. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 496. *num.* 886. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1077. *num.* 3769. Joannes Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad annum*, 1372. *num.* 11. *pag.* 675. 676. *&c.*

XXXVIII.

FRANCISCUS BERTHET, Bituricensis Carmelita, Doctor Theologus Parisiensis, ibidemque Prior, Provinciæ Franciæ Provincialis, atque majoris Conventûs Parisiensis Commissarius Generalis, obiit Biturigis, anno 1667. postquam edidisset:

1. *Orationem funebrem*, quam habuit in *exequiis Mariæ Albaspinæ Castronovæ*, *Priorissæ Regularis Monasterii S. Laurentii apud Bituriges.* Parisiis, apud Petrum Chaudiere, 1641. *in-4°* Gallicè.

F.

2. *Orationem funebrem Caroli Albaspinæi, Marchionis Castrinovi, Franciæ Pro-Cancellarii.* Biturigis, 1663. *in-4°.* Gallicè. Parisiis editam asserit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ, pag.* 691. *num.* 15559. & citatur in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 595. *num.* 89.

3. *Orationem funebrem*, quam habuit in Ecclesia Carmelitarum Bituricensium *ad Officium solemniter celebratum, in exequiis Serenissimi Principis Henrici Borbonii, Burgondionum & Biturigum Proregis, &c.* Biturigis, apud Joannem Christo, 1647. *in-4°.* Gallicè.

4. *De Confraternitate sacri scapularis B. V. Mariæ de Monte Carmelo* Gallicè.

5. *Vitam S. Andreæ Corsini, Carmelitæ, Episcopi Fesulani.* Parisiis, apud Josephum Cottereau, 1629. *in-12.* Gallicè, nomine suppresso.

6. Edi curavit Parisiis 1659. *Relationem de solemnitate*, Romæ anno 1639. in *Conventu Patrum Carmelitarum SS. Silvestris & Martini de Montibus, ad processionem solemnem Religiosorum* & Confratrum B. V. Mariæ de Monte Carmelo, Dominicâ tertiâ Julii *factâ.* Quam Ludovicus Jacob scripserat ad R. P. Reginaldum Devaux, Priorem Logdunensem, Doctorem Parisiensem, & Provinciæ Narbonæ Exprovincialem, Gallicè. Eadem prodiit eodem idiomate Gallico in opere in scripto: *L'Adoption des Enfans de la Vierge dans l'Ordre & la Confrairie de Nôtre Dame du Mont-Carmel, &c. A Paris*, 1641. *chez Denis de la Noue, in-8°, p.* 695. *& seqq.* Ejusdem mentio habetur apud Joannem Petrum Niceron, *tom.* 4. suarum *Memoriarum, pag.* 90.

7. *Véritable Histoire de Nôtre Dame de Liesse, & de Consolation, communément appellée Maubranche, à deux lieuës de la Ville de Bourges.* Parisiis *in-8°.* an. 1654. si fidem dabis Jocobo Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ, pag.* 40. *num.* 41.

Franciscum Berthet celebrant Leodegarius Quintinus, in *Theologia antiqua de Vera Martirii notione, pag.* 26. nec-non Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 94. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca historica Galliæ, pag.* 40. & 691. citatis. Philippus Duboin, in *Bibiotheca Telleriana, pag.* 395. *num.* 89.

XXXIX.

FRANCISCUS BONÆ SPEI, in seculo CRESPIN dictus, Insulis apud Belgas natus anno 1617. die 20 Jonii, Carmeliticum institutum amplectitur anno 1634. & vota solemnia emittit anno 1655. die 18. Octobris. Adversâ, ac per totam fermè vitam infirmâ usus valetudine, asthmatis angustias, quæ potissimam quietis nocturnæ partem penè quotidie præpedientes, ipsum ad extremum exhauriebant, perpetuo studio superavit.

Tot annis Philosophiam ac Theologjam Lovanii & alibi Regens docuit, ut fuerit Professor facilè bis emeritus. Assumptus dein ad Provinciæ Flrndro-Belgicæ regimen, bis Provincialem, ac sæpiùs Definitorem atque Priorem egit. Pro negotiis Ordinis ter Romam, ac semel pro communibus Mendicantium rebus Matritum ivit.

Eruditum ac indefessum viri hojus in librorum scriptione calamum, prodont toti mundo præclara in Philosophia, Theologia, Jurisprudentia, Historia Ordinis sui, aliisque his affinibus edita monimenta, tam subtiliter elaborata, ut de eorum solida intelligentia meritò desperet, qui non verè fuerit *Bona spei*, inqoit clariss. Dom. Joannes-Franciscus Foppens. Cur dictus Franciscus *Bonæ spei* fuerit, nemo asseruerit à *Bona spe*, quæ Abbatia Belgii in Hannoniæ Comitatu, & propè Binchium; sed opportuniùs à Cœnobio Nostræ-Dominæ *Bonæ spei*, quod Princeps Arembergæ Philippus Dux Arschotanus, Princeps Rebequiæ construi curavit io Silva à Valencenis dissita mediâ leucâ, in quod Carmelitas solemniter introduxit anno 1663. die 5. Augusti, prout fusiùs narratur io *Vinea Carmeli, pag.* 312. *num.* 594. Non ibi tamen obiit Franciscus; sed Bruxellis in *Bona spe* felicis resurrectionis caro ejus requievit die 5. Januarii 1677. ætatis suæ 60. Professionis 42. Sacerdotii 56. ejus inscribuntur

SCRIPTA,

1. *Commentarii tres in universam Aristotelis Philosophiam.* Bruxellis, apud Franciscum Vivienum, anno 1652. 1. *vol. in-folio.*

2. *In universam Theologiam Scholasticam*, tomi sex *in-folio.* Antuerpiæ, apud Jacobum Meursium, anno 1662. Dicantur hi Commentarii ad Illustriss. ac Reverendiss. Dom. D. Hieronymum de Vecchiis, Montis-Regalis Abbatem, S. D. N. Alexandri VII. in Belgio & Burgundiæ Comitatu Internuntium. Laudat eos Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula universali Scriptorum Ecclesiasticorum, tom.* 2. *pag.* 2299.

3. *Noctua Belgica adversùs Aquilam Germanicam*, Illustriss. Dom. Caramuelis. Lovanii, anno 1651. 1. *vol. in-4°.*

4. *Apologema retortum, seu retorta Disputatio Apologetica de Ignorantia invincibili, & opinionum probabilitate*, pro Prosperi Fagnani doctrina, *cap. Ne innitaris*: conttà doctrinam, *de Opinionum probabilitate*, Illustriss. Dom. Joannis Caramuelis. Lovanii, anno 1665. 1. *vol. in-4°.* Nuncupatur Eminentiss. S. R. E. Cardinali Mario Ginettio, Carmelitarum Ordinis Protectori.

5. *Magni Prophetæ Eliæ Visio de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ.* Antuerpiæ, apud Eogilbertum Gymnicum, anno 1665. 1. *vol. in4°.*

6. *Liber Apologeticus pro Joanne XLIV. Episcopo & Patriarcha Hierosolymitano* directè: *& pro Lucifero Sardorum Episcopo*, indirectè. Antuerpiæ, anno 1666. *in-4°.* Typis Marcelli Parys, 1. *vol.*

7. *Christianus monitus* R. P. Francisci Bonæ Spei ad R. P. Magistr. Christianum Lupum Ord. Eremit. S, Augustini, super Appendice Apologetica, pro Joanne XLIV. Patriarcha Hierosolymitano, contra eumdem nuperrimè evulgatâ. Antuerpiæ, anno 1665. 1. *vol. in-4°.* apud Engilbertum Gymnicum.

Causa Christorum Dei: sive SS. Epiphanii & Hieronymi, Eminentissimorum Cardinalium Baronii, Bellarmini, Magistri Palatii Apostolici, ac sacrarum Facultatum Patiliensis & Coloniensis, *pro Joanne XLIV. Patriarcha Hierosolymitano*, adversùs accusationes R. P. Magistri Christiani Lupi, Doctoris Lovaniensis, ab eodem è Domini D. Rectoris Magoifici Universitatis Lovaniensis, judicio Romam *evocata*, per Rev. Pat. Franciscum Bonæ Spei *defensa.* Aotuerpiæ, 1666. 1. *vol. in-4°.* Typis Marcelli Parys.

9. *Christi Fidelium Parochiale Apologeticum contra Parochophylum.* Bruxellis, anno 1667. 1. *vol. in-4°.*

Hujos operis autorem appellat Franciscum Bonæ Spei, Vincentius Placcius *Lib. de Scripteribus Anonymis, pag.* 179. *num.* 889. Quis autem fuerit Parochophylus? *Ludovicus de Pippre*, sacræ Theologiæ Licentiatus in Academia Duacena: qui postquam in Congregationem Reverendorum PP. Capuccinorum ingressus est, *Bonaventura Bassaanus*

F.

vocati amavit à solo natali, quod est Gallo-Flandriæ oppidulum propè Insulas.

10. *Christi Fidelium Contritionale*, cum SS. Synodi Tridentinæ, & antiquæ Facultatis Theologicæ Lovaniensis *Vindiciis*; Mechliniæ, anno 1667. 1. *vol. in-4°.*

11. *Clypeus Contritionalis.* Antuerpiæ, anno 1670. 1. *vol. in-4°.*

12. *Examen Theologicum super Regulis octo ex Instructione Petri Vam-Buseum collectis.* Bruxellis, anno 1672. 1. *vol. in-4°.* apud Henricum Fricx. Hoc Opus citatur in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 59. *num.* 755.

Petrus Vam-Buscum Mechliniensis, sacræ Theologiæ Licentiatus in Academia Lovaniensi, defunctus anno 1689. scripserat *ad Tyronem Theologum Instructionem de Methodo Theologica*, *octo Regulis comprehensa*; ejusdem *Instructionis defensionem & vindicias*, quæ citantur etiam in *eadem Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 81. *num.* 1345. Ast Instructio hæc damnata fuit à Sede Apostolica: sicuti legitur in *Indice Romano Librorum prohibitorum*, *pag.* 70. & 143. Et hæc est Instructio, adversùs quam prodiit Examen Theologicum nostri Francisci Bonæ Spei, nec-non alia elucubratio R. P. Ægidii Estrix, Jesuitæ.

13. *Lupus captus.* Citatur in *Bibliotheca Carmelitana Ms.* Ludovici Jacob, *pag.* 95.

14. *Lucta D. Thomæ.* Bruxellis, anno 1664. 1. *vol. in-4°.* nomine suppresso.

15. *Motivum Juris pro excusatione legitima Provincialium Ordin. Mendicantium à contributionibus, impositionibus, gabellis*, *&c.* datum iis, quorum interest, *in-4°.* prout legitur in recentiori Bibliotheca Belgica, *tomo* 1. *pag.* 287. & 288.

16. *Historico-Theologicum Carmeli Armamentarium*, proferens omnis generis scuta, quibus tela seu argumenta in Ordinis Carmelitani antiquitatem, originem, & ab Elia in Monte-Carmelo hereditariam successionem hucusquè legitimè non interruptam, vibrata, fortiter & suaviter enervantur, & ad perpetuam concordiam disponuntur.

Hujus Operis *Pars prima in-4°.* prodiit Antuerpiæ, anno 1669. apud Marcellum Parys. *Secunda Pars* prodiit Coloniæ etiam *in-4°.* Verùm hujus secundæ Partis Synopsis anno 1680. Antuerpiæ prodiit attexta Speculo Carmelitano R. P. Danielis à Virgine, *tomo* 1. *pag.* 795. *num.* 1995. *& seqq.*

De Armamentario loquens R. P. Daniel Papebrochius, in *Actis Sanctorum*, *Tom.* 2. *Maii*, in *suo Commentario Apologetico*, *pag.* 713. *num.* 17. ait: » P. Franciscus Bonæ Spei.... contra nos concepit » bilem, quam post septem annos patefecit, iterum» que recoctam deinceps fovit, in secunda Parte » promendam. Cæterùm quod initio vehementer re» luctantem fratres sui discipolique coëgerint ite» rùm admovere scriptioni infelici manum, id quo» cunque animo ac stylo sit factum, non modo non » indignè fero; sed etiam AGNOSCO nonnullas ei » me debere gratias pro notatione duorum vel trium » ex aliena informatione erratorum, & mendorum » aliquot Typographicorum, suo loco ac tempore » ea paratus corrigere.... Ex quo capite vellem non » mererentur argui illi, qui oblatam sibi Armamen» tarii partem secundam videntur approbavisse.

Idem Reverendus Pater Papebrochius, in *Appendice ad eumdem Commentarium Apologeticum*, *tomo eodem* 2. *Maii*, *pag.* 847. *num* 12. ait: » dicitur » Pars secunda Armamentarii attexta Speculo Car» melitano contra expressam voluntatem Auctoris, » communi Typographo sæpè protestati, nihil in » opere suo apparitururm ejusmodi. Idem posteà ei» dem confirmavit R. P. Columbanus, Provinciæ » Syndicus, vehementer factum improbans.... Sed » non æquè patienter fero, quòd qui novam istam » Armamentarii impressionem curarunt, fecerint ip» sum P. Danielem sic loqui in fine sui Propugnaculi, » *pag.* 790. *num.* 1983. *Operæ pretium esse duxi* » *ad hoc monitus à viris cordatis, hic etiam inserere* » *alteram partem Armamentarii Carmelitici, quod à* » *me factum integrè de verbo ad verbum.*

» Ex hoc specimine intelligitur quàm liberè Cu» ratores operis, post mortem Auctoris, arrogaverint » sibi illius nomen, ut sui proprii consilii inventa eo » palliarent: qui etiam hoc sibi voluerunt licere, ut » in illo propugnaculo, in quo nominare me noluc» rat Auctor, eam moderationem imitatus, quâ » fueram in Aprili usus ergà *P. Franciscum Bonæ spei*, » meum nihilominùs nomen apponerent. De indi» cibus idem judicium esto, similiter post Auctoris » mortem collectis licentiùs.

Pauló antè hæc verba dixerat R. P. Papebrochius ibidem, in eadem pagina, *col.* 2. *lit.* *E.*

» Dixi nonnullis nomen TRIUMPHATORIS per » quam commodè offerri mihi, qui verebar Aucto» rem secundæ partis appellare *R. A. P. Franciscum* » *Bonæ spei*; eò quod post ejus mortem prodiisset » liber, cui allaborasse plures dicebantur; quemque » eodem jure poteram ab aliis auctum credere, quo » sciebam augeri speculum, mortuo jam P. Daniele.

Ex his colligitur 1°. *Secundam Armamentarii partem* integram, & qualis attexitur Speculo Carmelitano, non adjudicandam esse *Francisco Bonæ spei.* 2°. Ex eadem secunda parte Armamentarii, Reverendum Patrem Papebrochium aliquot errata & menda agnovisse, quæ suo tempore & loco paratus fuerit corrigere. 3°. Hæc errata & menda ità eidem Reverendo Patri ità displicuisse, ut ægre ferret nominari in præfata Armamentarii parte secunda contrà voluntatem ipsius Auctoris. 4°. Non minus eidem displicuisse censuras & castigationes, quas adversùs nonnulla ejus sensa tulisse dicuntur Editores Speculi Carmelitani, mortuo jam P. Daniele.

X L.

FRANCISCUS BRUNANTIUS, aliàs BRUNAUDUS, aliquandò BRUNEACOS, dictus ANGELIACUS, Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, alumnus & Prior Conventûs *Rupeculæ*, Diœcesis Maurianensis in Sabaudiâ, Provinciæ Provinciæ filius, electus est Episcopus Enachdunensis, sexto Idus Febr. anno. 1495. Scripsit,

1. *Sermonum Libros tres.*
2. *Epistolarum ad diversos Librum unum.*
3. *Carminum Librum unum.*

De Francisco Bronaudo agunt Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro*, *tomo* 1. *pag.* 578. Marcus Guadalajarra, in *Historia Pontificali*: Valerius Ximenes de Embum, in *stimulo Antiquitatis Ordinis Carmelitici.* Dominicus à Jesu, in *spicilegio Antistitum Ordinis ejusdem.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 447. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 96. Andreas Rossoti, in *Syllabo Scriptorum Pedemontii*, *pag.* 203. Daniel à Virgine Mariâ, in *Speculo Carmelitano*, *tomo* 2. *pag.* 921. *num.* 3214. Ibid. *pag.* MCXI. *num.* 3807.

X L I.

FRANCISCUS BUFFET, DESIDERII BUFFET nepos, Carmelita Divisionensis, Doctor Theologus Parisiensis, & unus ex illorum Doctorum numero, qui Consilium & Consensum anno

F.

1572. dederunt Commissariis à R. *Joanne-Baptistâ Rubeo*, Priore Generali deputatis, pro reformatione studii & regiminis studentium in majori Carmelo Parisiensi. Anno 1579. Franciscus Buffet suæ Provinciæ *Narbonæ* regimen accepit ad munus Prioris Provincialis electus : sed heu ! à Fide Catholica & à professione Carmelitana deficiens, ad partes Calvinianas transiit, quibus infixus & in sua apostasia permanens, Metis obiit anno 1611.

Antequam fidem Catholicam ejurasset, scripsit

1. *Carmina Latina*, quæ Operi cuidam Thomæ Beauxamis præfiguntur.

2. *De Christi Passione* Librum ei adjudicat, sed falsò Marcus-Antonius Alegreus Cassanntus, in *Paradisa Carmelitici Decoris*, *pag.* 412. Errat quoque eum Burdigalæ floruisse narrans.

De Francisci Buffet Apostasia scripserunt Andreas Valladier, in *Tyrranomania* : Martinus Murisse, Franciscanus, Episcopus Madaurensis, & Suffraganeus Metensis, in *Historia de Ortu & interitu Hæresis Metensis.* Claudius Perry, *Lib. III. Historiæ Cabillonensis.* Ludovicus Jacob, in *Bibliatheca Carmelitanâ Mf. pag.* 96. Idem, in *Historia Mf Conventûs Carmelitarum Cabillonensium*, *cap.* 19.

X L I I.

FRANCISCUS CASTAGNA, Hispanus Carmelita, Doctor Theologus, Philippi IV. Regis Catholici Concionator : Vir tùm ingenio, tum doctrinâ celebris ac eximiâ prudentiæ, pietatisque laude commendabilis, in Belgio potissimùm clarus, edidit Hispanicè,

1. *Sermonem*, quem habuit in *Canonizatione S. Teresiæ à Jesu*, Bruxellis, in Monasterio Monialium Teresianarum, die 21 Junii, 1622. Bruxellæ, apud Joan. Pepermans, 1622.

2. *Sermonem alterum*, apud Moniales ejusdem Ordinis, die 3. Julii 1622. habitum. Bruxellæ, apud Hieronymum Verdussen 1622.

3. *Flores Carmeli*, seu Sermones de B. V. Mariâ, & sancto Ordine Carmelitarum. Broxellæ, apud Hermannum Heymarcher, 1620 *in-8°*.

4. *De Eucharistiæ Sacramento concionis septem.* Gandavi, apud Jacobum Pnoorns, 1614.

Franciscum Castagna laudant Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis*, Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ*. Ludovicus Jacob in *Bibliothecâ Carmelitana Mf. pag.* 96.

X L I I I.

FRANCISCUS A CRUCE, natione Gallus, patriâ Andegavensis, & ibi Carmelita professus, Vir tum sanguine tùm opere nobilis, tempus omne & in docendo (erat enim Doctor Theologus Andegavensis) & in agendo ; utpotè muniis omnibus aptus, consumpsit. Circà annum 1611. Pictaviis Rhedonas ad R. P. *Philippum Theobaldum* advenit Priorem, ut ad Reformationis exercitia & societatem admitteretur : duas tamen ob æquas rationes *Theobaldus* ejus desiderio non consensit, timens scilicet ne voluntas diù non perseveraret, & ne hujus admissio alios Provinciæ Doctores Reformationis osores læderet. Anno tamen 1615. *Franciscus* in Priorem Ploërmelensem assumptus, munus istud perfectissimè complevit usque ad mensem Martii anno 1618. Quo juxta dicti R. P. *Theobaldi* Sententiam se *Andegavum* contulit. Posteà instante Domino Barone du Beslay, cujus consanguineus erat, ut conjicitur ex *Notis Ægidii Mesnage*, *in Notis ad Vitam* sui Genitoris *Ægidii Mesnage*, *pag.* 476. institutus est Rector Parochiæ *de Toarce* in Andegavensi Diœcesi, in qua regenda Parochia pluribus annis transactis, ibidem obiit circà annum 1625. Scripsit,

1. *Commentaria in Philosophiam Aristotelis.*

2. *Varios Theologiæ Tractatus.*

3. *Plurimas Conciones* : sed horum nihil superesse opinor.

De Francisco à Cruce isto Andegavensi mentionem habent Leo à S. Joanne, *in Delineatione Observantiæ Rhedonis*, *cap.* 5. *pag.* 46. Hugo à S. Francisco, in *Vita Vener. P. Philippi Thibault*, *cap.* 14. & 19. *pag.* 107. & 148. Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mf. Virorum Illustrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 14.

X L I V.

FRANCISCUS A CRUCE, natione Hispanus, patriâ Toletanus, parentibus *Bartholomæo Sanchez* Lusitano, & *Maria Hermandez*, *Mauræ* (quod oppidum distat *Toleto* quinque circiter milliaribus) natus est anno Christi 1585. die 28. Decembris. Apud Carmelitas antiquioris observantiæ in Conventu *S. Annæ de Alberca* professionem sub statu Fratrum Laicorum emisit anno 1620. die 29. Maii : Vir religiosis omnibus exercitiis jejuniorum, vigiliarum, macerationum, & virtutum effulgens, absque pecuniâ, absque spe ullâ humanâ, Jerosolymitanam peregrinationem suscepit & absolvit, ponderosam crucem humeris gestiens, & ubiquè miraculis, clarus circà medium anni 1647. obiit *Matriti*, cum magnâ sanctitatis opinione. Scripsit,

Devotas Constitutiones præscriptas Congregationibus ab eo institutis sub titulo *Nostræ Sanctæ fidei Catholicæ*, quæ in variis & pluribus locis Hispaniæ fuerunt erectæ ; & in Americam usque magno cum fructu propagatæ. Præfatas autem Constitutiones probarunt varii itidem Hispaniæ Episcopi.

Vitam Francisci à Cruce primùm edidit Dom. Sebastianus Muños Suarez, Presbyter Licentiatus, & S. Officii Commissarius : Hispanicè. Matriti, apud Didacum Diaz de la Carrera, 1667. *in-4°*. Cujus mentio fit in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 2. *pag.* 218. Prodiit Latinè Vita eadem Romæ, anno 1672. cum hoc titulo : *Vita Venerab. servi Dei fratris Francisci de Cruce*, *Religiosi*, *Vitæ activæ*, *Ordinis Dominæ nostræ Carmelitarum*, *primi filii Ecclesiæ*, *qui fecit peregrinationem ad loca sancta*, *Jerosolymorum*, *Romæ*, *& S. Jacobi in Galicia*, *cum Cruce super humeros.* Prodiit tertiò Hispanico idiomate, Matriti anno 1750. *in-4°*. & laudatur in Diario Eruditorum Parisiensi, an. 1751. mense Novembri, *pag.* 761. In eamdem Vitam *Annotationes* dederunt RR. PP. Ludovicus Perez, tùm Professor in Conventu S. Mariæ Transpontinæ, & Vincentius Justus Confessarius, ipsius fratr. Francisci, eo tempore quo Romæ moratus fuit : Quæ Annotationes prodierunt *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 998. Prodiit quoque Lugduni, anno 1643. *Delineatio*, *& Relatio Voti & itineris fratr. Francisci à Cruce*, *Carmelitæ Hispani*, apud Claudium Savarii, eo ipso anno quo contigerunt ; sicut refertur eodem *tomo* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 1084. *num.* 3803.

X L V.

FRANCISCUS A CRUCE, sed Excalceatus Carmelita, ex parente Hispanâ, *Velesii* Jacobeæ militiæ oppidi cive, cui *Didaco Velasquez* nomen fuit, Neapoli, dùm in ea Urbe commoratur,

tur, iste moneribus impensus militaribus, atque inter alia castri novi præfectura natus, qui juvenis edidit:

Relacion de la Vida del Vener. Siervo de Dios Fr. Luis de Jesus, Religioso Carmelita Descalço, en el siglo llamado D. Henrique de Toledo Marques deManzera : Id est Latinè : *Relationem Vitæ Venerab. servi Dei, Fratris Ludovici à Jesu, in seculo dicti D.* HENRIQUEZ DE TOLEDO, *Marchionis de Manzera*, Neapoli, apud Joannem Franc. Paci 1668. *in*-12. In Sermonem Italicum transtulit Simon à Spiritu Sancto, Carmelita Excalceatus. Neapoli, 1675.

Hujus Francisci à Cruce meminerunt Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Biblioth. Hispanæ*, *pag.* 319. & 320. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1129. *num.* 3964. Antonius Teissierius, in *Catalogo Auctorum*, *pag.* 393. Auctor *Bibliothecæ Carmelit. Excalceat. pag.* 163.

X L V I.

FRANCISCUS A S. CYRILLO, Olissiponensis, Carmelita Discalceatus, suæ Congregationis S. Teresiæ Hispanicæ Definitor Generalis, eo tempore quo foras emisit

Gloriam Matris Ecclesiæ ex consideratione cap. XV. secundum Lucam, scilicet in Ove deperdita, hoc est Peccatore, ad ovile reducendâ. Segoviæ 1637. *in-folio*. Et hic quidem primus est tomus integri operis, quem alter, ac tertius excipere debuerunt, quibus hujus Capitis parabolæ tres, singulis quæque tomis, illustrarentur; teste Nicolao Antonio, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 320.

X L V I I.

FRANCISCUS A S. ELIA Legionensis, Pintiæ dedit Carmeliris Excalceatis nomen, Prior *Methimnæ de Rio Secco*, seu de *flumine Sicco*, Theologus percelebris, eruditione clarissimus, ac inter sui ævi Concionatores facundissimus; anno 1628. fundationem Monasterii *Laerunnensis* stabilivit, suisque virtutibus, ac literarum studio asseruit, moriens 1640. Dum Medinæ Rivi sicci suis præesset, publicavit Hispano Sermone,

Commentarios y doctrina sobre la Regla primitiva de la Orden de Nuestra Señora de Carmen : sive Latinè, *Commentarium seu instructionem moralem in Regulam primitivam Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo*. Segoviæ, apud Didacum Diaz de la Carrera 1638. *in-folio*. Ad Christophorum de Guzman & de Santoyo, Episcopum Palentinum.

De illo mentionem habent Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 363. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mss. pag.* 96. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1129. *num.* 3964. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum*, *pag.* 164. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VII. Compendii historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 17. Dominicus à Matre Dei, in *Elogio* quod præfigitur huic Commentario, ut jam animadvertimus, *super. pag.* 393.

X L V I I I.

FRANCISCUS A S. ELIA, distinguitur alter Carmelita Excalceatus, Bæticos, Ordinis sui Definitor Generalis, cui adjudicantur *Plures Conciones*, & *Commentaria in Libros Regum*: Quorum omnium meminit historia Congregat. Hispan. *tom.* 6. *Lib. XXVI. cap.* 29. Necnon *Bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum*, *pag.* 164.

X L I X.

FRANCISCUS ESPINET, natione Catalanus, Perpinianensis patriâ, Habitum Ordinis Carmelitici sub veteri observantiâ sumpsit anno circiter 1514. & in illa perstitit annis quinquaginta & amplius: nam anno 1569. ad Reformationem Teresianam transiit, cujus prima jecerant fundamenta *Joannes à Cruce* & *Antonius à Jesu*, cum duo duntaxat Religiosorum Conventus extarent, scilicet *Durveli* & *Pastranæ*, in quo qui dem horum posteriori admissus noster *Franciscus Espinet* sub nomine *Francisci à Conceptione*.

Is circà annum 1504. Perpiniani natus est, cujus Parer pius, addictissimus erat Ordini Carmelitano, & Conventui ejus Perpinianensi sub nomine *Conceptionis purissimæ B. Virginis Mariæ* antiquissimo, plurimùm affectus. Parvulus Franciscus Patris sui devotionem erga Carmelitas hæreditate recepit; nam puer decem annis natus, Carmelitanum (ut diximus) Habitum suscepit; & sic B. V. Mariæ ab ipsis pueritiæ annis devotus, ut ipsam *Matrem suam* vocaret.

Vir fuit mortificationis cultor præcipuus, quam in omni occasione exercebat: Unde præter disciplinas, cilicia, cæteraque pœnitentiæ instrumenta, novos adinveniebat castigationis propriæ modos: Et verò, cum Discalceatus incedere non permitteretur, intra calceos mittebat scrupulos & similia pedum offendicula, quibus læderetur. Cæterarum Religiosarum Virtutum exemplar, quibus bonam aliis ædificationem excolebat; Virtutum exercitio, scientiarum studium conjunxit; & Vir doctus evasit in Conventibus Manzeræ, Rodæ & Parvæ Rupis, relicto Sanctimoniæ odore, ubi Priorem gessit. Mortem oppetiit anno 1579. relinquens *Conciones* & *nonnulla Opuscula Ascetica Mss.*

Is est qui ter Romam petiit; inquâ peregrinatione trinâ plurimos labores passus est, crebra Vitæ pericula incurrit, & notabiles successus divinæ Providentiæ, illum mirabiliter præservantis inter præsentissima pericula submersionis, serpentum & Latronum. Unum hic retulisse satis erit, pro regularis observantiæ, etiam in rebus minimis, commendatione. Franciscus iter faciens incidit in latrones: illi cum dubitarent, an verè esset Religiosus, an sub Religioso habitu speculator, statuerunt experimentum capere ex modo bibendi: quidam enim illorum noraverant Religiosos istius Ordinis bibere solitos, *ambabus manibus scypho appositis*. Cùm igitur eum bibere cogerent, & is oblatum craterem utrâque manu ori admovisset, benignè demissus fuit, alioqui mactandus, si unica manu bibisset.

Egregium ei reddunt testimonium Isabella à S. Dominico, in *ejus vita* à Michaële Baptista de Lanuza descripta: Franciscus à S. Mariâ, in *Historia Reformat. S. Teresiæ, Lib. IV. cap.* 13. §. 7. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1049. *num.* 3630. Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi*, *parte* 2. *pag.* 24. & *seqq.*

L.

FRANCISCUS DE ESPINOSA, Bæticus, Carmelita Theologus, & Evangelici Verbi Præco celeberrimus, scripsit circà annum M. DCXVI.

De Immaculatâ Conceptione B. V. Mariæ tractatum, Hispali, 1616. *in*-4°. Id testantur Aubertus

Miræus, *Parte 2. Bibliothecæ Ecclesiasticæ, cap.* 175. Hippolytus Marraccius, *tomo* 1. *Bibliotheca Marianæ :* Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis.* Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ, pag.* 323. Alegreus Cassanarus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 473. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 102. Franciscus Bonæ spei, in *Visione Eliæ, pag.*

L I.

FRANCISCUS HIERONYMUS AYMO A S. CLEMENTE, Taurini natus die 21. Octobris vel Novembris 1625. ibi professionem emisit anno 1641. In Regia Taurinensi Universitate Doctorali laureâ donatus, in Philosophicis, Mathematicis & Theologicis versatissimus, in arte oratoria & consonatoria disertissimus, S. Mariæ Transpontinæ in Urbe Theologus Regens; Neapoli Studiorum Præfectus, primo Angliæ, deindè Pedemontanæ Provinciæ Prior Provincialis, Taurini obiit 13. Junii 1705. Edidit,

1. Quatuor tomis *Philosophiam Bacconicam*, Taurini impressam anno 1668. in-folio.

2. *Pilosophiam fondamentalem*, in qua assignat, & proponit fundamenta omnium scientiarum rationalium, realium & moralium ad modum Syntaxis Artis mirabilis Raimundi Lullii : sed in ea copiosiùs, clariùs & perfectiùs elucidat omnia; in cujus molimine annos duodecim consumpsit.

3. Quatuor tomos *Directorii Carmelitarum* à R. P. Marco de Nativitate Turoniæ Provinciæ alumno compositos, è Gallica in Italicam linguam transtulit; *in*-12.

4°. *Manuale pro Sororibus Tertiariis Ordinis Carmelitani*, ab eodem R. P. Marco elaboratum, è Gallico in Italicum idioma vertit, in-12.

5°. *Relation del pomposo apparato fatto dai Padri Carmelitani di Santa Maria di Piazza, nella solenne Canonizatione di S. M. M. di Pazzi.* Taurini, anno 1669. Celebrem nostri Aymonis mentionem habent Andreas Rossotti, in *Appendice ad syllabum Scriptorum Pedemontii, pag.* 3. Augustinus ab Ecclesia iterùm editus Caramoniale, anno 1660. R. P. Timotheus Bergerot in *Schedis Mss.* anno 1748. datis. Alia fusiùs narrata poteris inspicere infer. *pag.* 689. hujus Bibliothecæ, verbo, HIERONYMUS AYMO.

L I I.

FRANCISCUS HUGO SALVENE, persona est cujus nomine Henricus Salart, Carmelita Provinciæ Narbonæ, edidit Gallicum Opus sub hoc titulo :

Le souverain remede pour appaiser l'ire de Dieu, en tems de peste, guerre & famine, & être délivré de ces fleaux ; & pour obtenir sécours en toutes afflictions & nécessités : avec un petit avis aux Confreres du saint Scapulaire, & quelques Prieres de dévotion : composés par François-Hugues Salverie, Confrere. Au Puy, chez André de la Garde, 1660.

Hæc ab ipso Salart se didicisse refert Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 144. Idem, in *Bibliotheca personata Mss. pag.* 87. super foliolum volatile in utroque loco appositum; ut iterum dicturi sumus *inferiori pag.* 580. ubi mentio erit HENRICI SALART.

L I I I.

FRANCISCUS A JESU, natione Hispanus, *Joanne Jodar* Beatensi Decurione, & *Maria Gallegos* Hispalensi, hìc in urbe natus, anno 1569. *Beaciæ* tamen educatus, Carmelitarum Excalceatorum regularem observantiam priùs professus; licentiâ à Superioribus obtentâ, ad antiquiores Carmelitas posteà transiit, quos Observantes appellamus. Sacræ Theologiæ Magister, Regibus Hispaniarum Catholicis, *Philippo III.* quem paulo post moriturum anno 1621. die 31. Martii, præsenti consilio, atque eloquentiâ egregiè juvit, confirmavitque : necnon *Philippo IV.* hujus filio, charus in paucis atque intimus. Utriusque Concionatorem, atque *Philippi IV.* destinatione ad examen quandoque rerum gravissimarum admissum; inter hæc supremi fidei negotiorum Senatus, cum aliàs, tum in expurgandis libris Censorem magnâ eruditionis laude, prudentiæque solertiæque ac pietatis exercuit. Episcopalem dignitatem sæpiùs sibi oblatam constanter recusavit. Obiit *Matriti*, die 23. Septembris, anni 1634. ætatis suæ 66. Anno quippè 1569. natus fuit, cujus opera edita Hispanicè :

1. *Cinco Discursos, con que se confirma la antiqua tradition de que el Apostol Sant Jagovino y prædico en España, defendendiola de lo que algunos autores an escrito den novo contra ella.* Id est Latinè : *Discursus quinque ad propugnandam traditionem Apostolatûs S. Jacobi in Hispania adversùs quosdam Auctores.* Matriti, 1612. *in*-4°. Ex Typographia Regia. Citatur in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 337. *num.* 88.

2. *En Defensa del Patronato de Hispana de Santa Teresia de IHS.* Id est Latinè : *Defensio Patronatûs S. Teresiæ à Jesu, pro Hispaniâ.* Hic sermo habitus est coràm Philippo IV. Hispaniarum Rege.

3. *Exercicios spirituales, que se tienen en el Convento real de las Descalças de Madrid.* Seu Latinè : *Exercitia spiritualia quæ habentur in Conventu Matritensi Monialium Regio Discalceatarum.* Antuerpiæ, anno 1622. *in*-8°.

4. *Sobre el Matrimonio que el Principe de Galles pretendiò con la Infanta Dona Maria.* Id est : *De Matrimonio quod Princeps Walliæ prætendit cum Infante Mariâ.* Editum hoc votum Matriti aiunt anno 1623. Curæ enim suæ commissum habuit magnum id negotium quod summâ dexteritate, ut erat prudens in paucis, & urbanitatis plenus, tractavit Gaspero Guzmano Comite-Duce *Olivariensi* & *Buckingamo* Duce *Philippi IV.* Hispaniorum Regis, atque *Caroli* Walliæ tunc Principis, nomine sæpiùs, nec semel Principe ad eum venientibus. Quod quidem juxta Christianæ prudentiæ regulas ex voto ejus & doctissimorum aliorum hominum expedito, in mandatis habuit, ut Epistolam regiam ad *Jacobum* Angliæ Regem, quâ excusari debuit re infectâ discedere *Carolum* filium, conscius ipse arcanorum formaret : Quam quidem scripsisse dicitur pro dignitate Regum, & causæ ipsius XV. Augusti M. DCXXIV. necnon & eorum omnium, quæ gesta essent, historicam narrationem confecisse; quæ unà cum epistolâ exemplari, propriâ authoris manu descriptâ penes M. R. Patrem *Franciscum Luazo*, ejusdem Ordinis Carmelitam, quondam *Matriti* asservabatur circà annum 1672.

5. *Indicem librorum prohibitorum, & expurgandorum* jussu D. Bernardi de Roxas & Sandoval, Toletani Præsulis, sacræque Rom. Eclesiæ Cardinalis, & Generalis Hispaniarum Inquisitoris, formandum cum aliis ordinavit : Matriti editum, apud Ludovicum Sanchez, 1612. ejusque *Appendicem* publicatam anno 1614. fertur & is Præsulem Illustrissimum quemdam in opere de veneratione Reliquiarum conficiendo adjuvisse. Quod de ejusdem Francisci nostri ore excerptum à se fuisse Zuazus idem confirmat.

Hæc omnia leguntur in *Bibliotheca Hispana, tomo*

F.

1. *pag.* 332. & *tomo* 2. *pag.* 291. cui superaddi possent Rodericus Catus, in *Notis ad Chronicon flavii Dextri*: Aubertus Miræus, *parte* 2. *Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, *cap.* 212. Augustinus Barbosa, *De Officio & potestate Episcopi*; Joannes Tamayus Salazar, *tomo.* 4. *Martyrologii Hispani*: Emmanuel Roman, *De scriptoribus Ordinis Carmelit.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 494. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 517. *num.* 924. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 104. Joannes Pintus, de Victoria in *Hierarchia Carmelitica*: Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 170. Vide etiam *infer.* ubi *Franciscus à Jesu & Jodar* describitur.

L I V.

FRANCISCUS A JESU, Carmelita Discalceatus, ante ingressum in Religionem JULIOS RAVASCHERIUS nuncupatus, Marci Antonii filius, Genuæ natus anno 1587. die 17. Januarii, Professor sacræ Theologiæ in Belgio, Provincialis Genuæ, & Definitor Generalis, obiit Romæ, anno 1647. Auctor est duorum voluminum mysticâ doctrinâ repletorum, quorum titulus est,

1. *Panegyricus*: sivè *humanæ peregrinationis à terra in cœlum*, *exacta Descriptio.*

2. *Mystica explicatio Cantici Canticorum*: sivè *Praxis ascensionis mentis in Deum.* Dividitur in tres partes: quarum prima tractat de vita purgativa: secunda de vita illuminativa: tertia de vita unitiva. Hæc duo volumina Mſſ. custodiuntur in Ordinis Discalceati Carmelitici Archivo Romano, referente Michaële Justiniano; quem exscripsit Augustinus Oldoinus in *Athenæo Ligustico*, *pag.* 192.

Hunc Franciscum à Jesu Genuensem commemorant etiam Paulus ab omnibus Sanctis, Carmelita Excalceatus, in *Schedis Mſſ. ad Ludovicum Jacob* datis, & in hujus *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 96. Daniel à Virgine, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1129. *num.* 3964. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 730. Martialis à Sancto Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum*, *pag.* 171.

L V.

FRANCISCUS A JESU ET JODAR, de quo jam actum fuit in pagina præcedenti sub solo nomine *Francisci à Jesu*: sed quia eum ne crederet quispiam differre *à Francisco Jodar*, qui sub hâc nomenclaturâ appellari nonnunquam solet: non pigeat repetere quod is anno 1569. *Hispali* natus & *Baciæ* educatus, atque inter Carmelitas Excalceatos primùm professus servatis servandis, coaptatus fuit Conventui Carmelitarum antiquiorum Matritensi anno 1611. In quo mansit usque ad obitum, Magisterii laude insignitus, procul à domesticis præfecturis.

Vocatus à *Philippo III.* Hispaniarum Rege, in extremis laborante, egregiam operam ei navavit, ultimam Confessionem sacramentalem ipsius, per tres horæ quadrantes immoratus, audivit, atque subindè ultimum pietatis officium Catholico Monarchæ impendit. Post mortem *Philipi III.* evecto ad solium *Philippo IV.* Franciscus noster, vir *inter ingentes Principum motus*, *atque inæqualem Reipublicæ statum*, *gratiæ semper æqualis stetit.* Nam utrique Regi Philippi parenti & filio carus æquè, atque probatus, pensionibus annuis ab utroque remuneratus, ex utriusque nominatione ad Infulas iterùm atque iterùm delectus fuit.

Portò sibi oblata est Ecclesia Metropolitana Mexicana in America Septentrionali: rursùs Guadicensis, sub Granatensi Metropoli: item Segobiensis, sub Primate Toletano: nec-non Galagurritana, sub Metropoli Burgensi: mansit tamen Franciscus intrà claustra, mortuus tandem Matriti, diuturna & prolixa infirmitate patientissime toleratâ, implicitus. Sepultus est in eodem Conventu, cum fratribus suis, inscripto super lapide hoc Epitaphio:

D. O. M.

HIC SITUS EST R. P. MAGISTER
FR. FRANCISCUS A JESU JODAR,
CONCIONATOR REGIUS,
PRIMÆ ERUDITIONIS VIR:
QUI INTER QUATUOR PRIMOS
THEOLOGOS HISPANIÆ
A REGE PHILIPPO III.
AD RES GRAVES VOCATOS,
ANTE-SIGNARIUS FUIT.
OBIIT TANTUS VIR XXIII. SEPTEMBRIS,
ANNO ÆTATIS SUÆ LXVI.
VERBI INCARNATI M. DCXXXIV.

Præter opera jam superiùs citata, ei adjudicantur *Sermones*, quorum numero inserenda forsan esset *Concio Hispanica in laudem S. Teresiæ*, Matriti habita anno 1627. quam Martialis à S. Joanne-Baptista attribuit cuidam *Francisco à Jesu*, Carmelitæ Discalceato.

De *Francisco* nostro *à Jesu & Jodar* mentionem reperies apud Ægidium Gonzales Davila, in *Theatro Magnalium Matritensium*, edito Matriti, anno 1623. *pag.* 130. & apud Danielem à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 959. *num.* 3375.

L V I.

FRANCISCUS A JESU MARIA, natione Hispanus, patriâ Burgensis, Provinciâ Carmelitarum Excalceatorum Religiosâ Castellanus, sacræ Theologiæ quondam in Collegio Salmanticensi Lector, Prior Burgensis, Salmanticensis & alibi; deindè suæ Provinciæ Definitor, Posteà Definitor Generalis & Secretarius, cujus in administratione se gessit præstantissimè Vir omnium panopliâ scientiarum perornatus, ac magnum suæ Congregationis ornamentum. Obiit anno 1677. Edidit:

1. *Tomum primum Cursûs Theologiæ Moralis Salmanticensis*, in quo reperiuntur *Tractatus de Sacramentis in genere*, *de Baptismo*, *Confirmatione*, *Eucharistia*, *& Extrema-Unctione.* Salmanticæ 1665. Item Lugduni... Item Antuerpiæ, 1672. Item Matriti, 1709. Latinè *in-folio.*

2. *Commentarium*, *in Apocalypsim*, Lugduni, 1648. & 1649. tomis duobus *in-folio*, quorum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 630. *col.* 1.

3. *Tractatum de Sensibus Scripturæ sacræ*, cum præcedenti.

4. *Incentiva animæ fidelis ad amorem.* Editio secunda Salmanticæ, anno 1680. idiomate Hispano.

Franciscum a Jesu Maria celebrant Nicolaus-Antonius, *tomo* 1. *Biblioth. Hispanæ*, *pag.* 674. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1129. *num.* 3964. Ludovicus Jacob, in *Biblio-*

heca Carmelitarum Discalceatorum, *pag.* 171. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *pag.* 17. Franciscus Bonæ spei, in *Visione Eliæ*.

L V I I.

FRANCISCUS A JESU MARIA, alter Carmelita Discalceatus, cognomento BEATUS, à vitæ rectitudine, natus in Civitate de *Antequera* Diœcesis Malacitanæ, in lucrandis animabus operator assiduus, dum ex Conventu de *Alcaudete* ad oppidum de *Luque* ex obedientia iter instituisset, mortem invenit anno 1720. Ejus corpus à pluribus annis incorruptum perseverat. Scripsit Hispanè:

Tractatum *de Animabus gubernandis, cum exercitiis quotidianis.*

L V I I I.

FRANCISCUS AB INCARNATIONE, Hispanus tum genere, tum pietate clarus in Nova Castella, inter Carmelitas Excalceatos edidit Hispano idiomate, *tomos duos Concionum*. Matriti, anno 1714.

L I X.

FRANCISCUS IRENÆUS, persona est cujus nomine R. P. Leo à S. Joanne, Carmelita Provinciæ Turoniæ, edidit Gallico idiomate, *Sentimens sur les questions de la Predestination, & de la fréquente Communion*. A Paris, chez Rolet le Duc, 1643. *in-4°*. Iterùm 1644. *in-4°*. apud eumdem & Joannem Lemire. Hujus posterioris editionis curam habuit Ludovicus Jacob, qui id refert in sua *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 97.

L X.

DISSERTATIO

De Vita & Scriptis FRANCISCI JUNCTINI.

FRANCISCUS JUNCTINI, aliàs GIUNTINO, natione Italus, *Florentiæ* natus est die 7. Martii 1522. Ipse in Commentariis ad Claudii Ptolomæi de Astrorum judiciis Librum tertium, *cap.* 14. quod circa *qualitates animæ innatas* versatur, de seipso loquens ait *pag.* 542. *lineis ultimis*: » Ego dicam » de pronitate mea. Habui Mercurium in tertia cœli » domo in signo Piscium in parte 17. min. 24. & » respiciebat partiliter Jovem ex sextili aspectu: » quia Jupiter erat in Capricorno in parte 21. min. » 15. Quare habui & habeo inclinationem ad sa- » etam Scripturam. Et Logduni nationibus Italicis » per continuos annos quatuor pro concione expo- » sui Evangelicum Dei, & publicè professus sum » sacram Scripturam illis temporibus.

Ibidem pag. 544. *col.* 2. *sub finem.* » Habui & » ego quamdam parvam dispositionem ad ornatum » dicendi, quam denotat conjunctio Veneris cum » Mercurio. Nam Venus erat in suo throno, & » Mercurius in tertia cœli domo. Quare publicè » oravi, & operam dedi Poësi, & multa scripsi » meo & alieno nomine, diversis temporibus sermone » Italico, & super Petrarchæ cantiones, aliquas » scholias edidi.

Ibidem, *pag.* 545. *col.* 2. *de Astrologis loquens*: » Ego habui Mercurium Orientalem à sole, & cum » sole conjunctum & non combustum. Et quamvis » fuerim sæpius impeditus à tali studio, tamen præ- » valuit animi dispositio, quod sum Astrologus & » alii.

Junctinus, inquam, natus est anno 1522. hora 13. minut. 20. post meridiem, ut ipsemet refert in *Calendario Astrologico*, *tom.* 2. ejus Operum, *pag.* 1138. fat juvenis nomen dedit Carmelitis, apud quos sacerdotio decoratus, laureâ sacræ Theologiæ Doctorali insignitus, in Academia Florentina die 18. Novembris 1554. præcipua exercuit munia, etiam sui Conventûs Florentini Præfecturam: sed religiosæ tædio affectus, eam deseruit, in Gallias advenit; ubi & fidem catholicam ejuravit circà annum 1570. Piis tamen à vitis officiosè monitus, ad meliorem frugem rediit, suâ hæresi *Lugduni* ita abjuratâ in Ecclesia *Sanctæ Crucis*, ut monasticam professionem suam non resumeret: jure accepto ex (a) Constitutione Pii IV. die 3. Aprilis 1560. datâ, quâ Apostatæ Monachi ad Ecclesiam Catholicam redeuntes permittebantur in sæculo temanere ad honesta loca, prout melius ad ipsorum salutem judicarent Commissarii Apostolici.

Honorifico donatus fuit titulo Eleemosynarii ordinarii inter domesticos Serenissimi Principis, Valesii, Ducis Andegavensis & Alenconii, fratris Henrici III. Ducem enim hunc Andegavensem alloquens in (b) *Synopsi de restitutione Calendarii* ait: *Princeps Serenissime, mearum partium meique officii esse duxi, te auspice, qui me jamdudum singulari tuo favore ac benevolentia in numerum domesticorum tuorum adscivisti.* Sed cum hanc Synopsim scriberet anno 1579. Junctinus, longè ante titulum *Eleemosynarii* hujus Principis adeptus est, quo titulo suorum Operum editionem Lugdunensem *in-folio* 1583. insignivit.

Astrologiæ judiciariæ studiosior, nimiùmque credulus apud omnes auditus est, auditi tamen ipsum juvat in Epistola sive *humili* (c) *supplicatione ad Reverendissimos Antistites ac Reverendos Inquisitionis hæreticæ pravitatis*, dicentem: » Licet mihi sim » conscius, me hic nihil unquam asseruisse, quod » sanctæ Ecclesiæ Romanæ Catholicæ sanctionibos » putarem adversum (sive quod ad libetum homi- » nis arbitrium spectat, quod ab astris nullo pacto » affici dicimus, nisi quatenus inferiores animi fa- » cultates ab eis ad aliquid inclinentur, vel avocan- » tur: sive quod ad Dei providentiam pertinet, quæ » tantum abest, ut cœlo subsit, ut ea cunctis suo » motu moderetur, legemque statam Astris impo- » suerit; quam pro suo arbitrio mutat, cum id » videt) tamen non negaverim, fieri posse, ut hic » non rectè multa affirmaverim, alia ut ignorans, » quædam ut malè judicans, aliqua ut negligenter » scribens.

» Atque ideò *Reverendissimi Antistites, & Reverendi Inquisitores*, cæterique, quorum est fidei » censura, vos oro, obtestorque, ut, si quid hoc » in Libro deprehenderitis, quod vel minimum à » sacro sanctis fidei nostræ Decretis dissentire, aut » in aliquo integerrimis moribus posse officere, vel » etiam pii Christiani hominis conscientiam quo- » quo pacto lædere videatur, id meæ oscitantiæ » atque inscitiæ attribuatis, statim è libro auferatis, » expurgetis, abradatis: ita ut ne vestigium quidem » exstet. Ego enim id nunc revoco, & tanquam à » me nunquam dictum volo. Nam ea tantùm tam » in hoc libro, quàm in aliis à me editis, eden- » disve asserta volo, quæ à sancta Catholica Ecclesia » Romana approbentur. Valete Reverendissimi Pa- » tres, meque in vestrum patrocinium suscipite.

Indè falsa Astrologiæ principia quisque minimè demirabitur, cum id fateatur ipse *Junctinus*, & in plurimis erraverit, quorum in exemplum adducitur

(a) *Bullar. Rom. & Carmelit. tom.* 2. *pag.* 116.
(b) Junctini Operum, *tomo* 2. *pag.* 918.
(c) Ibidem, *tom.* 1. *in Limine.*

horoscopus

F.

horoscopus quem *tomo* 1. *pag.* 138. profert de Ferdinando Mediceo his verbis : » Domnus Ferdinandus » Medices , Frater Francisci magni Ducis Ethruriæ , » tenet Lunam in septima cœli domo , cui diametratur Mars : qui quidem est Dominus secundi » trianguli septimæ domûs , quoniam nativitas est » diurna , & reperitur in duodecimâ cœli domo in » signo sterili. Nam ejus horoscopus est signum Vir» ginis , & in occasu tenet Pisces. Quare Mars fuit » Dominus secundi trianguli. Venus autem collo» cata est sub radiis solis , & fuit combusta , & in » diametro Saturni. Quare ipse se dicavit Ecclesiæ, » & elegit vitam Ecclesiasticam , & esse celebrem. » Ergo conclusio vera.

Conclusionem verò falsam probavit eventus: Nam, ut scribit Antonius de Laval in Opere Gallicè edito, *Desseins problêmes politiques.... Examen des Almanachs , Prédictions , &c.* Parisiis edito 1613. apud Abelem Langellier *in*-4°. apud Claudium Cramoisy, *cap.* 13. *pag.* 572. *Ferdinandus* Mediceus I. nomine, Magnus Etruriæ Dux , fratre suo natumajore *Francisco* mortuo die 9. Octobris 1587. purpuram deposuit die 28. Novembris 1588. uxorem duxit *Catharinam* de Lotharingia, ex qua filios decem suscepit , & die 22. Februarii defunctus est anno 1608. Idem refert Antonius Aubery in Opere Gallicè inscripto : *Histoire générale des Cardinaux* , *tom.* 5. *pag.* 225. Præfatus autem Ferdinandus de Medicis natus erat die 13. Julii , horâ 19. min. 57. post meridiem , ano 1549.

Alterius culpæ Junctinus, Teloniæ scilicet insimulatur : adeo ut pecuniam cum usura præbens sexaginta mille aureos sibi nummos coacervaverit. Addit insuper (d) Possevinus , quòd Juntis honestissimis typographis (in quorum ædibus sæpè librorum correctionibus operam Lugduni posuerat) mille aureos nummos cum moriens legasset , qui cum reliquis evanuerunt : nimirùm omnia perdita fuerunt quæ Astrologus iste fenerator anxiè hinc indè corraserat. Mortuus autem fuisse creditur circiter annum 1590. ætatis suæ 67. Quapropter in fastis Theologicis Universitatis Florentinæ , *pag.* 256. incorrectè legitur *Pacificus Giuntini.* Obiisse legitur mortuus die 18. Maii an. 1572. Ejus opera recentiùs ab ipso edita contrarium evincunt.

Scripta Francisci Junctini.

1. *Tractatus judicandi revolutiones Nativitatum.* Lugduni 1570. *in*-8°. vide infer. *num.* 13.

2. *Francisci Junctini speculum Astrologiæ , quod attinet ad judiciariam rationem Nativitatum , atque annuarum revolutionum. Ejusdem tabulæ resolutæ Astronomicæ de supputandis siderum motibus secundùm Observationes Nicolai Copernici , Prutenicarumque tabularum.* Lugduni 1573. *in*-4°. Idem opus magnis incrementis ditatum sub hoc titulo :

Speculum Astrologiæ , universam Mathematicam scientiam , in certas classes digestam complectens. Accesserunt etiam Commentaria absolutissima in duos posteriores quadripartiti Ptolomæi Libros , innumeris observationibus referta , & certissimis aphorismis (quatenus ex siderum positione liceat christiano more aliquid conjicere) ex probatissimorum Astrologorum Scriptis depromptis insignita. Lugduni , in Officina Q. Phil. Thingi , Florentini ; apud Simphorianum Beraud , duobus tomis *in-folio* : quorum prior paginas 1313. posterior complectitur 1170. sine tabula universali. Epistola nuncupatoria dedicatur Reverendissimo & Illustrissimo Principi , ac D. D. Marquardo, Episcopo Spirensi. Subsequitur *ad Reverendissimos Antistites , ac Reverendos Inquisitores , hæreticæ pravitatis , Francisci Junctini humilis supplicatio.* Excipiunt varia Authoris elogia metricè prolata per varios hujus ætatis peritos Scriptores. Hæc autem sunt quæ continentur Opera ,

Primo Tomo :

1. *Definitio bonorum Astrologorum de Astrologia prædictiva adversùs Calumniatores* , *pag.* 1. Reperitur etiam edita in Opere inscripto : *de divinatione quæ fit per Astra : diversum ac discrepans duorum Catholicorum S. Theologiæ Doctorum judicium.* Coloniæ 1580. *in*-8°. *pag.* 1. — 61.

2. *Isagogicus Tractatus in totam Astrologiam prædictivam distributus in octo capita* , *pag.* 17.

3. *Claudii Ptolemæi quadripartiti Liber primus*, *pag.* 49.

4. *Commentaria in duos posteriores Libros* ejusdem Claudii Ptolomæi Pelusiotæ , sive Alexandrini ; qui floruit circà Christi annum 138. temporibus Antonii Pii & M. Aurelii Imperatorum ; ut ipse animadvertit *Junctinus* , *pag.* 107.

5. *Commentaria Ptolemæi* , *pag.* 831.

6. *Hermetis centum Aphorismorum Liber* , *pag.* 840. Hujus Hermetis Opera edi curavit Basileæ anno 1559. Hieronymus Wolfius ; sed quando vixerit , ignorare se fatetur.

7. *Almansoris Astrologi propositiones* , *pag.* 843. Hæ propositiones *ad Saracenorum Regem* dictæ jam prodierant anno 1530. opera Hervagii cum tractatibus & *Julii Firmici.* Almansorem verò seu Almeonem Arabem Mathematicum vixisse anno 1139. Scribit Junctinus in Catalogo Scriptorum quem præfixit ad limina hujus tomi primi ; cum antiquiorem Almansorem Saracenum Astrologum ibidem referat floruisse anno 933.

8. *Sententia* seu *Aphorismi Astrologici Ludovici de Regiis ad* Philotheum *Patriarcham Constantinopolitanum*, *pag.* 847. Ludovicus de Regiis Physicus & Astrologus floruit anno 1370.

9. *Annotationes universales de Judiciis Nativitatum* , *pag.* 8777.

10. *Directiones , progressiones , sive inambulationes , ascensoria tempora Hilegiorum , &c.* seu *forma directionis , quam Joannes Regiomontanus tradidit in Libro Canonum , quem tabulas vocat Directionum* , *pag.* 887. Joannes de Regiomonte , aliàs *Joannes Muller* natus die 6. Junii 1476. de quo vide Petrum Gassendum in ejus vita , quæ prodiit Hagæ-Comitum an. 1656. ad calcem vitæ Tychonis Brahei , *pag.* 345. & 367. idem asserit Junctinus in suo Commentario Ptolemæi dicens , *pag.* 236. Joannem Regiomontanum optimo flore vitæ suæ obiisse anno 1476. Tabulæ autem directionum jam editæ fuerant Norimbergæ , 1475. *in*-4°. & alibi pluries ; uti videre est in *Memoriis Niceroni* , *tomo* 38. *pag.* 384.

11. *Tractatus judicandi omnium Alphætarum apotelesmata , de quibus sigillatim neque diffusè Claudius Ptolemæus , nec cæteri Scriptores hactenus fecerunt mentionem.* *pag.* 942.

12. *Tractatus Astrologicus , in quo agitur de præteritis & futuris multorum hominum accidentibus per proprias eorum genituras ad unguem examinatis. Quorum exemplis consimilibus unusquisque de medio Genethliacus vaticinari poterit de futuris* , *pag.* 952.

13. *Tractatus judicandi revolutiones Nativitatum :* Opus quidem jam Lugduni editum anno 1570. *in*-8°. ut animadvertimus superius : sed Opus nunc demum ab ipso authore multis in locis auctum , ad

(d) Possevinus in *Bibliotheca Selecta* , *tomo* 2. *pag.* 245.

F.

Sacra Silva : Obiit Parisiis anno 1256. Sepultus in Ecclesia S. Mathurini.

5. *Quatuor Americi Vespucii Florentini Navigationes*, *pag.* 831. Americus Vespuccius Florentinus, ex Hispania portum solvit die 20. Maii 1497. Tertiò Lisbonâ transfretavit die 13. Maii 1501. & quartò ab Emmanuele Portugalliæ Rege discessit die 10. Maii 1503. & Olisiponem rediit die 18. Junii 1504. ubi suas quatuor Navigationes scripsit, & Renato II. Lotharingiæ Duci, anno 1508. defuncto, dicavit.

6. *Tractatus de utilitate sphæræ ex diversorum Authorum sententiis collectus. pag.* 904. Jam prodierat Lugduni *in*-8°. apud Philippum Tinghium, cum sphærâ Joannis de Sacro Bosco à nostro Francisco Junctino emendatâ, anno 1578. qui in calce libri adjunxerat easdem, quas in præsenti *tomo* 2. *pag.* 913. ubi & reponit Petri Nonii Salasiensis *annotationem* in extrema verba capitis de Climatibus, Elia Vineto interprete.

Petrus quidem *Nonias* vulgò *Nuñez*, Salaciæ (Vernaculè *Alcaçar do-sal*) in Lusitania natus, qui Ludovicum Emmanuelis Regis filium (anno 1556. defunctum) Mathematicas disciplinas edocuit, Lusitano idiomate scripsit *Hua Annotaçaõ à Sfera de Joam de Sacrobosco.* Hanc autem Latinam fecit Elias Vinetus, prope *Barbezillum* apud Santones ortus, & anno 1587. defunctus, ediditque unà cum aliis diversorum fragmentis & annotationibus suis ad eundem Sacrobosium, Venetiis anno 1562. *in*-8°. ex Typographia Hieronymi Scoti.

7. *Synopsis de Restitutione Calendarii* : ad serenissimum Principem Ducem Andegavensem & Alenconium fratrem unicum Christianiss. Regis Francorum nuncupata. Hic *Franciscus Valesius*, qui Sacris in undis *Hercules* nominatus fuerat, in Castro Theodorici obiit die 10. Junii 1584. nuptiarum expers : cujus horoscopum dedit Junctinus *tomo* 1. *pag.* 703. sed Nativitatem illius assignat anno 1555. die 17. Martii. Unde falsitas opinionum Astrologicarum patescit. *Synopsis* autem *de restitutione Calendarii* prodierat Lugduni anno 1579. *in*-8°.

8. *Compendium de stellarum fixarum observationibus*, rectificatum quidem volvente anno 1564. sed recognitum ac locupletatum anno 1574. Quarum Alphonsus Hispaniarum Rex observavit esse in magnitudinibus. *pag.* 933. Hoc opus dedicatur ad Illustrissimum virum Franciscum Mandalotium, Paciaci Dominum &c. Cujus equidem Mandelotii Gubernatoris pro Rege Christianissimo in Lugdunensi Provincia, Horoscopum Junctinus ibidem *pag.* 941. exhibet, & concludit quod stellæ fixæ mirabiles & ultra rationem felicitates tribuunt, quoties nascente aliquo, in Orientis, aut medii cœli cardine reperiuntur cum ipsa parte fortunæ, aut cum sole, lunaque partiliter.

9. *Tractatus de diebus decretoriis*, *ad Excellentem* Philosophum & Medicum D. Jacobum, qui cognominatur Pons, *pag.* 1073. sic autem incipit : » Quidam Doctor Medicus, Præstantissime Doctor, » quæsivit scire causam crisis morborum, quare sit in » septima die, aut in 14. 20. aut 21. vel 27. vel » 28. neque potuit invenire illam, nisi per mo- » tum Lunæ, sicut declarabo &c. »

10. *Hyppocrates de significatione mortis & vitæ*, *secundùm motum Lunæ*, *& aspectum Planetarum*, *pag.* 1077. incipit. » Hippocrates optimus medentium dixit : Cujusmodi Medicus est, qui ignorat Astronomiam, nemo debet se committere manibus ejus, quia &c. »

11. *De Solis & Lunæ Eclipsibus Tractatus*, *pag.* 1105. sic incipit : » Solis labor Lunæque defectus semper quodammodo aliquid mali enunciant : quippe, &c. »

12. *Annotationes in Cometis*, *quos mundus nunquam impunè vidit ex veterum observationibus Astrologorum*, *pag.* 1124. Jam prodierat Lipsiæ, anno 1580. *in*-8°. sub hoc titulo : » Tractatio utilis & » lectu digna de Cometarum causis, affectibus, » differentiis, & eorumdem proprietatibus ex Fr. » Junctini voluminibus excerpta. Lipsiæ, 1580. » *in*-8°. *pag.* 41. » Nimiâ in Astra credulitate imbutum & superstitione se præbet & ostendit Junctinus in hoc tractatu.

13. *Calendarium Astrologicum*, *Historicum & Poëticum*, *ex omnium nationum Annalibus*, *Chronicis & Historiis*, *magnâ diligentiâ excerptum.* In quo singulorum dierum, aëris constitutiones, Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum, Virorumque illustrium nativitates & obitus, brevi & dilucidè continentur. Omnibus Historiarum amatoribus, singulis diebus lectu jucundum & utilissimum. *pag.* 1140.-1167.

ALIA JUNCTINI OPERA :

1. *Discours sur ce que menace devoir advenir la Comete*, *apparuë à Lyon le* 12. *de ce mois de Novembre* 1577. *laquelle se voit encore à present. Par M. François Junctini*, *grand Astrologue & Mathématicien.* A Lyon, chez François Didier, 1578. *in*-8°. It. Paris, chez Gervais Mallot 1577. *in*-8°. *p.* 16.

2. *Discorso sopra il tempo dello innamoramento del Petrarca. Con la Sponzione del soneto* : Già fiam megiava l'amorosa stella. *Per Francesco Giuntini.* In Lione, 1580. *in*-8°. Item in editione Francisci Petrarchæ Operum Poematicorum. Venetiis, anno 1585. Franciscus Petrarcha Aretii in Eutria natus est anno 1304. die 20. Julii, & in Arqua quod oppidum est in agro Patavino mortuus die 18. Julii, anno 1374.

3. *Discours sur la Réformation de l'An*, faite *par le Pape Gregoire XIII. avec les causes pour lesquelles ont été ôtez dix jours & le nombre d'Or*, A Lyon, chez Benoît Rigaud, 1582. *in*-8°.

4. *Ephemerides Joannis Stadii. Quibus schemata & prædicationes annorum Mundi & Eclipsium Luminariam accesserunt*, *Auctore Franc. Junctino.* Lugduni, apud Philippum Tinghium, anno 1585. *in*-4°. Joannes Stadius Lœnhauri in agro Antuerpiensi natus anno 1527. Parisiis obiit anno 1579. XV. Kalendas Quinctiles, ætatis 52.

FRANCISCUM JUNCTINUM commemorant Antonius Possevinus, in *Bibliotheca selecta* : *tomo* 2. *Lib. XV. cap.* 15. Jacobus Frisius, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*, *fol.* 239. Nicolaus Angelus Caserius, in *Synthemate Vetustatis*, *pag.* 58. *ad diem* 7. *Martii.* Franciscus Grudæus de Cruce-Cœnomana, in *Bibliotheca Gallica*, *pag.* 101. Antonius du Verdier, Dominus de Vauptivas, in *Bibliotheca Gallica*, *pag.* 404. Jacobus Gaffarel in *Curiositatibus inauditis*, *pag.* 3. *Præfat.* necnon *cap.* 3. §. 8. & *cap.* 6. §. 8. *pag.* 60. & 122. Florimondus Remondus, in *Historia Hæreseos* Gallicè scripta, *Lib. I. cap.* 5. *pag.* 25. Petrus Gassendus, in *Vita Nicolai Copernici*, *pag.* 292 Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Scriptorum Hispaniæ*, *tomo* 2. verbo, Petrus Nonnius, *pag.* 1-8. *col.* 2. Petrus Belæus, in *Dictionario Critico* Gallicè edito 1720. *tom.* 2. *pag.* 1582. Joannes-Petrus Niceron, in Opere Gallicè inscripto : *Memoire pour servir à l'Histoire des Hommes Illustres dans la République des Lettres*, *tom.* 41. *pag.* 196. *& seqq.* Vir peritiss. Dominus d'Artigny, in Opere Gallice inscripto an. 1749. *Nouveaux Mémoires d'Histoire*, *de Critique*

& de Literature, *tom.* 2. *pag.* 406. Ubi citatur Petri Matthæi Historia Gallice edita, *Lib. VII. pag.* 459. referentis prognosticum Arostologicum Francisci Junctini circa Cometam, qui visus est die 11. Octobr. 1580. & ab ipso Junctino memoratus in Calendario Astrologico, *pag.* 1162.

L X I.

FRANCISCUS LATENAY, professus Provinciæ Tolosanæ, Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, in sacra Facultate Parisiensi Doctor, in Conventu majori Parisiensi jure filiationis donatus. Studiorum ibidem Præfectus, postea venerabilium & Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Indicis Librorum prohibitorum & expurgandorum Consoltor, ac Tribunalis Sanctæ Romanæ Inquisitionis Qualificator constitutus est à *Clemente XI.* Pontifice Maximo: Commissarius & Visitator Apostolicus Excalceatorum Ordinis Sancti Augustini frattum Eremitarum Congregationis Franciæ, instante Ludovico XIV. Francorum Rege Christianissimo, per Apostolicas Literas Romæ die 25. Maii 1709 quæ typis mandatæ prodierunt *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 687. Obiit anno 1732. postquam scripsisset *plurimos Theologiæ Tractatus.*

L X I I.

FRANCISCUS LAVELLUS, sivè DE LAVELLO, Neapolitanus Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, & Professor, qui deputatus est Lector pro Collegio Paduano in Comitiis Generalibus apud *Parisios* celebratis anno 1505: Episcopus autem *Ravellensis* in Regno Neapolitano instituitur die 14. Novembris 1506. cui *Petrus Terassa*, Prior Generalis, anno 1507. die 24. Augusti concessit usum cujusdam cellæ, quam ipse ædificaverat in Conventu *Aversæ*. Scripsit,

1. *Commentaria in Libros IV. Sententiarum.*
2. *Commentaria in Libros quosdam Scripturæ Sacræ.*

De Francisco Lavello mentionem habent *Acta Consistorialia Julii II. ad diem* 14. *Novembris*: Ferdinandus Ughellus, *tomo* 1. *Italiæ Sacræ*, sed falsò *Cartasianum* appellans: Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1507. *num.* 4. *pag.* 1020. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mss. Episcoporum Ordinis Carmelitici*: Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 921. *num.* 3215.

L X I I I.

FRANCISCUS A S. MARIA, Bæticus, in seculo FERDINANDUS DE PULGAR ET SANDOVAL nuncupatus, ex Avla nepos *S. Teresiæ*, natus est Granatæ, Idibus Augusti anno 1567. In Pintiano Cœnobio institutum Carmelitarum Excalceatorum amplexus, religiosam professionem emisit anno 1587. die 25. Martii. Disciplinis Philosophiæ, & Theologiæ doctè comparatis, ad Sacerdotium anno 1591. provectus est: atque Lector Philosophiæ & postmodùm Theologiæ in Collegio Sodalium suorum Salmanticensi, ubi primus propria docuit scripta: prius enim ad Universitatis aulam omnes hi Religiosi ad excipiendas lectiones procedebant; in Magisterio utriusque scientiæ, duodecim annos insumpsit.

Fidelis solitudinis amator, Eremum *de las Batuecas* dictam fundavit, cujus post fundationem rediit *Salmanticam* ad suum Theologiæ Magisterium: rigidus mortificationis sectator, usque ad annum quinquagesimum vino abstinuit, nec aquam ad sitim complendam bibit; supra nudam tabulam cubans, ciliciis, catenis acutis carnem suam spiritui subjecit; obedientiæ, humilitatis, paupertatis, cæterarumque virtutum cultor eximius.

Anno Domini 1601. ætatis suæ 33. fuit Conventûs Vallisoletani Vicarius: paulò post fit Prior, sive Rector Collegii Salmanticensis; anno 1604. Granatensis, postea bis & ter ad idem officium electus. Anno 1610. propter negotium suæ Provinciæ Bæticæ, Romam profectus est: in quâ peregrinatione multa Historiæ Carmelitanæ monumenta collegit. Factus est postea Prior Hispalensis, deindè Biacensis. Provincialis primùm anno 1631. & iterùm anno 1644. electus, iis muneribus perfectissimè functus est. Viribus tandem destitutus, jamque cœlo maturus, Ecclesiasticis sacramentis munitus, animam Deo reddidit die 11. Septembris, anno 1649. *Matriti* febre correptus. Cujus corpus post quinque annos & aliquot menses inventum est incorruptum, exceptâ carne capitis, conjunctis omnibus membris. Stylo usus elegantiæ masculæ, hoc est modestæ ac Religiosæ, in lucem edidit Opera, quæ tum Hispano, tum Latino inscribuntur:

1. *Historia Prophetica de la Orden de Nuestra Señora del Carmen*, *tom.* 1. Matriti 1630. *in-folio.* Quam & propugnare opus habuit adversùs aliter de hujus Ordinis origine sentientes, ob cujus elegantissimam structuram, *Titus Livius Bæticus* ab omnibus meruit nominari. Matriti etiam anno 1649. Latinè verò, Romæ: quam citat Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad annum* 1307. *num.* 3. *pag.* 488. Magnoperè commendat Ludovicus à S. Teresiâ, in *successione Eliæ cap.* 273. *pag.* 627. 628.

2. *Ejusdem continuatio à tempore Christi*, *usque ad annum* 415. asservatur Ms. Matriti in Archivio Generali Ordinis. Hispanè.

3. *Apologia del tomo primero de la Historia Profetica*, Valentiæ 1642. *in-folio.* apud Chrysostomum Garriz, expensis Bernardi Noguez, cum amplissimâ approbatione R. P. M. Ambrosii Roca de la Serna, Carmelitæ Valentinensis, Doctoris Theologi; & cum [illegible]entia Isidori Aliaga Archiepiscopi Valentinensis. Ad Inquisitionem etenim Hispanicam delata fuerat *Historia Prophetica*, ex qua evasit immunis: quidquid in contrarium dixerit R. P. Theophilus Raynaudus.

4. *Reforma de los Descalcos de Nuestra Segnora del Carmen de la prima Observancia.* duobus tomis, quorum primus anno 1644. Matriti, secundus anno 1655. appud Didacum Diaz de Cabrera Matritensem Typographum, *in-folio.* Istam Historiam Gallicè reddidit R. P. Gabriel à Cruce Alenconius, Carmelita Excalceatus Provinciæ Parisiensis, eamque edidit Parisiis, apud Sebastianum Huré, 1655. *in-folio.* Prodiit quoque Italicè correcta & aucta studio & labore R. P. Gasparis à S. Michaele, Genuæ 1654. *in-folio* apud Petrum-Joannem Calenzanum. Hanc Versionem citat Nicolaus Franciscus Haym, in *Bibliotheca Italiana*, sivè *Notitia de Libris raris in Linguam Italicam versis*, *pag.* 72. *num.* 3. Alii authores eam Historiam, quæ desinit ad obitum S. Teresiæ, prosecuti sunt, nuncque sex tomis *in-folio* constat.

5. *Tractatus de Virtute Religionis.*

6. *Tractatus de Relectionibus non faciendis.*

7. *Qualificatio solemnis Reliquiarum Martyrum Urgabonensium*, sivè *de Arjona* Libris VIII. ad instantiam Eminentissimi R. S. E. Cardinalis Balthazaris de Mosco & Sandoval, Episcopi Giennensis.

F.

ſis. Aſſervantur Mſſ. in Archivio Eccleſiæ Giennenſis.

8. *Lux Mirabilium, quæ Deus operatur in animabus.* Hoc opus nonnulli Scriptores præ manibus habentes, ſuppreſſo veri Autoris nomine proprio edident.

9. *Reſponſio ad Conſultum grave*, inſtante Academiâ Salmantinâ. Hujus operis quod aliqui Autbores vocant *De rebus Theologicis Prælectiones*, meminit *Hiſtoria Generalis Congregationis Hiſpanicæ* Carmelitarum Excalceatorum, *tomo 6. Lib. XXV. cap.* 13.

10. *Apparatus Hiſtoricus*: De quo eadem Hiſtoria Generalis ioco citato.

11. *De Eſſentia Theologiæ Myſticæ*: Rogante D. Leandro Granatenſi, qui ſub diverſis notis eam inſeruit *Vitæ S. Gertrudis*. Latina eſt elucubratio, & eſſentia Theologiæ Myſticæ.

12. *Commentaria ad Marcum Maximum.*

Franciſcum à S. Maria laudibus & ſcriptis celebrant Ægidius Gonzales & Thomas Tamayus de Vargas, Hiſtoriographi Regis Catholici: Gabriel Lupez, Ordinis Minimorum: Georgius Cardoſus, in *Hagiologio Laſitano*: Thomas Hurtado, in *Reſolutionibus Orthodoxo-moralibus de Martyrio*: Joannes Caramuel, in *Vita Dominici à Jeſu Mariâ*: Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis*: Martinus Teillerus, *de Hiſtoricis, Chronologis & Geographis*: Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hiſpana, tomo* 1. *pag.* 338. *col.* 2. Ibidem, *tomo* 2. *pag.* 658. ubi Operibus memoratis adduntur, *Reſpuetta a la Proclamacion Catholica de Cataluña*: & *ſatisfacion Real.*

E Carmelitis Anonymus qui vitam ejus præfixit *tomo* 2. *Reformationis S. Thereſiæ*. Philipus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religioſi, parte* 2. *pag.* 105. Iſidorus à S. Joſeph, *tomo* 1. *Annalium*: Thomas Aquinas à S. Joſeph, in *Diſſertatione Hiſtorico-theologica de Patriarchatu Eliæ.* Matthias à S. Joanne, in *Hiſtoria Panegyrica Ordinis Carmelitani, tomo* 1. *cap.* 22. *pag.* 80. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag.* 597. *num.* 1067. Idem *tomo* 2. *Spec. Carmelitani, pag.* 1129. *num.* 3964. Item. *tomo* 1. *pag.* 323. *num.* 1320. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 97. Martialis à S. Joanne Baptiſta, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 172.

LXIV.

FRANCISCUS A S. MARIA, Pariſinus, in ſeculo JACOBUS CRESSA dictus, die 14. Septembris, anno 1617. natus, *Pariſiis* apud Carmelitas Diſcalceatos profeſſus anno 1635. die 24. Junii, omnibus ferè officiis ſuæ Provinciæ laudabiliter functus, in illud continuò incumbebat, ut in lege Domini, ac Sacrorum Librorum meditatione, die ac nocte verſaretur. Obiit *Aureliis*, die 12. Martii, anno 1691. poſtquam edidiſſet,

1. *Vitam S. Joannis à Cruce.* Bruxellis anno 1674. *in*-8°. Gallicè, primas tantùm nominis ſui literas apponens.

2. *Libros duodecim in ſacros Codices* ſcripſiſſe fertur: qui Pariſiis aſſervantur Mſſ.

LXV.

FRANCISCUS A S. MARIA, Carmelita Diſcalceatos, ſcripſit

Commentaria in Poëmata & Carmina S. Joannis à Cruce in-4°. Anno 1676. Quæ *Lermæ* quod oppidulum Caſtellæ veteris titulo Ducali inſignitum, aſſervantur Mſſ.

LXVI.

FRANCISCUS MARTINI, natione Catalanus, Cœnobii Barcinonenſis Carmelita, Sacræ Theologiæ Lector Biblicus Pariſienſis, anno 1372. in Capitulo Generali Aquiſcatiis celebrato deſignatus; pro tertio anno, quo etiam Capitulo inſtituitur Baccalaureus in Curia Romana. In Comitiis autem Generalibus Podii Vellaunorum habitis anno 1376: ordinatur Lector Sententiarum Pariſienſis pro ſecundo anno: poſteà in eadem celeberrima Academia Theologus renuntiatur.

1. *De Conceptione Beatæ Mariæ Virginis.* Anno Domini mileſimo trecenteſimo nonageſimo in Conventu Barcinonenſi ſe hunc librum conſcripſiſſe annotat: Quem ſeptem tractatibus complexus eſt, ut obſervant Arnoldus Boſtius, Joannes Trithemius, Auguſtinus Biſcarretus, Joannes-Albertus Fabricius, & Daniel à Virgine Mariâ. Qui addit quod in *Tractatu ejus quinto*, immacolatam Dei-paræ Virginis Conceptionem probat Franciſcus rationibus centum, quæ *inſertæ ſunt Libro R. P. Franciſci Bonæ ſpei, cui titulus eſt*: Magni Prophetæ Eliæ Viſio de immaculata Dei-paræ Virginis Conceptione. Tractatum Franciſci Martini aſſervari in Bibliotheca interiori Collegii Romani PP. Jeſuitarum, teſtantur Petrus de Alva, Nicolaus Antonius, Joannes-Albertus Fabricius, & Ludovicus Jacob, qui cum Nicolao Antonio inſuper eumdem tractatum Mſ. extare aſſerit in Collegio Maubertino Pariſienſi PP. Carmelitarum.

2. *Compendium in honorem Ordinis in ſeptem libros diſtinctam.* Quod Mſ. *Semuri* Mandubiorom in Bibliotheca PP. Carmelitarum aſſerit Ludovicus Jacob. Aſt iſtud Auguſtinus Biſcarretus confundit cum præfato tractatu dicens: » Scripſit Tractatum » de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, quem » ſeptem tractatibus complexus; ut ego vidi in » noſtra Bibliotheca Semurienſi in Burgundia 1631. » Manuſcriptum in pergameno *in*-4°. cujus initium » eſt: *Fratribus univerſis & ſingulis juvenibus Ordinis B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo,* » *proficere devotè cupientibus in præfatæ Virginis* » *illibata ſpeculatione, ac puriſſimæ Conceptionis* » *ejuſdem, Fr. Franciſcus Martini in S. Pagina* » *minimus Magiſter veſtri Ordinis & Provinciæ Cataloniæ.* » Eamdem ſententiam amplexati ſunt Joannes Trithemius. Lib. de *Scriptoribus Eccleſiaſticis, cap.* 658. ſibi contradicens de iis quæ ſcripſit *Lib. de Viris Illuſtribus Ordinis Carmeli*; Guilelmus Eiſengrenius, Philippus Bergomenſis Foreſta, Poſſevinos, Marraccius, Marcus-Antonius Coccius Sabellicus, *Lib. V. Ænead.* 9.

Præter hos autem laudarunt Martini Franciſcum, Wernerus Rolevinck, *in faſciculo Temporum, ad annum* 1384. Conradus Geſnerus, in *Bibliotheca Univerſali, pag.* 251. Abraham Bzovius, in *Annal. an.* 1430. Antonius Chucar, Epiſcop. Azernenſis, *Lib. de Conceptione, fol.* 62. *col.* 2. Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 2. *pag.* 587. Ferdinandus Quirinus de Salazard, *Lib. de Conceptione B. V. Mariæ, pag.* Andreas Scottus Peregrinus, in *Bibliotheca Hiſpanica*: Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliothecæ veteris Hiſpanæ, pag.* 116. *num.* 334. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 32. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 98. Joannes-Baptiſta de Lezana, *tomo* 4. *Annalium, ad annum* 1376. *num.* 4. *pag.* 691. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, in Notis* ad Librum Arnoldi Boſtii; *de Viris Illuſtribus Ordinis Carmelitarum, pag.* 893. *num.* 3042.

F.

LXVII.

FRANCISCUS A MATRE DEI, natione Hispanus, patriâ *Matritensis*, Diœcesis Toletanæ: RUIZII GARCIÆ Archiatrorum Comitis, ET ISABELLÆ DE CASTILLO filius, Carmelita Excalceatus, anno salutis 1579. *Pastranæ* professus, Sacræ Theologiæ Lector Complutensis, diversis in locis Prior, deindè Provincialis, anno Christi 1600. *Pastranæ* in Comitiis Generalibus Congregationis Hispanicæ Præpositus Generalis electus. Ex hâc vitâ migravit sanctissimè *Mantuæ Carpentanorum* anno Christi 1616. postquam edidisset,

1. *Cæremoniale Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispanicæ, Romano & antiquis Ordinis consuetudinibus accommodatum.* Matriti, apud Joannem de la Cuesta, 1606. *in-16.*

De Francisco à Matre Dei Hieronymus de Quintana, *Lib. III. de Magnitudine Civitatis Matritensis*, *cap.* 96. Joannes Caramuel, in *vita Ven. Patr. Dominici à Jesu Mariâ.* Angelos Manrique, *Lib V. Vita Annæ à Jesu de Lobera*, *cap.* 11. & 12. Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 1. & 2. *Historiæ Generalis Carmelitarum Excalceat. Congregationis Hispanicæ*, *Lib. II. cap.* 38. *Lib. V. cap.* 30. & *Lib. VII. cap.* 12. 37. & 38. Idem Philippus, in *vita Elizabethæ ab Angelis*, quæ reperitur in *Decore Carmeli*, 3. *parte*, *pag.* 156. *col.* 1. *fin. alt.* Philippus a SS. Trinitate, *Lib. VII. Compendii historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 12. idem *Lib. III. vita Dominici à Jesu Mariâ*, *cap.* 14. Francisca à S. Teresia, Priorissa Lemovicensis, in *vita Isabellæ ab Angelis*, *cap.* 8. Ludovicus, à S. Teresia, *in Successione Eliæ*, *cap.* 279. *pag.* 648. Isidorus à S. Joseph, *Lib. II. Annal. cap.* 41. Ibidem, *Lib. III. cap.* 8. & 36. Ludovicus Jacob, in *Schedæ* addita *ad pag.* 98. suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Mſ.* in qua eidem Francisco adjudicat etiam

2. *Epistolam Pastoralem ad Religiosos & Moniales suæ Congregationis Hispanicæ.* Ad quam *Isabella* seu *Elizabetha ab Angelis* scripsisse offerens Missioni Galliæ, ad aliarum suarum sociarum Monialium obsequium: cum se ad alia majoris momenti inutilem sentiret. Nullum à P. Generali nostro *Francisco* responsum habuit, nec ad aliam epistolam: electa tamen fuit ab ipso inter alias in Galliam profecturas, sicuti refert jam memoratus R. P. Philippus à SS. Trinitate, in *ejus vitâ* quæ legitur in *Decore Carmeli Religiosi*, 3. *parte*, *pag.* 157. *col.* 1. *lin.* 2.

LXVIII.

FRANCISCUS A MATRE DEI, alter Carmelita Discalceatus, natus *Almonacidæ*, in nova Castella, *Pastranæ* professus; ab ingressu Religionis, exultavit ut gigas ad currendam perfectionis viam. Magistri peritissimi Novitiorum munus per quindecim annos exercuit, ex quo invitus ad alia officia evectus est. Edidit Hispanicè Libros inscriptos:

1. *De Oratione mentali.*
2. *Servitus Beatissimæ Virginis.*
3. *Instructio pro Exercitiis spiritualibus.* Matriti, anno 1666. *in-8°.* ut legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 173. 174.

LXIX.

FRANCISCUS MASSILIENSIS, sicâ Patriâ, quæ est in Provincia Phocensium, dictus: Carmelita Theologus, magnæ apud suos authoritatis & eloquentiæ, scripsit *Opera varia*, teste Michaele à fonte, in suo *Historiali Carmelitico*: ubi hunc Franciscum circa annum 1352. scripsisse refert; sed Operum titulos non designat, sicut animadvertit Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelit. Mſ. pag.* 98.

LXX.

FRANCISCUS MAURITIUS PASSERONE, Taurinensis, scripsit Italicè *Vitam S. Magdalenæ de Pazzis, Virginis Carmelitæ.* Taurini, 1669. *in-12.* Item *aliud Opus*, vivens anno 1677. Vide Speculum Carmelitarum, *tomo* 1. *pag.* 1072. *num.* 3736.

LXXI.

FRANCISCUS DE MEDICIS, natione Longobardus, Brixiensis patriâ, illustri prosapiâ *Brixiæ* Italiæ in Cenomanis natus, Carmelita, Sacræ Theologiæ in Academia Parisiensi Baccalaureus, adfuit in Capitulo Generali, quod Rapeculæ in Provincia Provinciæ fuit celebratum anno 1488. die 26. Martii, sub *Pontio Renaudo*, Priori Generali: ubi noster Franciscus de Medicis *Magister* appellatur & *Provincialis Romæ*, qui cum alio Religioso per R. P. Priorem Generalem designando destinatus est Commissarius ad colligendos mille ducatos pro hac vice solvendos à Provinciis Ordinis, propter Conventum *S. Mariæ Transpontinæ* de Urbe, construendum & ædificandum. Illo etiam agente Francisco de Medicis, Provinciali Provinciæ Romæ, ac Vicario Generali totius Italiæ anno 1495. *Alexander VI.* Summus Pontifex permisit, ut Ecclesia *S. Mariæ de fonte* extrà muros *Urbis veteris* uniretur *Ecclesiæ S. Rochi*, Ordinis Carmelitarum. Edidit,

1. *Joannis de Baccone Carmelitæ Commentaria in IV. Libros Sententiarum*: Quibus præfixit Epistolam dedicatoriam ad R. P. M. Laurentium Burellum, Carmelitam Divionem, Provinciæ Narbonæ Provincialem. Parisiis, per Guidonem Mercatoris, 1484. *in folio.*

2. *Joannis Consobrini Carmelitæ Lusitani Librum de Justitiâ commutativâ*: Cui Epistolam dedicatoriam apposuit ad D. Nicolaum Lippomanum, Patricium Venetum. Parisiis, per Guidonem Mercatoris, anno 1446. *in-8°.*

3. *Libellum supplicem Alexandro VI. oblatum* pro unione Ecclesiæ S. Mariæ de Fonte, extrà muros Urbis veteris, cum Ecclesiâ S. Rochi, Ordinis Carmelitarum. Cui quidem supplicationi annuit idem Pontifex per literas Apostolicas Romæ datas anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCLXXXXV. Idibus Martii ante Pascha: Quæ prodierunt *tomo* 5. *Bullarii Carmelit. pag.* 417.

Franciscum de Medicis laudant ipse Alexander Sextus, in *literis mox citatis.* Laurentius Burellus, Carmelita Divionensis, in *Carmine ad laudem Joannis de Baccone*, Doctoris Resoluti, Carmelitæ Angli: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1488. *num.* 3. *pag.* 969. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 98. ubi cum vixisse anno 1496. Lutetiæ Parisiorum perhibet.

LXXII.

FRANCISCUS MICHAELIS, natione Siculus, patriâ Drepanensis, Carmelita: Vir solidus judicio, facundus eloquio, doctrinæ & virtutis de laudibus insignis, studiis Carmeli Drepanensis præfuit multis annis: in quo etiam Monasterio Prioris officium laudabiliter obivit. Circa annum 1592. scripsit,

F.

1. *Commentaria in Philosophiam Aristotelis, Mss.*
2. *Varios Theologiæ Tractatus Mss.*

De illo mentionem habent Joseph Falconius, in *Chronico Carmelitico*: Cyrillus Pennect à Sancto Paulo, in *Gymnasio Carmelitico Ms.* ad annum 1592.

LXXIII.

FRANCISCUS MONDINI, Carmelita Venetus, Sacræ Theologiæ Magister, necnon Venetæ Provinciæ Præfectus, scripsit Italicè opus sub titulo: *Carmelus favoribus illustratus.* Venetiis, anno 1675. *in-16.* Vivebat anno 1677. ut legitur *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1072. *num.* 3736.

LXXIV.

FRANCISCUS DEL NINO JESU, hoc est PUERI JESU, in seculo dictus PASQOAL, in sodalitio Carmelitarum Excalceatorum vixit Laicus. Natus fuit in loco qui dicitur, *Villa-Palatios*, Diœcesis Toletanæ, hebes admodum in infantia & pueritia visus, usque ad 24. annum Pastor pecorum: undè ad Xenodochii Complutensis obsequium lætus se mancipavit. Jam multis annis in eo virtutum exercitiis omnium clarissimus, habitum sumendi apud Excalceatos Carmelitas votum emisit: facultatem à *Philippo II.* Rege Catholico nedum non obtinuit, sed ipsemet Rex voti dispensationem impetravit à summo Pontifice, Theologorum sententiâ confirmatus, ad gloriam Dei magis cedere, si FRANCISCUS in seculo remaneret. Iteratâ eâque certâ vocatione, iterum repulsam passus, tamdiù apud eum institit, ut eum tandem in suâ libertate reliquerit.

Anno itaque 1598. in Conventu Matritensi admissus, tanto fervore viam mandatorum & consiliorum cucurrit, ut brevi perfectiores superaverit. Emissâ inter fratres conversos solemni professione die 13. Aprilis, anno sequenti, cui etiam multi Prælati, Magnates, Nobiles, ac Curiæ Regiæ Ministri interfuêre; *Philippo III. Isabellæ-Claræ Eugeniæ* charissimus fuit: Domum Fœminarum Pœnitentium erigendi facultatem obtinuit, cum sexdecim aureorum millibus. Conventum Matritensem a tanto populi concursu liberare volens R. P. Generalis, cum absente *Matriti* Curia, *Pastranam* misit: inde, cum ibi latere non posset, ad Eremum de *Bolarque:* sed cum ea solitudo populorum frequentiâ non minus turbaretur, *Matritum* revocare coactus est, ubi variis infirmitatibus detentus & oppressus, receptis sanctæ Ecclesiæ Sacramentis, animam Deo reddidit anno 1604. die 12. Decembris; ejus Epitaphium suprà tumulum repositum hoc est:

D. O. M.

FRANCISCUS PAUPER

PUERI JESU DULCISSIMO NOMINE DIVES:

AD PASCENDOS PAUPERUM GREGES,

AB IPSO EX OVIUM PASCUIS ASSUMPTUS:

EXINDE AD CARMELI ALUMNOS,

HINC VERO AD SUPEROS

HIC SEPULTUS EST.

OBIIT SEXTO KALENDAS JANUARII,

ANNO M. DCIV.

Plures scripsit *Epistolas*, quæ *summam ejus innocentiam ac pietatem eximiè redolent*, inquit Nicolaus Antonius, in sua *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 345. Referuntur in *ejus vita* à R. P. Joseph à Jesu Maria conscripta Hispanicè; & in varia alia idiomata translata. Consuli etiam possunt, *tomo* 3. *Histor. General. Congregat. Hispanicæ*, Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, *parte* 2. *pag.* 69. Franciscus à S. Maria, *tomo* 2. *Historiæ Reformat. Lib. VI. cap.* 28. *& seqq.* Ibid. *Lib. VII. cap.* 9. 11. & 12. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1053. & 1113. *num.* 3642. & 3964. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 100. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *p.* 174.

LXXV.

FRANCISCUS ODIAU, natione Gallus, patriâ Andegavensis, circà annum 1574. natus, ibi inter Carmelitas professus, in majori eorum Parisiensi Conventu suis tùm Philosophiæ, tùm Theologiæ studiis peractis, *Andegavum* anno 1596. redierat Diaconus, quo R. P. *Petrus Behourtius* ultimos currebat Theologicos Actus ad lauream assumendam doctoralem. Ad sacerdotium evectus, ab eodem *Behourtio*, qui in Capitulo Nannetensi, anno 1605. per R. Priorem Generalem *Henricum Sylvium* institutus fuerat Prior Rhedonensis, munus Magistri Novitiorum accepit, quibus prima reformationis semina quasi inseruit, aut saltem conatus est inserere, antequam R. P. *Philippus Thibault* in eumdem Conventum accessisset anno 1607. Quadragesimales Conciones habiturus.

Anno 1609. suadente eodem *Theobaldo*, *Ludovicus Charpentier*, Andegavensis Prior, illum constituit suum Suppriorem & Novitiorum Magistrum. In Capitulo Hennebontensi an. 1611. die 20. Aprilis mensis celebrato, in Priorem ejusdem Conventûs Andegavensis ipse *Franciscus* confirmatus est; & in Capitulo Turonensi 1615. ad ædificationem Cœnobii Flexiensis inchoandam & promovendam. Quo etiam tempore *Romam* eum deputarunt cum *Petro Deniart* & *Mathurino Aubron*, ad litem movendam apud R. *Sebastianum Fantonum*, Priorem Generalem, & ab eo sententiam ad obtinendam de jure suum eligendi Priorem, quod Communitas Andegavensis sibi debitum asseverabat, contra alios partis adversæ Religiosos, qui dicto in Capitulo pro R.P. *Theobaldo*, *Mathurinum Aubron* elegerunt, Religiosum ejusdem Diœceseos Licentiatum Theologum: ipse verò Franciscus in Provinciam Narbonæ cum P. *Ignatio à S. Francisco* missus in Conventu Cabilonensi, prima reformationis fundamenta anno 1619. jecit. Quo quidem anno eamdem ad promovendam & sustinendam electus est Prior Nannetensis, cujus sub disciplina viguit pietas, & exercitia Philosophiæ & Theologiæ publica resplenduerunt. Anno 1622. Prior datus Conventui *S. Joseph*, qui in Diœcesi Andegavensi situs *Chalin* vernaculè appellatur. Ibi diû post occubuit anno 1660. die 11. Junii, ætatis suæ octogesimo sexto, cum eâdem vivendi ratione, quâ reformationem inchoaverat; cujus munus Definitoris an. 1623. & 1625. munus autem Vicarii Provincialis sustinuerat annis 1619. & 1628. *homo bonus*, inquiunt Chronica Provinciæ Turoniæ, & *Spiritu sancto plenus habebatur à fratribus*, *quibuscum vitam angelicam magis quàm humanam*, *iisdem moribus*, *tali victu*, *lecto*, *qualis adhuc perseverat*, *auspicatus est.*

Scripsit:

1. *Exercitia spiritualia pro Novitiis.* Gallicè.
2. *Exhortationes Monasticas pro suis Religiosis.* Gallicè.
3. *Statuta Religiosa* ad reformationem stabiliendam conducibilia. Latinè.

F.

Francisci Odian celebrem habent mentionem Mathurinus Aubron, in *Annalibus Carmelitarum Provinciæ Turoniæ Mſ.* Idem, in *Vita Mſ. R. P. Petri Behourt*, *cap.* 31. 34. Leo a S. Joanne, in *Delineatione Obſervantiæ* Rhedonenſis, *cap.* 6. *pagg.* 35. 53. 81. 105. 112. 122. 127. 133. 155. 186. 196. 241. 249. 270. 303. 330. & 422. ſed præſertim *pag.* 196. ubi exhibetur elogium quod ſublineavimus. Licinius à S. Scholaſtica, in *Vita* ejuſdem *vener. Patr. Philippi Thibault.*, *pagg.* 85. 144. 138. 166. 190. 203. & 208. Columbanus à Noſtra-Domina de Monte-Carmelo, in *Narratione Mſ. reformationis introductæ in Provinciam Carmelitarum Turonicam ab anno* 1604. *pagg.* 3. 5. 6. *& ſeqq.*

LXXVI.

FRANCISCUS DE PAZ, Latinè A PACE, natione Hiſpanus, patriâ Salmanticenſis, Carmelita, Doctor Theologus ejuſdem Academiæ, & ibidem Prior, & defunctus anno 1604. Scripſit,

1. *Aſſerta ſelecta Theologiæ*, Gaſparo Cardinali Borgiæ nuncupata: quæ Mſ. aſſervantur Salmantiæ apud Carmelitas antiquiores.

2. *De Elia Propheta Ordinis Carmelitarum Patriarcha Aſſertiones Theologicas*, Romæ, in Comitiis Generalibus anno 1613. habitis publicè *propugnatas*.

3. *Chronicon Ordinis Carmelitarum*, ad limam reductum, quod morte præventus, promulgari deſiit.

De Franciſci à Pace laudibus & ſcriptis Aubertus Miræus, in *Bibliotheca de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſeculi XVII. cap.* 179. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hiſpanæ*, *pag.* 349. Alegreus Caſſanatus, in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 463. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Auctuario ad caput* 7. *Auberti Miræi*, *de Origine & Incrementis Ord. Carmelitarum*, *pag.* 216. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 99.

LXXVII.

FRANCISCUS PARVUS, natione Germanus, patriâ Helſingerenſis, Carmelita Theologus, ſcripſit circà annum 1330. *Opera nonnulla*, id aſſerente ex Catalogo Mſ. quorumdam Authorum Germanorum Carmelitarum, quem penès ſe poſſidebat. Ludovicus Jacob id referens *pag. citatâ ſuæ Bibliot. Mſ.*

LXXVIII.

FRANCISCUS PAULUS QUARANTA, gente Appulus, patriâ Cryptalienſis, ſacræ Theologiæ Magiſter & Doctor, atque Provinciæ ſuæ Prior Provincialis, nec-non ſui Ordinis Carmelitani Secretarius Generalis: plura monimenta luci donavit Typis Lycii, circà annum 1608. Quæ extant, ſunt: *Vita Petri Cernovichii Carmelitæ*, antea *Principis Macedoniæ*, in oppido *Detorrente* Regni Valentiæ in Hiſpania defuncti die 8. Octobris 1581. *Aliaque vitæ ſpirituali proficua*; inquit Elias de Amato in *Schedis Mſſ.* anno 1747. *miſſis.*

LXXIX.

FRANCISCUS PELLETIER, natione Armoricus, Brito patriâ, & profeſſione Carmelitanâ Rhedonenſis, in divinis ſcripturis eruditiſſimus, ingenio ſubtilis, acutus Diſputator, verbi ſacri Concionator egregius. Quamvis jubilarius in Ordine, ſeu quinquaginta annis profeſſus, Theologiam docere non deſtitit, pluribus aliis perfunctus muniis, vitam abſolvit illluſtrem, æterno remunerandus præmio, anno 1304. Scripſit *Conciones plurimas* & *nonnullos Theologicos Tractatus.* De illo loquuntur Mathurinus Aubron, in *Annalibus Mſſ. Carmelitarum Provinciæ Turoniæ.* Columbanus à Noſtra-Domina de Monte-Carmelo, in *Encomio brevi Carmelitarum Illuſtrium ejuſdem Provinciæ*, *pag.* 6.

LXXX.

FRANCISCUS POTEL, Atrebatenſis Carmelita, ibidemque Prior, ſacræ Theologiæ Licentiatus, ac Provinciæ Belgicæ Præfectus, anno 1603. electus in Capitulo Provinciali *Gandavi* celebrato, Præſide R. P. *Henrico Sylvio*, Priore Generali, à quo tum pro reformatione, ſeu ſtrictiori obſervantiâ introducendâ multa utilia fuerunt decreta, quæ in praxim reduci ſtuduit ipſe *Franciſcus*; vir bonis literis & monaſticis diſciplinis valdè excultus; & per omnia talis quem aſſiduum virtutis exercitium, morumque integritas, & vitæ innocentia omnibus ſodalibus ſuis de meliori notâ commendarunt. Deceſſit *Attrebati*, anno 1613. die 18. Septembris, feriâ quartâ Quatuor Temporum: ſepultus in inferiori parte Sacelli *B. V. Mariæ.* Scripſit Gallico idiomate Librum

De Origine, antiquitate & titulo Ordinis, ac confraternitatis Scapularis Beatæ Mariæ Virginis de Monte-Carmelo: Attrebati, anno 1611. deinde Valencenis, apud Joannem Varulientum, anno 1623. Donatus etiam fuit Hiſpanico & Flandrico idiomate, pluries editus.

Franciſcum Potel celebrant Franciſcus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 250. Joannes-Franciſcus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 303. Hippolytus Marraccius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Marianæ.* Joannes-Baptiſta de Lezana, in *Maria Patrona*, *cap.* 5. Matthias à S. Joanne, *tomo* 2. *Hiſtor. Parthenicæ*, ſive *Panegyricæ Ordinis Carmelitici*, *pag.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 99. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 348. *num* 630. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, 1110. *num.* 3934.

LXXXI.

FRANCISCUS POTIER, Turonenſis Carmelita, Doctor Theologus Academiæ Pariſienſis, Prior patrii ſui Cœnobii, anno 1632. & paulò poſt Commiſſario Generali atque Viſitatore & Præſide *R. P. Philippo Thibault*, Majoris Conventus Pariſienſis Maubertini anno 1634. electus Prior, atque etiam in aliis ſuæ Provinciæ Aſceteriis eodem munere functus eſt: vir ingenii ſanè atque candoris dotibus ordinatiſſimus; pietate, probitate, & eruditione celebris: ſed præcipue ergà beatiſſimam *Virginem de pietate* dictam, & in veteri Carmeli Turonenſis Eccleſia honoratam, devotione conſpicuus: ſæpè etenim antè ipſius Aram pernoctans, ignitas ferventeſque ad ipſam Dei-param fundebat preces; & in illo Sacello, juxtà ſuum placitum, ſepultus ſenex poſt mortem, quæ anno 1661. contigit, die 29. Octobris. Scripſit Gallico ſermone,

Theſaurum ſpiritualem Confraternitatis Beatæ Virginis Mariæ de Pietate, apud Carmelitas Turonenſes erectæ. Turonibus, anno 1632. *in-8°.*

Franciſcum Potier commendant Leo à S. Joanne, in *Delineatione Obſervantiæ Rhedonenſis*, *cap.* 14. *pag.* 89. Hugo à S. Franciſco, in *Vita ven. P. Philippi Thibault*, *cap.* 30. *pag.* 361. Licinius à S. Scholaſtica, in *Vita* ejuſdem *Philippi Thibault*, *cap.* 23.

F.

25. *pag.* 280. Ludovicus Jacoh, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 99. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1090. *num.* 3836. Columbanus à Noſtra-Domina de Monte-Carmelo, jo *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum illuſtrium Provinciæ Turonia*, *pag.* 22.

LXXXII.

FRANCISCUS A PRÆSENTATIONE, Hiſpanus Carmelita Diſcalceat. edidit,

Orationes Panegyricas, *ac eruditas Declamationes*, quibus Hiſpania beatificationem S. Joannis à Cruce celebravit anno 1675. tomis duobus; ſicuti legitur in *Biblioth. Carmelitarum Diſcalceatorum*, *pag.* 174.

LXXXIII.

FRANCISCUS A PUERO JESU, natione Belga, Carmelita Conventûs Eremetici B. Virginis ad Mulum, Vicarius & Promotor, vivere deſiit *Gandavi*, anno 1667. die 19. Septembris, poſtquam edidiſſet,

1. *Inſtructionem ad S. Sacramentum Pœnitentiæ*, *ſeu ad bonam & ſalutarem Confeſſionem.* Gandavi, anno 1660. & 1667. Flandricè.

2. *Inſtructiones & motiva ad veram ſolidam pietatem*, *ex Operibus B. Alberti Magni*, *& S. Tereſiæ*, *ac B. Joannis à Cruce.* Gandavi, anno 1665. Latinè, prout exhibetur *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1112. *num.* 3938.

LXXXIV.

FRANCISCUS DE ROMA, Neapolitanus Carmelita, edidit, de *Indulgentiis & Privilegiis ſacræ religionis Fratrum B. V. Mariæ de Monte-Carmeli* Tractatum, qui prodiit anno 1584. ſi fidem dabis Petro de Aiva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis*; & Ludovico Jacoh, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 100.

LXXXV.

FRANCISCUS ROMERO, Hiſpanus, *Valliſoleti* nobili genere natus, *Toleti* apud Carmelitas antiquiores profeſſionem emiſit, die 30. Septembris 1607. poſt curſum Philoſophiæ & Theologiæ emenſum, lauream doctoralem acquiſivit, ſacram edocuit Theologiam, verbum divinum cum plauſu buccinavit: vir conſilio & ſapientiâ magnus, religione & virtute inſignis; eloquentiâ, ingenio, & doctrinâ admirabilis. Quibus titulis apud Regem Catholicum & Magnates ingenti fuit in pretio & honore. Creſcente autem Romeri fama ad Eccleſiæ inſulas deſtinatus, primùm inſtituitur Archiepiſcopus *Lancianenſis*, in Regno Neapolitano, die 14. Maii 1618. deindè transfertur ad Epiſcopatum *Viglevanenſem* in Ducatu Mediolanenſi, cum retentione tituli Archiepiſcopi, die 11. Januarii 1621. Obiit Matriti in Hiſpania, die 16. Julii, 1635. ſepultus ibi apud ſuos Fratres Carmelitas. Scripſerat

1. *In Libros IV. Sententiarum*, *Commentaria* Mſſ.

2. *Sermones Quadrageſimales.*

3. *Sermones per annum*, Mſſ.

4. *De auctoritate Principum in populum*, *Diſſertationem.* Mſſ.

5. *Antonii Aroztequi*, *Equitis S. Jacobi Elogium* proſtat.

Franciſcum Romero memorant Emmanuel Roman, de *Scriptoribus Ordinis Carmelit.* Alegreus Caſſanatus, in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag.* 496. Ferdinandus Ughellus, *tomo* 4. *Italiæ ſacræ*; ubi erroneè dixit eum obiiſſe, anno 1647. die 4. Februarii. Quem errorem ſecutus Ludovicus Jacoh, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 100. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VI. Compendii Hiſtoriæ Carmelitanæ*, *cap.* 9. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 517. *num.* 924. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmeli*, *pag.* 921. *num.* 3217.

LXXXVI.

FRANCISCUS RUIZ, quia pater ejus vocabatur *Joannes Ruiz* & mater ejus *Maria Mezia*, natus eſt in Oppido *Hinojoſas*, Diœceſis Conchenſis, in Hiſpania. Habitum ſumpſit, anno 1575. inter fratres Laicos Diſcalceatos Carmelitas, in civitate *Biacenſi*; & *Hiſpalim* miſſus, ſolemnem ibi profeſſionem emiſit anno ſequenti, vocatus FRANCISCUS A JESU, cognomento *Indignus*; quià ſe talem præ humilitate nominabat. Anno 1584. ad inſtantiam Philippi II. Hiſpaniarum Regis, tres Excalceati Carmelitæ, ſcilicet *Didacus à SS. Sacramento*, Toletanus; *Didacus ab Incarnatione*, ex *Cangas* oriundus; & *Franciſcus* noſter, ad infidelium converſionem miſſi ſunt in regnum *Congi & Angolæ*: ubi ob Vitæ Sanctimoniam & induſtriam, de conſilio Epiſcopi Inſulæ *S. Thomæ*, & Patrum Miſſionariorum, effectos eſt Sacerdos. Deo ipſi ſingulariter cooperante, copioſiſſimam Chriſti horreis meſſem intulit: traditur enim pluſquam centum millia infidelium ipſe ſolus baptiſaſſe. In Hiſpaniam reverſus, obiit Matriti, ubi illi hoc appoſitum Epitaphium:

D. *O.* *M.*

FRANCISCUS CARMELI GERMEN

HUMILITATE INDIGNUS;

SED OPERE ET SERMONE POTENS,

SCIENTIA POTIUS E CŒLO INDITA,

QUAM LABORE PARTA,

UBERRIMIS QUOS DEDIT ÆTHIOPIÆ FRUCTIBUS,

ET DEO IAM FRUITUR.

HIC SEPULTUS EST.

OBIIT MATRITI IV. IDUS JUNII,

ANNO MDCL

Nedum ab eo *Opera* fuerint edita; quin & vix legere potuit Evangelium, quo die ordinatus fuit ſacerdos, utpotè qui Grammaticæ nunquam ſtuduerat; teſte Phillippo à SS. Trinitate in *Decore Carmeli*, *parte* 2. *pag.* 64. *lin.* 20. de illo non dixit nihil Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1053. *num.* 3642. *lin.* 8.

LXXXVII.

FRANCISCUS A SS. SACRAMENTO; natione Hiſpanus, Patre *Franciſco Gazero*, Matre verò *Elvira Garzia*, in oppido ſeu pago Caſtellæ novæ dicto *Guintanar*, ad annum 1568. natus, in Paſtranenſi Carmelitarum Excalceatorum Cœnobio Vota dixit anno 1586. die 6. Aprilis, ubi paulo poſt Magiſter Novitiorum inſtitutus eſt; Deindè in Complutenſi Collegio ſuos Sodales Philoſophiam & Theologiam edocuit. *Romam* ad novellæ Congregationis ſubſidium miſſus, ibi educandis

F.

Novitiis præfectus; posthæc Prior Genuensis, & Deindè Neapolitanus; tùm anno 1605. Definitor Generalis, & in eodem officio confirmatus anno 1608. animam Deo exhalavit Neapoli, anno eodem 1608. die 7. Julii; scripsit

1. *Exhortationes Asceticas in Regulam Carmelitarum. MS.*

2. *Exercitia super eamdem Regulam. MS.*

3. *Literas quasdam de S. Teresiæ Laudibus. MS.*

Franciscum a SS. Sacramento collaudant Antonius Yepes, in *Vita S. Teresiæ*: Franciscus à S. Maria, *Lib. VI. Historiæ Reformationis*, *cap.* 36. *ibidem; Lib. VIII. cap.* 31. Joannes Caramuel, *in Vita Dominici à Jesu Mariâ*, *pag.* 276. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Histor. Carmelit. cap.* 7. Ludovicus à S. Theresia, in *successione Eliæ*, *cap.* 280. *pag.* 649. Isidorus à S. Joseph, *Lib. I. Annal. cap.* 40. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana MS. pag.* 101. Martialis à S. Joanne Baptistâ, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 176.

LXXXVIII.

FRANCISCUS A SS. SACRAMENTO, alter Discalceatus Carmelita, natione Longobardus, in sæculo JOANNES-BAPTISTA LUCINI nuncupatus, *Comi* in Ducatu Mediolanensi natus anno 1598. die 6. Maii, professus *Genuæ* die 31. Maii 1620. diversis in locis Prior, Visitator Generalis Galliæ destinatus, per annos viginti Provinciam suam Mediolanensem optimè rexit. Anno 1650. omnium votis Præpositus Generalis electus; *Innocentio X.* adeo fuit acceptus, ut ter ab eo unâ die, quibusdam urgentibus Congregationis negotiis mereretur audiri. Nondum expleto sui officii triennio, *Romæ* præmaturâ, sed non improvisâ morte ereptus est, die 20. Decembris 1653. scripsit ad totam Congregationem suam Italicam,

Epistolam Pastoralem de necessitate quæ Carmelitis incumbit vacandi studio Orationis. Latinè. Prodiit Romæ, typis Francisci Monetæ, 1651. *in*-16. Iterùm prodiit in *Collectione Mediolanensi* similium *Epistolarum Pastoralium*, *parte* 1. *pag.* 25. & *seqq.*

Dicitur etiam *Ordinale Ordinis* unà cum R. P. Joanne à Jesu Mariâ composuisse.

Franciscum à SS. Sacramento Comensem, laudant Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 2. Idem, in *Decore Carmeli Religiosi parte* 3. *pag.* 28. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 101. Martialis à S. Joanne, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 378. Petrus à S. Andrea, *tomo* 2. *Historiæ General. Carmelit. Excalceat. Lib. I. cap.* 47.

LXXXIX.

FRANCISCUS SCANNAPIECO, Romanus, Sacræ Theologiæ Magister, *Matthæo de Orlando* in Procuratorem Generalem assumpto, ad officium Prioris provincialis Provinciæ Romanæ evectus est per Literas Apostolicas *Alexandri VII.* Romæ datas anno 1659. die 26. Aprilis, & ab eodem summo Pontifice Prior Conventûs sancti Martini in Montibus institutus, anno 1661. die 3. Septembris. Ad triennium proximum *Clemens X.* dictum *Matthæum Orlandum* cum Ecclesiæ *Cephaludensis* Episcopum nominasset, *Franciscum Scannapieceum* constituit Priorem Generalem Ordinis ad sexennium, ut patet ex literis Apostolicis anno 1674. datis die 23. Junii. Franciscus autem Regimini sibi imposito statim incumbens, ab eodem Pontifice obtinuit ut confirmarentur & validarentur Confraternitates S. Scapularis in Ecclesiis Carmelitarum, eatenùs erectæ, etiamsi de earum institutione non constaret: obtinuit facultatem transferendi conventum *Wigimontanum*, ad oppidum *Verviense*, in Diœcesi Leodiensi situm, ibique ædificandi Ecclesiam & Conventum; nec-non instituendi Novitiatum, nonobstantibus in contrarium rationibus & conatibus RR. PP. *Recollectorum*. Permisit insuper ut in Provincia Flandro-Belgica Communitates Conventuum redirent ad pristinum jus eligendi Priores, cæterosque officiorum Ministros. Zelo religionis accensum *Franciscum*, & ad visitanda sui Ordinis monasteria sese accingentem præfatus Pontifex Maximus munere auctoritateque Commissarii & Visitatoris Apostolici monivit; sed quædam Italiæ Monasteria convenerat, cum morbo correptus, Romam rediit, ubi duobus mensibus ægrotans, occubuit anno 1676. die 30. Augusti, ætatis suæ quinquagesimo. Scripsit,

1. *Epistolam Pastoralem ad universos sui Ordinis Religiosos directam*, quâ illos de sua promotione certiores facit, precesque pro summo Pontifice Clemente X. pro Eminentissimo S. R. E. Cardinali Martio Ginetto Protectore, & pro se ipso ab eis postulat. Data fuit Romæ die 28. Junii 1674. in Conventu S. Martini in Montibus, & MS. asservatur in Archiviis Provinciarum Ordinis Carmelit.

2. *Varios ad summum Pontificem libellos*, quorum 1^{us}. spectat ad confirmationem & validitatem Confraternitatum S. Scapularis, anno 1674. 2^{us}. Tendit ad facultatem obtinendam transferendi Conventum Wigimontanum ad Oppidum Verriense, anno 1675. 3^{us}. Exhibet & petit Confirmationem Decreti pro jure Conventuum Provinciæ Flandro-Belgicæ pristino ad suos Priores eligendos. Horum quidem Libellorum supplicum mentio habetur *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 613. *col.* 1. 616. *col.* 2. & 619. *col.* 2.

3. *Diurnalia Ordinis Carmelitici*, quæ in Provinciis Flandro & Gallo-Belgicis desiderabantur, Imprimendi facultatem fecit Michaeli Coobbaert, Antuerpiensi Typographo an. 1675.

De Francisco Scannapieco laudabiliter loquuntur summi Pontifices Alexander VII. & Clemens X. in suis Diplomatibus, quæ consuli possunt *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 526. 533. & 609.

4. *Epistolam singularem* scripsit ad R. P. Marcum a Nativitate, Carmelitam Provinciæ Turoniæ, die 19. Julii 1674. datam, cujus fragmentum reperies inferiùs, *tomo* 2. *col.* 317. & 318.

Scanapiecus autem Romæ, anno 1676. die 30. Augusti, quæ erat Dominica circa horam noctis septimam, extremum clausit diem, efflando spiritum in Conventu Sanctorum Martini & Silvestri, in Montibus. Celebratis tamen exequiis occidente sole, corpus terræ mandatum est subtùs gradibus summi altaris, ad dexteram scalam descendentibus, in loco vulgariter dicto, *Confessio*, cum sequenti inscriptione in pariete infixa:

D. O. M.

FR. FRANCISCUS SCANAPIECO, ROMANUS,

ORDINIS CARMELITARUM,

INCHOATAM A P. PHILIPPINO

TEMPLI HUIUS INSTAURATIONEM PROMOVIT.

PRIOR PER ANNOS XIII.

ET GENERALIS PER SEXENNIUM,

OBIIT DIE XXX. AUGUSTI M. DCLXXVI.

Funus postea ejusdem Reverendissimi Patris celebratum fuit cum magna solemnitate in eadem Ecclesia SS. Martini & Silvestri in Montibus, die undecimâ Septembris, concurrentibus ex quatuor Ordinibus Mendicantibus Sacerdotibus. Ad celebrandum factum decantavit A. R. P. Magister Andreas Angeletti, titulo Provincialis Terræ-Sanctæ, adstantibus Generalibus Prædicatorum, Minorum Observantiæ Augustinianorum, cum alliis Procuratoribus Generalibus. Orationem dixit funebrem admodum R. P. Benedictus Rogacii, Societatis Jesu.

Francisci Scanapieci celebrem habent mentionem Liber communis Mſ. qui & vulgo *papyrus Ordinis* appellatur; Eliseus Monsignani, *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 526. Ludovicus Perrez de Castro, in suis *Collectaneis Mſſ. folio* 168. *verso*: nec-non *Codice* 1. *Mſ. fol.* 241. atque *Codice* 3. *Mſ.* 26. *verso*.

X C.

FRANCISCUS SERRANUS, Catalanus, Carmelita Barcinonensis, Doctor Theologus, ac in eàdem Academiâ publicus Philosophiæ Professor & Collegii S. Angeli Rector, ibidemque Prior; & tandem Visitator atque Sardiniæ Commissarius Generalis & Insularum Majoricarum; ubi nempè Majoricæ in Insula Balearica mortuus est & sepultus anno 1627. Scripsit vulgari suo idiomate:

Sermones duos funebres, quos habuit in exequiis Philippi III. Regis Catholici, *Barcinone* celebratis anno 1621. & editos Barcinone apud Stephanum Liberos, eodem anno 1621. teste Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 101. Qui & secum appellat & Emmanuelem Roman, de *Scriptoribus Ordinis Carmelitarum*; & Alegreum Cassanatum, in *Paradiso Carmel. Decor. pag.* 476. ubi agitur de Josepho Serrano, cujus mentio futura est *infer. pag.* 190. *tomi secundi*.

X C I.

FRANCISCUS DE SENIS, à patriâ nuncupatus, ubi juventutis & virilitatis annos mundanè peregit, donec ad senectutem perveniens de salute animæ cogitavit, quam in solo Deo reperiit, & à quo solo expectavit. Beatæ Virgini valdè devotus, ipsius Ecclesiam, sub titulo *S. Nicolai* Carmelitarum bis quotidiè visitans, à Patre luminum illustratus, ut habitum Religionis indueret, Carmelitas ideò colere cœpit: *Eliæ* quoque Prophetæ magnalia cogitabat; & dum ipsorum ingrediebatur Ecclesiam, quasi in vetustissimum illud in Carmelo Monte à Carmelitis Dei-paræ Templum primitùs dicatum, intraret, dicere solitus erat.

Habitu suscepto, & studiis per aliquot annos lustratis, Sacerdos effectus, ferventissimus evasit concionator. Hinc, Deo inspirante, *Lombardiam* & *Cremonam* venit, ubi tam in Sancti *Bartholomæi* Carmelitarum templo, quàm in publicis plateis, ac locis plerisque civitatis, actiùsin vitia, & in blasphemiam præcipuè invehebatur. Quare scelerati quidam contra ipsum irati, occidere decreverunt: Quod saxis missis, dum quâdam die prædicationi incumberet, exequi non dubitarunt anno 1375. Carmelitæ autem corpus tollentes, honorificè in eodem S. *Bartholomæi* Cœnobio, die 11. Aprilis Sepulturæ mandarunt, ubi in magna veneratione habitum, multis resplenduit miraculis, sicuti legi potest *tomo* 4. *Annal. Carmel. pag.* 687. *num.* 6. in *Vineâ Carmeli*, *pag.* 493. *num.* 897. *in tomo* 2. *Speculi Carmeli*, *pag.* 832. *num.* 28. 53. in *Codice Ms.* qui in Bibliotheca Excellentissimi Ducis *Altemps*, quondam asservabatur, hunc titulum habente: *Origo Ordinis Montis Carmeli*; ubi expressè dicitur Carmelitas cum cappis albis depingendos esse; & proindè post annum 1287. scripta, de quâ nihil audisse videtur *Joannes Herold* Hochsteteensis, in *Wilhelmi Tyrii continuatione*, Philippo Pio Basileensium Episcopo dedicata, & curâ nec-non diligentiâ Philiberti Poyssenoti, ad fanum D. Morandi Sacris Præpositi, circà annum MDXL. aut MDLX. tipis datâ, ut legitur in *Dictionario Moreriano*, Verbo *Herold*: cujus hæc verba leguntur *Lib.* 5. *cap.* 3.

» Est Carmelus mons in Syriâ, mora tam aliorum » Prophetarum, quàm Eliæ ac Elisæi nobilis. Hunc » locum sub Almerico Hierosolymitano Patriarcha » insederant Anachoretæ; ac cum sparsim citcà monstem agitarent, tandem coivere ad fontem qui » Eliæ dicitur, uni qui honesta præcipiat humiliter » parendo, sinè tamen certo instituto, sivè peculiari cultu, sine cæremoniis. Albertus postea Hierosolymitanus sub Innocencio III. Patriarcha & » Legatus, certas observationum regulas iis præscripsit; addidit & Vestitui normam, pallium scilicet » versicolorem ex albo & canusino circulatum, » Eliam ejusmodi cultu ornatum incessisse, Basilium » eâ vivendi formâ usum fuisse asserens.

» Erat tam gratus Propheticus Pallii habitus, non » solùm Christianis sed etiam Barbaris, ut magnis » Sultani eleemosynis familia tota sustentaretur, » locupletareturque: sed Pontifici Romano Honorio IV. non admodum probabatur, vel quod non » Romano ingenio excogitatus aut confirmatus, » vel Religioni circulatus versicolorque habitus convenire non videretur. Igitur Album illis pallium » datum, ita ut dum sub ea canusinati essent, utrque color illis terineretur. Quod ubi factum rescilii Melechsaites, tantâ irâ exarsit, ut congregatis copiis Cœnobium invaderet, expulsisque » omnibus, incendio fanum & Cœnobium destrueret.

Hæc Verba sunt Basilii-Joannis Herold, qui à sua Patria *Acropolita* cognominatus, quibus R.P. Daniel Papebrochius usus est ad probandum quod Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, Carmelitis dederit Pallium Barratum: Verum verba Heroldi, quibus similia fermè Henricus Pantaleon admisit in *Historia Ordinis Joannitarum Rhodiorum, Lib. II.* ita ut unus ex alio verba, vel sententias hausisse videatur, falsum verò admiscent: at Author uterque in multis defecisse facile comprobatur.

1°. Enim Carmelitæ anno tantum 1287. quo jam Honorius IV. die 3. Aprilis defunctus erat, Pallium barratum dimiserunt, re maturè discussâ in Capitulo Generali Montispessulano, die dumtaxat vigesimâ-secundâ ejusdem anni, etsi à Papa Honorio facultatem sic faciendi impetraverint.

2°. Falsum est Anachoretas Syriæ in unum congregatos ad fontem Eliæ, sub Almerico Hierosolymitano Patriarchâ, qui anno 1159. sedere cœpit 1 anno etenim 1145. congregari cœperunt.

3°. Falsum est Anachoretas Carmeli ante Albertum, sine peculiari ritu aut cæremoniis vixisse; nam S. Brocardus ex mandato S. Bertholdi, qui vivere desiit anno 1189. Canonem seu collectionem quorumdam præceptorum scripsit anno 1171. ex quibus Albertus compositam Regulam dedit Carmelitis circa annum 1206. aut 1209. ut probant scriptores.

4°. Gratis & sine testimonio Coætanei & supparis Authoris asseritur Albertus Pallium barratum dedisse Carmelitis; hujus enim Pallii barrati usum antiquiorem probat Cyrilius aut quisquis alius scriptor *Epistolæ ad Eusebium*, Montis Neroi Abbatem.

F.

XCII.

FRANCISCUS SIXTUS, Neapolitanus Carmelita, Doctor Theologus: vir, assiduus musarum cultor, ac egregius patriæ suæ honor, Philologus, Historicus, Theologus & Concionator facundus, plurima edidit Opera quæ inscribuntur Latinè:

1. *Tessera decades Genealogiæ Jesu Christi, ex cap. 1. Matthæi de Christo Rege.* Venetiis, anno 1564. *in-4°.* Opus istud laudatur à Fabiano Justiniano Congregationis Oratorii de Urbe, *Lib. III. de sacra Scriptura, pag.* 488. nec-non à Jacobo Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag. 965. col. 2. E.*

2. *Sermones Quadragesimales*, ad Philippum II. Regem Catholicum, &

3. *Encyclopedia.* Venetiis, anno 1564. *in-4°.*

4. *Genealogia gloriosissimæ prosapiæ Austriadis, ab Adamo ad Philippum Hispaniarum, & Neapolis Regem Catholicum*, &

5. *Naupactea* (Gallicè de Lepante) *Victoria potentissimi D. Joannis Austriadis, heroico versu, orationeque solutâ, ac variis scholiis conscriptâ Fr. Francisco Sixto, Carmelitâ Neapolitano Theologo, atque Poëtâ Auctore*, apud Josephum Cacchium, anno 1573. *in-4°.* Hæc leguntur apud Nicolaum Toppi, in *Bibliotheca Neapolitana pag.* 95.

6. *De illustribus Carmelitis Neapolitanis* scripsisse dicitur à Philippo Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum, pag.* 40. nec-non ab Antonio Teisserio, in *Catalogo Authorum, pag.* 93.

Francisco Sixto testimonia perhibent alii plurimi, quos inter accenseri possunt, Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro tomo* 1. *pag.* 592. Antonius Verdenus, in *Supplemento Bibliothecæ Gesnerianæ.* Georgius Draudius, in *Bibliotheca classica, pag.* 291. Emmanuel Roman, de *Illustribus Viris Ordinis Carmelitarum.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 407. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico.* Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. pag.* 401. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo 4. Annal. pag. 397. lin.* 12. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca folio* 83. *verso.* Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmel. pag.* 1000. *num.* 3705.

XCIII.

FRANCISCUS SUAREZ DE VILLEGAS, natione Lusitanus, natus Olyssipone, cujus in Cœnobio Carmelitarum professionem emisit die 24. Nov. 1611. juxtà Andream à S. Nicolao in *Relatione* quæ prodiit *tom. 2. Spec. Carmel. pag.* 1083. Studuit in Collegio Complutensi: sed admodùm juvenis, relictâ patriâ in Gallias, & Burdigalam Biturigum-Viriscorum, anno 1615. appulit: ubi postquam in Regio Aquitanorum Collegio magnâ cum laude Gymnasiarcham egit, ac per duos deviginti annos Philosophiam, Theologiamque publicis è pulpito illustravit Commentariis; adeptâ primùm Magisterii laureâ 10. Decembris 1624. in ipsa Burdigalensi Academia, Parisios posteà venit, Regni juribus donatus à Ludovico XIII.

Hinc, ut sese virtus prodit attollitque, Annæ Austriacæ Serenissimæ Galliarum Administraricæ Reginæ à Concionibus fuit anno 1644. quo universæ Theologiæ triumphum ex primo & decimo Ezechielis desumptum, ærique elegantissimè incisum edidit. Ludovico XIV. Regi à Concionibus, Consiliis, eleemosynisque factus est anno 1648. Literis Regiis Lutetiæ 20. Martii datis, cum annuæ pensionis ex ærario publico juribus.

Post modum, Rege agente per Legatos suos Romæ, ab Innocentio X. Franciscus novæ Mempheos denuntiatur Metropolitæ octavo Idus Decembris, an. 1649. accepto in Transpontinæ consecrationis munere 4. Decembris, eodem anno ab Eminentissimo Julio Portuensi Episcopo Cardinali *Roma* nuncupato, assistentibus Illustrissimis Honorato Urtaniæ, & Francisco Cremonæ, Episcopis. Huic, Regis Christianissimi edicto, approbante Innocentio X. Decanus S. Martini Turonensis nominatus, quadragintas & mille libras gallicas quotannis pendit Franciscus Episcopus.

Eidem Francisco ex Ægypto reverteni (Memphiticam enim ipse lustravit Provinciam) aliam etiam summam pendere Episcopus Ruthenensis jubetur, datis à Rege Literis die 18. Aprilis anno 1662. quas Alexander VII. ratas habuit, quando Ruthenorum Infulas Illustrissimo Ludovico Abellio commisit. Calculi cruciatibus, propè septuagenarius, decessit Parisiis 17. Aprilis anno 1664. apud Carmelitas Maubertinos depositus eâ chori parte mediâ, cui Lychnus impendet Olearius, præsentibus Illustriss. Henrico de la Motte-Houdencourt, antiquo Episcopo Rhedonensi: Episcopo Auscensi nominato, & N. Duchemin, Benedictino, Episcopo Næocæsariensi, atque Joanne Leboux Aquensi, in Novempopulania Præsule sacrum & exuvias celebrante, cum magno populi concursu: nullo apposito Epitaphio.

Scripsit:

1. *Orationem Funebrem Ludovici XIII. Regis Christianissimi*, Gallicè. Parisiis, apud Claudium Marcelle 1643. *in-4°.*

2. *Hortum sacrum Luparis*, Gallicè. Parisiis, apud Antonium Robinot, 1643. *in-16.* Ibidem Hispanicè, *El Jardin sacrado del Lovro.* Hujus meminit Nicolaus-Antonius, *tomo 1. Bibliothecæ Hispanæ.*

3. *Votivam Tabellam Mysterii Pacis interpretatam.* Romæ apud Hæredes Francisci Corbelletii, 1645. *in-4°.* Latinè, ibidem citatam.

4. *Universæ Dialectices Epilogum*, Latinè. Burdigalæ, apud Simonem Millangium, 1622. Ad Sereniss. Principem Gastonem Aurelianensium Ducem, ibid. cit. *in-8°.*

5. *Theses Philosophicas, & Theologicas*, mirâ arte compositas anno 1644. Parisiis.

6. *Carmina latina, & hispanica ad laudem Eminentissimi Julii Cardinalis Mazarini*, quæ *Mss.* vidit quondam Ludovicus Jacob Parisiis, in *Bibliotheca Mazarina.*

De Francisci Suarez Villegas laudibus & scriptis agunt, Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Scriptorum Hispaniæ, pag.* 368. Andreas à S. Nicolao, in *Relatione* quæ prodiit, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 1083. num.* 3800. Parisiis in Maubertino Conventu paulòpost manens. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 102. Qui Parisiis eo tempore Bibliothecarius ampliss. Dom. Achillæi de Harlay, Franciscum nostrum facie novit. Alegreos Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 491. Joannes Verbiale, Burdigalensis, Auctor etiam coætaneus, & quasi conterraneus, in *Præfatione* versionis Gallicæ *Sermonum Dominicalium* R. P. *Jacobi Nysseno*, Hispani, Ordinis S. Basilii, quam nostro Suaresio dedicat. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VI. Compendii Historiæ Carmelitanæ, pag.* 9. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag. 523. num.* 952. Idem, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 921. num.* 3218. Ibid. *pag. 1080. num.* 3792. Matthias à Corona, in *Sanctitate Ecclesiæ Romanæ, in Sancto Elia Propheta figuratæ.*

F.

XCIV.

FRANCISCUS MARIA A S. SYRO, Carmelita Excalceatus Papiensis, transmisit Romam,

1. *Vitam Illustrissimi D. Eliæ à S. Alberto, Carmelitæ Excalceati, Episcopi Aspahamensis.* Italicè *in-4°.*

2. *Scripsit etiam Itinerarium suum Orientale.* Italicè *in-4°.*

3. *Itinerarium Occidentale.* Italicè *in-4°*

XCV.

FRANCISCUS A S. THOMA, natione Hispanus, *Pastranæ* tùm naturalem, tùm spiritualem & religiosam Carmelitarum Excalceatorum vitam initiavit. Rexit Pastor optimus, Monasteria Eremiticum Bolarcense, Compiutense, Matritense, ac totam Provinciam. Obiit anno 1707. edidit Opera quæ inscribuntur:

1. *Via scientiarum*, duobus opusculis absoluta: alterum de *universis regulis & principiis argumentandi, ac in qualibet materia rationes efformandi*: alterum, de *principiis & regulis se rectè ab argumentis defendendi.* Matriti, 1686. *in-4°.*

2. *Medulla mystica*, Hispanicè conscripta, recusa Matriti, anno 1702.

3. *De Relationibus prædicamentalibus, intentione qualitatum, & modò unionis.* Asservatur Mſ. in Eremo Bolarcensi.

XCVI.

FRANCISCUS MARIA A S. AMBROSIO, Italus natione, Carmelita Excalceatus, scripsit, *Orationes sacras recitatas diversis locis*, dicatas illustrissimo D. Guadagno, Episcopo Aretino, Imperii Romani Principi, Solii Pontificii Assistenti, Comiti de Ceza, Carmelitæ Discalceato. Florentinæ, 1717. *in-4°.*

XCVII.

FRANCISCUS JOSEPH A S. MARGARITA, Parisiensis, vir indefessi laboris in legendo, & scribendo, Carmelita Excalceatus. Obiit Parisiis die 14. Decembris 1718. postquam edidisset in lucem, *Necrologium Carmelitarum Discalceatorum Provinciæ Parisiensis*, eorum qui *in ea professi sunt aut obierunt*, *Monialium Teresianarum Lotharingiæ*, *Præpositorum Generalium*, & *Episcoporum Reformationis, à Monasteriorum fundatione in Galliis*, *usque ad annum* 1718. Parisiis, anno 1718. *in-12.* teste Martiali à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum*, *pag.* 180.

XCVIII.

FRANCISCUS A S. TERESIA, Lusitanus, *Junchalæ*, aliàs *Feniculeti* vulgò *Funchal*, natus ex parentibus *Francisco de Costa*, & *Maria de Nes*, Carmelitarum habitum induit in Carmelo Ulissiponensi, die 14. Octobris, an. 1669. & vota solemnia dixit die 15. Octobris. Anno sequenti 1670. A Josepho de Lancastro, Commissario Generali, Conimbriam studiis vacaturus in Collegio missus fuit, in quo & acceptatus die 13. Octobris 1673. Philosophiæ ac Theologiæ ità sedulò incubuit, ut easdem posteà disciplinas Professor ibidem docuerit, & in Academia ejusdem civitatis laureâ doctorali fuerit insignitus; atque summam propter doctrinam *caput aureum* cognominatus. Insignis quoque ac eruditos Concionator, nec-non singularis ævo suo Poëta, linguarum etiam Latinæ, Lusitanæ, atque Castilianæ peritissimus, ejusdem Collegii Rector extitit, sicut & Definitor suæ Provinciæ: quo tempore, fato cessit, anno urgente 1698. cum ingenti omnium luctu, & in eodem Collegio Conimbricensi Carmelitano tumulatus, ubi reliquit

Alphabetum Theologicum, duplici delineatum regulâ, scholasticâ unâ, & concionatoriâ alterâ. *Prima pars Mſ.* asservatur in Bibliotheca præfati Collegii.

Ita de illo refert R. P. Emmanuel de Sa, de quo superiùs egimus colomna 447. & 448. in suis monumentis sive *Memoriis historicis de Viris Illustribus*, 35. *&c. cap. num.* 146. *pag.* 173.

XCIX.

FRANCISCUS TURCHUS, aliàs TURCINUS, perperàm FRIBIGIUS, natione Italus, patriâ *Tarvisinus*, Carmelita, coosiglii alumnus Monasterii, quod ad tertium lapidem extrà portam *Altinatem* civitatis *Tarvisini* sub ditione Reipubl. Venetæ fuit ædificatum anno 1408. Vir religiosus propter ingenii & pietatis præstantiam & eruditionem non vulgarem, æternis præconiis dignus, obiit *Tarvisii* circà annum 1599. Edidit:

1. *Annotationes & erectiones in Tractatum de tribulatione confectum* à R. P. Episcopo Hieronymo Cachiaguera, Tusco, quem Gallico sermone donavit Franciscus de Belleforest, Lugduni, apud Petrum Rigaud 1605.

2. *Orationes varias ad Deum* quæ leguntur in Sylva Orationum R. P. Nicolai Aurifici, Carmelitæ.

3. *Supplementum decadis secundæ Titi Livii.* Italicè, cujus ceu rarissimi & pluris æstimati meminit Nicolaus-Franciscus Haym, in *Bibliotheca Italica*, seu *Notitia Librorum Italicorum*, *pag.* 16. *num.* 16.

4. *Orationem habitam in Comitiis Generalibus celebratis, anno* 1580. Venetiis, apud Dominicum & Joannem Guerram, 1580. *in-4°.* Italicè.

5. *Postilla* in Metamorphoses Ovidii traductas per Andream de Anguillara. Italicè. Venetiis, apud Bernardum Giunti, 1584. *in-4°.* Laudatur ab eodem Nicolao Francisco Haim, *pag.* 119. *num.* 1.

6. *Epistolarum, facetiarum suarum & aliorum hominum majorum variorum, duo volumina.* Italicè editæ Venetiis, 1575. *in-8°.* suppresso Bibliopolæ Authore. Item Venetiis 1580. apud Aldum. 2. vol. *in-8°.* teste eodem Nicolao Haim, *pag.* 156. *num.* 13.

7. *Carmina & cantilenas*, inter quas una legitur ad Cosmam de Medicis, magnum Etruriæ Ducem. Florentiæ 1565.

8. *Sermones Radulphi ardentis* (qui Pictavii floruit anno MC.) suprà totius anni omnia Evangelia & proprii Sanctorum, Italico sermone ditavit *latinè compositos.* Extant cum sermonibus R. P. Bartholomæi Lantanæ, Carmelitæ.

9. *Officium B. Virginis Mariæ* Italico idiomate dedit, correxit & typis mandavit.

10. *Vitam B. V. Mariæ* carmine descriptam ab Antonio Cornazzo, Italicè.

11. *Psalmos Pænitentiales cum variorum interpretum versionibus*, quorum numero inseruntur *lacrymæ S. Petri* per Ludovicum Tansillo Nolanum; ut animadvertit Joannes-Petrus Niceron, *tomo* 18. suorum Commentariorum sive *Memoriarum de Viris Illustribus in re litteraria pag.* 360. Nicolaus autem Franciscus Haym, in *Bibliotheca Italica Librorum* sic exhibet *pag.* 111. *num.* 12. » Raccolta di Tra» dozioni de sette Salmi Penitenziali, fatta da diversi

» insigni rimatori di quei tempi, da Francesco Tur-
» chi da Trevigi Carmelitano, tra le quali vi e anche
» la sua Traduzione, e molte altre rime di esso,
» di altri Auctori. In Venezia presso il Giolito, 1572.
» *Questa Raccolta* è bellissima, è stimatissima.

12. Tractatum de sancta Communione per R. Dom. Hieronymum Cathiaguerra Episcopum, simul cum *summariis & argumentis Francisci Tarvisini super diversis suis Poëmatibus*, Italicè. Venetiis, 15 . . . Quæ omnia simul Gallico sermone donavit Franciscus de Belleforest, Parisiis, 1607. *in-16.* ut animadvertit Joannes-Petrus Niceron, in suis *Memoriis*, *tom.* 11. *pag.* 105.

13. *Summam casuum conscientiæ pacifici Novariensis*, Ordinis Minorum. Italicè. Venetiis, apud Dominicum & Joannem Guerram, 1574. Item apud Joannem-Baptistam Sommascbum, anno 1579. 1580. & 1587.

14. *Correxit & auxit summam S. Antonii*, Ordinis FF. Prædicatorum, Archiepiscopi Florentini. Italicè. Venetiis, 1574. *in-12.* Ad R. P. Leandrum Albertinum, Priorem Venetorum Carmelitarum.

15. *Summam Martini Azpilcuetæ*, Doctoris Navarri. Italicè *in-4°.* Ibidem.

16. *Homilias* Magistri *Ludovici Pistorii* Ferrariensis. Italicè. Taurini, 1581. *in-4°.*

Franciscum Turchum commendant Bartholomæus Burchelatus, Tarvisinus, Medicus, in *Historia Tarvisina*, *pag.* 53. Hieronymus Rubeus, Ravennas, Medicus, *Lib. I. Historiæ Ravennæ*, *anno* 1564. Antonius-Franciscus Donius, in *Bibliotheca Italica*. Hyppolytus Marraccius, *tomo* 2. *Bibliothecæ Marianæ*. Lucas Wadinghus, de *Scriptoribus Ordinis Minorum*, verbo *Pacificus Novariensis*. Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis*. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 410. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 103. Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ*, *pag.* 3.

EXTRACTUM è LIBRO Italicè inscripto,

Bibliotheca Italiana, o sia Notizia dè Libri rari nella Lingua Italiana, &c. in Venezia, presso Angiolo Geremia MDCCXXVIII. *in-4°.*

Pag. 16. *num.* 16. Le Decbe della Storia Romana di Tito Livio, tradotto in Lingua Toscana de Jacopo Nardi Fiorentino, con molte illustrazioni. In Venezia per i Giunti 1554. in fog. sono pag. 970. *Si averta che i Giunti ne anno fatta altra Edizione anteriore il 1547. ma questa del 1554. è la migliore; se non fosse pero quella del 1575. doa è il supplemento della seconda deca fato de Francesco Turchi ch' è la piu rara estimata.*

Pag. 111. *num.* 22. Raccolta di Traduzioni de sette Salmi Penitenziali, fatte da diversi insigni rimatori di quei tempi, da Francesco Turchi da Trevigi Carmelitano, tra le quali vie anche la sua traduzione, è molte altre rime di esso, e di altri Autori. In Venezia presso il Giolito 1572. *Questa Racoltà è bellissima, è stimatissima.*

Pag. 119. *num.* 1. Le Metamorfosi di Ovidio ridotte da Gio: Andrea dell Anguillara in ottava rima, con le Annotazioni di Giuseppe Orologgi, e gli Argomenti, e le postille di Francesco Turchi. In Venezia, presso Bernardo Giunti, 1584. *in-4°.* con belle figure di Rame. *Questa Edizione e la migliore di molte altre che ne furono fatte, è prima, è dopo; è la Traduzione è stimatissima, è tenuta per una delle migliori della Lingua Italiana.*

Pag. 156. *num.* 13. Delle Lettere facete e piacevoli, di diversi grandi uomini, e chiari ingegni, raccolte da Dionigi Atanagi libro primo. In Venezia per Bolognino Zalteri 1561. *in-8°.* Libro secundo Raccolto da Francesco Turchi in Venezia 1575. *in-8°. senza Stampatore.* Ed in Venezia per Aldo 1582. *in-2.* Vol. *in-8°.*

C.

FRANCISCUS A VILLA FORTE, natione Castellanus, Carmelita Matritensis, Doctor Theologus, ac in publico Mexicano Collegio Professor celeberrimus: Vir incredibili animarum infidelium zelo, & morum integritate conspicuus, obiit Mexico in America Boreali anno Christi 1608. postquam scripsisset *Opera nonnulla Theologica Mss.* quorum titulos non designarunt Authores qui de illo mentionem egerunt, Valerius Ximenez de Embun, *Lib. De Scriptoribus Ordinis Carmelitarum*: Alegreus Cassanatus in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 463. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 103.

C I.

FRANCISCUS A VIRGINE MARIA, natione Navarrus, patriâ Pompeiopolitanus, Carmelita Excalceatus: Monasteria Matritense & Cæsar-Augustanum Prior rexit. Aragoniæ Provinciæ Superior præfuit, Definitoris Generalis munus sapienter exercuit: Vir Deo, Angelis & hominibus multum amabilis, migravit Matriti Carpentanorum, anno 1624. die 31. Augusti. Ejus corpus integrum & incorruptum summâ cum veneratione in Monasterio S. Hermenegildi asservatur, ad sacellum elegantissimum S. Teresiæ; ubi sequens aureis literis inscriptum legitur Epitaphium:

D. O. M.

Spes resurrectionis ad Gloriam, innocentiam custodienti: Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.
V. P. FR. FRANCISCUS A VIRGINE,
Patriâ Pampelonensis, mirâ vultûs compositione, eximiâ morum, animique modestiâ præditus, subditus, obedientiâ Prælatus, prudentiâ fulgens homo. Quià pacificus verè filius Dei; solitudinis amator, Cellæ cultor, meditationis igne exardescens: sæpè vultus splendescere in oratione visus: Nocturnam hostium in Perpinianum irruptionem, celeriori Dei orta, ab eo ibi orante, impetrato, præcavisse fama est. Christi bonus odor, incondita corpus fragrantia, teste integerrimæ carnis ac mentis custos: Ideòque, & post mortem, non dedit Deus sanctum suum videre corruptionem. Obiit Matriti, pridie Kalend. Septembris anno MDCXXIV.

Scripsit *Sermonem de Laudibus Ven. M. Agnetis à Jesu de Cassanate Teresianæ, Cæsar-Augustanæ*, quem anno 1620. in *ejus funere habuit.*

De Francisco à Virgine tractat Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 2. *Reformationis Hispanicæ S. Teresiæ*, *Lib. VII. Vita Ven. M. Isabellæ*, *cap.* 9. & 12. Ibidem, *Lib. VIII. cap.* 3. & 9. Michael-Baptista de Lanuza, *Lib. IV. Vita Ven. M. Isabellæ à S. Dominico*, *cap.* 20. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 16. Ludovicus in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 103.

F.

Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pog.* 595. *num* 1065.

C I I.

FRANCISCUS VOERSIUS, aliquandò CHERASCUS, quià *Cherasci*, seu *Clarasci* in Pedemontio natus est anno Christi 1562. die 8. Aprilis, Carmelita factus in patriâ 1576. die 8. Januarii: postea professionem emisit anno 1578. die 8. Aprilis, Sacræ Theologiæ Doctor, *R. Henrici Silvii* Prioris Generalis discipulus, Secretarius ac in Visitatione totius Ordinis socius, Papiæ studiorum Regens, Provinciæ Bohemiæ & indè Angliæ Provincialis, ac tandem Ordinis Procurator Generalis anno 1608. post Basilii Angussolæ decessum usque ad annum 1613. ab eodem Henrico Silvio constitutus: Vir & doctrina illustris, & prudentia insignis, & pietate insuper eximius: Obiit *Doliani* an. 1634. die 12. Februarii. Opera illius inscribuntur Italicè,

1. *Relatione della Vita è gesti dol Padre Enrico Silvio Astegniano, Generale* de *Carmelitani*. Astæ apud Virgilium Giangrandum, 1614. *in*-8°. Addidit, & *Catalogum Generalium Ordinis*.

2. *Storia di Cherasco*. In Mondovi, 1618. *in*-4°. seu Latinè *Historia compendiosa Urbis Cherasci*, impressa in Monte regali, apud Joannem Gislandum, 1618. *in*-4°. Nuncupatur Ad Mauritium à Sabaudia Cardinalem. Laudatur inter optimæ notæ Libros apud Nicolaum Franciscum Haym Romanum, in *Bibliotheca Italica*, *pag.* 55. *num.* 15.

3. *Giardino dè Tesori Spirituali della Religione della Gloriosa Vergine Mariâ del Carmine*. In Monte Regali, apud eundem 1616. teste Andreâ Rossotti, *pag.* 233. Aliam autem Editionem Genuæ factam anno 1620. appellat Ludovicus Jacob, in *sua Bibliotheca pag.* 104. Porrò Elucubrationem hanc citat Lezana, *tomo* 4. *Annal. pag.* 171. & 1035.

4. *Ceneo awisi per conseguire le Indulgenze*. In Monte-Regali, 1619. apud eundem.

5. *Simbolo della Ventura del Messia*. In Monte-Regali, apud eundem Joannem Gislandum, & Joannem Thomam Rubeum, 1622. *in*-4°.

6. *Delli Imagini miracolose della Gloriosa Vergine nelli Conventi de Carmelitani*. Sive Latinè, *De Imaginibus miraculosis B. V. Mariæ, quæ coluntur in Conventibus PP. Carmelitarum*, tractatus.

7. *Una Racolta de Indulgenze, è gratie concesse da sommi Pontifici alla sua Religione de Carmelitani*. Taurini, 1625. *in*-8°. cum centum Monitis jam citatis.

8. *Uno Advento dell Antichristo*: sivè *de Judæorum perfidiâ*.

9. *Genealogia Ducum Sabaudiæ*. Ibidem.

Franciscum Voersium commendant Andreas Rossotti, in *Syllabo Scriptorum Pedemontii*, *pag.* 233. Franciscus Augustinus ab Ecclesia Episcopus Salutiarum, in *Historia Chronologica Præsulum Pedemontanorum*. Idem, Libro de *Scriptoribus Pedemontanis*. Benedictus Gononus, *Lib. IV. de Vitis Patrum Occidentalium*, *pag.* 233. Idem, in *Chronico Dei-paræ*. Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*. Philippus Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum*, *pag.* 206. Antonius Teisserius, in *Catalogo Scriptorum pag.* 94. Joannes-Baptista de Lezana, in *Annal. Carmelit. pluribus in locis*. Idem in *Maria Patrona*, *cap.* 5. Idem Consulto 2. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Mss. pag.* 104. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 540. *num.* 972. Idem, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1072. *num.* 3736. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Cormel. Decoris*, *pag.* 477. &c.

C I I I.

FRANCISCUS DE ZAMBERTIS, Venetus Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor egregius, & Concionator Insignis, & Musicus celebris, qui variis in scientiis ingenium suum exercuit; quantumque in iis versatus fuerit, manifestum evasit, cum Papiæ, & tum Patavii summâ omnium admiratione legeret. Fertur inter multa eruditionis suæ monumenta, *super omnes Libros Sententiarum*, & *Metaphisicam Commentaria conscripsisse*. Moritur die primâ mensis Februarii, anno 1592.

Hæc Verba sunt Petri Lucii, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 31. Quæ deinceps exscripserunt, Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparotûs sacri*, *pag.* 599. Jacobus Albericus Augustinianus, *Lib. de Scriptoribus Venetie*. Augustinus superbus Franciscanus, *ibidem*. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 439. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*, *Ms. pag.* 105.

C I V.

B. FRANCUS DE SENIS, natione Italus, anno 1211. natus in pago *Grotti* dicto, qui per septem ferè milliaria Italica *Senis* abjunctus est, parentes habuit mediocres, quibus profligatæ, honestæ erant divitiæ. Pater *Basseus* è *Lipporum* familia, Mater *Calidonia* è *Danielorum* fuit stirpe. Post mortem patris in multa præceps ruit vitia & peccata; sed anno 1229. à Deo mire conversus, varias in peregrinationes abit, & Senas redux diversis pœnitentiæ & solitudinis exercitiis probatus, circà annum 1279. Priorem Carmelitarum convenit, a quo non semel repulsam passus est & à fratribus, eo præsertim quod annosus valde esset, nec austeritates Regulæ, & Statutorum Religionis perferre posse censeretur. Habitum tamen Conversorum Ordinis in Conventu Urbis Senarum lætissimus suscepit, & in illo sanctissimè perseveravit ad annum 1291. quo obiit die 11. Decembris, nec sinè novo sanctitatis signo, Insolito scilicet viso splendore luminis post tenebras suprà *Senarum* Urbem, & Carmelitarum Cœnobium.

Hujus Vitam 32. digestam capitibus R. P. Gregorius Lombardellus, Dominicanus Magister scripsit, typis mandatum *Senis* anno 1590. quam postea Joannes Antonius Philippinus, qui post Prior Generalis evasit, typis iteratis *Romæ* mandari fecit. Ejus festum ex decreto Clementis V. anno 1308. celebrabatur Senis Dominicâ primâ Maii. Vide Lezanam, *tomo* 4. *Annalium pag.* 457. *& seqq.* Danielem à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 417. *num.* 716. Item, *tom.* 2. *Spec. Carmelitani*, *pag.* 797. *num* 2726. *& seqq.* Devotio in hunc B. Francum ità propagata est, ut in ejus honorem Confraternitas Cæsar-Augustæ erecta fuerit, et ei varias concesserit Indulgentias Alexander VII. anno 1664. uti legere est, *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 539. Multi scriptores B. *Francum* confundunt cum *Francisco de Senis*: sed caracteres utriusque dispares sunt, ut patet ex dictis *superiori columna* 51...

C V.

FRIDERICUS A S. ROSA, Mediolanensis, in seculo JULIUS PUTTUS nuncupatus, Carmelitarum Excalceatorum institutum suscepit die 24. Septembris 1713. cum natus esset die 3. Januarii 1697. sodales suos in Facultatibus Philosophicis & Theologicis per plures annos edocuit: deindè verbum Dei in pluribus Italiæ civitatibus egregiè disseminavit. Excelluit quoqoe in Orationibus Panegyricis, quas Mediolani, Laudæ, Cremonæ, Man-

tuæ, & Ferrariæ, summo omnium plausu dixit. Theologus fuit *Philippi Langraviæ Darmestat* Mantuæ Moderatoris. Ibidemque a consultationibus S. Inquisitionis extitit. Præter ea quæ edidit, plura scripsit, quæ nobis minimè indicata fuerunt: imò scribendo mortem adinvenit in patria die 17. Februarii an. 1733. Hæc autem ad nostram devenerunt notitiam.

1. *Vita di S. Giovanni della Croce.* Mantuæ, apud Albertum Pazzoni 1729. *in*-12.

2. *Vita di S. Giovanni Nepomuceno.* Ibidem apud eumdem 1710. *in*-8°.

3. *Opera Ascetica in lode di santa Tereza.* Ferrariæ apud Joseph Barbieri 1733. *in*-12.

4. *Opera varia Mss.* quorum seriem expectamus, inquit Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium, pag.* 1156. *num.* 1370.

C V I.

FRIDERICUS STOCHERUS, vel SCHOCKERUS, natione Germanus, Carmelita, Doctor Theologus, ac Cœnobii Straubingensis Prior: Vir qui sacrarum literarum studium cùm vitâ Regulari & Virtutis exercitio ità semper conjunxit, ut in Religiosum doctrinâ, probitate, & pietate insignem evaserit. Scripsisse perhibetur post annum 1368. quo fundatum hoc fuisse Cœnobium constat,

In Libros IV. Sententiarum Commentaria, quæ asservantur MSS. in eodem Monasterio, sicuti testatur Philippus Metius, In Lib. *De Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*: quem Laudat Ludovicus Jacob, in *Bibliot.* sua *Carmelit. Ms. pag.* 105.

C V I I.

FRIDERICUS WAGNER, aliàs WAGNY, natione Germanus, patriâ Augustanus, Carmelita, Doctor Theologus in Academia Viennæ Austriæ ad Danubium: ubi longo tempore docendo, disputando, præfuit, & anno 1386. quartus Prior Provincialis Germaniæ superioris, quæ ab Inferioris Germaniæ provincia separata fuit anno 1347. tandem cum vix duobus annis eam Provinciam administrasset, ob præclaras animi dotes, insignem multiplicemque doctrinam, & ob Virtutum splendorem in *Pataviensis* seu *Passaviensis* Ecclesiæ Cathedram Episcopalem sublimatus fuisse refertur circà annum 1390. Clarus obiit in Monasterio Carmelitarum Straubingensi, ibidemque sepultus ante Altare confraternitatis.

Sublimatus fuisse refertur à Conrado Gesnero & Antonio Possevino ad Episcopatum Pataviensem, sub Metropoli Salisburgensi, à *Roberto Bavaro*, Austriæ tunc Duce, propositus; & ab Urbano VI. Pontifice Maximo, confirmatus. Attamen in Catalogo Episcoporum Passaviensium quem *Wiguleus Hund* edidit Monachii anno MDCXX. duobus tomis, quibus notas adjecit & copiosas additiones *Christophorus Gesvoldus*; & in quibus Epitaphia illorum Episcoporum sepulcralia exhibentur, nulla extat memoria Friderici Carmelitani: undè suspicari quis posset hunc Fridericum fuisse Episcopum titularem *Patarensem Lyciæ*, Urbem sub *Myrensi* Archiepiscopo, & suffraganeum *Passaviensem* in Bavaria inferiori. Scripsit,

1. *In Psalmos XXXVIII. Commentaria*, Libris duobus.

2. *In Epistolas D. Pauli Apostoli Reductorium.* Lib. XIV.

3. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*: Quæ Viennæ dictavit.

De Friderico Wagnero egregiè loquuntur Albertus Crantzius, in *Catalogo Episcoporum Passaviensium.* Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca Universali.* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 602. Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura Sacra*, *pag.* 413. & 544. Philippus Metius, in *Catalogo Illust. Scriptor. Ord. Carmelit.* Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. pag.* 1044. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana. Mss. pag.* 105. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 497. *num.* 888. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 964. *num* 3389. Ibidem, *pag.* 1096. *num* 3877. ubi notatur quod in Registro Carmelitarum Provinciæ Germaniæ superioris, vocatur Fridericus noster Doctor Parisiensis, Professor publicus in *Viennensi* novella *Universitate*, cujus *Unus* extitit *ex quatuor primis Fundatoribus.* Quod iterum repetitur ibidem, *pag.* 1100.

C V I I I.

FULGENTIUS A S. BARBARA, natione Gallus, Provinciâ Armoricus, in sæculo HENRY nuncupatus, Rhedonis professionem in Carmelo tùnc florescente emisit anno 1632. die 11. Januarii; posteà cursu studiorum emenso, varia inter suos munia sapienter gessit, Supprioris in Cœnobio SS. Sacramenti Parisiensi anno 1632. Prior Avenionensis, & *Romam* cum *Remigio à S. Monica* missus est anno 1638. ubi per totos quindecim menses graviter allaboravit ad confirmationem constitutionum strictioris Observantiæ Rhedonensis obtinendam. Obiit in Armorica, in Conventu Venetensi *Bonidoni* cognominato, die 10. Augusti, anno 1677. postquam edidisset,

1. *In Aaspicatum Delphini Franciæ ortam*, *Orationem*, Romæ, Typis Ludovici Grignanii, 1638. *in*-4°. cum Echo, seu carmine de Delphino: Latinè prodiit posteà Parisiis Gallicè, 1649. *in*-4°.

2. *Apologiam pro visione B. Simonis Stock, adversus Joannem de Launoy, Theologum Parisiensem*, Ms.

Fulgentium à S. Barbara laudant Leo à S. Joanne, in *Delineatione Provinciæ Taronensis*, *Observantiæ Rhedonensis*, *cap.* 9. *pag.* 57. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 105.

C I X.

FULGENTIUS GIDONUS A S. JOSEPHO; Carmelita Excalceatus Mediolanensis, non tantum in patria pluries suæ testimonia eloquentiæ dedit, sed & *Cremonæ* atque *Placentiæ*, nec-non in aliis Italiæ urbibus, usque dum ad septuagesimum secundum ætatis annum suæ perveniens, mortem piissimè obiit Cremonæ die 28. Septembris 1685. Opera illius quæ nobis innotescunt, sunt,

1. *Panegirica in lode di S. Teresa, detto in Cremona il giorno* 15. *d'Ottobre, in memoria della liberazione di quella citta dall'Assedio dell'Armi di Francia*, anno 1647.

Orazione Panegirica, detta nel Monarcasi fra le Carmelitane Scalze di Parma la Serenissima Principessa Cattarina Farnese. Parma, *in*-4°.

3. *Quadragesimale, e vari sermoni, e Panegyrici, Mss.* sed ubi serventur, ignotamus, inquit Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium pag.* 1881. *num.* 2069.

Laudant etiam Fulgentium Gidonum Philippus Picinellus, in *Historia Conventûs S. Imerii Cremonæ*, anno 1607. fundati: atque Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mss. Fundationum Conventuum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 70. ubi notat Fulgentium nostrum à S. Josepho fuisse S. Theologiæ Lectorem, ac suæ Provinciæ Lombardiæ Definitorem anno 1664.

GABER,

G.

I.

GABER, Anglus, Ordinis Carmelitarum, sacræ Theologiæ Doctor, circà annum 1431. scripsit *Concordiam Evangelicam*, si fides dabitur Michaeli a Fonte; verùm de illo tacuerunt Joannes Lelandus, Balæus, Pitseus, Gesnerus, & alii qui de Scriprotibus Ordinis Carmelitarum scripserunt, ut animadvertit Ludovicus Jacob, in *sua Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 106.

I I.

GABRIEL A S. ANGELO, natione Hispanus, Excalceatus Carmelita, nascentis Congregationis Secretarius: vir vitâ, virtutibus, ingenio, elegantiâ, & doctrinâ insignis, scripsit Latino idiomate *Acta trium priorum Capitulorum Generalium*, quæ a Carmelitis Discalceatis Matriti celebrata fuerunt, annis scilicet 1587. die 25. Novembris, 1588. die 9. Junii, & 1590. Quibus usus est Franciscus à S. Mariâ, in *Historia Generali Reformationis S. Teresiæ, Lib. VIII. cap.* 38. *pag.* 344. *cap.* 43. 45. Quorum & meminit Ludovicus à S. Teresiâ, in *successione Eliæ, cap.* 79. & 80. *pag.* 645. *& seqq.* Nec-non Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 106.

I I I.

GABRIEL AB ASSUMPTIONE, natus est *Pastranæ*, divitibus & honestis parentibus, *Joanne de Buencuchillo*, & *Annâ Fernandez Ruiz*, die Augusti anno 1569. factus est tertius in Conventu Pastranensi Carmelitarum Discalceatorum Novitius, & anno 1570. die vigesimâ Augusti professionem ibidem emisit. Cùm in eo perfectionem, cum zelo regularis observantiæ viderent, ipsum Superiores Ordinis, in pluribus officiis occuparunt. Anno 1571. *Pastranæ* substituitur Joanni à Cruce, in directione Novitiorum. Anno sequenti, eidem sancto sufficitur in regimine Conventûs *Complutensis*: Sed non multò post ad pristinum Magistri Novitiorum officium remittitur. Eligitur deindè anno 1576. Prior Conventûs *Rodæ*, fundari à *V. Catharinâ de Cardonâ*. Anno 1581. socius ejusdem Cœnobii Prioris interest Congregationi *Complutensi* die 3. Martii celebratæ, in qua Conventus Carmelitarum Excalceatorum separantur à quâlibet Carmelitarum antiquiorum Provinciâ, juxtà Decretum *Gregorii XIII.* & in eodem Capitulo ipse Gabriel eligitur quartus Definitor suæ Congregationis; nec multo post creatur Prior Conventûs *Almadouar*: & tunc Cœnobium in oppido *Daimiel* fundavit. Anno autem 1584. die 9. Octobris, in pago *Adamuzia* Diœcesis Cordubensis obdormivit dormitione justorum, ætatis suæ quadragesimo, & in Ecclesia pagi sepelitur cum magnâ veneratione; & inde *Pastranam* translatus anno 1603. Scripsit

Epistolam adversus Ven. P. Joannem à Cruce: Tom. I.

cui responsum dedit celeberrimus Doctor Dominicus Bannez.

Gabrielis ab Assumptione vitam dedit Phillippus à SS. Trinitate, *parte* 2. *Decoris Carmeli, pag.* 31. *& seqq.* mentionemque illius egerunt S. Teresia *in Epistola V. M. Annæ à S. Augustino* scriptâ: Franciscus à S. Mariâ, *in Histor General. Reformat. S. Teresiæ, tomo* 1. *Lib. IV. cap.* 13. *num.* 5. Ludovicus à S. Teresiâ, in *successione Eliæ, cap.* 276. *pag.* 633. Joseph à Jesu Mariâ, in *Vita Joannis à Cruce*: Hieronymus à S. Joseph, in *vitâ* ejusdem *Joannis à Cruce, Lib. III. cap.* 6. 7. & 8. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 106. &c. *Spec. tomo* 2. *pag.* 1053. *num.* 3642. *tom.* 1. *hujus Bibliothecæ, pag.* 3. *verbo Angelus à S. Gabriele.*

I V.

GABRIEL DE AULON, Carmelita, in sermonem Hispanum convertit,

1. *El segundo libros de las Epistolas familiares de Ciceron y algunas a Attico.*

2. *Coloquios de Juan Luis vives peri frafeados en romanze.* Compluti apud Joannem Gratian 1574. *in*-8°. Teste Nicol. Anton. *tomq.* 1. *Bibliothecæ Hispan. pag.* 386.

V.

GABRIEL AB ANNUNTIATIONE, Armoricus, qui sub *Ludovico Charpentier* Priore, vestem induit, sed primus omnium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ, qui strictiorem regularem observantiam amplexi fuerunt Rhedonensem: ipse *Rhedonis* professionem emisit Priore R. *Philippo Thibault*, anno 1609. die vigesimâ quintâ Januarii; & ibidem extremum halitum solvit ubi primum Religiosæ vitæ spiritum hauserat, anno 1652. die 31. Augusti: Verum hic Gabriel non est Belga in capitulo Generali anno 1660. vocatus Provincialis Germaniæ Superioris, & electus in Assistentem Generalem pro Germaniâ, Poloniâ, & Belgio.

Gabriel ab Annuntiatione, alter alterius splendoris apparuit in Germaniâ, magnus Reformationis Zelotes. Is enim natione Belga, cum R. P. *Antonino à Charitate*, Provinciæ Turonensis alumno, Commissarius Generalis à R. *Joanne Antonio Philippino* deputatus, in utramque Germaniæ Provinciam difficultates graviores superavit, ut illuc præfatam Reformationem induceret, cum Coadjutoribus multis quos è Provincia sua Belgica secum adduxit; ut loquitur R. P. *Pilippinus* in Epistola ad omnes suos Provinciæ Turoniæ Religiosos, data Romæ die 2. Augusti, anno 1644. Ejusdem etiam Gabrielis habet mentionem Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1012. *num.* 3536. & *pag.* 1102. *num.* 3902.

Ubi inter egregios P. *Gabrielis* cooperatores potissimùm recensetur R. P. *Judocus à Circumcisione*, natione Flander, natus anno 1617. die 19. Februarii, potiori parte vitæ incola Provinciæ Germaniæ Superior, ad eam assumptus à præfato R. P. *Gabriele*, Commissario Generali, pro introducendâ Reformatione, & strictiori observantiâ, plurimùm & Zelo-

G.

tè collaboravit, primus Magister Novitiorum, iteratò Definitor, & in primariis Conventibus Prior, & quidem per annos XVII. distinctis vicibus *Bambergæ* : ibidem prænuntiatâ longè ante infirmitate ; & mortis horâ, relicto viræ Religiosæ patientiæ in gravi apostematis morbo, aliarumque virtutum exemplo insigni, piè animam Creatori reddidit anno 1673. die 14. Aprilis.

V I.

GABRIEL A CHRISTO, natione Hispanus, Biatiæ, anno 1566. nobili ex prosapia natus est. Adolescentiâ magnâ ex parte sob militatibus vexillis transactâ, institutorum Carmelitarum Excalceatorum amplexus est *Hispali*, anno 1587. In sua Provincia ad plures prælaturas evectus, imo & ad totius Provinciæ regimen electus, optimi ac vigilantissimi Pastoris partes implevit ; sui memoriam posteris relinquens. Obiit *Biatiæ*, anno 1645. die 6. Februarii. Scripsit,

1. *Commentaria in Bullam Cruciatæ. in-4°.*

2. *Commentaria in totam ferè partem primam, & in primam secundæ Summæ D. Thomæ.*

3. *Varia Opuscula spiritualia*, patrio idiomate exarata : Quæ cum aliis citatis *Mss.* servantur in Biatiensi Archivio ; uti legitur in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 181.

V I I.

GABRIEL A CRUCE, natione Gallus, provinciâ Neustrius, patriâ Alenconius, Diœcesis Sagiensis, in seculo GABRIEL LECOMTE nuncupatus, anno 1717. die 17. Maii natus. Ea fuit illius ingenii acies, ut decimum quintum annum agens, Philosophiæ cursu jam confecto, non fine tempore Thesibus præfuerit. At æternæ salutis cupidus, relicto beneficio sibi ab Archiepiscopo Remensi collato, cujus Prælati consiliorum erat particeps, ad Carmelitas Excalceatos Parisienses advolavit, & apud eos professionem emisit anno 1636. die 21. Septembris. Prior Rotbomagensis Desertum *Laparience* in Diœcesi Ebroicensi *la Garde-Chastel* dictum, nomine suorum sodalium accepit possidendum, ex diplomate Regio 1660. die 29. Februarii dato, Reverendiss. Dom. *Ægidio Boutaut*, Episcopo Ebroicensi, jussis Regiis obtemperante die 19. Augusti. *Gabriel* summâ modestiâ præditus, humilitatis ac solitudinis amantissimus, divinæ gloriæ zelator eximius, totus orationi, lectioni, aut libris scribendis incumbens, piè obiit *Rothomagi* die 9. Martii, anno 1697.

1. Ex latino in Gallicum transtulit insigne Opus R. P. Mauritii à Cruce, Carmelitæ Discalceati, inscriptum : *Tabula Evangelica*, in quâ ex verbis Evangelicis exprimitur 1°. *Quis sit Dominus Jesus?* 2°. *Quid fecit?* 3°. *Quid docuit?* 4°. *Quæ passus est?* 5°. *Quomodo glorificatus?* Hujus Operis, inquam, Compendium à duobus Sorbonicis Doctoribus approbatum, quod morte præventus non potuit edere, Gallico sermone, confecit sub titulo : Sinopsis *Tabulæ Evangelicæ* : sive Jesus Christus, agens, docens, patiens, glorificatus.

2. Transtulit ex hispano in Gallicum idioma *tomum primum & secundum Historiæ Generalis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Hispanicæ.* Parisiis, apud Sebastianum Hure, 1655. *in folio.* secundus autem tomus Parisiis editus est anno 1666. apud Blaisot *in folio.*

3. Ex eodem Idiomate *translatos* reliquit moriens *duos alios tomos* ejusdem *Historiæ Generalis*, qui incipiunt ab anno 1582.

4. Ex eodem Idiomate transtulit etiam in Gallicum sermonem *Effata perniciosa, perfectionem status Religiosi evertentia* : Gallicè : *Maximes pernicieuses, &c.* Rotbomagi, 1652. *in-4°.*

5. Transtulit *expositionem cantici canticorum*, unà *cum applicatione ejusdem ad Ordinem B. V. Mariæ de Monte Carmelo.* Quam versionem ei adjudicat Ludovicus Jacob in sua *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 106. ubi & scribit Gabrielem à Cruce, priusquam Carmelitam Excalcearum gereret, Academiæ Remensis Rectorem, & Ecclesiæ Metropolitanæ Canonicum fuisse. De isto Gabriele loquuntur etiam Ludovicus à S. Teresiâ, *Lib. II. Annal. Carmelit. Excalceat. Gall. cap.* 120. *pag.* 635. Martialis à S. Joanne, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 181.

V I I I.

GABRIEL FERRUS, Bononiensis, Carmelita Congregationis Mantuanæ alumnus, ejusdem in curia Romana Procurator Generalis, atque Conventûs Patriæ Prior, scripsit Italicè diversa Opera spiritualia,

1. *De Confraternitate, Indulgentiis & Veneratione sacri Scapularis Carmelitani.*

2. *De Sanctis ejusdem Ordinis.* Bononiæ, 1656. ut legitur *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1072. *num.* 3737. Obiit Bononiæ anno 1695. die 5. Augusti. Vide, Vaghum. *pag.* 287.

I X.

GABRIEL A S. JOANNE BAPTISTA, Belga Carmelita, Flandro-Belgicæ Provinciæ alumnus, quondam Supprior, varia edidit Opera, quæ inscribuntur :

1. *Christianus Appelles, qui ad vivum depingit mundi fallaciam & vanitatem.* Flandrice. Bruxellis, 1685. *in-8°.* 1. vol.

2. *Spiritualis Gemmarius.* Flandricè. Gandavi, 1686. *in-8°.* 1. vol.

3. *Pulcheria non larvata* : sive *Speculum veræ pulchritudinis, ostendens hodernis Virginibus quid ipsas ornet benè, quid non.* Flandricè. Antuerpiæ, 1686. *in-8°.* 1. vol.

4. *Sponsa Christi Christiana.* Flandricè. Antuerpiæ, 1690. *in-8°.* 1. vol. In hoc Opere instruuntur Virgines, quomodo animam & corpus ornare possint.

5. *Spirituale connubium inter Christum & animam.* Flandricè. Antuerpiæ, 1691. *in-8°.* 1. vol.

Prout exhibet R. P. Illuminatus à S. Spiritu, in *Schedis Mss.* ad nos Bruxellis Aureliam missis die 15. Augusti 1741.

X.

GABRIEL A S. JOSEPH, natione Gallus, Provinciâ Armoricos, Carmelita Provinciæ Turoniæ alumnus, Observantiæ Rhedonensis Professus, sacræ Theologiæ Professor, variis in Conventibus Prior & pluries Definitor, Secretarius Ordinis : Daniæ Provincialis & Terræ Sanctæ anno 1665. & Assistens Generalis Romæ electus, Vicariusque Generalis Monialium Carmelitarum, antiquæ regularis observantiæ in civitate Venetensi, apud Armoricos, cum jam in Provinciâ Aquitaniæ præfuisset Commissarius. Rhedonis defunctus est anno 1684. die 14. Februarii, postquam scripsisset consultationem quæ inscribitur :

Quæstio Theologica de validitate matrimonii Serenissimi Principis Dom. Dom. LUDOVICI GASTONIS, *Ducis Aurelianensis, &c. Mss.* Cujus meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ, pag.* 133. *num.* 2616. Ejusdem Gabrielis mentio fuit in Congregatione annuâ per R. P. Ste-

phanomâ S. Francisco Xaverio, Provincialem Provinciæ Turoniæ, celebratâ Nanneris anno 1673. die 28. Aprilis. Meminit quoque Ludovicus Jacob, in *Biblioth. pag.* 106.

X I.

GABRIEL A S. JOSEPH, natione Hispanus, in villa *Almonacid de Zorita* natus, apud Carmelitas Excalceatos *Pastranæ* professus, virtute & doctrinâ insignis: Officiis Theologiæ Prælectoris, Prioris, Provincialis, ac Definitoris Generalis clarus, plenus dierum obiit, *Compluti*, anno 1690. Edidit copiosum opus Latinum, ad probandum Sacramentum Eucharistiæ esse in Cœlo, &c. Inscribitur:

Statera Eucharistica, in-4°. Hæc elucubratio videtur eadem esse de quâ Patres Salmanticenses Carmelitæ Discalceati consuli possunt, *Tract. de Sacram. in genere ; Disput.* 3. *dub.* 6. §. 12. *& seqq.* Ut observat Author *Bibliothecæ Carmelit. Excalceat. pag.* 182.

X I I.

GABRIEL A S. JOSEPH, natione Belga, Discalceatus Carmelita, *Græcii*, quod *Stiriæ* Ducatûs caput est, Lector sacræ Theologiæ Scholasticus, scripsit circa annum 1637. *In primam secundæ, & in tertiam partem summæ D. Thomæ Commentaria*, sicuti legitur in *Schedis MS.* R. P. Pauli ab Omnibus Sanctis, quas commemorat Lodovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 106.

X I I I.

GABRIEL A MATRE DEI, natione Hispanus, patriâ Leonicensis, Carmelita Excalceatus, Prior diversis in locis, anno 1638. Definitor & Secretarius Generalis, Rector Salmanticensis anno 1641. Provinciæ Castellæ-Veteris Provincialis anno 1655. electus, ac anno 1660. post obitum *Didaci à Præsentatione*, Præpositi Generalis, Vicarius Generalis, atque tandem anno 1661. *Pastranæ* in Comitiis Generalibus Hispanicæ Congregationis Præpositus Generalis, scripsit

Epistolam Paræneticam ad Religiosos & Moniales suæ Congregationis.

Gabrielis hujus meminerunt Ludovicus à S. Teresiâ in *successione Eliæ, cap.* 279. *pag.* 648. *lineâ penè ultimâ*; Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 107.

X I V.

GABRIEL A S. PHILIPPO, natione Gallus, patriâ Pictaviensis, Carmelita Provinciæ Turoniæ alumnus: vir Religiosissimus, Lectoris Theologiæ, Prioris Conventualis, Magistri Novitiorum munia sic exercuit, ut nihil illi defuerit ad plenam officii sui executionem: sic læsus divino extitit amore, ut de Deo nunquam nisi lacrimis piis effusus & superfusus loqueretur. Charitatis Victima fraternæ, Novitio contagiosè ægroto inserviens, contracto morbo, vexatus Pictaviis, occubuit anno 1679. die 5. Februarii, scripsit:

1. *In primam partem, & in tertiam D. Thomæ Commentaria.* Latinè.

2. *Ad Novitios pia Monita ad instar Exhortationum.* Gallicè.

De illo mentionem habet Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum Illustrium Provinciæ Turoniæ, pag.* 26.

X V.

GABRIEL A S. SPIRITU, natione Aquitanus, Carmelita antiquioris regularis observantiæ professus, variis in locis Prior, Provinciæ suæ Aquitaniæ Definitor, nec-non in Theologiâ versatissimus, & Reformationis, quam à Patribus Turoniæ Provinciæ Carmelitis acceperat zelotes ferventissimus. Scripsit Gallico sermone,

1. *Discursus Theologicos Morales de SS. Altaris Sacramento.* Lemovicis, apud Martialem Chapoulaud, anno 1649. in 8°.

2. *Vitam Pernellæ Gaudon, Molinensis: in quâ conspiciuntur præclaræ dotes Mulieribus concessæ.* Gallice. *Vie de Pernelle Gaudon, Moulinoise, où l'on voit les grands avantages accordés aux femmes: par Gabriel du S. Esprit, Carme Reformé, son Confesseur.* Molinis-Bojorum, apud Petrum Vernoy, 1650. in 8°.

Hujus meminerunt Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 107. Jacobus Lelong, in *Bibliothecâ Historicâ Galliæ, pag.* 65. *num.* 1496.

X V I.

GABRIEL A SANCTO VINCENTIO, natione Longobardus, patriâ Laudensis, Mediolanensis Professus, Lector Philosophiæ & Theologiæ, pluribus etiam annis cum magnâ laude Lectoris Controversiarum munere functus, Provinciæ Romanæ Carmelitæ Excalceatus aggregatus, in Conventu *Sanctæ Mariæ de Victoriâ* peregrinationem suæ mortalitatis complevit anno 1671. Quamvis ferè semper podagrâ chiragrâ opprimeretur, in scribendo tamen aut dictando ferè fuit, à Doctis & Magnatibus sæpè consultus. Prioris, Definitoris, Visitatoris Generalis Provinciæ Genuensis Officiis insignitus, præcipuam tamen laudem Virtutibus Religiosis consecutus, plura edidit Romæ Opera quæ inscribuntur,

1. *Logica* 1669. *in folio.*
2. *Physica* 1670. *in folio.*
3. *De Generatione & corruptione, & Metaphysica*, 1670. *in folio.*
4. *Philosophia Moralis.*
5. *In primam partem D. Thomæ*, 1664. *in folio.*
6. *In secundam partem* 1665. *in folio.*
7. *De Gratiâ*; 1670. *in-quarto.*
8. *De Fide, Spe, & Charitate*, 1666. *in folio.*
9. *De Incarnatione*, 1656. *in folio.*
10. *De Sacramentis* 1656. *in* 4°. *Tomis quatuor.*
11. *De Censuris*, 1661. *in folio.*
12. *De Justitiâ & Jure* 1661. *in folio.*
13. *Consilia varia*, 1668. *in folio.*
14. *De Remediis ignorantiæ*, 1667. *in folio.*
15. *Summa Moralis*, 1667. *in folio.*
16. *Anagogia Christiana*, 1666. *in folio.*

Gabrielem à S. Spiritu plurimi Scriptores celebrant, & inter eos non omittendi Daniel à Virgine Mariâ, in *Vineâ Carmeli*, *pag.* 774. *num.* 1333. *idem, tomo* 2. *Speculi Carmelitici, pag.* 1129. Philippus à SS. Trinitate, in *Vitâ S. Eliæ, pag.* 5. *Decoris Carmeli.* Baptista Gonet, *tomo* 2. *clypei Theologiæ Scholasticæ, Quæst.* 4. *de statu Naturæ lapsæ, Art.* 3. §. *pag.* 537. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 107. Martialis à S. Joanne Baptistâ, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum pag.* 182.

X V I I.

GALCERANDUS CASSAYACH, Hispanus, in oppido *Vallium*, Diœcesis & agri Tarraconensis, Ordinis Carmelitarum, Provinciæ

G.

Cathaloniæ professus, & patrii Conventûs alumnus fuit. Diu, atque diversis in locis Prioris munus, non sine laude gessit. Bis in patria, Semel Barchinone, repetitis vicibus Majoricæ, at que interea, Provincialis suæ Provinciæ institutus anno 1516. in Comitiis Barcinonensibus, & in officio per quadriennium superstes. Ad hæc, cum lauream Magisterii pro meritis obtinuisset, interfuit Capitulo Generali, *Venetiis* an. 1524. celebrato, & rursus sequentibus Comitiis, celebratis *Patavii* an. 1532. tandem electus est Episcopus *Chrysopolitanus*, titularis in Macedonia, sub Metropoli Philippensi, & Suffraganeus ad exercenda Pontificalia in Civitate & Diœcesi Majoricensi, die XI. Februarii anno M. DXXXIV. usque ad annum 1537. quo migravit è vita; cum legata non tenuia reliquisset Conventibus, Vallensi, Barcinonensi, & Majoricensi, quos Prior rexerat. In Ecclesia Cœnobii Majoricensis sepulturam accepit, & successorem habuit *Raphaelem Linas*, pariter Carmelitam, qui electus est Antistes, Chrysopolitanus, die 27. Junii 1537. Scripsit Galcerandus,

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria.*

2. *In Libros nonnullos sacræ Scripturæ Commentaria.*

3. *De Sacramento Eucharistiæ Tractatum.*

4. *De Indulgentiis Librum unum.*

Galcerandum Cassayach celebrant *Acta Consistorialia Clementis VII.* Regestum commune seu *Codex* Diarius *Actuum Generalium Ordinis Carmelitici*: Onuphrius Scolanus Carmelita, In Relatione Mſ. quam septuagenario major dedit anno 1633. quamque citat Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 357. *cap.* 298. ubi Galceranum Majoricensem Suffraganeum perperam distinguit à Galcerano Castananco, Vallensis Cœnobii alumno, itidem Episcopo Majoricensi, quem vixisse supponit anno 1350. *pag.* 296. *cap.* 103. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 921. *num.* 3220.

XVIII.

GALFRIDUS ALEVIANTUS, natione Anglus, patriâ Eboracensis, Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, pietate & doctrinâ clarus anno 1340. varia suæ eruditionis monumenta dedit, videlicet,

1. *In Evangelium S. Lucæ Commentaria* Lib. I. Incipit *Quoniam quidem multi.* Hujus elucubrationis meminit Fabianus Justinianus, *Lib. III. de sacra scriptura*, *pag.* 512.

2. *Tabulam Originalium*, quæ incipit: *Abimelech.*

3. *Lecturam Sententiarum*, sive *in Sententias Petri Lombardi*, *Commentaria compendiosa.*

4. *Quæstiones ordinarias.* Lib. I.

5. *Sermones ad Populum.* Lib. I.

Galfredi *Alievanti*, aut *Alienanti*, vel *Alcycuanti*, sive *Alcyquanti* laudes & opera celebrant Joannes Lelandus, *de Scriptoribus Angliæ*, *cap.* 412. Joannes Balæus, *ibidem*, *Cent. V. cap.* 39. Joannes Pitseus, *ibidem*, *pag.* 438. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca Universali.* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs Sacri*, *pug.* 613. Hippolytus Marraccius, *tomo* 2. *Bibliothecæ Marianæ.* Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 15. ubi notat quod variâ nominatione dicitur *Gullofridus*, *Walfridus*, *Gaudefridus*, *Godefridus*, *Goffridus*, *Goifredus*, *Joffredus*, *Gaufredus*, *Galdfridus*, *Galfredus*, *Gaufridus*, *Guufridus.*

E Carmelitis, Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 291. Joannes Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad annum* 1340. *num.* 2. *pag.* 569. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 107. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 499. *num.* 893. idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1114. *num.* 3443.

XIX.

GAMBALDUS (PAULUS) in Religione Carmelitanâ seu apud Carmelitas vocatus PAULUS A S. IGNATIO, Villanovâ Astensi natus S. T. M. olim Romæ Procurator & Vicarius Ordinis Carmelitarum: vir scientiâ, prudentiâ, & aliis virtutibus illustris; eloquentiâ verò eximius scripsit,

1. *Orationes, quas coràm summo Pontifice recitavit*, partim impressas, partim imprimendas.

2. *Methodum universalem inventionis & elocutionis.* In hoc libro reducit ad quatuor capita, id est, ad veritatem, connexionem, similitudinem, & appositionem omnia prædicata, medios terminos, tropos, & fallacias, quæ deservire possunt perfectæ cognitioni cujuscunque rei, sic Methodum Rethoricam probabilem, & scientificam unit, & defectus apparentiatum & fallaciarum manifestat, sicut loquitur Andreas Rossotti, in *Appendice ad Syllabum Scriptorum Pedemontii*, *pag.* 6. ubi vocat illud *Opus omnibus Rhetoricæ & eloquentiæ studiosis utilissimum.* Ast alia fusius de Gambaldo dicta, consule ad paginam infer. *pag.* 531. *tomi* 2. verbo: *Paulus à S. Ignatio.*

XX.

GARSIAS, Hispanus, Carmelita, Provinciæ Aragoniæ Provincialis, Lector sententiarum in Collegio Parisiensi Maubertino constitutus, per Comitia Generalia Albiæ in Aquitaniâ anno 1327. celebrata, scripsit in *Libros Sententiarum Commentaria*: teste Ludovico Jacob, in suâ *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 107. Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1332. *pag.* 552.

XXI.

GASPAR AB ANNUNTIATIONE, Belga, patriâ Bruxellensis, in seculo dictus JOANNES BAPTISTA DE DONCKER, Carmelita Excalceatus, obiit Londini Missionarius anno 1692. Edidit Hispanè *Vitam S. Joannis à Cruce.* Bruxellis, 1678. *in* 8°. Ex Italico in Hispanum idioma vertit *Vitam V. M. Teresiæ à Spiritu Sancto.* Coloniæ, 1667. *in* 8°.

XXII.

GASPAR BERUS, aliquandò BARUS, malè VERUS, natione Belga, patriâ Lovaniensis, Carmelita Bruxellensis, Doctor Theologus Lovaniensis, & Concionator egregius, obiisse dicitur Romæ anno 1579. Multa scripsit, quæ Civili in Belgio bello hæreticorum ex Iconoclastarum furore perierunt; sed à se visa fuisse testatur Petrus Lucius,

1. *In Epistolas D. Pauli ad Romanos Commentaria*, quæ olim asservabantur in Bibliothecâ Carmelitarum Bruxellensium, testibus Jacobo Lelong, *in Bibliothecâ Sacrâ*, *pag.* 637. *col.* 1. *A.* & Joanne Francisco Foppens, *in Bibliothecâ Belgicâ*, *pag.* 327. horum etiam meminit Fabianus Justinianus, *Lib. III. de sacrâ scripturâ*, *pag.* 547.

2. *In Decalogum Explicationem eruditam*, Mſ. Ibidem.

3. *Sermones de Sanctis.* Mſ. Ibidem.

De Gasparo Bero testimonia perhibent Franciscus Swertius,

G.

Swertios, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 264. Valerius Andreas, in *Bibliotheca Belgica:* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 618. Hippolytus Marraccius, *tomo* 1. *Bibliotheca Mariana.*

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 37. ubi vocatur *Jaspar Berus* à Lovanio, Conventûs Bruxellensis, Sacræ Theologiæ Doctor egregius, Græcè & Latinè peritus, disertus, & eloquens, qui paulo antè tumultum Belgicum, in Italiam præfugit, &c. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 414. Necrologium Bruxellense quod citat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 108. Daniel à Virgine Marià, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 106. *num.* 906. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1107. *num.* 3924. Joannes Bapt. de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad annum* 1249. *num.* 1. *pag.* 320. lineis penè ultimis.

XXIII.

GASPAR CORTES, natione Arago, patriâ Cæsar-Augustanus, Carmelita, Doctor Theologus, è linguâ Etruscâ in Hispanicam vertit *Ensem Orationis*, à Bernardino de Balbano, Ordinis Capucinorum composito. Cæsar-Augustæ, apud Petrum Tavanum, 1604. *in*-12°.

XXIV.

GASPAR COTTA, natione Lusitanus, patriâ Olyssiponensis, Carmelita, Theologus, & Concionator, edidit suo vulgari idiomate, *Sermonem* quem habuit die XVIII. Januarii. Ulysipone, in officina Dominici Lopez Rosæ, anno 1643. *in*-4°. Ludov. Jacob, *pag.* 108.

XXV.

GASPAR A JESU MARIA, Hispanus, Carmelita Discalceatus, in Castella nova natus, scripsit Hispano idiomate *Palladium Castellæ.* Matriti, an. 1609. *in*-4°. In illa Elucubratione perhibet originem, progressus ac miracula cujusdam Imaginis B. V. Mariæ in oppido *Illescas*, celebris, ut legitur in *Bibliotheca Carmelitar. Excalceat. p.* 183.

XXVI.

GASPAR A S. JOSEPH, Catalanus, Carmelita Discalceatus, elucubravit Opus inscriptum: *Cor Vulneratum quadraginta telis*, *in-folio.* Quod asservatur Mſ. in Conventibus de Reus, & Cardon. In isto Opere Autor describit Beatissimæ Virginis Mariæ dolores in Passione Filii sui.

XXVII.

GASPAR A S. JOSEPH, alter Carmelita Discalceatus, natione Arago, qui ex Juris Civilis Professore Valentino publico, Institutum Teresianum amplexus est, scripsit ante Religionis ingressum, *in leges Regni Aragoniæ Commentarium*, & obiit circà annum 1598. in Monasterio Logolladensi, ut refertur *Lib. VIII. Historiæ Generalis Reformationis S. Teresiæ*, *cap.* 28. *num* 5. per R. P. Franciscum à S. Maria scriptæ. Alius fuit GASPAR A S. JOSEPH, Hispanus, Prior Ocanensis anno 1652. & Pastranensis anno 1655. Alius etiam fuit GASPAR A S. JOSEPHO, Hispanus, Procuratoris Generalis socius, & Prior Damielensis anno 1635. in eadem Congregatione.

XXVIII.

GASPAR A S. MARIA, Granatensis, Carmelita Excalceatus, Hebraicæ ac Grecæ Linguæ peritissimus, scripsit Hispanè quoddam defensorium, quod prænotatur,

Apologia pro Patronatu S. Teresiæ in Hispaniarum Regnis. Barcinone 1630. Insuper elegantissimis carminibus respondet cuidam libello supplici, quem *Franciscus de Queredo* obtulit Regi Catholico, Patronatum S. Teresiæ satagens evertere; ut legitur, in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 183.

XXIX.

GASPAR A S. MARIA MAGD. DE PAZZIS, natione Belga, patriâ *Beringensis*, in seculo dictus BOAMANS, Carmelita antiquioris regularis observantiæ tenacissimus, Philosophiæ ac Theologiæ Professor eruditissimus, vir tum pietate tum doctrinâ conspicuus, edidit,

1. *Bonam praxim Confessariorum; sivè Methodum benè administrandi Pœnitentiæ Sacramentum.* Antuerpiæ anno 1703. Typis Cnobbarianis. Hoc opus omnium proborum calculo probatur.

2. *Tractatum de Opinione probabili*, *ejusque usu*, Asseleti, anno 1716.

Hæc leguntur in *Schedis Mſſ.* quas Bruxellis ad nos Aureliam mittere dignatus est benignè R. P. Illuminatus à S. Spiritu, anno 1741. die 13. Augusti.

XXX.

GASPAR A MATRE DEI, natione Belga, patriâ Tornacensis, Carmelita Excalceatus, obiit Montibus Hannoniæ, anno 1647. postquam ex Latino idiomate in Latinum transtulisset,

1. *Sententias Spirituales*, *ex Operibus S. Teresiæ & S. Joannis à Cruce excerptas*, *pro qualibet die & festivitate totius anni*, olim editas per Angelum à S. Joseph, Carmelitam Excalceatum, 1642.

2. Ex Hispano Sermone in Gallicum vertit *Prælatorum Regularium Consiliarium Spiritualem*, ab Alphonso de Jesu Mariâ compositum. Antuerpiæ, 1643. *in*-4°. Typis Verdussen.

3. Ejusdem Alphonsi donavit Gallico Sermone *Pericula & remedia perfectionis Religiosæ.* De Gasparo à Matre Dei loquuntur Daniel à Virgine Mariâ, *tomo.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1129. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 108. Martialis à S. Joanne Baptista, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 183.

XXXI.

GASPAR A S. MICHAELE, natione Ligur, patriâ Genuensis, Carmelita Excalceatus, Concionator & Theologus, scripsit *Sermones Dominicales*, *Festivales*, *Quadragesimales*, *& per Adventum.* An idem sit qui ex Hispano in Italicum idioma vertit & edidit *Tomum primum & secundum Historiæ Generalis Carmelitarum Excalceatorum* Congregationis Hispanicæ. Genuæ apud Petrum Calenzannum 1634. in-folio: quam quidem Versionem Italicam laudat Nicolaus Franciscus Haim, in *Bibliotheca Italica*, *pag.* 72. *n°.* 3. Non determinant quos de Gaspar à S. Michaele locutos reperii Scriptores. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Schedis Mſſ.* quas appellat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 108. Martialis à S. Joanne Baptista, in *Biblioth. Carmelit. Excalceatorum*, *pag.* 184. Isidorus, *tomo.* 3. *Annal. Lib. II. cap.* 34.

G.

XXXII.

GASPAR MUNSTERUS, natione Ubius, patriâ Coloniensis, & Carmelita ibidem professus, atque Doctor Theologus, Germaniæ inferioris Provincialis. Anno 1625. in Capitulo Generali Romæ celebrato instituitur Commissarius Generalis Provinciæ Saxoniæ, in effectum recuperandi dictæ Provinciæ Saxoniæ, Daciæ, Bohemiæ, Austriæ, Hungariæ, Coonventus deperditos, & ab hæreticis occupatos, datis amplissimis ad hoc munus literis per R. P. Mag. *Gregorium Canalium*, in his Comitiis Generalibus Priorem Generalem electum sub dato Romæ die 6. Julii 1625. Obtinuit insuper literas Apostolicas, quibus à S. Congregatione de *Propagandâ fide* destinabatur ad partes inferioris Saxoniæ, hæreseos veneno infectæ, Missionarius Apostolicus.

Hujusmodi literis tum sedis Apostolicæ, tum Cæsareæ Majestatis FERDINANDI II. sui Ordinis Principis Achimandrita aothenticis provisus & munitus, rem sibi commissam anno sequenti 1626. strenuè aggreditur, & dexterrimè exequitur, atque plurimos Conventus è manibus Acatholicorum Principum in suam & sui Ordinis recipit potestatem: totamque Saxoniæ Provinciam brevi tempore Ordini suo vindicasset, nisi *Adolphus Gustavus*, Rex Sueciæ ab Acatholicis Imperii Principibus contrà *Ferdinandum* Cæsarem excitus, cum potentissimo exercitu supervenisset, *Munsterique* nostri conatus ulteriores impedivisset, atque labores exantlatos reddidisset inutiles.

Postmodùm R. & Illustriss. Princeps *Franciscus Wilhelmus*, ex Comitibus de *Wartenburg*, Episcopus Osnabrugensis, illum in suum delegit Vicarium Generalem, pro Pontificalibus administrandis. Namqoe *Munsterus* electus est Episcopus *Aureliopolitanus*, in partibus infidelium; & institutus Suffraganeus Osnabrugensis ad exercenda Pontificalia in Civitate & Diœcesi Osnabrugensi, die XIII. Februarii; anno M. DCXXXI. consecrationis autem monus suscepit eodem anno, feriâ secundâ Paschatis Resurrectionis, in Cathedrali Templo Osnabrugensi. Obiit autem Coloniæ, anno 1654. die 4. Februarii. Edidit nonnulla Opera luce digna, quorum titulus est:

1. *Saxonia Ordinis Carmelitarum celeberrima Provincia ab hæreticis penitùs devastata, operâ & industriâ adm. Reverendi & eximii P. Magistri Gasparis Munsteri, ejusdem & aliarum Provinciarum Commissarii, & Visitatoris Generalis*, an. 1627. *ex eorumdem hæreticorum erepta, eidem Sacro Ordini strictioris observantiæ est restituta. Latinè.*

2. *Fraternum Consilium, quomodò à via veritatis seductæ oves ad Romanæ Ecclesiæ ovile per viam charitatis sint reducendæ.* Latinè. Antuerpiæ, anno 1635. apud Joannem Meursium, in-8°.

3. *De Episcopis Suffraganeis ac Pro-Episcopis opus* parabat; an sit in lucem editum, nescio.

Gasparem Munsterum laudibus celebrant Ægidius Gelenius, in *Syntagmate de Suffraganeis Coloniensibus*: & *Lib. III. de admirandâ sacrâ & civili magnitudine. Coloniæ Agrippinæ, Syntagmate* 43. §. 3. ubi *de viris claris Coloniensibus Ordinis Carmelitarum.* Joannes Baptista de Lezaoa, *tomo* 4. *Annal. ad annum* 1196. *pag.* 143. Ludovicus Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 209. Daniel à Virgine Mariâ, *in Vineâ Carmeli, pag.* 521. *num.* 930. Idem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 922. *num* 3222. Ibidem, *pag.* 1102. *num.* 3905. Damasus à S. Ludovico, in *Historia S. Ursulæ*

XXXIII.

GASPAR A S. NICOLAO, Genuensis Carmelita Excalceatus, circà annum 1600. edidit *Volumen Sermonum pro singulis Festis diebus Dei paræ Virginis*, in qoo pro qualibet festivitate Conciones, seu Sermones decemplices reperiuntur, ut excepsit ab *Appendice Bibliothecæ Marianæ* Hippoliti Marracii, Aogustinus Oldoinus, id referens in *Athenæo Ligustico, pag.* 222. & 223.

XXXIV.

GASPAR A S. PETRO, natione Bæticus, patriâ Granatensis, Excalceatus Carmelita, Pastranæ professus, in Lusitaniam anno Christi 1582. missus, magnum Concionatoris nomen sibi comparavit: deinde anno 1686. primus Vicarius Segobiensis fuit constitutus, tandem anno 1588. primus Prior Giennensis. Scripsit,

Sermoaum Librum.

De Illo mentionem habent Franciscus à S. Mariâ, *Lib. III. Historiæ Generalis Congregationis S. Teresiæ, cap.* 24. Ibidem, *Lib. V. cap.* 23. Ibidem, *Lib. VII. cap.* 5. Ibidem, *Lib. VIII. cap.* 5. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 109.

XXXV.

GASPAR PIZZOLANTI, (*) natione Siculus, Sacræ Theologiæ Magister, in Priorem Generalem Ordinis Carmelitarum antiquæ reregularis observantiæ fuit electus ad Comitia Generalia, *Romæ* celebrata anno 1722. & à summo Pontifice *Innocentio* XIII. paulò post in Visitatorem totius Ordinis ejosdem Apostolicum constitutus. Anno autem 1727. Episcopus *Cerviensis* sub Exarcharu Ravennatensi nominatus est à *Benedicto* XIII. cum potestate regendi suum Ordinem usque ad proximè futurum Capitulum Generale, quod *Ferrariæ* celebratum fuit anno 1728. die 6. Maii. Obiit anno 17... Scripsit Romæ in Conventu S. Mariæ Transpontinæ, die 21. Decembris 1726 Provincialibus, Vicariis Provincialibus, & Conventuum Prioribus immediatè sibi subditis,

Epistolam Pastoralem occasione duorum insignium beneficiorum, quibus Carmelum seu universum Carmelitarum Ordinem Benedictus XIII. decoravit anno 1725. & 1726. Horum primom est facultas erigendi statuam Eliæ Prophetæ in Basilica S. Petri Romæ, cum inscripto propriâ manu ipsius Pootificis Maximi isto titulo: *Sancto Eliæ, Fundatori suo, Religio Carmelitarum erexit.* Secundum est præceptum omnibus Clericis Religiosis & Monialibus, qui tenentur ad recitationem Breviarii Romani, impositum celebrandi die 16. Julii quotannis Officium Commemorationis B. V. Mariæ de Moute Carmeli, sub ritu duplici minori, cum recitatione Lectiònum secundi Nocturni, quas Carmelitæ hactenùs recitaverunt. Hæc autem R. P. Pixxolanti Epistola sic incipit, post titulum Auctoris dignitate conspicuum:

Quæ duo domesticorum atque exterorum consen-
» su semper habita sunt ornamenta Ordinis nostri
» clarissima, Origo videlicet, ac titulus, alter ab
» Eliâ Prophetarum maximo, altet à Virgine Dei
» Matre petitus, nunc demùm fratres charissimi, feli-
» cissimo hoc tempore, quo bona omnia unà cum
» Pastore optimo summum fastigium consecuta vi-
» dentur; eâ Religionis amplitudine, ac celebritate,
» loci sivè donata, sivè adaucta conspicimus, ut de-
» ficiente quæ diu exercoit Vota nostra materie,
» nec habentes jam quod nos tres causâ precemur,

(*) Vide Fastos Theologicos Universitatis Florentinæ, *pag.* 673.

G.

» quidquid, cordis, aut sensûs in nobis est, Benefactori clementissimo & publicæ felicitatis Authori rependere omnino debeamus.

» Nam Romani quidem sedes, ut præsidiom semper extitit firmissimum veritatis, postquam Majores nostros cœlesti monito ab Oriente profugos est benignè complexa, duplicem hanc Elianæ Partheniæque sobolis prærogativam, traditione Patrum ac temporum Successione celebrem, æmulationi verò, ut eximia quæque solent, obnoxiam non aut vindicare ab injuriâ, aut communire decretis, aut exornare privilegiis unquam desiit. Sed non ut summis Pontificibus qui præcessere quàm plurimis, & quorum memoriam nulla apud nos delebit oblivio, non satis fuit sanctissimo, munificentissimoque Domino nostro *Benedicto* XIII. Ordinis Mendicantium præclarissimi filio, singulorum verò qui hoc censentur nomine Patri amantissimo, Apostolicæ beneficentiæ fontes nobis identidem aperire; erupit tota simul, veluti superato aggere fluvius in humilem Carmeli familiam Pontificiæ Majestatis dignatio, seseque lætissimè quacumque lucet Catholica Veritas, altissimè verò usque ad culmina Sanctuarii toto terrarum orbe celeberrimi derivavit. Et ecce in Vaticanâ Principis Apostolorum Basilicâ, Inter Sanctissimos Religiosorum Ordinum Patres, sua tandem constat Prophetæ nostro diu spectata sedes, erecto simulacro, pro loci majestate spectando, inscriptoque fundatoris elogio monomentis marmore & ære suo perennioribus, quibus meliorem æternitatis fidem immortale fecit Benedicti nomen, & authoritas nemini violanda mortalium.

» Ecce & solemnem Dei Virginis Carmelitanæ cultum, hactenus quidem Regnis, Provinciisque plurimis adopratum, nunc verò Romanis quoque Fastis inscriptum, Urbe primùm, mox Orbe universo in clientelam conscripto; ut Carmeli decorem (quem nemo reprehendat, quod Virginem ipsam interpretemur) sola hæc nostra tempora, atque unus tandem Ecclesiæ Sponsæ Benedictus, juxtà Isaiæ literam dedisse quodammodò videatur.

» Hujusmodi autem benefactorum amplitudinem ut pro dignitate æstimemus, non ita nobis spectanda sunt, tanquam aliis Ordinibus communia, sanctissimis utique ac celeberrimis; habet enim nescio quid vuglare communitas etiam in rebus magnis: sed quantùm indè cœtui nostro decus accesserit, quæve annalibus nostris auctoritas, nobis deniquè S. Nobilitatis & paternæ & maternæ gloriæ, si liceat ita loqui, securitas, reputandum est. Quamobrem fateamur, dilectissimi in Christo, & quæ hactenus in nos contulerunt Romani Pontifices, Honorii imprimis, Joannis, Urbani, Sixti, Gregorii magna esse ac fore semper antiquitatis nostræ monumenta firmissima, & quæ duo nuper contulit beatissimus, ac nunquam memorandus nobis sinè laude & amore Benedictus, illa omnia cumulatè complecti, eorumque magnitudinem, veloti si flumina Occeano comparentur excedere.

» Verum, ne hoc quidquid officii est, ambitioni vertatur, & Invidiam nobis ipsa acceptorum æstimatione consiemus, juverit exuberantem animi gratiam, stylumque gliscentem comprimere; & cujus rei causâ hæc vobiscum commemoravimus, postquam toto nedum Carmelo, sed & orbe jam pridem vulgatum est, alterum decreto in lucem edito noper vulgari cœpit, palam efferre atque enuentiare. Itaque considerantibus nobis præsentem Ecclesiæ felicitatem & Religiosi nominis decus, quorum bonorum author ac dispensator benevolentissimus, non minimâ nos parte donatos voluit, una hæc in mentem venit testandi grati animi ratio, fortunæ nostræ ac tempori accomoda; si nimirum fusis ad Deum precibus, quo nunc res Christianæ sunt loco, ut quam diù stent maximè connitamur. Neque enim aliud requirit aut patitur donantis conditio Deo proxima, & inopiæ simul ac verecundiæ nostræ consulimus tùm prætento boni publici studio, tum communione ipsâ votorum. Quapropter, &c. »

XXXVI.

GASPAR DOS REIS, Lusitanus, ex oppido *Torres novas*, Diœcesis Olyssiponensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister, Portugalliæ Provinciæ Præfectus XXIX. Aprilis M. DLI. & priùs Commissarius Generalis die V. Augusti M. DCXL. Opera duo edidit, scilicet,

Lucernæ Prædicatorum tomom primum. Ullissipone, apud Paulum Craesbeck 1658. Meminit Georgius Cardosus, in *Agiologio Lusitano* die XII. Maii, *pag.* 216.

Alterum hujus *Lucernæ* volomen in Bibliotheca Cœnobii Ulissiponensis servatur Ms. teste Nicolao Antonio, *tomo* 2. *Bibliotheca Scriptorum Hispaniæ*, *pag.* 325. Nomen hujus Gasparis dat Daniel à Virgino Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1080.

XXXVII.

GASPAR A RESURRECTIONE, natione Hispanus, Excalceatus Carmelita, scripsit *Epigrammata nonnulla Latina*, quorum unum legitur Mantuæ Carpentanorum in honorem S. Teresiæ, aureis literis, in Sacello Teresiano inscriptum; uti refert Franciscus a S. Mariâ, *tomo* 2. *Historiæ Generalis Reformationis S. Teresiæ Lib. VII. cap.* 4. Et hujus meminit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 109.

XXXVIII.

GASPAR RINCKENS, natione Belga, Prior Carmeli Antuerpiensis, Baccalaureus Theologus, scripsit librum *de Antiquitate Ordinis B. Mariæ de Monte Carmeli, à S. Eliâ fundati*, Typis editum, anno 1621.

Is tanquam verus Pastor suis ministrans peste Infectis, & indè anno 1625. ploribus subiatis, ipse die 3. Octobris istis adjunctus fuit, ut legitur *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* MCXI. *num.* 3936.

Hujus meminerunt Antonius Sanderus, in *Descriptione Carmeli Antuerpiensis*, *cap.* 5. Codex seu Catalogus Ms. *Quorumdam Scriptorum Carmelitarum Germaniæ nationis sub Albertina Regula clarescentium*; quem citat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 109. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 323. *num.* 1320.

XXXIX.

GASPAR A SS. SACRAMENTO, Lugduni quidem in Gallia natus, sed in Hispania inter Carmelitas Excalceatos Pastranæ professus, plus adolevit scientiâ quam creverit ætate: vix enim juvenis, curricula Philosophiæ, & Theologiæ perfecerat, cum

Elogium S. Joseph transtulit in Hispanam linguam, editum anno 1683. *in*-8°.

In Genesim Commentaria Typographiam salutabant; sed morte præventus occubuit, teste Martiali à S. Joanne Baptistâ, in *Bibliatheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 184.

G.

X L.

GAUDENTIUS ROBERTUS DE PARMA, Mantuanæ Congregationis Carmelita, politiori literaturâ excultus, ditissimâ selectorum lectiooe librorum exornatus, cum viris ætatis suæ peritis Philologis potissimùm intimæ vinculo amicitiæ junctus, multiplicis eruditionis gazâ oppletus, & Theologus electus Serenissimi Dom. Ducis Rainuccii Farnesii, cujus insignem Bibliothecam variis libris undique quæsitis multum ampliavit, ultima solvit fata in Parmensi Carmelo, anno 1695. die 7. Maii, ætatis suæ 40. postquam Opera cum Italicè tum Latioè dedisset jori publico inscripta:

1. *Oratia de laudibus Sancti Andreæ Corsini*, Italicè, cui titulus est: *Il sole vagheggiato d'all'Aquila* sive *vehemens Aquila in solem desiderium.* Bresciæ, 1678. *in-8°*.

2. *Oratia de laudibus Reipublicæ Lucensis*, in Comitiis Generalibus, an. 1688. celebratis.

3. *Oratio Sancti Giorolami de Parme.* Ibidem, anno 1679. *in-4°*.

4°. *Miscellanea Icanum virorum diversis in generibus & disciplinis illustriam.* Tomis 17. Parmæ, anno 1690. *in-4°* Inter illa Miscellanea reperitur *Tractatus de Comitata Masiani*, scriptus à Petro Azario, Notario Novariensi, qui floruit anno 1390. sicut animadvertit Joannes Albertus Fabricius, *tomo 5. Bibiothecæ mediæ & insimæ Latinatis*, *pag.* 725.

5. *Giornale dè Letterati*, *ab anno* 1686. 1. vol. *in-4°*. Parmæ an. 1690. Hujus Diarii genuinus Aoctor & subseqoentium voluminum fuis Benedictus Bacchini, qui nomine oostri Gaudentii Roberti volumen primum decorare voloit; quia & collectiones è libris desumptas, & impressionis sumptus à Roberto nostro accipiebar, favente munificentiâ & liberalitate Serenissimi Dom. Ducis Farnesii Rainuccii.

6. *Sacrum Musæum Virorum illustrium Congregationis Mantuanæ*, à Clemente Maria Felina, hujus Congregationis Vicario Generali compositum, edi curavit Bononiæ 1691. *in-4°*. Gaudentium Roberti Parmensem celebrant & laudant Joannes Albertus Fabricius, *tomo 5. Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis*, *pag.* 725. *citatâ*: Joannes Petrus Niceron, *tomo* 12. *suarum Memoriarum*, *pag.* 264. N. Googet, in *Supplemento Dictionarii Moreriani* 1735. *toma* 1. *pag.* 79. Carolus Vaghus, in sois *Commentariis*, *pag.* 266. Auctor anonymus Operis Gallicè inscripti: *Mémoires sur divers genres de Litterature & d'Histoire*, *&c.* A Paris, chez la Veuve Lefebvre 1722. *in*-12. *parte* 2. *pag.* 21. Elias de Amato, Carmelita Montaltinus, in suis *Schedis Mss. an.* 2748. datis.

X L I.

GAVINUS CATTAYNA, Sardus, *Sassari*, sub mense Novembris, anno 1608. ex honorata civica familia natus est, parentibus *Paulo Cattayna*, & *Maria Angela Verde*: Baptisatus die 21. ejosdem mensis & anni. Professionem in Carmelo Calaritano in eadem insula emisit anno 1625. die 13. Julii. Ex patriâ in Hispaniam venit atque *Hispali* in Collegio *D. Alberti* operam Theologiæ dedit. Posteà ad Urbem accessit, & in Conventu *Prænestino* Philosophiam suis sodalibus legit: Laureatus posteà S. Theologiæ Magister, institutus fuit primus *Sardiniæ* Provincialis anno 1641. cum antea Vicaria duntaxat, non Provincia esset *Sardiniæ* Conventuum collectio. Sub ejus regimine noo parvum suscepit incrementum Carmelitana Sardoa Familia, tum quoad doctrinam, tum etiam quoad nomen & famam. In eodem Regno, Consultoris S. Inquisitionis munus subivit. Iterùm Romam reversos, Transpontinom Cœnobium Prior gubernavit, à Secretis sui R. Prioris Generalis, pro Hispaniarum Provinciis diù extitit.

Assumptus dein ex nominatione Regis Catholici *Philippi* IV. in Antistitem, *Romæ* præsens creatur Episcopus *Basanensis* in Sardiniâ, non longè à patriâ urbe, die 26. Novembris 1663. consecratus fuit die ultimâ ejusdem mensis, in Ecclesia Transpontina sui Ordinis, per manus *Benedicti Odescalchi.* In patriam ad Ecclesiam suam progressus, totam Bosanensem Diœcesim perlustravit, atque post absolutam Visitationem, Synodum *Bosæ* solemniter celebravit anno 1671. Instituitur Apostolicus Inquisitor in toto Sardiniæ Regno. Tandem ex nominatione Regis Catholici *Caroli II.* ad sedem patriæ sublimatus, creatur Archiepiscopus *Tarritanas* (sic enim Latinè Præsul *Sassari* residens, nuncupatur, sicut & Primas *Sardiniæ*) die 16. Novembris 1671. Pallium Archiepiscopale suscepit *Turribus*, in antiquiori suâ Ecclesiâ Cathedrali; die 25. Maii 1672. per manus *Joan. Gregorii Ardizoni*, Episcopi *Adjacensis* in Corsica. Eodem anno die 17. Januarii 1672. in patriam & sedem suam, Pontificali eoque solemnissimo rito, introductus fuerat, quinque amplissimis Juratis, qui Magistratum Urbicum ibi constituunt; aliisque viris, ex primariâ nobilitate, reverentiæ & observantiæ causâ, virgas, unbellam holosericam sustinentes, deferentibos. Obiit post annum 1676. Edidit, *Acta Synodi Bosanensis*, *anno* 1665. *celebratæ.* Sassari, anno 1666. uti legitur *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 922. *col.* 2. *num.* 3222. *lineâ* 28.

X L I I.

GENESIUS ROSANUS, natione Longobardus, patriâ Cremonensis, aliis Mediolanensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac publicus Professor in Academia Ticinensi, obi eximios habuit discipulos, inter quos non infimum locum tenet *Henricus Silvius*, qui totius Ordinis Carmelitani supremas postea texit habenas. Rosanus autem summo præpollens ingenio, ad Oratoriam facultatem animum quoque convertit, & pluribus in locis Conciones habuit laudatissimas, præsertim in oppido *Angleriæ vulgò Angliera* in Ducatu Mediolanensi; ubi cum Apostolico fungeretur ministerio anno salutis 1556. inter Auditores suos Sanctum *Carolam Borramæum*, tunc adolescentem, oumerare metuit.

Poesim etiam coluit, cojus specimen optimum dedit, cum *Joannes Angelus Mediceus*, eâ tempestate Cardinalis, ac postmodùm summus Pontifex *Pius IV.* nuncupatus, & anno 1559. electus, Româ *Mediolanum* se contulit. Nam ubi *Melignanum* (Gallicè *Marignan*) pervenit, eò Sanctus *Carolus* tunc in Archigymnasio Ticinensi legibus vacans, Avonculi sui invisendi gratiâ convolavit. *Rosanus* interim Rythmum quemdam in utriusque commendationem composuit, eisque obtulit, in cujus postremo versu Mediceo Pontificatum, *Barromæo* sacram purpuram quasi vaticinans prædixit. Anno 1564. iotersuit Comitiis Generalibus Romæ habitis, in quibus *Jaannes Baptista Rubens*, Ravennas renunciatus, fuit Prior Generalis Carmelitarom, & Orationem publicè dixit *Rosanus*, cujus ulteriora gesta desideramus, & scripta Opera solummodò novimus, quæ titulum habent,

1. *Rythmus in laudem Joannis Angeli Medicei*, *Cardinalis*, *& Caroli Borromæi*, anno 1559.

2. *Oratio habita in Comitiis Romæ celebratis anno* 1564. *die* 20. *Maii*, Romæ edita eodem anno, typis

tipis Antonii Bladi, *in-4°.* S. Carolo Borromæo nuncupata, in qua *Encomiam Ordinis* sui celebrat.

3. *Concio de Catenus Mundi*, R. P. Innocentio à Cruce, Carthusiæ Papiensi Priori dicata, edita Ticini, apud Hieronymum Bartholum, anno 1567. *in-8°.* Italicè.

In Epistola autem ad Carolum Borromæum Cardinalem & Ordinis Carmelitani Protectorem nuncupatoria, hæc verba notanda occurrunt: « Cum annis » ferè octo Angleriæ apud omnium eximiarum vir- » tutum ac sanctæ pudicitiæ verè coronam nobilissi- » mam & clarissimam tuam Matrem concionarer, » Reverendissime Præsul, ibique in te viderem diutur- » nam quandam sitim, & inexaustam cœlestis Evangelii » cupiditatem, quod plerique nostræ miserrimæ æta- » tis adolescentuli planè negligere videntur, quo- » dam bono mentis meæ præsagio nescio quid magni » ac præclari de te cœpi benè augurari, &c. »

Genesium Rosanum celebrant Hieronimus Rubens, Medicus Ravennas, *Lib. X. Historiæ Ravennatis, anno 1564.* Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro, tomo 1. pag. 623.* Franciscus Voërsius, in *vita Henrici Silvii*: Emmanuel Roman, *Lib. de Scriptor. Ordin. Carmelit.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag. 405. 409. & 432.* ubi perperam tres Genesios Rosanos assignat. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Mss. pag. 109.* Paulus ab omnibus Sanctis, *ad caput 7. Auberti Miræi, de Origine & Incrementis Carmelitarum, pag. 217.* Daniel à Virgine Mariâ, *tomo 1. Speculi Carmelitani, pag. 323. num. 1320.*

XLIII.

GEORGIUS, corruptè PETRUS COLONGUE, natione Occitanus, Patriâ Tolosanus, Carmelita Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, ibidemque Prior Provinciæ suæ Tolosanæ Provincialis, anno 1637. defunctus, die 29. Novembris, edidit Gallicè,

1. *Praxim Spiritualem animæ devotæ*: ad Marcum de Calviere, Præsidem Tolosanum, nuncupatam. Tolosæ, apud Petrum d'Estey, 1633.

2. *De Confraternitate Scapularis B. V. Mariæ de Monte Carmelo*, Librum. Tolosæ, 1633. typis Petri d'Estey.

De illo mentionem habent Hippolitus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag. 10.*

XLIV.

GEORGIUS DURANDUS, Hispanus Carmelita, edidit idiomate Hispanico circà annum 1516. *Sermonem*, quem habuit *in Beatificatione S. Teresiæ*, legitur in Collectione sermonum pro ejusdem Solemnitate, quos typis mandavit Josephus à Jesu Mariâ, Carmelita Excalceatus, ut animadvertit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag. 110.*

XLV.

GEORGIUS DE NOVO FORO, natione Ubius, patriâ Coloniensis, Carmelita, Prior Thenensis in Brabantia, deinde Wormatiensis ad Rhenum, scripsit circa annum 1390.

1. *De Beneficiis Christi*, Lib. I. qui asservatur Ms. in Bibliotheca Carmelit. Boppardiæ.

2. *In Orationem Dominicam & Symbolum Apostolorum*, Lib. I. qui ibid. Ms. servatur. Id referunt Jacobus Miledunck, Boppardiæ Prior, & Germaniæ superioris Prior Provincialis, *in Historia Mss. Provinciæ Carmelitanæ Allemaniæ*: Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mss. pag. 110.* Daniel à Virgine Mariâ, *tom. 2. speculi Carmelitani, pag. 1096. num. 3879.*

XLVI.

GEORGIUS A REGINA ANGELORUM, Germanus Carmelita, antiquæ regularis observantiæ, Sacræ Thologiæ Professor, ac Coloniensis Prior, atque Provinciæ Germaniæ inferioris Præfectus, Concionator quoque egregius, edidit,

1. *Conciones aliquot pro* Festo Commemorationis solemnis B. V. Mariæ de Monte Carmelo, *de sacro Scapulari.* Coloniæ, apud Joannem Busæum, 1660. *in-4°.*

2. *Fœdus Marianum.* Ibidem. *in-8°.*

3. *Sermones Christophori de Avendagno*, Carmelitæ Hispani, qui titulo inscribuntur: *Aurea Corona Sanctaarii*, sive *Sermones verè aurei in præcipuis totius anni festivitatibus*: hos inquam Sermones *Latinos fecit* ex idiomate hispano, & typis commisit Coloniæ, anno 1660. apud Joannem Busæum, *in-4°.* & iis adjecit suas *Conciones de sacro Scapulari.*

Georgium a Reginâ Angelorum commendant Nicolaus Antonius, *tomo 1. Biblioth. Scriptorum Hispaniæ, pag. 183.* Ludovicus Jacob, in *scheda Mss.* apposita ad *paginam 110.* suæ *Bibliothecæ Carmelit. Mss.* Daniel à Virgine Mariâ, *tomo. 2. speculi Carmelitani pag. 478. num. 854* Ludovicus Perez à Castro, in sua *Bibliotheca Carmelitana Mss. folio 126.*

XLVII.

GEORGIUS REGNART, Nannetensis Carmelita, ad multigenam scientiam paremque virtutem, eum animum à teneris annis applicuisset, Theologiæ Laureani in ejusdem Urbis Academiâ brevi est assecutus, & inter Concionatores ætatis suæ famosiores accenseri promeruit. Anno 1543. die 22. Julii, in Comitiis Provincialibus apud Armoricos *Ploërmeli* celebratis, electus est in suæ Provinciæ Turoniæ Præfectum, & magno suorum sodalium luctu desiit vivere anno 1546. postquam eodem anno in Capitulo Juliodunensi condidisset atque promulgasset,

1. *Statuta pro studiis in Provinciâ sudaugendis, proque Studentibus dirigendis.*

2. *Decreta ad perfectam Constitutionum observantiam conducentia.*

De illo loquuntur Maturinus Aubron, in *Annalibus Mss. Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*: Cyrillus Penneet, in *Gymnasio Carmelitico Mss. ad annum 1546.* Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Catalogo Mss. Provincialium Provinciæ Turoniæ, pag. 9.* Idem, in *Encomio brevi Mss. Carmelitarum Illustrium ejusdem Provinciæ Turoniæ, pag. 8.*

XLVIII.

GEORGIUS RIPLAIUS, natione Anglus, patriâ *Brindlingtonensis*, in Agro Eboracensi, auctoritate *Innocentii VIII.* ab Ordine S. Augustini, cujus Canonicus Regularis fuerat absolutus, apud *Sanctum Botulphum* in Carmelitarum Cœnobio, & Cella inclusus, Anachoreticæ reliquos vitæ suæ dies exegit. Erat Poëta, Rethor, Mathematicus insignis, omnium liberalium artium peritus, in omni Philosophiæ genere versatus, Theolo-

G.

gus etiam non vulgaris. Totam ferè suam ætatem in perscrutandis rerum naturalium occultis & abstrusis causis consumens, Lelando teste, Galliam, Germaniam, & Italiam strenuè peragravit; & semper aliquid, vel scripsit, vel didicit, vel docuit. Sed tandem, ut penitùs mundo valediceret, & se totum Deo, Studiisque Sacris, rerumque cœlestium meditationi consecraret, prædictam sancti Botulphi Ordinis Carmelitatum Cellam eligit, ubi vivere desiit, anno M. CCCCXC. Scripsit antequam Carmelitanam ingrederectur solitudinem plurima Opera, quæ facilè distingui & secerni non possunt abiis quæ Scriptor Carmelita mandavit. Hæc sunt quæ noscuntur,

1. *De Compassione B. V. Mariæ*, Lib. I. Ad Archiepiscopum Eboracensem nuncupatus. Incipit: *Gaudia præclara Cælitua præst.*

2. *Vita S. Botulphi Abbatis*, Lib. II.

3. *Vita S. Joannis Bridlingtoni*, Lib. II. Incipit: *Sacratissimæ recordationis Joan.*

4. *Theorica* Lib. I. Incipit: *Requiram primùm mi Domine pro.*

5. *Dialogorum Liber singularis.*

6. *Dictata Ægri*, Lib. I. Incipit: *Multipliciter Philosophi loquebantur.*

7. *Practica cæremonialis*, Lib. II. Incipit: *Locuti sumus de doctrinâ figurn.* Cassellis, 1649. *in*-12.

8. *Concordiæ Guidonis & Raymundi* Lib. I. Incipit: *Asserit Raymundus de lapidis ferm.* Cassellis, per Jacobum Gentschium, 1649. *in*-24.

9. *De lapide Philosophico*, seu *Mercurio Philosophorum* Tractatus Rithmicus, Latinè. Lugduni-Batavorum, 1599. Typis Raphereng ii, *in*-8°. Item Argentorati, 1613. *in*-8°. Apud Lazarum Zatznerum, Volum. 2. Theatri Chimici.

10. *Alchimistarum mysteria.* Lib. I. Incipit: *Dum Sol in Ariete Phæbusque lucet.*

11. *Compendium Alchimiæ*, Lib. II. Incipit: *Exordium hic cæpit Alchimiæ.* Extat in Bibliothecâ Lumtecana Anglicana.

12. *Secreta Philosophorum*, Lib. I.

13. *Pupilla Alchimiæ*, Lib. I. Cassellis, 1649. *in*-12.

14. *Medulla Alchimiæ scripta Latinè per Georgium Ripley, Canonicum Bridlingtonensem, anno* 1476. *Translata Anglicè per Davidem Wbytead anno* 1553. Extat Latinus Codex Ms. Londini in Bibliothecâ Sionensi. Prodiit Francofurti apud Joannem Bringerum, 1614. *in*-8°. cum Opusculis quibusdam Chimicis editis. Prodiit etiam Gallicè.

15. *Castellum duodecim Portarum* Lib. I. Incipit: *Lux incomprehensibilis, & mal.* Codex Mf. extat Londini in Bibliothecâ Sionensi, nec-non in Bibliotheca Parisiensi S. Germani de Pratis; ut asserit R. P. Dom. Bernardus de Montfaucon, in *Biblioth. Bibliothecarum Manuscriptorum*, *pag.* 1113. *col.* 2. *A. Codice* 1016. & 1183. Prodiit autem in *Quadriga Aurifera*, à Nicolao Bernando Delphinate, edita Lugduni-Batavorum, in Officioa Raphelengiana, 1599. *in*-8°. Prodiit insuper *Volumine* 2. *Theatri Chimici*, quod editum est Argentorati apud Lazarum Zetznerum, 1613. *in*-8°. *pag.* 114. Ibidem reperitur hujus Libri *duodecim portarum Epitome*, à Bernardo G. Pennoto à Portu S. Mariæ Aquitano, duobus modis concinnata.

16. *De regimine ignium Philosophorum & quibusdam probatissimis Experimentis.*

17. *De Possibilitate scientiæ lapidis Philosophici.*

18. *Georgii Ripley Cantilenæ*, 12. 13. 18.

19. *Alia plurima Chimica* quotquot hactenos visa sunt ex Mff. curis Ludovici Combachii, Medici Hassii. Prodierunt Cassellis typis Jacobi Gentschii, 1640. *in*-12. Codices autem. Mff. extant in *Bibliotheca Bodlejana* inter Codices Amoleanis; videlicet 7577. 7591. 7601. 7608. 7619. &c. Constat ex Catalogo Codicum Manuscriptorum hujus Bibliothecæ, qui anno 1698. Oxonii impressus est in folio ex Theatro Scheldioniano.

De Georgii *Ripley*, *Riplæi*, *Riphai* laudibus & scriptis tractant; Joannes Lelandus, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*: Joannes Balæus, *Ibidem*, *Cent. XI.* Joannes Pitseus, *Ibidem.* Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali*: Gerardus Joannes Vossius, *Lib. III. de Historicis Latinis*, *cap.* 9. *pag.* Joannes Antonides Vander Linden *Lib. I. de Scriptis Medicis.* Petrus Borellus, in *Bibliotheca Chimica*, *pag.* 198. Hippolitus Marraccius, *tomo* 1. *Bibliotheca Marianæ.* Casimirus Oudin, *tomo* 3. *Commentariorum, de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *pag.* 2672. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad an.* 1490. *num.* 4. *pag.* 974. Cyrillus Penneĉt, in *Gymnasio Carmelitico Mf. ad annum eundem* 1490. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 110.

XLIX.

GEORGIUS SERAPHINUS (SERAPHINUS GEORGIUS nuncupatus) Lucensis Carmelita Congregationis Mantuanæ alumnus, Sacræ Theologiæ Magister, & Regens Bononiæ, atque in patria Prior, necnon Examinator Synodalis, & quondam Ferrariæ S. Inquisitionis Tribulanis Consultor, scripsit Italicè,

1. *Pro institutione Pœnitentium.* Bononiæ 1647.

2. *De Confraternitate sacri Scapularis.* Lucæ 1664. & anteà 1640. *Lib. I.* Quem appellat Joannes Baptista de Lezana, in Tractatu de *Mariâ Patronâ*, *cap.* 9. citato *tomo* 1. *Speculi Carmel*, *pag.* 458. *num.* 1787. Ibidem, *tomo* 2. *pag.* 1072. *num.* 3737. Ludovicus Jacob; in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 385. Vivebat etiam noster Gregorius, anno 1677. Vide inferius, *tomo* 2. *col.* 731.

L.

GEORGIUS SEBENICENSIS, Dalmata, ab Urbe cognomine *Sebenico*, Carmelita, S. Theologiæ Magister, & Cœnobii Veneti alumnus, & Prior, ubi & obiit annno 1676. scripsit Latinè

Novam Concordiam divinæ prædestinationis cum voluntate voluntatis creatæ. Venetiis 1665. *in*-12. Ità legitur, *tomo* 2. *Spec. Carmelitani*, *pag.* 1072. *num.* 3737. ubi vocatur GREGORIUS.

LI.

GEORGIUS VERCELLONIUS, Mediolanensis, in Congregatione Carmelitarum Mantuanâ florere cepit inclinante seculo decimo-sexto, quo nomem Philosophi, Theologi & Oratoris singularis atqoe egregii magnum sibi nomen comparavit. Laureâ Magistrali *Bononiæ* decoratus, sois sodalibus plurimùm profuit, munere Professoris ibidem ei collato. Alias suæ Religionis dignitates successivè obtinuit anoo 1579. scilicet Pioris in Patria, Taurini & Bononiæ, necnon Definitoris. Anno 1581. nomine R. P. *Lucreti Manfredini*, suæ Congregationis Vicarii Generalis, à R. *Francisco Simonetta* Commendatario, possessionem recepit Abbatiæ *Sancti Barnabæ de Grato-folio* sen *Grato-folo* in Mediolanensi Diœcesi, non longè ab urbe, viâ Vicinensi. Sed Carmelitæ post decem & octo annos, eundem locum dereliquerunt, ibi nunc habitantibus fratribus Tertii Ordinis S. Francisci.

Ipse verò Vercellonius anno 1590. in Vicarium Generalem electus est, & ex Decreto Illustrissimi

G.

ac Reverendis. Dom. *Dominici* S. R. E. Cardinalis *Pinelli*, Ordinis totius Carmelitani Protectoris dato die 27. Martii 1593. invitatus est ad Comitia Generalia eum duobus sociis, sicut ipse postulaverat, cum anteà unus solummodò socius concederetur Vicario Generali Congregationis Mantuanæ. Dum fames sævissima totam fere Italiam premebat, nonnullis suorum Religiosorum Monasteriis pecuniam ad commeatus comparandos suppeditari euravit. Anno 1596. Turrim Ecclesiæ S. Joannis ad Concham sui Cœnobii altiùs extollendam suis sumptibus à Religione concessis, id est mille & ultrà aureorum nummis, instituit. Argenteis candelabris affabrè laboratis idem Templum ditavit. Anno 1709. adhuc in vivis erat, & Cœnobii ampliationem, ac Templi sui decorem augendum enisè curabat. Non diu post ad plores abiit, literati, piique viri illustre nomen adeptus. Scripsit,

1. *Lezioni cinquanta sopra la sacra scriptura.* Codex manuscriptus *in*-4°. magnæ molis extat in Bibliotheca Carmelitarum Mediolanensium S. Joannis ad Concham.

2. *Libellum supplicem ad Cardinalem Dominicum Pinelli*, pro secundo socio Vicarii Generalis Congregationis Matuanæ, ad Comitia totius Ordinis Carmelitani ituro. Hujus libelli supplicis mentio habetur in Decreto ejusdem Pinelli, quod prodiit *Tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 263.

3. *Libellum Supplicem ad Clementem VIII.* Pontificem Maximum, pro obtinenda prorogatione Capituli Congregationis Mantuanæ ad aliquot dies, ut gremiales prædicationibus incumbentes interesse valerent; sicuti refertur in Bulla ejusdem Papæ datâ die 31. Martii 1693. & prodiit *Tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 164.

Celebrem Gregorii Vercellonii mentionem habent *Necrologiam Carmelitarum Mediolanensium S.* Joannis ad Concham: Joseph Falco, in *Chronico Ordinis Carmelitani*: Joannes Baptista, in *Relatione Ms. de Conventibus Carmelitarum Congregationis Mantuanæ*: Clemens Maria Felina, in *Musæa ejusdem Congregationis*, *pag.* 73. Carolus Vaghus, in *Commentario fratrum & sororum ejusdem Congregationis*, *pag.* 333. Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 1585. *num.* 1768. Petrus Lucius, in *Catalogo Vicariorum Generalium Congregationis Mantuanæ.* Marcus-Antonius, Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 433.

LII.

GERARDUS DE BONONIA, sic à Patriâ cognominatus, natione Italus, Carmelita in divinis scripturis eruditissimus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, non minus conversatione quàm scientiâ venerandus. Doctor Theologus Parisiensis, ibidemque apud suos sacræ Theologiæ Professor; deindè totius Ordinis sui Magister: Prior Generalis, *Brugis* Flandrorum anno 1297. post Raymundi de Insulis cessionem voluntariam, omnium votis electus. Hujus tempore nempè anno 1298. prodiit Decretum Concilii secundi Lugdunensis, die 5. Maii quod incipit: *Religionum diversitatem nimiam &c.* quo declaratur quod *Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum Ordines, quorum Institutio Concilium Generale* Lugdunense *primum præcessit*, *in solido statu* permanere debet. Verùm paulò post ad tutiorem tutelam seu meliorem vitam migravit Gerardus, obiens Avenione, die 17. Aprilis ejusdem anni 1317. post viginti annos regiminis; ibique sepultus. Scripsit,

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*: quæ prodierunt Venetiis, anno 1622. in folio, curante Leonardo Priulo, Carmelitâ Veneto.

2. *Quæstiones ordinarias*, quas Parisiis disputavit. Lib. I.

3. *Quodlibeta varia*, Lib. I. incipit: *Quærebantur quædam &c.*

4. *Sermones de Sanctis*, Lib. II.

5. *Sermones Dominicales* seu de *Tempore* Lib. I.

6. *Sermones Quadragesimales*, Lib. II.

7. *Sermones per Adventum*, Lib. I.

8. *Sermones Mariales*, Lib I. ut conjicitur ex *Bibliothecâ Marianâ* Hippolyti Marraccii.

9. *Vitas Sanctorum Patrum*, prout legitur in *Bibliotheca Bononiensi* Joannis-Antonii Bumaldi.

10. *Vitam S. Patronii*, *Episcopi Bononiensis.*

11. *Summam Theologiæ notabilem* incœperat; sed morte præventus, absolvere nequit. Dicitur extare Ms. in Bibliotheca Carmelitarum Bononiæ.

Gerardum de Bononiâ commendant summi Pontifices, Bonifacius VIII. in *Brevi Apostolico*, ad annum 1299. *pro concessione Ecclesiæ SS. Sylvestri & Martini in Montibus*, cujus ipse Bonifacius habuerat Titulum dum esset Cardinalis; ut legitur in *Bullario Carmelitarum*, *tomo* 1. *pag.* 52. Clemens V. in convocatione ad Concilium Viennense Gerardo significata, ut *ibidem* legitur, *pag.* 542. Joannes XXII. in Constitutione quâ Ordo Carmelitarum assumitur in jus & proprietatem Sedis Apostolicæ; quæ in eodem *Bullario* legitur, *pag.* 57. Berengarius Fredoli, Biterrensis Episcopus, & S. R. E. Cardinalis à Clemente V. creatus anno 1305. aut 1306. & Episcopus Tusculanensis, in Epistola quam ad Capitulum Carmelitarum Generale Londini anno 1312. habitum, scripsit; hæc habet:

» Religiosus vir frater Gerardus de Bononiâ,
» Prior Generalis ejusdem Ordinis, sacræ Theologiæ
» Magister, modernis diebus apud Sedem Apostoli-
» cam constitutus, apertis thesauris suæ grandis
» scientiæ, sic in conspectu Domini nostri summi
» Pontificis, & fratrum suorum multiplicium odo-
» rositate virtutum redoluit, morum quoque can-
» dore, ac consilii maturitate complacuit: Quod
» ab multimodis scientiarum fluentis, quæ de suo
» pectore, velut de promptuario pleno fluunt, ab
» ipso Domino nostro, & fratribus suis in reputa-
» tione non modicâ, & pro uno de mundi hujus li-
» teratis elegantioribus reputatur, & ab illis quasi
» vasculum plenum aromatibus est dilectus. &c.

Hæc Epistola prodiit in *Speculo Ordinis Carmelitarum Venetiis edito*, *anno* 1507. *folio* 83. verso; & citatur à clarissimo & eruditissimo Dom. Stephano Baluzio, in *Notis ad vitas Paparum Avenionensium*, *tomo* 1. *pag.* 635. *lin.* 18. atque etiam legitur apud Lezanam, *tomo* 4. *Annalium*, *pag.* 501. & 502. Alii non desunt qui laudes & scripta Gerardi de Bononiâ celebrant, putà Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 549. Jacobus Philippus Foresta, Bergomensis, in *Supplemento Chronicorum.* Wernerus Rowelinck, in *fasciculo temporum.* Raphaël Volaterranus, in *Antropologia.* Marcus-Antonius Coccius Sabellicus, in *Rapsodia Historica.* Renatus Chopinus, in *Monastico tit.* 2. *art.* 16. Joannes Rioche, in *Compendio Historiarum.* Abrahamus Bzovius, in *Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 1317. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 633. Joannes Pasqualius Alidosius, *de Doctoribus Bononiensibus*: Antonius Sanderus, *tomo* 2. *Flandriæ illustratæ*, *Lib. III. cap.* 14. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali*, *folio* 273. *verso.*

E Carmelitis Joannes Grossi, in *Viridario Clavi* 2. *ubi* vocatur PRIMUS DOCTOR *Ordinis Universi-*

tatis Parisiensis, in sacra pagina: Arnoldus Bostius, Lib. de *Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*, *cap. 6.* Joannes Palæonydotus, *Lib. III. Fasciculi tripartiti*, *cap.* 10. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *fol.* 31. *versa.* Joannes Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad an.* 1297. *& seqq. pag.* 470. — 574. ubi non memoratur fundatio Coonventûs Weiheimiensis, in Provincia Inferioris Germaniæ, quam approbavit Clemens V. ad postulationem Gerardi de Bononiâ, per Diploma Apostolicum, datum Avenione XV. Kalendas Augosti, anno Incarnationis Dominicæ 1310. In qoo quidem Diplomate hæc verba mihi notanda occurrunt:

» Nos dudum sublimia dicti Ordinis utriusque » sexûs, & personarum merita, Deo quidem gra- » ta, & in cooSpectu Apostolicæ sedis accepta, dig- » na merito censemus, ac Ordinem ipsum & illius » personas sub Sedis Apostolicæ & Romanæ Eccle- » siæ protectione immediatè existentes, inter cæte- » ros Regularium Ordinum sub firmamento Catho- » licæ fidei militantes tanquam Religionis specu- » lum & exemplar, singulari caritate fulgentes, » sanctorumque Propheratum Eliæ & Elisæi, & » aliorum Patrum, qui Montem Carmeli juxtà fon- » tem Eliæ inhabitarunt, successionem hereditariam » tenentes; fructus quoque uberes quos dictus sacer » Ordo io agro militantis Ecclesiæ, in propagatio- » nem Religionis & fidei Orthodoxæ hactenùs pro- » duxit utiliter, & producit, ac in futurum produc- » turum fore indubitanter speramus, paternâ chari- » tate intuemur, &c. » Prodiit istud Diploma in Additionibus quæ præfiguntur *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag. VII.*

Gerardum de Bononiâ laudant insoper Joannes Oudenius, in *Chronico Ordinis*; Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmeli*, *pag.* 279. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitanâ Ms. pag.* 111. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 530. *num.* 948. *&c.*

LIII.

GERARDUS DE CASTRIS, natione Germanus, Carmeli Moguntinensis Prior: vir doctus, & eruditus, ingenio præstans, sermone scholasticus, vitâ quoque & conversatione devotus, ac regularis observantiæ cultor celeberrimus, declamator sermonum egregius, circà annum 1470. scripsit,

1. *De Passione Domini*, *Librum unum.*
2. *Sermones de Tempore & de Sanctis, Libros duos.*

Id testantur Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesneriana:* Guilelmus Einseingrenius, in *Catalogo testium veritatis*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 633. Jacobos Wimphelingus, in *Additianibus ad Librum Trithemii de Scriptoribus Ecclesiast. num* 47. *pag.* 244. Edit. Fabricii: Daniel à Virgine Mariâ, *toma* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1097. 3879. Ludovicus Jacob, in *Bibliatheca Carmelitana Ms. p.* 112. ubi incorrectè Gallum vocat illum; notat autem *duos de Castro* Carmelitas Doctores Facultatis Parisiensis, *Jacobum* nempè & *Nicalaum*, qui floruerunt annis Christi 1470. & 1472. ut legitur in *Catalogo omnium Doctorum* Almæ Facultatis Parisiensis, *Ordinis Carmelitarum* ex antiquis Magni Conventûs, Chronologicis tabulis, necnon ex literis Universitatis ab anno 1270. ad annum 1664. desumpto.

LIV.

GERARDUS È CUSSACO, natione Aquitanus, patriâ Lemovicensis, Carmelita Agennensis provinciæ Vasconiæ: vir in sacrarum literarum & SS. Patrum lectione versatus, Præco Verbi Divini celeberrimus, deoiqoè virtutis & pietatis amantissimus, circà annum 1346. scripsit ad Bernardum Albiensem, Episcopum Ruthenensem, & S. R. E. Presbyterum Cardinalem, tituli S. Cypriani io Thermis, anno 1337. creatum.

1. *Sermones IX. ad Clerum*, Lib. I.
2. *Sermones LXIV. ad Papulum*, Lib. I.

De illo mentionem habent Josias simlerus, in *Epitome Bibliotheca Gesneriana:* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 634. Claudius Robertus, in *Catalogo Scriptorum Agennensium*, *nam.* 38. Emmanuel Roman, de *Scriptoribus Ordiais Carmelitarum.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 194. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 112. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 1085. *num.* 3808.

LV.

GERARDUS AB EDAM, natione Batavus, patriâ Harlemensis, nobilis Poëta, in rebus Carmeliticis canendis valdè delectatus, versibus heroïcis scripsit circà annum 1470. libellum, cui titulus est:

De Antiquitate, habitu, titulo & regula Ordinis Carmelitani.

Extat in Volumine Ms. Codicis Mechliniensis, exarati, anno 1484. hinc pater deinceps nonnullos errasse, Opusculum istud attriboentes Joanni Balæo: Qui tunc dicto anno nondum natus; quippè qui anno 1563. defunctus, anno suæ ætatis 68. Et hujus Poëmatis meminit & Authoris, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*, *Cent. XIII.*

Huic addendi sunt qoi Gerardum & libellum Poëticum memorarunt, Petrus Wastellius, in *vindiciis pro Joanne Hierosolymitano*, *Lib. I. sect.* 5. *art.* 1. §. 3. Irenæus à S. Jacobo, tractatu *de singulari Virginis Pratectione* §. 6. *pag.* 23. Joannes-Baptista de Lezana *tomo* 4. *Annaliam*, *ad ann.* 1251. *num.* 51. *pag.* 332. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 440. *num.* 795. Ibidem, *pag.* 559. *num.* 1000. ubi notatur Codicis Mechliniensis Ms. Antiquarium sivè scriptorem esse Joannem Oudewater, aliàs Palæonydorum nuncupatum. Daniel idem, *tomo* 1. *specali Carmelitani*, *pag.* 318. *num.* 1303. Ibidem, *pag.* 413. *num.* 1479. *pag.* 443. *nam.* 1445. Ibidem, *pag.* 521. *num* 2086. Daniel idem, in *Dissertatione Apologetica pro revelatione S. Petro Thomæ facta*, *art.* 12. *pag.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 112.

LVI.

GERARDUS FAYUS, sæpius SAYUS, regione Aquitanus, provinciâ Occitanus, patriâ Tolosanus, ibi circà suæ decimum quartum ætatis annum, Antiquiorum Patrum Ordinis Carmelitici vestigia sibi tenenda constituit. Tolosæ etiam politiori Literaturâ Junior Carmelita magnoperè insudavit. Deindè Lutetiam Parisiorum, tanquam ad scientiarum omnium mercaturam missus fuit. Completis ibidem studiis, in Academia Tolosana Magistralem solemni Lauream pompâ [illegible] comparavit. Posteà suis a Sodalibus Cadurcum vocatus, pro Cathedrâ Theologicâ in ejus urbis Academiâ concertavit, illamque pro sacro certamine reportavit.

Anno 1621. suæ Tolosanæ Priorem Provinciæ in Provincialem jam electus, eam ad reformatione strictiori decorandam sese salubriter prudenterque accinxit, à R. P. *Philippa Theobaldo*, Turoniæ Provinciali,

G.

vinciali, opem dexteritatemque postulans per literas quas Epistolæ R. Dom. *Philippi Cospean*, Nannetensis Episcopi, & alteri Amplissimi Domini Dom. N. *De Cruce*, in suprema Tolosana Curia Proto-Præsidis Epistolæ, primâ die Maii ejusdem anni 1621. scriptæ adjunctas. Officiosam Senatûs Tolosani Principi excusationem remisit *Theobaldus*, negotii executionem in nostrum *Gerardum* & in R. P. *Joannem Thuaut*, Aquitaniæ Provincialem refundens. Difficultatibus tamen non absterriti Senatores Tolosani postulationes tam frequentes & urgentes iterarunt, ut *Archangelus à S. Luca*, Andinus Provinciæ Turoniæ Præfectus, anno 1632. in eam Provinciam Tolosanam profectus sit, & Cœnobia visitaturus, & Capitulum Provinciale in urbe Biterrensi habendum celebraturus. Universam autem Occitaniam crudeli devastante peste, hoc morbo perculsus Gerardus occubuit Tolosæ eodem anno 1632. Scripsit,

1. *De Confraternitate Carmelitanâ*, Librum singularem.

2. *Orationem Funebrem R. P. Joannis Puteani, Sacræ Theologiæ in Academia Tolosana Professoris.*

Gerardum Sayum laudant Simplicianus San-Martinus, Augustinianus, in *Elogio Joannis Puteani.* Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 463. ubi *Zachariam Gerardum* appellat, & eamdem denominationem ei adjudicat *Cyrillus Pennecé*, *in Gymnasio Carmelitico Mſ. ad annum* 1613. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 114. Hugo à S. Francisco, in *vita Vener. P. Philippi Thibault*. *Cap.* 31. *pag.* 235. 236. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Auctuario*, *Cap.* 7. *Auberti Miræi, de Origine & Incrementis Ordinis Carmelitici*, *pag.* 217.

L V I I.

GERARDUS FORMAU, Latinè FORMÆUS, natione Gallo-Belga, patriâ Attrebatensis, ex Pastore Ecquiciensi (Gallicè *Curé d'Ecquedeque*, *Paroisse dans l'Artois*) Carmelita, Sacræ Theologiæ Licentiatus Coloniensis, & apud suos Sodalet Professor; deinde novi Conventûs Paulipolensis, seu *Duaci* Collegii Superior, obiit *Attrebati*, ad Scarpum fluvium, peste correptus, anno Christi 1648. die 9. Octobris. Scripsit & edidit,

1. *De Confraternitate Sacri Scapularis Carmelitarum*, Librum. Valencennis, Typis Joannis Veroli, 1627. & 1631. Gallicè; Item Coloniæ, apud Petrum Brachel, 1634. *in*-12. Germanicè.

2. *Compendium Privilegiorum ejusdem Confraternitatis.* Attrebati, apud Gerardum de Raysmes, 1647. Gallicè.

Gerardi Formau habent mentionem Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 113. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 592. *num.* 2299. Ibidem, *tomo* 3. *pag.* 1111. *num.* 3935. Item, *tomo* 1. *pag.* 586. *num.* 2270.

L V I I I.

GERARDUS GERARDI, natione Brabantinus, patriâ Antuerpiensis, Carmelita Academiæ Lovaniensis, in Theologia Licentiatus, Prior Antuerpiensis non semel & Lovaniensis: deinde Provinciæ Flandro-Belgicæ Vicarius Provincialis, circa annum 1632. scripsit,

1. *De modo benè vivendi.*
2. *De modo benè gubernandi.*
3. *De modo scientiam comparandi.*
4. *Sermonum Quadragesimalium* Tomos tres.

Hunc Gerardum commendat Antonius Sanderus, *Tom. I.* in *Chorographia sacra Carmeli Antuerpiensis*, *cap.* 5. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 113.

L I X.

GERARDUS DE GISORS, Parisiensis Carmelita, Doctor Theologus, creatus est primùm Occanensis in Hellesponto, sub Exarchatu Asiæ, posteà *Bethlemitanus* Episcopus, anno 1721. Vir præcellentis ingenii, singularis eruditionis & eximiæ religionis. Decessit Lutetiæ-Parisiorum, ibidemque apud suos Carmelitas Maubertinos tumulatus, circà annum 1398. cum sequenti Epitaphio quod in ejus memoriam Carmelitæ sæculo decimo septimo consecraverunt.

D. O. M.

REVERENDI IN CHRISTO PATRIS
† GERARDI DE GISORS,
HUJUS CARMELI ALUMNI,
DOCTORIS THEOLOGI,
NECNON BETHLEEMITICI ET OCCITANI
QUONDAM EPISCOPI.

Heu! jacet hic Doctor Carmeli gloria montis,
Bethlemicus quondam Præsul & Occhanensis,
Cujus ab ingenio Gallus florebat, & Ara
Divinâ lauro, floret hic ante Deum.

Occubuit post annum Domini M. CCCXCVIII.

A L I U D:

Subjacet huic tumbæ devotus mente GERARDUS
DE GISORS *dictus, Parisii genitus.*
Præsul Occhaneus primùm, dehinc Bethlemitanus.
Angelicis studiis corpora perdomuit.

Scripsit,

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria.*

2. *In sacrorum Bibliorum quosdam Libros Commentaria.*

Hujus Gerardi mentionem habent eruditi Viri Sammarthani, in *Catalogo Episcoporum Bethleemitanorum*, inter Præsules Antissiodorenses inserto. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mſ. Antistitum Ordinis Carmelitanorum.* Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 963. *num.* 3393. Ibid. *pag.* 1095. *num.* 3865. sed Chronologia non cohæret.

L X.

GERARDUS A JESU MARIA, persona est cujus nomine *Ambrosius Roca de la Serna*, Carmelita Hispanus & Sacræ Facultatis in Academia Valentina Doctor edidit Hispanico sermone, *Luz del Alma*, Latinè *Lumen Animæ*, vide superiori paginâ 63. Verbo *Ambrosius Roca de la Serna.*

L X I.

GERARDUS A S. JOSEPH, natione Delphinas, patriâ Viennensis, ex Carmelitâ antiquioris regularis observantiæ primùm affectâ, & Provinciæ Alumno, ubi nomine gentilitio *Antonius Emerac* appellabatur, factus est anno 1623. Excalceatus. Priorem Massiliensem anno 1640. Cambariacensem, anno 1643. Lugdunensem anno 1649. Et iterum 1652. & suæ Provinciæ Definitorem elego-

G.

runt eum anno 1646. Virum probitate, virtute, & eruditione conspicuum, qui *Ven. Matri Mariæ Lætiensis à S. Teresiâ de Luxemburgo, Carmelitanæ Teresianæ* piissimæ, fuit à confessionibus; quoties Gregorius à S. Joseph non esset præsens. Vivebat Gerardus etiam anno 1664. quo scripsisse refertur Gallico sermone,

1. *Vitam Ven. Magdalenæ à Jesu Mariâ Senonensis*, Fundatricis Conventuum Avenionensis & Camberiacensis Monialium Teresianarum.

2. *Meditationum varios Tractatus Mss.*

3. *Exercitia spiritualia Mss.*

Gerardum à S. Joseph celebrant Ludovicus à S. Teresiâ in Annalibus Carmelit. Excalceatorum Galliæ, *Lib. II. cap.* 30. 41. 67. 79. & 94. *pagg.* 404. 474. 509. & 549. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 113. Idem in *Bibliotheca personata Mss. pag.* 94.

LXII.

GERARDUS A NAZARETH, patriâ Galilæus, ex Latinis parentibus natus, liberalibus Doctrinis instructus, primum in Civitate Nazareth Græcam Latinamque linguam doctus, ad Montanam Nigram prope Antiochiam perrexit, in solitudine Montis Neroi vitam eremiticam duxit, ad exemplum eorum, qui in antris Domino serviebant, & quibus alios socios è Carmelo ab Aymerico Patriarcha Antiocheno adductos adjunxit tantâ societate & unâ cordium alacritate, *ut omnes quamvis essent locis separati, eamdem tamen vitam solitariam servare satagebant, quam servabant Eremitæ montis Carmeli.*

Ita loquitur Guillelmus de Sanvico, cap. 1. sui Chronici, antequam ullam Regulæ à Sancto Alberto Hierosolymitano Patriarcha Carmelitis datæ mentionem habeat. Gerardus autem maturo virtutum religiosarum exercitio consummatus, ad Laodicenam Sedem promotus fuit; Quâ quidem dignitate præfulgens, Concilio Antiocheno, quod Albericus Sedis Apostolicæ Legatus anno 1142. tempore Innocentii secundi pridie Kalendas Decembris celebravit, Gerardus interfuit, & hujus inter Concilii Præsules recensetur, qui ad Radulphi Antiocheni Patriarchæ depositionem propendebant; sicuti refert Guillelmus Tyrius, *Lib. XV. cap.* 18. & ex Guillelmo Tyrio Baronius ad annum 1136. *num.* 30. Philippus Labbe & Gabriel Cossart, *tomo X. Conciliorum*, *pag.* 1027. Fleury, *tom. XIV. Lib. LXVIII. num.* 74. *pag.* 571.

Gerardi Opera inscribuntur,

1. *Contra Salam Templarium*, Lib. I.

2. *Ad Ancillas Dei in Betania*, Lib. I.

3. *De una Magdalena adversus Græcos*, Lib. I. Librum hunc laudant Jacobus Lelong, in Bibliotheca sacra, *pag.* 742. *col.* 1. C. Fabianus Justinianus, in Indice universali. Antonius Rivet, in Historia Literaria Galliæ Gallicè scripta, *tomo IX. pag.* 162. *num.* CCXII.

4. *Ad Guillelmum Presbyterum, de Conversatione fervorum Dei in Terra-Sancta.* Lib. I. In isto Libro hæc leguntur: *Aliud est genus Religiosorum, qui singillatim habitabant à seculi rebus alieni: Hi sunt, qui ad exemplum Prophetæ Eliæ silentium solitudinis præferebant tumultibus civitatum.*

Hæc verba & Librum Gerardi appellant Joannes Hildesheimensis anno 1370. in suo Defensorio, *cap.* 9. Bernardus Olerius anno 1376. in Libro de Confirmatione Ordinis Carmelit. *artic.* 1. Thomas Bradley, in suo Chronico anno 1446. *cap.* 2.

5. *Vita Eliæ Abbatis.* Lib. I.

Gerardum autem Nazarenum & ejus opera laudant Conradus Gesnerus, sive potius Josias Simlerus, in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ; Jacobus Frisius, in Bibliotheca Tigurina, *pag.* 281. *col.* 2. Antonius Possevinus, in Apparatu sacro, *tomo* 1. *pag.* 633. Gerardus Joannes vossius, *Lib. III.* de Historicis Latinis, *cap.* 7. *pag.* 779. Guillelmus Cave, in suo Cartophylace Ecclesiastico, *pag.* 255. Idem in Historia Literaria, *pag.* 580. Aubertus Miræus, in Auctuario Bibliothecæ Trithemii, *cap.* 486.

Gerardus Nazarenus incautis Scriptoribus nonnullis ansam præbuit tres Gerardos in Ordinem Carmelitanum introducendi. Nam S. Gerardus oous fuit Canadiensis in Pannonia Episcopus, anno Domini 1147. Martyrio coronatus. Secundus ex Eremita Montis Carmeli, Patriarcha Antiochenus falsò supponitur ab Auberto Miræo, Lib. de Origine & incrementis Ordinis Carmelitarum, *cap.* 6. *pag.* 209. Tertius Gerardus erecto Jerosolymis insigni Xenodochio, pro sublevandis peregrinorum necessitatibus, initium dedit anno 1100. Ordini Hospitalariorum seu Equitum S. Joannis-Baptistæ, qui nunc Melitenses dicuntur. Hos errores notat sed non solvit Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 483. *num.* 866. Idem, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 248. *num.* 1022. & tomo 2. *pag.* 670. 675. *num.* 2295. & 2312.

LXIII.

GERARDUS TERLINCHUS, Belga Carmelita: Vir amœni ingenii & singularis doctrinæ laude percelebris, Historicus suâ ætate clarus. Nam omne tempus, quod ab horis noctè dieque in Choro cantandis vacuum habere potuit, Historiis suæ gentis diligenter impendit. Persolvit igitur magno & arduo labore omnes optimæ notæ Historicos, Bibliothecasque celeberrimas scrutatus est, è quibus fideliter omnes res præclarè gestas Civitatis Huesdanæ collegit circa anoum 1500. Operique suo titulum fecit:

Chronicum Huesdanum: Quo bellum prosequitur inter Hollandum ac Brabantiæ Ducem, de Huesdanæ civitatis jure, quam Joannes XX. Toparcha sine liberis decedens, à Brabanto in feudum acceperat, aut certè vendiderat. Eo Chronico usus est in sua *Historia Brabantina* doctus Joannes-Baptista Gamaius, qui nostrum *Gerardum* erroneè vocat *Joannem*.

Hunc commendant etiam Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 286. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 360. *col.* 2. *lineis ultimis*. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 377. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 114. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1107. *num.* 3924.

LXIV.

GERMANUS A NATIVITATE DEIPARÆ, natione Burgundus, patriâ Autissiodorensis, natus anno Christi 1588. die 13. Octobris ex Canonico Ecclesiæ Cathedralis Carmelita Excalceatus, 1616. Die Dominicâ primâ Adventûs factus, & anno probationis elapso, die 8. Decembris 1616. vota solemnia emisit. Vir charitate, innocentiâ, obedientiâ, vitæ austeritate, sanctimoniâ & eruditione haud infimus, & adeò summâ exercitiorum etiam minimorum praxi præfulgens, ut in Choro suum præ manibus breviarium etiam ponderosum semper teneret, quià hæc ipsi Novitio, *inquiebat*, gestatio fuerat imperata, & proindè per totam vitam sedulò fer-

G.

vanda. Migravit ad Dominum, Parisiis anno 1617. die 19. Novembris. Posteà anno 1620. die 20. Martii ex antiquâ Ecclesiâ in novam Sancti Josephi Cadaver ejus fuit translatum. Scripsit Gallico idiomate,

Exercitia Spiritualia pro omnibus diebus hebdomadæ : Quæ asservantur Parisiis, in Bibliotheca Carmelitarum.

De illo egregiè loquuntur Jacobus Gaffarellus in *præclaro Typo S. Teresiæ.* Parisiis, anno 1624. æneis tabellis *inciso*, folio patenti. Fusiùs Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Franciæ, Lib. I. cap.* 36. 37. & 38. *pagg.* 101.—106. Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi, tertiâ parte pag.* 39. *& seqq.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 114. ad Schedam Ms. ibi affixam.

L X V.

GERMANUS NEPOS, ab Oppido Montis-Callerii; publicus in universitate Taurinensi sacræ Scripturæ Interpres, quo in munere è vivis excessit anno 1598. postquam edidisset Librum quem inscripserat *Erotemata Sacramentorum* : Papiæ, 1598. Item Javerini an. 1614. *in-4°*. In Opere isto Auctor se præbet non vulgariter linguæ Grecæ peritum; hanc elucubrationem Casuistis perutilem sæpè recusam de mandato Illustrissimi *Caroli Broglia*, Taurinensis Archiepiscopi, asserit *Augustinus ab Ecclesia* Saluciensis, in Libro Italico, cui titulus est : *Catalogo de Scrittori Piemontesi, Savoïardi, è Nizzardi*, edito Taurini, anno 1664.

Nostrum memorant Germanum Andreas Rossotti, In *Syllabo Scriptorum Pedemontii* ; Editores Operis inscripti : *Speculum Carmelitarum.* Antuerpiæ, *in-folio* editum anno 1680. duobus tomis comprehensum, quorum 2. *pag.* 1071. *num.* 3726. confundunt cum *Angelo Nepote*, qui præfata *Erotemata* typis iteratis fortè renovavit, ob amorem sui Patrui : de quo *superiori columna* 120. sermo fuit.

L X V I.

GERMANUS PHILALETHES EUPISTINUS, idem est atque CAROLUS AB ASSUMPTIONE, Discalceatus Carmelita, in Gallo-Belgica Exprovincialis, qui Græcè vocari voluit quod Latinè dicitur, *Frater, veri amator, fide dignus*; quando Opus Latinis typis Inscriptum dedit :

Thomistarum Triumphus, id est *Sanctorum Augustini & Thomæ, gemini Ecclesiæ solis summa concordia, circa scientiam mediam ; naturam puram aut duplicem Dei amorem, libertatem, contritionem & probabilitatem.* Duaci, anno 1672. *in-4°*. tribus tomis, quorum

Secundus, Complectens quatuor posteriora opuscula, *de natura pura sea de duplici Dei amore, de libertate, de contritione, de probabilitate*, Ibidem editus fuit anno 1673. *in-4°*.

Tertius, Adversùs R. P. Fourmestraux, cui *adjungitur præclara ac solida de Physica Prædeterminatione disputatio Theologi Lovaniensis, ex triumpho Thomistarum nervosè deducta* : Duaci etiam editus, anno 1674. *in-4°*.

Thomistarum triumphum, ad S. Congregationem Romanam Indicis delatum fuisse, & indè ab omni labe immunem exiisse testantur, Dominus *Gery* seu *Paschasius Quesnel*, in Opere Gallicè edito : *Apologie Historique des deux Censures de Louvain, &c.* *pag.* 340. Acta Eruditorum Lipsiensium, *anno* 1689. *pag.* 231. Joannes Albertus Fabricius, in *Theatro Scriptorum Pseudonymorum, num.* 2099. *pag.* 497. Joannes Libertus Hennebel, in *Thesi VII. Historico-Theologicâ contrà duos libellos Erasmi Pilii.* Lovanii, in Collegio Viglii, die 6. Maii 1688. *in-4°*. §. 7. *pag.* ubi hæc leguntur :

» Timendum monet *Pilius* à Schola filiorum S. » Eliæ, quia *non ignorat* Collega noster *Spiritum* » *zelosissimi illius Sancti etiamnum vigere integrum* » *in filiis, qui exemplo sui Patriarchæ fulmina sollicitabunt Vaticana.* Spiritum zelosissimi illius Pa- » triarchæ viguisse integrum in filiis tunc præcipuè vi- » dimus, cum Germanum Philaletem Eupistinum apud » Apostolicam Sedem tam graviter accusarunt Moli- » nistæ, sed irrito conatu Vaticana sollicitarunt ful- » mina. Imò verò Zelosissimi illius Patriarchæ illa- » tam Collegæ reparaturi injuriam, suæ non semel » Provinciæ eum præfecerunt ; ut orbi testarentur » universo, nihil esse in Philalethis libro tantoperè » à Molinistis exagitato, quod eum à primis illius » Ordinis capessendis dignitatibus justè remorari » posset .... *Concordem abique gemini Ecclesiæ* » *solis mentem* in his Philalethis opusculis se *conspe-* » *xisse* testatur Exim. D. Nicolaus Josephus de la » Verdure S. T. D. & Professor Regius in Acade- » mia Duacensi ; & addit, secundum hunc tomum » adeò sibi probati, ut *non solùm novo prælo dig-* » *num judicaverit, sed ipse curaverit, ut quamprimùm lumen videret, ad majorem cordatorum utilita-* » *tem, & gemini Ecclesiæ solis concordem gloriam.*

Quis fuerit *Erasmus Pilius*, adversùs quem insurgit Hennebel, eum fuisse R. P. *Philippum de Vos* in Collegio S. J. Lovaniensi Theologiæ Professorem subindicat præfatus Dominus Gery, suo opere Gallicè jam citato, *Apologie historique des Censures*, &c. & Coloniæ anno 1688. edito *in-8°*. *pag.* 363. 364. & 383. Ad idem accedere videtur ipse Joannes Libertus Hennebel, in eadem Thesi VIII. §. 1. *pag.* 3. dicens de Pilio : *Cumque non pugnet nisi armis à P. Philippo de Vos mutuatis sæpiusque contritis, lucalentè apparet de sola cum maledicentia posse gloriari.*

Henricus à S. Ignatio in sua *Ethica amoris*, *tom.* 1. *pag.* 837. *col.* 2. *num.* 649. Notat quod R. P. Bartholomæus Fibus, S. J. Presbyteri, in sua *Apologia pro Conscientia infirma, cap.* 1. §. 6. Carolum ab Assumptione qui latere voluit sub nomine Germani Philalethis Eupistini, immodestum vocat & impostorem. Et *pag.* 838. *col.* 2. *num.* 653. » Superest Ca- » rolus noster ab Assumptione, quem *Pseudophilale-* » *tem* vocat, *impostoremque* : eò quòd *per imposturam* » *sibi attribuat nomem Philalethis, competens Jacobo* » *Platelio Soc. Jesu.* Sed quo majori jure sibi Phila- » lethis nomen Platelius assumpsit, quàm Carolus ? » Cur ideò iste impostor, potiùs quàm ille ? Futilia » ista sunt, quibus confutandis non lubet diutiùs » immorari, nec respondere Francisco de Fourme- » straux (quem Fibus allegat :) cum ei Carolus ipse » solidè responderit in triumpho Thomistarum fir- » mato.

Cœtera, quæ ad Carolum ab Assumptione spectant, vide superiùs, verbo, *Carolus ab Assumptione.* Pro ejus *triumpho Thomistarum*, sæpissime laudat eumdem Henricus à S. Ignatio ; sed ipsius *Pentalogum diaphoricum* pluries retundit, utpotè damnatum ex Decreto S. Congregationis Indicis, 3. Aprilis 1685. uti legere est in ipso *Indice Librorum prohibitorum, pag.* 375. De quo vide etiam *Ethicam amoris, tomo* 3. pag. 209. §. 1. *num.* 19. dist. VIII.

Pag. 217. col. 1. *num.* 68. *lineis septem ultimis.*
Pag. 228. col. 1. *num.* 163.
Pag. 229. col. 1. *num.* 170. *& seqq.*
Pag. 230. col. 1. *num.* 175.
Pag. 356. col. 1. *num.* 1000.
Pag. 365. col. 2. *num.* 1088.

G.

Pag. 567. col. 1. *num.* 1098. 1099.
Ibidem, col. 2. *num.* 1103. 1104.
Pag. 566. col. 2. *num.* 1405. *lineâ ultimâ.*
Pag. 589. col. 2. *num.* 2558.

Sed notandum est quod pag. 209. col. 2. §. 1. *num.* 19. *sect. viij.* citatur & damnatur Carolus ab Assumptione, qui in *Defensione communi Ecclesiæ, prax.* 3. *halluc* 2. diserat quod Actus Contritionis, seu veri doloris, verique propositi, difficilis non est peccantibus ex habitu, Confessionis difficultates superantibus. At Apologeticam explicationem ex ipsius *Pentalogi cap.* 7. §. 59. desumptam subministrat R. P. Martialis à S. Joanne Baptista, in sua *Bibliotheca Carmelit. Excalceatorum*, *pag.* 70.

L X V I I.

GERMANUS A S. VINCENTIO, in seculo NICOLAUS BARBARATI nuncupatus, *Panormi* natus est progenitotibus *Joseph & Nimpha.* Cum nondum explesset annum decimum quintum, in Panormitano tyrocinio *Sanctæ Mariæ de Remediis*, Religionis indutus habitu anno 1655. die 24. Junii, in eodem vota sua Domino reddidit anno 1657. die 4. Januarii. Vir fuit numeris omnibus absolutus, Regularem Observantiam ad apicem usque coluit. Contemplationi tenacissimè addictus, ut ei liberiùs incumberet, in Eremum Genuensem secessit, ubi diuturnâ corporis maceratione, ac seriâ divinarum rerum contemplatione, spiritum ac virtutes egregias fovit & auxit. Ad Tyrones regendos semel & iterùm adhibitus, tum verbis, tum exemplis ad perfectionem erexit. Pluries Prioris munere ac Visitatoris Provincialis summâ laude functus, in osculo pacis Domini obiit anno 1683. die 13. Septembris, *Panormi*, cujus Cœnobium tunc gubernabat, postquam in lethalem morbum lapsus, magnum cacodæmonis conflictum, quo Germanum hic à spe salutis æternæ avellere nitebatur, non solum sustinuisset, sed hoste etiam devicto fuisset eruditus, auditus est exclamans: *O Magnitudines! Quænam Theologia has describere poterit?* Edidit Italicè,

1. *Testamento spirituale utilissimo per ben vivere, è morire.* Panormi, apud Jacobum Epiro, 1684. *in*-12. Et iterum apud D. Cellenium Hesperium, 1685. *in*-8°.

2. Reliquit etiam Volumen Italicum, eloquentiâ, & eruditione insigne, in quo habentur Panegyrici LX. teste Antonino Mongitore, in *Bibliotheca Sicula*, *tomo* 1. *pag.* 256. & Martiali, *in Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 184.

L X V I I I.

GERMANUS A S. VINCENTIO, alter & antiquior Discalceatus Carmelita, Longobardiæ Provincialis, scripsit duas Epistolas Pastorales ad suæ Provinciæ Religiosos, quæ habentur 2. *parte Collectionis Mediolanensis.*

In prima anno 1624. scripta, differit *de unione divinâ, & de zelo quo fervere debeant Prælati.*

In secunda anno 1631. scripta, ostendit *Quantâ Charitate Superiores ergà subditos, maximè subditos & imperfectos præditi esse debeant.*

L X I X.

GERVASIUS A SANCTO ELIA, *Mediolani* natus die 21. Octobris 1636. in lustralibus undis nuncupatus CAROLUS BENEDICTUS BIZOZERUS, institutum Carmelitarum Excalceatorum suscepit anno 1651. die sextâ Novembris. In studiis, pietateque ita emicuit, ut à suis Superioribus tam in disciplinis tradendis, quàm in Concionibus habendis adhibitus fuerit, præcipuâ ejus cum laude; & non tantùm in patriâ, sed etiam Bononiæ, quæ magnificum ejus virtutum fuere theatrum. Munera, in hac secunda civitate, Examinatoris Synodalis, ac S. Officii Consultoris peregriè gessit. Indè Mediolanum reversus, suos implevit annos in Conventu S. Mariæ Concesæ prope Tricium, die 8. Julii, anno 1696. postquam scripsisset, quæ inscribuntur Opera:

1. *Il falso, ed il vero:* Latinè *falsa ac vera Ethica Christiana.* Bononiæ, *in*-4°. 1680. & iterum ibidem apud Montium 1684. tom. 4. *in*-12. ad Rectorem atque Alumnos perinsignis Collegii S. Clementis, Nobilium Hispanorum Bononiæ, nuncupatum.

2. *Irutti d'Elia: Discorsi distributi per ogni Domenica.* Bolotiæ, apud Montium ab anno 1684. ad annum 1686. tom. 4. *in*-12. in quibus tractatur de Sacro Scapulari.

3. *Tractatus de Jure publico & Jure privato, methodo Theologicâ confectus.* Ms. *in-folio.*

4. *Universi Juris Canonici Compendium.* Ms. *in-folio.*

5. *De Theologia Parochorum.* Ms. *in-folio.* Hæc tria Manuscripta servantur apud suos Carmelitas Excalceatos Concesæanos, quorum Cœnobium anno 1643. fundatum est.

De Carolo Benedicto Bizozero loquitur Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 173. *num.* 244. Pauca verò de nostro Gervasio dicit Martialis à S. Joanne Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 185.

L X X.

GEORGIUS PETRI, natione Belga, patriâ Mechliniensis, ubi Carmeliticum habitum suscepit anno Christi 1576. ætatis 25. Sacerdotio invitus decoratus, variis Officiis laudabiliter perfunctus, magno pietatis exemplo vixit. Inter cætera virtutum exercitia, Sanctiss. V. Mariæ devotus extitit: Nam ultrà horas Canonicas, quotidiè flexis genibus, parvum ejus Officium persolvebat. Animabus quoque Christi fidelium in purgatorio detentis sublevandis piè semper addictus fuit; atque pro earum refrigerio per singulos dies totum Officium Defunctorum, semper ferè genuflexus legebat. Vespertino autem tempore, antequam se quieti daret, obambulando Monasterii ambitum, Psalmos *Miserere* & *De profundis*, cum generali Collecta pro Defunctis, devotè atque multis cum suspiriis recitabat. Rosarium ferè semper manu gestans, illud quotidie repetebat. Tempus divinis Officiis persolvendis destinatum præveniebat; & una hora præsertim Matutinum, meditationibus aliisque piis exercitationibus intentus præoccupabat.

Cum Reverendiss. P. Henricus Silvius Carmelum Mechliniensem visitaret, ab eo postulavit & obtinuit, ut ab omni Officio liber & immunis, Solitariam vitam in sua gerere posset cellula. Quapropter, juxta Regulæ suæ tenorem, jugi legis meditationi & orationibus inposterùm invigilavit. Triennio ante mortem, infrà oculum dextrum pessimo & insanabili cancro laboravit, quem mirâ sustinuit patientiâ. Tandem quâ prædixerat die, animam felicem cœlo dedit, secundâ Novembris; nonam pauló post horam, faciem viventis magis referens quàm mortui, placidam & jucundam. In Carmeli Mechliniensis Claustro sepultus fuit, non longè à majori portâ Ecclesiæ, retrò altare B. Virg. Mariæ; & ibi appensa ejus effigies cum hoc Epitaphio:

G.

D. O. M.

VENERABILIS PATER GEORGIUS PETRI,
IN HOC CARMELO DILIGENTISSIMUS SACRISTA,
ŒCONOMUS, SUPPRIOR,
VICARIUS ATQUE JUBILARIUS;
POSTQUAM PRÆLUXIT OMNIBUS
EXEMPLO DEVOTISSIMO,
EX UMBRA RERUM MIGRAVIT AD LUCEM
DIE DEFUNCTORUM FIDELIUM,
ANNO M. DCXXIII.
ÆTATIS LXXXII. PROFESSIONIS LVII.
SACERDOTII LI.

Ei testimonium perhibent Reverendi Patres, Andreas le Pipper, qui cum illo vixit; Marius à S. Francisco Prior, Jacobus à Passione, & alii; qui anno 1663. die 22. Martii, odorem suaverrè Sepulchro dicti Patris Georgii prodeuntem sentientes, illius ossa extraxerunt, in capsa nova reposuerunt, & collocarunt in loco ubi primò fuerant sepulta. In lapide albo duorum pedum latitudinis, & aliquantò plus longitudinis superposito, inscriptione hac apposità:

D. O. M.

HIC REPOSITA JACENT OSSA
VENERAB. PATRIS GEORGII PETRI,
HUJUS CARMELI VICARII DEVOTISSIMI.

Hæc fusiùs tractata reperies *tomo* 2. Speculi Carmelitani, *pag.* 1015. *num.* 3544.

LXXI.

GESUALDUS A S. ANDREA, Carmelita Excalceatus, edidit Italicè Opus inscriptum:

Orazioni Sacre. Neapoli, in Typographia Regia Seraphini Porsile, 1751. 1. *vol. in-4°. pag.* 94. In illis Orationibus conspicitur Auctor optimè versatus in ludo humaniorum literarum, quas apprimè colere solent ejusdem Ordinis Religiosi; inquit Diarium Eruditorum, *anni* 1751. *mense Novembri, pag.* 757. *Edit. in-4°.*

LXXII.

GIESULDA MARIA A S. JOSEPHO, in seculo ELIZABETHA GIANNI ESTROZZI dicta, Florentiæ ex illustribus parentibus nata die 29. Novemb. 1654. in Parthenone S. Mariæ Angelorum nomen dedit die 15. Augusti 1671. ubi Novitiarum Magistræ & Priorissæ munere functa, obiit anno Christi 1726. die 12. Februarii, ætatis suæ 71. *Opera Mss.* reliquit,

1. *De unione in Deum amorosa.*
2. *De Praxi ærumnarum sustinendarum.*
3. *De virtutibus Theologicis.* Quibus authenticam scriptis Mss. probationem asseruit vir clariss. Dominus *Petrus Ciansogni*, Canonicus, & ejus annos quinque Confessarius, in Oratione Panegyrica illius Monialis.

Tom. I.

LXXIII.

GIGUS, sive GIGONUS DE FRANCIA, quia natione Gallus; aliquandò UGO DE PRATO, quia Pratensem Carmelum diu incoluit: *Pratum* autem, vulgariter *Prato*, est Urbs Italiæ in Agro Florentino Episcopali olim, sed Pistoriensi posteà Episcopatui unita, in qua Cœnobium jam obtinebant Carmelitæ anno 1316. *Gigonus* porro in Sacra Theologia Baccalaureus, socius fidelis *Thomæ de Francia*, qui primus Congregationis Mantuanæ Præsidens Generalis pronunciatus est anno 1425. die 18. Augusti, in his primis Comitiis ipse Definitor & Romanæ Curiæ Procurator deputatus, anno 1427. primò, & anno 1431. in Præsidem Generalem assumptus fuit secundò, affabilis vir & summoperè gratus: qui post jactum, unà cum præfato Thoma dictæ Congregationis Mantuanæ fundamentum, post vincula & carceres, post multa pro eadem observantia pericula perpessa, dierum ac bonorum operum plenus, in Galliis quò se contulerat, reformandorum quorumdam Conventuum gratià, quievit in pace anno 1467. Huic illustri viro Clemens Maria Felina cecinit quatuor sequentes versus:

Heliæ reficit Regnum, legesque paternas;
Divisum imperium cum Patre natus habet.
Educat infantes, præbent Altaria Cunas,
Lactat Amor purus, fascia parva *ligat.*

Scripsit *Sermones*, qui *Mss.* asservantur in Bibliotheca Carmelitarum Parmensi: teste Carolo Vagho, in *Commentariis Mantuanæ Congregationis, pag.* 100. & 102.

LXXIV.

GILBERTUS CRABE, aliis GRABE, natione Scotus Carmelita, Doctor Theologus, atque Provinciæ Scotiæ Prior Provincialis, migravit Burdigalæ Vibiscorum Biturigum quadragenarius, anno 1522. postquam Scripsisset,

1. *De Integritate B. V. Mariæ*, Librum I.
2. *Ex omni Philosophià terminorum moralium*, Lib. I. Incipit: *Quæro an quilibet actus?*
3. *Ad suos Discipulos*, Lib. II.
4. *Alia Opera.*

De Gilberto Crabbe agunt Joannes Balæus, *de Scriptoribus Britanniæ, Cent. XIV. cap.* 60. Arnoldus Anedelius, in *Epistolis.* Guillelmus Eiseingrenius in *Catalogo testium veritatis.* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro.* Thomas Dempsterus, Lib. III. *Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Scotorum:* Hippolytus Mataccius, in *Bibliatheca Mariana:* Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ:* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 114.

LXXV.

GILBERTUS DEIDONATUS, natione Scotus, circa annum 1362. clarus in Ordine Carmelitano fuit, cum Monasterio Maubertino jam esset addictus. Vir magni ingenii & summæ pietatis extitit, ut scripta ejus & gesta prædicant. Sacræ Facultatis Doctor in alma Parisiensi Academia, suo Regio Collegio famam & opes sacrà religiosaque professione peperit. Suam ergà patriam grati animi memor, honorificam reliquit memoriam: nam altare Divo *Niniano*, Episcopo Scoto, in Ecclesia sui Parisiensis Conventûs reparavit, annuo censu ditavit, ornamentis decoravit, quod Scotis Reli-

Bbbb

G.

giosis & Professis, loco sepulturæ ibi eo tempore degentibus inserviret. Scripsit,

1. *Quæstiones quodlibetas*, Libro I.

2. *Lecturas varias*, Libro I.

Gilbertum Deidonatum celebrat Thomas Dempsterus, *Lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Scotorum*, *pag.* 218. Ubi tamen scrupulum erroris emittere videtur, dum laudes nostri Deidonati excepisse se asserit ex Oratione Funebri *Roberti Keti*, Abbatis Deirensis, qui extremum obiit diem anno 1313. Laudant etiam *Deidonatum* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 115. Ludovicus Perez de Castro, *De Rebus Carmelitanis, Codice* 2. *Mſ. folio verso* 209. Qui Codex cum aliis ejusdem Perezii Manuscriptis asservatur Romæ in Archivis Carmelitarum Monasterii Transpontini.

LXXVI.

GILBERTUS NORVICENSIS, Carmeli alumnus, eruditione clarus, ad Hamarensem Sedem Episcopus ordinatus fuit in Norvegiâ sitam. Fautor & Mœcenas extitit Petri Swyntogiri, Carmelitæ celeberrimi. Scripsit autem circà annum 1270.

1. *De nominibus Dei* Librum unum, qui sapientiam tanti Doctoris redolet.

2. *De Animarum curatione*, Libros duos, quos à se visos testatur Alegreus Cassanatus.

Gilberti Norvicensis mentionem habent Joannes Pitseus, in *Catalogo Scriptorum Angliæ*, *ætate XIII.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1270. *num.* 15. *pag.* 407. Philippus à S. Jacobo, in *Catalogo Illustrium Carmelitarum*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 269. ubi malè *Hammaram* vocat Sedem Archiepiscopalem in Anglia positam; uti notat Ludovicus Jacob, in *Catalogo Antistitum Ordinis Carmelitarum Mſ.* Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 965. *num* 3393.

LXXVII.

GILBERTUS URGALIUS, natione Hibernus, professione Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor in Academiâ Oxoniensi, scripsit circà annum, 1330. Opus inscriptum: *Summa quarumdam Legum*; & *de Rebus Theologicis* alterum opus;

De quibus mentionem agunt Joannes Balæus, de *Scriptoribus Angliæ*, *centur. X. cap.* 93. Jacobus Waræus, de *Scriptoribus Hiberniæ*: Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1330. *num.* 11. *pag.* 550. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 115. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 286.

LXXVIII.

GISLENUS LUCAS, aliis LUCAS GISLENUS, aliquandò GUESLENUS LUCAS, Attrebatensis Carmelita, Doctor Theologus Parisiensis, Concionator Archiducum ALBERTI & ISABELLÆ Claræ Eugeniæ, non semel Attrebatensis Prior, Provinciæ Belgicæ Præfectus, Commissariusque, necnon Visitator Generalis, ex hac vitâ migravit Attrebati, anno 1644. Vir cujus probitas & eruditio nomen celebre reddiderunt, & in Reformatos Rhedonensis observantiæ Carmelitas benevolentia, quibus & vitam, & in *Regulam Carmelitanam Expositionem B. Joannis Soreth* communicavit ann. 1604. Scripsit insuper Gallico idiomate,

1. *Orationem funebrem Archiducis Alberti*, *Bruxellis habitam*, & Attrebati, anno 1621. excusam.

2. *Sermones in Psalmum CXIII. In Exitu Israël.* Lib. I. Mſſ. Attrebati servatos.

3. *Sermones de Tempore*, Lib. I. Mſ. In eadem Carmelitarum Attrebatensium Bibliotheca.

4. *Sermones de Sanctis*, Lib. I. Mſ. ibidem.

5. *Sermones de Beatâ Virgine*, Lib. I. Mſ. ibidem.

Gislenum Lucam laudibus celebrant Leo à S. Joanne, in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis*, *cap.* 8. *pag.* 49. Idem, in *Præmonitione* quæ præfigitur ad *Expositionem Parænedicam Ven. P. Joannis Sorethii*, *pag.* 6. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 502. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 137. Hogo à S. Francisco, in *Vita Ven. P. Philippi Theobaldi*, *cap.* 34. *pag.* 255. ubi notat quod anno 1624. die 10. Maii facultatem obedientialem juniori Carmelitæ Valencennensi, cui nomen *Petrus Thomas* inerat, concesserit, ut in Provinciam Carmelitarum Turoniæ transmigraret, Statutis Observantiæ Rhedonensis, & piis imbuendus exercitiis, quibus ita fuit addictus, ut in filium ejusdem Provinciæ jure admissus, Religiosam ibi vitam plenè perfectam usque ad annum 1658. quo obiit Andegavi die 23. Julii. Gisleni Lucæ meminerunt etiam Hippolytus Martaccius, in *Bibliotheca Mariana*: Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ.*

LXXIX.

GOBELINUS, Alemannus Carmelita, Doctor Theologus, Provinciæ Germaniæ Præfectus, cujus industriâ & prudentiâ eo maximè enituit, ut à summo Pontifice *Bonifacio VIII.* (ut creditur) ad Anglos Commissarius fuerit missus ad Carmelitarum dissidia in eo Regno componenda. Tempore etenim *Gerardi de Bononiâ*, Prioris Generalis, lis magna Provinciam hanc scindebat; aliis eam in duas partes dividendam opinantibus, quorum partem Generalis Gerardus tuebatur: Aliis è contra illam unicam servandam existimantibus, quos accendebant Petrus Swyntognus, David Obnugæus, Godefridus Cornubiensis, Guilleimus Lidlyngtonus, Robertus Walsinghamus, Joannes Burlæus &c. Hos igitur unam in partem ad evocandos Gobelinus mittitur auctoritate ac doctrinâ potens, & qui utpotè Germanus, nulli dissidentium parti debitor erat. Quid autem egerit, haud notum. Hoc certum Provinciam, juxtà Generalis decretum in Capitulo Generali Narbonensi anno 1303. propositum, divisam mansisse. Scripsit autem Gobelinus,

1. *Statuta arbitralia*, *quibus suorum consodalium schisma seu dissidium sopivit.* Lib. I. Extabat quondam in Anglia apud Joannem Balæum.

2. *De Convicariorum pro-Pœnitentiis*, Lib. I. Quem Joannes Pitseus citat in Elogio Joannis Chelmestoni Carmelitæ. Extabat quondam apud Joannem Balæum.

3. *Disputationes quasdam*, Libro uno.

Gobelini Alemanni laudes non tacent Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Joannes Pitseus, *De rebus Anglicis*: Joannes Balæus, de Scriptoribus Angliæ, *Cent. XIII. pag.* 163. Joannes Major, Attrebas Jesuita, in *Magno speculo Exemplorum*: Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 191. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro.*

G.

E Carmelitis, Emmanuel Roman, in *Elucidationibus Antiquit. Carmelit. fol.* 209. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 278. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1305. *num.* 3. *pag.* 483. Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelitana Mſ. pag.* 113. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1096. *num.* 3878.

LXXX.

GODEFRIDUS CANDELARIUS, natione Germanus, & prior Carmeli Aquisgranatensis fuit. Huic ad eruditionem non vulgarem accessit solidum judicium, matura prudentia, & mira in rebus agendis dexteritas; & quod plus interest multa in Deum pietas, & fervens in proximum charitas, ut propterea dignus unanimi fratrum consensu judicatus sit, qui toti Monasterio præficeretur. E vita discessit anno 1499. vir cantùs venerandâ insignis, Scripsit,

1. *In Librum Sapientiæ Commentaria*, quorum meminerunt Fabianus Justinianus, Lib. III. de *Scripturâ sacrâ*, Jacobus Lelong, in *Bibliothecâ sacrâ*, *pag.* 664. *col.* 2. B.
2. *De Conceptione B. V. Mariæ*, Lib. II.
3. *Orationem pro Coronatione Reginæ.*
4. *Orationes ad Clerum.*
5. *Sermones de Tempore.*
6. *Sermones de Sanctis.*
7. *Epistolas varias ad Joannem Trithemium & alios.*

De Godefridi Candelarii laudibus & Scriptis testimonia perhibent Joannes Trithemius, *Lib. de claris Germaniæ luminibus*-Mathæus Herberus-Bethasius-Ultra-jectinus, in *Epistolis* ad ipsum *Godefridum Candelarium.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *pag.* 647. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 3770. Franciscus Swertius in *Athenis Belgicis*, *pag.* 290. Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis.*

E Carmelitis, Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 370. Emmanuel Roman, *de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum*: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad annum* 1499. *num.* 3. *pag.* 1000. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VI. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 9. Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico Mſ. ad annum* 1499. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 116. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1097. *num.* 3880.

LXXXI.

GODEFRIDUS CORNUBIENSIS, à Patriâ sic dictus, natione Anglus, Doctor Theologus Oxoniensis, atque Parisiensis, anno 1320. promotus, ibidemque Professor, vir pietate & doctrinâ celebris, quem Joannes Bacco ab excellenti ingenio, Lelandus verò ab eruditione plurimùm commendant. Fuit ex illis qui Gerardo Generali in divisione Provinciæ Angliæ multùm restitit. Ab anno potissimùm 1320. ad annum 1340. floruisse perhibetur, si fides adhibeatur Joanni Alberto Fabricio, in *Bibliotheca media & infima Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 195. Scripsit,

1. *In Libros IV. Sententiarum* Commentaria, *Lib. IV.*
2. *Decem quodlibetorum Lib. I.*
3. *Super Prædicamenta Lib. I.*
4. *In Aristotelis posteriora Librum.*
5. *In Aristotelis Physicam*, *Lib. I.*
6. *In ejusdem Metaphysicam Libros XII.*
7. *In sex Principia Gilberti Porretani*, *Pictavorum Episcopi*, *Lib. I.*
8. *Contra Gerardum de Bononia*, *Priorem Generalem Ordinis Carmelitarum*, *Lib. I.*

De Godefrido Cornubiensi Joannes de Baccone, *Lib. IV. Sententiarum*, *Distinct.* 19. *Art.* 21. ubi eum vocat *Doctorem solemnem*: Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 283. Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1320. *num.* 4. *pag.* 322. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Mſ. pag.* 116. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1114. *num.* 3943. *&c.*

LXXXII.

GODEFRIDUS GREVERAY, natione Belga, patriâ Geldriensis, & alumnus Conventûs Carmelitani ejusdem civitatis, Episcopus Dagniensis titularis die 15. Martii anno 1456. Cameracensis Episcopi Vicarius in Pontificalibus: Vir in divinis Scripturis egregiè doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Dei Verbi præco facundissimus, non minus conversatione quam scientiâ venerabilis, suo Cœnobio Geldriensi multa bona contulit: in primis duo Corpora SS. Valeni & Galeni Martyrum, non paucas reliquias, ornamentaque plurima: plures quoque libros suo nomine annotatos, in Bibliothecam transmisit. Antuerpiensi Carmelo suâ consecratione initium fecit anno Domini 1493. die 22. Octobris sub Principe *Philippo* Archiduce *Austriæ*, ac Diœcesano Domino *Henrico de Bergis.* Tandem plenos dierum, cum Bruxellis apud suos degeret, in senectute bonâ, vitæ cursum feliciter consummavit anno 1504. die 17. Januarii, sepultus in Choro Carmelitarum. Scripsit,

1. *Sermones ad Clerum*, Lib. I.
2. *Sermones ad Populum*, Lib. I.
3. *Collationes*, Lib. I.

De Godefrido Greverario agunt Liber *Provisionum Calixti III. anno secundo.* Codex Mſ. duplex *Carmeli Geldriensis*: Joannes Godefridus, in *Historia Geldriæ Mſ.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *pag.* 1015. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 116. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 921. *num.* 3225.

LXXXIII.

GODEFRIDUS DE LOE, aliquandò DE LOR, Mechliniensis Carmelita, & Prior, Doctor Theologus Coloniensis, Germaniæ inferioris Provincialis per annos 22. inter primos Theologiæ Professores in Academia Lovaniensi accitus. Hic enim Collegii Carmelitani primus Auctor fuit, auctoritate Apostolici eo tempore apud Belgas Legati, & Academiâ approbante anno M. CCCC. LXI. die X. Februarii. Quod & confirmavit anno sequenti 1462. Sivè potius eodem anno die XIII. Februarii, juxtà diversam rationem inchoandi annos, Pius II. in Diplomate ad Abbatem Monasterii Sanctæ Geltrudis Lovaniensis, directo. Huic Collegio primus præfuit Godefridus de Loe usque ad annum 1469. quo obiit, successoremque habuit in regimine hujus Collegii Joannem Beetz, Carmelitam Thenensem. Scripsit,

G.

1. *Libellum supplicem* anno 1462. oblatum summo Pontifici Pio II. à quo postulavit facultatem domum acquirendi in Oppido Lovaniensi, ubi vigebat studium universale, & nullum Carmelitæ Conventum potuerant obtinere, ejus incolis in hoc contradicentibus; ita ut procurationes, juxtà consuetudines Ordinis Carmelitani, ipsi Collegio ædificando factæ & fiendæ pro tempore, eidem Collegio in solidum cederent; ac fratres in eo commorantes, sub ipsius Godefridi, ac Rectoris post eum per Capitulum Provinciale similiter pro tempore deputandi obedientiâ & regimine degerent; & ut Godefridus ipse præfatum Collegium, quoad viveret, regere & gubernare deberet, &c. Cui quidem postulationi annuit summus Pontifex, ut patet ex Diplomate jam citato, quod prodiit *tomo I. Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 267. Scripsit,

2. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*, quæ Lovanii publicè dictavit.

Godefridum de Loë celebrant Joannes Palæonydorus, *Lib. III. Fasciculi tripartiti*, *cap.* 14. ubi notat quod in Comitiis Generalibus Cabilone Ambarrorum anno 1444. Prior Provincialis inferioris Alemaniæ institutus fuerit Magister Gotfridus de Loë. Nicolaus Vermulæus, in *Descriptione Academiæ Lovaniensis*, *Lib. II. cap.* 1. *& Lib. III. cap.* 8. Valerius Andreas, in *Fastis Academicis studii Lovaniensis.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1455. *num.* 3. *pag.* 886. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 117. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vineá Carmeli*, *pag.* 505. *num.* 906. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 970. *num* 3049. Et iis omnibus præcellior, Pius secundus, in *Bulla* jam citata, quæ incipit: *Injunctum nobis*, *&c.*

LXXXIV.

GODESCALCUS A COLONIA, sic à Patria sua nuncupatus, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis & Professor, Prior Provincialis Alemaniæ Inferioris: Vir summâ literarum laude, parique integritatis opinione celebris, obiit anno 1373. die 16. Julii, *Coloniæ*, ibique sepultus in Choro antè Altare majus. Scripsit,

1. *Quæstiones Sententiarum*, Lib VII.
2. *Determinationes*, Lib. I.

Godescalci Coloniensis laudes dicunt Ægidius Gelenius, *Lib. III. de admirandâ sacrâ & civili magnitudine Coloniæ.* Josias Simlerus, in *Æpitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 647. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 293. Joannes Palæonydorus, *Lib. III. Fasciculi tripartiti*, *cap.* 13. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 305. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 117. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1096. *num.* 3880.

LXXXV.

GOMESIUS, natione Hispanus, Sacræ Theologiæ Doctor, primus Conventûs Olyssiponensis Prior, eo tempore à Beato Nunnio Alvarez Pereira, Comestabili Portugalliæ fundati: indè assumptus fuit Episcopus *Ebronensis.* Episcopus existens deputatus fuit Vicarius Generalis Carmelitarum in Regno Portugalliæ, anno 1404.

Ità expressè legitur, in *Libro primo de diversis formis* sub Innocentio VII. anno primo, teste Daniele à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 923. *num.* 3226. Videmus tamen Nunnii Alvarez Pereira *Libellum Supplicem*, anno 1386. oblatum Urbano VI. ut concederet licentiam construendi Monasterium in Civitate Olyssiponensi, & alterum *Libellum Supplicem*, ab eodem Nunnio Alvarez Pereirâ oblatum anno 1413. Joanni XXIII. qui confirmet donationem bonorum factam Conventui eidem Olyssiponensi: uti videre est, *tomô.* 1. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 597. & 598. Quamvis Lezana hujus Cœnobii fundationem remittere videatur ad annum 1422. *tomo* 4. *Annalium*, *pag.* 798.

LXXXVI.

GOSWINUS HEXIUS, aliquandò HEX, vulgo HOEUX, Belga, nativitate & professione Carmeli Ulissingensis, sivè Flissingensis in Zelandia, Provinciæ Germaniæ inferioris alumnus, Lector Parisiensis Sententiarum anno 1451. in Capitulo Avenionensi per Joannem Sorethium celebrato nominatus pro sexto anno, posteà Doctor Laureatus, eligitur Episcopus Hierapolitanus undecimo Kalendas Julii, anno 1469. & Suffraganeus Ultrajectensis, utpotè Davidi à Burgundiâ Præsuli Ultrajectino admodùm charus. Obiit Ultrajecti in Conventu Carmelitano, anno 1475. die 31. Martii, ibique sepultus in Templo S. Catharinæ cum isto Epitaphio.

D. O. M.

CONDITUR HIC DOMINUS † GOSWINUS;
ET ORDINIS HUIUS FRATRUM CONVENTUS:
QUI FUIT EXIMIUS DOCTOR PARISIUS,
PRÆSUL HIERAPOLITANUS:
LOENHOUT QUEM OXNUIT,
PROH DOLOR! HIC OBIIT
ANNO DOMINI M. CCCCLXXV.
ULTIMA DIE MARTII.

Scripsit,

1. *Commentarium in Libros I. & II. Sententiarum* Mſ. Brugis in Carthusia servatum.
2. *Directorium perturbatæ Conscientiæ.* Mſ. olim Gandavi apud Carthusianos.
3. *Quæstiones de Virtutibus Theologicis & Cardinalibus.* Mſ. olim Ulyssingæ apud Carmelitas.
4. *De Decem Præceptis*, Librum unum.
5. *De Exemplorum copiâ* Librum unum.
6. *De Modo prædicandi*, Librum unum.
7. *Sermones Quadragesimales.*
8. *Sermones de Tempore.*
9. *Sermones de Sanctis.*

De Goswini Heyx laudibus & scriptis agunt *Acta Consistorialia Pauli secundi.* Joannes Trithemius, *Lib. de Claris Germaniæ Luminaribus.* Idem, de *Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum.* Guillelmus Eiseingrenius, in *Catalogo Testium Veritatis.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ.* Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro tomo* 1. *pag.* 649. Joannes Bonderius, in *Catalogo Codicum Mſſ. Flandriæ.* Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis pag.* 292. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 379. Joannes Albertus Fabricius, *tomo* 3. *Bibliothecæ mediæ*, *& infimæ Latinitatis*, *pag.* 229. *&c.*

E Carmelitis Arnoldus Bostius, *Lib. de Viris Illustr. Ordinis Carmelit. cap.* 41. ubi notat quod Goswinus Hex aliquanto tempore cum fratribus vixit Episcopus, velut unus ex eis, virtutibus suis multis,

Sanctitatis

Sanctitatis exemplar se exhibens, & quod obiit eo anno 1475. quo ipse Bostius suum scribebat Librum. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *folio* 32. *verso*. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1475. *num.* 6. *pag.* 937. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 117. Dominicus à Jesu, in *Spicilegia Amistitum Ordinis Carmelitarum*. Alegreus Callanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 361. Philipus à SS. Trinitate, *Lib. VI. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 9. Daniel a Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 504. *num.* 905. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 923. *num.* 3226. *&c.*

L X X X V I I.

GRÆCIENSIS CONVENTUS, nomine Carmelita Discalceatus, edidit,

1. *Monile aureum*, in quo agitur de *Privilegiis*, *Gratiis*, *Indulgentiis*, *Archi-Confraternitatis Sacri Scapularis B. V. Mariæ de Monte Carmelo*. Græcii apud Sebastianum Haulr, 1643. Germanicè.

2. *Palmam Josephinam*: seu de vità & laudibus S. Joseph. Græcii, anno 1682. *in-4°*. Germanicè.

De priore Opere loquitur Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 117. De posteriore autem habet mentionem Martialis à S. Joanne Baptistà, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 185.

L X X X V I I I.

GRATIANUS A S. ELIA, natione Belga, Provinciæ Flandro-Belgicæ Carmelita, & Alosti Prior, edidit,

1. *Discursus prædicabiles in Dominicas & Festos dies*. Latinè ex Italico Idiomate Paoletti. Antuerpiæ, anno 1659. & Coloniæ anno 1664.

2. *Pulchritudinem Carmeli*, seu *Picturas Sacras Templi Carmeli*, Carmine Latino & Gallico explicatas. Prodiit 1660. *in-4°*. cum figuris æneis.

3. *Speculum bonarum cogitationum*, *pro omni die per mensem*. Flandricè. Gandavi 1665. *in-16*.

4. *Exercitia Philotheæ*, *pro menstruis exercitationibus*. Flandricè. Gandavi, 1666. *in-12*.

5. *Vitam S. Angeli*, *Carmelitæ*, ab Antonio Philippino Italicè scriptam, Latinè reddidit, teste Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 118. Vide etiam *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1112. *num.* 3939.

L X X X I X.

GRATIANUS DE VILLANOVA, natione Hispanus, patrià *Bilbilitanus*, Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, dum esset Vicarius patriæ Aragonicæ Provinciæ, interfuit Comitiis Generalibus *Brixiæ* anno 1478. celebratis, ibique Provincialis in eadem Provincia institutus, quem insuper Christophorus Martignonus, supremus Ordinis Moderator, ibidem ordinavit de unanimi Definitorum assensu, Vicarium Generalem, cum plenitudine potestatis in Provinciis Aragoniæ, Cataloniæ, Castellæ & Portugalliæ; quia vir probatissimus & Ordinis zelator habebatur; & isto nomine appellabatur à Patribus Capituli.

Subindè regimen in Aragonia tenuit *Gratianus*, illudque gerens, venit *Avenionem* ad alia Comitia Generalia anno 1482. & confirmationem muneris obtinuit. Mortuo *Marco de Monte Catino*, substitutus Procurator Gratianus, anno 1486. Eo nomine Libellum supplicem obtulit Innocentio VIII. ad Indulgentias obtinendas, postmodùm in Capitulo Generali Rupeculæ in Sabaudia, anno 1488. celebrato, ad idem officium confirmatus est auctoritate Apostolicâ; deindè, scilicet anno sequenti, minor Pœnitentiarius in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, ab eodem summo Pontifice constitutus: verùm & accepit Prioratum *S. Godonis*, Ordinis S. Benedicti, *Trecensis* Diœcesis, necnon *Præceptoriam Hospitalis S. Spiritûs in Saxia* de Urbe, Ordinis S. Augustini, in titulum, atque Monasterium *Aureliaci*, dicti Ordinis S. Benedicti, S. Flori Diœcesis, etiam in titulum ex concessione & dispensatione factâ anno 1495. per *Alexandrum VI.* cujus Capellanus fuit.

Innocentio VIII. à sacris Confessionibus, anno 1487. In Germaniam Nuntius & Commissarius Apostolicæ Sedis fuerat deputatus ad sacri Imperii Electores, & Maximilianum Austriæ Archiducem, à quibus mille aureos acceptos reportaverat in Cameram Apostolicam. Ab eodem Pontifice Maximo ad Serenisс. *Renatum* Ducem Lotharingiæ missus, ob publicationem Cruciatæ, indè summam sex millium ducatorum auri in Cameram Apostolicam deduxit anno 1489. Tandem anno 1492. Legatus ad Ardicinum Portæ Cardinalem Novariensem, qui contrà sacri Senatûs beneplacitum Monachus factus fuerat. Obiit Romæ Gratianus anno Christi 1497. die 21. Decembris, ætatis 55. sepultus in Xenodochii S. Spiritûs Ecclesia; & huic appositum Epitaphium in marmore sculptum tale legitur:

D. O. M.

GRATIANO DE VILLANOVA,
BILBILI ORTO,
CELEBERRIMO THEOLOGIÆ MAGISTRO,
SUMMORUM PONTIFICUM
SIXTI, INNOCENTII ET ALEXANDRI,
IN GALLIAM ET GERMANIAM LEGATO,
S. SPIRITUS XENODOCHII GENERALI,
PRÆCEPTORI SAXIÆ DOMUS BENEMERENTI.
VIXIT ANNIS LV. DIEBUS XXI.
OBIIT XII. KALENDAS JANUARII, ANNO 1498.
SEDENTE ALEXANDRO VI.
QUI, CUM NON ULTRA DUOS ANNOS,
MENSES QUINQUE, DIES XVII.
IDEM HOSPITALE ADMINISTRASSET,
SUMMO MULTORUM LUCTU,
ET DESIDERIO DE SE RELICTO,
IMPORTUNA MORTE SUBLATUS EST.

Scripsit *Libellum supplicem*, anno 1486. quem obtulit Innocentio Papæ VIII. ut *Fratres Ordinis Carmelitici*, *visitantes Altaria per Priores locales deputata*, *consequantur Indulgentias Stationum almæ Urbis*. Hic Libellus, cui benignè annuit idem summus Pontifex, die 16. Maii, eodem anno 1486. typis integer, prodiit *tom.* 1. *Bullarii Carmelit. pag.* 394. *Col.* 2.

De Gratiano de Villanova mentionem habent celebrem summi Pontifices Innocentius VIII. & Alexander VI. in *Bullis*, quæ conspici possunt in *Bullario Carmelitarum* citato, necnon apud Abrahamum Bzovium, *ad annos* 1487. 1488. & 1489. Petrus

Saulnier, Gallus, Supprior Xenodochii S. Spiritûs Romani, *Lib. de Capite hujus Religionis*, *cap.* 6. *pag.* 45. Ardicinus de Porta, Cardinalis, in *Literis responsis ad Alexandrum V.* apud Ciaconium & Bzovium. Petrus Lucius, in *Compendio Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 14. Didacus à Coria, in *Chronico Carmelitico*, *Lib. XII. Cap.* 5. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 359. ubi ex Codicibus Mss. colligit Gratianum de Villanova fuisse professum in Cœnobio vetustissimo Carmelitarum *Sangosensi*: Joannes Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *pag.* 959. *& seqq.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 118. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 965. *anm.* 3395. *&c.* præter Ludovicum Donium d'Attichi, in *vita Ardicini à Porta Cardinalis.*

X C.

GREGORIUS ALBERTUS VARAJE, natione Hispanus, Carmelita Valentinus, Sacræ Theologiæ Magister, in eadem Urbe vivere desiit anno 1658. postquam edidisset duo Opera, quæ Carmine exarata, titulum habent Hispano idiomate,

Primum, *Historia de la milagrosissima Imagen de N. Señora de la Pacientia Veneranda en el Convento de las Descalzas Carmelitas de Valencia.* Id est Latinè: *Historia Imaginis admodùm miraculosæ B. V. Mariæ de Pasientiâ, quæ colitur in Conventu Carmelitarum Discalceatorum Valentiæ.* Valentiæ, apud Bernardum Nogues, 1635. *in*-8°.

Secundum, *Pozo de Aguas vivas, riego fertil del florido Carmelo.* Sivè Latine: *Puteus Aquarum viventium, Aspersio fertilis Carmeli floridi.* Valentiæ, anno 1655. *in*-8°.

Hæc leguntur apud Nicolaum Antonium, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 414.

X C I.

GREGORIUS A S. ANGELO, natione Hispanus, Carmelita Discalceatus *Hispali* professus, anno 1586. cum Vener. P. *Joanne à Cruce* & aliis *Segobiam* profectus Monasterium *B. V. Mariæ de Monte Carmelo*, die 3. Maii fundavit. Deindè in Capitulo Generali anno 1588. Matriti celebrato, Secretarius Congregationis & Capituli constitutus, etiam anno 1591. ac Definitor Generalis, Prior *Villæ-novæ de Xera*, & 1595. Granatensis: Ven. Patri *Joanni à Cruce* intimus. Scripsit

Relationes de Congregatione Hispanied.

De quibus loquuntur Franciscus à S. Maria, *tomo* 1. & 2. *Historiæ reformationis sanctæ Theresiæ*, *Lib. III. cap.* 7. Ibidem *Lib. VI. cap.* 18. Ibidem *Lib. VIII. cap.* 8. Hieronymus à S. Joseph, *Lib. VI. Vitæ Joannis à Cruce*, *cap.* 3. Ibidem, *Lib. VII. cap.* 5. & 6 Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 518.

X C I I.

GREGORIUS CANALIUS, patriâ Venetus, nobili sanguine natus, exquisitæ vir prudentiæ & insigni scientiarum culmine fulgens, sacræ Theologiæ Doctor, Regens Cremonæ & Venetiis, Provinciæ Venetiarum Præfectus, deindè anno scilicet 1620. totius Ordinis Carmelitarum Procurator Generalis, post obitum R. *Sebastiani Fantoni* anno 1623. Vicarius Generalis & Apostolicus *ab Urbano VIII.* die 17. Octobris institutus, tandem anno 1625. in Comitiis Romæ habitis die Pentecostes, Magister Prior Generalis, unanimi consensu electus fuit.

Ejus primum studium fuit, uniformem, exactamque procurare observantiam; & illum in finem Ordinis Constitutiones auctas & recognitas excudere eleganter & promulgari fecit. Pro adscribendis B. *Andrea Corsino*, Sanctorum Catalogo, & extaticâ Virgine *Mariâ Magdalenâ de Pazzi* Beatorum numero tam sedulò laboravit apud Sedem Apostolicam, ut intentum obtinuerit. Eidem debet multùm Provincia Turoniæ, cujus primariis Reformationis articulis in Capitulo Generali 1620. propositis die 14. Junii nomen suum apposuit Procurator Generalis. Non minus eidem V. P. Vicario Generali debet Provincia Belgica, ad quam R. P. *Theobaldum* & Socios anno 1624. misit Reformationis promotores. Prior autem Generalis, factus tam prudenti moderamine, & tam forti protectione plantatam strictiorem Observantiam in eâdem Provinciâ Belgicâ sustinuit, ut ab ingruentibus objectarum difficultatum turbinibus tuta, ista Reformatio adoleverit. Singulariter dilectus ab Ordine suo, plenus dierum & bonorum operum, moritur *Romæ*, anno 1631. die 26. Julii. Sepultus in Ecclesia Carmelitarum *Sanctæ Mariæ Transpontinæ*, absque prominenti tumulo & inscriptione. Ordinavit tandem ut ejus ossa transferrentur ad Sanctum *Martinum de Montibus*, *Joannes Antonius-Philippinus*, ejusdem Monasterii Prior, postea Generalis, qui in *Epitome de Antiquitate & Veneratione Ecclesiarum Sanctorum Sylvestri & Martini de Montibus*, Romæ 1624. *in*-4°. Italicè *edita*, sequens Epitaphium apponendum curavit.

D. O. M.

SISTE, QUISQUIS ES,
Legere ne pigeat:
Hoc Lapide tegitur
Frater GREGORIUS CANALIUS, Venetus,
Ordinis Carmelitarum Magister Generalis,
Quem verè fuisse dixeris
Ad Religiosam mansuetudinem factum,
Et animi candore, ac morum innocentia,
Pietate in Deum: in egenos charitate
Mirificè clarum.
Qui sui Instituti Alumnos,
Æquè prudenti ac miti regimine
Per novennium in officio sustinuit.
Apud summos Pontifices, Paulum V.
Gregorium XV. Urbanum VIII.
Et Venetæ Reipublicæ Senatum,
Summâ existimatione, & gratiâ floruit.
Doctrinâ licet insignis,
Et Ecclesiasticæ immunitatis Propugnator acerrimus;
Tamen primarias Insularum dignitates,
Ultrò delatas, studio humilitatis recusavit.
Decessit septuagenario major,
Anno redempti Orbis M. DCXXXI.
Frater Joannes-Antonius Philippinus, Magister,
Provinciæ Romanæ Provincialis,
Optimè de se merito,
Amoris & observantiæ monumentum
POSUIT.

Edidit Gregorius Canalius,

1. Ad Dominicum Pinellum, S. R. E. Cardinalem, Ordinis Carmelitarum Protectorem, *Epistolam dedicatoriam*, quam præfixit *Commentariis in Psalmos Davidicos* Michaelis Aiguani de Bononia, Doctoris *Incogniti*, vulgò nuncupati. Parisiis, 1613. *in-folio.*

2. *Epistolam alteram*, quæ præfixa est Exposi-

G.

tioni Regulæ Ordinis Carmelitarum, Parisiis editæ, anno 1620.

3. *Alias plurimas Epistolas*, quarum una statim post obitum *R. P. Sebastiani Fantoni*, ipse Vicarius Generalis constitutus, ad R. P. Philippum misit, & in qua ait: » Cum ergo mente concepetim » languentem Ordinem nostrum ad regularem Ob- » servantiam & ad veram vivendi formam, quan- » tùm in me erit revocare, hoc fine vestro auxi- » lio, non valeo. Sciat autem Paternitas tua, quod » me semper ad omnia paratum habebit: eodem » amore, quo Reverendissimus Pater Generalis te » prosequebatur, me quoque te prosecuturum pol- » liceor.

4. *Constitutiones Ordinis auctas & correctas* excudere & promulgari fecit, Romæ 1615. *in-4°.*

GREGORIUM CANALIUM laudibus extollunt Urbanus VIII. in Diplomate quo eum anno 1623. in Vicarium Generalem instituit; & in aliis Apostolicis Literis, quibus illum Priorem Generalem confirmavit ad sexennium, anno 1629. instante R. P. Leonardo Priolo, Procuratore Ordinis, sicuti legitur *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 402. & 411. Claudius Robertus, in *Catalogo Magistrorum Priorum Generalium Carmelitarum*: Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Eliæ*, *Cap.* 262. *pag.* 599. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 488. Hugo à S. Francisco, in *Vita Ven. P. Philippi Thibault*, *Cap.* 28. *pag.* 213. & *Cap.* 34. *pag.* 251. Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mss. pag.* 118. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 540. *num.* 974. Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico ad an.* 1631. *&c.*

XCIII.

GREGORIUS CANDEL, Carmelita Hispanus, admodùm Theologus, edidit Opusculum *De la antiguedad de la Fiesta de la Concepcion en la Orden del Carmen.* Valentiæ, anno 1654. *in-4°.*

Hujus meminit Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 415. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 119. Daniel à Virgine Maria, *in Vinea Carmeli*, *pag.* 383. *num.* 700.

Antiquitatem Festi Conceptionis purissimæ Beatæ Virginis Mariæ ostendunt Decreta Capituli Generalis, Tolosæ habiti anno 1306. sicuti jam vidimus paulò superiùs, scilicet *pag.* 498. *lin.* 5. sub Gerardi de Bononiâ. Quot vero in Ordine Carmelitano fuerint Auctores hujus piæ opinionis, non facile colligere est in unum locum. Catalogum illorum exaravit *Franciscus bonæ spei*, in suo Tractatu de *Visione magni Eliæ Prophetæ*, quem appellavimus superiori paginâ 443. Epistolam Encyclicam quam ad omnes Hispaniæ Præsules hac de re denuntiavit *Alphonsus Sobrino*, laudavimus superiori *pag.* 38. *lin. primâ.* Celebriores Carmelitas, qui eamdem sententiam propugnarunt, daturi sumus inferiùs, verbo STEPHANUS DUARTE. Antiquiorem suum & antiquissimum omnium suorum Scriptorem reputant Carmelitæ Joannem Jerosolymitanum, qui Librum de *Institutione Monachorum scripsit*: ast eum seculo decimo tertio seniorem non esse opinatur R. P. Daniel Papebrochius, *tomo* 3. mensis Maii, in *Historia Patriarcharum Jerosolymitanorum*, §. 6. *pag. xxj.* » Sit igitur, *inquit*, Libri Auctor *Joannes* » aliquis *Hierosolymitanus*, æquè ac alterius *Jose-* » *phus* quispiam *Antiochenus*, sic dicti ab Urbibus » ubi ex Latinis nati sunt, & undè in Europam » transgressi Latinè scripserint, eodem circiter tem- » pore, quo Guillelmus de Sanvico, id est, sub » finem Seculi XIII. quando erat jam sesqui-seculum » elapsum ab initio Ordinis, sub Bertholdo cœpti, » tempusque sufficiens intercesserat, ad majorem » antiquitatem comminiscendam, & persuadendam » vulgò, de rebus peregrinis peregrina audite & cre- » dere amanti. Vide *tom.* 2. *col.* 40.

XCIV.

GREGORIUS A S. FRANCISCO, natione Tuscus, patriâ Senensis, Carmelita Excalceatus, Provinciæ Romanæ alumnus, & in eâ bis Definitor Provincialis, è Latino Sermone R. P. Philippi à SS. Trinitate, in Italicum vertit circà annum 1668.

Vitam Ven. P. Dominici à Jesu Maria, *Bilbilitani*, *Carmelitarum Discalceatorum Congregationis Italicæ*, *præpositi Generalis*; teste Ludovico Jacob, in *Schedula Mss.* affixa ad suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ paginam* 120.

XCV.

GREGORIUS A JESU MARIA, natione Ligur, patriâ Genuensis, Carmelita Excalceatus, Philosophiæ ac Theologiæ, anno Domini 1631. in Provincia Germaniæ Professor, Prior Græciensis anno 1649. electus, & alibi etiam Genuensis, deinde anno 1655. ejusdem Prior Provincialis, & Genuæ anno 1664. Vir divinæ gloriæ zelo, regularis vitæ observantiâ, morum integritate, rerum experientiâ, & litterarum cognitione præclarus; scripsit Opus inscriptum:

Scala ad Deum ex incorruptibilibus amænissimorum Thomisticæ Doctrinæ nemorum lignis constructa. Hoc est: *Ascensus mentis in Deum per viam naturalis cognitionis, in quo juxtà mentem Angelici Doctoris doctrinam, ex visibilibus ad invisibilium Dei cognitionem perveniendi legitimus modus proponitur.* Viennæ, anno 1639. *in-4°.*

Hæc Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 120.

XCVI.

GREGORIUS A S. JOSEPHO, natione Segusianus, patriâ *S. Stephani*, Gallicè, *S. Etienne en Forês*, Diœcesis Lugdunensis, in seculo MATARE cognominatus, Carmelita Excalceatus, Prior Parisiensis, Charentonensis, anno 1622. & Tolosanus anno 1625. Vir pietate, probitate, ingenio & literis celebris. Scripsit Gallico sermone,

1. *Crucem victoriosam*: in qua multa, magnaque profert encomia in laudem Ordinis Carmelitarum.

2. *Tractatus* nonnullos *Asceticos*, quibus titulos non adhuc præfixerat morte præventus.

3. *Poemata quædam Gallica* in laudem generosæ separationis *Mariæ Lætitiæ de Luxemburgo*, Principis de Tingry, & *Henrici de Levi de Vantadour*, Ducis & Paris Franciæ, ex mutuo amborum consensu; ut liberiùs Deo servirent, & ejusdem Dominæ ingressûs in religionem Monialium Carmelitarum Avenionensium Congregationis S. Teresiæ.

Hæc Opera servabantur quondam Mss. apud Dominum *Matare*, Civem *S. Stephani* Segusianorum, Auctoris fratrem germanum, post mortem Gregorii à S. Joseph, qui obdormivit in Domino *Avenione*, anno gratiæ 1641. mense Februario.

De illo mentionem habent Petrus à S. Andrea, in *Vita Mariæ Lætitiæ à S. Teresia de Luxemburga*, *Carmelitanæ Teresianæ*, *pag.* 18. 23. 45. 51. & 78. Idem, in *Vita Magdalenæ à Jesu Maria*, *pag.* 69.

76. 78. Ludovicus à S. Teresia, in *Annalibus Carmelitaram Excalceatorum Galliæ*, *Lib. I. Cap.* 56. & 62. *pag.* 141. & 159. Idem, *Lib. II. cap.* 123. 124. *pag.* 643. 648. Paulus a SS. Sacramento, in *Vita* ejusdem *Sororis Magdalenæ*. Idem, in *Vita* ejusdem *Mariæ Lætitiæ*.

XCVII.

GREGORIUS A S. MARTINO, natione Belga, Carmelita antiquioris regularis observantiæ in strictiori nupera reformatione professus, Provinciæ Gallo-Belgicæ alumnus, Sacræ Theologiæ Professor, Variis in Conventibus Prior, & suæ Provinciæ Definitor; Edidit ex Italico in idioma Gallicum traductam *vitam S. M. Magdal. de Pazzis*, 1670. ut legitur *tomo* 2 *Spec. Carmelitani*, *pag.* 441. *num.* 1541. Scripsit Gallico Sermone Librum, cui titulus inest:

Apologie pour l'Antiquité des Religieux Carmes, tenans légitimement leur origine & succession héréditaire des SS. Prophêtes Elie & Elizée. Laquelle dois servir de Préface au Livre qui portera pour Titre : Le Carmel Saint. *Par le R. P. Gregoire de S. Martin, Définiteur de la Province Gallo-Belgique de l'ancienne & étroite Observance de l'Ordre des Freres de Nôtre-Dame du Mont-Carmel, & Lecteur en la Ste. Theologie, en leur Couvent de S. Joseph. à Douay. A Douay, chez Michel Mairesse*, 1685. *in*-8°.

Hæc Apologia Auctoritate Reverendissimi P. Generalis Carmelitarum Angeli Monsignani, sub Syngraphâ R. P. *Danielis Scappæ*, Procuratoris ejusdem Ordinis munitâ, cum approbatione duorum Theologiæ Professorum Antiquioris observantiæ Carmelitarum, cumque duorum aliorum Sacræ Theologiæ Lectorum Carmelitarum Discalceatorum, nihil aliud esse videtur quam pars compendiosa Armamentarii Historico-Theologici, de quo superiori *paginâ* 444. mentionem fecimus. Utinam effervescentem verborum inurbanitatem vitasset, ponderosiorem rationum copiam adduxisset, nec par pari retulisset?

Conqueritur Apologista noster *Gregorius*, quod Carmelitas appellet, *Nugatores*, *Impostores qui Bullas finxerant*, *ignorantes*, *fabularum ac Commentorum figulos*, *noctuas*, *Vespertiliones*, *furiosos poetas*, *suæ rabiei spumam evomentes*. Hæc sola si proferet Papebrochius, antiquitatem Ordinis Carmelitarum intactam relinquet.

Conqueritur 2°. quod *Papebrochius* non admittat Oraculum Dei Carmeli, de quo loquuntur Suetonius Tranquillus, in *Vespasiano*, *cap.* 5. & distinctiùs Cornelius Tacitus, *Lib. I. cap.* 10. & *Lib. II. cap.* 78. Ità ut fateatur Papebrochius illud anno Æræ vulgatæ LXVII. accidisse, sed non modo ullo ad Ascetas Carmeli pertinente. Ast licet Christiano modo illud fuerint interpretati Bollandus & Henschenius ad *Vitam S. Thelesphori*, *die* 5. *Januarii*, post Didacum de Coria *Lib. VII. cap.* 3. post Petrum Thomam de Sarracenis, in *Menolog. parte* 1. *fol.* 77. post P. M. F. Laurentium Angelum Espin, etiam Carmelitam Hispanum, qui Librum Cæsar-Augustæ circa annum 1676. publicavit, cui titulus: *Ruina idoli Carmelitici, quod somniavit Reverendiss. P. F. Hermenigildus à S. Paulo*, Hieronymianus, aliter tamen existimandum censuit Excellentiss. Dom. Gaspar de Mendoza, Marchio de Agropoli, in Libro quem anno 1678. edidit Hispali cum hoc titulo: *Explicatio cujusdam loci Suetoniani, & Examen Divinitatis, quam Vespasianus in Carmelo consuluit.* Eamdem posteà sententiam secuti sunt Sebastianus Lenain de Tillemont, *tomo* 2. *Historiæ Imperatorum*, *pag.* 521. Daniel Papebrochius, *tomo* 3. *mensis Maii*, in *Historia Chronologica Episcoporum Hierosolymitanorum*, *pag.* 12. §. 1. *num.* 7. quin & jam, *tomo* 1. *Aprilis notâ* 58. *ad Vitam S. Alberti*, dixerat » Cogor vehementer dubitare, utrum rudera illa, de quibus loquitur Joannes Phocæ, verè alicujus Monasterii fuerint, & non potiùs reliquiæ habitationis illius, quæ occasione profani Oraculi quod istic Vespasiani ævo consulebatur, olim fuerat excitata. » Cæterum non debet insulsum videri quod Tacitus dixerit, *Carmelum* vocari *Deum Montemque*; Nam, ut Prudentius Lib. I. contrà Symmachum *vers.* 297. Gentilibus exprobrat:

Quidquid humus, quidquid pelagus mirabile gignit,
Induxêre Deos: colles, freta, flumina, flammas.

Queritur 3°. Apologista, quod *Papebrochius* Essenos reputet Monachos: Quia » satis notus erat Hieronymo Josephus, nec fugisse eum poterant quæ de Essenis habet: non tamen ipsi vel per somnium incidit cogitare illos Monachos fuisse... Nec enim allegata à Palæonydoro Historia Alexandrinæ cum Libro de *Institutis Monachorum*, & *Supplemento Sigeberti*, *de Illustribus Viris*, ipsius Palæonydori ætatem, id est, seculum Christi xv. videntur superare. » Ast Esseni quidem non eam, quam nunc profiteantur Monachi, perfectionem servant. Ipse vero Papebrochius satis non sibi constat, Librum de Institutione Monachorum negans Palæonydori ætatem superari; cum paulò inferiùs, scilicet *pag.* XXI. §. 6. *num.* 93. contendat quod Libri Auctor *Joannes* aliquis *Hierosolymitanus* scripserit eodem circiter tempore, quo Guillelmus de Sanvico, id est, sub finem seculi XIII. Hic error non Typographicus solummodò est, de quo Papebrochius *superiùs* loquebatur, *pag.* 357. *lineâ* 7. voces, personæ, ætates, cyfræ redarguunt Auctorem.

Queritur 4°. Apologista noster, quod Papebrochius non admittat *Josephi Antiocheni* librum, quem Carmelitæ tenent proximum temporibus Apostolorum, vixisse sub annum Christi CXXX. cùm & ipse Possevinus expresse scribat: *Josephus Antiochenus, vetustissimus fertur fuisse Auctor. Vixit anno* 130. At » Possevinus, inquit Papebrochius, ut apparet, id solum retulit quod fama ferebatur, nihil sollicitus quomodo ea fundata esset & fortè alicubi pro 1300. cyfrâ unâ per fraudem extritâ vel per errorem omissâ, invenit scriptum 130. quod ad alia festinantem decepit: Quem ejus lapsum dissimulans Bellarminus, in Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Josephum tacitus prætermisit. » Hæc Papebrochii vox (*fortè*) quantas & quot indubietates Historias inducit? Vide *tom.* 2. *col.* 152.

XCVIII.

GREGORIUS NAZIANZENUS, natione Hispanus, patriâ Villarubrianus, Carmelita Excalceatus Hispalensis, S. Teresiæ familiaris, Magister Novitiorum, Prior Rodæ, Vallisoletti, & bis Matriti, deindè Castellæ Veteris & Bæticæ Definitor & Provincialis: Vir ob morum candorem, vitæ integritatem, regularitatis observatiam, judicii maturitatem, consilii prudentiam & eruditionis famam valdè suâ in Congregatione celebris, ex hâc vitâ terrenâ ad cœlestem patriam migravit circà annum Christi 1596. Provincialis Castellæ Veteris.

Scripsit *Epistolas quàm plurimas ad S. Teresiam*: Quæ aliquando fortassis lucem videbunt.

De

G.

De Gregorii Nazianzeni laudibus agit S. Teresia, in *suis Epistolis.* Joannes de Palafox, in *Notis ad easdem S. Teresiæ Epistolas:* Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 1. & 2. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ:* Hieronymus à S. Joseph, in *vitâ S. Joannis à Cruce, Lib. VI. cap.* 3. Ibidem, *Lib. VII. Cap. ult.* Didacus Yepes & Franciscus Ribera, in *vita S. Teresiæ.* Phillppus à SS. Trinitare, *Lib. VII. Compendii Historiæ Carmelitanæ, cap.* 16. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 120. Ludovicus à S. Teresiâ, in *successione Eliæ, pagg.* 633. 644. & 646.

XCIX.

GREGORIUS NAZIANZENUS A S. BASILIO, in seculo dictus, LAMBERTUS BORBONE, natione Campanus, patriâ *Baro ad Albalam*, in Diœcesi Lingoniensi die 19. Octobris 1585. (aliis die 7. Octobris 1584.) vir egregiis animi dotibus exornatus. Ingenium ab adolescentiâ ità excoluit, ot *Lutetiæ-Parisiorum* artes liberales, Philosophiam ac Theologiam accuratè didicerit, imò etiam non sinè applausu publicè in Collegio Bellovacensi Philosophiam docuerit. Anno 1613. & 1614. erat Sacræ Theologiæ Baccalaureus, & *Henrico Lefevre* qoi eod. anno 1614. apud Carmelitas Discalceatos indutus veste religiosâ, vocabatur *Basilius à S. Ludovico*, amicitiâ conjunctus intimâ.

Hujus suasu, valedixit mundo, & in eamdem Carmelitarum Discalceatorum Congregationem ingressus est die 27. Martii, feriâ secundâ post Pascha, anno 1617. in Conventu Charentonensi, propè *Parisios*; & ætatis suæ 32. aut 33. Anno probationis elapso, tria vota sua Deo dixit, quæ usque ad annum 1677. fideliter servavit, quo *Parisiis* die 26. Junii obiit, ætatis suæ anno 93. Fuit in suo Conventu Parisiensi Professor Sacræ Theologiæ, ac suæ Provinciæ annis 1628. 1634. 1637. & 1646. Definitor: necnon celeberrimi Monasterii Cluniacensis Reformator, Illustrissimi, *Jacobi de Veny d'Arboaze*, Abbatis Socius, anno 1627. Scripsit Gallico Sermone,

1. *L'adoptioa des enfans de la Vierge dans l'Ordre & la Confrairie de Notre-Dame du Mont-Carmel.* Latinè. *Adoptionem filiorum B. V. Mariæ ad Ordinem & Confraternitatem, Nostræ Dominæ de Monte Carmelo. Parisiis*, 1646. apud Diooysium de la Noüe & Sebastianum Huré, *in-8°. pag.* 1173. absque Indicibus.

Hic Tractatus in tres partes dividitur: Quarum prima pars tractat fusè & doctè de *Protectione B. Virginis.* Secunda *de Scapulari Ordini Camelitarum à Dei-parâ dato*; & ex professo omnia dubia declarat, & objectioaibus responder, quæ circà prædictum Scapulare, & Bullam sabbatinam fiunt, à *pag.* 529. ad *paginam* 933. Tertia pars enarrat *debita officia & obligationes, quibas tenentur Sodales Scapalaris vestimento induti.*

2. *Instructioa familiere pour la Confrairie du S. Scapulaire.* Latinè: *Instructionem familiarem pro Sacri Scapalaris Confraternitate.* Parisiis, apud Sebastianum Huré, anno 1646. *in*-24. Iterum ibidem, apud Simeonem Piget, 1653. *in*-24.

3. *De Arte benè moriendi* Librum: seu *Œconomiam moritari*, Latinè. Lugduni, Typis Christophori Fourny, 1663. *in*-4°. *pag.* 488. Ad Ducem de Looga Villâ, Henricom Aurelianensem.

4. Ex Hispanico in Gallicum Sermonem metricè vertit, *Tria Cantica mystica Ven. P. Joannis à Cruce, Carmelitæ Discalceati:* Quæ suis Libris præfiguntur traductis. Parisiis, apud Viduam Petri Chevalier, 1641. *in*-4°.

De nostro Gregorio Nazianzeno honorificè loquuntur Theophylus Raynaudus, *in Scapulari Partheno Carmelitico:* Gabriel Naodæus, in *Dialogo Politico:* Hippolytus Marraccius, in *Bibliothecâ Marianâ.* Thomas Aquinas à S. Josepho, in *Dissertationibus* duabus Apologeticis, pro *sodalitio sacri Scapularis:* Philibertus Fezayus, in *Duplici Privilegio sacri Scapularis & visionis S. Simonis Stokii:* Irenæus à S. Jacobo, in *Tractata Theologico de singulari Immaculatæ Virginis protectione:* Ignatius à Jesu Mariâ, *tomo* 1. *Mſ. pag.* 120. ad schedulam Mſ. ibidem affixam. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. *speculi Carmelitani, pag.* 594. *num.* 2198. Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 186. Philippus à SS. Trinitate, in *Compendio Historiæ Carmelitanæ, Lib. VII. cap.* 9. Ludovicus à S. Theresiâ, in *Annalibas Carmelitarum Excalceat. Galliæ, Lib. I. cap.* 24. 26. 28. 34. 76. 90. & 91.

C.

GREGORIUS DE SEBENICO, Dalmata, sed Carmelita Veneti Cœnobii alumnus & Prior, sacræ Theologiæ Magister & Professor edidit *de Nova Concordia prædestinationis divinæ, cum libertate volantatis creatæ Epitomen*, in tres partes divisam. Venetiis, apud Franciscum Valvasensem, anno 1665. *in*-24. pro secundâ Editione. Latinè. In prima parte profertur *primæ Academiæ* Thomistarum *Prædestinationis explicatio, & rejicitur.* In secunda parte, *Alterius Academiæ Prædestinationis* Jesuitarum *explicatio, sivè secundus Modus conciliandæ Prædestinationis cum libertate Arbitrii, & confutatio.* In tertia parte *continetur novus modus concordandæ Prædestinationis, cum Arbitrii libertate.* Vide superius, *pag.* 547.

CI.

GREGORIUS SPINOLA, Natione Italus, Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, Julii II. Pontificis Maximi Præceptor: vir undequaque doctissimus, generis splendore, animi candore, & morum suavitate illustris, scripsit circà annum 1470.

Commentaria Theologica.

Gregorii Spinolæ meminerunt Marinus Mersennius Cœnomanensis, Ordinis Minimorum, Theologus & Mathematicus celeberrimus, in suis *Commentariis super Genesim*, & Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 121.

CII.

GUALARDUS DE RUPE, aliquandò GUALHARDUS, seu GOALLIAROUS A RUPE, natione Gallus, provinciâ Occitanus, patriâ Tolosanos, Carmelita Lector studii Tolosani designatus in Capitulo Generali Apamiarum, anno 1425. Deindè in Capitulo Ravespergensi anno 1434. Magister, Definitor & Provincialis Tolosæ dicitur, Rosergii Archiepiscopi Tolosani eruditissimi in Theologico Magisterio socius. Capitulis sequentibus, Astensi, 1440. Cabilonensi, 1444. Romano, 1447. Avenionensi, 1457. Parisiensi, 1456. Buxelleosi, 1461. ac Aurillacensi, 1469. Provincialis ejusdem suæ Provinciæ, & aliquandò Definitor appellatur. Vir proindè, qui cum summa & rara doctrina semper præclaram conjunxit pietatem, atque vitæ integritatem; & cujus auctoritas apud suos sodales magno fuit in pretio. Scripsit,

1. *In sacram Scripturam Lecturas diversas*, Lib. II. de quibus Justinianus, & Lelong.

2. *Lecturam Theologicam*, Lib. I.

3. *Determinationes Theologicas*, Lib. I.

G.

4. *Sermones ad Clerum*, Lib. I.

5. *Sermones ad Populum*, Lib. I. & *alia*.

De illo loquuntur Guillelmus Catellus, *Lib. II. Historiæ Occitaniæ*, *pag.* 210. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliotheca Gesnerianæ:* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 692. Fabianus Justinianus, *Lib. III. de sacrâ scripturâ*, *pag.* 360. Jacobus Lelong, in *Bibliothecâ sacrâ*, *pag.* 1219. *col.* 2. Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad an.* 1470. *num.* 5. *pag.* 923. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 344. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 1085. *num.* 3808. *&c.*

C I I I.

GUALTERUS DISSÆUS, corruptè DISTIUS, ab Andreâ Schotto dictus: ex humili in Angliâ loco *Disso* Comitatûs Norfolcensis natus, habitum Carmelitanum in Conventu *Norvicensi* adolescens suscepit, & studia bonarum literarum cum disciplina Monastica, necnon virtutis cultu ita semper conjunxit, ut in virum doctrinâ & pietate celebrem evaserit. *Cantabrigiæ* tam strenuam Philosophicis & Theologicis scientiis dedit operam, ut ibi ad supremum Doctoralis dignitatis gradum suo jure fuerit evectus. Deindè *Parisiis*, & posteà *Romæ* studuit, disputavit, docuit, nonnumquam etiam Conciones habuit, ut non immeritò Concionator illustris ab aliquibus vocatur.

In his omnibus cum laudabiliter se gereret, celebrem famam acquisivit, & Viris Principibus charus esse cœpit. Anno 1387. in Capitulo Generali Brixiensi Provincialis Hispaniæ institutus est. Cum enim Hispaniæ & Galliæ Fratres Carmelitæ *Clementi VII.* tunc adhæterent, ex aliis nationibus Carmelitæ Provinciales illarum Provinciarum instituebantur, aut saltem titulum accipiebant à Prioribus ejusdem suæ obedientiæ Generalibus. Eodem anno ab *Urbano VII.* & deinde ab ejus successore *Bonifacio IX.* creatus & confirmatus est *Dissæus*, veluti de latere Legatus ad Regna Hispaniarum, videlicet Castellæ, Portugalliæ, Legionis, Aragoniæ, Cataloniæ, Navarræ, & Granatæ. *Constantiæ Castellæ*, atque *Joanni Lancastriæ* & Aquitaniæ Duci ejus conjugi fuit à Confessionibus; tantâque apud eos auctoritate polluit, ut Joannes uxorio jure Regnum Castellæ & Legionis repetierit: Quam quidem expeditionem omni, quo potuit, auxilio & consilio juvit atque promovit *Dissæus*.

Ad partes etiam Angliæ, Vasconiæ, & ad alias Provincias missus est, ut Crucem Christi contrà Infideles, hæreticos & schismaticos prædicaret. Cujus quidem Legationis monimenta in Hispaniâ conspici asserit Biscarretus, in quibusdam foliis Indulgentiarum Bullæ Cruciatæ, quæ tunc dabatur. Galliam quoque & Italiam magno cum labore & honore peragravit. Tandem obiit Norwici anno 1404. die 21. Januarii; ibidem sepultus in Choro Ecclesiæ Carmelitarum. Ejus Opera inscribuntur,

1. *In Psalmos quosdam Co[illegible]anea*, maximè ex SS. Augustino & Anselmo excerpta, Lib. I. Incipit: *Accedere ad Deum contigit*, *&c.* Citantur apud Sixtum Senensem, *Lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ:* apud Fabianum Justinianum, *Lib. III. de scripturâ sacrâ*, *pag.* 404. apud Jacobum Lelong, in *Bibliothecâ sacrâ*, *pag.* 755. *Col.* 2. *E.*

2. *In Libros Sententiarum Commentaria*, Lib. IV. Incip. *circà Prologum quæro primum*, *&c.*

3. *Quæstiones Theologicas*, Lib. I.

4. *Determinationes variæ.*

5. *Ad Præsides Ecclesiarum*, Lib. I.

6. *Contrà Wiclefistas & Lothardos*, Lib. I.

7. *Sermones de Tempore*, Lib. I. Incipit: *Hora est jam nos de somno surgere.*

8. *Sermones de Sanctis*, Lib. I. Incipit: *Vidit Stephanus gloriam Dei.*

9. *Epistolæ ad Urbanum VI. & Bonifacium IX.* Romanos Pontifices, Lib. I.

10. *De Schismate Ecclesiæ Carmen.* Quod prodiit inter *Analecta Joannis Lydii*, *pag.* 131. ad calcem *Operum Nicolai de Clemungis*: Lugduni-Batavorum, 1613. *in-4°.*

Gualterum Dyssæum laudant Thomas Walsinghamus, in *Continuatione Polychronici.* Auctor *Antiquitatum Britannicarum*, *pag.* 267. Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 676. Antonius Possevinus, in *Bibliotheca selecta Lib. II. cap.* 79. *pag.* 115. *Idem*, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 693. Andreas Schottus, de *Interpretibus Sacræ Scripturæ*: Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 333. Lezana, *tomo* 4. *Annal. pagg.* 722. 724. 725. 729. & Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 722. *&c.*

C I V.

GUALTERUS HESTONIUS, vel NESTONUS, aliàs WALTERUS KESO, natione Anglus, patriâ Lincolniensis, oppido Stanfordiensis, Carmelita, Philosophiæ ac Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor Cantabrigiensis: vir integritate morum omnibus amabilis; & tum in sacris, tum in prophanis eruditus, ut ingenii laude & eruditionis famâ celebraretur: Angliæ Provinciam per plures annos gubernavit Prior Provincialis, adeò ut eo nomine decoretur in Capitulo Generali Metensi anno 1348. in Tolosano, 1351. in Perpiniacensi, anno 1354. & in Ferrariensi, anno 1357. Quo quidem posterior nulla de ipso Hestono mentio reperitur in Fastis Carmeliticis: illum proindè obiisse paulo post conjiciunt. Scripsit,

1. *Quæstiones de Animâ Libris tribus:* Incipiunt: *Quæstio est quando scientia*, *&c.*

2. *Quarumdam Propositionum* Librum unum.

De illo mentionem faciunt Joannes Lelandus, Pitseus, & Balæus, de *Scriptoribus Angliæ.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro*, *tomo* 1. *pag.* 693. Lezana, *tomo* 4. *anno* 1350. & 1357. *pag.* 597. & 616. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 297. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 122. Daniel à Virgine Maria, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1116. *num.* 3943. *&c.*

C V.

GUALTERUS HUNTUS seu VENANTIUS, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor, & publicus Professor Oxoniensis, interfuit Conciliis Ferrariæ, anno 1438. & Florentiæ sub *Eugenio IV.* Romano Pontifice, totius Regni Angliæ decreto & nomine: in quibus adversùs Græcos & Armenos summâ cum omnium doctissimorum Patrum utriusque Ecclesiæ admiratione disputavit, unde æternam laudem à *Joanne Paleologo*, Imperatore Constantinopolitano, *Josepho*, Græcorum Patriarcha, *Juliano S. Angeli*, Cardinale, *Andrea*, Archiepiscopo Collossensi & aliis Ecclesiæ Principibus consecutus est.

Hic enim ab ingenio solertissimo, sermone polito, & linguâ expeditâ, tam in sacris quàm in profanis literis scientiâ valdè commendatur. Accedebat iis linguarum exacta peritia, quæ hominem magnâ dignum existimatione reddebant. Magis tamen à nobis commendandus, ob vitæ sanctitatem, quâ, acce-

G.

denti singulari ejus eruditione permotum Angiorum regnum, eum ad universalem Ecclesiæ Synodum sub anno 1438. suo nomine & communi deciero Oratorem misit. Quam strenuè porro in eà legatione se gesserit, luculentis *Pitseus* vocibus describit. Oxoniam deindè reversus, ibi à docendo & scribendo, etiam in ætate decrepita nunquam usque ad mortem cessavit, quæ Oxoniæ contigit anno 1478. die 28. Novembris. Scripsit,

1. *Enarrationes Evangeliorum*, Libris IV. Quarom meminerunt Guillemus Eiseingrenius, in *Catologo testium veritatis*, *pag.* 787. *col.* 1. *A.*

2. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria.*

3. *In Ecclesiæ Symbolam*, Lib. I. Incipit: *Sed magna erat quæstio, utrum*, &c.

4. *De Præcellentiâ S. Petri*, Lib. I. Incipit: *Petrus Apostoloram Princeps.*

5. *De Pontificum Jurisdictione*, Lib. III. Incipit: *Suprema Militoatis Ecclesiæ.*

6. *De Regalitate Christi*, Lib. I. Incipit: *An Christus hominum perfectissimus.*

7. *De Christi paupertate*, Lib. II.

8. *De Prædestinatione*, Lib. I. Incipit: *Soli præventi Dei gratia prædestin.*

9. *De universali Pontificam dominio*, Lib. III.

10. *Lecturas Theologicas*, Lib. II.

11. *Disputationum Libri duo.*

12. *De universalì Cleri Dominio*, Lib. I. Incipit: *Non solum Parochiales Caruti:*

13. *De Religiosorum prærogativa*, Lib. I. Incipit: *Viso superius quid sit Ecclesia.*

14. *De Stata Fratram Mendicantiam*, Lib. I. Incipit, *Religiosorum Medicantium status.*

15. *Sermones viginti septem notabiles*, Lib. I.

16. *Contra Græcorum articulos*, Lib. I. Incipir: *Differenda materiæ altitudo.*

17. *Acta Ferrariæ & Florentiæ*, Lib. VI. Incipiunt: *Sciendum est quod duodecim vocibus.*

18. *De Processu Socri Concilii*, Lib. I. Incipit: *Posthac sic dicta unicum actum.*

19. *Certamina Latinorum*, Lib. I. Incipit: *Dominus Archiepiscopus Collossensis.*

20. *Excerptiones duodecim Chronicorum*, Lib. XII. Incipiont: *Joannes filius minor Henric.*

21. *Abbreviationes Petri Comestoris*, Lib. I. Incipit: *Ex Ægypto vocavi filium.*

22. *Historiarum Epitomen*, Lib. I. incipit: *Ovidius Naso sic dictus est quià.*

23. *Contra Mulieres doctrices*, Lib. II. Incipiunt: *Non licet mulieribus publicè.*

24. *De Communione fœminarum*, Lib. I. Incipit: *Idoneæ Ministræ non sunt mulieres.*

25. *Vocabularium Latinum*, Lib. I. Incipit: *Ab*, *præpositia omnibus incompositis.*

26. *De Vigore Literarum*, Lib. I. Incipit: *A*, *Vocalis aliquando mutatur per*, &c.

27. *In Guillelmum Parisiensem*, *de Virtutibus Indices*: Lib. I. Incipit: *Ad Notitiam istius Tabulæ, quæ* &c.

28. *In Eumdem*, *de Vitiis Indices*, Lib. I. Incipit: *Abbatum Exempla de Taciturnitate.*

29. *Alia plura.*

Gualteri Hunti meminerunt Joannes Haytonus, Carmelita, in *Vesperiis Gualteri Hanti*: Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast.* Idem, *Lib. de Scriptor. Ord. Carmelitarum*: Joannes Lelandus, Pitseus, & Balæus, *De Scriptoribus Angliæ*. Conradus Gesnerus, in *Biblioth. universali.* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs Sacri*, *pag.* 693. Gerardus Joannes Vossios, *Lib. III. de Historicis Latinis*, *cap.* 9. *pag.* 645. Petrus Angelos Spera, *Lib. V. de Nobilitate Professorum Grammaticæ & humanitatis utriusque linguæ.* Andreas de la Saussay, *De Mysticis Galliæ Scriptoribus*, *pag.* 714. Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 337. Antonius Wood, in *Historia Universitatis Oxoniensis*, *Lib. I. pag.* 104. & 216.

E Carmelitis Arnoldus Bostius, *Lib de Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*, *cap.* 42. Joannes Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1438. & 1478. *pag.* 846. & 948. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 362. Lodovicus Jacob, in *Bibliotheca Pontificia*, *Lib. II. pag* 327. Idem, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 123. Daniel à Virgine Mariâ, *in Vineâ Carmeli*, *pag.* 504. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1114. &c.

C V I.

GUALTERUS KELLAVUS, natione Anglus, patriâ Eboracensis, Cœnobii *Alvertonensis* non multo anteà ab *Eduardo III.* fundati alumnus. Hic Oxonii studuit, & ibi multum in doctrina proficiens, sacræ Theologiæ supremam lauream adeptos est. Contendebat in eo virtus cum eruditione; unde inter suos sodales magno loco habitus fuit. *Joannes Pitseus* illum vocat Provincialem Angliæ decimum sextum: Quà etiam dignitate insignitum notat Ludovicus Jacob quinque annis: Verùm *Joannes-Baptista de Lezana* animadvertit hunc Gualterum non recenseri in *Libro Ordinis*, inter Provinciales qui numerantur in Capitulis Generalibus. Diem clausit extremum *Alvertone*, anno Domini 1367. mense Augusti; postquam scripsisset,

1. *Quodlibeta Theologica*, Lib. I.

2. *Determinationes* Libro ono.

3. *Sermonum variorum*, Lib. I.

De Gualtero Kellavo Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 339. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 305. Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1367. *num.* 2. *pag.* 662. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 124. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Spec. Carmelit.* 1116. *num.* 3943. &c.

C V I I.

GUIDO SODALIS, natione Italus, Carmelita, virtutum & Musarum cultor assiduus, scripsit idiomate italico Historiam de *Quinque primis Italiæ Regibus*, quam à se visam *Ms.* Florentiæ anno 1640. mense Septembri in Bibliotheca sanè Laurentiana Magni Ducis Hetruriæ, *in-folio*, *Pluteo* 62. testatur Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 124. ubi hunc asserit Guidonem Sodalem floruisse circà annum 1318.

Ad eumdem Auctorem pertinere videtur alterum Opus quod in eodem *Pluteo* 62. visitur sub hoc titulo: *Storia del Duca Elia d'Orbino Figlivolo del Conte Guido*, *divisa in tre parti*, *composta da Fr. del Carmine*, *Come apparisce d'alla Carta pecora che è in fine.* Memoratur apod R. P. Domn. Bernardum de Monsfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tomo* 1. *pag.* 365. *col.* 2. *D.*

C V I I I.

GUIDO TERRENA, vel DE TERRENA, cognomine suæ familiæ; sæpè GUIDO DE PERPINIANO, eo quod *Perpiniani* fuisset ortus:

G.

necnon aliquando *Parisiensis*, quod in hoc celeberrimo totius Orbis Gymnasio, Lauream Theologiæ doctoralem susceperit. Undè fama illa videri vana debet, quæ ad aures *Ludovici Pons-Icart*, Tarraconensis urbis Historici, pervenit, Guidonem huic civem recensens: In testimonium quippe veræ originis, præter agnomen ipsum, patricia, sic vel nunc appellata *de Terrena*, Perpinianensis familia producitur. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca veteri Hispana, tom. 2. pag.* 506. *num.* 131.

A prima ætate in patria Carmelitanæ Religioni nomen dedit, ut ipse testatur in *Expositione Decreti*, & in *Epistola dedicatoria suæ Summæ contrà Hæreses, ad Petrum Gauceliam.* Sacris Literis in Schola Parisiensi excultus, Doctorque renuntiatus, ad Sacrum Apostolicum, quod Avenione tunc temporis erat, Palatium docendis iisdem sacris literis vocatus, munere Lectoris publici laudabiliter functus fuit; necnon & Provinciæ quam generali vocabolo *Provinciam* vocant, Præfectus Provincialis moderabatur; cum in Festo Pentecostes anno 1318. celebraris Comitiis Generalibus Burdigalæ, Prior Generalis unanimi omnium assensu electus est; ita ut ex triginta quinque Electoribus, hunc elegerint viginti sex; aliis sine ullâ reclamatione vel exceptione assentientibus. *Liber Ordinis Carmelitici* nuncupatus, in quo Capitula Generalia diligenter referuntur, initium sumit ab isto Capitolo Burdigalensi, teste Lezana, ad hunc annum 1318.

Ante absolutum triennium, anno scilicet 1321. die 13. Aprilis, Majoricensium Insularum, sextus eorum qui huic Insulæ à Mauris receptæ præfuerunt, dignitate auctus fuit: ubi posteaquam aliquot annis laudabiliter præfuisset, inter eum, & Regem Majoricarum pro Ecclesiæ libertatibus, lite exortâ, translatus est ad Ecclesiam Elnensem anno 1332. die 27. Julii, & Berengarius, Elnensis Episcopus, translatus ad Sedem Majoricensem, *certis ex causis rationalibus;* ut loquitur Joannes XXII. in Bulla hujus permutationis. Hanc suæ patriæ Ecclesiam Guido usque ad obitûs diem, qui contigit ei XXI. Augusti, anni M. CCCCXLII. cum pietatis, doctrinæque eximiâ laude, meritisque de Apostolicâ Sede non vulgaribus, rexit. Quæsitor enim fidei rerum Generalis vocari solet, & quàm pluribus dicitur legationibus, negotiisque aliis, Pontificalibus auspiciis insumptus atque exercitatus.

In præfata urbe spiritum deo reddidit, ut diximus, die 21. Augusti, anno 1342. sepultus in Templo sui Ordinis Carmelitani, intrà Sacellum Divæ Annæ. ad dexteram primariæ Aræ constitutum, & ab ipso, dum viveret, magnificè ædificatum. Visitur modò ejus Sepulchrum, cum marmore superposito, effigiem Episcopi mitrati, cum ipsius stemmatibus referente. Attamen Lezana ad annum 1342. *num.* 14. *pag.* 575. scribit eum Avenione mortuum, quo fuerat à summo Pontifice vocatus. Ast Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 125. refert quod obdormivit in Domino Parisiis, ibidemque sepultus in Sacello B. Virginis Mariæ, sub tumba lapidea, cum sequenti inscriptione nunc mutilatâ:

D. O. M.

HIC JACET VENERABILIS

AC REVERENDUS PATER BONÆ MEMORIÆ,

DOM. † GUIDO DE TERRENIS - -

- - - - - - - - - - - - - - - -

Cætera sunt abrasa, nec ullo modo legi possunt. Marcus Antonius, Alegreus Cassanatus, *pag.* 282. sequens Exasticon in ejus memoriam depromit.

Is tamen est, quicquid dicat, cui nemo secundus
Vitâ, doctrinâ, relligione, modo.
Eloquio pollens, pollens pietate sagaci:
Non minus ingenio, simplicitate magis;
Et qui, quæ tractant, spirante volumina sacro
Numine, conflavit maximus iste Pater.

Wernerus Rollewink, Cartusianus, in *Fasciculo temporum, ad annum* 1354. castigandus est in eo quod Guidonem de Perpiniano eum appellans, Cluniacensem vocat Pontificem; Heliæ autem alterius elogio donatum dimittit. Aubertus quoque Miræus, in errore est Typographico ad *Caput* 438. *supplementi*, & Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliothecæ sanctæ;* & Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, dum Guidonem à Monte Perpiniano, Pontificem Elnensem prædicant. In re Theologica & Philosophica Guido noster reliquit posteris non contemnenda ingenii sui documenta, quorum tituli inscribuntur:

SCRIPTA.

1. *De virtutibus*, quod appellavit, *Ethica, seu Commentaria in VIII. Libros Ethicorum Aristotelis:* Quod Ms. in Regia Galliarum Bibliotheca, *Cod.* 3914. Incipit: *Negotium ergò, quod est circa mores, pars est, &c.* Ad finem Voluminis, quod ad minus 300. annorum est, inquiebat Casimirus Oudin, in *Commentar. de Scriptor. Ecclesi. tomo* 3. *pag.* 863. Subjicitur: *Expliciunt hic duo Volumina sive Opera moralium Aristotelis quæstionum compilata à mellifluo sacræ paginæ Doctore, Elnensi Episcopo, quondam universalis Ecclesiæ fidei Inquisitore, Fratre Guidone Ordinis Christiferæ de Monte Carmeli.* Similem Codicem Ms. in Bibliotheca Carmelitarum Maubertina à se visum fuisse, *Lib. I.* testatur Ludovicus Jacob.

2. *Super VIII. Libros Physicorum Aristotelis Commentaria.* Incipiunt: *Ex stirpe nobili atque regalibus emanans finibus, tandem præclarorum Comitum frondescit dignitate, &c.* Codex Ms. Romæ asservatur in Bibliotheca Carmelitarum S. Mariæ Transpontinæ, D. Rogerio de Armanaco nuncupatus: & illic à se visum hunc Codicem asserunt Nicolaus Antonius & Ludovicus, in *sua* respectivè *Bibliotheca jam citata.*

3. *In Aristotelis Libros de Anima, Commentaria:* Quæ alio titulo apud Trithemium appellantur *Quæstiones de Anima.* Eas Mss. vidit Ludovicus Jacob Parisiis, in Bibliotheca Carmelitana Maubertina. Eas quoque Mss. idem asserit extare Venetiis, in Dominicana Bibliotheca SS. Joannis & Pauli; necnon in illa Francisci Petrarchæ, ut annotat Jacobus-Philippus Tomasinus, Præsul Æmoniensis, in *Bibliothecis Manuscriptis Venetiis, publicis & privatis.* Æmonia, volgò *Citta nuova*, urbs parva sub Patriarch. Aquileiensi, Episcopo. Citatur infer, *pag.* 553.

4. *In XII. Aristotelis Libros Metaphysica Commentaria.*

5. *Quodlibetarum Liber unus. Quodlibeta sex* vocat Trithemius, & incipere ait: *In prima nostra disputatione.* Extant Mss. Ferrariæ, anno 1640. in Biblioth. Carmelitarum Congregationis Mantuanæ, in *folio Pergameneo;* ubi illa vidit Ludovicus Jacob, anno 1640.

6. *Quæstionum Liber unus.*

7. *In Libros IV. Sententiarum. Commentaria.*

G.

8. *De Perfectione vitæ* Tractatus, tribus partibus divisus, Joanni Papæ XXII. nuncupatus, cum hoc titulo : *Incipit tractatus* de Perfectione vitæ, editus à *D. Fr. Guidone, Episcopo Majoricensi, Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo* : Et in fine annotatur *factum fuisse & completum cum in Vigilia Natalis Domini, anno M. CCCXXXIII.* Extat Ms. inter Vaticanos, *Codice* 1011. in membranis. Extat quoque Ms. Claromonte, in Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum. Extat etiam Ms. in Bibliotheca Monasterii Parcensis, Ordinis Præmonstratensis. Extat Ms. adhuc, in Bibliotheca Colbertina, *Codice* 506. cum aliis tractatibus multis, tempore Joannis XXII. compositis, occasione contentionum in Ordine Minorum excitatarum, *De paupertate Christi & Apostolorum.*

9. *Concordia Evangeliorum* : sive *Quatuor unum.* Exemplo veterum Patrum, qui eamdem pangendi ex quatuor unum Evangelium, legem sibi dixére. Prodiit Coloniæ, ex officinâ Petri Brachel, anno M. DXXXI. *in-folio.* curâ & labore R. P. M. Joannis Seineri, Carmelitæ Coloniensis. Extabat Ms. Codex Parisiis, in Bibliotheca Thuana, *num.* 74. sicut animadvertit Philippus Labbe, in *Bibliotheca Manuscriptorum, pag.* 22.

10. *Expositio in tria Cantica Evangelica,* scilicet *Magnificat, Benedictus, Nunc dimittis* ; Joanni XXII. nuncupata. Prodiit simul cum *Concordiâ* opere nuper laudato. Extat Ms. Parisiis in Regia Galliarum Bibliotheca, semel atque iterum, *Codd.* 3674. & 3675. Extabat etiam Ms. quondam apud Joannem Balæum, Carmelitam, posteà apostatam.

11. *Summa de hæresibus, & earum confutationibus.* Prodiit Parisiis apud Jodocum Badium Ascensium, 1528. *in-folio* : Ad Petrum SS. Nerei & Achillæi, Presbyterum Cardinalem Albanensem nuncupata. Prodiit etiam Coloniæ cum duobus proxime dictis Operibus, eisdem Brachelii typis, operâ & studio ejusdem R. P. M. Joannis Seineri Volkmartiani Carmelitæ, Professorisque Theologiæ, anno 1531. Hæc Editio Badii satis requiritur ; inquit Joannes de la Caille, in *Historia* Gallicè scripta, de *arte Typographicâ, pag.* 73. Extat autem Ms. Oxoniæ in Anglia, in Bibliotheca Magdalensi, *Vol.* 53. Extat Ms. in Bibliotheca Monasterii Parcensis, Ordinis Præmonstratensis, in Belgio. Extat Moguntiæ apud Carmelitas. Extat Ms. in Escuriali Hispanica Regis Catholici. Extat Ms. in Bibliotheca Metropolitanæ Ecclesiæ Turonensis, *in-4°. Cod.* 258. Extat Ms. in Bibliotheca Ecclesiæ Cathedralis Lexoviensis, *Cod.* 36. Et indè Ms. citatur apud Bernardum de Montfaucon, Ord. S. Benedicti, in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum, tomo* 1. *pag.* 668. *col.* 2. *B. codice* 2145. Ibidem, *tomo* 2. *pag.* 1363. *col* 1. *cod.* 36. *&c.*

Hæc tamen summa de hæresibus non ita videtur accuratè completa, & ad exactam veritatis libellam appensa, quin Auctoris famæ aliquid detraxerit.
» Guido de Perpiniano, inquit Alphonsus à Castro
» in Præfatione ad suum de hæresibus Tractatum,
» Carmelitani instituti, & posteà Elnensis Episco-
» pus, librum de hæresibus composuit, in quo illas
» hæreses addidit, quæ post Augustinum fuerunt
» exortæ, nec illas omittens, quæ olim apud Ju-
» dæos fuerant. Verùm hic non contentus est hæ-
» reticorum nudam narrare Historiam, prout Au-
» gustinus & Philaster fecere ; sed cum singulis hæ-
» reticis manus conserere tentavit, & quasi ad sin-
» gulare provocat certamen. Quam rem adeò Infeli-
» citer agit, ut sæpè numero veritatem dicas suc-
» cumbere, si ex illius pugnâ censura ducenda sit.
» Omitto quod in ipsa etiam historiæ narratione de-

» ficit . . . aliquando hæreses commutat. Idem Al-
» phons. *Lib. VI.* de Eucharistiâ, *hær.* 4. & 9. vide
» eumd. *Lib. II. hær.* de *Adam & Eva.* Tribuens
» huic, quæ sunt illius : aliquando etiam errores
» ex diametro apertissimè pugnantes, eidem factio-
» ni tribuit, ut facile est apud eum invenire, cum
» de erroribus Armenorum loquitur.

Ob eamdem Guidonis de Armenorum erroribus narrationem, Leo Allatius illum appellat *fundum mendaciorum feracissimum* ; ut animadvertit Richardus Simon, in *Notis ad Apologiam Gabrielis Severi, Metropolitæ Philadelphiensis, pag.* 194. Et Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 390. & 391. Carolus Witasse, In *Tract. de Eucharistia, Quæst.* 2. *Art.* 1. *Sect.* 1. De erroribus Seculi Quinti, sibi objiciens, quod Guido Carmelita Armenos accusat existimasse Eucharistiam esse figuram Corporis Christi, respondet, *pag.* 303. *Nego consequentiam. Est enim ille Auctor levis admodum fidei, utpotè ignarissimus. Eum autem alii secuti sunt re non discussâ.*

Verumenimvero virum religiosum, Doctorem Parisiensem antonomasticè appellatum, Lectorem Apostolici palatii, Inquisitorem fidei acerrimum, debuitne Witassius tam acerba & contumeliosa notâ mulctare, & ignarissimum vocare rei, quam apprimè callebat Guido, quibusdam saltem de Armenis. Nam ipsemet Witassius fatetur & concedit *ead. pag.* 303. Quosdam Armenos reapsè existimasse Eucharistiam esse figuram Corporis Christi. Ideóque Odericus Raynaldus ad annum 1318. *num.* 14. refert quod Joannes XXII. Romanus Pontifex, Armenis, qui in Taurica Chersoneso agebant, scripserit, ipsos instruens ; ut in divinis mysteriis substantia panis & vini integris Specibus eum Christi Corpore & Sanguine commutaretur, & vino consecrando aquæ modica effundenda esset. Ad quid enim hæc summi Pontificis instructio, si (ut notat Guido de hæresibus Armenorum, *cap.* 22.) Armeni hi Taurici sanè sapuissent de Transsubstantiatione ? Hos arguit igitur Guido noster, & non ignarè arguit *non credentes quod factâ Consecratione per verba Christi super panem & vinum, verè & realiter verum Corpus & Sanguis Christi, sed tantùm in similitudine & signo* : & *dicentes quod Christus non transubstantiavit panem & vinum in verum Corpus & in verum Sanguinem suum, sed in similitudine & figura.* Quo textu utitur Illustriss. Dom. Carolus d'Argentrée, in *Collectione Judicior. tomo* 1. *pag.* 275.

12. *Correctorium Decreti.* Hujus Epistolæ nuncupatoriæ titulus talis est : *Reverendissimo Patri in Christo, & Domino suo Domino Gaucelino, divinâ providentiâ Episcopo Albanensi, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Frater Guido ejus humilis & devotus, Dei permissione Episcopus Elnensis, seipsum & paternis instructionibus in veritatis semitam dirigendum.* Et Paulo post : *Multorum denique amicorum importunè instantium precibus devictus, ut autoritates novi & veteris Testamenti ac Sanctorum, quas Magister Gratianus in toto Decretorum suorum libro allegat suis locis inscriberem ; & undè accepta sunt fideliter denotarem : hoc certè opus absque præsumptione, innixus auxilio divinæ gratiæ, flagitantium charitate, deflexus incipiam.* Hæc ille.

Sub alio titulo idem egregium Opus inscriptum : *Commentarium super Decretum,* seu *Expositorium Decretorum.* Extat Ms. In Bibliotheca Romæ Vaticana, signatum numero 1453. quod Autographum ipso vel primo intuitu judicatur. Codex iste Ms. est satis ingens, amplissimi folii, in membranis, pulcherrimo eoque veteri Charactere scriptus, auro &

G.

minio hinc indè depictus, cum imagine ipsius Guidonis, in habitu Episcopali, sed palàm Carmelitano, in ipso limine exaratâ. Hunc illic à se visum testantur propriâ suâ Syngraphâ, duo Magistri RR. PP. Carmelitæ *Fr. Ludovicus Perez*, & *F. Julius Albertus Castaldi*, *Sacerdotes*, qui & asserunt quod ad calcem præfati codicis, *folio* 259. Hæc notula legitur: *Sit igitur toti Trinitati*, *&c. laus*: necnon *Beatæ Virgini Mariæ*, *cujus titulo Ordo Fratrum de Carmelo insignitur*, *quem à pueritiâ sum professus*, *& Deo auxiliante*, *hoc Opus finivi*, *correctum*, *juxtà imbecillitatem ingenii*, *& virium mearum*, *in die Jovis* XVII. *mensis Februarii*, *anno Domini* M.CCCXXXIX.

Alter ejusdem Commentarii Codex Ms. asservatur Parisiis in Bibliotheca Galliarum Regia, in quam translatus est anno 1672. & signatus *Codice* 3673. ut asserit Stephanus Baluzius, ad Calcem *Antonii Augustini Dialogorum de Emendatione Gratiani*, *pag.* 642. Necnon in *Notis ad Vitas Paparum Avenionensium*, *pag.* 724. ubi Cardinalis, cui hoc opus nuncupatur, non *Gaucelinus*, sed *Gaucelmus* vocatur. Sic enim scriptum est hoc nomen in melioribus Libris, in Regesto Joannis XXII. Bibliothecæ Colbertinæ, & in aliis ejusdem ævi Scriptoribus, quos ibidem refert Baluzius, *pag.* 720. Adde quod in quibusdam literis Gallicè scriptis, quas habemus authenticas, ipse se vocat *Gaucelme*: Quod Scriptores Annalium Francicarum illius ævi vertunt in *Jasseaume*. Hunc fuisse nepotem ex Fratre Joannis Papæ XXII. falsò scribit Nicolaus Antonius, Onuphrium Panvinium secutus; ut probat Baluzius *Ibidem*, *pag.* 721. & 722.

Codex idem Ms. Regius citatur in *Bibliothecâ Bibliothecarum Mss. tomo* 1. *pag.* 744. *Col.* 2. *B.* nec non apud Casimirum Oudin, in *Commentariis de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *tomo* 3. *pag.* 863. Atque apud Nicolaum Antonium, *tomo* 2. *Bibliothecæ veteris Hispaniæ*, *pag.* 107. *num* 259. Similiter & Vir clarissimus Dom. Guillelmus Jouan, in *Bibliothecâ Metropolitanæ Ecclesiæ Turonensis*, *pag.* 86. *Not. ZZ.*

Tertius Codex Ms. ejusdem Decreti asservatur Coloniæ apud Carmelitas antiquiores *in-folio*; si fides adhibeatur Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 225.

13. *Constitutiones Synodales Guidonis*, *Episcopi Helenensis*, *editæ annis* 1335. 1337. 1338. 1339. & 1340. in quibus extat *Decretum de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ*. Typis prodierunt in *Collectione maxima Conciliorum Hispaniæ*, *tomo* 3. *pag.* 592. *& seqq.* Extant Mss. in *Bibliothecâ Ecclesiæ Helenensis*, citanturque à Philippo Labbe, in *Synopsi historicâ Conciliorum*, *pag.* 389. Ubi & in testem accersitur Stephanus Baluzius, qui easdem typis mandavit in *Appendice Marcæ Hispanicæ*, *pag.* 1454. *& seqq.*

14. *Epistola ad Joannem XXII. Papam*: *utrùm invocantes dæmonem sint hæretici*. Hæc fuit sub Guidonis Carmelitæ Helenensis Episcopi nomine, inter libros Mss. Latinos Antonii Augustini Tarraconensis; ut constat ex eorum typis edito indice. Nunc autem hæc Epistola eadem Ms. dicitur extare in Bibliotheca Escurialis Palatii.

15. *Reprobationes Operis Catalonici*: Quod aliqui (ait Possevinus) Arnaldo de Villâ-novâ, Medico attribuunt. Quinam fuerint hi errores, exponit Argentræus, *tomo* 1. *Collectionis Judiciorum*, *pag.* 267.

16. *De Vitâ & moribus Christi*, Liber singularis, eidem ab aliquo attribuitur; sed non eum facilè admittit Nicolaus Antonius, ineptiam tituli abhorrens.

17. *In Majorem Bibliarum partem* scripsisse eum quoque; sed quæ ad manum vix habeantur, ait Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 554.

18. *Impanationis errorem* sustinuit Guido Carmelita quidam, teste Thomâ Waldensi; in Tractatu de Sacramentis, *cap.* 64. sic aiente: *Et credi potest similiter deliquisse Joannem Paris in verbo*, *quando scripsit in Tractatu suo determinato*, *hanc viam impanationis ad tantum placuisse Doctori Guidoni*, *nostri Ordinis fratrum Carmelitarum*, *tunc quidem Lectori sacri Palatii*; *ut si foret Papa*, *ipsam decerneret eligendam.*

At Joannes ipse in suo Tractatu, qui inscribitur *Determinatio Joannis de Parisiis*, ex veteri Codice Ms. Sancti Victoris Parisiensis, edita Londini, anno 1686. Typis Joannis Cailloue *in*-8°. curâ & studio viri doctissimi Petri Allix, Charentonensis Ministri: Joannes Parisiensis, inquam, in eo libro, ut suam opinionem confirmet etiam auctoritate doctorum Virorum suæ ætatis, ita scribit, *pag.* 97. *Confirmatur etiam per Doctores modernos*, *quia magister Guido de Cluvigni determinavit in quodlibet. Corpus Christi esse in Altari per assumptionem*, *& similiter panem esse Corpus Christi per idiomatum communicationem*; *& dixit quod si esset Papa*, *quod confirmaret eam.*

Hunc quidem Guidonem Thomas Waldensis interpretatur de quodam Carmelita: Si quis fuerit hic Guido Carmelita, in obscuro est. Neque enim intelligi potest de Guidone, Episcopo Helenensi. Quippè non vocabatur Guido de Cluvigni, sed Guido Terreni. Præterea Joannes Parisiensis obiit in Curia Romana Burdegalis, ubi diffinitivam sententiam expectabat, anno Domini 1306. in festo S. Mauritii: Guido autem Terreni anno tantum 1320. constitutus est Lector sacri Palatii, teste Lezanna, quando sua dictavit *Quodlibeta*. Gratis ergo Cæsar Egassius du Boulay, *tomo* 4. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, *pag.* 197. interpretatur de Guidone Perpiniano, qui tum Lauream Doctoralem Parisiis nondum fuerat adeptus; nec in sacro Palatio fungebatur Lectoris Officio anno 1306.

De his consule Stephanum Baluzium in *Notis ad Vitas Paparum Avenionensium*, *pag.* 577. & Illustris. Dom. Carolum Duplessis d'Argentré, in *Collectione judiciorum*, *tomo* 1. *parte* 1. *pag.* 265. ubi animadvertit quod hic Joannes Parisiensis cognomine *Quidort*, vel de *Soardis*, distinguendus est ab alio F. Joanne Parisiensi, qui *Pungens asinum* (*Gallicè*) vocabatur, teste Jacobo Echard, in Libro qui inscribitur: *Scriptores Ordinum Prædicatorum recensiti.*

Guidonem Terreni laudibus extollunt Santius Rex Majoricarum, in Literis ad Joannem XXII. Papam: ipse Joannes XXII. in Bullis institutionis ad sedem Majoricensem & Elnensem, quæ leguntur in Bullario Carmelitarum, *pag.* 560. & 605. Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Eccles. Cap.* 554. ubi eum *Virum in divinis scripturis eruditissimum vocat*: Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliothecæ sacræ*; ubi eum appellat *Scholasticæ Theologiæ Professorem eximium*: Vernerus Rovelinck, in *Fasciculo temporum*, *ad annum* 1354. ubi eum nominat *Doctorem inter præcipuos commendatum*. Odoricus Raynaldus, an. 1331. & 1332. *num.* 28. ubi nominat eum *Censorem Fidei acerrimum*; ut omittam Henricum Spondanum, in *Annal. Ecclesiasticis ad annum* 1318. Joannem Lorinum, in *Præfatione ad Epistolam B. Jacobi*, *Cap.* 9. Joannem Fichardum, in *Vitis Jurisperitorum*, *pag.* 235. Petrum Lucium, in *Carmelitanâ Bibliothecâ*, *pag.* 32. Eminentiss. Joseph Saenz, Cardinalem d'Aguire; in *Collectione maxima Con-*

G.

eiliorum Hispaniæ, *tomo* 3. *pag.* 592., Sammarthanos Fratres, *tomo* 2. *Galliæ Christianæ*; in Episcopis Heleuensibus, quamvis erroneè dixerint Guidonem apud *Claram-Vallem* mortuum fuisse in Burgundiâ, cùm apud *Villam-Claram* in Ruscinonensi Comitatu dicere debuissent.

Erravit quoque Casimirus Oudin, in *Commentariis Ecclesiasticis*, *tomo* 3. *pag.* 866. Scribens Guidonem anno 1334. defunctum. Guido enim anno saltem 1340. Synodum Diœcesanam coëgit, cujus Statuta etiam supersunt. Longè à Veritate deviavit magis Alegreus Caslanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 282. dicens Guidonem obiisse anno 1330. Nam ex Annalibus Raynaldi ad annum 1332. num. 28. cum Bernatdus Fischerius Franciscanus, sub prætextu Evangelicæ perfectionis, in Episcopatu Helenensi, nova quædam doctrinæ sparsisset semina; Guido Episcopus captivum eum constituit, cujus ex Epistolis 32. errores collegit, quos ad Joannem XXII. misit. Guidonem non tacuit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Sacra*, *pag.* 983. *col.* 2. *A.* Neque Guillelmus Crowæus, in *Elencho Scriptorum*, *pag.* 158. Neque Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, *parte* 1. *pag.* 174. Neque Ludovicus à S. Teresiâ, in *Successione Eliæ*, *cap.* 238. *pag.* 539. Neque Daniel à Virgine Mariâ, in *Vineâ* Carmeli, *pag.* 530. *num.* 949. similiter imò & longè fusiùs de illo loquitur *tomo* 2. *Speculi Camelit.* *pag.* 923. *num.* 3229. *&c.*

CIX.

GUIDO TEUTONICUS, à natione sic appellatus, Carmelita Theologus, scripsit circa annum 1460. adversùs Ordinis sui detractores *Scutum Carmelitarum*, si fides dabitur Michaeli à Fonte, Carmelitæ Hispano. Veruntamen arbitrater deceptum fuisse Michaelem circà hujus Operis Auctorem, qui potiùs videtur esse Guillelmus Conventriensis, Anglus Carmelita, circa annom 1360. Videtur, inquam, Ludovico Jacob in *Bibliotheca Carmelitana Mf.pag.* 126. Sed satiùs crederem *Joannem de Gouda* Teutonicum, esse Auctorem quem Falconius divinare voluit, uti dicemus *infer.*

Guido Carmelita, Episcopus Tyberiadensis & Suffraganeus Metensis, legitur apud Lucam Wadingum, In *Annalibus Ordinis Minorum*, *ad annum* 1452. *num.* 34. & apud Jacobum Fodere Allobrogem, Franciscanorum Cabilonensium olim Guardianum, in *Descriptione Provinciæ Sancti Bonaventuræ Lugdunensis.*

Guido Rosseletus, Sequanus, Carmelita Vesuntionensis, Doctor Theologus, Provinciæ Franciæ alumnus, Episcopus Philadelphiæ, & Suffraganæus Bisuntinus, exhibetur apud Joannem-Baptistam de Lezanâ, *tomo* 4. *Annalium*, inter illustriores Carmelitas Cœnobii Vesuntionensis; cujus reædificatio affigitur ad *annum* 1393. *num.* 7. *pag.* 736. cum illud Monasterium ad Provinciam Franciæ pertineret: Nam postea scilicet anno 1610. adjudicatum est Provinciæ Narbonensi ab R. *Henrico Silvio*, Priore Generali: sed an *Guido* Teutonicus, Michaelis à Fonte sit alter uter eorum? affirmare nou audeo.

CX.

GUILLELMUS ALENCONIENSIS, corruptè ALCHONIENSIS, sic à Patriâ vocatus, natione Neustrius, Ordinis Carmelitarum In Provincia Franciæ dicta alumnus, Sacræ Theologiæ Doctor in Academia Parisiensi, anno Christi 1306. renuntiatus, posteà ibidem Professor: Vir Religionis Catholicæ cultor singularis, variæ eruditionis, & mirâ ingenii felicitate præditus, scripsit *adversùs Hæreticos Tractatum.*

De illo Guillelmo testimonia perhibent *Catalogus Mf.* Doctorum Parisiensium, Ordinis Carmelitarum, ex antiquis Majoris Conventûs Maubertini Chronologicis Tabulis, necnon ex Literis Universitatis Parisiensis, ab anno 1270. ad annum 1664. compositus, quem citat Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 126. Philippus à S. Jacobo, *de Scriptoribus Ord. Carmelit.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelit. Decoris*, *pag.* 178.

CXI.

GUILLELMUS BADBIUS, natione Anglus, Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Dum intrà privatos Monasterii sui parietes egit juvenis, omnes suos coævos virtute & eruditione præcedebat, *inquit Pitseus*, unde propter magnam ingenii spem, Oxonium ad altiora studia missus, inter suos quasi supremus emersit. Nam partim in illa Academia, partim alibi suis elegantissimis Concionibus magnam sibi famam acquisivit. Illum Joannes Lancastræ Dux ad se vocatum tanquam loco patris habuit, eumque ad secreta Confessionum adhibuit. Illum Clerus Wigorniensis in Episcopum circà annum 1380. petiit, & accepit; sed Opera suum loquuntur Auctorem: scilicet,

1. *Concionum celebrium* Liber unus.

2. *De Pænitentiâ*, Liber unus: Incipit: *Omnis ætas hominis ab adolescentiâ.*

3. *Constitutionum suæ Diæcesis*, Lib. I. Incipit: *Secundùm hortationem Psalmistæ.*

De illo loquuntur Joannes Lelandus, Balæus & Pitseus, *de Scriptoribus Angliæ*, *ad annum* 1380. Nicolaus Harpsfeldius, in *Historia Ecclesiastica Anglicana*: Franciscus Godwinus, de *Præsulibus Angliæ*: Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Robertus Ivorius Carmelita, in *Registro monimentorum Provinciæ Angliæ*. Lezana, *tomo* 4. *an.* 1380. *num.* 9. *pag.* 706. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 313. Dominicus à Jesu, in *Spicilegio Antistitum Ordinis Carmelitarum*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 126. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 924. *num.* 3231.

CXII.

GUILLELMUS BAGUET, natione Armoricus, patriâ & professione Carmelitanâ Nannetensis, Provinciæ Turoniæ alumnus; vir in bonarum literarum studiis & monasticis præceptis ab ipsa plusquàm mediocriter institutus & instructus, *Parisios* altiorum studiorum causâ mittitur; ubi primùm Philosophicis, deinde Theologicis scientiis comparandis operam collocavit. Hujus doctrinæ radios & splendorem *Roma* demirari satis non potuit, cum anno 1609. in Generalibus totius Ordinis Comitiis solemnes sustinuit Theses. Quibus & similes in Capitulo Provinciæ Turoniæ Pictaviensi, anno 1607. jam propugnaverat. *Parisiis* Lauream Doctoralem consequentis, & Magistralem illius triumphum Elegiaco Versu tunc temporis celebravit *Cyrillus Pennect*, Carmelita. Ad proprios lares *Baguetus* reversus, divino accensus zelo, multis in locis Concionatoris munus obivit, sed non multo tempore; nam obiit anno 1615. dum Sacris Concionibus in Quadragesima vacaret.

Fuit & subtilis ille Baquetius, quem publico, legitimoque Disputationum certamine, factioni auctoritati Pontificiæ tunc minùs faventi, opposuit magnus Cardinalis Perronius.

G.

Hæc Leo à S. Joanne, in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis*, *cap. 5. pag.* 32. Accedunt Cyrillos Penneẞ, in *Gymnasio Carmelitico Mſ. ad annum* 1615. Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. Illustrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 12.

CXIII.

GUILLELMUS BECKLEJUS, sivè BECKLEY, natione Anglus, sed *Dempstero* Scotus, *Sanduvici* in Cantia Britanniæ natus, Prior Carmeli Sanduvicensis, Doctor Theologus Cantabrigiensis: Vir variâ præditus eruditione, probitate, & moribus clarus, Theologus profundus & excellens Concionator, obiit *Sanduvici*, anno Domini 1438. postquam scripsisset,

1. *Quæstiones ordinarias*, Lib. I.
2. *Conciones varias*, Lib. I.
3. *Quodlibetorum*, Lib. I. Incipit: *Utrùm aliqua sit hyerarchia.*
4. *De Fratrum Decimis*, Lib. I. Incipit: *Quod Fratres B. Mariæ de Monte Carmelo.*

Guillelmum Beckley celebrant Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, de *Scriptoribus Angliæ*: Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Thomas Dempsterus, *Lib. II. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Scotorum*: Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 410. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1438. *pagg.* 847. 848. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*, *Mſ. pag.* 127. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 342. *&c.*

CXIV.

GIROLAMA sive HIERONYMA COSTABILE, nata in *Parg*, vel in suburbio *S. Mariæ Laurentanæ* Neapolitano, Sororum Tertiariarum Ordinis Carmelitani vestem anno ætatis suæ decimo quinto induit in Majori Carmelitarum Conventu Neapolitano, virtutibus & prodigiis plenam post vitam, & prænuntiatam post mortem, obiit die 7. Martii an. 1733. *Operum Manuscriptorum* obsignatum *Fasciculum* suo reliquit Confessario, mittendum in Curiam Viennensem Austriacam. Quâ de re certior factus Excellentiss. Dom. *d'Arrak*, Neapolitanus Prorex, *Girolamæ* vitam scribi curavit, quam cum Volumine Operum Manuscriptorum Viennam misit. Quid in eis contineatur, hactenùs latuit, sed hujus Venerabilis Sororis compendiosam vitam in suo *Codice* x. *Mſ.* servat P. Seraphinus *Potenza*.

CXV.

GREGORIUS A S. LAURENTIO, natione Germanus, patriâ Gysthorniensis, in seculo dictus LAURENTIUS AVER, ex parentibus *Andrea* & *Christiana* natus anno 1642. die 7. Augusti, in Provincia Germaniæ inferioris vota dixit solemnia apud Carmelitas anno 1659. Theologus profundus, Lectoris munus gessit sicut & Prioris, atque Procuratoris Generalis. In Aula Cæsarea officia magnâ cum laude functus est & summâ prudentiâ. E vivis excessit Salisburgi, die 26. Maii 1689. & in Ecclesia Patrum Augustinianorum Eremitarum, sepultus est, Carmelitis Cœnobium ibi non possidentibus. Ejus Opera indicantur,

1. *Examen Thomisticum Vindicarum Anti-Thomisticarum.* Salisburgi, anno 1688. *in-folio.*
2. *Tractatus Theologicus* P. Haunold, Soc. Jesu. Ibidem.
3. *Orationes Panegyricæ tres*, in Capitulis Provincialibus habitæ.

Hæc refert Ludovicus Perez, *Codice* 3. *Mſ. de Viris illustribus Ordinis Carmelitarum*, *folio* 51.

CXVI.

GREGORIUS MUFTEL, sub anno 1510. Carmelitarum Provincialis per superiorem Germaniam, Joannis Reuchlini causam contrà Dominicanos defendebat; ut in quadam epistola Bilibaldus Pirtkheymerus habet, teste Joanne Balæo, in *Catalogo Scriptorum Britanniæ*, *Cent.* VIII. *cap.* LXII. in *Appendice* 2. *ad Robertum Fabynanam*, *pag.* 644. Edit. Basileens. 155. *in-folio.*

CXVII.

GUILLELMUS BEWFU, natione Anglus, Carmelita Northamptoniensis, ibidemque Prior, Doctor Facultatis Theologicæ Coloniensis: vir doctrinâ non mediocri instructus, & raris virtutum ornamentis insignitus, migravit Northamptonæ circa annum 1390. Opera ejus inscribuntur,

1. *Lectura sententiarum*, Lib. I. Incipit: *In petra exaltavit me. Ps.* 26.
2. *Collationes variæ*, Lib. I. Incipit: *In petra exaltavit me. Ps.* 26.
3. *De Miraculis B. V. Mariæ*, Lib. I. Incipit: *Ad honorem Dei, & gloriof.* Citatur à Theophilo Raynaudo, in *Scapulari Partheno Carmelit. pag.* 249.
4. E Gallico idiomate in Latinum vertit *Speculum Edmundi*, *Archiepiscopi Cantuariensis*. Lib. I. Incipit: *Videte ad quid vocati estis.*

Guillelmum Bewfu memorant Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ*. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Carolus de Visch, in *Bibliotheca Cisterciensi*: Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1389. *num.* 5. *pag.* 728. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 127. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 318. *&c.* Ubi vocatur malè RIVFU.

CXVIII.

GUILLELMUS BINTRÆUS, sivè BYNTRE, natione Anglus, patriâ Norfolcensis, *Barnhamiæ* Regulam Carmelitanam amplexus, prima suorum fundamenta studiorum ibi posuit. Deindè *Cantabrigiam* profectus, omnes liberales artes, Philosophiamque omnem, & Theologiam didicit, ut propetereà Doctor Theologus Cantabrigiensis evaserit. Inter studia literarum nunquam pietatem & virtutem neglexit: Sed ità in utrumque pari passu processit, ut utriusque perfectionem assequeretur:

Erant iis temporibus quidam, qui Mendicantium Ordines in Anglia calumniarentur, & præ cæteris Carmelitas, quibus nunquam persecutor defuit. Causam cur in Anglia tunc calumniatores in Carmelum insurgerent, reddit *Pitseus*: Quod ibidem Carmelitæ maximè florerent; & invidia plerumque felicitatis sit comes. *Bintræus igitur* calamum direxit, ut invidorum calumnias dilueret, aliosque multos codices exaravit, quibus nomen suum posteris commendavit, moriens anno 1493. die 3. Septembris. Scripsit,

1. *In Cantica Canticorum*, *Lectiones*: Quæ incipiunt: *Reverentiarum vestrarum celeb.* Harum meminit

meminit Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra*, *pag.* 439. Et Jacobus Lelong, *pag.* 640. *col.* 1. *D.*

2. *Defensoriam paupertatis*: sivè *Apologiam pro Fratribus Mendicantibus*, qualem anteà scripserat Galfredus Hardebius, & Joannes Hultherus, *Lib. II.* Incip. *Multæ sunt rationes erroneæ.*

3. *De laude B. Virginis*, Lib. I. Incipit: *Semper laus ejus in ore meo.*

4. *Quæstiones ordinarias XLII.* Lib. I. Incipit: *Utrùm Spiritus Sanctus proced.*

5. *Sermones varios*, Lib. I.

6. *Determinationes Theologicas*, Lib. I. Incipit: *Præstantissimi Theoriæ affluentes.*

6. *De Latini Sermonis ornatu*, Lib. II. Incip. *Colores præcipui pertinentes.*

8. *Alia plura.*

Guillelmom Bintræum commendant Joannes Lelandus, *De Scriptoribus Angliæ*, *cap.* 546. Pitseus ibidem, *pag.* 683. Balæus ibidem, *Cent. VIII. cap.* 59. Simlerus, *in Epitome Biblioth. Gesneriana*: Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro*: Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *pag.* 412. Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1493. *num.* 5. *pag.* 984. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 127. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 375. &c.

CXIX.

GUILLELMUS BLAKENEY, Latinè NIGER, natione Anglus, patriâ Norfolcensis, *Cantabrigiæ* Doctor Theologus, Ordinis Carmelitani alumnus, doctrinâ celebris, sed de curiositate nimiâ accusatus; ità ut tamquam magicæ artis studiosus ab Episcopo Norwicensi duris fuerit modis exceptus, aut saltem fuisse exceptus referatur, defunctus NORFOLCIÆ circà annum 1490. Scripsit,

1. *In Cantica Canticorum Lectaras*, Lib. I. Incipit: *Osculetur me osculo oris.* Has memorant Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scripturâ sacrâ*, *pag.* 439. Guillelmus Crovæus, in *Elencho Scriptorum*, *pag.* 156. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Sacra*, *pag.* 641. *col.* 1. *A.*

2. *Disputationes subtilissimas*, Lib. I.

Hunc celebrant Lelandus, *de Scriptoribus Angliæ*, *cap.* 504. Pitseus, *ibid. pag.* 678. Balæus, *ibidem Cent. XI. cap.* 87. Possevinus, in *Apparatu Sacro*: Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 413. Lezana, *ad ann.* 1490. *num.* 5. *pag.* 974. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 128. Alegreus Cassanatus, *pag.* 341. &c.

CXX.

GUILLELMUS BINHAMUS, natione Anglus, *Witoclivi*, sive *Wiclefi*, cum quo særis literis operam Oxonii dederat; adversarius; videtur Fabricio Guillemos Carmelita, à quo Joannis *Wigoclivi*, sive *wiclefi* Trialogum libro aculeato oppognatum scribit Lelandus, *cap.* 53. *de illustribus Angliæ Scriptoribus.* Idem forsan atque Guillelmus Lubbenhamus, de quo super. *pag.* 550.

Binhamum vixisse ad annum 1370. dicunt idem Lelandus, *cap.* 428. Balæus, *Cent. VI. cap.* 5. Pitseus, *pag.* 504. & Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 411. Attamen Guillelmum Binhamum non reperio inter illustriores Carmelitas, qui adversùs Wiclefum decertarunt, à Lezanâ recensitos *ad annum* 1352. *num* 2. *pag.* 601. Anno 1411. in Comitiis Magistrorum Regentium Oxoniensium, duodecim Magistris cura commissa fuit, ut Libros & lecturas de hæresi suspectas, nævaque scripta præ cæteris Wiclefiana visitarent. Inter illos designatos insignis erat.... è Doctoribus Theologiæ.... Guillelmus Vorford, in Claustro Carmelitarum Regens, ut habet *Historia Universitatis Oxoniensis*, *pag.* 106. citata in *Collectione Judiciorum*, *tomo* 1. *pag.* 29. *partis secundæ.* Quales sunt Nicolaus Durhamus, qui contrà Wiclefi articulos Librum unum scripsit. Richardus Lavinghamus, qui etiam alio contrà ipsum edito libro fidem Catholicam propugnavit; Thomas Lumbæus æmulator, Joannes Swaffamus, Banchorensis Episcopus, qui & libris editis, & in Concilio Stanfordiensi, anno 1392. ipsius & sectatorum Wiclefistarum dogmata confutavit; Richardus Maidestonius ejusdem nationis, Joannes Keninghamus, qui primo contrà ipsum in arenam disputatoriam descendit, & libris editis egit; Petrus Stockus sivè Stokes, quem Wiclefus *Canem album* appellabat; Gualterus Dissæus; Joannes Mattey, seu Marro, quem valde in hac materia commendat Harpsfeldius; Stephanus Patringtonus; Alanus de Lynna, qui juxtà Bzovium *tomo* 15. *Anno* 1412. inter Carmelitas, qui plurimùm contra Wiclefi errores contulerunt, *primas tulit*, & inter illos Princeps Thomas Waldensis.

In Concilio Londinensi quod Guillelmus de Courtenay, Cantuariensis Archiepiscopus celebravit anno M.CCCLXXXII. die XVII. Maii adversùs Wiclefi errores, numerantur Episcopi qui interfuerunt cum Theologis, è quibus Carmelitæ Magistri in Theologia nominantur Robertus Glaunville, Willielmus Dys, Joannes Lovey, Joannes Ryningham, Petrus Stokes, Baccalaurei in Theologia, Joannes Chiseldenne, & Joannes Toniston.

Alterum Concilium Londinense à Thomâ Arundelio, Cantuariensi Archiepiscopo, cum Sufraganeis celebratum est adversùs errores Wiclefi anno Domini M.CCCXCVI. inquo damnatus est Wiclefi Trialogus, & indè Atticuli octo decim erronei extracti sunt & damnati; sicut discimus ex Libello quem adversùs hunc Trialogum scripsit Guillelmus Windefordus, de Ordine Minorum Theologus, qui argumentis firmissimè Hæresim Wiclefi illustravit, & ejus sophismata discussit, teste Oderico Raynaldo *ad annum* 1396. *num.* 16. sed in his omnibus nullam *Guillelmi Binhami* mentionem reperio.

CXXI.

GUILLELMUS CALIFORDIUS, aliquandò COLKISFORDIUS, aliquandò COCKFORNE, aliquandò COCKISFORDE, aliquandò TALIFORDUS, natione Anglus, Carmeli Linnensis alumnus, & Cantabrigiensis Doctor Theologus & Professor, quo in munere docens, disputans, concionans & scribens, magnum apud omnes sibi conciliavit honorem. Vir insignis ingenii, multæ Sanctitatis, magnæ in studiis sedulitatis, in sacris literis, & in omni etiam secularis Philosophiæ genere versatissimus, claruit circà annum 1380. Ejus Opera inscribuntur:

1. *Postillæ in Sacram Scripturam*, Lib. I.

2. *In Canticum Moysi Commentaria*, Lib. I.

3. *Enarrationes in Cantica*, Lib. I. Horum trium Operum meminit Lelong, *pag.* 681. *Col.* 1. *Postillarum* meminit Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scripturâ sacrâ*, *pag.* 360.

4. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*, Lib. IV.

G.

5. *Sermones de Tempore*, Lib. I.
6. *Sermones de Sanctis*, Lib. I. &c.

Guillelmum Califordium celebrant Joannes Lelandus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ.* Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *Cap.* 657. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Petrus Lucius, in *Carmelitanâ Bibliothecâ*, *pag.* 33. Jacobus de Plebe, Professor Pisanæ Academiæ, Ordinis Servorum, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitarum.* Lezana, *ad ann.* 1380. *num.* 7. *pag.* 706. Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mʃ. pag.* 128. *Et pag.* 130. distinguit à *Guillelmo Colkisfordo*; sed probatione allata nullâ post Petr. Lucium, *pag.* 33. suæ Biblioth. Carmelitanæ. Cassanatus, *pag.* 307. *&c.*

CXXII.

GUILLELMUS CHAMPCHEVRIEUX, natione Gallus, Aureliæ natus, anno 1558. ibidem in Carmelo professus, *Parisios* mittitur, ubi Philosophiæ & Theologiæ operam navavit, & Lauream Doctoralem obtinuit, anno 1592. die 15. Novembris. Posteà in Collegio Mauberino Professor, deinde Commissarius Generalis anno 1598. à R. Henrico Silvio in eodem Majori Conventu Parisiensi creatus ad discordias componendas, quas Carmelitæ Congregationis Albiensis adversùs antiquæ regularis Observantiæ Carmelitas suscitabant: sed ipse CHAMPCHEVRIÆUS caosam obtinuit in suprema Parisiorum Curia, & Sententiam definitivam, quâ dicta Congregatio Albiensis penitùs abolenda decernitur anno 1602. die 20. Julii, instante Regio Procuratore, faventeque HENRICO IV. Rege Christianissimo & præeunte CLEMENTE VIII.

Tum erat CAMPCHEVRIÆUS Prior Aurelianensis, posteà Prior Parisiensis, & anno tandem 1604. Nannetis in Capitulo Provinciali, cui præsidebat jam dictus R. Henricus Silvius, in Præfectum Turoniæ Provinciæ fuit electus; cum titulo Provincialis Saxoniæ anteà gauderet. Vir summæ dexteritatis & eruditionis, Aurelianensem Conventum ab hæreticis solo adæquatum excitavit, reparavitque; fidem Catholicam interim strenuè defendens tùm scribendo, tùm docendo, sæpiùs in vitæ & mortis periculo ab heterodoxis armis expetitus. Partibus etiam Regiis Henrici IV. adversùs Confœderatos adeò firmiter adhæsit, ut suam mentem palàm in Concionibus aperiret. Id certum tenemus *ex Scheda Mʃ.* quæ in Civilis Consilii Basilicâ Aurelianensi asservatur, & à nobis visa; in quâ refertur quod » anno » 1592. die 29. Junii in Consessu Decurionum sta- » tutum fuit, ut ad Reverendis. Epicopum Aurelia- » nensem deputaretur, quo is Antistes expostulare- » tur, ut Dominum Champchevrieux, Carmeli- » tam Religiosum sisteret dicturum, ubinam didi- » cisset quod in Concione præsentis diei dixerat; » *Civitatem esse venditam.* » Obiit Aureliæ anno 1631. die 3. Augusti, ætatis 73. ibidemque apud suos sepultus cum sequenti Epitaphio, quod Joannes Fleury, Carmelita Aurelianensis, composuit.

D. M.

QUISQUIS supplex ad Dei-param accedis, cum recedis, in hoc Saxum oculos & mentem verte, morare & mirare qui Immortalitate erat dignus mortuum, qui integer sepultum, qui Omnibus bonum suspiratum, vel ut paucis Fr. GUILLELMUM CHAMPCHEVRIEUX, quem innocens & puerilis ætas obsequiis & Ordini Fratrum Beatæ Mariæ mancipavit, deindè humanis ac divinis studiis exercitatum, alma Sorbona Doctorali laureâ insignivit, eruditamque eloquentiam ac vehementiam patriæ Aureliæ, ac toti Galliæ suggestus ostentavit; sui regularis instituti omnibus officiis ac dignitatibus (si supremam excipias) feliciter perfunctum Ordo Carmeliticus adauxit; vetustate collapsa ac hæreticorum flammis desolata ex integro penè restituta & ornata, hæc Religiosa domus providum ac solertem egit; denique insignem Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Societatem languescentem, ac cultum Sacri Scapularis consopitum, in animis hominum reviviscere dilatarique sinceræ pietatis affectu propensiori, dum publica devotio curantem cernit. Causonis sæva lues in Aurelios indistinctè grassantis pientissimam senem 73. annorum & morum maturum sustulit è Vivis III. Nonas Augusti, Anno M. DCXXXI.

Scripsit,

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria Mʃʃ.* Lib. IV.
2. *Disputationes Philosophicas* Mʃʃ. Lib. I.
3. *De Antiquitate & Privilegiis Ordinis Carmelitarum*, Lib. I. Ad Decanum, Canonicos & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sanctæ Crucis Aurelianensis. Parisiis, apud Josephum Cottereau, 1624. in-24. *Gallicè.* hoc Opusculum est, quo P. *Champchevrieux*, Sacri Scapularis Confraternitatem ferè obnubilatam in Galliâ resplendescere fecit, & multùm dilatavit.

Guillelmum Champchevrieux laudant Clemens VIII. Pontifex Maximus, in Constitutione *Sedes Apostolica*, Romæ data die 1. Julii 1599. pro extinctione Congregationis Albiensis, cujus Procuratorem Generalem se gerebat R. P. *Guido de Roux*, Carmeli Melodunensis Prior; prodiit *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 307. Supremus Senatus Parisiensis, in Sententia lata die 20. Julii, anno 1602. adversùs eamdem Congregationem Albiensem, & prodiit in *Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, in Edit.* 2. *tom.* 2. *pag.* 1186. *tomo* 1. *pag.* 779. & 818. Franciscus le Maire, in *Antiquitatibus Aurelianensibus*, *pag.* 112. Franciscus Voersius, in *vita Henrici Silvii*, sub nomine *Magistri Guillelmi d'Orleans*; Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 450. ubi corruptè JOANNES appellatur. Leo à S. Joanne, in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis*, *Cap.* 17 *pag.* 106. Eodem errore vocatur JOANNES per Bonifacium à S. Euphrasia, in *Menologio Carmelitarum Reformationis Rhedonensis*, *Cent.* 1. *Decad.* 1. *pag.* 4. Hugo à S. Francisco, in *vita Vener. P. Philippi Thibault*, *Cap.* 53. *pag.* 389. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1090. *num.* 3837. Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico Mʃ. ad annum* 1631. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmeliticâ Mʃ. pag.* 129. Mathurinus Aubron, in *Annalibus Mʃʃ. Provinciæ Turoniæ.* Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mʃ. Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 17.

G.

CXXIII.

GUILLELMUS CHAUSSARDI, natione Gallus, patriâ Rupellensis, Doctor Theologus, insigni eruditione famosus, sed insigniori religione famosior, nec minus ingenii dexteritate conspicuus, in Cœtu totius Provinciæ *Turonis* anno 1400. habito Provincialis electus, non modicum insudavit, ut munus sibi commissum perfectè adimpleret. Sui tempore regiminis, donationem *Vivonii* Conventûs accepit. Anno 1404. Comitia Provincialia R*uppellæ* celebravit: Quæ anno sequenti, Præside R. Joanne Grossi, Henneboni iteravit; ibique *Dolensis* Cœnobii in Britannia fundationem admisit. Insuper annis 1407. & 1410. in Conventibus Juliodunensi & Vivonensi similia celebravit. Vivere desiit Rupellæ, anno 1411. postquam scripsisset *Opera*, quorum titulos non dederunt Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomia brevi Mss. Carmelitarum Illustrium Provinciæ Turoniæ*, & Mathurinus Aubron, in *Annalibus Mss. ejusdem Provinciæ*.

CXXIV.

GUILLELMUS CONVENTRIENSIS, vel de Conventriâ, Anglus, à corvatis cruribus, & læsa Coxendice *Claudus Conversus* plerumque à Carmelitis Scriptoribus cognominatus. *Claudus* quidem, propter defectum Corporis: *Conversus* verò propter humilitatem quâ fulgebat.

» Hic autem Guillelmus (*Verbis utar Pitsei*) quantumcunque claudicaverit pedum gressu, non claudicavit virtutis & eruditionis progressu; & licet vitiatus corpore, non tamen vitiosus animo, sed integer fuit mente. Erat enim acutus ingenio, comptus stylo, maturus judicio, Sententiis gravis, & in meditandis sacrorum eloquiorum mysteriis assiduus; in iisdem percipiendis felix, in explicandis dexter, clarus, perspicuus; quidquid protulit, eleganter elocutus est; quidquid chartis commisit, polito stylo scripsit. Omnem enim Latini Sermonis nitidiorem ornatum in promptu habuit: quià primùm adolescens in seculo, postea juvenis in Monasterio, omnem poësim, Rhetoricam, Dialecticam, & notæ melioris Historias ad excolendam linguam Latinam indefessâ industriâ diligenter percurrerat. Omnia ejus Scripta sonant elegantiam, redolent pietatem, ut ab animo scientiis insigniter instructo profecta, nemo qui legerit & intellexerit, unquam dubitarit. » Claruisse refertur anno 1330. juxtà Fabricium; sed anno 1360. juxtà communem aliorum Scriptorum Catervam. Scripsit,

1. *De Laude Religionis*, Libros duos: Qui incipiunt: *Cum tua cælitùs inspirata, policita &c.* Extabant olim apud Joannem Balæum, Mss.

2. *Præconia B. V. Mariæ* Lib. I. Incipit: *Arca Fœderis Maria Christi me.*

3. *Contra Peccata*, Librum unum. Incipit: *Pœnitentiam age. Apocalypsis secundo.*

4. *De Adventu Carmelitarum in Angliam*, Lib. I.

5. *Scutum Carmelitarum*, Lib. III. Incipiunt: *Admoniti affatibus Fratrum suavi.* Cujus verba nonnulla refert Joannes Cheron, in *Privilegiati Scapularis Vindiciis*, *pag.* 170. Extabat olim in Anglia apud Joannem Balæum Ms. illud aut alterum homonymum Michael à Fonte adjudicat Guidoni Teutonico, dequo suprà, *pag.* 584. & 817.

6. *De Regulâ Carmelitarum & ejus confirmatione*, Lib. I. Incipit: *Cujuslibet Religionis titulus.*

7. *Carminum diversarum* Lib. I. Incipit: *Isidorus annos à principia tibi.*

8. *Compendium Historiarum*, Lib. I. Incipit: *Legitur quod ab Ordinis.* Apud Balæum *Ms.*

9. *Annales breviores.* Lib. I. Incipit: *Anno decimo octava Regni Josaphat Regis.* Ibidem.

10. *Alia multa* suppresso nomine: Sed illi perperàm adjudicavit *Elucidiarum fidei*, *Lib. II.* quod incipit: *Sæpius à Condiscipulis rogatus.* P. Theophilus Raynaudus, Libro *Erotematum de bonis ac malis Libris*, *pag.* 126. 232. & 235. Nam Honorio Augustodunensi hoc Opus Trithemius adjudicat, *Lib. de Scriptor. Eccles. cap.* 337. Et ipse Honorius Augustodunensis hoc recenset in *Catalogo suorum Operum*, qui legitur ad calcem sui Tractatûs de *Luminaribus Ecclesiæ*, sivè de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 17.

Guillelmum Conventriensem celebrant Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, de *Scriptaribus Angliæ.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliotheca Gesneriana:* Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro.* Gerardus-Joannes Vossius, *Lib. III. de Historicis Latinis*, *cap.* 2. *pag.* 333. Natalis Alexander, *De Scriptoribus Seculi XIV. Art.* 6. *num.* 7. Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *toma* 3. *pag.* 425. Gabriel Gerberon, in *Censura Operum S. Anselmi:* Joannes-Baptista de Lezanâ, *toma* 4. *ann.* 1360. *num.* 3. *pag.* 629. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 130. Casimirus Oudio, in *Commentariis de Scriptor. Eccles. tomo* 2. *pag.* 925.

CXXV.

GUILLELMUS DE S. FIDE, natione Anglus, Carmelita Norwicensis, Sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis: Vir excellentis ingenii, priscæ fidei tenax, multæ ac variæ eruditionis prædirus, inter primos Angliæ Theologos & Concionatores celebris, obiit Norwici anno 1372. Scripsit,

1. *Initiationes Theologorum*, Lib. I. Incipit: *Benedicam tibi, antequam moriar.*

2. *Determinationes Theologicas*, Lib. I. Incipit: *An aliqua sit causa remittendi.*

3. *Quodlibeta.* Lib. I. Incipit: *An habens Sanctam fidem & usum.*

4. *De Conceptione B. V. Mariæ*, Lib. I. Incipit: *Utrùm Beata Virgo sit in Origin.*

5. *Sermones per annum*, Lib. I.

De illo agunt Joannes Lelandus & Balæus, *de Scriptaribus Angliæ:* Nicolaus Harpsfeldius, in *Historia Ecclesiastica Angliæ:* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro:* Hippolytus Martaccius, in *Bibliotheca Mariana:* Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis:* Joannes Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad annum* 1372. *num.* 5. *pag.* 674. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 130. *&c.* Fabricius, *pag.* 489. *tomo* 3. *Bibliothecæ mediæ & infimæ Latinitatis.*

CXXVI.

GUILLELMUS LE FRANC, natione Gallus, Andinus patriâ & Carmelitanâ professione; nobili ex prosapiâ (cujus meminit Ægidius Menagius, in *Notis ad vitam Guillelmi Menage*, *pag.* 454.) ortus, sed pietate & eruditione nobilior, utpotè universo virtutum & scientiarum genere clarus, quem Andegavensis Academia ad Doctoratum promovit, & publicum Professorem

audivit, atque plebs & Procerom caterva Andina tamquam Evangelicam tubam in ſuggeſtu melliſluè ſonantem excepit. Devixit Andegavi, anno 1502. poſtquam ſcripſiſſet,

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*, Lib. III.

2. *Sermones Quadrageſimales.* Lib. I.

3. *Sermones per annum.* Lib. I.

De illo agunt Mathurinus Aubron, in *Annalibus Mſſ. Provinciæ Turoniæ*, ad ann. 1502. Columbanus à Noſtrà Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 5.

CXXVII.

GUILLELMUS FURBITIUS, vulgò DE FOURBI, natione Allobrox ſivè Sabaudus, ex Diœceſi Maurianenſi alumnus, Conventûs *Rupeculæ*, Sacræ Theologiæ Magiſter, electus eſt Epiſcopus *Alexienſis* in Albania, & inſtitutus Suffraganeus Eccleſiæ Bellicenſis, tempore *Antonii à Camerâ*, anno 1535. die 8. Novembris, & die 15. ejuſdem menſis diſpenſatus fuit, ut poſſet obtinere Beneficia Regularia, & alia quæcunque ſibi oblata. Undè non mirum, ſi *Samuele Guichenon* teſte, Furbitius Canonicatum obtinuerit in Eccleſia Cathedrali Bellicenſi, à dicto *Antonio* Epiſcopo datum. Fuit pariter *Guillelmus* noſter Suffraganeus in Diœceſibus Viennenſi & Gebennenſi, ut produnt Monumenta Mſſ. Conventûs *Rupeculæ*: ex quibus item conſtat eum ſupervixiſſe ad annum 1556. Creditur tamen mortuus antè annum 1558. quo currente, ad diem 23. Martii proviſa eſt Eccleſia Alexienſis, vacans per obitum *Guillelmi Furbitii.*

Nobis minimè liquet quid ſcripſerit hic Carmelita, magnâ eruditione & præclaro ingenio præditus; cujus celebrem habent mentionem *Acta Conſiſtorialia Pauli III. an.* 1535. *die* 8. & 15. *Novembris.* Monumenta *Mſſ. Conventûs Rupeculæ*: Henricus Cornelius Agrippa, in *variis Epiſtolis.* Daniel a Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 925. *num.* 3236. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mſ. Antiſtitum Ordinis Carmelitarum.*

CXXVIII.

GUILLELMUS GOULAY, natione Gallus, patriâ Andegavenſis, ſapientiæ nomine, ſtemmateque Religionis Carmelitanæ clariſſimus, Doctor Facultatis Andegavenſis Theologus, conceptam de illo ab juvenili ætate ſpem ne in uno quidem puncto fraudavit. Prior Rhedonenſis, anno 1530. electus, non ſegniter ſuo muneri fecit ſatis: feneſtras Chori Vitreis vitam B. Virginis repræſentantibus ornavit: multa pro Regularis Obſervantiæ ſtabiliendis fundamentis media duobus in Comitiis Provincialibus ſuggeſſit: Tandem viribus exhauſtis, ſed meritis plenus, vivere deſiit anno 1534. Scripſit,

1. *Diſſertationes Theologicas adversùs Hæreticos*, Lib. I. Mſ.

2. *Conciones Quadrageſimales*, Lib. I.

3. *Conciones feſtivas*, Lib. I. Mſ.

4. *Monita Regularia pro ſtabilienda monaſtica obſervantia*, Lib. I. Mſ.

De illo agunt Mathurinus Aubron, in *Annalibus Mſſ. Provinciæ Turoniæ*, *ad annum* 1534. Columbanus à Noſtrà Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Carmelitarum Illuſtrium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 7.

CXXIX.

GUILLELMUS DE GABANRARIO, promotus eſt ad legenda Biblia, & ad alios actus Scholaſticos, pro laurea obtinenda, faciendos Toloſæ ad annum 1475. uti expreſsè legitur in Actis Capituli Generalis celebrati anno 1473. & Epiſcopus electus Philadelphienſis quarto decimo Kalendas Maii, anno 1488. ejuſque habetur memoria ad ſeptimum Idus Junii 1490. in Bullis Innocentii VIII. Undè conjicitur quod antequam ad Infulas perveniſſet, ſcripſit,

1. *In nonnullos Libros ſacræ Scripturæ Commentaria.*

2. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria.*

De illo agunt *Acta Conſiſtorialia Innocentii VIII. ad ann.* 1488. *die* 14. *Aprilis.* Regeſtum Mſ. *Ordinis Carmelitani*, *fol.* 55. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 3. *Spec. Carmelit. pag.* 924. *num.* 3232.

CXXX.

GUILLELMUS GREGORIUS, natione Scotus, ex Scholaſtico Collegii *Montis-Acuti* Pariſienſis, Carmelita Congregationis Albienſis, cum aliis viginti duobus ſodalibus anno Domini 1499. factus, poſtea liberalitate verè Regiâ MARIÆ Angliæ LUDOVICI XII. Regis Francorum conjugis fretus, ingenium oſtentavit, & Doctor Pariſienſis ingenti famâ renuntiatus anno 1517. cùm jam Congregationis Albienſis quaſi naſcentis Vicarius Generalis eſſet anno 1516. inſtitutus *Toloſæ* Carmelitarum Cœnobiarcha, ac FRANCISCO I. Regi Chriſtianiſſimo à ſacris Confeſſionum ſecretis, & LUDOVICO DE AMBASIA, Albienſium Præſuli notus, & valdè charus. Claruit anno 1527. Scripta ejus inſcribuntur,

1. *In Pſalmos Davidicos Commentaria Scholaſtica*, Lib. I. meminerunt Sixtus Senenſis, in *Biblioth. Sacra*, *Lib. IV.* & Fabianus Juſtinianus, *Lib. de Scripturâ ſacrâ*, *pag.* 404.

2. *De variis Scripturæ ſacræ ſenſibus*, Lib. I. Incipit: *Sacræ Scripturæ potior ſenſus.* Hujus Operis & præcedentis meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca ſacra*, *pag.* 753. *col.* 1. *E.*

3. *Summa Theologiæ ſacræ*, Lib. I.

4. *De ſacrâ ſynaxi*, Lib. I.

5. *Elucidationes ſententiarum*, Lib. I. Incipit: *An ſolus Deus ſit fruitionis ſub.*

6. *De duplici Poteſtate*, Lib. I. Incipit: *Quid præditus es utrâque poteſtate.* Alloquitur Ludovicum de Ambaſiâ, Præſulem Albienſem, cui hic liber nuncupatur.

7. *De triplici Principatu*, Lib. I. Incipit: *Quis Principatus melior ſit.*

8. *De Æterno Chriſti Regno*, Lib. I. Incipit: *Quid materia de Regno Chriſti.*

9. *Quæſtiones veſperales*, Lib. I. Incipit: *Utrùm ſacra Scriptura divinitùs.*

10. *Collectiones Sarbonicæ*, Lib. I.

11. *De Diſciplinâ Juniorum*, Lib. I.

12. *Vocabularium Theologicum*, Lib. II. Incip. *Abbas vocabulum eſt à Syro Sermone.*

13. *Sermones ad Populum*, Lib. I.

14. *Sermones in Evangelia per anni curriculum*, Lib. II.

15. *Sermones in Epiſtolas*, quæ leguntur per anni curriculum, Lib. I.

16. *In Ariſtotelis Politicarum Libros VIII.* Incip. *Rex eminenter continere debet.*

17. *De Animæ potentiâ triplici*, Lib. I. Incipit: *In homine ſunt tres potentiæ.*

18.

G.

18. *In quodam Capitulo Minorum Oratio.*

19. *Funerale & Processionale secundùm usum Carmelitarum.* Tolosæ, 1518. *in-8°.*

De Guillelmo Gregorio laudabiliter tractaut Thomas Dempsterus, *Lib. VII. Historiæ Ecclesiasticæ Gentis Scotorum :* Joaones Balæus, de *Scriptaribus Angliæ*, *Cent.* 14. Josias Simleros, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ :* Antonius Possevinus, *in Apparatu sacro :* Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 130. Hippolytus Marraccius, in *Bibliatheca Marianæ, &c.* Præter Gregorium VII. in Constitutione, *Cum ad Cunctorum, tomo 1. Bullarii Carmelit. pag.* 33.

CXXXI.

GUILLELMUS GRENÆUS, sivè VIRETUS, natione Aoglus, in Academia Cantabrigiensi, Sacræ Theologiæ Baccalaureus Carmelita, eum esset doctus, teste Pitseo, industrius, & honoris Ordinis sui studiosissimus, ferè totam Angiiam circà annum 1470. peragravit, ut ex Bibliothecis res gestas illustrium Virorum Ordinis potissimùm Carmelitani, scrotaretur, & in unum corpus colligeret, ac posteritati mandaret. Lectis igitur super hac materiâ multis Historiis, Opus tandem egregium compilavit de Sanctis Ordinis Carmelitani, cui nomen indidit:

Hagiologium Carmelitarum, Lib. I.

De illo mentionem habent Joannes Lelandus, Pitseus, *de Scriptaribus Angliæ.* Gerardus-Joannes Vossius, *Lib. III. de Historicis Latinis, cap. 9. pag.* 635. Christophorus Sandius, in *Notis* ad hunc *Librum Vossii*, *pag.* 229. Josias Simlerus, in *Epitome Biblioth. Gesnerianæ.* Possevinus, in *Apparatu Sacro.* Lezana, *tomo 4. ad ann.* 1470. *num.* 3. *pag.* 922. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecæ Carmelitana Ms. pag.* 131. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 375. *&c.*

CXXXII.

GUILLELMUS GUERCHOIS, natione Armoricus, patriâ & professione Carmelitanâ Rhedonensis unus fuit è Sociis P. Philippi Thibault, qui Romam anno 1600. petieront, facultatem à R. Henrico Silvio postulaturi transeundi ad Excalceatos Carmelitas : Sed in Gallias remissus, à R. P. Petro Behourt, Priore Rhedonensi, Supprior institutus fuit : Vir, cui vita Deus solus; Angelicâ præditus puritate, Angelus in vultu, in sermone, in actione. Ubiquè apparebat pœnitentiæ mortificationique sic addictus, ut in omnibus sensuum suorum, suique corporis destructionem agere videretur. Io Officii divini recitatione sic pius, ut & audientes ipsum in Choro cantatem, vel privatim recitantem, in admirationem raperer. Missus Juliodunum ad promovendam illic Reformationem, hoc in Conventu obiit piissimè, die primâ Februarii, anno 1618. Scripsit,

Initia Reformationis Rhedonensis, à R. P. Petro Behurtio inchoatæ anno 1604.

Hujus meminerunt Mathurinus Aubron, in *Vita Ms. dicti Petri Behourt*, *num.* 30. Hugo à S. Francisco, in *Vita Ven. P. Philippi Thibault*, *cap.* 6. *pag.* 37. & 38. Colombanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Ms. Carmelitarum illustrium Provinciæ Turoniæ*, *pag.* 14. Vide Menologium Carmelit. *pag.* 21.

CXXXIII.

GUILLELMUS GUESNEL, natione Armoricus, patriâ Nannetensis, & hojus Civitatis Carmeli alumnus, atque in ea Academia Doctor

Theologus; ad scientiam pariter ac pietatem cum intendisset animum, in utraque mirè præloxit, moribus & vitâ sincerus, regularis vitæ observantiam laudabiliter introduxit, & gloriosè auxit; maximè dum Provincialis munus, ad quod anno 1505. Nannetis promotus fuit, exercuit undecim annis. Privilegiorum suæ Provinciæ confirmationem obtinuit à *Leone X.* Pontifice Maximo. Tribus Comitiis Provincialibus præsedit.

1°. Nannetis aderat, anno 1507. in Festo Pentecostes : Quo tempore Corpus Serenissimæ Dominæ MARGUARITÆ DE FOIX, Britanniæ Ducissæ, Sponsæ Ducis FRANCISCI II. ab Ecclesiâ Cathedrali ad Ecclesiam Carmelitarum fuit translatum, repositumque juxtà Corpus Augustissimi sui sponsi, magnifico sub Mausolæo in prædictæ Ecclesiæ Choro elevato, jussu & impensis Christianissimæ Francorum Reginæ ANNÆ, eorum filiæ.

2°. In Conventu Dolensi, anno 1510.

3°. Rupellæ, anno 1513. Multis exhantlatis pro Deo & Religione laboribus, ex hac valle miseriæ translatus est ad gaudia cœlestia, anno 1516.

Libellum supplicem obtulit Leoni X. summo Pontifici, à quo postolavit & obtinuit confirmationem privilegiorum Provinciæ Toroniæ, necnon erectionem Confraternitatis Beatæ Mariæ de Recuperantiâ, in Ecclesiâ Conventûs Andegavensis Carmelitarum. Bulla Leonis X. data Romæ, anno 1514. die 12. Septembris & Incipit : *Cum ad uberes fructus.* Prodiit *tomo 2. Bullarii Carmelitarum, in additionibus, pag. XVII.* ubi perhonorifica mentio habetur Guillelmi Guesnel, quem etiam egregiè commendat Columbanos à Nostrâ Domina de Monte Carmelo, in *Catalogo Ms. Provincialium Provinciæ Turoniæ Carmelitarum*, *pag.* 6.

CXXXIV.

GUILLELMUS HANABERGUS, natione Anglus, in *Southreia*, non longè *Londino*, ortos, Oxonii Laureâ Doctoratûs insignis, ac totius Angliæ Prior Provincialis in Capitulo Norwicensi, anno Domini 1278. post Rogerum Croswik, seu *Hervæum de Brunham* electus, suo munere sanctè solliciteque fungendo, à summis Pontificibus in favorem suorum sodalium in Anglia moltas obtinuit immunitates, quas à Regibus, Episcopis, & aliis omnibus, quorum intererat, acceptari euravit : vir qui vixit semper cum magno virtutis exemplo, & regularis observantiæ zelo, Concionibus operam dedit iogenti audientium fructo, eximiâ præditus doctrinâ. Obiit Londini anno 1291. Scripsit,

1. *Lecturas Theologiæ.* Lib. I.
2. *Determinationes celebres*, Lib. I.
3. *Quæstiones ordinarias*, Lib. I. Incipit : *Utrùm actus virtutis moralis.*
4. *Sermones varios*, Lib. I. &c.

De Guillelmo Hanabergo præclara reddunt testimonia Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, *De Scriptoribus Angliæ :* Antonios Possevinus, in *Apparatu Sacro :* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Lezanâ *ad ann.* 1311. *num.* 4. *pag.* 500. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 132. ubi Guillelmum Hanabergum fuisse Priorem Provincialem electum, anno 1278. post Rogerom Croftwick non satis correctè scribit : Nam *Rogerus Croftwick* electus anno 1272. rexit quinqoe annis, & Vicarium habuit successorem immediatum *Hervæum de Brunham*, qui anno uno rexit. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 281. ubi vocat eum Quintum Angliæ Provincialem, scilicet Hervæum Brunhamium annumerans aliis tribus Provincialibus : Antonius à

Wood, in *Historia Academiæ Oxoniensis*, *tomo* 1. *pag.* 102. *col.* 2.

CXXXV.

GUILLELMUS HARSICUS, natione Anglus, Carmelita Burnhamiensis, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor Cantabrigiensis: Vir placidissimis moribus, omnibus virtutibus, & eximiâ Literaturâ ornatus, Theologus sui ævi celeberrimus & eruditissimus, ut potè cui (ut verbis Pitsei utar) *Suo seculo divinum numen & nomen æternum pietas & religio*, atque *sapientia impertiere*. Floruit circà annum 1410. scribens

1. *Distinctiones Theologicas*, Lib. I. Incipit: *Licitè aliquis potest diligere*.

2. *Disceptationes Magistrales*, Lib. I. Quæ forsan non distinguuntur à præcedentibus.

De illo Harsik loquuntur Balæus, *Cent. XII. cap.* 45. Pitseus, *ætate* 15. *pag.* 593. Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 439. alii quos *art. præced.* nominavimus.

CXXXVI.

GUILLELMUS DE HILDERNISSE, è pago hujus nominis sub Diœcesi Antverpiensi ac Marchionatu Bergizomensi oriundus Religiosus, Ordinis Fratrum Carmelitarum, ac quondam Prior Conventuum Mechliniensis ac Bruxellensis; hic adjungitur, non quia bonus, sed quia malus plurium errorum Auctor, quos Scriptis vel Concionibus publicavit, sed quos sincerè retractavit. Nam anno 1411. per sententiam *Petri de Aliaca*, Cameracensis Episcopi, ac dein S. R. Ecclesiæ Cardinalis, condemnatus, omnium suorum Dogmatum palinodiam publicè cantare coactus fuit: nec dubito quin meliora dein senserit; Quidquid sit, extat hoc nomine,

Cedula quam ego Frater Wilhelmus propriâ manu scripsi super Articulis mihi impositis, eos abjurando & reprobando. Hæc Cedula & alia Monumenta quæ ad *homines Intelligentiæ* spectant, excerpta sunt ex veteri *Codice Manuscripto* Collegii Navarrici Parisiensis. Prodierunt apud Baluzium, *tomo* 2. *Miscellaneorum*, *pag.* 277. *&c.* Prodierunt etiam in *Collectione Judiciorum de novis Erroribus*, *tomo* 1. *parte* 2. *pag.* 101 209.

De Guillelmo de Hildernisse, & ejus Præceptore Petro Cantoris, locuti sunt Spondanus, in suis *Annalibus ad ann.* 1411. *num.* 5. Joannes Launoius, apud Mezeray, *tomo* 2. *Historiæ Galliæ*, *Gallicè* editæ *in*-4°. *pag.* 361. Joannes Franciscus Foppens, in *Bibliothecâ Belgicâ*, *pag.* 407. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 411. *num.* 10. *pag.* 774. ubi in suspicionem revocare videretur Codicem Manuscriptum Collegii Navarrici; sed frustrà. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliothecâ mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 441. Dictionarium Morerianum, *tomo.* 4. verbo: *Hommes d'intelligence.*

CXXXVII.

GUILLELMUS A S. JOSEPH, natione Germanus, patriâ Coloniensis, primùm Carmelita antiquæ regularis observantiæ, deindè amore strictioris Instituti accensus, in Congregationem Carmelitarum Excalceatorum ingressus anno 1613. Prior Coloniense & Herbipolense Cœnobia rexit: Vir puritate vitæ, virtutis amore, Religionis zelo, morum austeritate, Ingenii acumine & amplitudine scientiæ clarus, Herbipolensi Antistiti, & Franciæ Orientalis Duci summè charus, Concionator egregius, & Theologus non ignobilis, migravit in Cœlum Pragæ Bohemorum, anno salutis 1629. die 4. Augusti. Ex Hispanico idiomate in Germanicum vertit,

1. *Vitam V. P. Joannis à Cruce.* Coloniæ, Typis Gualterianis, 1624. *in*-8°.

2. *Methodum discernendi Spiritualem animæ profectum*, à P. Thomâ de Jesu compositum. Coloniæ, apud Petrum Brachel, *in*-12.

3. *Meditationes super Orationem Dominicam* à S. Teresiâ compositas. Coloniæ, Typis Gualterianis, *in*-12.

4. *Quædam* scripsit *pietatis Exercitia*: Quæ leguntur in fine prædictarum Meditationum.

De illo mentionem agunt Dominicus Gravina, in *Appendice congeminatæ vocis Turturis*. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Mss. Carmelitarum Excalceat. Scriptis clarorum*, quo fuit usus Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag* 132.

CXXXVIII.

GUILLELMUS LIDLINGTONUS, is in Comitatu Lincolniensi, sive quod alii volunt in Cantabrigiensi; juxtà Recentiorum natus fuerit, erat Anglus, & Ordinis Carmelitani Monachus Stanfordiensis, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vir eruditione, pietate, prudentiâ, omni denique virtutum laude celebris. Postquam assiduâ divini verbi prædicatione multùm in populo fructum fecisset, illudque munus plus quàm quadriennium obivit strenuè.

Io Galliam Narbonensem à *Gerardo Bononiensi*, Priore totius Ordinis Generali, ad Generale Capitulum, cum aliis vocatus est, ubi anno 1303. quantùm potuit resistente Lidlingtono, divisi sunt Angli Carmelitæ in duas Provincias; Lidlingtonus autem ascitis sibi nonnullis aliis, non acquievit imò Libris scriptis, decreto contradixit: sed tandem Superiorum auctoritate compressus, cessit: compositisque rebus, Parisiis factus est Sacræ Theologiæ Professor; & anno Domini, 1309. in Capitulo Januensi constitutus est Terræ Sanctæ, totiusque Palæstinæ, & Insulæ Cypri Provincialis. Verùm in patriam rediit, ubi & diem suum obiisse perhibetur Stanfordiæ, circà annum 1310. Scripsit autem

1. *In Evangelium S. Matthæi Commentaria*; Lib. I. Incipit: *Anima mea conturbavit me.* Hujus meminit Jacobus Lelong, in *Bibliothecâ Sacrâ*, *pag.* 829. *Col.* 2. *A.*

2. *Determinationes Theologicas*, Lib. I.

3. *Lecturas Theologiæ.* Lib. I.

4. *Sermones ad Populum*, Lib. I.

5. *Contrà Decretum Capituli* Generalis *Narbonensis*, quo Angli Carmelitæ in duas dividebantur Provincias, Lib. I.

Hæc ad verbum ex Pitseo descripta sunt, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*, *ætate* 14. cui addendi occurrunt Gobelinus Alemannus, in Lib. *pro sedando quorumdam suorum Fratrum in Anglia Schismate*, per ipsum Pitseum loco eodem citatus: Joannes Balæus, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*, *Cent. IV. Cap.* 79. Lezana ad *ann.* 1309. *num.* 9. *pag.* 496. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 132. Ludovicus à S. Teresia, in *successione Eliæ*, *Cap.* 232. *pag.* 525. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliothecâ mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 448. Antonius à Wood, in *Historia Academiæ Oxoniensis*, *tomo* 1. *pag.* 102. *col.* 2.

CXXXIX.

GUILLEMUS LINCOLNIUS, à patriâ sic vocatos, natione Anglus, Carmelita Doctor Theologus Cantabrigiensis: Vir (ut Pitseus loquitur) ingenii, doctrinæ, pietatis laudibus suo seculo flo-

G.

rens, scilicet circà annum 1360. scripsit,

1. *In Magistrum Sententiarum, XXV. Quæstiones*, Lib. I. Incipit : *utrùm persona propriè dicatur :*

2. *Oppositiones Scholasticas*, Lib. I.

Guillelmum Lincolnium laudibus celebrant Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ :* Antonius Possevinus, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 133. Daniel à Virgine Mariâ, *toma* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1115. *num.* 2944. *&c.*

C X L.

GUILLELMUS LUBBENHAMUS, natione Anglus, patriâ Conventriensis, & Doctor Oxoniensis Theologus, & Angliæ Provincialis, anno 1353. uno tantùm anno suam regens Provinciam, & tamen Provincialis decimus septimus, à Balæo & Pitseo dictus. Vir autem doctrinâ, prudentiâ, & in rebus agendis dexteritate insignis, sub anno 1361. Conventriæ defunctus, eruditionis testimonia reliquit,

1. *Quæstiones ordinarias*, Lib. I.

2. *In Posteriora Aristotelis Quæstiones* LIII. Lib. II. incip. *Universale dicimus esse.*

De eo loquuntur Joannes Balæus & Pitseus, *de Illustribus Angliæ Scriptoribus :* Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro :* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ :* Lezana, *tomo* 4. *ad an.* 1361. *num.* 7. *pag.* 635. Ludovicus Jacob, in *Bibliathecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 133. Alegreus Cassanatus *in Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 301. *&c.*

C X L I.

GUILLELMUS OLIVARIUS GAUDAIRE, Armoricus natione, patriâ Ploermelensis, à teneris annis captus amore vitæ Monasticæ, Carmelitarum institutum amplecti voluit : Pii desiderii compos factus, bonis literis & optimis moribus assiduè imbutus, debito tempore solemnem emisit professionem. Nannetas postmodùm mittitur, ubi perspicax ingenium humanioribus literis perpolivit, & in Licæo Clementino sub *Justæo* Andegavo, eruditissimo viro ibidem Professore Philosophicis disciplinis exactam operam dedit : Deindè ad altiora aspirans, in Carmelo Parisiensi sub optimis præceptoribus Theologiam audivit : in quo studio non pœnitendos progressus fecit. Nam ibidem rigoroso prævio examine pro Tentativa Theses propugnavit. Tandem à R. P. *Henrico Silvio*, Gallias visitante anno 1603. Sacræ Theologiæ Magister seu Doctor Ordinis solemniter fuit creatus. Indè ter Ploermelense, S. Pauli Leoniæ, & Pontis Abbatis semel Cœnobia prudentissimè rexit. Tandem Paulopoli in *Leoniâ*, peracto Altaris ab eodem Sacrificio, dum in Carmelo quadraginta horarum Solemnia celebrarentur, repentè ex hac vita migravit, Feriâ 2. Quadragesimæ, versùs annum 1612.

Per universam Armoricam, Religionis, eruditionisque semina longè latèque dispersit, Prædicatoris munus magno cum audientium fructu exercens. Scripsit *Conciones per annum, & Quadragesimam, Lib. II. in-4°.* Qui Mss. desiderantur in Bibliotheca Carmelitarum Leoniensium.

De illo perhonorificè loquuntur Mathurinus Aubron, in *Annalibus Ms. Carmelitarum Pravinciæ.* Cyrillus Pennect, in *Gymnasia Carmelitico Ms. ad annum* 1612. Columbanus a Nostrâ Dominâ de Moote Carmelo, in *Encomia brevi Ms. Carmelitarum Illustrium Provinciæ Turoniæ, pag.* 13. ubi eum non satis accuratè forsan vocat Baccalaureum Nannetensem.

CXLII.

DISSERTATIO

De Vitâ, ætate & Scriptis GUILLELMI PAGHAM.

GUILLELMUS PAGHAM, quem alii DE PAGULA cognominant, natione Anglus, in Cantiorum Comitatu, & Cantuariensi Diœcesi originem habuisse perhibetur. Ità claruit literis & prudentiâ, ut non solùm Oxonii, sed & Parisiis quoque summum Theologici muneris promeruerit gradum. Oxonii autem usus est familiaritate, ac doctâ consuetudine *Roberti Walsinghamii*, hominis ex suo Carmelitico instituto eruditissimi : Cujus ad exemplum, inquit *Lelandus*, ita se suaque formabat studia, ut gravis simul & eruditus, ab optimo quovis inter suos Carmelitas judicatus sit. Tam magni enim fecit ejus ingenium ait idem *Lelandus*, ut divinum fuisse dixeris ; & in Generali tandem, ad Genuam Liguriæ Metropolim, Carmelitarum Synodo, totius Angliæ & Scotiæ Provincialis, ut vocant, constitutus fit.

Hæc à Joanne Lelando juniore, *Lib. de Viris Illustribus Angliæ, cap.* 392. à Joanne Balæo, *Lib. de Scriptaribus Britanniæ, Cent. IV. cap.* 52. *pag.* 340. & à Joanne Pitseo, *Lib. de Illustribus Angliæ Scriptaribus, ætate XIV. pag.* 363. hæc, inquam, apprimè conveniunt Carmelitæ Religioso, qui vocatur

GUILLELMUS DE PAULO, aliàs POUVEL, inquit Jacobus Waræus, *Lib. II. de Scriptoribus Hiberniæ, pag.* 123. Carmelita, & S. Theologiæ Doctor, è Comitatu Cantiano oriundus, Oxoniæ primùm, deinde Parisiis studuit : posteà in Generalibus Carmelitarum Comitiis, Genuæ habitis, sui Ordinis in Anglia, Scotia factus est Provincialis, circà annum 1309. A Papa Joanne XXII. Midensis provisus Episcopus in Hibernia, sub Metropoli Armachanâ, ab Edwardo III. Rege temporalibus restitutus est, die 24. Julii, anno 1327. Sicuti constat ex Regesto Edwardi III. in Arce Londinensi, ex Regesto Vaticano Joannis XXII. ubi refertur Bulla hujus Pontificis, ad institutionem Guillelmi de Paulo, in Episcopum Midensem, die 16. Februarii 1327. signatâ, & Avenioni datâ, quæ typis prodiit, in *Bullario Carmelitarum, tom.* 1. *pag.* 553.

Guilielmus de Paulo sedit annos circiter XXII. mortem oppetens anno 1349. circà 26. Julii. Errant igitur Lelandus, Balæus & Pitseus, quos secutus est Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 469. asserentes Guillelmum Paghamium, post tertium sui Provincialatûs annum, à Clemente Quinto Pontifice Romano factum, in Hibernia Midensem Episcopum, claruisse anno Christianæ Salutis 1280. sub Edwardo primo Anglorum Rege, & in sua Ecclesia post aliquot annos sepultum. Nam Edwardus Anglorum Rex primus, clavo potitus est ab anno 1272. ad annum 1307. Clemens Quintus Romanam Sedem tenuit ab anno 1305. die 5. Junii ad annum 1314. die 20. Aprilis. Comitia Carmelitana Genuæ celebrata sunt anno 1309. inquibus Guillelmus Paghamius dicitur Provincialis electus, & tribus post annis Episcopus Midensis : Quâ igitur Chronologiæ serie convenire possunt Religioso Carmelitæ, quem Episcopum anno 1280. claruisse scribunt præfati Scriptores ? Errorem non tollunt Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *ad an.* 1280. 1309. & 1313. atque Alegreus Cassanatus, in *Paradisa Carmelitici Decaris, pag.* 270. Guillelmum Paghamium Inquisitorem Fidei anno 1280. supponentes, & eumdem Episcopum Midensem anno 1313. electum dis-

tinguentes à *Guillelmo*, qui *Paghanerus*, seu *de Pagulu* dicitur circà annum 1350. defunctus.

Guillelmus de Paulo, aliàs Pouvel, vel Pagham, aot de Pagula, scripsit Opera inscripta:

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*, Lib. IV.

2. *Placita Theologica*, Lib. I.

3. *Conciones ad Populum*, Lib. I.

4. *Quæstionis ordinariæ*, Lib. I.

5. *De Perfectione Intellectûs*, Lib. I. Incipit: *Intellectus humanus, suum habet prin.*

6. *De Notitia Actaali*, Lib. I. Incipit: *In intellectu creato quædam vis est.*

7. *De veritate formali*, Lib. I. Incipit: *Utrùm veritas sit formæ sabstantial.*

8. *De Ente Rationis*, Lib. I. Incipit: *Rectitudo motus est, ut Philosophas.*

9. Atque *Alia adhuc plura*, inquiunt Authores Bibliographi citati.

Præter hos Bibliothecarios Scriptores, laudant & celebrant *nostrum Guillelmum*, ejus condiscipulus Joannes Walsingamios, *crebris in suis allegationibus*: Gobelinus Alemanus, in *Arbitralibus suis statutis*. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani*, *pag.* 925. *num.* 3233. Ibid. *pag.* 1115. *num.* 3944. Ludovicus Perez de Castro, in *Collectaneis de Rebus Carmelitanis Mss. Codice* 2. Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss.* Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitaram*, *pag.* 75. Jacobus Frisius, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*, *pag.* 308. Sed nobis dubium movet hic Bibliothecarius, non quia illic scribitus Guillelmos Paganherus, vel Pagham, cum enumeratione Operum à nobis mox memoratorum: Sed quia in Articulo statim & immediatè sequenti legitur.

GUILHELMUS DE PAOULA scripsit,

1. *Sammam Sammarum*, Lib. V.
2. *Oculum Sacerdotis dextrum*, Lib. I.
3. *Oculum Sacerdotis sinistrum*, Lib. I.
4. *Speculum Religiosorum*, Lib. I.
5. *Speculum Prælatorum*, Lib. I.

Ad Eduardum Tertiam, Lib. I. Claruit anno 1350. ut refert Balæus.

Neque obstat quod Frisius omiserit Statum Carmelitanæ Religionis: omisit enim eumdem in Adriano Hosquetio, Gualtero Kellavio, Guilbelmo Luglinton, in ipso Guilhelmo Paganhero vel Pagham, in Henrico de Oyta, in Joanne de Arundine, in Joanne Lutetell, in Joanne Ovinello, Nicolao de Lyna, Petro Wirtho, Radulpho Alemaus, Radulpbo Fresburno, Radulpho Kuileyo, Stephano Browno, Thoma Brome, Thoma Coibio, &c. quos certò constat fuisse professione religiosâ Carmelitas.

Hinc locus si conjecturæ superesset, duo admitterentur Carmelitæ; quorum alter Oxuniensis & Parisiensis floruisset anno 1280. & scripsisset nomine *Guilhelmus Pagham* Opera Scholastica, v. g. *In Libros sententiarum Commentaria*, &c. Alter nomine *Gailhelmus de Poulo*, vel *de Paola*, vel *de Pagula*, scripsisset Episcopus Midensis Opera Moraila, v. g. *Sammam Sammarum*, *&c.* & vixisset ad annum 1349. tempose Edwardi III. Regis Anglorum.

CXLIII.

GUILLLELMUS QUAPLOD, Latinè *Quaplodus*, natione Hibernus, Ordinis Carmelitarum, Sacræ Theologiæ Magister, ejusdemque Regens in Romana Curia, ad annum circiter 1381. His eoim titulis insignitus legitur in Actis Capitoli Generalis, Veronæ eo anno celebrati. Episcopus *Derensis*, (*) seu *Deriensis* in Hibernia sub Archiepiscopo Armachano electos fuit anno 1420. & io hac dignitate Mæcenas & protector *Bertramni Fisalami* seu Fizallen, Carmelitæ literis & Libris conspicui, de quo egimus, *pag.* 289. *&* 290. Quaplodus scripsit,

1. *In Magistrum Sententiarum Commentaria.*
2. *Quodlibeta*, Lib. I.

De Guillelmo Quaplodo agunt Regestum commune Ordinis Carmelitarum, *Ms. fol.* 14. Joannes Lelandus, Pitseus, & Balæus, *de Illastribus Angliæ Scriptoribus*, quos Lezana & Augustinus Biscarretus secuti sunt perperàm dicentes eum fuisse Episcopum Kildariensem (**) sivè ut Balæus, *Darensem*: dicens unum è Suffraganeis Archiepiscopi Dubliniensis. Lezana, *ad annum* 1423. *num.* 9. *pag.* 801. Augostinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Jacobus Waræus, *Lib. II. de Antiquitatibus Hiberniæ*, *Cap.* 29. *pag.* 299. ubi clariùs exprimit quod ambiguè proposuerat *in Lib. de Archiepiscopis Dubliniensibus*, *pag.* 47. uti notat Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 925. *num.* 3234.

CXLIV.

GUILLELMUS RADINGIUS, Balæo RADINGES, natione Anglus, patriâ Rathoniensis, Carmelita, Doctor Theologos Oxoniensis: Vir pietatis & eruditionis cultor insignis, ut loquitur Pitseus, omnium vitiorum osor, omnium virtutom amator, & divinæ gloriæ zelo incredibiliter fervidus, interfuit Concilio Œcumenico *Viennæ* Allobrogum à Clemente V. Pontifice Maximo, anno gratiæ 1309. celebrato, in quo Templariorum Ordo condemnatus est. Quorum etiam causam dum in Synodo Londinensi anno 1312. suum ad Tribunal perpenderet *Robertus Winchelselius*, Cantuariensis Archiepiscopus, *Radingium* ex Oxoniâ accersivit: Qui collectis in unum Accusantium articulis, & Accusatorum responsionibus, Librum unum composuit,

Templariorum Examinationes: Quæ incipiunt: *Ad perpetuam rerum memoriam.*

Quæstiones quasdam etiam scripsit Lib. I. Quæ Incipit: *Utrùm viator invitè mereri.*

Alia non pauca reliquit.

De Guillelmo Radingio egregiè loquuntur Joannes Pitseus, *de illustribus Angliæ Scriptoribus*, *ætate* 14 *pag.* 403. Joannes Balæus, *ibidem*, *Cent. X. Cap.* 76. Antonius Possevinus, *in Apparatu sacro.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis tomo* 3. *pag.* 482. Alegreus Cassanatus, in *paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 281. Lezana *ad annum* 1312. *num.* 5. *pag.* 503. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*, *Ms. pag.* 134. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1115. *num.* 3944.

CXLV.

GUILLELMUS SADACENSIS, Ordinis Carmelitarum: Vir incredibili industriâ & labore, inter Chimistas suo tempore non incelebris, & Hermetis Trimegisti Sectator præclarus, scripsit circà annum 1378. Opus duobus libris distinctum, cui titulus est:

Sadacina totius Alchimiæ, *Lib. II.* Incip. *omne datum optimum.* Extabat *Ms.* quondam Venetiis, in Musæo R. P. Angeli Aprosii Vintimigliæ, Theologi Ordinis

(*) *Deria*, Vulgò *Dery*, In Ultoniâ Provinciâ Episcopalis Urbs.

(**) *Kildara*, idest *Cella Darii*, matris S. Ursulæ Virginis; & Anglis *Kildare*, Urbs Episcop. in Lageniâ Provinciâ, sub Archiep. Dublinensi.

G.

Ordinis Eremitarum S. Augustini, in Monasterio S. Stephani, *in-4°.* ut colligitur ex *Bibliothecis Manuscriptis Venetis, publicis & privatis* Jacobi Philippi Thomasini, Patavini, Episcopi Amoniensis in Istria, pag. 64. citatur super *pag.* 583.

Au noster Guillelmus Sadacensis unus & idem sit cum *Guillelmo Sadacio*, qui scripsit de *lapide Philosophico* libros quatuor: quorum meminerunt Joannes-Baptista Nafarius, Brixiensis, de *transmutatione Metallorum*, & Petrus Borellus, in *Bibliotheca Chimica, pag.* 109. nihil affirmare audeo; inquit Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mss. pag.* 134.

CXLVI.

GUILLELMUS DE SANVICO, sive de SANICO, sive de SAMMUCO, Anglo-Cantianus; quippe *Sandvico* non ignobili littoris Cantiani portu, ut videtur, oriundus, quem alii Sytum, alii Gallum faciunt. Ast Carmelitæ ex Oriente primi in Angliam devenerunt; circa annum M. CCXL. & *Newendenæ*, seu *Neviodunii* in agro Cantiano primas sedes habuerunt; & quàm frequenter erant Anglorum hoc seculo in terram sanctam expeditiones, nemo nescit. Cujus tandem stegni fuerit Guillelmus noster, in terram sanctam profectus est, & in monte Carmelo vitam egit Eremiticam, donec nutantibus Christianorum in Palæstina fatis, & increscente in dies saracenorum potentiâ, relicto Carmelo in Cyprum transiit, posteáque in patriam rediit.

Quo autem anno præcisè redierit, incertum est. Lezana & Oudinus scribunt Accone à Saracenis captâ anno 1291. eum Cyprum navigasse, eum in Monte Carmelo Monasterium regerer anno 1289. Anamen in Capitulo Generali ad Montem Pessulanum celebrato anno 1287. die festo S. Mariæ Magdalenæ celebrato, subscripsit *Guillelmus de Sanvico Definitor Provinciæ Terræ sanctæ*; ut constat ex Actis hujus Capituli authenticis Mss. quæ asservantur in Basilica Consilii civilis Montispessulani, & typis prodierunt *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 592. *num.* 2074. Et *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 37.

Quòd etiam præsens adfuerit oppugnationi Civitatis Acconensis, ipse testatur in suo *Chronico, cap.* 8. dicens: » Saraceni in mense Maio, anno » Domini millesimo ducentesimo nonagesimo primo » civitatem Accon obtinuerunt: in quâ fuerunt ultrà » triginta millia Christianorum cæsa & capta, præ» ter eos qui per mare evaserunt, ex quibus sui ego » unus. Multi enim Christiani de civitate Accon, & » de civitatibus Tyri & Tripolis per mare fugerunt. » Saraceni autem civitatem Accon, cum solemni Mo» nasterio hujus religionis quod in eâ erat, ita deva» staverunt, ut eam totaliter inhabitabilem teddide» rint. De qua egredientes, & ad sanctum montem » Carmeli, qui ab ea non longè distat, ascendentes, » Monasterium Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ de » monte Carmeli ibidem commorantium, de quo » nuper ad Accon perrexeram (quod frequenter eva» serant, sed nunquam destruxerant) tunc igne ere» maverunt, & omnes Fratres ibidem repertos, & » *salve Regina* cantantes, gladio trucidaverunt; & » sic Religio ista fuit de Provincia Phœnicea, & per » consequens de tota terra sancta prorsùs eradicata.

Quando & ubi hæc scripserit Guillelmus de Sanvico, non liquet. In Cypro Lezana, in Anglia Caveus eum scripsisse arbitratur. Quo tameo fundamento dicat R.P. Daniel Papebrochius illum scripsisse centum & quinquaginta annis post S. Bertholdi initia, circà an. M. CCC. aut etiam serius, non optimè concludit, cum ait: » nec mirum, nec grave vi» deri potest, quod Fratres, nihil certi scientes quod » requirentibus de instituti sui Autore responderent, » Eliam Prophetam peculiari quâdam ratione ad se » pertinere voluerint; neque hoc tantum, sed etiam » persuaserint sibi ab ejus ad sua usque tempora, in » Carmelo viguisse aliquam religiosioris vitæ for» mam: Quæ qualis medio illo spatio fuisset; conti» nuane an interpolata, non deberet exquiri scrupu» losiùs non hic locus discutiendi. Certum est quod » Guillelmus de Sanvico scripserit,

1. *In Regulam Carmelitarum*, Lib. I.
2. *Decretales Religiosorum*, Lib. I.
3. *In Magistrum Sententiarum Commentaria.*

Chronicum de multiplicatione Religionis Carmelitarum per Provincias Syriæ, & Europæ, & de perditione Monasteriorum terræ sanctæ, Lib. I. Prodiit *tomo* 1. *Speculi Carmelit. pag.* 95. *num.* 400. cum notis R. P. Danielis à Virgine Maria. Prodiit etiam in historia Hierosolymitarum Patriarcharum chronologica, quæ præfixa est Actis Sanctorum, *tomo* 3. Maii, *Parergo XIII. pag.* 60. *num.* 245. cum notis R. P. Danielis Papebrochii, suum ad systema de Ordine Carmelitarum accommodatis. Notat scilicet quod,

1°. » Varias ac graves molestias à Saracenis passos » Christianos omnes, ac singulariter Monachos, jam » satis patet; sed quod ii se pro majori parte ad Car» melum receperint, gratis assumitur; & verum » non esse satis probatur ex continua illa desolatio» ne Carmeli, quam demonstrat perpetuum omnium » in Terra sancta Peregrinatorum silentium. Si cui » nihilominùs aliud videatur, suum sibi sensum ha» beat, mihi meum relinquat: nec moveat quæstio» nem de cappa barrata, de cujus origine ad Humar » referenda fortè necdum cogitaverat, eum Sanvicus » scriberet.

2°. » Similia scribit de adventantium peregri» norum frequentia Jacob de Vitriaco, ex cujus » Historia Orientali hæc & quæ sequuntur accepta » fuere, & applicata Eremitis, sparsim Carmelo habitantibus; sed (ut existimamus) absque ullo alio » inter se vinculo, quam simplicis propositi vitæ » in solitudine degendæ; nihil alter curantes de al» tero, adeòque absque formâ alicujus religiosi Or» dinis. Gratis etiam puto assumi quod ab advenien» tibus in Terram sanctam Latinis inventi sint ibi » aliqui: à quibus cæteri formam sumpserint viven» di: sed hos potiùs eam ex Europa attolisse, qua» lem viderant observari à Solitariis Europæis, tunc » quàm nunc frequentioribus, & nulli certè Reli» gioni adstrictis.

3°. » *Cum Aymericus* plurimùm contulisse cre» datur ad stabiliendum in Carmelo Bertholdum, » qui fortè eum fuerat ab Antiochia secutus, ipsius » Prophetæ Eliæ, istam ei sedem designantis, ad» monitu; per quam verò simile fit, quod ille, post » quinque vel sex annos exilii, reversus Antio» chiam, ex noviter adunatis sub Bertholdo Ere» mitis unum alterumve duxerit secum, qui ex » Latinis advenis simile ibi Eremitorium colligeret, » ad normam Carmelitani. Huic præfectus posteà » Eusebius aliquis, propter memoriam communis » originis, potuit petiisse, & accepisse à Cyrillo » Priore III. Regulam, quam iis ab Alberto tradi» tam audierat; licet non cum ea quæ prætenditur » Epistola.

4°. » Si jam tunc ita variè varii supputabant tem» pora Alberti & Regulæ datæ: quid mirum tam » confusam eorumdem notitiam ad hoc usque se» culum perdurasse in Ordine, qualem ex literis » Stratii Generalis cognovimus? Nempè, ut (meo » quidem judicio) rectissimè & ingenuè inter causas » tenebrarum, Carmelitanas origines involventium

G.

» fatetur Joannes Hildeshemensis : *Intolæ vetusti Montis Carmeli fasrant Eremitæ simplices , non litterati , pauperes , membranas fortè non habentes, nec Scriptores , orare potiùs , quàm scribere tonsueti ; de gaibus non est dubium , quod juxtà doctrinam Pauli anteriorum & præteritorum obliti , præstantiori carâ tendebant ad fatara.* Loquitur Ille quidem de Syro-Græcis, quos jam olim potat sub Saracenis fuisse, sed nec excludit Latinos posteriores, de quibus non agimus, alteram enim causam petit à desolatione Monasterii, post captam Acconem, in quâ perierint; si quæ erant scripturæ, unà com Pallio Eliæ, ad id usquè servato scilicet. Sed hanc causam non recipio, cùm ab annis quinquaginta & ampliùs antè cœperint Carmelitæ migrare in Europam, per otium & citrà festinationem, qui, sicut servaverunt regulam & brevia quædam à Romanis Pontificibus obtenta, sic etiam poterant ac debebant, prævisâ imminenti perditione totius Terræ sanctæ, cæteras quoque majoris momenti scripturas transferre in tutum; imò & earum exempla pluries sibi transcribere in varias deferenda Provincias, si talium cura apud illos fuisset.

» 5. Sicuti Joanni Hierosolymitano, in Libro *de Institutione Moaashorum* infeliciter cessit Grecæ linguæ notitiam affectasse, teddendo etymon nominis *Melotæ*; ità etiam huic scriptori accidit. Græci, ot ex Joanoe Phoca apparet, *to mauron oros* vocabant, id est *Montem Nigrum* : id suâ linguâ Itailcâ exprimebant, *Nero.* Sanvicus Vocem non sensum, à Græcis petendam putavit; &, nescio, quo docente, credidit, quod *hydros* sit *aqua*, tem Lexicographis omnibus ignotam.

» 6. Utrumque verissimum esse : Sed non propteteà recedo à mente, quam explicui in vitâ S. Alberti *num.* 110. Scilicet usque ad annum M. CCXXX. Montis Carmeli Priori alios subditos non fuisse, quàm quos ibi babebat; esto ex Carmelitis, Albertina Regula infotmatis, aliqui traduces accepti fuerint ad propaginem Instituti. Id enlm mihi probant Pontificum Bullæ, de sola Carmeli Eremo singulariter usque ad id tempus loquentes. Libenter autem hanc gloriam dederim S. Cyrillo, quod unius Regolæ Eremitotla, in unius etiam Ordinem compagem adunarit; & sic potuerit non jam solùm *Prior*, sed *Prior Generalis* vocari. Id certè ad Religionis conservationem, gubernationemque magnam habuit utilitatem, etsi primi videantur fuisse Cluniacenses, per qoos tam utile inventum apud Latinos incepit. Et sic credo eos etiam, qui lo Antiocheno Patriarchatu erant, fuisse ad eamdem cum cæteris unionem invitatos, faciléqoe adductos. Notandum est autem, quod juxtà Sanvicum, omnia ferè hæc Monasteria excitata fuerint post annum datæ Regulæ.....

Hæc sont præcipua momenta, quibus Daniel Papebrochius infirmare tentat & elevare auctoritatem Guillelmi de Sanvico, scribentis pro multiplicatione Religionis Carmelitarum. Infirmitatem autem rationum quis non intueatur innixarum conjecturis incertis, *forsan ferè , in eo quidem judisio , videri posset , fieri potest , eredo , existimamus* , & similibus, adversùs testimonium Auctoris Synchroni, supparis, in locis de quibus loquitur edocti, & inter homines quorum institutum explicat conversantis, imò & Ipsos Prioris gubernantis. Quapropter singulas Papebrochii notationes tefellere hic non aggrediar; cum iis responsum fuerit datum inferiùs *tomo* 1. *pag.* 36. & 152.

Guillelmum de Sanvico celebrant Joannes Trithemius, *Lib. De Scriptor. Ecclesiast. cap.* 489. Jacobus Philippus Foresta, Bergomensis, in *supplemento Chronisoram :* Contadus Gesnerus, in *Bibliotheca universali, pag.* 294. Antonius Possevinus, in *Apparatu saero, pag.* 712. Alfonsus Ciaconus, in *Martino II.* Gerardus-Joannes Vossius, *Lib. II. de Historicis Latinis, cap.* 60. *pag.* 490. Guillelmus Cave, in *Historia literaria, pag.* 643. Casimirus Oudin, in *Commentariis de Sscriptoribas Ecclesiasticis, tomo* 3. *pag.* 555. Aubertus Miræus, in *Auctuario Bibliathecæ Ecclesiasticæ , cap.* 486. Thomas Dempsterus, in *Apparatu ad Historiam Scotiæ.* Idem in *Nomenclatura Scriptorum Scotorum, Litera S.* ubi animadvertit quod Guillelmus de Sanvico, Carmelitas primùm in Scotiam induxerit anno 1244. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliothesa mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 488.

E Carmelitis Phillppus Ribori, in *Prologo decem Librorum de Institutione Carmelitarum.* Joannes Grossi, in *Viridario Ordinis Carmelitici :* Joannes Paiæonydorus, *Lib. III. Fasciculi tripartiti, cap.* 10. Petrus Luclus, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 33. Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1289. & 1293. *pag.* 442. & 46. Matthias à S. Joanne, in *Historia Panegyrica Ordinis, pag.* 109. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 135. *&c.* Qui consentiont R. P. Danieli Papebrochio dicenti, in *Actis Sanctorum mensis Maii, tomo* 2. *pag.* 712. *num.* 18. Guillelmum Sanvicum teponendum esse inter eos Scriptores, quorum testimonium valet prorebus Carmelitanis tutò asseverandis, consentiunt referenti Epistolam quam R. P. Theodorus Stratius, Prior Generalis Carmelitarum, scripsit anno M. DCXXXIV. Auberto Miræo, Cathedralis Ecclesiæ Antuerpiensis Decano, quæ sic habet :

» Controvertitur his diebus in hac alma Urbe, apud Sacram Congregationem de Ritibus, de Officio B. Alberti, Hierosolymitani Patriarchæ, jam pridem ab eadem sacra Congregatione nobis Carmelitis concessi; & principalis ratio controversiæ est, quia non benè constat, quæ aut qualis persona sit iste Albertus, qoem colimus. Si etenim dixerimus istum Albertum illum fuisse qui nobis Reguiam tradidit; premimur hac difficultate, quod Regula nostra tradita oobis est anno M. CLXXI. quo tempore nullus erat Albertus Hierosolymitanus Patriarcha, quià iste inthronizatus fuit M. CCIV. Prædicto autem anno M. CLXXI. Solùm in Syriâ vigere poterat Albertus, Bethleemita Episcupus, qui cum Guillelmo Tyrio venit posteà ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. ut ipse Goillelmos & Baronius teferunt. Vidimus quæ perillustris & Reverenda Dominatio vestra de hoc puncto scribit in suo Tractatu de Origine Carmelltani Ordinis; & veram credlmos esse hojusmodi solutionem, quod scilicet eadem persona fuerit Albertus ille, Bethleemita primùm, & posteà Patriarcha Hyerosolymitanus, ut à vestra Rev. Dominatione, in prædicto Tractatu edocti sumus : verumtamen quià nonnullis non placet hæc opinio, nec satis constare potest, quomodò ille Bethleemitantus, Hyerosolymitanus posteà effectus fuerit (cum constet ex tabulis Ecclesiæ Vercellensis, quæ habentor in Libro à Joanne-Stephano Ferrerio, *de Vitis Episcoporam Vercellensium*, Albertum illum, qui Patriarcha Hyerosolymitanus constitutus est, fuisse primùm Bobiensem, & posteà Vercellensem Episcopum, patriâque Parmensem) propterea humiliter exoramus Perill. ac Rev. Dominat. Vestram, quatenùs pro sua benignitate velit scribere nobis ea quæ circà hoc habet in mente, cum testimoniis, aut monumentis ad confir-

G.

» mandum cum sanctitatem prædicti Alberti, tum » identitatem personæ in prædictis Episcopatibus, » tum etiam aliqua (si in promptu habuerit) pro cor- » roborando quod prædictus Albertus ex Ordine nos- » tro Carmelitico aliquandiu fuerit. Quæ si fecerit, » ut speramus, majori vinculo adstricti erimus pro » V. Rever. Dominationis io utroque homine feli- » citate Deum enixè deprecari. »

Ex hac Epistolâ, cujus solutionem à Miræo datam non reperio, cujasque idoneam Bollandus tunc Bruxellis agens & cum quo Miræus eam communicaverat, explicationem dare noo potuit, concludit Papebrochius, *pag.* 158. *tomo* 2. confusam Carmelitarum notitiam ad suum usqne seculum perdurasse in Ordine, circà tempora Alberti, & circà annum datæ Regulæ. Sed hæc undè duplex anxietas?

1. Quià nondum compertum erat Registrum Innocentii III. cujus *Lib. VII. Epist.* 222. spectàt ad Albertum Hyerosolymitanum, Regulæ datorem.

2. Quià Acta Episcoporum Vercellensium nondùm è tenebris traxerat Joannes-Stephanus Ferretius. Vide *tomum* 2. *pag.* 157. & 158.

3. Quià Antiquarius Sciolus diem & anoum atque locum affixerat ad calcem Regulæ, à quâ debebant abesse juxtà verum autographum; ut constat ex Diplomate Innocentii IV. pro ipsius moderatione & correctione, in quo nec dies, nec annus designatur.

4. Quià Canon seu Collectio statutorum, quæ Priore Bertholdo jubente Brocardos anno M. CLXXI. composuit ad informandos suos Carmelitas juxtà morem Ecclesiæ Latinæ, materiam subministravit Regulæ ab Alberto posteà datæ.

Hæc veniam Carmelitis præbent errantibus, à quibus etiam excusationem errans, duplici ex capite Papebrochius facilè obtinebit. Nam anno 1675. typis edidit Tractatum *de S. Alberto, Patriarcha Hycrosolymitano*, in quo statim in principio Secretarius R. P. Matthæi Orlandi, Prioris Generalis, Seraphinus à Jesu Mariâ, ejus Assistens, his traducitur verbis. *Quisquis igitur Lectionum istarum Sacræ Congregationi offerendarum auctor fuit, hunc oportet eas somniantem scripsisse: Certè non nisi somnians vidisse potuit Canonicorum Officia propria, in quibus ipsas legeret.* Pauló post sequitur: *Proindè non modo fidem nullam, sed pænam gravissimam commeruit, qui talia obtulit Sacræ Congregationi*, tanquam à *Canonicis Lateranensibus*. Hæc scribebat Papebrochius, qui ex ore Procuratoris Generalis, Canonicorum Regularium, Congregationis Gallicanæ, qui Asselinus oomine tum morabatur Romæ, responsum acceperat hos de Alberto nihil scire, nec nomen quidem nedum ejus Officium recitare. Verùm doctior factus Papebrochius didicit præfatos Canonicos Lateranenses anno 1570. à Pio V. licentiam obstinuisse recitandi Officium de S. Alberto, cum Oratione & lectionibus propriis. Et anno 1671. die 12. Julii, Prior Generalis, *Matthæus Orlandus*, Libellum supplicem sacræ Rituum Congregationi obtulit seu suo nomine offerri fecit, ut facultatem obtinerent recitandi Officium *S. Alberti*, quod recitant Canonici Regulares Lateranenses. Annuit hæc sacra Rituum Congregatio, cujus nomine subscripsit die 18. ejusdem mensis & anni *Car. Bona.*

Error alter, quem ex præfata Theodori Stratil Epistola non subodoratus est Papebrochius, versatur circà successorem Heraclii, Hierosolimitani Patriarchæ, quem Hovedenus, *pag.* 685. & Joannes Bromptonus, in *Chronico*, *pag.* 1192. referunt in obsidione Acræ anno 1191. defunctum. Sed Papebrochius in Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitarum, *pag. LI. num.* 213. ait: (De Heraclio, obi vel quando obierit, in compertum est, propter auctorum silentium. . . . solus oobis superest Theodoricus Pauli, Sulpitium suggerens, Heraclii successorem.) Verùm Interpolator Chronici Aquicinctini ad annum M.CXCI. scribit: *Albertus Eremita, Petri Eremitæ, qui belli Sacri auctor Urbano II. Pontifici fuit pronepos, ex Episcopo Bethlemitano, Patriarcha Jerosolymitanus post Heraclium, à Cælestino III. Papa constituitur.* Est hic Albertus, Bethelehemita Episcopus, qui teste Willelmo Tyrio *Lib. XXI. Cap. XXVI.* anno M. CLXXIX. Concilio Œcumenico Lateranensi III. interfuit, ideóque diversus à Beato Alberto primùm Bobiensi, posteà Vercellensi Episcopo, annoque M. CCIV. Patriarcha Jerosolymitano constituto; inquit R. P. Antonius Pagi, Minorita, *in* Critica Historico-Chronologica, in *Annales Baronii*, *tomo IV. pag.* 701. *num. XVIII.*

CXLVII.

GUILLELMUS DE SANVILLIACO, natione Occitanus, patriâ Tolosanus, Sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis, anno Christi 1340. renuntiatus: Vir priscæ probitatis, excellentis ingenii, singularis eloquentiæ & profundæ eruditionis gloria conspicuus, Theologus eximius, & Concionator celebris, decessit Lutetiæ Parisiorum anno 1348. Scripsit,

1. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria*, Lib. IV.

2. *Quæstiones Sententiarum*, Lib. IV. Quæ forsan oon differunt à Commentariis præcedentibus.

3. *Super Quatuor Decretales*, Lib. II.

In Decretales Religiosorum Commentaria, Lib. II.

5. *Expositionem Missæ*, Lib. II.

6. *De Patronatu B. V. Mariæ*, Lib. I.

7. *Sermones per Annum*, Lib. I.

8. *Alia multa.*

Guillelmum de Sanvilliaco encomiis appellant Nicolaos Betrandus, *de Gestis Tolosanorum.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Marianæ*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *pag.* 712. Hippolytus Marraccius, *in Biblioth. Marianâ*: Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 489. ubi notat Chronicon solummodò *Guillelmo de Sanvico*, tribuendum esse; cætera verò huic *Guillelmo de Sanvilliaco* adjudicanda.

E Carmelitis Arnoldus Bostius, *Lib. de Viris Illustribus Ordinis Carmelitani*, *Cap. XIII.* obi vocat eum Guillelmum de Sanviniaco, notatque à se visum Opusculum prænotabile, in quo *materias primi Libri Sententiarum pulcherrimis divisionibus secundùm Dinctiones, & Capitula artificoisè compegit*: quod anoo millesimo trecentesimo quadtragesimo octavo, quo Parisiis Sententias legit, edidisse annotatur. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 197. Joannes Cheron, in *Privilegiati Scapularis Vindiciis*, *pag.* 62. Auctor Anonymus *Catalogi Doctorum Parisiensium Ordinis Carmelitarum*, ex antiquis Conventûs Maubertini Chronologicis Tabulis, necnon ex Literis Universitatis Parisiensis, ab anno 1270. ad annum 1664. compositi, quo usus est Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitanâ Mſ. pag.* 135. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1085. *num* 3808. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 75.

CXLVIII.

GUILLELMUS sivè WILHELMUS SCHULTINGIUS, natione Ubius, patriâ & professione Carmelitanâ Coloniensis, Sacræ Theologiæ Magister, Prior Coloniæ, & in aliis Conventibus, inter cæteras virtutes, zelo ergà Matrem suam Religionem, & salutis animarum, ac eximiâ ergà Ordinis Carmelitani Patronam pietate resplenduit.

Conventum Crucenacensem ab anno 1564. possessum ab hæreticis, in potestatem Ordinis reduxit, ejus tùm primus Prior institutus: sic & Conventum Hirschornensem, iteratis vicibus è manibus hæreticorum vindicavit, & *Hirschornium* Catholicæ Religionis exercitia invexit anno 1634. & ibi Prior, indigenas ad orthodoxæ fidei exercitia reduxit; etiam curam Pastoralem oppidi gerens, ex speciali institutione Eminentissimi *Anselmi Casimiri*, Archiepiscopi Moguntini Electoris, cui pergratus fuit: Qui *Coloniæ* existens anno 1636. die Sancto Paschæ, in Ecclesia Carmelitana publicè, frequenti populo spectante, & unà cum ipso Illustriss. Princeps *Antonius* Episcopus Wormatiensis, ab ipso *Guillelmo* Sacrum B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo Scapulare susceperunt, & ejus inscripti sunt Confraternitati: Cui promovendæ ipse *Guillelmus*, Studiosissimus fuit, magno eum pietatis fructu & incremento. Ad instantiam præfati Archiepiscopi Moguntini, *Moguntiæ* constitutus, ibi Prior piè obiit anno 1637. die 22. Martii, sepultus in Choro. Scripta ejus inscribuntur:

1. *Exegesis Mariana:* seu *Idea Confraternitatis B. V. Mariæ de Monte Carmelo.* Germanicè. Coloniæ, anno 1629. *in*-12.

2. *Vita S. Andreæ Corsini, moraliter exposita*, cui titulum indidit: *Flos Carmeli.* Germanicè. Coloniæ, anno 1629. *in*-12. Dedicavit Serenissimo Ferdinando Bavaro Coloniensi, dum ejusdem Sancti Canonizationis solemnitas Coloniæ peragerentur.

3. *Sermonum* Liber Mss. Qui asservatur Moguntiæ in Bibliothecâ Carmelitarum, antiquioris regularis observantiæ.

Guillelmi Scholtingii mentionem habent celebrem *Necrologium* Carmelitarum Coloniensium. Acta communia Mss. *Conventûs Crucenacensis*. Regestum Mss. *Cœnobii Hirschornensis* Carmelitarum; Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelitanâ Mss. pag.* 136. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1012. *num.* 3534. Ibidem, *pag.* 1102. *num.* 3906.

CXLIX.

GUILLELMUS STAPHILARTUS, natione Anglus, patriâ Cantianus, Carmeli Londinensis alumnus, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis & Professor. Vir in sacris & probanis literis ità notabiliter doctus, ut inter prima illius temporis Academiæ Oxoniensis ornamenta non immeritò numeraretur. Maturiore ætate dicitur se sacrarum studiis scripturarum totum consecrasse, in Concionibus præsertim ad Clerum, & demùm emissis in lucem Commentariis, illustrasse. Floruit circà annum 1456. scribens,

1. *In Canticum Moysis:* Audite Cœli &c. *Lib. I.* Incipit: *Reverendi Domini.*

2. *In aliquot Psalmos* Lib. I. Incipit: *Bonitatem & Disciplinam, & scientiam.*

3. *In Isayam Lectiones*, Lib. I. Incipit: *Visio Isayæ, &c. Reverendi Magistri.*

4. *Quæstiones ordinarias*, Lib. I.

5. *De Paupertatis materia*, Lib. I.

6. *Sermones ad Clerum Oxoniensem*, Lib. I. Incipit: *Præhonorandi Magistri.*

De Guillelmo Staphilarto consulendi sunt Joannes Lelandus, *cap.* 465. Pitseus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ:* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri:* Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra, pag.* 404. & 454. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag.* 971. *col.* 2. C. Lezana ad *ann.* 1457. *num.* 5. *pag.* 893. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 136. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1115. *num.* 3944. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 354. *&c.*

CL.

GUILLELMUS STARNEFELDIUS, natione Anglus, patriâ Cantianus, ex Carmelo Newendeviensi Professor, & Doctor Oxoniensis: Vir cujus nomen ratione pietatis & doctrinæ posteritatem latere non potuit. Domesticus sui tum Ordinis, tum maximè Cœnobii, cujus alumnus erat, historias diligenter pervolvit, & quæ memoratu digna judicavit, in bonum ordinem digesta, luce donavit moriens anno 1390. In Conventu Newendeviensi, cujus fundationem anno 1241. factam narrat in Libro qui inscribitur:

Historia Newendeviensis, sivè *Nelwyndemiensis Cœnobii Carmelitarum*, Lib. I. Incipit: *Quoniam Philosophorum primi.*

2. *Scripsit Lecturas.*

3. *Conciones*, &c.

De illo loquuntur Lelandus, Pitseus & Balæus, de *Scriptoribus Angliæ:* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Gerardus Joannes Vossius, *Lib. III. de Historicis Latinis, cap.* 3. *pag.* 542. Lezana ad *annum* 1391. *pag.* 731. Alegreus Cassanatus, *pag.* 317. Ludovicus Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 137. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1115.

CLI.

GUILLELMUS SURFLETUS, natione Anglus, Monasterii Carmelitarum *S. Botulphi* in agro Lincolniensi alumnus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir quem integritas vitæ cum singulari doctrinâ, conjunctâ omnibus bonis suo seculo commendatissimum reddidit. Erat enim assiduus virtutum cultor, & è suggestu vehemens contrà omnium vitiorum illecebras declamator, non ineruditè multa scripsit, & moriens anno 1466. sui Cœnobii *S. Botulphi* Bibliothecæ ad posteritatis utilitatem reliquit,

1. *Conciones sacras*, Lib. I.

2. *De vitiis & virtutibus*, Lib. I.

3. *Alia multa.*

Laudant eum Lelandus, *cap.* 588. Balæus, *Cent. XII. cap.* 91. Pitseus, de *Scriptoribus Angliæ.* Possevinus, in *Apparatu sacro:* Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 497. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 356. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1115. *num.* 3944. *&c.*

CLII.

GUILLELMUS VIRETUS, natione Anglus, sacræ Theologiæ in Academia Cantabrigiensi Baccalaureus: Vir multæ lectionis, necnon in volvendis Ordinis sui historiis & perscrutandis ferè

per

G.

per oniversam Angliam Bibliotheeis, ac præsertim Sanctorum vitis & actis examinandis admodùm versatus; è quibus magno cum labore confecit *Hagiologium Carmelitarum*: de quo locuti sumos super. *pag.* 600. verbo GUILLELMUS GRENÆUS.

CLIII.

GUILLELMUS WERT, natione Germanus, Carmeli Aquisgranensis Supprior, sacræ Theologiæ Baccalaureus, scripsit circà annum 1518.

1. *De vitiis sub virtutum palliis occultatis*, Lib. I.

2. *De misericordia Dei*, Lib. I.

3. *De septem donis Spiritûs Sancti*, Lib. I. & *alia*: Quæ omnia Ms. asservantur in Carmeli Aquisgranenfis Bibliothecâ.

De illo mentionem agunt *Catalogus Ms.* quorumdam *Scriptorum Germanoram Carmelitarum*, quo usus est Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 137. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1097. *num.* 3880.

CLIV.

GUNDISALVUS MUNOCIUS ADALID, natione Bœticus, Carmeli *S. Mariæ de la Cabeca*, in Provincia Bœtica Prior, Doctor Theologus ac Theologiæ moralis io Academia Granatensi Professor, necnon sanctæ Inquisitionis Consultor: Vir singulari doctrinâ ac virtutum meritis insignis, Concionator præclarus, scripsit circà annum 1619.

Sermones, Lib. II. Quorum meminerunt Emmanuel Roman, *Lib. de Illustribus Scriptoribus Ordinis Carmelitici*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 472. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 139.

CLV.

GUNDISALVUS RAMIREZ, Vicarius Generalis Ordinis Fratrum Carmelitarum, in partibus Indiarum, *Libellum supplicem* obtulit Gregorio XIII. ad obtinendam confirmationem privilegiorum, pro Conventibus erectis & erigendis in partibus iisdem Indiarum. Annuit Pontifex Maximus per Bullam: *Exposcit tux devotionis sinceritas*, datam Romæ, anno 1572. die 7. Maii, dummodò Privilegia illa Ordini Fratrum Carmelitarum hactenùs per Romanos Pontifices concessa, sint usu, & Decretis Concilii Tridentini non repugnent. Bulla ista prodiit Typis edita, *tomo* 2. *Bullarii Carmelitaram*, *pag.* 177.

H.

I.

HANNIBALDUS, Ordinis Carmelitarum, forsan ille est qui vocatur JOANNES DE ANNIBALDIS, Doctor Theologus Parisiensis, anno Christi 1450. renuntiatus: Undè nonnulli Scriptores hunc confundunt cum Hannibaldo Hannibaldensi de Morlaria, Romano, Ordinis Prædicatorum, S. R. E. Cardinali: Scripsit,

In Magistrum Sententiarum Commentaria, Lib. IV. Quæ *Mss.* extant io Bibliotheca Carmelitarum Conventûs Regii Maubertini: ubi ea vidit Ludovicus Jacob, beneficio R. P. M. Angeli Millart Prioris, in *pergameno*, *in-folio*.

De illo mentionem habent Petrus de Alva, in *Militia immacalatæ Conceptionis*. R. P. Josephus Ouvrier, Mimatensis Carmelita, Licentiatus Parisiensis, in *Catalogo Ms. Manuscriptorum Bibliothecæ Carmelitarum Maubertinæ*, qui affixus est *ad paginam* 181. *Catalogi Alphabetici Ms.* omnium fundationum Conventuum Carmelitarum, scripti à P. Ludovico Jacob, & asservati in Conventu Parisiensi Carmelitarum *de Billettis* dicto. *Catalogus Ms. Doctorum Parisiensium*, Ordinis Carmelitarum, ex antiqois Conventûs Maubertini Chronologicis tabulis, necnon ex Literis Universitatis Parisiensis ab anno 1270. ad annum 1664. copositi & quem citat Ludovicus Jacob ejus quondam possessor, in *Biblioth. Carmelitana Ms. pag.* 139. ad Schedam Ms. ibi affixam. Non audiendi sunt Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 266. & Paulus ab Omnibus Sanctis, *in Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitici*, *pag.* 75. confundentes hunc Hannibaldum, aut de illo confusa loquentes.

II.

HANNIBAL DE BALZAMO, Apulus Carmelita, S. Theologiæ Doctor: Vir omni disciplinarum genere clarus, Romæ & Florentiæ dio

liberales artes docuit, postmodùm Oratoris Evangelii munus Neapoli, Paduæ, ut Florentiæ per biennium summâ omnium acclamatione exercuit. Laudi, Cremonæ, Cremæ, *Conciones* habuit Quadragesimales. De Titulis *Operum* quæ exaravit, nihil mihi adhuc constat, inquit Cyrillus Peuneċt, in *Gymnasio Carmelitico Ms.* ad anoum 1593. quo claruit noster Hannibal de Balzamo.

III.

HARDTMANNUS DE WORMATIA, natione Germanus, Wormatiæ Vangionum ad Rhenum natus; undè sic a Patriâ vocatus, Ordinis Carmelitarum, in Monasterio Wormatiensi professus: Vir non mious probitate clarus, quàm eruditione præstans; in Theologiâ, præsertim Morali, apprimè exercitatus. Scripsit anno 1473.

Alphabetum Restitutionum: Quod Ms. asservatur in Bibliotheca Carmeli Boppardiensis.

Ita testatur Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1097. *num.* 3881. Catalogus Ms. quorumdam Scriptorum *Carmelitarum Germanorum*: quo usus fuit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 139.

IV.

HELIODORUS CREMONENSIS, cujus cognomen est OLDROANDUS, natione Longobardus, Cremonensis Cœnobii alumnus, Philosophus & Theologus summus, Cisalpinorum Carmelitarum Præpositus, Patriæ alumnus non ingratus, Templi collabentis restaurator, unicumque regularis observantiæ exemplum. Obiit Cremonæ circà annum 1508. quo lapidem sepulcralem ei erectum fuisse Kalendis Augusti docet Inscriptio. Scripsit docto stylo Opera quæ inscribuntur:

1. *In Carmelitarum Regulam* à B. Alberto Patriarchâ datam, Lib. I.

2. *Pro Defensione Paupertatis*, Lib. II.

H.

3. *Orationes variæ*, Lib. II.
4. *Epistolæ ad varios*, Lib. I.

De illo agunt Josias Simlerus, *in Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ* : Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 81. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 351. & 281. ubi perperàm distinguit Heliodorum Cremonensem ab Heliodoro Oldreando. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 139. *&c.*

V.

HELIODORUS SERICUS, natione Siculus, patriâ Drepanitanus Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister doctissimus, tum in Scolasticâ, tùm in Morali doctrinâ versatissimus, graviores disciplinas Regentis munere docuit Sacrâ eloquentiâ claruit; ideòque magnâ cum laude Conciones habuit in Quadragesimali curriculo Panormi annis 1598. 1603. & 1613. A Magno etiam Etruriæ Duce anno 1606. Florentiam accersitus est, ut ibi Conciones haberet in Cinerali jejunio. Præfuit Cœnobio Drepanitano. Provinciam Siculam S. Alberti rexit, & tandem Panormi, die 14. Novembris 1613. in Cœnobio S. Nicolai de Bononiis interfectus eît, ac finè funeris pompâ in eodem Cœnobio sepultus. Edidit Italicè :

Oratione funerale nell' Essequie della Majestà Cattolica del Re FILIPPO II. D'AUSTRIA. Panormi, apud Joannem-Baptistam Maringam, anno 1599. *in*-4°.

Hæc Antonius Moogitor, in *Bibliotheca Sicula*, *tomo* 1. *pag.* 268. ubi testes appellat Leonardum Orlandinum, in *Descriptione Drepani*, *pag.* 31. Pitrum, in *Notis Ecclesiæ Mazar. pag.* 330. & Petrum Canizzarum, in *Ms. de Religione Panorm. pag.* 90.

VI.

HENRICUS DE ANDERNACO, quod oppidum est Ubiorum, ad Rhenum, natione Teutonicus, Coloniensis Doctor Theologus, Carmelita, tam in Scripturis diversis quàm in secularibus scientiis studiosus & eruditos, ingenio promptus, & disputator acutus. Scripsit circà ann. 1390.

1. *Volumen insigne in Libros IV. Sententiarum.*
2. *Sermones de Tempore*, Lib. I.
3. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.
4. *Quæstiones Philosophicas.*
5. *Alia quædam.*

De illo agunt Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 688. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca Universali*, *pag.* 303. Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro*. Joannes Rioche Minorita, in *Compendio Historiarum* : Joannes Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 623. ubi animadvertit Henricum nostrum Parisiis priùs claruisse quam Coloniæ. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 33. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 139. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 374. *&c.*

VII.

HENRICUS ANGELUS, Carmelita Coloniensis, anno 1518. XV. Kalendas Maii scripsit Epistolam *Fastorum Baptistæ Mantuani*, *Libris XII.* præfixam; in qua piis & doctis viris ostendit probari, « cum propter Carminis jucundam faci» litatem, tum propter sinceram & quam perpetuò » spirant Christianam pietatem; non indignos esse » arbitratus quos prælo suo cuderat *Maternus Cholinus*, Coloniensis Bibliopola; quo nimirum ha» berent studiosi adolescentes in quibus gravioribus » studiis defatigati sese oblectarent, atque ab ipsa » juvenra pietatis exempla imbiberent; qualia illic » innumera ferè à probatissimis authoribus petita, » *Baptista Mantuanus* congessit.

» Neque enim assentitur HENRICUS ANGELUS iis » qui severi nimis, parumque sano judicio Poëtas » omnes tanquam indignos, qui Christianorum ma» nibus terantur, è Rep. Christianâ, & maximè è » Cœnobiis, exturbandos esse censent. Siquidem » cum rigidi illi Censores suæ temerariæ assertioois » non aliam rationem proferre possint, quàm quod » quidam divinâ poësi abutentes, obscœna & turpia » artificiosis versibus, quibus juventus ad nequi» tiam alioqui satis proclivis facilè capi posset, & » ad omnem turpitudinem inflammari, conscripse» runt; tam omninò ex eorum sententiâ consequens » erit, omnes disciplinas indifferenter: omnes ar» tes abjiciendas, sed & ipsam quoque sacro san» ctam Theologiam prorsus exsibilandam esse. Nulla » enim ars, nullaque scientia ante hac reperta est, » quâ non sint improbi homines aliquandò gravi» ter abusi.

» Rectius proindè judicant, qui inter Poëtas di» lectum habendum arbitrantur, eosque qui citrà » periculum non leguntur, utpotè quibus non modò » variis sed obscœnis versibus pagina turget, procul à » Christianorum finibus pellendos: Eos verò quorum » Scripta non solùm nihil latentis veneni continent, » verum etiam plurimùm promovent Christianam » pietatem, retinendos esse, & interdum juventuti » prælegendos: Inter quos non postremas partes ob» tinent *Aur. Prudentius*, & *Baptista Mantuanus*, » authore eruditissimo *Ludovico Vive*, viro emunc» tæ naris & acerrimi judicii, in libro quem de tra» dendis disciplinis prænotavit, qui & præcipuè » *Baptistam* commendat à copia & facilitate. » Hæc Epistola legitur *tomo* 2. *Operum Baptistæ Mantuani*, *pag.* 234. *Edit. Antuerp.* 1576. *in*-8°.

VIII.

HENRICUS DE AQUILA, natione Germanus, professione Carmelita, ingenium & excellentem Religionis zelum omnibus notum fecit. Cum enim Ordinis Fratrum Minorum Geraldus Eudo Generalis, Lutetiam veniens publicaret sententiam de Dei visione & fruitione nonnisi post diem Judicii Animabus sanctorum futura, turbines in Galliis concitavit: sed ab aliis Sacræ Facultatis Parisiensis acriter impugnatus est Doctoribus, inter quos emicuit noster Henricus de Aquila, qui fidei dogma prædictæ opinioni contrarium defendit, anno 1333. cum scripsisset,

1. *In Cantica Canticorum Commentaria*, Lib. I. Horum meminerunt Fabianus Justinianus, *Lib. III. de scriptura sacra*, *pag.* 439. Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliotheca Sanctæ*. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 612. *col.* 2. *A.*
2. *Librum contrà Petrum de*-*Crosalit*, quem Possevinus vocat *Petrum de Crosa*.
3. *Quodlibeta*, Lib. I.
4. *Quæstiones ordinarias*, &c.

De illo loquuntur Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ* : Possevinus, in *Apparatu sacro* : Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 624. Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1333. *num.* 3. *pag.* 555. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 139. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 268. *&c.*

H.

IX.

HENRICUS DE BERGAMO, natione Longobardus, patriâ Bergomensis, in ditione Venetorum, Carmelita Congregationis Mantuanæ, Doctor Theologus, atque Poeta celebris, edidit circà annum 1470. ad Julianum, Brixiensem Carmelitam, Congregationis suæ Vicarium Generalem, Heroico Carmine,

1. *Vitam S. Alberti Drepanensis, Siculi Carmelitæ.*

2. *De Papæ potestate*, Lib. I.

3. *De Pontifice oppugnato*, Lib. I.

Henricum de Bergamo celebrant Antonius Verderus, in *Supplemento Gesneri*: Josias Simlerus & Joannes-Jacobus Frisius, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Thomas à Jesu, in *Catalogo Illustrium Carmelitarum*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 140. Vide infer. *pag.* 620.

X.

HENRICUS BOGEH, aliàs BOHIT, aliàs BOYCH, natione Germanus, Carmelita, generis splendore, morum candore, rerum experientiâ, animi prudentiâ & Literarum cognitione illustris, Carolo IV. Imperatori charus, & Joanni de Hildesheim, Carmelitæ celeberrimo familiaris, atque Episcopus *Croatensis*, seu *Crotatis*, (*) quæ arx est *Imeretiæ*, & habitario seu sedes Episcopalis sub Patriarchatu Mingreliæ. Scripsit ao. 1360.

1. *De Celebratione Missarum*, Librum unum.

2. *In Libros I. III. & IV. Decretalium Commentaria*, qui Lipsiæ asservantur Mſſ. in Bibliotheca Paulina, teste Joanne-Alberto Fabricio, in *sua Bibliotheca mediæ & inf. Latin. tomo* 3.

3. *Epistolas ad Joannem Hildesheimensem, & alios*, Lib. I.

Illum commendant Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Philippus Metius, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitarum*. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *pag.* 1043. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 140. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 628. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 628. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 300. Emmanuel Roman, *de Illustribus Viris Ordinis Carmelitici*: Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli.*

Iis addi possent Monumenta Mſſ. Carmelitarum Conventuum Mechliniæ & Brugis, in quibus legitur memoria *Jacobi* Carmelitæ, *Episcopi Croatensis*, seu *Coatensis* aut *Croacensis*, qui anno 1361. præfati *Henrici* successor fuisse apparet. Verùm præcipuè audiendus est Joannes Hildesheimensis, cui Henricus idem scripsit Epistolam, sic incipientem: *Serenis terra fulsit*, &c. Et idem Joannes vicissim responsoriam scripsit, quæ sic incipit: *Rupti sunt fontes abyssi magnæ, manavit que copiosus ad me fluvius eloquentiæ Tullicanæ, erupit irrigando terræ superficiem fontis vivi Thesaurus absconditus, & per Epistolare Carmen Elegiacum de Abysso magna scaturiens, factus est mihinotus. Multò fœlicius ego, quàm de fonte Tantali nectar dulce merui de pectore Henrici*, &c.

Hujus Epistolæ hæc extat superscriptio: *Epistola Fratris Joannis, rescripta eidem Domino Henrico Croatensi*, Episcopo prædicto. Asservatur utraque in Insigni Manuscripto, Volumine in membrana *in-folio*, inter octoginta Epistolas ejusdem Joannis de Hildesheim, in Carmeli Bibliotheca Coloniensi.

Vereor ne Henrico Croatensi Episcopo Fabricius adjudicarit *Commentaria in Libros Decretalium*, quæ tutiùs pertinent ad alium Leonensem Civem, nomine Boich, Armoricum, quem Gesnerus appellat *Henricum Boyck*, in *Bibliotheca universali*, *fol.* 303. *verso*; & ideò multi sunt Scriptores qui existimarint Henricum Coatensem Episcopum, à Gesnero fuisse citatum, sed falsò.

(*) *Crotatis*, urbs parva Asiæ in Georgia, *Imeretiæ* Principatûs Caput. Vide infer. *pag.* 631.

XI.

HENRICUS DE BROMMELSHEIM, Conventûs *Marianawensis*, Provinciæ Allemaniæ inferioris, juxtà *Hildesium*, in Saxonia inferiore, seu Westphalia siti, alumnus. Anno 1459. fuit Lector, Prior, Definitor successivè; ut plurimum tamen, & continuò ab anno 1463. Prior, & Lector Conventûs sui nativi *Marianawensis*, usque ad annum 1473. Vir S. Theologiæ Doctor, & Astrorum cælique scientiâ clarus, qui ob pietatem, Doctrinam, & zelum prædicandi Verbum Dei, Religionemque Christianam propagandi & propugnandi, assumptus est in *Episcopum Afsareanensem*, & Suffraganeum Hildesiensem; cujus Opera recensentur inferiùs, Verbo HENRICUS MARIÆNAWENSIS.

XII.

HENRICUS BOCK, natione Ubius, Carmelita Coloniensis, Sacræ Theologiæ Doctor, anno Christi 1412. in Capitulo Provinciali Coloniensi, sub *Thomâ de Heimershem* celebrato, Lector Sententiarum Spitensis ordinatus, quas duorum annorum spatio explanavit & docuit; quibus elapsis ibidem factus est Prior; post biennium in Myrensem Episcopum, & in Suffraganeum Spireosem assumptus fuit II. Kalendas Maii, anno 1426. usque ad annum 1443. die 14. Octobris, quâ mortuus est, ex nobili Germaniæ stemmate propagatus; ut indicant arma ipsius gentilicia, Lapidi sepulchrali incisa. Epitaphium seu Sculptura lapidis sepulchralis hæc est:

D. O. M.

ANNO DOMINI M. CCCC. XLIII.

DIE CALIXTI PAPÆ,

OBIIT REVERENDUS IN CHRISTO PATER

ET D. D. † HENRICUS BOCK,

DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPUS MYRRENSIS,

EPISCOPI SPIRENSIS SUFFRAGANEUS.

Scripsit in *Magistrum sententiarum Commentaria*, quæ Spiræ dictavit.

De Henrico Bock agunt Ægidius Gelenius, in *Sacrario Coloniensi*, *syntagmate* 43. §. 3. Acta Consistorialia *Martini V. anno* 1426. Petrus Marsæus Cratepolius, Franciscanus, in *Annalibus Archiepiscoporum Moguntinensium*: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1196. *num.* 7. *pag.* 143. Paulus Segeri, in *Catalogo Mſ. Episcoporum & Suffraganeorum quorumdam nationis Germanicæ, Ordinis Carmelitarum*: Quem adhibet Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 140. Libri Mſſ. Provinciæ Alemanniæ, quos appellat

G.

Daniel à Virgine Marià, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 926. num. 3242. col. 1. lin. 5.*

XIII.

HENRICUS DE COLONIA, à sua patria sic nuncupatus, sacræ Theologiæ Doctor, in jure peritissimus, interfuit Capitulo Generali *Mediolani* celebrato per Magistrum Petrum de Emiliano, Priorem Generalem, anno 1284. in quo tractari cœpit de mutatione Capparum variatarum in albas, Sedis Apostolicæ licentià, faciendâ. Anno 1287. iterùm interfuit Capitulo Generali, per eumdem M. Petrum Generalem celebrato, in quo decretum fuit Montispessulani, depositis palliis barratis varii coloris, assumenda esse pallia alba, & ex toto candida; & ibi nomen proprium detegitur, *tomo 1. Bullarii Carmelit. pag.* 35. ubi vocatur HENRICUS JUVENIS. Cujus etiam sub Provincialatu celebratum fuit Capitulum Generale in Conventu Trevirensi, anno 1291. per eumdem M. Petrum de Emiliano, Priorem Generalem.

Anno 1295. successit ei in officio Provincialatûs Ven. Pater Conradus à S. Georgio. Undè hoc tempore præsumi potest HENRICUM JUVENEM assumptum fuisse, & creatum Episcopum Rhedæstonem, (*) & Suffraganeum Coloniensem, sub WICHBALDO Archiepiscopo. Anno 1298. Ecclesiæ Carmeli Coloniensis certas contulit Indulgentias. Anno 1304. benedixit venerandam Crucem, quæ Coloniæ in Capitulo B. V. Mariæ asservatur in medio Templi, Sede vacante per mortem dicti WICHBALDI. Anno 1310. X. Kalendas Decembris consecravit Coloniæ Capellam quamdam dictam ad *Olivas*, in loco seu fundo, olim ad Templarios jam extinctos, spectantę, sitam: ubi modò est Monasterium Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum.

Quando mortuus fuerit mihi incompertum: sed indè liquet aberrasse penicillum Pictoris, qui Coloniæ in Carmeli Aula seu Camera Hospitum, Henrici de Colonià depictam effigiem finxit, ipsum mortuum anno 1293. vel 1398. Aberravit etiam Ludovicus Jacob, in Catalogo Ms. Antistitum Ordinis Carmelitici, scribens Henricum de Colonià devixisse anno 1304.

Quid scripsit Henricus de Colonià, non indicant qui laudant: Ægidius Gelenius, in *Sacrario Coloniensi, Syntagm.* 43. §. 4. Idem, in *Staurologiâ*. Lezana, *tomo* 4. *pag.* 142. & 471. & 1042. Jacobus Milendunck, in *Historia Ms. Provinciæ Alemaniæ*. Monumenta antiqua *Mss. Carmeli Coloniensis*: Quæ appellat Daniel à Virgine Marià, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag. 926. & 927. num.* 3243. Idem, in *Vinea Carmeli, pag. 490. num.* 875. Paulus Segeri, in *Catalogo Ms. Episcoporum & Suffraganeorum quorumdam Germanorum Ordinis Carmelitarum, quem citat* Ludovicus Jacob.

XIV.

HENRICUS, aliis JOANNES DOLENDORPIUS, natione Germanus, Carmelita, Sacræ Theologiæ Lector ac Professor Parisiensis, anno 1336. in Capitulo Generali Bruxellis celebrato constitutus per Petrum de Casa, Lector scilicet Sententiarum pro tertio anno. Provincialis autem Germaniæ inferioris vocatur in Capitulo Generali Tolosano, anno 1351. Perpioianensi anno 1354. & in Ferrariensi, anno 1357. & posteà de eo nulla reperitur commemoratio in *Libro* communi *Ms.* Ordinis Carmelitici; & indè est quod Lezana ad hunc annum 1357. commendat Henricum Dolendorpium (ut loquitur.) Ita non loquitur Palæonydoros, qui *Lib. III. cap.* 13. scribit eum fuisse Provincialem anno 1343. antè Tilmanum qui regere cœpit anno 1366. Ludovicus autem Jacob Henricum asserit Sacræ Theologiæ Doctorem ac Professorem Parisiensem anno 1336. in Capitulo Generali Bruxellensi, & anno 1343. post Simonem de Spira, qui Definitor Provinciæ Alemaniæ inferioris apparet in Capitulo Generali Podiensi, anno 5375. & nuspiam Provincialis.

Tempus mortis Dolendorpii non magis certum. Trithemius in Libro de *Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*, ait: *Henricus Dolendorp.... moritur in Conventu Coloniensi, sepultus anno Domini CIↃ. CCCLXV. Indictione tertià, quarto Iduum Februarias.* Hanc opinionem sequitur Ludovicus Jacob. Ast, in *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 651. Trithemius ait: *Henricus de Dolendorp.... claruit temporibus Caroli Imperatoris IV. & Urbani Papæ Quinti; Anno Domini M. CCCLXX.* Sed Petrus Lucius animadvertit Indictionem tertiam incidisse anno 1375. Dolendorpius scripsit,

4. *Notabile Opus super Libros IV. Sententiarum*, Lib. IV.
2. *In Ethicam, sivè Philosophiam Moralem*; Lib. X.
3. *Sermones de Tempore*, Lib. I.
4. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.

Illum laudant Trithemius locis citatis: Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali, pag.* 304. Possevinus in *Apparatu sacro*: Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis, pag.* 327. Valerius Andreas, & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica, pag.* 442. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo 3. pag.* 637. Jacobus de Plebe, in *Indice aliquot Scriptorum Ordinis Carmelitici*. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 34. Lezana *ad annum 1357. num. 3. pag.* 616. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 141. *&c.*

XV.

HENRICUS DE GORICHEN, natione Germanus, Carmelita Colniensis, & ibi Sacræ Theologiæ Doctor, scripsit circà annum 1460.

1. *De Missarum celebratione, contrà Hussitas.*
2. *De SS. Eucharistiæ Sacramento.*
3. *De Processionibus.*
4. *Alia*: quæ extant Mss. in Carmelo Coloniensi; sicuti legere est *tomo 2. Speculi Carmelitarum, pag. 3097. num.* 3882. Trithemius, de *Scriptoribus Ecclesiast. cap.* 812. Sed Carmelitam non vocat, & alia opera indicat; & ex Trithemio Gesnerus, in *Bibliotheca Universali, pag.* 311. Oudinus, *tomo 3. pag.* 2378. Collectio judiciorum, *tomo 1. pag.* 322.

XVI.

HENRICUS de HANNA, aliàs de ANNA; aliàs de ARENA, natione Anglus, patrià *Norwicensis*, Carmelita Burnhamiensis, bis Provinciæ Angliæ Præfectus, anno 1354. Londini in Capitulo Generali à S. Simone Stokio celebrato, primùm electus, *Radulphi Fresburni*, Angliæ primi Provincialis, Successor; deindè anno 1281. *Guillelmi Hanbergi* Successor item constitutus. Etiam in Galliis factus Provincialis, per Regna Franciæ, Scotiæ,

(*) *Rhedastum*, vulgò *Rodosto*, Urbs Thraciæ Episcopalis sub Heraclensi Archiep. Rhedæston Episcopus etiam fuit Elias Carmelita, Mechliniensis Suffraganeus, de quo super. *pag.* 408.

H.

Scotiæ, Hiberniæ, & per totam ferè Germaniam ædificatis Monasteriis, incredibili industriâ suum Ordinem longè latéque propagavit: Vir amator Vitæ Solitariæ, in Sylvestri *Norfolcensis* regionis Cœnobio apud *Brunhamiam* habitum susceperat, professionem ediderat, & inibi multos vitæ suæ dies in divinarum rerum Contemplatione sanctè exegerat: Sæpè apud suos, nonnunquam apud populum doctos Sermones habuerat: sed dùm spectata hujus pietas, integritas, & prudentia, & singularis tum in sacris, tum in profanis literis eruditio, satis manifestis innotescerent indiciis, in partem regiminis vocatus ad ultimum usque vitæ momentum assiduè laboravit, & viribus exhaustus, atque annis confectus, ex hac ad meliorem vitam migravit apud Stanfordiam quarto Kalendas Decembris, anno post Adventum Messiæ 1299. Scripsit gravi & polito Stylo,

1. *Epistolarum Librum unum:* Incipit: *Dilectis in Christa Filiis Londinensibus.*

2. *Ordinationes Conventuum*, Lib. I. *Formulas scribendarum literarum*, Lib. I.

3. *Alia quædam, Conciones varias*, Lib. I.

Henricum de Hanna, sivè de Arena, sivè de Harena celebrant Joannes Pitseus, Lelandus & Balæus, *in Catalogo Scriptorum Britanniæ, Cent.* 2. Jacobus de Piebe, Pisanus, Ordinis Servorum, Professor Academiæ Pisanæ celeberrimus, in *Indice Scriptorum Ordinis Carmelitarum.* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro:* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Joannes Trithemius, *Lib. de viris Illustribus Ordinis Carmelitarum.* Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 34. Lezana ad *annos* 1254. 1258. & 1299. *pagg.* 352. 356. 365. & 472. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 141. Daniel à Virgine Marià, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1041. *num.* 3611. &c.

XVIII.

HENRICUS DE HUECTA, aliàs DE HOITA, aliàs OYTA, aliàs OITHA, natione Germanus, professione Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor, & in Academia Viennensi Austriaca Professor institutus est sub Academiæ hujus initium nascentis; *Henrico de Hassiâ* æqualis & Collega in studiis, qui ad annum 1390. vel 1400. hanc Academiam ornasse videtur. Nam uterque *Henricus de Oitha* atque *Henricus de Hassiâ* majoribus quarumlibet facultatum legibus, velut Theologiæ Professores anno 1388. in hac Accademia Regentes subscripserunt. Quo anno mortuus fuerit Henricus de Oitha non constat, tametsi mortuum fuisse ante annum 1397. aliàs constet. Scripta ejus titulo nuncupantur,

1. *In IV. Libros Sententiarum Commentaria*, Lib. IV. Incipit: *Circà prologum primi.*

2. *Sermo de Conceptione B. V. Mariæ:* Incipit: *Consurget Virgo de Israel.*

3. *Sermones de Omnibus Sanctis, de Nativitate, de Purificatione, de Annuntiatione B. V. Mariæ.*

4. *Henrici de Oitha, posteriorum veteris artis Physicorum, de cælo, de generatione & corruptione, de Meteoris, de Animâ Œconomicarum, Politicorum & Ethicorum Aristotelis Commentaria:* Quæ *Mss.* Lipsiæ asservantur, in *Bibliotheca Paulina*, inter Manuscriptos Codices Facultatis Philosophicæ, *Cod.* 67. *num.* 3. *Pulteo* 5. cum impressis repositos.

5. *Magistri Henrici de Oitha Tractatus de Contractibus:* Incipit: *Diligite justitiam, qui, &c.* Hic Tractatus, inter Joannis Gersonis Opera sæpiùs impressus, prodiit seorsim Parisiis *in*-4°. Asservatur Ms. *in-folio* Lipsiæ, in Bibliotheca Paullina, in *Requisitorii II. Serie* 1. & 2. *Cod.* 18. *N.* 3.

6. *Articuli quidam*, seu *Propositiones contrà Magistrum nomine Albertum.* Has ob Propositiones Curiæ Romanæ placitis passìm accidentes, vix notam hæreseos è vitâ reposuit *Huecta*, quamvis à Joanne Gersone, magno Academiæ Parisiensis Cancellario multùm laudatus. Easdem *propositiones & earum explicationes* habuit Matthias Illyricus, quarum excerpta nonnulla exhibet, in *Catalogo testium Veritatis, Lib. XVIII. pag.* 1800.

Henricum Euta, Huecta, de Hoita, Oyta, vel Oitha, malè de Cuta laudans Trithemius, *de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 687. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali, pag.* 310. Henricus Pantaleo, in *Catalogo Virorum Illustrium Germaniæ;* sed hi professionem Carmelitanam ejus tacent: eam autem clamant Robertus Gerius, in *Appendice ad Historiam Literariam Guillelmi Cave, pag.* 51. Casimirus Oudin, in *Commentariis de Scriptoribus Ecclesiasticis, tomo* 3. *pag.* 1264. Petrus Lambecius, *tomo* 2. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindebonensis, cap.* 5. *pag.* 232. Joachimus Fredericus Fellerus, in *Catalogo Manuscriptorum Codicum Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, pag.* 341. & 361. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 141. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 384. ubi eum vixisse annò 1510. erroneè asserit. Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs Sacri*, verbo *Henricus Eucta*, *pag.* 697. & Verbo *Henricus Oyta, pag.* 731. ubi hominem unum in duos distinxit perperàm.

XIX.

HENRICUS HULST, vel HUZOTZ, Belga, Thenensis Carmelita, scripsit *Opuscula quædam*, quæ Mss. asservantur in Bibliothecis Carmelitanis Belgicis; ut asserit Anonymus Carmelita, in *Catalogo Ms. quorumdam Scriptorum Ecclesiasticorum Carmelitarum, Germanorum & Belgarum*, quem Ludovicus Jacob possedit, & citavit, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 142. Nisi for'an idem sit cum Joanne Hulsout qui floruit anno 1500.

XX.

HENRICUS A S. IGNATIO, Gallo-Belga, Athensis Carmelita, Sacræ Theologiæ in Conventu Universitatis Duacensis Professor, Prior, & Provinciæ Gallo-Belgicæ pluries Definitor, atque Provinciæ Wallo-Belgicæ Vicarius Provincialis, diu *Romæ* commoratos ineunte Pontificatu Clementis XI. Conventum *Xavæ* propè *Leodium*, à quo tribus circiter leucis dissitum, Ordini suo Carmelitico acquisivit anno 1686. quem anteà possederant Fratres Ordinis S. Sepulchri Hierosolymitani, ab annis circiter ducentis; sed reliquerunt prædicto anno Carmelitis Provinciæ Gallo-Belgicæ, eis cum conditionibus, quas in sua Bulla data 7. Augusti, apposuit Innocentius XI.

Qualis autem Vicarius Provincialis extiterit Henricus noster, probat separatio quorumdam Conventuum hujus Vicariæ Præfecturæ à Provinciâ Carmelitarum Gallo-Belgicâ. Nam separatio quidem Flandro-Belgicæ Provinciæ à Provinciâ Gallo-Belgicâ, diu concepta, deindè postulata fuit *Romæ* in Capitulo Generali anno 1660. atque tandem decreta & perfecta est per *R. P. Hieronymum Ari*, totius Ordinis Generalem, & Commissarium Apostolicum anno 1663. die 19. Aprilis, de concilio &

H.

affensu Commissariorum, utriusque nationis Gallorum scilicet & Flandrorum: numeris deniquè omnibus absoluta in Capitulo Provinciali *Bruxellis* celebrato, eodem anno 1663. die 29. Junii, SS. Apostolis Petro & Paulo Sacro; cui præsedit suprà laudatus *R. P. Hieronymus Ari.*

Ast subdivisio deinceps alia nata fuit in eadem Provincia; adeò ut hæc scindatur in Provinciam Gallo-Belgicam, & Wallo-Belgicam: Gallo-Belgica quippè Provincialem habet, Wallo-Belgica nonnisi Vicarium Provincialem, qui multis annis votum non habuit aut locum in Capitulo Generali: accepit autem & obtinuit id muneris, jam hanc promovente causam nostro Henrico, qui *Xavæ* obiit grandi senectute provectus anno 1720. Clementi XI. Pontifici percharus. Ejus Opera scribuntur titulo,

1. *Theologia vetus, fundamentalis, speculativa, & Moralis, ad mentem Resoluti Doctoris Joannis de Bachone.* Leodii, anno 1677. prodiit tomus primus *in-folio: De Deo uno, & trino.* Pertarus.

2. Præconceptum Opus inscriptum: *Theologia Sanctorum*, prodiit Leodii, anno 1700. de *Eucharistia & Pœnitentia.* Tomus decimus *in-8°.* quamvis primus Typis, sed posteà sequenti Operi immixtus.

3. *Ethica Amoris & morum doctrina, adversùs novitias opiniones strenuè propugnata.* Leodii, ex Officina Typographica J. Francisci Broncart 1709. *in-folio.* tribus tomis: quorum primus à sacra Officii Congregatione damnatus fuit, anno 1714. die 12. Septembris; & ideò ex speciali Decreto in *Indicem Librorum* prohibitorum injectus & huic inscriptus, *pag.* 410.

4. *Molinismus profligatus.* Leodii 1715. *in-8°.* Ad Gratiam efficacem per se probandam editus.

5. *Tuba magna mirum clangens sonum, ad SS. D. N. Papam Clementem XI. Imperatorem, Reges, Principes, Magistratus omnes, Orbemque universum, de necessitate reformandi Societatem Jesu,* per Liberium Candidum, Pseudonymum, qui creditur esse Henricus à S. Ignatio 2. vol. *in-12.* Collectio est quorumdam momentorum ad reformationem Societatis Jesu pertinentium, quæ in prima Editione inscribuntur: *Tuba major, & tuba maxima.* Uniuntur in tertia Editione 1717. in qua & adjungitur *Lucii Cornelii Europæi Monarchia Solipsorum:* quæ verum habet Autorem Julium Clementem Scotti; uti pleniùs apud Joannem-Petrum Niceron, *tomo* 39. *pag.* 70. *& seqq.* asseritur.

6. *Artes Jesuiticæ in sustinendis pertinaciter novitatibus, laxitatibusque sociorum (quarum plusquàm mille hic exhibentur, SS. D. N. Clementi Papæ XI. atque Orbi universo denuntiatæ, per Christianum Aletophilum.)* Argentorati, apud Amatorem Kenkoven 1717. *in-12. pagg.* 582. sine Appendice. *Edit. tertia cum vindiciis priorum editionum.* Quisquis sit ille Christianus Aletophilus, quem credunt esse Henricum à S. Ignatio, Artes hæ Jesuiticæ duplici decreto Congregationis SS. Officii damnatæ sunt & ideò *Indici Librorum prohibitorum inscriptæ, pag.* 413.

Henricum à S. Ignatio memorant Innocentius XI. in Diplomate dato anno 1686. die 7. Augusti, pro cessione Conventûs Xavæ, *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 644. *col.* 2. Daniel à Virgine Mariâ *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1111. *num.* 3935. Ludovicus Ellies Dupin, in *Bibliotheca Scriptorum Ecclesiast. Seculi XVII.* Ludovicus-Franciscus-Joseph De la Barre, in Dictionario Moreriano, Edit. 1725. *tomo* 4. *verbo Henrici de S. Ignace, pag.* 56. N. Goujat, in *Supplemento Dictionnarii Moreriani*, Edit. 1735. *tomo* 1. verbo, *Henry de S. Ignace, pag.* 120. *lit. H.* Dominicus de Colonia, in *Bibliotheca Jansenistarum, tomo* 1. *pag.* 184. *Edit. tertia.* Index *Librorum prohibitorum.* Romæ, Typis Rev. Cam. Apostol. 1736. editus, *pag.* 410.

XXI.

HENRICUS MARIÆNAWENSIS, propè *Hildesiam* in Saxonia inferiori, Carmelita Germaniæ inferioris Provinciæ alumnus; cujus continua mentio fit in *Libris Mss.* hujus Provinciæ ab anno 1459. usque ad annum 1473. quod Prior Mariænawensis erat sextus, non alius est quàm Henricus Bromelsheim, qui in Episcopum *Astarcanensem*, & Suffraganeum *Hildesiensem:* Vir sacræ Theologiæ Doctor, Astrorum etiam, ac cœli scientiâ clarus, pietate, doctrinâ & zelo prædicandi verbum Dei, Religionem Christianam propagandi ferventissimus. Scripsit,

1 *Contrà Simoniacos*, Lib. I.

2. *De Ordine Carmelitarum.*

3. *De Syderum cursu*, Lib. I.

De Henrico Mariænawensi mentionem habent celebrem Baptista Mantuanus, Fabricius in *Biblioth. mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 669. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro.* Lezana, *tomo* 4. *Annalium, pag.* 1057. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 142. Chronicon Germanicè scriptum, de *Diœcesi Hildesiensi*, quod citat Gaspar Munsterus, in sua *Saxonia Ordinis Carmelitarum celeberrima Provincia;* in descriptione *Monasterii Marianawensis* à se recuperati, & ad perfectam possessionem recepti, *Liber* communis *Ms. Provinciæ Germaniæ* inferioris, quem citat Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 926. & 927. *num.* 3241. & 3244. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 344. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Auctuario Capitis septimi de origine & incrementis Ordinis Carmelitarum*, ab Alberto Miræo scripti, *pag.* 218. *&c.*

XXII.

HENRICUS de MONTE THABOR, vulgò MONTABAWR, natione Germanus, Carmelita Boppardiensis ad Rhenum, in ditione Electoris Trevirensis, infrà Fanum *S. Goaris.* Hic Henricus sacræ Theologiæ Lector, scripsit circà annum 1415.

1. *Quadragesimale de flagellis & plagis peccatorum, & de eorum remediis*, Lib. I.

Quadragesimale Viatoris, Lib. I. Duo hæc Quadragesimalia extant Mss. in eodem Cœnobio Boppardiensi; ut testatur Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1097. *num.* 3882. Henrici Montabawr mentionem quoque facit, sed satis confusam, Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 142. Vide super. *col.* 418. verbo, Dominicus Provana.

XXIII.

HENRICUS à MONTE CARMELO, natione Ubius, patriâ & professione Carmelitanâ Coloniensis, antiquæ regularis observantiæ sequax, sacræ Theologiæ Professor Moguntinensis, Provinciæ Germaniæ inferioris Definitor, Commissarius Generalis, ac posteà Prior Provincialis, qui florebat etiam anno 1668. Scripsit:

1. *De Confraternitate sacri Scapularis commeatum cœlestem*, Moguntiæ, anno 1652. *in-12.*

H.

2. Ex Italico in Latinum sermonem traduxit *Sylvam novam*, seu *Cytharam Mysticam*, Alexandri de Calamato. Francofurti, anno 1656. *in*-4°.

3. Ex Italico idiomate vertit in Latinum *Theologiam Mysticam*, Vincentii Caraffæ, Societatis Jesu Præpositi Generalis. Francofurti, anno 1658. *in*-4°. suo tamen nomine non apposito.

Henricum à Monte Carmelo celebrant Paulus ab omnibus Sanctis, in *Clovi aureâ*. Idem, in *Carmelo Thaumaturgo*. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 594. *num.* 2299. Ibid. *tomo* 2. *pag.* 1102. *num.* 3907. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mʃ. pag.* 143.

XXIV.

HENRICUS PARCHERIUS, aliàs PARKER, Anglus, Carmelita Doncastriensis, Doctor Theologus Cantabrigiensis, Aristarchus sui temporis, Concionator celebris, & paupertatis amator insignis: dum *Londini* ad D. *Paulum* è suggestû pro Concione Christi paupertatem omnibus, & maximè Personis Ecclesiasticis commendaret, acerbè invectus est in Clerum Secularem; & Ecclesiæ Prælatos superbiæ, fastûs, ambitionis accusavit. Cujus exempla secuti *Thomas Holdenus* ibidem Carmelita, & Dominicanus quidam Religiosus, in suis Concionibus protulerunt. Indignati porrò contrà eos Episcopi, carceribus mancipatunt circa annum 1464. in quibus palinodiam decantare coacti sunt. Obiit Parcherius anno 1470. postquam scripsisset modestiam edoctus:

1. *De Christi paupertate*, Lib. I. Incipit: *Simul in unum dives & pauper*.

2. *Dialogum divitis & pauperis* Librum alterum. Incipit: *Dives & pauper obviaverunt*:

3. *In Aristotelis Meteoro Lectiones* XXXIV. Lib. IV. Incipit: *Intentio Philosophi in hoc primo*.

De Henrico Parker loquuntur Joannes Lelandus, Piseus & Balæus, de *Scriptoribus Angliæ*. Henricus Parchenus apud Fabricium, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 5. *pag.* 578. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesneriana*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1464. & 1470. *pag.* 905. & 922. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mʃ. pag.* 143. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 358. Thomas à Jesu, *Lib. de Illustribus Viris Ordinis Carmelitarum*. Cyrillus Pennædus, in *Gymnasio Carmelitico Mʃ. ad annum* 1470. *&c.*

XXV.

HENRICUS POTIN, natione Neustrius, patriâ Rothomagensis Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor Parisiensis, CAROLO VIII. Galliarum Regi Christianissimo notus & charus, electus Episcopus Philadelphiensis, tertio Idus Decembris, anno 1480. Vir suo ævo celeberrimus, magnâ prudentiâ & reconditâ eruditione præditus, Concionator Regius, migravit è vitâ *Rothomagi*, anno 1502. & in Choro Ecclesiæ suorum Fratrum sepultus.

Quoad hunc annum mortis, error est, si fides dabitur Danieli à Virgine, quià, cum anno 1488. electus fuerit *Stephanus de Gabonrario*, aut Henricum Potin resignasse, aut ad aliam Sedem translatum fuisse, censendum est, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 964. *num.* 3390. At hæc ratio Danielis evanescit, si attendatur quod tres Philadelphiæ urbes Episcopales extent: prima in Arabiâ Petræâ, sub Archiepiscopo Bostrensi; secunda in Ciliciâ sub Archiepiscopo Seleuciensi: tertia, in Lydiâ sub Archiepiscopo Sordiano. Henricus Potin fuit Episcopus Philadelphiensis in Ciliciâ electus anno 1480. ut constat ex *Actis Consistorialibus Sixti IV.* Stephanus de Gabanrario fuit electus Philadelphiensis Episcopus alterius Philadelpiæ, anno 1488. aut potiùs 1492. cujus mentio fit in *Regestis Alexandri VI. sub finem hujus anni* 1492. Et *Henricus de Gournay* erat Episcopus Philadelphiensis anno 1489. die 16. Maii, quando consecravit duo Altaria in Ecclesiâ Carmelitarum Clarevallensium; ut constat ex instrumento publico, quod citat ipse Daniel, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag* 964. *num.* 3390. *Col.* 2. *Lin.* 2. Henricus Potio scripsit,

1. *Lecturas in Magistrum Sententiarum*, Lib. IV. quas dictavit Parisiis.

2. *Quadragesimale*, quod habuit coràm Rege CAROLO VIII. Lib. I.

3. *Conciones ad Clerum & populum*, Lib. II.

De Henrico Potin loquuntur Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Antonius Possevinus, in *Apparatu Sacro*: Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1502. *num.* 4. *pag.* 1008. Dominicus a Jesu, in *Spicilegio Antiquitum Ordinis Carmelitarum*. Alegreus Cassanatus, *in Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 377. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mʃ. pag.* 143. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 927. *num.* 3245. Idem in *Vineâ Carmeli*, *pag.* 503. *num.* 902. Anonymus diligentissimus Author nuperus, in *Descriptione Normanniæ superioris*, Gallicè editâ *tomo* 1. *pag.* 64.

XXVI.

HENRICUS SALART, Gallus, Carmelita Provinciæ Narbonæ alumnus, edidit sub pertonato nomine Magistri Petri Jarric, Presbyteri, Gallico idiomate,

1. *La voye pour passer heureusement de ce monde en l'autre, en faveur des Confreres du S. Scapulaire de la Glorieuse Vierge Marie du Mont-Carmel, contenant le Privilege de l'Indulgence plénière à la mort, & l'Assistance à l'Agonie.* Composé par Messire Pierre Jarrie, Prêtre. Podii Vellaunorum: apud Andream de la Garda, 1659.

2. Sub alio supposito nomine etiam emulgavit: *Le souverain Remede pour appaiser l'ire de Dieu, en tems de peste, guerre & famine, & être délivré de ces fléaux, & pour obtenir secours en toutes afflictions & nécessités; avec un petit avis aux Confreres du S. Scapulaire, & quelques prieres de dévotion.* Composé par François-Hugues Saivene, Confrere. Ibidem, apud eumdem 1660.

Hæc ab ipso Henrico Salart anno 1666. se didicisse testatur Ludovicus Jacob, *in Bibliothecâ Carmelitanâ Mʃ. pag.* 144. Necnon idem, in *Bibliothecâ personatâ Mʃ. pag.* 87. & 181. uti jam nos advertimus superiori *pag.* 490.

XXVII.

HENRICUS SILVIUS, natione Italus, ex oppido *Medio Vico*, vulgò *Mezzovico*, agri, & diœcesis Comensis, currente anno 1556. FRANCISCO & JACOBINA, infimæ sortis parentibus natus est. Infans adhuc à parente constitutus *Astæ*, ibi anno ætatis decimo octavo Carmelitanum habitum induit, & professionem emisit: hinc Civis Astensis cooptatus, *Astensis nuncupatur*. Indè studiis formatus, Philosophiam & Theologiam suos Fratres docuit; Publicum in Papiensi Academiâ, necnon in Sapientiâ Romanâ Præceptorem egit; datâ inte-

H.

rim Concionibus operâ, adeò suavi quâdam & ornatâ, eâdemque facundâ & gravi declamationis copiâ, & ad movendum imprimis aptâ, ut non modò vulgus, & cœtus utriusque sexûs teneret, atque ad officium compelleret; sed & Literatorum quoque aures magno cum fructu impleret.

Ad hæc, Papiæ, Astæ & Romæ, ad Transpontinam, ubi etiam Regens Theologiæ munus obivit. Dum autem in Urbe moram traheret, institutus fuit Vicarius Generalis pro Italiæ Provinciis, profecto in Hispaniam R. P. Joanne-Stephano Chizzola, sui Ordinis Generali. Quo sublato, & in Arce S. Angeli detento, in Vicarium Generalem totius Religionis Carmelitanæ assumitur HENRICUS noster à Clemente VIII. Literis datis die 17. Augusti anno 1596. atque adeò ex illâ die regimen universæ familiæ suscepit.

Sub initium Novembris anni 1597. destinatus fuit ab eodem summo Pontifice Censores inter Consultores in Congregatione, nuncupata *de Auxiliis*, atque sub eo munere interfuit pluribus privatis sessionibus, coràm Illustrissimis Cardinalibus Præsidentibus, habitis, necnon solemni disputationi, super illam controversiam habitæ die 2. Junii anno 1598. sed variis posteà domesticis occupationibus distentus, in eodem Censoris munere successorem reliquit *Joan. Anton. Bovium*.

Eodem anno 1598. die 10. Maii celebratis Romæ Comitiis Generalibus, Prior Generalis electus est. Statim ad Visitationem Provinciarum Cœtûs sibi commissi, accinctus, Româ egressus, Apostolicâ confirmatione specialiter confirmatus, & eodem anno 1602. ad biennium post quinquennium prorogatus, huc, illucque discurrens usque ad annum 1607. Italiam primùm, indè Gallias, Belgium, Germaniam, & Poloniam perlustravit, cum dignitate Apostolici Commissarii & Visitatoris: ac demum Provinciæ Hispaniæ adiit, impressis ubique non paucis, nec levibus observantiæ regularis vestigiis; quam ubique labefactatam restauravit, ea spargens Reformationis semina, quæ mox pullulantia, copiosissimum produxerunt fructum, præter novos quadraginta quatuor Conventus, quos suo acquisivit Ordini.

Iis peractis, iterum ad dignitatem Prioris Generalis assumptus est in Comitiis *Romæ* ad Transpontinam congregatis die 7. Junii anno 1609. acceptâ recens facultate à *Paulo V.* ut ad id muneris iterùm eligi posset. Elapso triennio, promotus est ad Episcopatum *Eporediensem* sub Metropoli Taurinensi, ex nominatione Ducis Sabaudiæ: cujus & Literis patentibus, datis die 25. Julii 1612. Orator apud Sedem Apostolicam pariter destinatus est. Subierat HENRICUS die 22. ejusdem mensis examen, ab inaugurandis in Antistites de more præmissum. Cæterùm dum hæc agebat SYLVIUS, gravi infirmitate oppressus, eam per mensem pati necesse habuit, & tandem in suâ Cellâ Transpontinâ Spiritum Creatori reddidit, die 14. Septembris anni labentis 1612. ætatis suæ 56. ab initâ Religionis Præfecturâ 16. Sepultus est in Templo S. Mariæ Transpontinæ, ad Sacellum S. Angeli, quod vivus altari, picturis, & dote ornaverat. Elapsis ab ejus obitu tribus supra quinquaginta annis, Epitaphium istud in marmore exaratum est ibi:

D. O. M.

† *HENRICUS SILVIUS, Astensis Generalis Carmelitarum: Disciplinæ regularis, ac Literarum apud suos Instaurator: Ordinem Universum lustravit, rexitque annos novem & decem. A CLEMENTE VIII. inter Theologos S. Congregationis de Auxiliis adlectus: A Sede Apostolica plura in gratiam Religionis obtinuit: Quadraginta quatuor Conventibus Carmelum auxit: Sacellum hoc extruxit tumulandis Generalibus, Sacrumque quotidianum instituit, tum pro mortuorum levamine, tum pro viventium prospero regimine. Tandem ad Infulas Eporedienses, & Oratoris munus à Serenissimo CAROLO EMMANUELE, Sabaudiæ Duci, nominatus. Obiit Romæ XIV. Septembris M. DCII. ætatis suæ LVI. Æterna Viri de Ordine optimè meriti memoriæ, Fr. HIERONYMUS ARI, Astensis Generalis Carmelitarum, Anno Domini M. DCLXV. posuit.*

Amplissimam construxit Bibliothecam in Conventu suo Astensi, quam immensâ Voluminum copiâ, in omni disciplinarum genere adornavit; uti didicit *Ludovicus Jacob* à R. P. HIERONYMO ARI, hujus Conventûs alumno, ac Ordinis Carmelitani Magistro Priore Generali. Scripsit ipse Silvius,

1. *In Evangelia Tractatus*, & alios *in sacram Scripturam Libros*, quorum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, pag. 962. post Petrum Lucium, in *Biblioth. Carmel. pag. 34.*

2. *Lectiones Philosophiæ*, quas Papiæ publicè dictavit, omnium calculo probatas.

3. *Lectiones in Metaphysicam*, quas Romæ in Collegio Sapientiæ dixit anno 1543.

4. *Sermones*, quos variis in locis dixit.

5. *Decreta varia pro Reformatione Provinciarum Ordinis*, quorum meminerunt Ludovicus à S. Teresiâ, in *successione Eliæ*, cap. 161. pag. 597. & Capitulum Provinciale Nannetense, anno 1604. apud Hugonem à S. Francisco, in *Vita Ven. P. Philippi Thibault*, pag. 38. & 102.

6. *Multas plurimasque*, ad Superiores & inferiores suos subditos *Epistolas*, quarum mentionem habent iidem, Ludovicus à S. Theresia, *pag. ead.* 597. & Hugo à S. Francisco; ibidem *pag.* 50. & 101.

7. *Suffragia quinque*, Notatio data anno 1598. in *prima* Congregatione *de Auxiliis* legenda, quorum meminit R. P. Jacobus Hyacinthus Serry, Dominicanus, *Lib. I. Historiæ Congregationum de Auxiliis*, cap. 3. pag. 166. col. 1. C.

8. *Editioni recentiori Commentariorum in Psalmos Davidicos Michaëlis Aiguani de Bononia*, Doctoris *Incogniti*, vulgò nuncupati, operam consuluit, quam Gregorius Canalios memorat, vide super. pag. 519. lineis penè ultimis, in Epistola nuncupatitia ad Dominicum Pinelli, S. R. E. Cardinalem, iis præfixâ Commentariis; uti notat Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, pag. 443.

9. *Breviaria & Missalia Ordinis correcta* edi curavit, quibus inseri fecit Officia in Ordine Carmelitico recitari solita, SS. Prophetarum Eliæ, & Elisæi, Anastasii & Angeli Martyrum, SS. Alberti Drepanensis, duorum Cyrillorum; quibus facultate Apostolicæ Sedis obtentâ, alia tredecim addidit, scilicet in Januario, S. Dionysii Papæ, S. Petri Thomæ Patriarchæ, & S. Andreæ Corsini, Fesulani Episcopi: in Februario, Sanctæ Euphrosinæ, & S. Avertani: in Martio, S. Euphrasiæ & S. Bertholdi: In Aprili, S. Alberti, Patriarchæ Hierosolymitani, Carmelitarum Legislatoris: in Maio, S. Simonis

H.

Simonis Stockii : in Septembri, S. Brocardi, & S. Gerardi : in Octobri, S. Serapionis : in Decembri, S. Spiridionis ; sicuti refert jam memoratus Ludovicus à S. Teresia, in *successione Elin*, *cap.* 261. *pag.* 597.

1°. *Ceremoniale Ordinis Carmelitarum* promulgari fecit : teste eodem Ludovico. Visitur hodiè imago Henrici Silvii seu Sylvii in ædibus Episcopalibus Urbis Eporediensis, suo loco, inter Antistites illius Ecclesiæ collocata. Item Sylvius ipse recensetur in Catalogo Episcoporum Eporediensium, quem in *Chronologica Historia Pedemantann* regionis edidit Franciscus Augostinus ab Ecclesia, Episcopus Salutiensis. Taurini, anno 1645. *pag.* 88.

Henrici Sylvii Vitam edidit Franciscus Voërsius Astæ, anno 1613. *in-4°.* & 1614. *in-8°.* ut notavimus *superiori*, *pag.* 524. Eamdem vitam compendiose versam ex Italico in Gallicum sermonem dedit Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Elin*, *cap.* 261. *pag.* 595. *& seqq.* Laudes ejusdem Sylvii prosequuntur Henricus Farnesius, Regius artis Oratoriæ Interpres, in Gymnasio Ticinensi, in *Epistola prafixa* ad Librum de *Perfecto Principe*, Ticini seu Papiæ editum anno 1600. Clemens VIII. & Paulus V. in *Diplomatibas* quæ prodierunt *tomo* 2. *Bullarii Carmelitaram*, *pag.* 295. 300. *&c.* Carolus Emmanuel, Sabaudiæ Dux, in *Literis patentibus datis die* 25. *Julii*, 1612. Ferdinandus Ughellus, *tomo* 4. *Italiæ sacra :* Gabriel de Henæo, in *Eventilatione* 3. *de scientia media.*

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 34. *&* 82. *Lezana ad ann.* 1269. *num.* 5. *pag.* 398. Leo à S. Joanne, in *Delineatiane Observantiæ Rhedonensis*, *cap.* 6. *pag.* 37. Hugo à S. Francisco, in *Vita Ven. Philippi Thibault*, *pagg.* 13. 39. 50. 102. *&* 107. Mathurinus Aubron, in *Annalibas Mss. Provinciæ Turonin :* Philippus à SS. Trinitate, in *Compendio Historiæ Carmelitanæ :* Cyrillus Penneƈt, in *Gymnasio Carmelitico Ms. ad annum* 1612. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 144. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 539. *num.* 972. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 959. *&* 979. *num.* 3377. *&* 3436. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 443. *&* 449. Ubi perperàm distinguit Henricum Sylvium Mediovicensem, ab Henrico Sylvio Papiensi, &c.

XXVIII.

HENRICUS WICHYNGHAMUS, natione Anglus, Carmelita Cœnobii Norwicensis alumnus, Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis : vir subtilis ingenii, felicis memoriæ, promptæ & expeditæ linguæ, in Scholasticis Concertationibus acutissimus, & in omni Theologiæ genere valdè versatus. Multus erat in sacrarum Scripturarum lectione, meditatione, & explicatione : Quarum sinceros ut colligeret sensus, & mysteriorum arcana feliciùs penetraret, Duces sequutus est antiquos Ecclesiæ Patres & Doctores, D. Hieronimi præ cæteris assiduè vestigiis insistens : A quo non solùm rerum veritatem exspicatus est, sed etiam verborum ornatum, & sermonis puritatem didicit : Cujus elata dedit & subministravit indicia ad Populum, modò ad Clerum publicè, modò suos ad Fratres privatim dicendo frequentissimas & eruditissimas Conciones. Ex hac Vita migravit Norwici, anno Domini 1447. die 2. Martii. Scripsit,

1. *In Isayam Prophetam Lectiones XVIII.* Lib. I. Incipit : *Qaoniam, ut ait Hieronymus super.*

2. *In Appocalypsim Lectiones XXX.* Lib. I. Incipit : *Apertum est templum Dei in Cœlo.* Horum Operum meminerunt Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliotheca Sanctæ :* Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scripturâ sacrâ*, *pag.* 454. *&* 570. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 1018. *col.* 1. *D.*

3. *De Quadruplici Christi adventu*, Lib. I. Incipit : *Salvatorem expectamas Dominum.*

4. *De Conceptione B. V. Mariæ*, Lib. I. Incip. *An Beata Maria fuerit in Originali :* De cujus solemnitate in Ordine Carmelitarum vide *super. pag.* 520. verbo *Gregorias Candel ;* & infer. tom. verbo *Stephanus Duarte*, *pag.* 768. *tom.* 2.

5. *Sermones hyemales*, Lib. I. Incipit : *Domine, salva nos, perimas.*

6. *Sermones Æstivales*, Lib. I. Incipit : *Estote factores verbi, & non auditores tantùm.*

7. *Sermones de Sanctis*, Lib. I. Incipit : *Gloria Libani data est ei, Decor Carmeli.*

Henricum Wichinghamum celebrant Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, de *Scriptoribus Anglin.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecn Gesnerianæ :* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro :* Lezana ad *annum* 1446. *num.* 2. *pag.* 864. Hippolytus Maraccius, in *Bibliotheca Mariana :* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 145. Alegreus Cassanatus, in *Paradisa Carmelitici Decoris*, *pag.* 348. *&c.*

XXIX.

HERMANNUS MESTORFF, sivè MESTORET, natione Germanus, Cœnobii Coloniensis alumnus, Philosophus & Theologus insignis, Prior Crucenaci, ubì obiit anno 1489. Scripsit *flores Aristatelis ;* sicuti asserunt Pauli Segetus & Anonymus Scriptor *Catalogi Ms. quorumdam Carmelitarum* Germanorum Autorum ; necnon Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitarum Ms. pag.* 145. atque Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1097. *num.* 3882.

XXX.

HERMANNUS à S. BARBARA, natione Germanus, Excalceatus Carmelita, edidit duo Opera, quorum tituli inscribuntur :

3. *Carmelus triumphans*, *&c.* Leodii 1698.

2. *Meditationes ex Operibas S. Teresiæ desumptas*, & in *Orationem Dominicam.* Gallice, suppresso nomine. Leodii, anno 1705. *in-8°.*

XXXI.

HERMANNUS à S. NOBERTO, natione Belga, patriâ Edamensis, Carmelita Excalceatus, pietate & doctrinâ insignis ; fuit Magister Novitiorum, Prior, Definitor Provincialis, Missionis Batavæ Vicarius Provincialis, obiit Logduni Batavorum die 3. Martii, anno 1686. Auctor est Operum inscriptorum :

1. *Cibas solidus perfectorum*, seu *de Voto Seraphica S. Teresiæ.* Latinè, Antuerpiæ, 1670. *in-12.*

2. *Via media Confessariarum.* Latinè, Lovanii, 1675. Item Coloniæ, 1679. *in-12.*

3. *Canfraternitas Filii Dei, paucis nota.* Flandricè. Antuerpiæ, 1679. *in-12.*

4. *De Institutione & Origine Maricolarum, vulgò Marollaram.* Coloniæ, 1678. *in-12.*

5. *Religiosarum Legum observantia*, *sivè sacrum Collyrium ad Legum sanctitatem intelligendam.* Coloniæ, 1681. *in-12.*

6. *Meditationes S. Teresiæ post sacram Communionem*, ex Hispano idiomate in versus Belgicos

H.

translatæ. Coloniæ & Bruxellis, anno 1678. *in-8°.*
Hermannum à S. Noberto laudant Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 145. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1129. *num.* 3964. Martialis a Sancto Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum, pag.* 187.

XXXII.

HERVÆUS BOYE, aliquandò ERICUS BOYO, aliquandò HERENUS BOYC, nonnunquam HENRICUS BOHIC, natione Armoricus, Patriâ Leonensis, illustri stemmate ortus, Provinciæ Turoniæ alumnus, in patrio S. Pauli Monasterio professus: Doctor Theologus Parisiensis, circà annum 1445. renuntiatus, Musisque ab ineunte ætate instructus, Concionator operè potens & sermone, floruit circà annum 1450. scribens:

1. *In Magistrum Sententiarum Opus insigne*, Lib. IV.

2. *Quæstiones varias*, Lib. I.

3. *Conciones plurimas*, & *alia plurima*, quorum notitia periit.

Hervæum de Boyo memorant Joannes Trithemius, Lib. de *Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 568. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca Universali, pag.* 303. Guillelmus Einsengrenius, in *Catalogo testium veritatis*. Bertrandus Argentræus, in suâ *Britanniæ Historiâ, Lib. I. pag.* 83. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1450. *num.* 12. *pag.* 8-6. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 145. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 351. Leo à S. Joanne, in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis, cap.* 5. *pag.* 30. Mathurinus Aubron, in *Annalibus Mſ. Provinciæ Turoniæ*: Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitarum, pag.* 76. Columbanus à nostra Domina de Monte Carmeli, in *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum Illustrium Provinciæ Turoniæ, pag.* 3. *&c.* Cave ne confundas *Hervæum Boye* nostrum cum *Henrico Boich* etiam Leonensi, sed Juris Doctore utriusque peritissimo, cujus mentionem habent Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca Universali, pag.* 303. vide super. pagg. 20. & 62. Bertrandus d'Argentrée, *paginâ citatâ* 83. & 61. Aliique plurimi, quos inter non omittendus Vir clarissimus Denis Simon, in sua *Bibliotheca Auctorum & Interpretum Juris, tomo* 2. neque Religiosus vir & eruditissimus Dom. Bernardus de Montfaucon, in Bibliotheca Bibliothecarum Mſſ. in qua Codices Manuscriptos *Henrici Boyc*, sivè *Bohic* aut *Bouhié* citat, *pag.* 752.

XXXIII.

HIERONYMUS ALEOTUS, Mediolanensis Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, Vicarius ac Commissarius Generalis & Apostolicus Galliarum, cum Joanne-Stephano Chizzola tunc temporis Provinciali Romæ, deputatus anno 1588. ab Illustrissimo & Reverendissimo Dominico Pinelli, Cardinali, pro Reformatione & reunione omnium Conventuum Ordinis Carmelitarum Galliæ, edidit unà cum dicto R. P. Chizzola

Decreta seu Constitutiones pro Reformatione, & unione inter Regulares universos Carmelitas Galliæ componenda & stabilienda. Parisiis, apud Joannem Le Blanc, 1590. *in-4°.* Horum articulorum Apographum notatur in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 182. *num.* 1564. Et confirmatio ab illustrissimo Cardinali Pinelli, Ordinis Protectore, data prodiit *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 154. Meminit etiam illorum Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 146.

XXXIV.

HIERONYMUS à S. ANNA, Carmelita Discalceatus, Provinciæ Neapolitanæ alumnus, Scripsit Italicè,

1. *Historiam Genealogicam Familiæ Romanæ ac Neapolitanæ patriâ de Ponte*. Neapoli, 1808. *in-folio*.

2. *De antiqua & Catholica Religione Civitatis Neapolitanæ, ejusque Illustrissima Nobilitate*. Ibid. 1707. *in-4°.*

3. *Historiam S. Januarii Martyris, Neapolitanæ Civitatis Patroni*. Ibidem 1707. *in-4°.* Hæc leguntur, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 187.

XXXV.

HIERONYMUS DE ANDRADA, Hispanus Carmelita, Doctor Theologus: Vir Virtutum & Musarum cultor egregius, B. V. Mariæ devotus, edidit ad Emanuelem de Fonheca, Proregem Neapolitanum,

Tractatum de Conceptione B. V. Mariæ, desumptum ex Sermonibus, quos in Aula Matritensi habuit ejus Frater Germanus Didacus Lopez de Andrada, Lusitanus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, ex Concionatore Philippi IV. Regis Catholici, Archiepiscopus Hidruntinus, in Regno Neapolitano. Neapoli, Typis Lazari Escorigii, 1633. *in-4°.* Hispanicè.

Hieronymi de Andrada meminerunt Hyppolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Petrus de Alva, in *Militia immaculatæ Conceptionis*: Thomas Herrera, io *Alphabeto Augustiniano*: Philippus Elssus, in *Encomiastica Augustiniano*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 146. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana, tomo* 1. *pag.* 228. ubi notat quod Didaci Lopez de Andrada sermonum tomus tertius *in-folio*, qui est *de Conceptione immaculata Mariæ Virginis*, prodiit posthumus anno 1649. Neapoli, duabus partibus, Hieronymi Fratris Sodalis Carmelitæ industriâ locupletior factus.

XXXVI.

HIERONYMUS ARI, natione Pedemontanus, patriâ Astensis, Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, sicut & Philosophiæ, Ticini, Drepani, ac Neapoli, Prior Astensis, ac Provinciæ Lombardiæ Provincialis, Commissarius Generalis Provinciarum Siciliæ, Calabriæ, Æmiliæ ac Flaminiæ; deindè Ordinis Procurator Generalis sub R. P. Joanne-Antonio Philippino, Ordinis supremo Moderatore constitutus; tandem anno 1660. die Pentecostes in Comitiis Romæ celebratis in Magistrum Priorem Generalem est electus, atque eodem anno Commissarius & Visitator Apostolicus ab Alexandro VII. die primâ Septembris institutus, & posteà S. Officii Qualificator, ac Beneficiorum Ecclesiasticorum Examinator. Vir vitæ regularis amantissimus, sinceræ probitatis, magnæ prudentiæ, singularis pietatis, firmæ animi magnitudinis, & non vulgaris eruditionis gloriâ conspicuus; Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam inferiorem & Hispaniam, summo cum fructu, & ingenti Religionis augmento visitavit, & pacavit, omnium admiratione, Regibus, Principibus, aliisque Magnatibus valdè dilectus & charus. Obiit Romæ,

H.

anno 1667. die 27. Augusti, ætatis 64. edidit,

1. *Decreta pro magno Conventu ac Collegio Parisiensi, facta in Visitatione Solemni, ad introducendam strictiorem Observantiam.* Incipiunt : *Etsi Officii nostri ratio postulat ut, &c.* Parisiis, anno 1663. *in-4°.* Illustrissimi ac Amplissimi viri Achillis Harlæi, Comitis Bellomontii, &c. Senatûs Parisiensis Procuratoris Regii, Conclusionibus *roborata & firmata.*

2. *Decreta pro pace ac tranquillitate Provinciæ Turonensis*, in Congregatione habita apud Carmelitas Rhedonenses, die 19. Octobris 1663. Prodierunt Rhedonis eodem anno 1663. *in-4°.* & confirmata ab Alexandro VII. die 15. Januarii 1664. qualia leguntur, *tomo 2. Bullarii Carmelitarum, pag.* 337.

3. *Decreta alia quàm plurima* pro Ordinis Reformatione per universas Provincias condidit & promulgavit, tam Auctoritate Apostolicâ, quàm propriâ; præsertim pro Provinciis Hispaniæ, quæ confirmata fuerunt Romæ in Capitulo Generali 1666. celebrato.

4. *Missale, Breviarium, & Diurnale Ordinis* edi curavit. Venetiis & Parisiis, typis Simeonis Piger, anno 1664. edita.

Hieronymum Ati celebrant Joannes-Baptista de Lezana, *tomo 4. Annalium ad annum* 1269. *num.* 5. *pag.* 398. Ludovicus a S. Teresiâ, in *successione Eliæ, cap.* 262. *pag.* 600. Idem, in *Annalibus Carmelit. Excalceat. Galliæ, Lib. II. cap. CXI. pag.* 593. Theophilus Raynaudus, in *Præfatione Scapularis Illustrati* : Joannes Henschenius, in *Vita Joannis Bollandi, cap.* 17. *num.* 110. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 146. Augustinus à Virgine Mariâ, in *Epistola Dedicatoria*, quam præfixit Tractatui de *Privilegiis omnium Religiosorum* : Hugo à S. Francisco, in *Præfatione ad vitam Vener. P. Philippi Thibault.* Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag.* 542. *&* 543. *num.* 979. Et his omnibus præferendos Alesander VII. Pontifex Maximus, in Literis Apostolicis pro ejus institutione, in Comissarium & Visitatorem Apostolicum, *tomo 2. Bullar. Carmelit. pag.* 528.

XXXVII.

HIERONYMUS AYMO, in Religione Carmelitana à S. CLEMENTE cognominatus, à *Monte regali* oriundus, *Taurini* natus anno 1625. die 21. Novembris, S. Theologiæ Magister, Romæ in Conventu S. Mariæ TranspontinæRegens, & in Carmelo majori Neapolis studiorum Præfectus, posteà scilicet anno 1666. Prior Provincialis Provinciæ Angliæ titulo decoratos, simul & munere Professoris Taurinensis auctus in Capitulo Generali 1666. ad instantiam totius Definitorii suæ Provinciæ Lombardiæ, omnibus privilegiis & gratiis, prærogativis & præeminentiis, quibus fruuntur & gaudent in dicta Provincia, qui functi sunt officio Provincialatûs, honestatus est, concedente R. Patre Magistro Matthæo Orlando, & confirmante Clemente X. Literis Apostolicis, die 26. Martii 1671. Romæ datis, in Priorem perpetuum Conventûs Ripularum constituitur ad instantiam Caroli à SS. Trinitate, Prioris Provincialis Provinciæ Pedemontanæ, qui ad hunc effectum eidem summo Pontifici libellum supplicem obtulit, à quo & confirmationem petitionis accepit die 26. Novembris, eodem anno 1671. consentiente præfato R. Matthæo Orlando. Tandem anno 1677. Ejusdem ad Provinciæ Pedemontanæ Præfecturam ipse promotus fuit Aymo; vir in Philosophicis & Theologicis atque Mathematicis summus, Orator facundus, & Concionator eximius, & in omnibus magnus, edidit præclarissimum Opus, quod inscripsit,

1. *Joannis Bachonis, Angli Carmelitæ, Doctoris resoluti, Philosophia ex scripto ejusdem Doctoris super quatuor Libros Sententiarum collecta & explicata.* Augustæ-Taurinorum 1667. Opus hoc octo continetur tomis, in quibus propositiones Bachonis sparsas univit, & methodicè tractavit, aliarumque scholarum opiniones conciliavit.

2. *Philosophia fundamentalis.* In hoc Libro assignat & proponit fundamenta omnium scientiarum rationalium, realium, moralium. Opus est ad modum *Syntaxis Artis mirabilis Raymundi Lullii*; sed copiosiùs, clariùs, & perfectiùs elucidat omnia. Duodecim annos consumpsit in hoc conficiendo Libro.

Capitulum Generale Ordinis Carmelitani celebratum Romæ 1666. tanti fecit prius Opus, ut decreto sequenti sic dixerit : » Summoperè laudatum fuit » Opus Philosophicum ac Theologicum in via nostri resoluti Doctoris Bachonis inceptum ab admodùm R. Patre Magistro Hieronymo Aymo à » S. Clemente, Provinciali Angliæ, olim in Conventu S. Mariæ Transpontinæ de Urbe Regente, » & in Carmelo majori Neapolis studiorum Præfecto; cui præcipitur, ut illud perficiat, & servatis servandis in lucem edi curet, ad hoc, ut eo » per Provincias distributo, Scholastici nostri doctrinam prædicti resoluti Doctoris conformiter ad » Constitutionum præscripta, sequi valeant. Ipsi » verò de Religione in memorato Opere optimè » merenti, mandatur ut omnis religiosa commoditas, quantum fieri poterit, in Conventibus in quibus deget, præstetur.

Hieronymum Aymo à S Clemente commendant Clemens X. Pontifex Maximus, in plurimis Literis Apostolicis, quæ prodierunt, *tomo 2. Bullarii Carmelitarum, pagg.* 545. 579. *&* 587. R. P. Matthæus Orlandus, in Facultatibus seu permissionibus ipsi concessis, quæ *ibidem* referuntur *pag.* 579. *&* 587. Andreas Rossoti, in *Appendice ad Syllabum Scriptorum Pedemontiæ, pag.* 3. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 147. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1072. *num.* 3738.

XXXVIII.

HIERONYMUS HERMAS BOLSEC, Carmelita Parisiensis, Sacræ Theologiæ Doctor, Conciones novam Calvinistarum doctrinam sapientes cum Lotetiæ dixisset, abjectâ veste Religiosâ, ad Renatam de Francia, Ferrariensem Ducissam aufugit; à qua paulò post pulsus, sub titulo Medici Genevam advenit : ubi quum inter eruditos Medicos nullo loco esset, ut se Theologum esse ostenderet, sanam de Prædestinatione Sententiam occultè primùm disseminavit, & palam in Congregationis Cœtu prædicavit. Calvinus quidem moderatâ primò reprehensione contentus, deinde ad se vocatum docere aliam opinionem fuit conatus. At ille palàm ausus est in ipso Congregationis cœtu XVI. Octobris M. DLI. quum Joannis locus explicaretur, (*) *Qui ex Deo est Verba Dei audit; & quia non auditis, ex Deo non estis*, liberum arbitrium, & bonorum operum prævisionem ad æternæ prædestinationis decretum, adjectis etiam in hæreticam Calvini doctrinam duris verbis asseruit. Et aberat quidem iste initio : sed eo sermonem in-

(*) *Joan.* 8. 47.

H.

greſſo ſuperveniens, ponè alios nonnullos ſeſe continuerat.

Finitâ Bolſeci Oratione, Calvinus repentè apparens, ſuum errorem tot S. Scripturæ textibus, & S. Auguſtini teſtimoniis perperam intellectis delinivit atque munivit, ut in ipſo audientium cœtu Aſſeſſorum Prætoris unus, quorum in urbe jus prehenſionis eſt, Bolſecum dimiſſo cœtu tamquam ſeditioſum in cuſtodiam tradiderit. Quid plura? Cauſa multis diſputationibus agitata, Senatus Helveticarum etiam Eccleſiarum Sententiam percunctatus, illum tum ut ſeditioſum, tum ut merè Pelagianum, XXIII. Decembris publicè damnatum, urbe expulit, fuſtuariam pœnam minatus, ſi vel in urbe vel in urbis territorio eſſet deprehenſus.

Bolſecus in vicinum oppidum Sabaudiæ *Tunonium* (Gallicè *Thonon*) Caballicenſis Ducatûs caput (Gallicè *la capitale du Duché du Chablais*) ſecedens, Medicinam exercuit, donec Bernenſibus pluribus Miniſtris de doctrina Calvini conquerentibus, quod Deum faceret malorum auctorem, hic à Senatu Genevenſi impetravit, ut unà cum Legatis *Bernam*, ad quam Bolſecus jam advenerat, ſuorum errorum cauſam coràm Bernenſibus ipſis ageret. Sanam doctrinam Bolſecus tot firmis argumentis & validis propugnavit, ut nihil quicquam de re ipſa definire auſi fuerint prætenſi Reformati. Calvinus autem toties victus *Neocaſtrum* in Helvetia oppidum (Gallicè *Neufchatel Ville de la Suiſſe*) receſſit, Bolſecus auctor victor, *Tanonium* rediit, ſuam artem medicam anno 1555. peractus.

Miniſterium is poſteà in Gallicis Eccleſiis ambiiſſe refertur, & ideò Lutetiam primùm indeque Aureliam veniſſe: Sed conſtat quod pœnitentiæ dolore tactus intrinſecùs, ad Eccleſiæ Catholicæ gremium redierit, & Auguſtodunum acceſſerit, poſteà Lugdunum, Medicum continuò agens, & utens privilegio Bullæ Pii IV. anno 1560. die 3. Aprilis datæ; perquam *Apoſtatæ* (**) permitterentur *vel ad Monaſteria, à quibus exiverant, vel ad alia Regularia, vel ad alia honeſta loca, prout melius pro ipſorum animarum ſalute eis viſum fuerit, reverti*; ex Sententia Epiſcoporum & Ordinariorum. Vivebat ad annum 1582. quo libros edebat, ſed ante annum 1585. mortuus, quando Theodorus Beza illum defunctum aſſerebat in *Apologia adversùs Genebrardum*, Genevæ editâ dicto anno 1585. *pag.* 752. Opera Bolſeci Gallicè ſcripta,

1. *Les Vies de Zuingle, de Luther, d'Œcolampade & de Calvin*: Lugduni, apud Joannem Patiſſonum, anno 1577. poſteà Pariſiis, apud Gervaſium Mallot, eodem anno editæ.

2. *Hiſtoire de la Vie, Mœurs, Doctrine, & Déportemens de Beze, dit le Spectable, grand Maître de Genève; ſelon que l'on a pû voir & connoître juſqu'à maintenant, en attendant que lui-même, ſi bon lui ſemble, y ajoûte le reſte.* Pariſiis, 1582. *in*-8°. Theodorus Beza obiit die 13. Octob. 1651. natus die 24. Junii 1519.

3. *Alia Opera* in quibus *Calvini Inſtitutionis* potiſſimùm variationes & mutationes arguit, ex quibus concludebat Calvinum debilibus & incertis principiis inniti. Eadem poſtea aſſumpſit in ſua *Methodo* argumenta Bolſeci Eminentiſſ. Cardinalis Richelæus.

Hieronimum Hermam Bolſecum celebrant Antonius du Verdier, Dominus de Vauprivas, in *Bibliotheca Gallica*, *pag.* 566. Franciſcus Grudæus à Cruce Cænomana, in *Bibliotheca Gallica*, *pag.* 169. Ludovicus-Ellies Dupin, in *Tabula Univerſali Scriptor. Eccleſiaſt. pag.* 12. *tom.* 5. Ludovicus-Franciſcus-Joſephus de la Barre, in *Dictionario Moreriano Editionis* 1725. *tom.* 2. *pag.* 342. Vir clariſ. Dom. N. Goujet, in hujus *Dictionarii Moreriani Supplemento*, Editionis 1735. *tom.* 1. *pag.* 148. Vir peritiſſimus Dom. Joly, in Notis Criticis ad Dictionarium Petri Baylæi, *pag.* 220. & *ſeqq.* Antonius Teiſſerius, in *Catalogo Auctor. &c. pag.* 130. Ipſe Hieronymus Hermas Bolzec, in *vita Theodori Bezæ*, *fol.* 29. &c. ſed cautè lege ipſum Theodorum Bezam, in *vita Calvini*, & in *Apologia adversùs Genebrardum*: Carolum Drelincourt, in *Defenſione Joannis Calvini*, *pag.* 101. & *ſeqq.* Petrum Baylæum, in *Dictionario Critico* Editionis 1720. *tom.* 1. *pag.* 592. & *ſeqq.*: & *alios Calviniſtas*.

Georgius Draudius, in *Bibliotheca Exotica*, *pag.* 77. Hieronimo Hermeti Bolſec adjudicat Opus Gallicè inſcriptum: *Miroir de Vérité.* 1562. omiſſis nominibus Urbis, Bibliopolæ, & molis voluminis.

XXXIX.

HIERONYMUS DE BRITTO, Ulyſſiponenſis, Nobilis genere, ſed clarior virtutum ſplendore, in patrio Cœnobio Carmelitarum profeſſionem emiſit. Inter eximias dotes in eo ſingulariter emicuit ſumma erga Sanctiſſ. Virginem Mariam devotio: Cujus præconiis piè & ſtrenuè publicandis, promeruit, ut poſt obitum lingua ejus conſervata & reperta fuerit & incorrupta: quæ ex pietatis motu poſita fuit in Sacrario. Fertur obiiſſe anno 1583. die primâ Januarii, relictis quibuſdam *Exercitiis ergà SS. V. Mariam ſervandis Mſſ.* De illo mentionem faciunt Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1001. *num.* 3502. Columbanus à Noſtra Domina de Monte Carmelo, in *Anno Carmelit. Mſ.* Gallicè ſcripto *die* 1. *Januarii*.

XL.

HIERONYMUS A S. CAROLO, Carmelita Excalceatus, natione Otomanus; dum puerulus in navi veheretur, in Equitum Militenſium poteſtatem incidit, indicio veſtium non vulgaris originis deprehenſus eſt. Felicem pueri indolem victricis navis Dux *Veroſpius*, Romanus noſcens, ipſum fidei rudimentis imbui curavit, ſacro fonte expiari ac *Paulum Veroſpium* nominari voluit. Captivo in filium adſcito, eâ quâ filium decebat, educatione, felici ſorte inſtituit: Qui humanioribus ac Philoſophicis diſciplinis inſtructus, in utroque poſteà jure, Doctoris laureâ decoratus eſt.

Annum agens circiter 23. ob eximiam indolem ac præclarum ingenium, *Romæ* in tyrocinio *S. Mariæ de Scala* Carmelitis Excalceatis aggregatus, ibidemque die 14. Martii, anno 1666. Profeſſus, confecto poſteà ſtudiorum curriculo, Prælectoris munere præclarè functus, indè ad prædicandum Dei verbum, animum adjiciens, *Romæ*, ac præcipuis Italiæ civitatibus, necnon in Aula Leopoldi I. Imperatoris, per Quadrageſimam cum plauſu auditus eſt. In Romana Provincia Prior, Definitor, naſcentem Etruriæ Provinciam, primò ut Vicarius, deindè ut Provincialis rexit. Rector deindè Seminarii *S. Pancratii*, ac Definitor Generalis, poſt plures, graviſſimaſque infirmitates, apoplectico morbo correptus, obiit anno..... Prælo dedit,

1. *Decades ſacras Concionum*, Italicè. Tomis tribus, *in*-8°.

2. *Opuſcula Poëtica Latina*: Tomis duobus, *in*-8°.

3. *Curſum Quadrageſimæ* typis paratum, pluresque

(**) Bullar. Carmelit. *tom.* 2. *pag.* 117. *num.* 7.

H.

rısque alias Conciones: Quas morte præventus non potuit edere; sicuti legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 187.

XLI.

HIERONYMUS CARUBA, Politiensis Carmeli alumnus, Siculus, Diœcesi Cephalitanâ Religiosus, rerum Mathematicarum peritissimus fuit, & in horologiis summâ arte fabricandis, aliisque hujusmodi conficiendis acumine ingenii singularis extitit. Hic Philippo II. prudentissimo Hispaniarum Monarchæ carissimus, ut propterea ab illo Abbas Sanctæ Mariæ de Bordonaro juxtà Messanam sit ab eo factus. Ætate annorum 80. ab Hispania in patriam transvehitur, domum hospitalem erexit, dotavit, & anno 1570. è vita decessit, ac in Templu majori sepelitur.

Hæc retulit Roccus Pyrrhus, in *Notis Ecclesiæ Caphalæditanæ*: ex quo eadem scribit Lezana ad ann. 1170. *num.* 7. *pag.* 402. & Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mss. Conventuum Ordin. Carmelit. pag.* 206.

XLII.

HIERONYMUS DE CASAS, natione Celtiber, Cæsar-Augustanus patriâ, ibidem Carmelita professus: Vir validioribus fulcimentis instructus; Bononiensis S. Theologiæ Doctor & publicus Professor, tanto excellens numine, & acumine ingenii, ut antonomasticè *Celtiberi subtilis* cognomentum fuerit adeptus. Claruit item omnigenæ pietatis & Religionis laude meritissimus; propter quas animæ dotes, penè in Senecta ad suos redux è Lyceo Bononiensi, ad Præfecturam suæ Aragoniæ Provinciæ assumptus est: sed anno primo sui regiminis ad Cœlus evolavit anno 1456. Cæsar-Augustæ, scriptis

1. *Lecturis Theologicis.*
2. *Sermonibus variis.*

De illo mentionem habent Archæa *Cæsar-Augustana Mss.* Didacus Marillus Franciscanus, in *Catalogo Virorum Illustrium Cæsar-Augustanorum.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1196. *num.* 4. *pag.* 450. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 454. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 147. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Carmelitarum*, *pag.* 76.

XLIII.

HIERONYMUS DE CATANIA, à patriâ sic nuncupatus, natione Siculus, Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, bis Provinciæ Calabriæ Præfectus: Vir magnis decoratus virtutibus, gravitate, fide, prudentiâ, consilio, & eruditione celebris Concionator suâ ætate eximius, floruit anno 1593. scribens *Sermones.*

Id asserunt Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca Mss. pag.* 82. Joannes-Baptista de Grossis, in *nova sacra Catanensis Ecclesiæ notitia*, *Modulo* 10. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 147.

Ad annum 1187. in Catanam Siciliæ Insulæ Urbem Joannes-Baptista de Grossis mox citatus adventum Carmelitarum indicare videtur: Referens etiam paulò post annum 1200. ad 1207. illos sui Conventûs primordia jecisse, rem promovente Constantia Augusta Henrici VI. Cæsaris uxore, Friderici II. etiam Cæsaris matre, Siciliæ Regina, quæ hujus Cœnobii fundatrix à majoribus memoratur. Hæc autem displicent R. P. Danieli Papebrochio, qui nullos Carmelitarum Conventus in partibus Occidentalibus antè annum M. CC. XXX. fundatos agnoscit. Sed quare hæc Joannis-Baptistæ de Grossis auctoritas nihili valet? quia » Ego nihil humini » detractum volo, *inquit*, qui se Theologiæ sacræ » ac juris utriusque Doctorem appellat, & Pro- » tonotarium Apostolicum: non possum tamen non » credere oculis meis, quibus ejus librum, uti in mu- » sæo nostro est, legens, video tuto *primo modulo* » *Chorda* a. haberi ab eo pro monumentis gravibus » ac fide dignis *continuationem Argenidis Barclæi*, » & alias quisquilias similes. » Capiat qui potest consecutionem à Papebrochio deductam, *tomo* 2. *Maii*, *pag.* 842. *num.* 17.

Tom. I.

XLIV.

HIERONYMUS à CONCEPTIONE, natione Hispanus, ex *Vico Valdemoro*, Diœcesis Toletanæ, Carmelita Excalceatus, Pastranæ professus, undecimus fuit suæ Congregationis Præpositus Generalis anno 1649. electus, obiit Guadalaxaræ, annu M. DCLXIII. dierum plenus, postquam scripsisset idiomate Hispano,

Carta à los Religiosos de su Congregacion.

De illo perhonorifica reddunt testimonia Michaël Baptista de la Nuxa, in *vita Ven. Matr. Teresiæ à Jesu de Vela*, *cap.* 5. Anonymus Carmelita Discalceatus, in *vita Francisci à S. Maria* §. 2. *num.* 5. & 6. Ludovicus à S. Teresia, in *successione Eliæ*, *cap.* 179. *pag.* 648. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 147. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VIII.* Historiæ Carmelitanæ, *cap.* 12. ubi incorrectè vocatur HIERONYMUS AB ASCENSIONE. Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 675.

XLV.

HIERONYMUS à CONCEPTIONE, alter Carmelita Excalceatus, natione itidem Hispanus, patriâ Gaditanus, *Cordubæ* professus, rerum divinarum ac humanarum peritiâ, in Historiis inquisitionibus assiduè versatus, scripsit Vernaculo idiomate,

1. *Emporium Orbis*, *Gades illustrata in suæ magnitudinis & antiquitatis Historia*, *seu Magnalia Gaditana.* Amstelodami, annu 1690. *in-folio* vastæ magnitudinis. Primam Urbem contendit Hieronymus hanc esse fundatam post diluvium à Tharsi filio Jubal, filii Japhet, quem Japhetum vocat Neptunum. Plurimos in testimonium adducit Scriptores qui Herculem, Gade defunctum, asserunt esse eumdem atque Noë, quem vixisse annis 1195. referunt.

2. *Historiam Martyrii V. P. Dionysii à Nativitate*, Carmelitæ Excalceati, Galli, Cosmographi Regis Lusitaniæ, continentem discursus septemdecim, absolutam Hispali annu 1693. asservatur in Conventu de Guadalazar, in inferiori Bætica, *in-4°. Ms.*

3. *Vitam Fernandi*, in-folio. Hæc postulante Ecclesiâ Hispalensi, ad ejus Capitulum remissa est, apud quod creditur hodiè asservari *Ms.*

Hieronymum hunc à Conceptione commemorant R. P. Labat, Dominicanus, cujus censura legitur in *Diario Eruditorum Parisiensi*, ad mensem Octobrem 1730. *pag.* 1825. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelit. Excalceat. pag.* 188.

XLVI.

HIERONYMUS A CRUCE, alius Carmelita Discalceatus, Novitius & Professus Biacensis, Prior Cordubensis & alibi, scripsit circà

Mmmm

annum 1591. *Relationem de virtutibus cœlestibus Ven. P. Joannis à Cruce*, cujus fuerat Novitius, & in vita Religiosa discipulus & Filius. Relatione istâ usus est Hieronymus à S. Josepho Lib. IV. *Vitæ Joannis à Cruce, cap.* 13. & 15. Necnon *Lib. V. cap.* 1. & 3. Sicuti norat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 148.

XLVII.

HIERONYMUS DOMIN, natione Hispanus, in Urbe *Calatajubii* ex JOANNE DOMIN, & FRANCISCA DE FUNES parentibus, ineunte anno 1576. ad diem 9. Januarii ortus; ibi, labente anno 1592. die 27. Octobris, Vestem Carmelitanam induitus, recurrente anno 1593. die 28. Octobris, Cæsar-Augustæ solemnem professionem emisit: hæc forsan ratio est cur à Nicolao Antonio vocatur *Cæsar-Augustanus*. Emenso studiorum curriculo, prædicationi Verbi Dei, nec sine laude, incubuit. *Theodorum Strattum*, Provinciæ Bæticæ Visitatorem (qui postmodùm Prior Generalis fuit Carmelitarum anno 1651. nominatus) in munere Secretarii comitatus est, cum *Rubiolorum* Cœnobium & *Pampilonense* anteà rexisset.

Interea Magisterii gradu decoratus, & compertâ ejus in negotiis magnis prudentiâ, & dexteritate, Commissarius Generalis per Germaniam, & Belgium, MARIÆ AUSTRIACÆ posteà Imperatrici FERDINANDI III. Uxori à Concionibus, negotia procuravit apud ELIZABETHAM CLARAM EUGENIAM, Serenissimam Infantem: Jam tùm in Episcopum Cathariensem assumptus. Anno 1632. igitur Belgicæ Provinciæ Conventus visitavit, & anno 1633. in Comitiis Provincialibus Præses, non paucâ ipsius sollicitudine & auctoritate, quâ pollebat apud memoratam serenissimam ISABELLAM, Hispaniæ Infantem, Belgii moderatricem, stabilita sunt, pro strictioris observantiæ adhuc tenellæ conservatione ac propagatione.

Tandem in patriam revertitur, à FERDINANDO Hispaniarum Infante, Belgiique Gubernatore, ad PHILIPPUM IV. Regem missus: nec diu post, Regiâ præsentatione, Episcopus *Cajetanus*, immediatè S. Sedi Apostolicæ subjectus destinatur. Romam igitur venit, & exeunte anno 1637. die 14. Decembris Antistes creatur. Adveniente indè die 21. ejusdem mensis, munus consecrationis in Ecclesia S. Mariæ Transpontinæ suscepit, per manus Dom. ÆGIDII Cardinalis de ALBORNO, assistentibus Dom. BLASIO PROTO, Messanensi, & Dom. DIDACO DE REQUESENE Carthaginensi, Archiepiscopis.

Sedem statim suam, & oves sibi commissas cogitans invisere Hieronymus, urbe digressus, pervenit *Cajetam*, sub initio anni 1638. die 24. Januarii. Ecclesiam sponsam, quam tredecim fermè annos tenuit, nonnullis collatis beneficiis, exornavit. Intereà temporis in Hispaniam remeavit, & ad Comitia suæ Aragoniæ Provinciæ, *Alcanizii*, in Cæsar-Augustana diœcesi celebrata anno 1646. divertens, ibi Præsidentis munus exercuit. Denique vir probus æque ac benignus, viam universæ carnis, Cajetæ in propria sede ingreditur die 23. Aprilis, anno 1650. Sepultus jacet in templo *S. Catharinæ*, Monialium Cisterciensium, sub isto Epithaphio:

D. O. M.

FRATRI † HIERONYMO DOMIN,

HISPANO, EX CÆSAR-AUGUSTA,

ORDINIS CARMELITARUM,

IN GERMANIA PRIUS, ET FLANDRIA

VISITATORI GENERALI,

DEINDE GAIETTANORUM EPISCOPO:

AUGUSTINUS NAVARRO, NEPOS, ET CANONICUS,

BENEFICIORUM MEMOR, APPOSUIT.

OBIIT IX. KALENDAS MAII M. DCL.

Inter cætera negotia, quibus occupatus est in Germania, primus ipse informationes facere cœpit circa vitam & virtutes Ven. P. Dominici à Jesu Mariâ, ut processus legitimè facti Romam mitterentur ad sanctam Sedem, in ordine, ad Beatificationem, si ità S. Sedi videatur. Testes sunt Literæ ipsius Imperatoris ad PHILIPPUM IV. Regem Hispaniarum, quarum initium est:

Dum sub imperii nostri administratione, &c. inquibus hæc, inter alia: *Expedivimus Reverendissimum, devotum, Nobis dilectum Fratrem HIERONYMUM DOMIN, Sacræ Theologiæ Doctorem, Ordinis Carmelitarum, Regularis observantiæ per Germaniam Generalem Commissarium, & electum Episcopum Cathariensem, ut pro singulari Nostra fiducia, quam in spectata illius prudentia, integritate, & rei Catholicæ studio locatam habemus, intentioni Nostræ prosequendæ initium faciat, ac omnibus in locis legitimam super vita dicti P. DOMINICI A JESU MARIA actionibus, & successibus informationem conquirat.... Datum Viennæ 15. Junii, an.* 1631.

Literas illas integras exhibet Reverendiss. Dom. Joannes Caramuel, in *Appendice ad vitam ipsius Ven. P. DOMINICI*, editam Viennæ anno 1655. §. 49. *pag.* 606. Ex istis Informationibus ipse Hieronymus noster vitam seu Epitomen conscripsit, quæ inscribitur:

Elogio de la Vida del Ven. P. Fr. Domingo de Jesus Maria Géneral, que fue de los Carmelitas descalzos de la Congregacion de Italiá: Genuæ, apud Josephum Pavonum 1633. *in*-12.

HIERONYMUM DOMIN celebrant *Relatio Mſ. Calatajubii* à Priore & aliis PP. Magistris Carmelitis data. Constantinus Cajetanus, Abbas Benedictinus, in *Commentariis ad vitam GELASII II.* Papæ. Ferdinandus Ughelius, *tomo* 1. *Italiæ ſacræ, in Episcopis Cajetanis:* Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VII. vitæ Dominici à Jesu Mariâ, cap.* 11. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 148. Sed præcipuè Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 927. *num.* 3248. Cum jam illum in *Vinea Carmeli* memorasset, *pag.* 515. lineis ferè ultimis.

XLVIII.

HIERONYMUS A S. ELISÆO, Hispanus, Carmelita Excalceatus, vir multarum virtutum prærogativâ Venerabilis, suâ ætate Concionator magni nominis; Ven. Matris MARIÆ VELA, Ordinis Cisterciensis Sanctimonialis Abulensis, revelationum gratiâ conspicuæ, Director atque illi à Confessionibus: Scripsit circa annum 1600.

Sermones de Nuestra Senora,

Quos laudant Michael Gonzalez Vaquerus, in *vita MARIÆ VELA, parte* 2. *cap.* 48. & *seqq.* Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Relatione Mſ.* quam citat Hippolytus Marraccius, in Appendice ad *Bibliothecam Marianam*. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag* 148. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispaniæ, pag.* 439.

H.

XLIX.

HIERONYMUS EUSEBIUS A S. ANNA, natione Ubius, patriâ Bolonensis, Carmelita Discalceatus, scripsit suppresso nomine,

1. *Mausolæum in augusta surere posthumum, materia laudum ac immortalis gloriæ sempiternum Serenissimæ ac potentissima* MARIÆ DE MEDICIS, *Franciæ ac Navarræ Reginæ, gloriosis manibus erectum.* Coloniæ, Typis Kempensibus, 1642. in-4°.

2. *Honoris aulam, quam virtute comite ac pietate Eminentissimus ac Reverendiss. Princeps* CAROLUS ROSSETUS, *SS. D. N.* URBANI *VIII.* ejusdemque Sedis pro pace universali *Legatus de Latere, &c. Dum auspice supremo numine, gratificante Româ summo omnium assensu & accursu, totoque applaudente Parnasso, in urbe Catholicissima, famosissima, ac vetustissima Colónia*, S. P. R. Agrippin, *Sacrâ Cardinalatûs tiarâ inauguretur, feliciter subivit gratulando, cecinit* Fr. Hieronymus Eusebius à S. Annâ, Carmelita Excalceatus. Coloniæ, Typis Arnoldi Kempens, anno 1643. in-*folio*.

Hæc olim scripsit Paulus ab Omnibus Sanctis, Carmelita Discalceatus, *in Catalogo Ms. Carmelitarum Discalceatorum* Authorum, quem Ludovicus Jacob, cui fuerat datus, citat suâ in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 149.

L.

HIERONIMUS GAGLIARDUS, natione Siculus, *Narensis* Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister, vir doctrinâ, morum innocentiâ, & virtutum exemplo insignitus. PHILIPPI II. Catholici Regis æstimationem promeruit, apud quem ab eleemosynis fuit. Ab eodem aureorum ducentorum annuam pensionem accepit, cujus ope patrium Ordinis sui Cœnobium erexit. Apud Bibonenses Duces magnâ Veneratione etiam floruit anno 1590. scripsit,

1. Volumen unum *De Philosophia.*

2. Alterum Volumen *De Morali Theologiâ.*

Ità loquitur Antoninus Mongitor, in *Bibliotheca Sicula, pag.* 277. Roccus Pirrus, in *Notis Ecclesiæ Agrigent. pag.* 346. & 349. ubi eum ait scripsisse *de Rebus Moralibus.* Joannes autem Baptista de Lezana, *tomo* 4. *pag.* 951. *num.* 3. Hieronymum de Guagliardo & fundationem Carmeli Narensis in diœcesi Agrigentina assignat *ad annum* 1480. ex loco citato Rocci Pirri; Mongitor tamen in testimonium & probationem adducit *Relationem Narensium.*

» Anno 1615. cum in Oppido sivè terrâ Nari Agrigentinæ Diœcesis, novissimè Fratres Ordinis Prædicatorum Locum sivè Conventum obtinuissent, Episcopus Agrigentinus ordinavit & mandavit omnibus fratribus Conventualibus Ordinis S. Francisci, & Fratribus Ordinis S. Augustini, ac Fratribus Ordinis Carmelitani, qui in dictâ Terrâ longè antè Fratres Ordinis Prædicatorum Conventuum & locum habebant, ut in publicis Processionibus præcedentiam darent dictis Fratribus Ordinis Prædicatorum, sub prætextu cujusdam decreti olim sub die 3. Augusti à Sacrâ Regularium Congregatione emanati, in quo dicitur, ut inter Fratres & Regulares circà præcedentiam idem servetur ubique, quod servatur in Urbe.

» Quià tamen extrà urbis districtum Paulus V. ordinavit ut servetur Bulla Gregorii XIII. Data anno 1583. die 15. Julii, in qua cavetur, ut inter Regulares in publicis Processionibus præcedentia detur antiquioribus in loco: dicti Fratres Conventuales, Augustiniani & Carmelitani in hoc recusaverunt obedire mandatis Episcopi, & noluerunt in eorum præjudicium dare præcedentiam Fratribus Ordinis Prædicatorum, & propterea eorum Ecclesiæ & Monasteria fuerunt à prædicto Episcopo Agrigentino interdicta: Sed habito recursu ad Metropolitanum Panormitanum, fuerunt ab eo in integrum restituti. Sed quià adhuc dictus Episcopus Agrigentinus perstitit in sua sententia, ut præcedentia daretur Fratribus Ordinis Prædicatorum, dicti Conventuales, Augustiniani & Carmelitani recursum habuerunt ad sacram rituum Congregationem, quæ anno 1615. die 4. Aprilis juxtà mentem & ordinem Pauli V. declaravit servandam esse bullam Gregorii XIII. in qua cavetur quod illa Religio aliis præcedat, quæ priùs in civitate, seu in loco in quo residet, fundavit & habuit Monasterium, &c. Vide *tomum* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 371.

» *Naro*, sivè *Narni* oppidum Diœcesis Agrigentinæ valde diversum est à *Narniâ*, quæ urbs est in Umbria, ditionis summi Pontificis, Episcopalis nemini suffraganea, ad quam Episcopus promotus fuit à Clemente XI. anno 1717. tertio Idus Februarii, *Joachim Maria Oldus*, Cremensis Carmelita, Theologiæ Magister, Provinciæ Venetæ alumnus, qui munere Vicarii in Conventu Sanctæ Mariæ Transpotinæ de Urbe, ac Provincialis titularis Provinciæ Saxoniæ summâ cum laude functus, & anno dicto 1717. Parochus memoratæ Ecclesiæ S. Mariæ Transpotinæ agebat; uti legitur eod. *tomo Bullarii, pag* 705.

LI.

HIERONYMUS GRATIANUS A MATRE DEI, natione Castellanus, natus est *Vallisoleti*, anno Domini 1545. die 6. Junii. Pater ejus vocabatur DIDACUS GRATIANUS DE ALDERETE, Carolo V. & Philippo II. à secretis: Mater autem JOANNA DE ANTISCO, filia Joannis de Antisco Poloni, Regisque Poloniæ apud Carolum V. Oratoris. Vallisoleto Matritum translatâ Curiâ, ibi in Collegio Patrum Societatis Jesu diligenter studuit Grammaticæ: deindè 15. ætatis anno Compluti, Philosophiæ dedit operam, anno 1560. & posteà Theologiam audivit tanto cum fructu, ut ab eo Lycæo dignus sæpiùs judicatus fuerit, cui professorum absentiâ, legendi & docendi facultas amplissima, omnium admiratione tribueretur: Laureâ Doctorali decoratus, & ad Diaconatûs Ordinem provectus, Verbum Dei, Concionatoris munus successu mirabili exercens, prædicare solebat. Anno Domini 1569. ad Ordinem Presbyteratûs ascendens, cœpit ad majorem aspirare perfectionem.

Anno 1572. die 25. Martii factus est Pastranæ Novitius Carmelita Discalceatus, & anno recurrente 1573. die 28. Martii solemnem emisit professionem, inter manus BALTASARIS NISTO, Prioris. A. R. P. FRANCISCO DE VERGAS, Dominicanorum Provinciali, Apostolico Commissario statim constitutus est Excalceatorum, imò & antiquorum Carmelitarum Visitator, & anno 1574. Prior Hispalensis. Erat tum in Hispaniâ Nuncius Apostolicus D. NICOLAUS HORMANETUS, qui de Consilio Regis P. HIERONYMUM GRATIANUM elegit Commissarium Apostolicum super omnes Carmelitas Bæticæ in Ordine ad eorum Reformationem, die 3. Augusti, anno 1575. Quod quidem munus cum in antiquiores Carmelitas Hispalenses exercuisset, eos multum exacerbavit, & multas suæ Congregationi sibique vexationes conciliavit.

Nam eodem anno 1575. JOANNES-BAPTISTA

H.

13. *Vida y muerte del Patriarcha S. Josef.* Valentiæ, 1602. Italicè. Prodiit ex officina Petri Bertani, 1613. *in-8°.* Item Gallicè, *Grandeurs de S. Joseph.* Inscriptus prodiit Parisiis Liber, anno 1619. *in-8°.*

14. *Estimulo de la Propagacion de la Fée, y vinculo de Hermandad entre los Padres Descalços del Carmen y de S. Francisca.* Olyssipone, anno 1586. *in-8°.* Deindè Bruxellis ita nuncupatum: *Zelo de la Propagacion de la Fée*, 1609.

15. *Tratado de la Redencion de Cautivas.* Romæ, 1607. & Bruxellis, 1609. In illo Tractatu hortatur ad id supremæ Charitatis opus; ubi labores suos & consodalium suorum per epitomen narrat: Diplomaque Apostolicum adjicit, quo jussus à Clemente VIII. ipse in Africam pergere, ut Christianis ibi degentibus Jubilæum annum 1600. annuntiaret. Gratianus etenim tunc profectus in Africam, ibi in Christianorum solamen & instructionem perstitit ferè usque ad obitum ejusdem summi Pontificis, anno 1605. die 3. Martii defuncti; ad quem reversurus, rationem redditurus, intellectâ morte ejus, profectus est in Hispaniam. Hunc Tractatum Italicè transtulit Jacobus Bossius, editque Romæ.

16. *Discurso del mysterioso nombre de Maria.* Bruxellis, anno 1612. Hic tractatus de *Mysterioso nomine Mariæ*, Simoni à Rokas, Ordinis SS. Trinitatis, Elizabethæ Borboniæ, serenissimæ Hispaniarum Reginæ à Confessionibus, inclyto vitæ sanctimoniâ viro, nuncupatur.

17. *Velo de una Religiosa*: seu *Velum Monialis sacræ.*

18. *Regla de la Virgen Maria.* Id est, *Regula Virginis Mariæ.*

19. *Leviathan engañoso.* hoc est, de peccatis, quæ falso nomine virtutum nobis imponunt: Seu modus cognoscendi astutias Diaboli: vel Leviathan fallax. Bruxellis, 1614.

20. *Musica'es Spiritual:* ubi tractat de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

21. *Declaracion de las Virtudes, y fundationes de S. Teresa de I H S.*

22. *Sermon de la fundacion de Carmen.* Duo hæc edita sunt Bruxellis, 1611.

23. *El devoto Peregrino.* Idest: modus sancta loca visitandi.

24. *Conceptos de divino amore sobre los Cantares*: Sivè Annotationes in conceptus divini amoris, simul & in quædam loca Cantici Canticorum S. Teresiæ, Hispanicè prodierunt: Bruxellis, 1612. *in-8°.* Item Valentiæ 1613. apud Petrum Patricium Mey, *in-8°.* Horum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 749.

25. *Arte de bien morir.* Saluberrimom opus, atque eruditionis plenum, nec diu ante mortem scriptum. Omnia hæc Opera hactenùs recensita, uno Volumine, post alias singulorum editiones, typis prodierunt Matritensibus, anno 1616. *in-folio.* Foras dedit & alia separatim; nempè,

26. *El Soldado.* Hic Miles Catholicus prodiit Bruxellis, anno 1611. Libellus non minus eruditus, quàm utilis & jucundus, plurimis Historiis, exemplis & rationibus plenus: ostendit indoctos non debere disputare de Fide contrà Hæreticos.

27. *Sermon de las Quarenta tentationes.* Romæ æquè ac

28. *Cerco espiritual de la Conscientia tentada.* Romæ, 1596. *in-8°.*

29. *Lamentaciones del miserable estado de los Atheistas destos tiempos.* Bruxellis, 1611. *in-8°.* apud Rogerium Velpium, & Hubertum Antonium.

30. *De la Disciplina regular.* Seu *Commentaria in Regulam Carmelitarum.* In Italicum Sermonem traducta, operâ Joannis Antonii Bovii, Carmelitæ. Venetiis, 1600. *in-8°.*

31. *Arbol prodigioso de doce modos de dereçar el Rosario*: Sivè *Modi duodecim recitandi Rosarium.* Florentiæ, Italicè.

32. *Tratada del Jubilio del Anõ Sancto.* Hunc Italicè convertit Jacobus Bossius, Melitensis Historiæ author, ediditque Romæ 1599. apud Zannettum. Prodiitque Hispanè, 1600. ut notavimus *num.* 15. Bulla Clementis VIII. ad Gratianum directa, pro illo Jubilæo annuntiando Christianis, in Africa degentibus. Legitur in ipsius *Vita Gratiani* per Christophorum Marquez; Carmelitam scriptam, *parte* 1. *cap.* 14. Prodiit quoque *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 987. *num.* 3459.

33. *Suffragio de las Animas de Purgatorio.* Quod etiam Italicè reddidit Franciscus Sardonari, atque edidit Romæ, anno 1603. Typis Caroli Vullietti, *in-8°.*

34. *Tratado de los siete Angeles Principes, sus officios y nombres.* Iste *Tractatus de septem Angelis Principibus*, de *illorum officiis & nominibus*, scriptus quo fuerit idiomate, non designant Authores.

Permulta alia reliquit apud Fratrem Germanum Thomam Gracianum manuscripta: Quæ Andreas Del Marmol refert in Libro de rebus Gratiani nostri scripto, & recitat Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 442. & 443. Alias etiam elucubrationes, quæ in Belgio manserunt in schedas conjectæ; exindè Romam ad R. P. Ludovicum Perez de Castro Carmelitam, studiorom Præfectum in Cœnobio Transpontinæ S. Mariæ, earum Catalogus fuit missus, legere est apud eumdem Nicolaum Antonium, *tomo* 2. ejusdem *Bibliothecæ Hispanæ*, *à pag.* 297. *usque ad paginam* 305.

Hieronymi Gratiani a Matre Dei vitam scripserunt, Christophorus Marquez, Matritensis Carmelita, quinquennio ab obitu ipsius Gratiani Hispanicè editam, Pinciæ 1619. Andreas del Marmol, Regiæ Curiæ Matritensis Advocatus, relationem sequutus Christophori Marquez, sicuti notat Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *citato*, *pag.* 62. Franciscus Gratianus Barruguete, Secretarius Catholicæ Majestatis: Alegreus Cassanaius, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 468. Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi*, *parte* 3. *pag.* 77. Ludovicus à S. Theresiâ, in *successione Eliæ*, *cap.* 277. *pag.* 635. & *seqq.* Franciscus à S. Mariâ, & Andreas à Jesu, in *Historia General. Congregationis* Carmelit. Hispan. *tomo* 6. Lib. 26. *cap.* 26. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit.* *pag.* 981. *num.* 3444. & *seqq.*

Hieronymum Gratianum prætereà laudibus & encomiis celebrarunt Clemens VIII. *in Bulla* ad ipsum data pro *anno Jubilæo* & superiùs laudata *num.* 15. & 32. S. Teresia, *Lib. fundationum*, *cap.* 22. & 23. Eadem SS. Virgo, in *Epistola* 1. *ad Philippum II. Regem Hispaniarum.* Eadem, in *Epist.* 2. *ad D. Teutonium Brigantinum*, Eborensem Antistitem. Eadem, in *Epistola* 13. *ad Joannem-Baptistam Rubeum*, Carmelitarum Præfectum Generalem. Joannes Palafox de Mendoza, Oxomensis Episcopus, in *Notis ad has S. Teresiæ Epistolas.* Franciscus Ribera, in *Vita S. Theresiæ*, *Lib. III. cap.* 4. & 5. Andreas à Lezana, in *ejus Oratione Funebri*: L. Franciscus Salesius, *Lib. II. Epistolarum*, *Epist.* 42. Joannes Caramuel, in *Vitâ Ven. P. Dominici à Jesu*: Antonius Sanderus, in *Cœnobiographia Brabantiæ*, ubi *de Carmelo Bruxellensi.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1249. *num.* 5. *pag.* 320. Gregorius

H.

Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss.* *pag.* 154. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1129. *num.* 3964. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 188.

LIV.

HIERONYMUS ISAPUS, Neapolitanus Carmelita, Doctor Theologus, scripsit circà annum 1556. *De Jure Pontificio* Tractatum, quem obtulit Paulo IV. Romano Pontifici; sicut asserit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms.* *pag.* 154.

LV.

HIERONYMUS A MATRE DEI, patriâ Cæsar-Augustanus, ex Milite Carmelita Discalceatus Laicus, anno Domini 1613. in Belgio factus: Vir præter animi candorem, ingenii amœnitatem, & literarum cognitionem, cunctis Venerabilis. Obiit Antuerpiæ, anno Redemptionis humanæ 1661. Opera illius inscribuntur,

1. *Colloquia Angelica inter Dei-param Virginem & Peccatorem.* Antuerpiæ, 1634.

2. *Relatio* brevis de *sua miraculosa in Deum Conversione*, quæ legitur apud Michaelem-Baptistam de Lanuza, in *vita Isabellæ à S. Dominico*, *cap.* 28.

3. *Fasciculus florum.* Antuerpiæ, apud Joachinum Trogmesium, anno 1629. Hic Fasciculus continet Poemata Hispanica ex celebrioribus sui temporis Poetis collecta.

Hieronymum à Matre Dei memorant Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 446. *lineis ultimis.* Michael-Baptista de Lanuza, *loco citato.* Paulus ab omnibus Sanctis, in *Schedis Mss.* quas citat Ludovicus, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 154. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1129. *num.* 3964. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 189.

LVI.

HIERONYMUS MEDIOLANENSIS, Carmelita, vir doctus & suæ ætatis doctis charus, circa annum 1490. Epistolam scripsit ad Baptistam Mantuanum, à quo responsum accepit de *causa diversitatis inter Interpretes sacræ Scripturæ*; uti jam notavimus *super. pag.* 220. *num.* 54. Ad eumdem gratulatoriam Philippus Beroaldus circà annum 1498. misit Epistolam, de Poëmatis Baptistæ Mantuani omnibus in unum quasi corpus compactis, quæ Hieronymus ipse ex archetypo diligentissime descripta tradiderat Benedicto, Bibliopolæ Typographo elegantissimo, ut formis cuderentur.

Provinciam profectò laudabilem suscepisti, inquit Beroaldus, *ut quæ priùs sparsim intercisimque divulsa veluti membra legebantur, ea nunc connexa & constipata, instar corporis integri habeantur. Debent tibi plurimum hujusce sacri Poëmatis studiosi; debet non parùm ipse Conditor: nec enim satis est condere legenda, nisi excusor, buccinator, ordinator, accesserit.* Hæc Epistola præfigitur, *tomo* 3. *Operum Baptistæ Mantuani*, Edit. Antuerpien. 1576 *in*-8°. & hujus meminit Ludovicus a S. Teresia, in *successione Eliæ*, *cap.* 259. *pag.* 593.

Quis fuerit ille Hieronymus Mediolanensis nomine? Non HIERONYMUS MELIORATUS, jam olim Provinciæ Thusciæ Præsul, qui S. Andream Corsinum ad vestem Carmelitanam recepit, & Florentiæ ultimum clausit diem anno 1325. Non HYERONIMUS STELLA, patriâ Genuensis, qui interfuit Concilio Basileensi, & Genuæ decessit anno 1445. Non HIERONYMUS DE BERGAMO, Carmelita quidem Congregationis Mantuanæ: Sed cognomen obstat, & potius HENRICUS appellatur nomine, ut jam animadvertimus *super pag.* 590. foretne HIERONYMUS ALEOTUS, Mediolanensis quidem, sed in Gallias Commissarius Generalis anno 1588. missus?

LVII.

HIERONYMUS MICHAEL CARMELUS, quem ex solo cognomine, ut in more gentis est, FR. CARMEL, vulgò audiebat, in Aragonia natus; Scripsit is Religiosus Ordinis Beatæ Virginis Mariæ de Mercede,

In Canticum Canticorum Commentaria. Quibus cum incumberet, & in eo capitis quarti versiculo, quo totam pulchram & absque maculâ sponsam suam sacer sponsus celebrat, versaretur; sanctissimam Dei-param, cui tribuebat eas laudes, vivus & vidisse ipsissimis oculis dicitur. Quod sibi indigno servo exhibitum tanti pretii beneficium posteris testatum volens; ad oram ipsius Commentarii propriâ manu adnotavit: quod etiamnum legitur: *verè pulchra est nimis, nam & egomet hisce vidi oculis.*

Auctores rei adducit Nicolaus-Antonius, Philippum Guimeranum, in *Historia Vernacula domûs Podii Valentini Regni:* Alphonsum Ramonem, in *Historia Ordinis Mercenariorum.*

Extare verò his versibus exscriptum Barcinone Carmeli sepulchrum refert ocularus testis, Petrus à S. Cæcilia, in Libro Ms. *De Scriptoribus sui Ordinis Mercenariorum.*

D. O. M.

Hic dormit Carmeli HIERONYMUS MICHAEL *ille*,

Virgineisque precibus exspectat resurgere felix.

Claruisse refertur circà annum M. CCCXXII. teste Nicolao Antonio, *tomo* 2. *Bibliotheca veteris Hispanæ*, *pag.* 97. *num.* 197. cujus verba propria huc attulimus.

LVIII.

HIERONYMUS A S. NICOLAO, Italus, Carmelita Discalceatus, Provinciæ, ut existimo, Neapolitanæ: edidit Italicè,

1. *Chorum Patriarcharum*, sive *de specialibus prærogativis Patriarcharum & Fundatorum Religionum.* Neapoli, anno 1697. tomis duobus *in*-4°.

2. *Vitam venerabilis Catharinæ de Cardona.* Trani, anno 1676. *in*-12.

Hæc leguntur, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 189.

LIX.

HIERONYMUS DE OCON, (ità enim Catalani efferunt, pro eo quod communiter audit OCHON, sive OCHUS) natione Catalanus, patriâ Perpinianensis, aliis Navarrus, utpotè Pampelonensis, Carmelitarum Cœnobii Perpinianensis alumnus, Sacræ Theologiæ Doctor, moribus & scientiâ spectabilis, Benedicti XIII. Papæ Minister fuisse dicitur à Confessionibus Sacramentalibus, atque Helenensis Ecclesiæ Præsul, anno M.CDXX. eruditè scripsit,

In Libros Machabæorum Commentaria: Quæ Jacobus Lelong citat, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 388. *col.* 1. *A.* ex fide Ludovici Jacob; cui addere potuisset testimonium Nicolai Antonii.

H.

Acta Benedicti XIII. el adjudicant Emmanuel Romanus, in *Elucidationibus Carmeli*, & Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Pontificia*, ex fide Martini Carilli, in *Vita S. Valerii, Cæsar-Augustani Episcopi, cap.* 13. At, Censore Nicolao Antonio; tametsi præclara illic fiat mentio Hieronymi Oconis Carmelitæ, Benedicti à Confessionibus, *Actorum* ejus nulla legitur mentio.

Hieronymum igitur Oconem celebrant, dictus Carillus, *loco citato:* Nicolaus Antonius, *tomo* 2. *Bibliotheca veteris Hispanæ, pag.* 138. *num.* 91. & 92. Emmanuel Roman, *loco citato:* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Pontificia, Lib. II. pag.* 338. Idem, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 155. Valerius Ximenez de Embun, *de viris Illustribus Ordinis Carmelitarum:* Joannes-Baptista de Lezana, *ad annum* 1432. *num.* 5. *pag.* 832. Fabricius, in *Bibliotheca media & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 736. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 341. & 361. ubi ex uno duos facit Episcopos. Deest hic Helenensis Episcopus, in San-Marthanorum *Galliæ Christianæ Catalogo*, aliàs parum correcto inquit Nicolaus Antonius, *loco citato.*

L X.

HIERONYMUS PAINELLUS, Mantuanus, Theologiæ Doctor ac Professor: diversis in locis Prior, Congregationis Mantuanæ Vicarius Generalis, Socini anno Christi 1559. electus, Concionator celebris, & in arte Poëtica optimè versatus, scripsit

Sermonum Libros Mſſ. Qui Mantuæ asservantur.

Scripsit quoque *Carmina*, quæ laudantur apud Joannem Mariam Pensa, in *Theatro virorum Illustrium Carmelitarum Conventûs Mantuæ:* apud Ludovicum Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 155. apud Alegreum Cassanatum, *in Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 401. ubi vocatur eleganti sapientiâ & ingenio celebrandus, sed elegantiori virtutum formâ conspicuus.

L X I.

HIERONYMUS PANCORVO, natione, Hispanus, patriâ Giennensis, Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister, Hispalensis quondam apud suos Professor, Indicibus Fidei Apostolicis à munere Consultationum; amœnis etiam literis delectabatur, & in concionando vulgò placebat. Bis Giennense rexit Cœnobium, semel S. Rochi Collegium Cordubense, tandemque Hispalensi S. Alberti præfuit; mortuus Giennii in patriâ anno   Dedit in publicum Hispanè,

1. *Disquisicion de los Santos Martires de Arjona.* Hispali, 1634. *in*-4°.

Disquisicion de Santa Potenciana Virgen: ad Eminentiſſ. Cardinal. de Sandoval, Giennensem tunc Antistitem, anno 1643. adversùs quosdam Hispanos, qui etiam floruisse ac in ædicula propè Villamnovam Ylliturgitanam (*Villa nueva de Anduxar*) esse tumulatam prorsùs ab illa diversam Romanâ Virgine, quam Pudentianæ nomine XIV. Maii mensis die Ecclesia celebrat, sont arbitrati: in qoibus Joannes Tamaius Salazar ad diem XVI. Maii *in Martyrologio Hispano* Pancorvi argumenta examinat, iisque respondet; Franciscus de Bilches, *de Sanctis Giennensibus, parte* 1. *Cap. XLIX.*

3. *Sermon que prædicò en el Capitulo Provincial de Andulcia el anno M. DCXLII.* Hispali, eodem anno 1642. *in*-4°.

4. Lusit etiam Centurionis N. Castro de Torres nomine latens, & quidem facetè, *Panegyrico al Chocolate en octava rima.*

5. Vertit etiam ex Latino in Sermonem Hispanum, Joannis à Carthagine Franciscani, Librum *De la Antiguedad del Orden de Nuestra Señora del Carmen.* Hispali, 1623. *in*-8°. Quam interpretationem Hieronymo Pancorvo Franciscano, qui nullus fuit, haud rectè tribuit Wadingus.

Hæc leguntur in *Bibliothecâ Hispanâ, tomo* 1. *pag.* 451. & *tomo* 2. *pag.* 304. Nonnihil etiam de Pancorvo Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 155. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1080.

L X I I.

HIERONYMUS SALVAY, Pedemontanus, Carmelita Astensis, scripsit ad Gregorium Canalium, Ordinis Priorem Generalem, *Orationem in Laudem S. Andreæ Corsini, Carmelitæ, Episcopi Fesulani*, quam habuit Astæ, in Ecclesiâ Carmelitarum tertio Kalendas Februarii, anno M. DCXXX. Astæ editam eodem anno, ex Typographiâ Francisci de Zangrandis, *in*-4°. sicuti refert Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag.* 155.

L X I I I.

HIERONYMUS STANGA, Italus, Carmelita Tranensis, Theologus & Orator, edidit ad R. A. P. Leonardum Priulum, quondam Procuratorem Generalem Ordinis Carmelitarum, *Orationem de laudibus S. Andreæ Corsini.* Neapoli, apud Vincentium de Francho, 1629. *in*-4°. Latinè. Teste eodem Jacob, *Ibidem.*

L X I V.

HIERONYMUS STELLA, natione Ligur, patriâ Genuensis, Carmelita, Doctor Theologus: primùm Definitor & Provincialis Lombardiæ, in Capitulo Generali Ravespergensi, anno 1334. ubi Hieronymus de Castellario, forsan per errorem, nisi fortè binomius erat, vocatur, mittitur etiam ab eodem Capitulo, com R. Priore Generali Joanne Faci, & Provincialibus Angliæ, Romæ & Germaniæ inferioris, ad Concilium Basileense. In Capitulo deindè Generali Astensi anno 1440. Provincialis Lombardiæ describitur; & In sequenti Avenionensi 1451. Provincialis nominatur: Vir omnibus planè tum virtutis, tum eruditionis insignibus præclarus, Theologus & Canonista celebris. Decessit Genuæ, anno 1454. ibidemque apud suos sepultus in Sacello D. Hierooymi, qood vivens, propriis impensis ædificaverat, sub tumbâ marmoreâ, cum sequenti Ioscriptione.

D. O. M.

M. CCCCLIV. DIE PRIMO JULII,

HIC JACET DOCTOR EGREGIUS,

DOMINUS MAGISTER HIERONYMUS STELLA,

PROVINCIALIS PROVINCIÆ LOMBAROLÆ,

OROINIS CARMELITARUM,

QUI CONSTRUI FECIT HANC CAPELLAM,

ET OONAVIT, AO HONOREM HIERONYMI:

CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

Amen.

Scripsit

H.

Scripsit *Compendium de Juribus & Privilegiis Religiosorum Mendicantium*, Lib. I. Incipit: *Quoniam à Platone præclarè dictum est*, &c. Autographum Ms. asservatur, in *Bibliotheca Carmelitarum Genuensium antiquioris regularis Observantiæ*; ubi à se visum anno 1638. fuisse testatur ipse Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 555. Hieronymum Stellam commendat quoque Joannes-Baptista de Lezana, *toma* 4. *Annalium ad annum* 1455. *num.* 7. *pag.* 888.

LXV.

HIERONYMUS A S. TERESIA, Cremonensis, Carmelita Excalceatus, suam patriam primus è suis sodalibus illustravit radiis suæ doctrinæ. Philosophicum ac Theologicum cursum priùs in Belgio perlegerat, quàm in Italia exorsus est. Insignis fuit Verbi Dei Concionator, Gallicè, Hispanicè, ac Italicè. Officia Prioris, semel & iterum Provincialis, Definitoris, ac Vicarii Generalis summà exercuit laude. Obiit Parmæ, dum æger ad Generale Definitorium ibidem celebrandum pergeret ex obedientià, anno 1691. die 25. Octobris. Quædam Typis edidit,

1. *Morales diversas super Orationem Dominicam.*
2. *Jus Carmeliticum.*
3. *Quadragesimale.*
4. Ex Hispano in Italicum Idioma transtulit, *Tomum secundum Historiæ Generalis Hispaniæ Congregationis*, qui prodiit Bononiæ, anno 1692. posthumus.
5. Item, *Historiam Vitæ & excellentiarum Beatæ Virginis*, à Josepho de Jesu Marià compositam. Patavii, 1658. *in-8°*.
6. Item, *Praxim sivè exercitium benè moriendi*, per Martinum à Matre Dei, Hispanum Carmelitam Excalceatum, traditum. Bononiæ, Typis Clementis Ferroni, 1633.

Hieronymom à S. Teresià commendant Petrus à S. Andrea, *tomo* 1. *Historiæ Generalis Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Italicæ*, *Lib. I. cap.* 43. *pag.* 237. *& sequentibus.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 156. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 189.

LXVI.

HIERONYMUS TOSTADO, aliis Xerexiensis in Bætica, aliis Lositanos, Olissypone ortus, Carmelita Barcinonensis, Doctor Theologus Parisiensis, Provinciæ Cataloniæ Præfectus, à Consultationibus sacri Senatûs fidei, totius Hispaniæ Vicarius Generalis ac Commissarius, necnon Lusitaniæ, Siciliæ, & Neapolis Visitator Apostolicus: Vir summæ auctoritatis & prudentiæ, quem Nuntius in Hispania Apostolicus Philippus Sega ministrum sibi fidissimum adhibuit pro gerendis Carmelitarum antiquiorum rebus, & negotiis Excalceatorum ponderandis; ideòque S. Teresia penitùs adversarium sibi, Joannesque à Cruce & Hieronymus Gratianus, quos carceri mancipandos judicaverat ipse Tostatus, senserunt. Migravit Neapoli anno 1582. die 24. Februarii, ætatis suæ 58. ibidemque apud suos tumulatus cum sequenti Epitaphio.

D. O. M.

FRATRI HIERONYMO TOSTATO,

CARMELITÆ ULYSSIPONENSI,

LUSIT. S. T. D. PARISIENSI,

FAMILIA PRÆCLARISSIMO,

OMNIQUE ERUDITIONE PRÆOPTISSIMO;

VARIOS PRO SUA RELIGIONE LABORES,

AC MULTIS PERFUNCTO HONORIBUS,

PRÆTER GENERALATUM,

NECNON ET IN HISPANIARUM REGNIS,

SUMMI INQUISITORIS CONSULTORI DIGNISSIMO,

HUJUS ALMI CONVENTUS FRATRES

HOC ERIGENDUM STATUERE.

OBIIT VI. KALEND. MARTII M. DLXXXII.

ÆTATIS LVIII. PERACTO.

Scripsit,

1. *Statuta nonnulla pro Hispaniæ Carmelitarum antiquiorum Regimine*, juxtà intentionem Gregorii XIII. qui per Literas Apostolicas datas die 18. Novembris 1581. confirmavit deputationem de illo factam à R. P. Joanne-Baptista Caffardo, Ordinis Priore Generali, in Visitatorem & Reformatorem illarum Regionum.
2. *Decreta nonnulla pro Rebus Carmelitarum Excalceatorum componendis*, quæ veluti Commissarius Philippi Sega, Nuncii Apostolici, tulit; sed S. Teresia de his valdè conquesta est in Epistola 3. ad illustriss. Dom. Teutonium, Archiepiscopum Eboracensem, data anno 1578. die 16. Januarii.
3. *De Illustribus Viris & Fœminis Ordinis Carmelitarum*, Lib. I. Quem *Ms.* penès se habuisse asserit Alegreus Cassanatus, in *Paradisa Carmelitici Decoris*, *pag.* 443.

Hieronymum Tostatum commendant Gregorius XIII. Pontifex Maximus, in Brevi Apostolico, quod prodiit *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 213. Nicolaus Antonius, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 462. Georgius Cardosus, in *Hagialogia Lusitano*, *die* 27. *Martii.* Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 82. Antonius Teisserius, in *Catalogo Autorum*, *pag.* 134. Philippus Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum*, *pag.* 208. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 156. Franciscus à S. Maria, *toma* 1. 2. *Historiæ Carmelit. Excalceatorum*, *Lib. III. cap.* 40. *&* 50. Ibidem, *Lib. VI. cap.* 24. Ibidem, *Lib. VI. cap.* 10. Hieronymus à S. Josepho, in *vita Joannis à Cruce*, *Lib. III. cap.* 5. *&* 2. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. III. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 7. *&* 8. *&c.*

LXVII.

HILARION A S. URSULA, in seculo dictus LE ROY, natione Hanno, patria Montensis, PHILIPPI COSPEAN, Episcopi Nannetensis & Lexoviensis nepos, Carmelita Excalceatus, Prior Abbavillensis, anno 1641. electus, anno 1643. Definitor Provincialis & iterùm anno 1649. Reginæ Christianissimæ ANNÆ Hispaniæ Concionator, decessit Parisiis eodem anno 1649. die 31. Decembris, ætatis 50. Scripsit,

1. *Orationem funebrem* Sereniss. Principissæ Dom. N. à LOTHARINGIA, ABBATISSÆ JOTRENSIS. Prodiit Parisiis, anno 16 *in-4°*.
2. *Orationem funebrem LUDOVICÆ BORBONIÆ*, *Abbatissæ Fontebraldensis.* Parisiis 1638.
3. *Sermones Mss.* qui Parisiis visuntur in Bibliotheca Carmelitarum Excalceat.

Hilarionem à S. Ursula commendant Ignatius

H.

Joseph à Jesu Maria, in *Historia Ecclesiastica Abbavillensi*, cap. 59. Honoratus Niquet, in *Historia Fontis-Ebraldi*, pag. 530. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss.* pag. 157. Ludovicus à S. Teresia, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*, Lib. II. Capp. 32. 41. & 79. pagg. 380. 404. & 309.

LXVIII.

HILARIUS A S. ANASTASIO, in seculo dictus ANASTASIUS VOCHET, natione Germanus, gente Suevus, patriâ Mendelheimensis, ex Canonico Regulari *S. Augustini* Monasterii S. Crucis *Augustæ* Vindelicorum ad *Lycum* fluvium Carmelita Excalceatus, anno 1640. factus, & *Monachii* in Bavaria Noviriatu elapso professus: Vir magnis decoratus virtutibus, prudentiâ & ingenio clarus, necnon in omni tùm sacrâ tùm profanâ eruditione valdè peritus; Theologus, Concionator, Orator, & Poeta celebris, sed præsertim Hæreticorum flagellum insigne: piissimè vivens, piissimè obiit Viennæ in Austriâ, die 11. Junii, anno 1656. Cum esset virtutum & Musarum cultor singularis, apud Canonicos Regulares quàm plurima edidit, quorum Catalogus hic est, & titulus eorum inscriptus,

1. *Thaumaturgus Eucharisticus*, *Augustanis Vindelicis divino munere concessus*, &c. Augustæ-Vindelicorum, Typis Andreæ Asperger, in-8°. 1637.

2. *Cœna Domini*, *sub una & utraque specie*, *Acatholicis Augustanis oblata*, & *ibidem luci data*. Augustæ-Vindelicorum, apud eumdem Asperger, 1631. in-8°. Germanicè.

3. *Affecuratio cauterialis conscientiæ hæreticorum in puncto Reformationis Augustanæ*, sub Ferdinando II. Cæsare. Ibidem, 1631. in-8°.

4. *Patronus Beatorum Cœlitum*, *sive Catholica defensio articuli de Invocatione Sanctorum*, *contrà blasphemias Acatholicorum*. Ibidem, 1631. in-8°. Germanicè.

5. *Strenæ Januariæ*; *sive responsio ad quatuor difficultates Acatholicarum*, *quibus illucusque deterriti*, *videbantur ad Catholicam Fidem*, *desertâ hæresi amplectendam*. Ibidem, in-8°. Germanicè.

6. *Catechismus Pœnitentiæ pro Confessione generali vel ordinaria instruenda*. Augustæ-Vindelicorum, in-12. Germanicè.

7. *Pallium Tutelare Dei Matris*. Ibidem, apud eumdem Typographum, in-12. Germanicè, 1636.

Vetus Catholicorum pietas ergà Dei-param, *pie hodiè in Nostratium cordibus renovata*. Augustæ-Vindelicorum, apud eumdem Andræam Asperger, in-12. Germanicè.

9. *Tricesimum SS. Virgini Mariæ scriptum*, *& luci publicæ commissum*. Ibidem, Germanicè.

10. *Oratio de prælio & victoria Ramiri Regis contrà Mauros*. Ibidem, 1625. in-4°.

11. *Gratulatoria Poësis heroico Carmine scripta*, *dicata Excellentissimo Dom. D.* MARQUARDO FUGGERO, Comiti, &c. Ibidem, 1625.

12. *Camœna Poëtica vario Carminis genere scripta*, & oblata Excellentissimo Domino Comiti Joanni Ernesto Fuggero, cum in album Equitum S. Jacobi de Spada, per solemnem professionem reciperetur. Ibidem.

Carmelita Excalceatus sequentia Opera dedit sub nomine Hilarii à S. Anastasio, quorum titulum hic damus.

13. *Compositum*, sive *Ratio inita priscæ fidei orthodoxè Catholicæ*, *circà præcipuas Catholicorum & hæreticorum controversias agnoscendi*. Viennæ, 1646. in 8°. Germanicè.

14. *Opusculum didascalinum*, *de Christiana Juventutis ad amussim Catholicæ fidei & pietatis institutione*. Viennæ Austriæ, per Mathæum Cosmerovicum, 1647. in-8°. Germanicè.

15. *Catechismus Pœnitentiæ ab Autore recognitus*, *& ostiès editus*. Viennæ, 1630. in8°.

16. *Antiquissima Catholicæ Religionis semita*. Viennæ, apud Jacobum Kirmerum, 1632. in-12. Germanicè.

17. *Perspicilia Catholicæ veritatis*, *lippis Acatholicorum oculis applicanda*. Viennæ Austriæ, per Jacobum Kirmerum, anno 1653. in-12. Germanicè.

18. *Divisio lucis à tenebris*, *putà*, *Catholicæ Fidei*, *& hæreticorum sectæ comparatio*, *& ab invicem justa separatio*. Viennæ, Typis Kirmeri, in-12. Germanicè.

19. *Lucifuga hæreticus*, *sive Nicodemi Vespertilio ad lucem invincibilis veritatis Catholicæ protractas*. Viennæ, Typis Kirmeri, in-12. Germanicè.

20. *Comitia Parthenica*, *sive nova ratio sanctissimam Dei-param Coronâ stellarum duodecim coronandi*. Viennæ, apud Jacobum Kirmerum, 1653. in-4°. Germanicè.

21. *Promotorium bonæ spei*, *sive ars benè moriendi*, *novâ methodo explicata*, *& in libros tres digesta*. Viennæ Austriæ per Mathæum Cosmerovicum, 1655. in-folio. Latinè.

22. *Aphorismus Prælatorum asceticæ disciplinæ vel componendæ*, *vel restaurandæ*, *Ms.*

23. *Apicula Carmeli montis illustrissimas Bibliothecas pervolans*, *& mel conficiens ex melioribus asceticæ doctrinæ*, *Ms.*

24. *Charontis Cymba*, *sceleratos & impenitentes damnabiliter ad Orcam vehens gratis absque Naalo*, *Ms.*

25. *Philocalia Mariana*, sivè, *Cultus practicas honorandi Sanctam Dei-param Virginem*. Viennæ, apud eumdem Typographum, in-12. 1653.

26. *Achates Christianus*, sivè, *Conceptus prædicabiles Missionariorum bono pro conversione Gentium scriptus*. Ibidem.

27. *Archimedes Christianus*, sivè, *Speculum tripartitum doctrinarum saluberrimarum*. Viennæ Austriæ, Typis Mathæi Cosmerovici, 1656. in-folio, Latinè.

28. *Libellus quodlibeticus*, *Concionatorum usui accommodatus*. Ibidem.

29. *Concionum sacrarum de Dominicis & Festis per annum*, Volumina plurima, Mss.

30. *Carmen Latinum* in Reverendissimi Caramuelis *Historiam Venerab. Patris Dominici à Jesu Mariâ*, quod præfigitur *Caramuelis Dominico*.

Catalogus iste legitur in Pauli ab Omnibus Sanctis *Schedis Mss.* quas laudat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms.* pag. 157. & 158. Pauca de nostro Hilario dicunt Daniel à Virgine Mariâ, tomo 2. *Speculi Carmelitani*, pag. 1129. num. 3964. & Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, pag. 195.

LXIX.

HILARIUS à S. AUGUSTINO, dictus in seculo PETRUS ARIAS ARMENDARIS, in Urbe Regni Castellæ *Var* nomine, anno Domini 1578. die 1. Novembris natus, JACOBI ARIAS GUSTUME Cantabri & ANNÆ ARMENDARIS, illustrium parentum filius natu minor. Ab adolescentiâ divinitùs illustratus, anno 13. ætatis suæ mittitur *Cæsar-Augustam* ad literas humaniores edifcendas: deinde divino spiritu ductus, *Salmanticam* se con-

H.

tulit, Philosophicis & Theologicis operam navaturus; ubi cum apud Moniales Therefianas facrificio Missæ deserviret, intuitus S. Teresiæ iconem cum solità inscriptione hujus versiculi, *Misericordias Domini in æternùm cantabo*, his verbis quasi sagittis vulneratus, coràm sacerdote mirabundo, & Ven. Mat. *Anna de Lobera à Jesu*, tunc Monasterii Priorissa, rapitur in ecstasim.

Studiis peractis, *Cæsar-Augustam* revertitur, & posteà *Romam* accessit tamquam ad salutis portum, & ibi factus est Carmelita Excalceatus, anno 1606. sub V. P. *Dominico à Jesu Mariâ*, Novitiorum Moderatore, cujus exemplo in sanctum Religiosum evasit, Sacræ Theologiæ Moralis Professorem io eadem alma urbe egit, & examini depositionum pro Canonizatione S. Teresiæ, mandato Superiorum præfuit. Indè in Belgium missus anno 1610. cum Patribus Thomâ à Jesu, Francisco à S. Annâ Sebastiano à S. Francisco, Joanne-Ludovico ab Assumptione, & uno Laico hanc celeberrimam S. Josepho dicatam Ædem fundavit: in qua Novitiorum Præfectus extitit, etiam Prior Bruxellensis, & Antuerpiensis, Definitorque ejusdem Provinciæ, ac Socius Capituli Generalis, demùm quinquies Provincialis, & semel per Regnum Galliarum Visitator Generalis. Moritur Bruxellæ cum magna pietatis opinione, anno salutis 1653. die 20. Aprilis, ætatis 76. scripsit,

1. *Vocem tubæ Angeli lucis, ad revocandum è Calvinianis tenebris ad Religionem Catholicæ veritatis, Potrem Felicem Emmanuelem*, coi nomen in seculo Dom. D. Emmanuel de Portugal. Bruxellis, Typis Huberti-Antonii Velpii, 1635. *in-8°*. Ibidem anno 1653.

2. *Historiam Vitæ suæ, Mſ.* Hispanicè: Quam Ludovicus Jacob quondam legit apud Carmelitas Excalceatos Parisienses, beneficio R. P. Ludovici à S. Teresiâ.

De Hilario à S. Augustino honorificè tractant Philippus à SS. Trinitate, *in ejus Vitâ*, quæ legitur *in Decore Carmeli*, 3. *parte*, *pag.* 209. Aobertus Miræus, in *Bibliotheca Ecclesiastica*, *Cap.* 147. Hilarion de Coste, S. Francisci de Paulâ pronepos, in *Elogio Annæ à S. Bartholomæo*: Joannes-Joseph de Loyac, in *Vitâ Mariæ-Margaritæ ab Angelis*, *pag.* 103. Michael-Baptista de Lanuza, *Lib. III. Vitæ Isabellæ à S. Dominico*, *Cap.* 12. Hieronymus à S. Joseph, *Lib. V. Vitæ Venerab. P. Joannis à Cruce*, *Cap.* 5. Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annalibus Carmelit. Excalceat. Franciæ*, *Lib. I. Cap.* 75. 76. *pag.* 194. & 197. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelit. Mſ. pag.* 158. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1129. *num.* 3964. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 195.

LXX.

HILARIUS RICHARD, natione Neustrius, patriâ Cadomensis, Carmelita Provinciæ Franciæ alumnus, Sacræ Theologiæ Doctor, Prior Cadomensis, scripsit circa annum 1590.

Concionem de SS. Trinitate egregiam, & alios *Sermones Quadragesimales*: Qui Mſſ. asservantur in Biblioth. Carmelitarum Cadomensium; teste Ludovico Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ*, *Mſ. pag.* 159.

LXXI.

HILGERUS à BURGIS, natione Germanus, Carmelita Coloniensis, ejusdem Academiæ Doctor Theologus & Professor, anno 1422. Studiis Theologicis operam dedit, posteà Lector, & cætera quæ descripsimus super. *pag.* 131. Verbo BILGERUS à BURGIS: tametsi Daniel a Virgine Mariâ, *tomo* 1. *Speculi Carmelit. pag.* 915. & 918. *num.* 3188. & 3249. duos homines diversos ingerere videatur.

LXXII.

HONORATUS-JOSEPHUS BRUNET, natione Gallus, provinciâ Provincialis, patriâ Pertusinus, Carmelita Provinciæ alumnus, Doctor Theologus Parisiensis, variis in Conventibus Prior, edidit Opus quod inscribitur:

Manuductio ad sacram scripturam, Methodo dialogisticâ exhibens Prolegomena Biblica, cum Appendice de verbo Dei tradito. Parisiis, apud Urbanum Coustelier, 1701. *in-12.* duobus tomis, quorum primus complectitur *Quæstiones de Scripturâ sacrâ in se consideratâ*; & *de Libris veteris Testamenti*, *pag.* 429. Tomus secundus continet *Quæstiones de Novo Testamento, de Contradictionibus apparentibus Librorum Canonicorum, de Libris Apocryphis ac deperditis, & de Traditione*, *pag.* 290. absque Elencho.

Hujus Operis meminerunt Jacobus Lelong, In *Bibliothecâ sacrâ*, *pag.* 653. *Col.* 2. D. Augustinus Calmet, ad Calcem *tomi quarti Dictionar. Bibliorum Gallicè scripti*, *pag. CLXIII.* Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula universali Scriptorum Ecclesiasticorum*, *tomo* 2. *pag.* 2798. obi notat quod noster Brunet, Doctoralem lauream in sacra Facultate Parisiensi obtinuerit, anno 1687.

LXXIII.

HONORATUS à S. MARIA, in seculo nuncupatus BLASIUS VAUZELLE, *Lemovicis* honestis parentibus natus, anno 1651. die 4. Julii peractis humanioribus literis, apud Carmelitas Excalceatos se contulit, & in Conventu Tolosano professionem emisit die 8. Martii, anno 1671. Emenso Philosophiæ, ac Theologiæ curriculo, salutis animarum zelo accensus, se ad Missiones pro earum conversione perrectorum vovit, cum Superiores permitterent. Suppriorato Melitensi explero, suam in Provinciam Aquitanicam remissus, Philosophiæ ac Theologiæ Prælector electus fuit. Prioris, Definitoris, Provincialis, ac trium Provinciarum in Galliâ, diversis temporibus Visitatoris Generalis functus est officiis; sed operibus quæ posteritati reliquit, longè illustrior, Rem literariam ditavit, piissimè moriens *Insulis*, anno 1729.

OPERA EDITA.

1. *Philosophiæ disputationes*, miro ordine ac artificio digestæ, tum Recentiorum, Cartesianorum, ac Gassendistarum, curiosioribus placitis disseruit; adjecto parallelo Thomisticæ, ac recentioris Philosophiæ, quo ostendit istam à sacrâ scripturâ, Conciliis, ac SS. Patribus, Academiisque dissidere. Claromonti, anno 1686. diebus 13. & 14. Augusti propugnatæ.

2. *Theologiæ propositiones*, Elenensis Ecclesiæ, Canonicis ac dignitatibus dicatæ, eximiâque methodo ab omnibus doctis magno pretio habitæ, quarum titulus est: *Expositio Symboli Apostolorum, dogmatica, historico-hæretico, historico-positivo, scholastico, &c.* Perpiniani editæ & propugnatæ, anno 1689.

3. *Theologiæ positiones*, circà Scripturam sacram: Quarum *Prima* circà omnes difficultates Chronologicas ab Orbe condito, usque ad Christum. *Secunda* circà inspirationes Scriptorum sacrorum, cir-

H.

cà Canonem Veteris Testamenti Libros, eircà aliqua Monumenta aliquibus adscripta, ac circà Traditiones divinas. Tolosæ, anno 1706.

4. Cum prodiisset Burdigalæ quidam libellus à Viro Religioso Franciscano scriptus, quem extractum à se assereter ex R. P. *Joannis Cheron*, antiquiorum Carmelitarum Vasconiæ quondam Provincialis Libro, cui titulus est: *Examen de la Theologie Mystique*; hanc Franciscani Excerptionem non æquam esse ostendit noster Honoratus in Libro Gallice scripro, cui titulus est: *Dissrtation Apologetique, où Résutation de ce qu'on impose aux Mystiques dans quelques Extraits tirés depuis peu de l'Examen de la Theologie Mystiqus, &c. Par le R. P. Honoré de Sainte Maris, Définiteur Provincial des Carmes Déshaussés de la Province d'Aquitaine.* Burdigalæ, apud Simonem Doë 1701. *in-12. pag.* 221. Dissertatio hæc duas dividitur in partes: Quarum in prima Honoratus conatur generatim probare *Extracta* quæ impugnat, injuriosa esse Ecclesiæ, & summis Pontificibus, contrariaque Traditioni & sanctis Patribus. In secunda parte sigillatim impugnat nonnullas propositiones in Librum sui adversarii diffosas. Hujus Dissertationis mentionem habent *Ephemeridss Trevoltianæ ad menses Julii & Augusti, anno* 1701. *pag.* 81.

5. *Tractatus de Indulgentiis & Jubilæo*, Gallicè edito. Burdigalæ, apud eumdem Simonem Boë 1701. *in-12.* Editio secunda auctior prodiit Claromonti, & tertia etiam auctior in Belgio, occasione Jubilæi, anni 1725. omnes *in-12.*

6. *Traditio Patrum ac Authorum Esclesiasticorum, circà contemplationem, quæ tum dogma, tum illius exercitii praxim continet.* Gallicè Parisiis, 1708. apud Joannem Nully. Duobus tomis *in-8°.* quorum *Primus*, præter Præfationem, Approbationes & Indices habet *paginas* 587. *Secundus* verò 643. refertum est eruditione totum Opus, quod ab uno *Oratorii Romani* Presbytero in idioma Italicum translatum est; & ab alio Authore in Hispanum, ac Cæsar-Augustæ editum anno 1725.

7. *Ds Motivis & Praxi Amoris divini.* Opus Gallicè editum anno 1713. *in-8°.* continens paginas 472. & quasi complementum duorum Voluminum præcedentium. Doctrina in eo tradita & solidis principiis, & evidentibus innititur authoritatibus, & in Ecclesia traditione de puritate amoris divini, cujus existentiam & meritum propugnat, funditùs Pseudo-Mysticorum errores destruit; prout notant *Ephemerides Trivoltiensss ad annum* 1714. *pag.* 2192.

8. *Problema doctis propositum circà Libros, qui nomine S. Dionysii Areopagitæ circumfsruntur:* In quo postularut & inquiritur utrùm dicendum sit illorum Auctorem sua Principia, partemque suæ Doctrinæ, & Tractatum suæ Theologiæ Mysticæ haosisse ex S. Clemente Alexandrino & ex S. Gregorio Nysseno. Gallicè, Parisiis, apud Joannem Nully 1708. *in-8°. pagg.* 333. Opus istud plurimi æstimatur in Diario Eruditorum Virorum Parisiensi *ad annum* 1709. *die* 6. *Maii*, & in Ephemeridibus Trivoltianis *ad annum* 1709. *mensi Maii, art. LVII.*

9. *Reflexiones in Regulas & usum artis sriticæ, circà Historiam Ecclesiasticam, Sanctorum Patrum Opera, Acta Martyrum, Sanctorum vitas, ac Methodum à Richardo Simone datam pro Bibliorum editione, omnium quæ hucusque visa sunt, accuratissima, cum Notis Historisis, Chronologicis & Criticis.* Tribus tomis Gallicè editis, quorum primus *anno* 1712. *pag.* 609. secundus ibidem 1717. *pag.* 624. Tertius Lugduni 1720. *pagg.* 490. *in-4°.* Vide Acta eruditorum Lipsiensia mensis Aprilis, *an.* 1724. *pag.* 181.

Totum illud opus, eximiâ eruditione refertum à Doctioribus summo plausu exceptum, exquisitis observationibus ornatum, intemperantem quorumdam criticorum, omnia ferè quæ reperiuntur in Historia Ecclesiastica convellendi pruriginem coërcere potest; ac intellectum à præjudiciis liberum convincere non minùs Historiæ veritati nimiam, quàm tardiorom ac ferè nunquam datam credulitatem obesse. Clarè, nitidè perspicuè sua proponit principia, Regulas profert, feliciterque adversariorum argumenta dissolvit. Viam aperit, maximéque confert ad judicii rectitudinem, nec nisi summoperè deservire potest ad antiquorum lectionem, & ad Historiæ pelagus feliciter enavigandum. Summa ubique elucet modestia, eaque citrà adulationem meretur elogia, quæ in Diariis Parisiensibus, Trivoltiensibus, & aliquibus etiam Protestantium reperiuntur. Illud in Idioma Latinum, Italicum, & Hispanum fuit translatum.

10. *Dissrtationes Historicæ & Critisæ de Ordinibus Militaribus, tam antiquis, quàm recentioribus; tam Regularibus quàm ssecularibus.* Parisiis, 1718. *in-4°.*

11. Defensio Constitutionis Clementis XI. *Unigenitus*, inscripta: *Difficultates propositæ Authori examinis Theologici, in quibus æquitas Constitutionis* Unigenitus, *& Instructionis Pastoralis Cleri Gallicani ostenditur.* Suppresso nomine Authoris, & Typographi & loci. 1710. Quatuor tomis *in-12.* Gallicè: Quorum *primus* paginas 430. continet: *Secundus* 461. *Tertius* anno 1722. editus, paginas 426. habet: *Quartus* eodem anno 1722. paginas 458. complectitur.

12. *Observationes Dogmaticæ, Historicæ, Criticæ Operum Jansenii, Sancyrani, Arnaldi, Quesnellii, Petitpied, &c.* Quæ illorum multiplices defectus ostendunt, variaque Sophismata manifestant. Ypris, anno 1724. *in-4°. pag.* 266.

13. *Justificatio Epistolarum in forma Brevis SS. D. Bsnedicti XIII. ad omnes Professores Ordinis Prædicatorum, contrà sparsas, in Sanctorum Augustini & Thomæ discipulos, calumnias.* Bruxellis, Gallicè, 1725. *in-4°. pagg.* 418.

14. *Epistola Theologi ad quemdam Abbatem:* Seu Observationes circà Decretum novissimè Romæ emanatum, quibus ostenditur 1°. Unum quemque fidelem teneri se submittere Constitutioni Clementis XI. *Unigenitus.* Edita est Gallicè die 2. Julii, anno 1725.

15. *Alia Epistola* eodem modo scripta, seu cum eadem Inscriptione, Gallicè edita Duaci, anno 1726. scripta occasione miraculi, quod factum est Parisiis die 31. Maii, anno 1725. in Processione Festi Corporis Christi. In ea Epistola ostenditur hujusmodi famosum ac patens miraculum, non solum minimè favere iis qui Constitutionem *Unigenitus* nolunt admittere, sed eos aperte damnare.

16. *Dissertationes selectæ circà Constitutionem* Unigenitus. Gallicè. Bruxellis 1727. *in-4°. pagg.* 250. cum Approbatione Illustrissimi Episcopi Brugensis. In iis ostendit, quod etiamsi id omne admitteretur, quod in defensionem hucusque dixere Quenelistæ; v. g. Constitutionem non esse Canonicè ab Ecclesia receptam: Clerum Gallicanum in suo Cœtu, anni 1714. coactum à Rege fuisse ad illam acceptandam: summum Pontificem non habere auctoritatem infallibilem; id quod objecerunt ex facto S. Cypriani, ex Concilio Ariminensi verum esse; Appellationem ad Concilium futurum, esse Canonicam, &c. Hæc omnia contrà eos, validis adeò probationibus

H.

probationibus retorquet, ut censuerint doctissimi viri, instar demonstrationum, quibus responderi nequeat habenda esse.

17. *Vita S. Joannis à Cruce.* Tornaci, anno 1727. Gallicè, *pagg.* 234. Hæc vita fuit edita occasione ejusdem S. Joannis Canonizationis, anno 1726. die 26. Decembris factæ à S. Papa Nostro Benedicto XIII.

18. *Denunciatia Historiæ Ecclesiasticæ Viri clarissimi Dom. Abbatis* FLEURY, *ad Nostros Illustrissimos Dominos Dom. Episcopos.* Gallice 1726. Absque nomine Autoris: & loci, & Typographi: Denunciatio inprimis reprehendit dicta Dom. Abbatis Claudii Fleury, 1°. *De Ecclesia Romana.* 2°. *De Auctoritate & dignitate* Papæ. 3°. *De Depositionibus Episcoporum.* 4°. *De Erectionibus, Divisionibus, & Translationibus Episcoporum.* 5°. *De Appellationibus ad summos Pontifices.* 6°. *de submissione Canonibus debitâ.* 7. *De Excommunicatione.* 8°. *De Absolutione post Confessionem; de Jubilæo, & de sacris bellis Cruciadarum.* 9°. *De Miraculis & Reliquiis.* 10. *De Jurisdictione Episcoporum.* Secunda editio data est Mechliniæ, anno 1727. apud Laurentium Vander Elst. Quam citat Anonymus Capuccinus, apud Batavos Refuga, in Opere Gallicè inscripto: *Justificatian des discours & de l'Histoire Ecclésiastique de M. l'Abbé Fleury* 1736. *in*-12. absque nomine Autoris & loci. Ast hæc Justificatio plurimis erroribus & erroneis principiis scatet, sicuti Lectori Catholico patebit.

19. *Denunciatio Examinis Theologici*, ad Eminentiss. & Illustriss. Dom. Dom. Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos Regni Galliæ 1723. *in*-4°. suppresso nomine Auctoris & loci. Ipse Honoratus meminit hujus Operis, in *Præfatione Justificationis Brevis S. Dom. Benedicti XIII.* de qua diximus, *num.* 13.

OPERA MANUSCRIPTA:

20. *Dissertationes quatuor Theologicæ, de Gratiâ, Prædestinatione, & Reprobatione*, prælo paratæ, ad defensionem doctrinæ Thomisticæ.

21. *Missa Latina*, de qua locutus est *tomo* 3. *Regularum Critices, Dissertat.* 3. *pag.* 186. & *seqq.* cum notis & observationibus, quibus elucidat, quidquid scitu dignius est circà Sacrificium Missæ. Hujus autem systema de *Antiquitate Missæ Flacci Illyrici*, quam fontem & originem aliarum Missarum Latinarum sustinet, *pag.* 128. 243. & in *Præfat. pag.* 5. improbat Petrus Lebrun, in *Explicatione literali, historica & dogmatica Ceremoniarum Missæ*, Gallicè scriptâ, *tomo* 2. *pag.* 346.

22. *Flodoardus*, cujus habuit Manuscriptum, ex ditissima Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum Conventûs Claromontani, quem anteà possederant Canonici Regulares S. Augustini, sub nomine *Abbatiæ Campo-Uncti*, Gallicè *Champtouin*; uti legere est apud Ludovicum à S. Teresia, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Franciæ, Lib. I. cap.* 111. *pag.* 290. & *seqq.*

Flodoardus, hic hactenùs ineditus, continet vitas Sanctorum Palæstinæ, Antiochiæ, & Italiæ: vitas Patriarcharum, præcipuorum Episcoporum, Apostolorum, & summorum Pontificum usque ad Leonem VII. septem mille Carminibus. Has illustrat Honoratus suis Dissertationibus, Notis & Observationibus, circà præcipuas difficultates Historiæ Ecclesiasticæ totum temporum: totum *in-folio* amplo; de quo nihil dixit R.P. Dom. Antonius Rivet Benedictinus, Congregationis S. Mauri, in Articulo *de Flodoardo*, quem adornavit *tomo* 6. *Historiæ literariæ Franciæ*, scripto an. 1742. *pag.* 318.

Hæc Honorati à S. Maria Opera Mss. asservantur *Insulis* apud Carmelitas Excalceatos, sicuti notat ejus quondam Discipulus R. P. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 197.—206. Ex qua desumpsimus Catalogum omnium Operum dicti R. P. Honorati, exceptâ *duplici Denunciatione*, quam appellavimus *num.* 18. & 19. & de qua nihil dixit Martialis.

LXVIII.

HONORIUS AB ASSUMPTIONE, in seculo dictus JULIUS-CAROLUS GUIDETTI, *Aliassini* sive *Aliani*, Gallicè *Fiaconne*, in Liguria natus anno 1639. Inter Carmelitas Excalceatos professus anno 1656. die 3. Septembris in Conventu Mediolanensi. Prioris, Definitoris, Provincialis, Vicarii Generalis, ac tandem Præpositi Generalis officiis summa cum laude functus; sacræ Congregationis Rituum, & Indicis Consultor, sanctique Officii Qualificator; pietate, doctrinâ, ac prudentiâ clarus, summis Pontificibus acceptissimus; piè obiit *Romæ* 1716. die Januarii. Edidit Italico idiomate Opera, quorum inscriptiones sunt:

1. *Anima devota, æterni Verbi Pueri Jesu.* Mediolani 1677. *in*-12.

2. *Anima devota in Spiritu & Veritate.* Ibidem; 1678. *in*-12.

3. *Novenna in obsequium S. Teresiæ.* Ibidem; 1682. *in*-12.

4. *Novennæ per totum annum, pro præcipuis Festivitatibus.* Romæ, deindè Parmæ, 1700. *in*-12.

5. *Sublimis contemplatio, ac secura pax in Christo.* Romæ, 1700. *in*-12.

6. *Devotæ Meditationes Institutionis Eucharistiæ, Passionis, ac Mortis Christi.* Romæ, duobus tomis, *in*-8°. 1704.

7. *Prudentia Spiritûs ad æternam vitam conducens.* Romæ, 1707. *in*-8°.

8. *Mystica & Moralis expositio duorum Psalmorum, qui in quatuor minoribus Horis Officii Divini recitantur.* Opus posthumum, Romæ, 1718. *in*-8°.

Hæc leguntur in *Bibliatheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 206.

LXIX.

HORATIUS SALICINUS, in seculo vocatus ALEXANDER FERRARIENSIS, ad Padum fluvium, Carmelita Congregationis Mantuanæ, Doctor Theologus, & in Academia Florentina Professor publicus, in diversis Italiæ civitatibus celebris; vir profectò ingeniosissimus, & in concinendis Rithmis Italicis elegantissimus, atque in concionando famosus & facundus. Diem extremum clausit Florentiæ anno 1582. sepultus in Conventu Carmelitarum, vulgò S. Mariæ Majoris.

1. Antequam Religionis habitu indutus esset; Italicâ linguâ edidit Opus, cujus titulus est: *La prima parte de Soggeti Poëtici &c.* Florentiæ, anno 1566. per Valentem & Marcum Peri. Tres aliæ partes inter manus Typographorum adhærebant anno 1595. sub nomine ALEXANDRI SALICINI.

2. Carmelita legit Florentiæ in Academia *Librum de Detractione.*

Horatium Salicinum commendant Petrus Lucius; in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 35. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico*: Emmanuel Roman; in *Elucidationibus Carmeliticis.* Ludovicus Jacob, in *Bibliatheca Carmelitana Ms. pag.* 159. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.*

H.

421. ubi à se visam fuisse testatur dictam *primam partem Operum Poeticorum.*

L X X.

HORTENSIUS MARIA MORI DE PARMA, sacræ Theologiæ Magister, ac Doctor Facultatibus speculativis excellens; Parmæ & Ferrariæ studiorum Regens Theologus, bis Prior sui Conventûs, in sua Congregatione Mantuana Definitor, anno 1688. atque in Romana Curia Procurator Generalis, anno 1677. in patria Examinator Synodalis, & sanctissimæ Inquisitionis Consultor, nec non serenissimi Francisci Farnesii Ducis Parm. & Placent. Theologus, diem suum extremum clausit anno 1702. die 13. Februarii, in suo Conventu: postquam scripsisset,

1. *Varia Opuscula Philosophiæ Mss.*
2. *Varia Opuscula Theologiæ Scholasticæ Mss.*
3. *Ethicam Moralem Theologicam*: seu de *Casibus Conscientiæ Ms.*

Hæc Opera diligenter asservantur in egregia Carmelitarum Parmensium Bibliotheca, quam R. P. *Albertus Maii* magnificis celaturis exornari fecit, Librisque sui Ordinis Autorum plurimis ditavit, ac fenestris vitreis & ligneis omninò munivit anno 1712.

Albertus hic *Maii*, Parmensis, Philosophus & Theologus Magister & Doctor, multoties fuit in patrio Conventu Prior, Examinator Sydonalis, ac in Capitulo Parmæ celebrato, anno 1685. Præsidente Reverendiss. & Illustriss. Dom. Thoma Saladino, Parmensium Episcopo, totius Congregationis Mantuanæ electus fuit in Vicarium Generalem. Decessit autem in proprio Conventu, anno 1719. die 11. Novembris, ætatis 75. cum novem mensibus & 12. diebus. Teste Carolo Vagho in suis *Commentariis*, *pag.* 267. ubi & celebrem Hortensii Mariæ Mori mentionem habet.

L X X I.

HUMBERTUS A COSTA, Gallus, Carmelita Lugdunensis, Provinciæ Narbonæ alumnus, Doctor Theologus, circà annum 1480. Scripsit ad Ludovicum XI. Regem Christianissimum, Latinè.

Synogagam Dæmonum, Lib. I. Incipit: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, &c.* Asservatur *Ms.* Romæ in Bibliotheca Vaticana, *in-4°.* uti retulit Gabriel Naudæus, qui eâ usus est beneficio Horatii Justiniani, tunc Bibliothecæ Vaticanæ Custodis; posteà S. R. E. Cardinalis Bibliothecarii; uti retulit Naudæus Ludovico Jacob id attestanti, in *Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 190.

L X X I I.

HUMBERTUS LEONARDUS, Carmelita Leodiensis, Provinciæ Franciæ alumnus, Sacræ Theologiæ Professor Parisiensis, anno 1456. in Capitulo Generali Parisiensi à Joanne Soretho, Magistro Generali ordinatus, deindè anno 1466. Doctor renunciatus, tandem Leodiensis studii Præfectus à Christophoro Martignono anno 1472. constitutus; ut patet ex sequentibus Literis *Leodii* asservatis.

» Christophorus Magister Generalis ac humilis servus Fratrum totius Ordinis B. Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, Dilecto Nobis in Christo Venerabili sacræ paginæ Professori, Magistro Huberto Leonardo, ejusdem Ordinis, & Provinciæ Franciæ salutem. De tuâ Religiositate plurimùm nisibus conservare affectantes, Authoritate nostra præsentium tenore, ordinamus te Regentem Magistrum in eodem Conventu; præcipientes & tibi in meritum obedientiæ salutaris injungentes, ut pro conservatione vitæ Regularis intendas: Non intendimus tamen quidquam in dicto Conventu, affectu speciali quem gerimus ad eumdem, intuitu felicia recordationis Magistri Joannis Soreth, prædecessoris nostri, contrà Reformationem per quemquam attentari. In cujus rei testimonium, sigillum nostri Generalatûs officii præsentibus est impositum. Datum in Conventu nostro Astensi 1472. 18. Maii.

Inquisitor Hæreticæ pravitatis factus Leonardus, contrà quosdam Hæreticos Nivellenses per diœcesim Leodiensem, inquit Trithemius, gladio S. Spiritûs eos confutavit, & vicit, scribens Opus celeberrimum octo & viginti propositiones principales continens; in quo totidem articulos erroneos fortiter, ac disertè oppugnans reprobavit. Electus est Episcopus Dariensis, in Mesopotamia & Suffraganeus Leodiensis, decimo sexto Kalendas Decembris, anno 1474. deindè ab Ecclesia Dariensi, ad Bethlemitanam, pridiè Nonas Julii, anno 1489. translatus, posteà eumdem resumpsit titulum Sedis Dariensis, Bethleemitanâ relictâ, tertio Nonas Decembris, anno 1492. Pontificalia continuò munia exercens in Diœcesi Leodiensi, sub Ludovico Borbonio, & Joanne Horneo Episcopis. Obiit Leodii, ibidemque sepultus apud suos antè majus Altare, cum sequenti Epitaphio.

D. O. M.

SEPULCHRUM REVERENDISSIMI PATRIS ET DOMINI † HUBERTI LEONARDI,
HUJUS CARMELI PROFESSORIS,
EPISCOPI DARIENSIS,
SUFFRAGANEI LEODIENSIS,
SUB LUDOVICO BORBONIO,
ET JOANNE HORNEO, EPISCOPIS.
QUI HÆRESIM NIVELLENSEM
IN HIS PARTIBUS GRASSANTEM,
PROFLIGAVIT.

Scripsit,

1. *In Evangelium Lucæ Commentaria*, quorum meminerunt Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliothecæ sanctæ*, Fabianus Justinianus, *Lib. III. de scripturâ sacrâ*, *pag.* 512 Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 826. *col.* 2. *B.*
2. *In Magistrum Sententiarum Commentaria*, Lib. IV.
3. *De Immunitate Ecclesiasticâ*, Lib. III.
4. *Contrà Nivellenses hæreticos*, Lib. I. in viginti Capita distinctum. Qui *Ms.* asservatur in Bibliotheca Carmelitarum Leodiensium.
5. *Sermones varios*, Lib. I.
6. *Quadragesimale*, Lib. I.
7. *De Principum Regimine*, Lib. I.
8. *De Genealogiâ Nobilium Francorum*, & *Gestis eorum*, Lib I. Ad Ludovicum Borbonium, Episcopum Leodiensem. Hujus meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Histor. pag.* 837. *num.* 16254.
9. *De Perseo*, *Jovis filio*, Lib. III.
10. *Alia complura.*

Hubertum Leonardi memorant *Acta Consistorialia Sixti IV.* ad an. 1474. die 16. Novembris. *Lib. LXXX. Bullarum Innocentii VIII. fol.* 11. ad an.

H.

1489. *Lib. XXXV. Bullarum Alexandri VI. fol.* 58. Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap.* 902. Bartholomæus Fisen, in *floribus Ecclesiæ Leodiensis*. Gerardus-Joannes Vossius, *Lib. III. de Historicis Latinis, cap. 6. pag.* 573. Martinus Zeillerus, de *Historicis, Chronologis, Geographis.* Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali, fol.* 337. *verso.* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro, tomo* 1. *pag.* Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica, pag.* 488. ubi perperàm anno 1478. obiisse dicitur. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis, pag.* 349. Cæsar Egassius Balæus, in Historia Universitatis Parisiensis, *tom. 5. pag.* 883. *lin.* 34. Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Angliæ, Cent. VIII. cap.* 50. *in Appendice.* Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 836. Abraham Bzovius, *ad an.* 1532. *num.* 34. & 35. *ad annum* 1535. *num.* 30. Idem, *ad ann.* 1534. *num.* 91. & 92. Joannes Riochè, in *Compendio Historiarum.* Renatus Choppin in Monastico, &c. *Histor. Universitatis Parisiensis, tomo 5. pag.* 883.

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 35. Joannes-Baptista de Lezana, *ad ann.* 1490. *num.* 2. *pag.* 973. Ignatius à S. Francisco, Prior Leodiensis, in *Schedis Mss.* quibus usus est Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 160. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 368. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmel. pag.* 928. *num.* 3250.

LXXIII.

HUBERTUS A VIRGINE, natione Gallus, Provinciâ Andinus, patriâ Flexiensis, in seculo JOANNES BIDAUT nuncupatus, Provinciæ Carmelita Turoniæ, exactissimæ Regularis praxi omnibus venerabilis, Regulæ suæ, Constitutionomque suarum adeò scrupulosus si dicere licet, observator; ut vel minima momenta aut unum apicem negligere, criminosum sibi arbitraretur. Tanta erat ejus Conscientiæ puritas, ut nihil ipsâ reluctante aggredi usquam ausus fuerit. Justitiæ, severitatisque divinæ timidus & tremens auscultator, judicia Domini vera justificata in semeripsa formidabat extrà modum; Deum multis, hominesque paucis alloquens sermonibus, orationi ac Lectioni jugiter incumbebat. Decessit in Carmelo Turonensi, clarus famâ sanctitatis, die 22. Julii, anno 1686.

Scripsit *summam Theologiæ Moralis*, quæ prodiit.

Hæc refert Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Ms. Virorum Illustrium Provinciæ Turoniæ, pag.* 27.

LXXIV.

HUGO DURAND, natione Burgundus, patriâ Cabilonensis, Carmelita Provinciæ Narbonæ alumnus, variis in Conventibus Prior, Linguarum Hebraicæ, Grecæ, & Latinæ peritus: Vir Musarum amator, qui Bibliothecam Carmelitarum Cabilonensium variis Voluminibus adornavit; dum ad Terram sanctam iter intenderet, obiit in Regno Siciliæ, anno 1593. non verò anno 1580. uti scribitur errore Typographico, in *Lib. I. de Claris Scriptoribus Cabilonensibus, pag.* 34. per Ludovicum Jacob scripto; & indè in Bibliotheca Authorum Burgundiæ, Gallicè edita, *tomo 1. pag.* 193. At verò Longius recessit R. P. Philippus Chaudeau à S. Claudio, scribens nostrum Hugonem Durand obiisse anno 1576. Scripsit,

Necrologium, seu Catalogum Patrum ac Fratrum Carmelitarum Cabilone quiescentium; quorum nomina Liber vitæ *conscripta detinet.* Extat Ms. Cabilone in Bibliotheca Carmelitana: Et Apographum Ms. penès Ludovicum Jacob fuit quondam, qui & illud auxit, id ipsum ut ipse testatur, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 160. ubi & correxit errorem Typographicum, qui irrepserat in Lib. I. de Claris Scriptoribus Cabilonensibus, *pag.* 34.

Hugonem Durand alii qui posteà laudarunt, in primis recensentur Philippus Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum, pag.* 209. Antonius Teisserius, in *Catalogo Authorum, pag.* 138. Philibertus Papillon, in *Bibliotheca Authorum Burgundiæ, tomo* 1. *pag.* 193. Philippus Chaudeau à S. Claudio, Carmelita, in *Schedis Ms.* ad nos Lugdunn Aureliam missis, die 2. Julii 1741.

LXXV.

HUGO à S. FRANCISCO, natione Gallus, patriâ Andegavensis, Carmelita provinciæ Turoniæ alumnus, Rhedonibus anno 1622. die 16. Octobris professus, posteà Magister Noviriorum per decem & amplius annos factus, variis in locis Prior, pluries Definitor, plurimam ad jus Alternativæ in electionibus servandæ tuendum operam navavit; adeò ut in Concilio Generali Romæ celebrato, anno 1660. minis castigationis, æquè ac R. P. Marcus à Nativitate fuerit tentatus & notatus. Adfuit nihilominùs, & præsens interfuit ceu discretus Andegavensis, Congregationi Provinciali, quam R. P. Magister Hieronymus Ari, Prior Generalis, hanc ad firmiter stabiliendam habuit Rhedonis anno 1663. die 29. mensis Octobris; cujus Decreta confirmavit Alexander VII. In agendis rebus Hugo non solùm magnâ dexteritate pollebat, sed pietate insigni & eruditione sanctâ: vitæ cursum Andegavi adimplens anno 1667. relictis Operibus plurimis, idiomate Gallico editis, quorum tituli inscribuntur,

1. *Meditationes affectivæ ad perfectionem Christianam acquirendam.* Andegavi, apud Petrum Yvain, 1658. quatuor voluminibus *in-8°*. Ad Antoniam du Puy, Abbatissam B. V. Mariæ de Charitate du Ronceray.

2. *Actiones Religiosæ, & pia exercitia in spiritu interiori, à Monialibus de Ronceray in praxim redacta.* Andegavi, apud Petrum Avril, 1648. *in-16.*

3. *Historia & Miracula B. ANNÆ, Monasterii Carmelitarum Observantiæ Rhedonensis, patrata.* Corisopiti, 1635. *in-8°*.

4. *Vera idea Superioris Religiosi: seu vita Venerab. P. Philippi Thibault, Carmelitarum Franciæ Reformatoris.* Andegavi, apud Petrum Yvain, 1663. *in-4°* ad R. P. Magistrum Hieronymum Ari, Priorem Generalem, & Commissarium atque Visitatorem Apostolicum Ordinis Carmelitarum. Hujus vitæ meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Historica Franciæ, pag.* 277. *num.* 5959.

5. *Effata seu Sententiæ & Institutiones Spirituales Venerab. P. Philippi Thibault, ad perfectionem vitæ Religiosæ in omnibus Statibus acquirendam.* Ibidem & eodem anno, atque anno 1665. *in-4°*.

Hugonem à S. Francisco commendant Acta publica Provinciæ Turoniæ, circà *Concordatum cum Monialibus in Armoricâ*, quod confirmavit Urbanus VIII. anno 1639. die 14. Februarii; prout legere est in *Bullario Carmelitarum, tomo 2. pag.* 475. Acta publica Capituli *Provincialis Nannetensis anno* 1558. *celebrati die* 17. *Maii*, in quo declaratur Hugo à S. Francisco per decem annos Magister Noviriorum extitisse. Henricus Spondanus, *ad annum* 1620. Leo à S. Joanne, *in Delineatione*

Observantiæ Rhedonensis, *Cap*. 31. *pag*. 171. Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum*, *Galliæ*, *Lib. I. Cap*. 30. *pag*. 92. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitanâ Mſ. pag.* 161. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vineâ Carmeli*, *pag*. 314. *num*. 593. Idem, *tomo ſecundo Speculi Carmelitani*, *pag*. 1090. *num*. 3038. Licinius à S. Scholaſticâ, in *Præfatione ad vitam Venerab. P. Philippi Thibault*. Colombanus à Noſtrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. virorum illuſtrium Provinciæ Taroniæ*, *pag*. 23.

LXXVI.

HUGO DE S. NEOTO, natione Anglus, in Cœnobio Carmelitarum Hubinenſi, Comitatûs Nortfordenſis Profeſſus, Cantabrigiæ multo tempore ſtudiis melioribus diligenter invigilans, tandem poſt emenſum laudabiliter illum curſum, Theologiei Doctoratûs inſignibus ibidem ſolemniter donatus eſt. Theologiam inter ſuos ſodales aliquando docuiſſe dicitur, & inſignis divini Verbi Preco, frequentes apud Populum Sermones habere ſolitus, migravit Huchini anno 1340. die 8. Septembris. Pietatis, ingenii, doctrinæ hæc ſequentia monimenta, ad poſteritatis utilitatem reliquit:

1. *In Evangelium S. Lucæ Commentaria*, Lib. I. Incipit: *Beatus Lucas iſtud Evangelium*. Horum meminerunt Sixtus Seoenſis, *Lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ*. Jacobus Lelong, *tomo* 2. *Bibliothecæ Sacræ*, *pag*. 785. *Col*. 1. *Lib. ult.*

2. De Conceptione B. V. Mariæ, Lib. I. Incipit: *An Beata Virgo fuerit*, *&c.*

3. *Sermones per annum*, Lib. I.

4. *Quæſtiones diſputatas*, Lib. I.

Hæc Joannes Lelandus, Pitſeus, Balæus, *De Scriptoribus Angliæ*: ſcilicet Pitſeus, *Cap*. 387. obi eum obiiſſe dicit anno 1341. Balæus, *Cent. v. Cap.* 29. Pitſeus, *pag*. 439. Joſias Simlerus in *Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ*: Hippolytus Marraccius, *in Bibliotheca Mariana*: Petrus de Alva, in *Militiâ immaculatæ Conceptionis*: Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliothecâ mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag*. 882. Joannes-Baptiſta de Lezana, *tomo* 4. *ad an*. 1340. *num*. 4. *pag*. 569. obi notat quod videtur Hugo de S. Neoto eſſe idem, quem Nicolaus Harpsfeldius in ſuâ *Hiſtoriâ Anglicanâ* vocat Hugonem Huchinenſem. Antonius Poſſevinus, in *Apparatu ſacro*: Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag*. 161. Alegreus Caſſanatus, in *Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag*. 288. Franciſcus Bonæ Spei, *in viſione Eliæ*, *&c.*

LXXVII.

HUGO PARISIENSIS, cujus cognomen nondum innoteſcit, Carmelita Pariſienſis, Doctor ac Profeſſor, circa annum 1420. Epiſcopus Sedis hactenùs ignotæ ſcripſit, prout indicant Tempora,

1. *In Magiſtrum Sententiarum*, Lib. IV.

2. *Determinationes varias*, Lib. II.

3. *Quodlibeta*, Lib. I.

Hæc referunt Philippus à S. Jacobo, Emmanuel Roman, Alegreus Caſſanatus, *in Paradiſo Carmelitici Decoris*, *pag*. 331. Ludovicus Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag*. 162.

LXXVIII.

HUGO SALVENE, [Franciſcus] perſona eſt cujus nomine HENRICUS SALART, Gallus, Carmelita Provinciæ Narbonæ, edidit Podii Vellaunorum, apud Andream de la Gardè, anno 1660. Librum Gallico Idiomate:

Le ſouverain Remede pour appaiſer l'ire de Dieu, en tems de peſte, guerre & famine, & être délivrez de ces fléaux; & pour obtenir ſecours en toutes afflictions & néceſſités; avec un petit avis aux Confreres du Saint Scapulaire, & quelques prières de dévotion. Composé par François-Huges Salvene, Confrere. Au Puy en Velay, chez André de la Garde, 1660. Cæterùm videnda ſunt *pag*. 490. & 629.

LXXIX.

HUGO SCOTUS, à natione ſic dictus; Carmeli Æreenſis Prior, Michaëlis Scoti Medici & Mathematici præſtantiſſimi auditor: Vir magnis ingenii dotibus clarus; & teſte Dempſtero, illuſtre Ordinis ſui ſydus, & omnium ſuo ſeculo Mathematicorum doctiſſimus, ſcripſit circa annum 1341.

De Judiciis Nativitatum, *Mſ*. Lib. I. Extabat Mſ. quondam Pariſiis in Bibliotheca viri ampliſſimi Domini Alexandri Petavii, in ſuprema Cotia Senatoris.

2. *De Conjunctione Planetarum*, Lib. I.

De certa Stellarum Revolutione, Lib. I.

4. *De duodecim domibus cœleſtibus*, Lib. I.

5. *Apologiam pro ſemetipſo*, Lib. I. Qui Mſ. aſſervatur in Biblioth. Dom. Petavii, ut animadvertit Ludovicus Jacob, in ſuâ *Bibliothecâ Carmelitanâ Mſ. pag*. 162. ubi teſtem Operum Hugonis Scoti adhibet Thomam Dempſterum, *Lib. VIII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis Scotorum*, *pag*. 360.

In Bibliotheca Laurentiana Medicea Codex Mſ. aſſervatur nomine *Hugonis Geomantia*; ſicut refert Dominus Bernard de Montfaucon, in *Bibliothecarum Manuſcriptorum tomo* 1. *pag*. 237. *Col*. 2. *D.* Et in Bibliotheca S. Gatiani Turonenſis aſſervatur Codex Mſ. nomine, *Magiſtri Hugonis*, *de virtutibus herbarum & Arithmetica*; teſte eodem Dom. de Montfaucon, Ibid. *tomo* 2. *pag*. 1276. *Col*. 2. *num*. 307. Lodovicus Perez de Caſtro, eadem aſſerit in ſuis *Collectaneis Mſſ. folio* 210.

LXXX.

HUGO DE VERNECO, natione Occitanus, patriâ Narbonenſis, Carmelita Cœnobii Æmiliani, Provinciæ Narbonæ addicti, & in Diœceſi Rutenſi ſiti, Alumnus: Doctor Teologus Pariſienſis ac Profeſſor, Provinciæ Narbonenſis primùm anno 1330. poſt *Raymundum Tabuleum*, Prior Provincialis electus, deindè anno 1339. poſt *Hugonem de Falcandis* iterùm electus; deceſſit Lutetiæ Pariſiorum anno 1340. Scripſit,.

1. *In Magiſtrum Sententiarum*, Lib. IV.

2. *Determinationes Theologicas*. Lib. I. *& alia*:

Illum memorant Joannes Triſſa, Nemauſenſis Carmelita, in *Catalogo Carmelitarum Doctorum Pariſienſium*. Joſias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Geſnerianæ*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag*. 162. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Carmelitarum Scriptorum*, *pag*. 77.

LXXXI.

HUGO VIRLEIUS, aliquandò BIRLEIUS; aliquandò THOMAS WERLEIUS, nobilis Anglus, Carmeli Norwicenſis alumnus, Academiæ Oxonienſis doctor Theologus & Profeſſor, *non ſine magno auditorum applauſu*, inquit Antonius à Wood. Vir enim felicis ingenii, bonarum artium &

H.

& literarum ita cupidi, ut egregiè comparatas scientias summâ cum laude palàm explanaverit. In Scholasticis studiis, necnon sacris scripturis indefessè applicatus, tantæ lectionis erat, ut vix aliquid inter antiquissimos auctores lectu dignum, diligentiam ejus effugerit. Undè in intellectu multiplex cognitio, in stylo puritas, selectior verborum ornatus, profunda rerum eruditio, Sententiarum gravitas, Sermonis magnifica & congrua sublimitas, elegans imò & frequens in concionibus facundia, Religiosum indicabant mirabilem, & hominem omnibus amabilem ornabant, qui mortalium viam ingressus est anno 1344. Ejus opera inscribuntur :

1. *Figuræ Historiarum*, Lib. I. Incipit : *Literalis sacræ Scripturæ sensus.*

2. *Commentaria in Evangelium S. Matthæi*, Lib. I. Incipit : *Gesta Spectabilia celeriter.* Horum meminit Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliothecæ sacræ.*

3. *Collectiones XVIII.* seu *Allegoriæ in eumdem Matthæum*, Lib. I. Incipit : *Reminiscamini quia ego, &c.* Harum meminit Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra, pag.* 486.

4. *Prælectiones in Epistolas Divi Pauli*, Lib. I. Harum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag.* 1005. *col.* 2. *C.*

5. *Lectiones Scripturarum*, Lib. I.

6. *Placita Theologica*, Lib. I.

7. *Sermones per annum*, Lib. I.

8. *Determinationes nonaginta sex*, Lib. I. Incipit : *Ignorantia an fuerit causa.*

9. *Quæstiones ordinariæ*, Lib. I. Incipit : *utrùm solis Dei amicis conferatur, &c.*

10. *Historia Præterburgi*, Lib. I. Hujus meminit Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro, tomo* 2. *pag.* 64.

Hugonem Verleium præclarè laudant Joannes Balæus, Catalogo *de Scriptoribus Angliæ*, *Centuriâ V. cap.* 52. *pag.* 418. ubi *figuras Historiarum* vocat *Opus nobile :* utpotè in quo collegit Hugo pulcherrimas imagines haustas ex Plinio, Josepho, Justino, Trogo Pompeio, Herodoto, Quintiliano, Aulu-Gellio, Suetonio Tranquilio, Valerio Maximo, Methodio, Hilario, Augustino, Hieronymo, Isidoro, Eutropio, Martino Carsulano, Bartholomæo Glaunule, Rogero de Cestria, atque ex aliis eâ tempestate Auctoribus.

Alii, qui laudibus celebrant Verleium, sunt Joannes Lelandus & Joannes Pitseus, Libro *de Scriptoribus Angliæ*, Nicolaus Harpsfeldius, in *Historia Ecclesiastica Angliæ :* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesneriana :* Augustinianus, in *Scripturali ;* Guillelmus Eiseingrenius, in *Catalogo testium veritatis.* Andreas Saulayus, in *serie Chronologica pro Immaculata Conceptione, Lib. III.* Petrus de Alva, in *Militia* ejusdem *Immaculatæ Conceptionis :* Hyppolitus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana :* Antonius à Wood, in *Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis, tomo* 1. *pag.* 103. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 3. *pag.* 882.

E Carmelitis, Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1340. *num.* 5. *pag.* 579. Ubi notat quòd videatur Hugo de S. Neoto esse idem, atque is quem Nicolaus Harpsfeldius vocat Hugonem Huschinensem. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 35. *versâ.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 288. Franciscus Bonæ Spei, *in visione Eliæ.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana, Ms. pag.* 162. Augustinus Biscaretus, in *Palmitibus Mss. vineæ Carmeli, folio* 85. Ludovicus Perez de Castro, in *Codice* 2. *Ms. Provinciarum Ordinis Carmelit. folio* 67. Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitano Ms. ad annum* 1344. *&c.*

LXXXII.

HUNFREDUS NECTONUS, sivè UMFRIDUS NEKTON, Anglus, patriâ Norfolcensis, Cœnobii Norwicensis alumnus ; qui anno 1259. in inclyta Cantabrigiæ Academia, primus Anglorum Carmelita summum Doctoratûs gradum promeruit, ut indicat Joannes Lelandus hoc disticho :

Laudibus Umfredum meritis super astra feramus,

Cui data Gratanæ laurea prima Scholæ.

Hic Pater fidem ac Sedem Catholicam & Apostolicam, eruditione & morum probitate clarus, solidè doctus, disputator subtilis, & concionator vehemens, piè promovit. Guilielmo Ludharno, Academiæ Rectori, posteà Episcopo Eliensi valdè charus ; obdormivit in Domino plenus dierum & bonorum operum, Norwici anno 1303. Scripsit,

1. *Sermones Dominicales*, Lib. I. Incipit : *Omne debitum dimisi tibi.*

2. *Quæstiones Theologicas XIV.* Lib. I.

3. *Lecturas Scholasticas*, Lib. I.

4. *Alia quæ nos latent.*

De Humfredo Nekton, sive Nechoduno agunt Joannes Lelandus, *de Scriptoribus Angliæ, cap.* 308. Balæus ibidem, *Cent. IV. cap.* 24. Pitseus ibidem, *pag.* 388. Nicolaus Harpsfeldius, in *Historia Ecclesiast. Anglic.* Josias Simlerus, Possevinus, Jacobus de Plebe, in *Indice Scriptorum Carmelitarum ;* Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 80. Lezana *ad ann.* 1259. *num.* 6. *& ad ann.* 13[illegible] *num.* 4. *pag.* 378. *&* 481. Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelitana Ms. pag.* 163. Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tom.* [illegible] *pag.* 889. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 277. *&* 305. ubi duos ex [illegible] uno Humfredos Nektonum, & Neckionum con[illegible] Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1116. *num.* 3945. *Ibid. pag.* 434. *num.* 1527.

LXXXIII.

HYACINTHUS AB ASSUMPTIONE, Delphinas, Avenione professionem emisit apud Carmelitas Excalceatos, anno 1656. die 8. Septembris : Concionator insignis, ibidem obiit anno 1691. Ex Italico in Gallicum idioma transtulit

Vitam V. M. Claræ Mariæ a Passione ; ex familia Romana Columna, Fundatricis Monialium Teresianarum Monasterii Reginæ Cæli, Romæ. Avenione 1687. *in-4°.* Sicuti legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 207.

LXXXIV.

HYACINTHUS A CRUCE, natione Gallus, provinciâ Picardus, Diœcesi Bellovacensis, Carmelita Excalceatus, Prior Attrebatensis, anno 1646. Nivernensis, anno 1649. qui Burdigalensis fuerat anno 1628. Meldensis anno 1631. Concionator suo tempore clarus, scripsit *Relationem fundationis Conventûs Monialium Teresianarum Comberii apud Allobroges.* Quâ usus est Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Regni Galliæ, Lib. I. cap.* 14. *&* 15. Ibidem sæpiùs loquitur de nostro Hyacintho, scilicet eod. *Lib. I. cap.* 52. 53. 57. 60. 61. 91. 103. *&* Lib. II. *cap.* 11. *&* 29. ut notat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmel. Ms. pag.* 163.

H.

LXXXV.

HYACINTHUS A CRUCE, Turonensis, in sæculo N. Chavissé dictus, Rhedonensis observantiæ fidissimus sequax Carmelita, miræ vir innocentiæ, profundæque humilitatis, gloriæ Dei, & animarum salutis zelosissimus, utramque & procurare, & dilatare nihil magis in votis habuit. Subesse potiùs quàm præesse cupiens, Prioris vices electus exercere semper renuit. Rusticos fidei rudimentis imbuere, nihil magis ardebat. Maturus Cœlo, devixit solo sexagenarius Turonensi in Carmelo, die undecimâ Junii, anno 1710. non sine opinione summæ virtutis, præsertim orationis & sensuum mortificationis, quos catenarum ferrearum & cilicio, & subuculæ continuâ, intimàque gestatione macerabat. Quod vidimus duorum ferè annorum spatio, hoc testamur; & Scriptorem ejus laudum habemus Columbanum à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum illustrium Provinciæ Turoniæ.*

LXXXVI.

HYACINTHUS DURATZIUS, Polonus Carmelita, religione & literis clarus, edidit circà annum 1610. *Historiam Imaginis Miraculosæ B. V.* quæ *Cracoviæ* apud Carmelitas in *Arenis* seu *Violeto* honoratur; cujus meminit Bonifacius IX. in confirmatione fundationis hujus Conventûs, anno 1413. Uladislaus Poloniæ Rex VI. & anno 1430. & Uladislaus VII. anno 1444.

Historia istius Imaginis & miraculorum ibi patratorum, posteà scripta fuit à perillustri Domino Nicolao Grodzinski, Regii Secretario, postmodùm aucta & typis edita est Cracoviæ anno 1669. Ibi imprimis traditur Carmelitani Cœnobii Cracoviensis fundatio per Uladislaum V. Poloniæ Regem, & Hedvigim Reginam consortem, facta anno 1397. extrà Urbem Cracoviam in parte Occidentali, in loco nuncupato ad *Arenas*: Indè Imagini Divæ Virginis inditum nomen in *Arenis*, & à Violis in *Violeto*. Vide *Speculum Carmelit. tomo 1. pag. 661. num.* 2525. Lezanam *ad ann.* 1494. & 1497.

Hyacinthum Duratzium laudant Hyppolitus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana.* Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*; Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmel. Mſ. pag.* 163. Alexander Kositius, Carmelitarum Poloniæ Provincialis, in *Relatione Mſ.* de qua Lezana loco citato.

LXXXVII.

HYACINTHUS A S. LAURENTIO, natione Gallus, patriâ Andinus, Provinciæ Turoniæ alumnus, non sine miraculo in Carmelum à Deo directus, à Patre luminum plusquàm ab hominibus instructus, scientiâ Sanctorum; de illa notitiam habuit insolitam. De adorando Eucharistiæ mysterio, de Virginis Dei-paræ excellentiis adeò sublimiter eloquebatur, ut non homo, sed Angelus discurrere crederetur. Sed heu! tam religiosa & sancta nobiscum Conversatio brevis. Nam vix per decennium in Carmelo commoratus, explevit tempora multa: & placens Deo factus ac dilectus, Epidimiæ morbo, sed felici transitu, cui terra contagiosa lues, ad cœlestem habitationem directus est *Andegavi*, anno 1636. Scripsit Gallico idiomate,

1. *Collectanea de Adoratione SS. Eucharistiæ*; Lib. I. Mſ.

2. *De Virtutibus & Excellentiis B. V. Mariæ*; Lib. I. Mſ.

Hunc celebrant Mathurinus Aubron, *in Annalibus Mſſ. Provinciæ Turoniæ*: Bonifacius à S. Euphrasia, in *Menologio Carmelitarum Observantiæ Rhedonensis, pag.* 15. & 16. Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Mſ. Carmelitarum Illustrium Provinciæ Turoniæ, pag.* 18.

LXXXVIII.

HYACINTHUS A S. JOANNE-BAPTISTA; aliàs PETIT, Carmelita, Provinciæ Germaniæ inferioris alumnus, in Diœcesi Trevirensi ortus; Philosophiæ Lector, sacræ Theologiæ Magister, ac S. Officii Qualificator, aliisque suæ Religionis muneribus egregiè functus est, à Clemente XI. anno 1717. tertio Idus Februarii creatus est Episcopus Heliopolitanus, & Suffraganeus Osnabrugensis, ad Officia Pontificalia ibi exercenda, & anno 1718. die 9. Aprilis ab eodem summo Pontifice Vicarius Apostolicus Missionum Septentrionalium deputatus, ut attestantur Literæ Apostolicæ ad hæc datæ, quæ prodierunt *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 763. & 706.

J.

I.

JACOBUS A S. ANTONIO, Bruxellis natus, in seculo OLIMAERT dictus, Carmelita, non minori scientiâ quàm Religione clarus, annis pluribus Lector Philosophiæ, ac Lovanii Professor Theologiæ, sæpiùs Prior ac Definitor, interim Assistens Provincialis, posteà ipse Provincialis Flandro-Belgicæ; & anno 1677. Prior Bruxellensis: vir in Jure Canonico potissimùm versatus, summo Pontifici Innocentio XI. dum Romæ degeret, non infimè charus, à quo & benigna suæ Sanctitatis monimenta benevolentiæ non semel accepit. Diem extremum clausit *Antuerpiæ* anno 1703 die 17. Augusti. Plura edidit Opera, quæ inscribuntur,

1°. *Consultationes Canonicæ, pro Regularium præsertim Mendicantium, à Jurisdict. Ordinariorum post Concilium Tridentinum exemptione: ubi etiam agitur de dotibus Religiosarum contrà M. Ant. Godefroy, per P. Jacobum à S. Antonio, Carmel.* Lugduni, apud N. Brisset, anno 1680. *in-8°.* Citatur hæc editio in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 208. *num.* 2304. Item,

Consultationes Canonicæ pro Regularium, præsertim Ordinum Mendicantium à Jurisdictione Ordinariorum post Concilium Tridentinum exemptione, cum Appendice per Fr. Jacobum à S. Antonio, Carmelitam. Coloniæ Agripp. apud Petrum Alstorff, 1682. *in-4°.* Hæc Editio citatur in *eadem Bibliotheca Telleriana, pag.* 175. *num.* 1158. Hoc Opus ungue critico vellicare tentans Nicolaus Lenglet, in *Catalogo Autorum Juris Canonici, pag.* 188. ait: *hic Monachus est, qui Privilegia Regularium comprobare quæsivit.* Æquiùs loqui videtur Zegerus Bernardus Van-Espen, Lib. de *Simonia, cap.* 9. §. 12. carpens hæc verba nostri Jacobi, *Consult.* 2. *Resol.* 4. dicentis: *Regulares Mendicantes possunt in suis Ecclesiis SS. Eucharistiæ Sacramentum à populo adorandum publicè exponere absque licentiâ Ordinariorum.* Contrarium enim Innocentius XI. expressè determinavit anno 1682. die 20. Maii, in Confirmatione Concordati inter Illustriss. Dom. Dom. Humbertum de Precipiano, Archiepiscopum Mechliniensem, & Regulares exemplo simili; sicut legere est in *Bullario Carmelitarum, tomo* 2. *pag.* 630.

2. *Appendix consultatoria, in qua deducitur in primis quantam fidem ac observantiam universi Catholici debeant Bullis, Brevibus, Constitutionibus, Decretis, &c. summorum Pontificum, necnon Declarationibus Eminentiss. D. D. S. R. E. Cardinalium.* Coloniæ Agrippinæ, anno 1682. *in-4°.*

3. *Repagulum Canonicum, contrà Clariss. D. Zegerum Bernardum Van-Espen.* Coloniæ Agrippinæ, 1689. *in-12.*

4. *Amussis Eupistiona: seu Regula facilis: Item Resolutio, an mutuæ conventiones circà dotem Puellarum ingredientium Monasterium sint Simoniacæ. Et quædam alia.* Coloniæ, 1684. *in-12.*

5. *Dissertatio Regularis*, circà eamdem materiam. Ibid. eod. anno 1684. *in-8°.*

6. *Exercitia Spiritualia Religiosis in anno decem dierum secessu propria.* Antuerpiæ, Typis Cnobbarianis, anno 1695. *in-12.* Flandricè.

7. *Exhibitio originalis, essentialis & practica tertii Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo.* Flandricè. Antuerpiæ, iisdem Typis Cnobbarianis, anno 1691. *in-8°.*

8. Eidem Autori adjudicatur *Liber pro cultu Dei-paræ Virginis Apologeticus*, peculiariter ex R. Petri Canisii Operibus concinnatus, suppresso nomine: Mariæ Cathol. verè Bruxellis, ubi tum Prior agebat, anno 1675. *in-8°.* In illo Libro probatur *consonantia Monitorum salutarium B. V. Mariæ ad suos cultores, devotos indiscretos* cum *Hæreticis.*

Hæc leguntur *in Schedis Mss.* quas ad nos Bruxellis Aureliam mittere dignatus est R. P. Illuminatus à S. Spiritu, anno 1741. die 13. Augusti. Ultimi Operis solummodò mentionem habet Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 4. *num.* 3936. Quià reapsè antè obitum dicti Danielis anno 1678. defuncti aliud Jacobi à S. Antonio nullum opus prodierat. Norunt autem omnes Librum cui titulus est: *Monita salutaria B. V. Mariæ ad suos cultores indiscretos.* Gandavi editum Typis Francisci d'Erekel, anno 1673. fœtum esse Adami Widefeld, Jurisconsulti Coloniensis, qui unus censebatur inter Conciliarios Comitis de Schwarzenberg, à cultûs sinceri atque Catholici B. V. Mariæ hostibus delosi. Gallico sermone hunc librum donavit Dom. Gabriel Gerberon, Ordinis S. Benedicti Monachus; sed censurâ confixum ab Academiâ Moguntinâ, anno 1674. mense Maio, ab Inquisitione Romanâ die 19. Junii, ab Inquisitione Hispanâ die 27. Novembris; tandem die 22. Junii anno 1676. cum notis, annotationibus, vindiciis, & probationibus quibuscunque prohibitus fuit à summo Pontifice, ut patet ex *Indice Romano Librorum prohibitorum, pag.* 198.

Ad Monitorum salutarium doctrinam tuendam nihil non moliti sunt Novatores, quibus haud dubiè annumerandi accurrunt dictus Gabriel Gerberon, Paschasius Quesnellus, in libello Gallicè inscripto: *Memorial contenant &c.* A. Delft 1697. *in-12. pag.* 63. Vincentius Placcius, in *Theatro de Anonymis, pag.* 135. *num.* 798. *A.* Petrus Bayle, in *Dictionario critico*, verbo *Abelly.* Joannes-Fridericus Meyer, in *Epistolâ ad Vincentium Placcium*, quæ prodiit ad calcem Theatri de Pseudonymis, *pag.* 91. & in *Theatro de Anonymis, pag.* 135. *num.* 798. citato. » Liber utilissimus, inquit *Meyer*, in quo Maria » cultum sui superstitiosum per ipsos Cultores deprecatur, quem nos aliquando edidimus, laudatus & » approbatus Petro de Wallemburg, Wernero Francken, Gotofredo Molano, aliisque Doctoribus Pontificiis: Monita defensa per Gilbertum, Episcopum

» Tornacensem, in Epistolâ Pastorali, prodierunt » *illa Monita* per Adamum Widefeld, Jurisc. Colo- » niensem, qui & sua esse agnovit & professus est.

Historiam horum *Monitorum salutarium* fusiùs descriptam legere est apud P. Davrigny, in Opere Anonymo Gallicè inscripto: *Mémoires Chronologiques, &c. tomo* 3. *pag.* 113. apud P. Michaëlem Tellier, in Opere Anonymo Gallicè inscripto: *Recueil Historique des Bulles, &c. pag.* 454. apud Illustriss. Dom. Carolum Duplessis d'Argentré, in *Collections Judiciorum, tomo* 3. *pag.* 338. apud Clariss. Dom. N. Goujet, S. Jacobi Hospitalis Parisiensis Canonicum, in *Supplemento Dictionarii Moreriani*, Gallicè edito anno 1735. *tom.* 1. verbo *Gerberon*, &c.

II.

JACOBUS AB ASCENSIONE, *Jonsaci* Santonensium oppido, die 27. Maii, anno 1674. infectis Calvinianâ Hæresi parentibus ortus, ac ab eis in ea educatus, divino illustratus lumine, ad fidem Catholicam conversus, inter Carmelitas Excalceatos vehementer & sollicitè admitti postulans, variis præmissis probationibus, voti compos factus, *Burdigalæ* in Conventu *S. Ludovici*, habitu Religionis indutus, in eodem solemnem professionem emisit. Religiosæ observantiæ cultor eximius fuit usque ad mortem, quæ contigit *Engolismæ*, die 17. Januarii anno 1716. scripsit Gallico idiomate,

1. *Meditationes Mysteriorum Passionis Christi.* Tolosæ, anno 1702. *in*-12.

2. *Opusculum de Virginitate.* Tolosæ, anno 1707. *in*-12.

3. *De Mediis & necessitate, se præparandi ad mortem.* Tolosæ, anno 1712. *in*-12.

4. *De quatuor Novissimis, Meditationes.* Coloniæ, *in*-12.

5. Præter hæc Gallicè edita, scripsit *Tractatum Controversiarum contrà hæreticos*, &

6. *Exhortationes paræneticas in Regulam Carmelitarum:* sed morte præventus non potuit edere, prout refertur, in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 207. Jacobus Barralius, Episcopus, anno 1462. de quo Cassanatus, *pag.* 397.

III.

JACOBUS ALBERTI, Thusciæ Provinciæ alumnus, & sacræ Theologiæ Professor, cum Religionis Carmelitanæ rigor in aliquibus partibus, ob bella, , schismata, & fragilitatem humanam notabiliter declinasset, primus ipse strictiorem Regularem observantiam in multis locis collabentem, suo exemplo & doctrinâ, feliciter instauravit anno 1413. in Conventu Sylvarum, Diœcesis Florentinæ, in quo Prioris munus exercuit usque ad annum 1419. & obiit anno 1426. primordia Congregationi Mantuanæ conferens: de quo extat hæc memoria:

D. O. M.

Pater JACOBUS ALBERTI, *Sacerdos & Lector, hujus Conventûs filius, primus inceptor Observantiæ Sylvarum, plenus dierum tam in sæculo quàm in Religione, obiit Sylvis anno* 1426. *die vigesimâ quintâ Junii.*

Scripsit,

1. *In IV. Libros Magistri Sententiarum Commentaria.*

2. *Statuta pro Regimine Conventûs Sylvarum.* De illo mentionem habent *Acta* communia *Mss. Provinciæ Thusciæ.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad an.* 1413. *num.* 2. & ad *ann.* 1426. *num.* 5. *pag.* 776. & 807.

IV.

JACOBUS à BRUGIS, cognomento MASIUS, nomine Flander, patriâ Brugensis, Carmelita, Doctor Theologus Parisiensis, circà annum salutis 1314. renunciatus: Vir ingenio subtilis, & non doctrinâ minùs, quàm pietate celebris: Philosophus excellens: Godefridi Cornubiensis, Carmelitæ Doctoris Parisiensis, Discipulos. Id enim expressè testatur Joannes de Bachone, in 2. *Sententiarum dist.* 29. *Quæst. unica, art.* 1. ubi hæc habet: » Sequitur de secundo Articulo; ubi est intelligendum » quod isti volunt dicere, quod instante ratione » rectâ in particulari, non potest voluntas contra- » venire; quia quamdiu stat ratio in sua rectitudine, » necesse est voluntatem consentire, nec potest con- » travenire. Et iste intellectus videtur esse omninò Go- » defridi Quodlibeto VI. Quæst. IX. Et iste intel- » lectus videtur suorum maximorum Discipulorum » Joannis de Pola, Guidonis, & Jacobi Flemingi. » Primos duos audivi, & tertium vidi in Tractatu » quem fecit. Et dicunt, quod quamdio ratio stat in » rectitudine sua, non potest voluntas contravenire; » sed si debeat contravenire, oportet quod intellec- » tus cadat ab illâ consideratione rectâ & faciat ali- » quod novum Judicium. Scripsit autem Jacobus noster Flamingi seu Flander,

1. *De animæ impassibilitate*, Lib. I.

2. *De Intellectûs motu.* Lib. I. *Et alia.* Nec mirum cuiquam sit, tot & tam Illustres ex Anglia prodiisse Scriptores Carmelitas: Quia, ipso Balæo teste domestico, in sui Catalogi Conclusione de Scriptoribus Angliæ: *Pro lege tenebatur ex eorum Synodis, ut nullus apud eos pro Doctore haberetur, priusquàm ad communem eorum usum aliquod edidisset Opus.*

Jacobum à Brugis laudant Antonius Sanderus, de *Claris Brugensibus.* Idem, *tomo* 1. *Flandriæ Illustratæ, Lib. I. rerum Brugensium, cap.* 10. ubi notat illum Doctorem fuisse Parisiensem post annum 1314. Ludovicus Guicciardinus, in *Descriptione civitatis Brugensis.* Julianus Hasartus, Carmelita, in *Thesauro Carmelitico.* Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica, pag.* 505. Franciscus-Swertius, in *Athenis Belgicis, pag.* 358. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1310. *num.* 2. *pag.* 497. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 280. Catalogus Ms. *Doctorum Carmelitarum Parisiensium, ab anno* 1178. *ad annum* 1654. & in quo Jacobus noster dicitur Doctor Parisiensis, anno 1310. renunsiatus, quamvis ejus Magister Godefridus Cornubiensis dicatur, anno tantum 1320. Doctor Parisiensis factus; sed error manserit, nisi asseratur quod Godefridus Cornubiensis non fuerit ille Godefridus de quo loquitur Joannes de Bachone, Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 4. *pag.* 15.

V.

JACOBUS CALCUS, aliis CALEUS, natione Italus, patriâ Laudensis; utpotè *Laudo* natus (vulgò *Laudi*) in Urbe Episcopali sub Mediolanensi Archiepiscopatu, sic dictâ à quibusdam recentioribus, quæ ab aliis, & à veteribus etiam Laus Pompeia vocatur. CALCUS tamen à nonnullis vocatur Papiensis, quia in Academia Ticinensi, Collegio Doctorum Theologorum non solùm aggregatus, verùm

J.

verùm & publicus Professor edocuit. Imò » JACOBUM CALCUM sive CHALCUM inquit Clar. Philippus Argelatus, nobili sanguine natum Mediolani putabunt quotquot homines noverint Chalcam gentem omnino Mediolanensem esse; nisi fortè casu quodam Jacobus inter Ticinenses editus » fuerit in lucem : vel (quod probabilius existimamus) scriptor de Papia dictus reperiatur Cœnobitarum more, qui non semel à Regularis Professionis loco nuncupari consueverunt.

Jacobus Calcus Lutetiam Parisiorum missus, Scholasticos gradus assecuturus, Theologis sese Parisiensibus infeliciter adjunxit nonnullis, qui muneribus & largitione Angelottorum (quæ moneta erat Anglis familiaris) faverunt Henrici VIII. partibus Regis. Quapropter Jacobus à Priore Generali Nicolao Audet ad Rothomagensem Conventum pro carcere habendum relegatus est : sed instantibus Rege Christianissimo Francisco I. & Angliæ Oratore, licentiam obtinuit pergendi in Angliam; ubi Regis, Procerumque aliorum, necnon Oratoris Venetiarum favoribus protectus est : Patavino tamen in Capitulo Generali anno 1532. celebrato, ab Ordine exauctoratus, voce, loco, & gradu privatus, atque ad officia Ordinis penitùs inhabilis declaratus. Londini peste obiit anno 1533. die 19. Augusti; sicuti refertur in Libro communi Mſ. qui & *Papyrus Ordinis* vulgò appellatur, *fol.* 101-103.

Jacobus Calcus Opera scripsit quæ titulo insigniuntur,

1. *De Genealogia Christi*, Lib. I. Cujus meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 1213. *col.* 1.
2. *De filio hominis*, Lib. I.
3. *De spiritùs impunitate*, Lib. I.
4. *De Purgatorii loca*, Lib. I.
5. *De Primatu Romani Pontificis*, Lib. I. Incipit : *Rationi planè consentaneam.*
6. *Orationes elegantes*, Lib. I.
7. *Lecturæ Theologiæ*, Lib. I.
8. *De Divortio Henrici VIII.* Anglorum Regis. Aliàs : *Frater Jacobus Calchus, Carmelita, Henrico VIII. Regi. An potest superstes Frater Fratris relictam absque liberis uxorem ducere.* Ita citatur à R. P. Dom. Bernardo de Montfaucon, in Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum, *tomo* 1. *pag.* 689. *col.* 1. *num.* 16.
9. *Alia multa* universim nostro Calco adjudicant *Opera*, qui hunc memorant Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Angliæ*, *Cent. XIII. cap.* 46. Joannes-Jacobus Frisius, in *Bibliotheca Tigurina*, *pag.* 371. *col.* 2. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 2. *pag.* 73. Jacobus de Plebe, in *Indice Illustrium Carmelitarum.* Hieronymus Ghilinus, in *Theatro Illustrium Litteratorum* : Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula Universali Scriptorum Ecclesiasticorum, tomo* 3. *pag.* 246. Guillelmus Eiseingrenius, in *Catalogo testium veritatis.*

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 36. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus vineæ Carmeli Mſſ. fol.* 87. *verso.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 391. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 164.

VI.

JACOBUS CARRERAS, natione Hispanus, Provinciæ Aragoniæ Carmelita, Sacræ Theologiæ Magister, ad Capitulum Generale Romæ celebratum die 31. Maii 1716, legitimo impedimento detentus, cum accedere nequivisset, *Libellum supplicem* obtulit Clementi XI. ut omnibus & singulis prærogativis, præeminentiis, & præcedentiis, quibus Exprovinciales dictæ Provinciæ utuntur, frueretur. Annuit summus Pontifex, datis ad hoc litteris die 12. Junii, eodem anno 1716. quas legere est, *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 701.

VII.

JACOBUS CUPÆRUS, cognomento DE WALBECH, natione Belga, patriâ Geniensis, Carmelita, Doctor Theologus, Prior Moguntinensis, anno 1585. defunctus. Scripsit

Nonnulla Opera, quorum titulos non exhibet; qui de illo mentionem habet *Catalogus Mſ. quorumdam Carmelitarum Authorum Germanorum*, quem penes se habuisse testatur Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 165.

VIII.

De JACOBI EMANS Vita & Scriptis, *DISSERTATIO.*

JACOBUS EMANS, natione Ubius, Coloniæ natus, anno 1604. die 5. Octobris, ibi apud Carmelitas professus, anno 1622. Doctor Theologus, anno 1639. promotus, in eadem Academia Coloniensi Professor publicus Cathedraticus, Facultatis Theologiæ Decanus annis 1653. & 1654. suo primariis in Ordine dignitatibus insignitus est. Ut primus socius suæ Provinciæ inferioris Germaniæ interfuit Generali Capitulo, anno 1654. Romæ celebrato; in quo ad examen Sodalium qui ad Gradus Scholasticos essent promovendi fuit constitutus. Aliis Generalibus itidem Romæ habitis, anno 1660. interfuit Comitiis tamquam suæ Provinciæ Præfectus, in qua strictiorem Reformationis observantiam strenuè promovebat. Anno 1666. similibus Comitiis cùm præsens adesset ut primus suæ Provinciæ socius, à R. Patre Matthæo Orlando acceptus & institutus fuit Generalis Assistens, pro Provinciis Germaniæ, Poloniæ & Belgii. Omnibus aliis officiis solerter absolutis, dierum & meritorum plenus, obiit senex circà annum 1680. ut patet ex *Speculo Carmelitano*, *tomo* 2. *pag.* 1103. *num.* 3908. ubi asseritus superstes vivere. Ejus inscribuntur

SCRIPTA:

1. R. P. Thomæ Reinæ, Mediolanensis, Societatis-Jesu Assistentis Generalis, *Quadragesimale*, sive *Conciones quadraginta in singulas Quadragesimæ Dominicas & Ferias*, ex Italico in Latinum sermonem vertit, *duobus tomis editas* Coloniæ, anno 1654. Typis Gymnici *in*-4°. Donavit etiam Latino sermone Jacobus Emans sequentia; scilicet,
2. R. P. Augustini Paoletti, Augustiniani Eremitæ, *Quadragesimale* & *Sanctorale.* Coloniæ, apud eumdem Typographum, *in*-4°.
3. R. P. Benedicti Fidelis, Siculi, Tertii Ordinis Minorum *Quadragesimale*, *Adventuale*, & *Paradisum Eucharisticum.* Ibidem, *in*-4°.
4. R. P. Marii Bignoni, Capucini Veneti, *Conciones in Festa Sanctarum totius anni.* Ibidem, *in*-4°.
5. R. P. Mansi, Congregationis Oratorii Presbyteri, *Bibliothecam Moralem.* Moguntiæ (vel potiùs Francofurti) sumptibus Joannis-Baptistæ Schonwetteri, *tomis quatuor* amplissimis *in-folio*, quorum *primus tomus*, anno 1670. *Secundus*, anno 1672. *Tertius*, anno 1673. & *tomus quartus*, anno 1674. Id anno 1678. die 3. Januarii, asseruit Josephus Mansi, Ludovico Perez Carmelitæ, attestationem

istam referenti in suo *Codice I. Mſ. folio* 239. *verſo :* Ubi & ex ejusdem Josephi Mansi testimonio, *tres* copiosissimi *Indices* præfatæ *Bibliothecæ Moralis* adjudicantur nostro Jacobo Emans.

6. *Opuſcula varia* is scripsit ad *Hiſtoriam Ordinis Carmelitani ſpectantia*, quorum meminit Daniel à Virgine, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1103. *num.* 3908.

7. *Hiſtoriam Carmelitarum Provinciæ Alemaniæ inferioris*, *Mſ.* cujus mentio habetur in eodem *tom.* 2. *Speculi Carmelit. ead. pag.* 1103. *num.* 3908. & in *Vinea Carmeli*, *pag.* 356. *num.* 657. necnon apud Ludovicum Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 165.

8. *Epiſtolas diverſas :* quarum una ad Patrem Danielem præmemoratum scripta, refert *Decretum pro Officio S. Eliæ Prophetæ*, datum in Congregatione S. Officii, die 11. Septembris 1630. sicuti legitur *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 584. *num.* 2054.

9. *Epiſtolam aliam* anno 1645. die 19. Octobris scripsit ad eumdem Petrum Danielem, *de cultu S. Simonis Stockii*, qui Bolzani in Ecclesia PP. Prædicatorum Sacellum habet, & in eo Altare pulcherrimum, cum ejusdem S. Simonis imagine constructum & dicatum circa annum 1626. ex voto per quemdam Nobilem Gaudentium Botsch Zu Zwingenberg, Archiducis Leopoldi Mareschalchum Tirolensem; eo fine, ut mediante intercessione B. V. Mariæ de Monte Carmelo & S. Simonis, prolem impetrare posset.

Hanc Epistolam præfatus Daniel refert *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 438. *num.* 1536. ad calcem vitæ S. Simonis Stockii. Verùm insuper & R. P. Daniel Papebrochius ad 16. diem Maii, *tomo* 3. *pag.* 654. *col* 2. *num.* 5. ait: » Voto quod anno » 1645. in itinere Romano ad Capitulum sui Ordi» nis R. P. Jacobus Emans, S. Theologiæ Doctor Co» loniensis, Bolzanum divertens (oppidum id Tiroli » est, vulgò Bolzen) vidit, audivitque; & per epi» stolam post reditum Coloniâ datam, sic testatus » est. Ibi in Ecclesia Patrum Prædicatorum Sacellum » est, S. Simoni Stok dicatum, & in eo Altare pul» cherrimum ipsius S. Simonis, constructum circà » annum Christi 1626. ex voto per quemdam No» bilem, &c.

10. *Epiſtolam aliam* Coloniâ scripsit Antuerpiam Jacobus Emans, die 20. Martii 1674. ad eumdem P. Danielem à Virgine, Carmelitarum Exprovincialem, in qua sic loquitur: » Ea, quæ ante annos » plus minùs 28. ad Paternitatem vestram admodùm » Reverendam scripsi, hisce coràm P. V. sanctè » protestor & declaro, omnia, prout verba mea, » quæ illo tempore scripsi, sonant, esse verissima; » quæ proindè P. V. tutò & securè vitæ S. Simonis » inserere poterit, verissima, inquam, esse dico, in » quantum veridicus (ut supponere debeo de viro » gravi & Religioso, qualis ille, qui mihi idipsum » narravit) fuit hujus rei relator, qui eo tempore in » dicto Conventu vixit, quo historia hæc contigit. Hæc referuntur eodem *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 438. *citatâ*, *num.* 1536. *col.* 2.

11. Epistolam aliam eodem anno 1674. die 24. Aprilis, relatam scripsit ad eumdem Danielem Jacobus Emans, qui sic habet: » Quoad Sancti Simonis » Bolzani apud PP. Prædicatores Sacellum, tribus » illis punctis, ad quæ sibi responderi petiit P. V. » breviter satisfacio, dicendo. 1°. Me illud Sacel» lum oculis meis perlustrasse: & Altare Sacelli benè » considerasse, cujus picta S. Simonem nostrum à » B. Virgine S. Scapulare recipientem repræsentans: » & hanc ob causam ego Sacellum istud appellavi » S. Simonis. 2°. Pater qui mihi historiam illam de » nobili Sacelli illius Fundatore narravit, fuit Ordi» nis S. Dominici, & gremialis Conventûs Bolza» nensis, ad quem hospitii causâ, non in reditu, » sed accessu ad Capitulum Generale, anno 1645. » Romæ celebratum divertimus. Oblitus sum verò » dicti Patris nomen exquirere, ideóque, quo no» mine vocatus fuerit, ignoro. 3°. Archidux, qui » illo tempore Comitatum Tirolensem Œniponti re» sidens moderabatur, non fuit Archidux Leopoldus » Guillelmus, glor. mem. qui aliquandò superioribus » annis totius Belgii Gubernator fuit, sed alius » nempè qui anno 1586. natus, deindè Episcopus Argentoratensis, & Pataviensis Episcopatui renuntians, factus Comes Tirolensis, obiit anno 1632.

Circà R. P. DANIELIS PAPEBROCHII argumentationem, ex JACOBI EMANS Epiſtola petitam,

APPENDIX PRIMA.

R. P. Daniel Papebrochius, S. J. Presbyter; Hagiographus celeberrimus, in Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum, quæ præfixa est, *tomo* 3. mensis Maii, Antuerpiæ anno 1680. edito contra Carmelitas, sic argumentatur, *Parergo* 10. *pag.* 50. *col.* 2. *num.* 210. » Eosdem » monitos velim, cum irascuntur Joanni Phocæ, » quod primum eorum Priorem designans, non ad» dito dicat, *Monachus quidam;* pari omnino jure, » id est nullo, eos posse succensere Jacobo, qui sic » eos comparat apibus, ut tamen nec hoc quidem » indicet, utrum in sacris illis alvearibus pro Rege » fuerit aliquis, tantum abest ut eum vel suo no» mine exprimat, vel saltem genere, ætate, digni» tate definiat.

» Rogatus aliquandò Ex. P. Mag. Jacobus Emans, » Carmelita Coloniensis, quod fuerit nomen illius » Patris ex cujus ore scripserat miraculosam gratiam, » concessam Nobili viro Gaudentio Botsch, invoca» to B. Simone Stock, Bolzani in Tyroli; respon» dit: *Pater qui mihi hiſtoriam illam de Nobili Sa» celli illius Fundatore narravit, fuit Ordinis S. » Dominici & Gremialis Conventûs Bolzanenſis, » ad quem hoſpitii causâ divertimus. Oblitus ſum » verò dicti Patris nomen inquirere, ideóque quo no» mine vocatus fuerit ignoro.*

» Idem respondisset, credo, Joannes jam sæpè » dictos, si quis eum interrogasset, quo nomine » vocaretur iste *quidam Monachus*, quem invenit » Elianæ anachoreseos instauratorem; neque credi» disset indefinito illo appellandi articulo *quidam*, » injuriam à se factam viro Sacerdoti, abundéque » à se pro instituta brevitate laudato. Et verò familia» ris isthæc excusatio hominibus est, quæ peregrè vide» rint commemorantibus, ut rerum potiùs quàm » nominum vestigia menti impressa referant, raro » etiam quærunt vel quæsita curent mandare memo» riæ nomina eorum, quos semel visos, nunquam » ampliùs à se videndos confidunt.

» Quare vehementer miror R. P. Danielis disci» pulos adeò acerbo animo ferre, quod fidem Joan» ni habeam. Quid enim? An Exim. P. M. Emans » fidem non obtineret, si, uti oblitus est interro» gare nomen Patris Dominicani Bolzanensis, sic » neque nomen ejus, cui contigit narratus ab eo » favor, audivisset, simpliciterque scripsisset: *Vir » quidam Nobilis, Archiducis Leopoldi Mareſcalcus » Tirolenſis, ante aliquot annos votùm fecit?* Ego » verò existimo apud æquos Judices tanto plus fidei » habiturum *Joannem*, quantò persona ejus minus » potest esse suspecta de favore aut odio: quippèqui

» Carmelitas anteà nullos noverat, neque posteà re-
» versus in patriam Cretam, nosciturus erat, proindè
» ab iis nihil sperabat, formidabat nihil; quemque
» pronius erat, consueto peregrinis res à se visas
» narrantibus more, augere potiùs laudando, quàm
» minuere aliquid detrahendo: in laudem certè tam
» Carmeli Montis quàm incolentis eum Monachi
» tota propendet & inclinat narratio, si oculis mi-
» nimè malignis legatur.

QUALISCUNQUE SIT HÆC ARGUMENTATIO, in ea quærunt Carmelitæ R. P. Papebrochium, *tomo* 2. mensis Maii eodem anno 1680. Antuerpiæ edito, dicentem *pag.* 94. *col.* 2. *num.* 147. » Liceat nunc
» mihi profiteri, quam alacri libenrique animo hunc
» laborem susceperim, ut respirarem tantisper à
» mœrore, hactenùs inconsolabili, quem antiqui-
» tatis Carmeliticæ Zelatores quidam ingesserant,
» pertrahendo invitissimum, multisque modis depre-
» cantem ad ingratam prorsùs atque inamœnam,
» quamque DECLINARE STUDIO OMNI DECREVERAM,
» discussionem earum auctoritatum, quibus suas pro
» ea prætensiones fulcire nitebantur.

In illa argumentatione quærunt Carmelitæ R. P. Papebrochium, eod. *tomo* 2. mensis Maii, *pag.* 714. *col.* 2. *num.* 24. in suo Commentario Apologetico dicentem:

» NEGAVI ME VELLE prætensam Ordinis ab Elia
» processionem oppugnare; sicuti reverà nec volui,
» nec volo; modò ipsa mihi aliunde probetur quàm
» ex Joannis Hierosolymitani & Cyrilli Prioris
» scriptis. » In Epistola autem aut relatione Jacobi Emans, nullum suffragium, probatio nulla petitur ex Joannis Hierosolymitani aut S. Cyrilli Prioris scriptis. Quid causæ igitur esse potuit, ut R. P. Papebrochius, voluntate mutatâ, pertraheretur ad ingratam prorsùs atque inamœnam discussionem Elianæ anachoreseos? An quia Armamentarii Carmelitici auctor, contra Martium ejus, amaris querelis usus, suorum opplere aures, animosque avertere conatus fuit, jam inde ab anno 1669. Verùm
» ego quoque, *inquit ibidem Papebrochius*, *pag.*
» 95. *col.* 1. *num.* 150. ut iis oihil me motum de-
» clararem, statim ab ipsa libri prædicti editione,
» duplicavi conatum bene merendi de Ordine uni-
» verso, ac sigillatim de obtrectationis illius aucto-
» ribus.

De isto pacifico animo instructi Carmelitæ notant tria in argumentatione Papebrochii adversùs Epistolam Jacobi Emans vibratam: notant, inquam, systema Papebrochii, fundamentum illius systematis, & modum quo illud tutatur.

Circà R. P. DANIELIS PAPEBROCHII systema,

APPENDIX SECUNDA.

In argumento, quod ex epistola Jacobi Emans desumit R. P. Papebrochius, Elianæ Anachoreseos instauratorem appellat, ne Carmelitarum Patrem omisisse videretur; systema autem Papebrochii circa primam illorum originem hoc est, quod describit in Historia Chronologica Patriarchatum Hierosolymitanorum, *tomo* 3. Maii, *pag. XLIX. col.* 1. *num.* 206.

» Ad annum M. CLV. Antiochenus Patriarcha
» Aymericus in Patriarchatu Hierosolymitano vive-
» bat, magnæ vir auctoritatis & opulentiæ; quia
» utràque multùm conferre poterat ad inducendum
» Bertholdum suo consanguineum ex familia de
» Malafaida in Francia, sed è *Calabria oriundum*,
» & Antiocheni Principis conterraneum, in posses-
» sionem sootis Eliani in Carmelo, quem ille *ex Pro-*
» *phetæ revelatione vallo parvo cingeret, temploque*
» *non ingenti extructo, Fratres fermè decem colli-*
» *geret;* cum quibus ibi repertus est anno M. CLXXXVI
» etiamnum sanctum illum ambitum colens. Reper-
» tus est autem à Joanne Sacerdote pientissimo Pho-
» ca, ad videnda loca sancta veniente. Quæ quæ,
» non dico audivit diu posteà ab aliis, sed suis ipse
» oculis conspexit, descripta reliquit; cum ante *ali-*
» *quot annos in montem appulisset is*, quem ipse
» describit, *Monachus;* quemque esse *Bertholdum*,
» primum Carmelitarum Priorem, neque P. Daniel,
» neque discipulorum quisquam negare ausit; licet
» indignentur Joanni, & tamquam nullius fidei Græ-
» culum contemnant; quod contra tot recentiorum
» Scriptorum torrentem, procedentem ex Epistola
» quadam, Cyrilli Prioris III. nomen, sed falsò
» præferente, tam exiguum fecerit numerum socio-
» rum; cum illi plura ac numerosa per Terram-
» Sanctam Monasteria eidem velint, ut Priori Gene-
» rali fuisse subjecta à prædicto Aymerico, Aposto-
» lici Legati auctoritate, quam habuisse alius nemo
» dixit, ad id uso.

Plura notant in his Papebrochii verbis Carmelitæ, quæ systema illius infirmant. Nam 1°. constat Eremitas in Carmelo habitasse Joanne Phoca antiquiores, qui Eliam Prophetam veluti suæ anachoreseos exemplar habuerint & Patriarcham. Antiquiores procul dubio erant hi Eremitæ, de quibus loquitur Gerardus, Laodicenus Episcopus, anno M. CXL. ad Gulielmum Presbyterum, *Lib.* de conversatione servorum Dei in Terra-Sancta: *Aliud est Religiosorum genus, qui singillatim habitabant à seculi rebus alieni. Hi sunt, qui ad exemplum Prophetæ Eliæ, silentium solitudinis præferebant tumultibus Civitatum.* Antiquiores erant hi Eremitæ, de quibus Antoninus Placentinus, auctor decimi vel undecimi seculi, cujus itinerarium Papebrochius præfixit, *tomo* 2. mensis Maii. Antoninus enim hic in suo itinerario, *cap. IX. pag. XI. num.* 25. loquens de monte Hermon, de quo dicitur: sicut ros Hermon qui descendit in Sion, ait: » In ipsa ripa est fons,
» ubi baptisavit S. Joannes. Inde usque ad Jordanem
» millia duo. In ipsa Valle inventus est Elias, quan-
» dò corvus ei deferebat panem & carnes. In circui-
» tu autem Vallis ipsius multitudo Eremitarum. »
Quæ verba commentans Papebrochius ibidem, *pag. XVI. col.* 2. *num.* 25. addit: *Est verisimile satis, ad locum memoriâ absconditi quondam ibi Eliæ celebrem aliquando habitasse Eremitas... Monasticæ vitæ successores.*

2°. Constat plura & numerosa per Syriam Monasteria Joanne Phoca antiquiora, Priori Carmelitarum Generali subjecta. Reverà quidem Guillelmus, Tyrensis Archiepiscopus, *Lib. IV. de Bello sacro, cap. X. pag.* 687. loquens de Montana Nigra, quem incoluit præmemoratus Gerardus, antequam ad Infulas Laodicenses assumeretur, scribit » Mons
» videtur pinguis, & uber, fontibus & rivis irri-
» guus, in sylvis & pascuis, multas suis habita-
» toribus præbens commoditates: ubi & priscis
» temporibus multa traduntur fuisse virorum reli-
» giosorum monasteria, & usque in præsens, Deum
» timentium loca plura fovet & nutrit venerabilia.

Guillelmus autem Sanvicus, quem Papebrochius (*a*) auctorem præ cæteris Carmelitanarum originum Scriptoribus lectu dignum appellat, in sua Chronica, *cap.* 1. scribit de Carmeli Eremitis: » Qui cum
» ita multiplicati fuissent, ut in monte Carmeli
» omnes commodè recipi non possent, repleverunt
» desertas Terræ-Sanctæ solitudines, in quibus præ-

(*a*) Papebroch. in *Historia Chronologica Patriarchar. Hierosolymitanorum, pag. LXIV. col.* 2. *num.* 257. *lineâ* 15.

» decessores eorum antiquitùs habitaverunt. Aliqui » enim eorum sequentes vestigia Sanctorum Patrum » hujus Religionis, videlicet Joannis-Baptistæ, & » filiorum Prophetarum, construentes sibi modica » tabernacula, in solitudine Jordanis latuerunt....

» Nonnullos quoque eorum duxit Aymericus, Pa- » triarcha Antiochenus in solitudinem montis Ne- » roi, qui alio nomine Moutana Nigra appellatur, » ubi in antris absconsam vitam Domino servabant. » Qui omnes, quamvis essent locis sejuncti, eam- » dem tamen vitam solitariam servare satagebant, » quam servabant Eremitæ montis Carmeli.

Quæ verba explicans ipse Papebrochius (b) ait : » Cum hic Aymericus plurimùm contulisse creda- » tur ad stabiliendum in Carmelo Bertholdum, qui » fortè eum fuerat ab Antiochia secutus, ipsius Pro- » phetæ Eliæ, istam ei sedem designantis, admo- » nitu; per quam verosimile fit, quod ille, post » quinque vel sex annos exilii, revertens Antiochiam, » ex noviter adunatis sub Bertholdo Eremitis, unum » alterumve duxerit secum, qui ex Latinis advenis » simile ibi eremitorium colligeret, ad normam Car- » melitani.

Iis addi potest quod Guillelmus Tyrensis, *Lib. XXII. cap.* 30. *pag.* 1037. refert ad annum 1182. videlicet : Quidam ex militibus exercitûs Salahadini in montem Thabor (quod priùs fuerat inauditum) ascenderunt; & monasterium Græcorum, quod dicitur *Sancti Heliæ*, pro libero tractantes arbitrio, ipsum etiam majus Cœnobium effringere tentaverunt. Jacobus autem de Vitriaco in Historia Hierosolymitana, *cap.* 54. *pag.* 1076. animadvertit, quod in monte Thabor, propter loci reverentiam & honorem, Monasterium construxerint ii ex viris Religiosis, quorum alii ad exemplum (c) & imitationem Sancti viri & Solitarii Eliæ Prophetæ in Monte Carmelo, juxta fontem, qui fons *Eliæ* dicitur : dum alii multi propter fluminis Jordanis Sanctitatem, & aquarum opportunitatem vicinas fluvio construxerunt habitationes.

Hic Jacobus est Vitriacensis, qui à Papebrochio jocosè carpitur & animadvertitur sic Carmelitas comparasse apibus, ut tamen nec hoc quidem indicet, utrùm in sacris illis alveari bus pro Rege fuerit aliquis; tantum abest ut eum vel suo nomine exprimat, vel saltem, genere, ætate, dignitate definiat. Timet tamen Papebrochius, (d) ne Carmelitæ testimonio bujus Jacobi utantur, ad annum 1124. describentis varios devotorum hominum cœtus, quando *cæpit Orientalis Ecclesia revirescendo florescere, & cultus religionis in partibus Orientis ampliari :* quia Jacobus Historiam non verò Annales deducendos suscepit; ideòque non debet ita accipi quasi omnes isti aut simul inceperint, aut statim suam perfectionem habuerint, sed paulatim ac successivè. At Carmelitis sufficit in præsenti argumento, ut Cœnobium Thaboris extiterit ante annum 1182. quo Milites Salahadini effringere illud tentaverint. Inde enim certum manet Eremitas vestigiis Eliæ adhærentes, fuisse Joanne Phoca antiquiores in Palæstina & Syria habitantes.

De fundamento Systematis R. P. Danielis Papebrochii,

APPENDIX TERTIA.

De Carmelitarum origine suum Papebrochius ita sustinet systema, fulcit & sustentat uno Joannis Phocæ, aut altero Joannis Heroldi testimonio, ut utriusque verbis multa superaddat aut detrahat, pro suo nutu, quæ utriusque auctoritatem aut mutant, aut elevant, aut infirmant.

(b) Papebrochius, *lit. C.*

(c) Jacob. de Vitriaco, in *Histor. Hierosolymit. cap.* 52. *pag.* 1875.

(d) Papebroch. *Histor. Chronolog. citatâ, pag. L. col.* 1. *lineâ* 36.

1°. Quidem Joannes Phochas scribit *Monachum quemdam* dignitate Sacerdotem, capillitio album, è Calabria oriundum, ex Eliæ Prophetæ revelatione, ante aliquot annos, in montem Carmelum appulisse, qui ea loca vallo parvo cinxit, & turri ædificatâ, temploque non ingenti extructo, Fratribusque fermè decem collectis, etiamnum sanctum illum ambitum colit.

Papebrochius (e) autem hæc interpretans verba, addit : » Cum ergo ex S. Hieronymi & cæterorum » quicunque post illum sacra loca descripsisse noscun- » tur, constanti silentio confiderem me persuasurum » minimè pertinacibus, locum, Elianâ Anachoresi » olim nobilitatum, saltem per septem secula non » fuisse inter illa numeratum, quæ pietatis causâ fre- » quentabantur à fidelibus peregrinis; &, si quod » anteà ibi fuerit monasterium, desertum jacuisse ac » desolatum usque ad Bertholdum, (qui licet non » nominabatur à Joanne, certò tamen ab illo desig- » nabatur) consultiùs longè facturus mihi videbar, » si Ordinis, quatenùs Europæ est notus, historiam » a Bertholdo auspicandam suaderem.

Huic tamen Iterpretationi obstant ea, quæ in superiori Appendice secunda dixit Guillelmus Sanvicensis, auctor lectu dignus, quæ dixit ibidem Jacobus Vitriacensis pro anno 1124. Prætereà Joannes ipse Phocas, veniens ad Carmelum, & ad Prophetæ Eliæ speluncam, reperit, tempore, quod omnia in senium impellit, & gentium incursionibus variis, penitus abolitum Monasterium magnum, quod eo loci antiquitùs fuisse monstrabant structuram vestigia adhuc residua.

2°. Joannes Heroldus Hochstetensis in continuatione Wilhelmi Tyrii, circa annum 1540. scripta, *Lib. V. cap.* 3. hæc habet : » Est Carmelus mons in » Syria, mora tam aliorum Prophetarum quàm Eliæ » ac Elisæi, nobilis. Hunc locum sub Almerico » Hierosolymitano Patriarcba insederant Anacho- » retæ; ac cum sparsim circà montem agitarent, » tandem coivere ad fontem qui Eliæ dicitur, uni » qui honesta præcipiebat humiliter parendo, sine ta- » men certo instituto, sive peculiari cultu, sine ce- » rimoniis. Albertus posteà Hierosolymitanus, sub » Innocentio III. Patriarcba & Legatus, certas ob- » servationum regulas iis præscripsit; addidit & ves- » titui normam, pallium scilicet versicolorem ex al- » bo & canusino circulatum : Eliam ejusmodi cultu » ornatum incessisse : Basilium eâ vivendi formâ usum » fuisse asserens.

Mirantur Carmelitæ auctorem seculi medii decimi sexti testem accersiri à R. P. Papebrochio, asserente in Notis ad vitam S. Alberti, *num.* 43. *tom.* 1. Aprilis, & idem attestante in Commentario Apologetico, *tomo* 2. Augusti, *pag.* 713. *col.* 1. *num.* 18. se velle explicare Historiam Eremi Carmeliticæ ex auctoribus vicinorum temporum, quibus vixerunt Bertholdus, Brocardus atque Cyrillus; scilicet, ad annum M. CCXXIV.

Imò & Joannes Heroldus multa refert, quæ Papebrochii systemati minimè congruunt, sed potiùs adversantur. Nam juxtà Heroldum, est Carmelus Mons, in Syria incolatu Eliæ & Elisei nobilitatus. Idem asseruut Guillelmus Tyrius, *Lib. XV. de Bello sacro, cap.* 30. S. Basilius in Epistola ad Chilonem; S. Gregorius Nyssenus, in Oratione in Baptismum Christi; S. Cyrillus Alexandrinus, in Caput

(e) Papebroch. in *Commentario Apologetico, tomo* 2. mensis Maii, *pag.* 711. *col.* 1. *num.* 9.

primum

J.

primum Amos. S. Macarius, *Sermone* 50. de Officio Monachi, & alii plurimi: At vero Papebrochius, *numero primo* citatus, & in Notis ad vitam S. Alberti, *num.* 57. scribit ex silentio Auctorum, qui sacra loca descripsisse noscuntur, locum hunc sive Carmelum Elianà Anachoresi non fuisse nobilitatum constare.

Juxtà Heroldum, Aymericus Anthiochenus, æquè ac Albertus Hierosolymitanus sub Innocentio III. fuit Legatus; & idem asserunt Theodoricus Pauli, in Chronologia Patriarcharum, Hyerosolymitanorum, ad annum 1206. Guillelmus de Sanvico, in sua Chronica, *cap.* 2. Faustus Naironus, in *Dissertatione de origine Maronitarum*, *pag.* 84. Baronius, *tomo XII. anno* 1181. *num.* 15. Guillelmus Tyrius, *Lib. XXII. de Bello sacro*, *cap.* 8. At verò Papebrochius, *tomo* 1. Aprilis, in Notis ad vitam. S. Alberti, *cap.* 7. *num.* 65. *pag.* 784. ait: Quia in tota sacri belli Historia, omninò nullus invenitur Legatus in Oriente factus, sed omnes immediatè ex Occidente missi sunt. Et idem Papebrochius in superiori *Appendice secunda* citatus, culpat Carmelitas, qui velint sua Monasteria Syriæ aut Carmeli subjecta fuisse Priori Generali, ab Aymerico, Apostolici Legati auctoritate, quam habuisse alius nemo dixit, ad id uso.

Circà modum, quo suum R. P. PAPEBROCHIUS systema tutatur,

APPENDIX QUARTA.

Modum, quo suum de rebus Carmelitanis systema defendit & propugnat, Papebrochius, scepticum opponit, beneficio dubiarum harum locutionum utens frequentissimè: *fortè*, *verisimiliter*, *si quis volet*, *non repugnat*, *forsitan*, *dico*, *mihi videtur*, *puto*, *vehementer miror*, *ut existimamus*, &c. Hæ autem voces (inquit Desiderius Erasmus, in suis Proverbiis, *pag.* 143. Edit. Aureliæ-Allobrogum, *in-folio*, & inferiùs allatus *tomo* 2. *col.* 152.) sunt quædam scepticæ affectionis, & suæ propriæ, hoc est humanæ passionis indices. At è contrà in hac loquendi forma, prudenti conjecturæ, inquit Papebrochius, *(f)* & lectori curioso fortassis placituræ, locum esse, nemo negaverit, donec aliundè major meliorque lux affulgeat.

Hanc tamen Viam singula Scriptorum & probatorum Historicorum momenta convellendi, contemnendi aut rejiciendi, si majorem melioremque judicaverit Papebrochius, dicere non debuisse, *tomo* 1. *Aprilis*, *in suo Propylæo*, *parte* 2. *cap.* 1. *num.* 2. » horrebamus, fateor in Carmeliticam » antiquitatem, tamquam in asperum aculeis sen» ticetum, ingredi. Et in *Apologetico Commentario*, » *tomo* 2. *Maii*, *pag.* 715. *col.* 1. *num.* 26. Cau» sam video, cur talia subsecutura prospicienti po» tuerit debueritque refugere animus (sicut Baronio, » *tomo VIII. ad annum* 664. *num.* 28. multò le» vioris momenti quæstionem inter italos, Gallosque » Benedictinos agitatissimam tractaturo) tam densum » controversiæ, non unius sed multiplicis, Spine» tum adire, quod horrebar vel è longè spectare.

I X.

JACOBUS FERRARIUS DE REGIO, Congregationis Mantuanæ Carmelita, Vir in divinis ac humanis facultatibus eruditissimos, Latinisque in literis & Græcis atque Hebraicis admodùm versatus; in almo Theologorum Collegio Bononiensium, cum omni plausu laureatus fuit anno Domini 1451. die 10. Januarii. Ob ejus meritorum excellentiam ordinatus fuit Prior Provincialis Terræ sanctæ, in Generali Capitulo Bruxellis celebrato à Reverendissimo Joanne Soreth, anno 1462. & tandem electus Episcopus in insula Corsira, in qua plenus dierum ac bonorum operum, obiit anno 1465. Plurima ejus recensentur scripta præclara, scilicet,

1 *In novum & vetus Testamentum*, *Commentaria Mss.*

2 *Opus Quadragesimale*; sive *Sermones Quadragesimales*, *Mss.*

3. *In Metaphysicum*, *Commentaria Mss.*

4. *In Libros Aristotelis*, *Commentaria Mss.*

5. *Carmina plurima Mss.*

Jacobum Regiensem seu de Regio, Carmelitam, commendant Joannes Trithemius, *Lib de Scriptoribus Ordin. Carmelit.* Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 17. Carolus Vaghus, in *suis Commentariis*, *pag.* 252. Arnoldus Bostius, *Libro de Illustribus viris Ordinis Carmelitarum.* Ludovicus Jacob, in *Catalogo Ms. fundationum Conventuum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 266. ubi notat ex Kalendario, Carmeli Veneti, Jacobum de Regio Carmelitam, sacræ Theologiæ Doctorem eximium, & Terræ sanctæ Provincialem, migrasse à seculo Venetiis, anno reparatæ salutis 1465. die 19. Augusti. Ludovicus Perez à Castro, in suo *Codice* 3. *Ms. fol.* 45. & 497.

Ast à Michaele Fabricio Ferrariensi-Regiensi non distingunt Jacobum de Regio, Fulvius Aazorius, in *Historia Ms. Civitatis Regii*, *ad annum* 1550. Joannes Guascus, in *Historia literaria de principio & progressu Academiæ Regiensis*, ibi edita anno 1711. *fol.* 26. Augustinus Superbus Franciscanus, in *Apparatu de viris Illustribus Civitatis Ferrariensis.* Ibid. edito anno 1620. *part.* 1. *pag.* 42. & alii quorum fit mentio *infer. tom.* 2. verbo: MICHAEL FABRICIUS REGIENSIS.

X.

JACOBUS A GAVIO, (quod est oppidum in ora Ligustica) Carmelita Genuensis, sacræ Theologiæ Doctor ac Professor variis in sui Ordinis Collegiis, scilicet Florentino, Taurinensi, Romano atque Neapolitano publicus: Ordinis Secretarius: nonnullarum Provinciarum Commissarius ac Visitator Generalis; deindè Provinciæ Longobardiæ Præfectus: Vir elegantis ingenii, singularis eloquentiæ, multiplicis eruditionis, ac magnæ probitatis laudè percelebris: habens ob oculos dictum illud Plinii, quo ait: *Omne illud perire tempus, quod non studio impertitur.* Obiit anno 1618. Opera ejus inscribuntur,

1. *In aliquot Capita Geneseos expositiones.* In *psalmum* CII. Benedic anima, &c. *Commentarium.* In *D. Pauli Epistolam ad Ephesios Commentaria.* Horum omnium meminerunt Fabianus Justinianus, *Lib. de Scriptura sacra*, *pag.* 421. & 556. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 920. *col.* 2. *E.*

2. *In secundum Librum Sententiarum*, *Commentaria.*

3. *In tertium Librum de Anima*, *Commentaria.*

4. *Sermones per Adventum*, *Quadragesimales & Dominicales*: *De Sanctis.*

5. *Orationes complures diversis in locis habitæ.*

6. *Oratio de optimo Pastoris officio*, habita in electione Joannis-Baptistæ Caffardi, in Priorem Generalem. Romæ, apud Hæredes Antonii Bladii, 1580. Latinè, *in*-4°. Ad Philippum Boncompagnon, S. R. E. Cardinalem, & Ordinis Carmelitarum Protectorem dicata.

(f) Papebroch. in Apologetico *Commentar. tom.* 2. *Maii*, *pag.* 714. *col.* 2. *num.* 24.

J.

7. *Epistolæ Latinæ*, in quibus adeò expeditè & promptè Latinè loquitur, ut cum Hieronymo & Cypriano sermonem habere credas, inquit Petrus Lucius.

De Jacobi Raymundi laudibus & scriptis agunt Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Aubertus Miræus, In *supplemento Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, *cap.* 164. Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*, *pag.* 722. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 462. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 168. &c.

X I.

JACOBUS JACQUET, natione Gallus; patriâ Lugdunensis, Carmelita, Artium Magister, & sacræ Theologiæ Professor, Vicarius Ecclesiæ Secularis S. Andreæ Trenotchiensis, in Diœcesi Cabilonensi. Decessit Lugduni anno 1628. postquam edidisset,

1. *Dialogum inter Catholicum & Hæreticum*. Parisiis, apud Dionysium Binet, 1604. *in*-8°. Gallicè, ad Ducem Monpenserium, Neustriæ Protegem.

2. *Quæstiones* XXIV. *Casuum Conscientiæ*, quas summam appellat. Gallicè ibidem.

3. *De Auxilio ægrotis præstando*, Lib. I. Lugduni, apud Petrum Rigaud, 1623. *in*-8°. Gallicè. Ad Jacobum de Veny d'Arbouze, Cluniacensem Abbatem.

4. *Summam casuum conscientiæ*, Francisci Cardinalis Toleti, è Latino in Gallicum idioma transtulit, & edidit Lugduni, apud Simonem Arnollet, 1628. *in*-8°. Item Parisiis, 1607. *in*-12. &c.

Jacobum Jacquet commendant Ludovicus Jacob, in *Descriptione Provinciæ Narbonæ*, *cap.* 4. Idem, In *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 165. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1090. *num.* 3839. Eodem anno 1628. die 9. Septembris, obiit Vilvordiæ JACOBUS JACQUET, alter Carmelita, Bruxellensis & Prior, posteà Monialibus Vilvordiæ à Confessionibus: obiit anno ætatis suæ 69. sicuti legitur in *Necrologio Carmelitico Bruxellensi*.

X I I.

JACOBUS A LEOCATO, Siculus, Carmelita, cognomento LA LOMIA, Alicatensis, & ideò a *Leocato* apud Scriptores dictus, vir doctissimus, sacræ Theologiæ Magister. Magna cum nominis fama severiores disciplinas docuit in Liceo Patavino, Senensi & Florentino. Ecclesiastes etiam celeberrimus, eloquentiâ & eruditione claruit circà annum 1596. scribens,

1. *In Libros IV. Sententiarum*, *Commentaria*.
2. *In Metaphysicam Aristotelis*.
3. *In Logicam*.
4. *Conciones per sacrum Quadragesimale tempus*.

Verùm ex his, quæ publici juris fecerit, se nescire fatentur Autores, qui de illo loquuntur: Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 2. *pag.* 81. Rocchus Pirrus, in *Notis Eccles. Agrigent. pag.* 342. Antoninus Moogitor, *tomo* 1. *Bibliothecæ Siculæ*, *pag.* 299. Petrus Lucius, lo *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 36. Carolus Dufresne, in *Indice Auctorum ad Glossarium in Autores mediæ & infimæ Latinitatis*: Alegreus Cassanatus, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 165. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1008. *num.* 3707. &c.

X I I I.

JACOBUS LIME, natione Gallus, Carmelita Remensis, Poeta facundus, decessit Remis-Durocortorum, oculis captus, & paralysi correptus, anno Christi 1650. die 13. Junii. Sepelitur in Claustro ante altare sanctissimæ Trinitatis. Scripsit Latino vel Gallico sermone:

1. *Exercitia piorum affectuum ad Dei-param, de paro potissimùm suo conceptu*, ad R. P. Magistrum Gregorium Canalium, Carmelitar. Prior. General. Mss. servantur Romæ in Bibliotheca Carmelitarum Transpontinâ; Latinè.

2. *Fulgorem Panegyricum sacri triamphi apud Carmelam Remensem*, *facti in die Canonizationis* S. ANDREÆ CORSINI. Remis, apud Simonem de Foigny, 1630. *in*-4°. Gallicè.

3. *Anagrammatum Hecatonda faustissimi nominis & ominis Christianissimi Regis* LUDOVICI XIII. *Endecachordo Davidis*, *Prophetæ Regii*, *psalterio confirmata*. Parisiis, apud viduam Hieronymi Blageart, 1633. *in*-4°. Latinè.

4. *Tabellam S. Josephi*, *B. Virginis Sponsi*, & *D. N. J. C. Patris Nutritoris*. Remis, apud Simonem de Foigny, 1636. *in*-16. Gallico carmine.

5. *Poësim Anagrammaticam faustissimi Nominis*, *& ominis Christianissimi Regis* LUDOVICI XIII. *præclaris ad hanc spectantibus confirmatam*, Toparchæ Mozomensi *dicatam*. Remis, apud Simonem de Foigny, *in*-4°. Latinè & Gallicè.

6. *Psalterium pentachordum SS. Nominis Jesu*, *ad Hebdomadam*, *Ms.* apud Remenses Carmelitas.

7. *Psalterium pentachordum SS. Nominis Mariæ*, *ad Hebdomadam*, *Ms.* ibidem, ubi quondam illud à se visum testatur æquè ac præcedens, Ludovicus Jacob.

De Jacobo à Lima locuti sunt Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Franciscus-Maria Pistria, *tract. de Conceptione B. V. Mariæ*: Petrus de Alva, *in Militia Immaculatæ Conceptionis*: Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 166.

X I V.

JACOBUS MAISTRET, natione Gallus; *Jaliaci* in Borgundia natus, anno 1534. *Lugduni* vota emisit, anno 1547. in manibus sui avunculi Catharini Ponsorti, Carmelitarum Provinciæ Narbonæ Præfecti. Anno 1562. Magister Theologus Parisiensis renuntiatus est. Deindè variis in Ordine suo functus est officiis: Prior Turnoniensis, & anno 1567. Lugdunensis: primus Provinciæ suæ Definitor: Vicarius Provincialis super aliquot Conventus: Præses Capituli Provincialis Parisiis, Festo Pentecostes, anno 1572. Commissarios, ac Visitator Generalis Provinciæ Turoniæ institutus à R. JOANNE-BAPTISTA RUBEO, anno 1571.

Tandem assumptus fuit ad Episcopatum Damascenum, simul & Suffraganeus Lugdunensis a Gregorio XIII. decimo quinto Kalendas Decembris anno 1574. constitutus. Consecrationis munus *Avenione* in Ecclesiâ Carmelitarum accepit die 27. Decembris, ab Illustrissimo SIMONE VIGORIO, Archiepiscopo Narbonensi, assistentibus illi GUILLELMO RUSÆO, Andegavensi, & JACOBO FOURRÆO, Cabilonensi Episcopis. Ecclesiam Carmelitarum Turnonensium modernam dedicavit die 22. Octobris anno 1581. de consensu Episcopi Valentini. Decanus *Aquensis*, (*Aqua Pulchra*, Gallicè *Aiguebelle*, oppidulum est Sabaudiæ Ducatûs, propè Maurianam Vallem) in Sabaudia institutus anno 1599.

Concionator fuit acerrimus contrà hæreticos, quorum mastix acerrimus, & expugnator egit; & ideo delatus ad Regem Christianissimum HENRICUM IV. indignationem illius incurrit. Quapropter JACOBUS secessit in Comitatum Burgundiæ, &

in Conventu Carmelitano Claravallensi mansit. Deniqoe sponte, & liberè Episcopatum Damascenum, & Suffraganatom Lugdunensem abdicavit in manus Pontificis, & in ejus locum suffectus fuit ROBERTUS BERTHELOT, ipsius ex sorore nepos, Carmelita.

JACOBUS posteà recessit ad Allobroges, familiaritate ac anacitiâ junctus S. FRANCISCO SALESIO: Hinc ad diem VIII. Decembris M. DCII. adstitit sacræ inaagurationi ipsius S. FRANCISCI, celebratæ in Ecclesiâ Sancti *Mauritii* Baroniæ *de Thorens*, Diœcesis Geneveusis. Deinceps etiam ejasdem S. FRANCISCI Episcopi auctoritate, quandoque Pontificalia obivit. Tandem in ipsa *Aquensi* Allobrogum urbe decessit die 6. Junli anno 1615. ætatis saæ anno 81. ibidemque sepultus sequenti cum inscriptione.

D. O. M.

FRERE † *JACQUES MAISTRET, Carme de Lyon, Docteur Théologien de Paris, Evêque de Damas, Saffragant de Lyon, & Doyen de l'Eglise d'Aix: Après avoir prêché LI. ans les Avens & Carêmes aux premieres Villes de France, a fondé deux Anniversaires céans, au joar de S. Jacqaes & S. Philippe, & S. Jacques & S. Christophe: Où attendant la mort certaine, a ci-devant élu la Sépalture de son Corps l'an* 1605. *Priez Dieu pour lui.*

OBIIT ANNO M. DCXV. VI. JUNII.

Scripsit,

1. *Opus aareum D. Reginaldi* de Leviori-Campo, *Bibliorum distinctiones nunc recens è Codice Mſ. in lucem* edidit; Lugduni, 1582. *in*-8°.

2. *Preces Catholicas*, Lib. I. Gallicè. Lugduni, apud Petrum Rigaud & Michaelem Joile, 1568. *in*-16. Item 1574. *in*-16. Ad illustrissimam Dominam de S. Chamond.

3. *Expositionem Catholicam in Decalogum*, varias homilias continentem, anno 1564. scriptam. Quam Mſ. quondam vidit Ludovicus Jacob, in Bibliotheca Carmelitarum Lugdunensium, in qua deest principium. Gallicè.

4. *Symboli Apostolici Explicationem*, anno 1561. scripram Gallicè; *Mſ.* Ibidem asservatam:

5. *Homilias in Isayam Prophetam.* Gallicè *Mſſ.* Ibidem asservatas.

6. *Homilias XXII. in Ecclesiasten*, anno 1558. scriptas, Lib. I. Incipit: *Dominus Deus totam hanc machinam.* Latinè. Ibidem *Mſſ.* Citantur, in *Bibliotheca Burgundiæ*, *tom.* 2. *pag.* 8.

7. *Exhortationem ad Sabaadiæ Ducem.* Gallicè, ibidem *Mſ.*

8. *Epigrammata* ad Petrum Courtin, Carmelitam, & Dionysium Perronet, etiam Carmelitam, Doctores Parisienses.

9. *Annotationes Marginales* ad Pontificem Romanum, propriâ manu scriptas. Ibidem Mſſ.

10. *Breviarium Carmelitarum* recognovit anno 1576. Jussu R. P. Magistri Joannis-Baptistæ Rubei, Prioris Generalis, & illud edidit Lugduni anon 1574.

11. *Plurimas* Libris Catholicâ fide refertis *Approbationes* concessit, inter quas *una* præfigitur Libro Petri Gregorii Tolosani inscripto: *Réponse au Conseil donné par Charles de Molins, sur la dissuasion de la publication du Concile de Trente, en France.* A Lyon, 1584. *in*-16.

De JACOBO MAISTRET loquuntur perhonorifice Claudius de Rubys, in *Historia Lugdunensi*; Carolus Augustus Salesius, in *Vita S. Francisci de Sales*, San-Marthani, *tomo secundo Galliæ Christianæ*, in *Episcopo* 96. *Genevcasi*; Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Jacobus Swertius, in *Chronologia Historica*, *pag.* 431. abi notat se Diaconum faisse ab illo ordinatum. Claudius Aroulphus, Doctor Theologus Parisiensis, in *Epistola ad Jacobum Maistretum.* Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 841. Antonius du Verdier, in *Bibliotheca Gallica.*

E Carmelitis, Petrus Lucias, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 36. ubi notat quod habuerit nepotem nomine suo Jacobum Maistret, tanquam avitæ pietatis socium & hæredem, Parisiensis Academiæ Doctorem & Professorem, quem ipse Lucius anno 1589. Priorem vidit Vesantionensem. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 436. Dominicus à Jesu, in *Spicilegio Antistitum Ordinis Carmelitarum.* Ludovicus Jacob, in *Descriptione Provinciæ Narbonæ*, *cap.* 4. Idem, in *Biblioth. Carmelit. Mſ. pag.* 166. ubi notat quod anno 1577. Sacellum Pœnitentiam Alborum Lugduni, apud Franciscanos ædificatum, consecravit. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 929. *num.* 3256. Ibidem, *pag.* 1090. *num.* 3840. Philippus à SS. Trinitate, in *Compendio Historiæ Carmelit. p.* 462. Philippus Chaudeau à S. Claudio, in *Schedis Mſſ.* ad nos Lugduno Aureliam missis anno 1741. die 2. Julii; abi notat quod in Breviario per ipsum Maistret *Lugduni* edito an. 1574. Formula Professionis Carmelitarum continet enunriationem Obedientiæ Deo, Beatiss. Virgini & Priori Generali factæ, omissis aliis daobus votis. Idem notatur inferiùs, *tomo* 2. *pag.* 38-39.

XV.

JACOBUS MILENDUNCK, Prior in pluribus Germaniæ inferioris Conventibus, scripsit circà annum 1677. *Historiam Provinciæ Carmelitanæ* præfatæ *Allemaniæ*, nondum editam, sed quâ plurimùm est Daniel à Virgine Maria usus quoad res, quæ Provinciam eamdem spectant; ut ipsemet Daniel testatur *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1103. *num.* 3908. & prout colligi potest variis ex testimoniis, quæ in hanc præsentem Bibliothecam adduximus.

XVI.

JACOBUS ORSBACHIUS, natione Germanus, Doctor Theologus Coloniensis, & ejusdem Civitatis in Carmelo Prior, posteà inferioris Germaniæ Provincialis, obiit *Rancilione* In Italia, anno Domini 1645. die 27. Julii, in Capituli Generalis reditu. Scripsit *Opera quædam* nationis Germanicæ: *Necrologium* Carmelitarum Coloniensium, quo usus est Ludovicus Jacob, *in Bibliothecâ Mſ. pag.* 167.

XVII.

JACOBUS DE PELAGATIS, natione Italus, patriâ Ferrariensis, Carmelita, Sacræ Theologiæ Professor, minor Pœnitentiarius Basilicæ S. Petri in urbe, *Libellum suplicem* obtalit NICOLAO V. ut perpetuam habitationem obtinere posset in Convento Ferrariæ: cui annuit summos Pontifex per Literas Apostolicas Romæ datas anno 1451. die 16. Martii. Deindè Capellanus PII II. factus ab eodem Romano Pontifice, constituitur Collector & Nuncius Apostolicus in Dominio Nobilissimi BORSII ESTENSIS, Ducis Mutinensis, anno 1463. die

J.

11. Novembris; uti legere est, in *Bullario Carmelitarum*, *tomo* 1. *pag.* 227. & 271.

Is Pelagatus in Capitulo Generali Romano S. Mariæ Majoris anno 1447. erat Procurator sui Ordinis, Provincialis Bononiæ, & admissus pro Definitore ac Regens Curiæ Romanæ. Intererat quoque Capitulo Generali Cabilonensi anno 1440. in quo Definitoris munere fungebatur, atque Bononiæ Provincialatu, cui & Commissio data fuit ad corrigendas Constitutiones Ordinis. Adfuerat insuper ejusdem Provinciæ Provincialis, in Capitulo Generali Cabilonensi, anno 1444. Vir omni scientiarum genere ornatissimus, & eximiæ eruditionis, atque eloquentiæ in sermonibus ad populum habendis, qui obiisse dicitur anno 1450. ab Augustino Biscareto, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*; sed falsò hoc dictum evincunt Bullæ summorum Pontificum citatæ.

Scripsit Jacobus de Pelagatis *vocabularium* amplum ad omnes studiosos, Latino Sermone: quod extare Ferrariæ *Ms.* in Bibliotheca Carmelitana idem Biscarretus affirmat; & teste Joanne de Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1450. *num.* 8. *pag.* 875. scripsit etiam *Constitutiones* Ordinis, mandato Joannis Faci correctas; uti legitur ibid. ad an. 1444. *num.* 4. *pag.* 863.

XVIII.

JACOBUS PHILIPPUS, natione Germanus, Carmelita, scripsit circà annum 1495. *De Germanorum rebus & gestis*; uti colligitur ex *Libro undecimo Germaniæ Exageseos*, quam Franciscus Irenicus Ettelingiacensis, exaravit, *pag.* 215. teste Ludovico Jacob, in *Bibliothecâ Carmelitanâ Ms. pag.* 167.

XIX.

JACOBUS à PASSIONE DOMINI, in seculo dictus Waer Seyger, Lovanii ortus anno 1641. Carmelita Flandro-Belgicæ Provinciæ alumnus, cùm diu atque præclarè ad Populum dixisset, maximè Bruxellis, fructu non exiguo, vivere ibidem desiit anno 1716. die 16. Augusti. Varia ejus Opera tum Latinè tum Belgicè sunt,

1. *Meditationes de Christo patiente & Matre compatiente: seu Filius patiens & Mater compatiens.* Ultrajecti, anno 1678. Typis Joachimi Van-Melen. Latinè.

2. *Radii S. Patris Nostri Eliæ, dispersi per Hispaniam, Italiam, Germaniam, Galliam & Belgium*; id est, *Vita aliquorum Religiosarum Ordinis Fratrum B. Virg. Mariæ de Monte Carmelo, qui ab anno* 1600. *ad annum* 1681. *cum odore sanctitatis obierunt.* Flandricè. Leodii, anno 1682. & 1684. *in*-4°. Quas & iconibus Religiosorum adornavit.

3. *Vita Venerab. Franci à Cruce, Ord. Carmelit. Laici Fratris.* Flandricè, *in*-4°.

4. *Thesaurus Carmeli absconditus in hoc seculo, detectus in vita Vener. sororis Elizabethæ de Jesu, Tertiariæ Ord. Carmelitarum.* Flandricè. Leodii, an. 1687. *in*-4°.

5. *Methodus devotè audiendi sacrum.* Flandricè. Bruxellis, anno 1676. *in*-12.

Hæc continent *Schedæ Mss.* Aureliam Bruxellis missæ anno 1741. die 14. Augusti, à R. P. Illuminato de Spiritu Sancto, tum suæ Provinciæ Flandro Belgicæ Procuratore Syndico.

XX.

JACOBUS à PURIFICATIONE, Andreæ Pruskowski filius, & Matthiæ Pruskowski, Episcopi Premisliensis, Regnique Poloniæ Cancellarii nepos: Carmelita Excalceatus *Cracoviæ*, anno 1609. mense Februario factus Novitius sub Tyrocinio R. P. Joannis à SS. Sacramento, Hispani, Excalceati Pastranensis, Viri sanctitate clari, Novitiorum Præfecti, tantâ virtute præfulsit, ut ab antiquioribus, adhuc novitius, ut sanctus reputaretur. Vix professionem emiserat, cum graves infirmitates, tribulationes, mentis angustias, invictâ patientiâ sustinens, in lectione & oratione assiduus, ac cœlestium contemplatione roboratus, die 18. Aprilis, anno 1631. *Lublini* Spiritum Deo reddidit. Scripsit,

1. *Commentaria in Threnos Jeremiæ*: quæ Mss. asservantur Lublini. Horum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag* 915. *col.* 1. *B.*

2. *Commentaria in Regulam Carmelitarum*, Mss. ibidem.

3. Alia quàmplura Opuscula Mss. Ibidem; sicut asserunt qui de illo loquuntur; Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, *parte* 3. *pag.* 97. Paulus ab Omnibus Sanctis, tum Prior Græciensis, in *Schedis Mss.* quas ad se missas nominat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 167. Martialis à S. Joanne-Bapt. in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 207.

XXI.

JACOBUS PUTEOBONELLUS, Mediolanensis, Carmelitarum antiquioris Observantiæ Asceta, atque sacrarum Literarum Magister, ad Ordinem posteà Carthusiensem transiit anno 1414. sub B. Stephano Macono Sanctæ Catharinæ Senensis, olim Amanuensi Parochi, cujus post obitum Monacho Carthusiano facto, ac Pontinianæ apud Senas, deindè Mediolani, & propè Papiam Carthusiæ Moderatore, eundemque ab anno 1398. ad annum 1419 supremum totius Ordinis Regente clavum, cujus corpus adhuc incorruptum in Ticinensi Carthusianorum Cœnobii requiescit Cœmeterio. Jacobus verò noster universæ viam carnis ingressus circà annum 1475. postquam scripsisset

S. Joannis Chrysostomi Librum primum de Reparatione lapsi hominis, cum continuis Notis ejusdem JACOBI PUTEOBONELLI. Extat *Ms.* in Bibliotheca Carthusiæ propè Papiam. In fine sic legitur: » Joannis Chrysostomi de Reparatione Liber primus » explicit: secundus verò liber ejusdem de *Cordis » compunctione, incipit: feliciter Deo dante.* Pro » tertio autem; quod *Nemo potest lædi nisi à semet- » ipso.* Pro quarto autem & ultimo libro, in quo » ponuntur *Sermones ejusdem de Pœnitentia.* Hos quidem tres Libros notis illustrandos ita promiserat Puteobonellus noster, sed aliis præpeditus officiis, & morte præventus, non absolvit.

Ita Paulus Maria Bonhomius, ejusdem Ordinis Religiosus, Custos Bibliothecæ Carthusiæ propè Papiam, in *Schedis Mss.* datis Philippo Argelato, quas hic appellat in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 1153. *num.* 2364.

XXII.

JACOBUS RAMPONT, natione Gallus, regione Lotharingus, patriâ Metensis, Carmelita, Provinciæ Franciæ alumnus, Sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis ac Professor: magnus reverà vir, Philosophiæ ac Theologiæ lectionibus, linguarum peritiâ, iterato sæpiùs in Francia Provincialatu; sed (quod palmare) orationis studio, jejuniorum perennitate, pœnitentiæ rigoribus; vix credendâ adeo erat Patri familiaris, Dæmonum notione,

&

J.

& explosione commendatissimus. Nam in eo singulariter elucebant vitæ austeritas, orationis studium, & imperium in Dæmones vexantes energumenos. Is Reformationem meditans in Metensi Conventu, ubi agebat Prior; suos etiam Discipulos Theobaldum, Rhedonibus; Pinalrum, Andegavi convenire, consultare: Singula pietatis exercitia inspicere, suspicere, rimari, mirari dignatus minimè est. Decessit Divoduri-Mediomatricum, post annum 1625. Scripsit,

1. *In Theologiam, Commentaria Mss.* ut puto, deperdita; licet Parisiis dictata.

2. *In universam Aristotelis Philosophiam, Commentaria*, quæ Parisiis etiam publicè dictavit. Ea *Mss.* quondam vidit Ludovicus Jacob Semuri-Mandubiorum, in Bibliotheca Carmelitarum, *in-4°. Codice 78.*

3. *Plurimas* ad varios *Epistolas*, quarum in una ad P. Theobaldum anno 1618. die 10. Julii data, Provincialem Turoniæ petit ut in Conventum Metensem Religiosos Reformatos mittat; quibus se ad Novitiorum normam subditurum spondet, ideo abdicatione scripto dimissâ sui Prioratûs.

Jacobum Ramponi laudant Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 520. *num.* 919. ubi notat quod disciplinam ejus, aspectu horridam, pretiosi thesauri, & veluti sacri depositi loco habuit V. F. Joannes à S. Samsone: Leo à S. Joanne, in *Delineatione Observantiæ Rhedonensis*, *cap.* 8. *pag.* 48. Hugo à S. Francisco, in *Vita Vener. P. Philippi Theobaldi*, *cap.* 2. 20. & 27. *pagg.* 6. 155. & 203. Licinius à S. Scholasticâ, in *vita* ejusdem *Theobaldi*, *pag.* 20. 189. & *cap.* 2. & 17. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 168.

XXIII.

JACOBUS REIMOLANUS, corruptè KERMOLAUS, sed vulgò KYMOLANUS, uti legere est in Epistola Trithemii citata infer. *pag.* 807. natione Flander, patriâ Gandavensis, & ibidem Carmelita, Doctor Theologus Parisiensis, R. Petro Terassæ Generali, socius gratissimus: vir vitæ religiosæ & variæ eruditionis titulis celeberrimus, Theologus, Philosophus, Mathematicus, Orator & Poeta præclarus; anno 1508. Romæ corporis ergastulo solutus, immortalitatis gloriâ coronatur. Opera ejus ferè omnia interierunt in tumultibus Belgicis; sed tituli eorum sic referuntur,

1. *In Magistrum Sententiarum Commentaria*, Lib. IV.

2. *De B. Mariæ Puritate*, Lib. I.

3. *De S. Joachimo Oda*, quarum duæ prodierunt per Ludolphum de Saxoniâ Carthusianum, Libro *de vitâ Christi*, sub finem edito anno 1529. & iterùm prodierunt, *tomo* 2. *Speculi Carmelitarum*, *pag.* 310. *num.* 1130. & 1131. Eas insuper commemorat Robertus Gaguinus, in *Epistola* 81. *ad Arnoldum Bostium*, Carmelitam.

4. *Vita Joachim*, Lib. I. cujus meminit Vossius, *de Historicis Latinis*, *Lib. III. cap.* 10. *pag.* 640.

5. *Epithalamiam ad Arnoldum Bostium*, Carmelitam. Lib. I.

6. *Idyllion, de Bono Conjugali*, Lib. I.

7. *Exhortationes ad Christianos*, Lib. I.

8. *Epistolas, Carmine.*

9. *Epigrammata & Poëmata quædam.*

10. *Isagoge ad exhortationes*, &c.

Jacobum Reimolanum laudibus extollunt Antonius Sanderus, *de Scriptoribus Flandriæ*. Idem, *tomo* 2. *Flandriæ Illust.* Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibl. Belgica*, *p.* 534. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 372. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Joannes-Baptista Posa *S. J. Lib. II. Elucidarii Deiparæ*, *tract.* 2. *cap.* 1. Hippolytus Marracius, in *Bibliotheca Mariana*. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 383. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1508. *pag.* 1023. Ludovicus Jacob ibi notat eum desiderari in *suo Catalogo Doctorum Parisiensium Carmelitarum*, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 168. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 513. *num.* 920. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1107. *num.* 3925. Sed præ cæteris Robertus Gaguinus, in *Epistolis*, necnon in Carmine ad Arnoldum Bostium, Carmelitam, canens:

Tunc unquam, Bosti, mecum certare quiesces
Raucus, ut ad divos dissona verba canam?
Ecce tibi resonat argutas arundine Rhenus.
Et passim vates advocat altiloquas,
E quibus assurgit Saphocleâ voce Jacobus;
Dicere quam purâ sorde Maria nitet.
Tam procul est nostrum, mi Bosti, Carmen ab illo?
Quam leatam antiicipat concita cerva bovem.
Vox illi excelsa; mihi pulmo torpet anhelus.
Et medio cursu vox semifracta cadit.
Dic vati, numeris pia sacris cantica pangat:
Me tenet elinguem pigra senecta domi.

Ad Robertum Gaguinum accedit Joannes Trithemius, sic dicentem in Epistola quam eidem Jacobo Reimolano scripsit his verbis.

JOANNES TRITHEMIUS, Abbas S. Jacobi Herbipolensis, JACOBO KIMOLANO, Carmelitani Ordinis Theologo & Mathematico, *Salutem.*

ARS, quam Impressoriam vocant, tempore infantiæ meæ apud *Moguntinam*, Metropolim *Francorum* inventa, infinita penè & veterum & novorum volumina quotidiè producit in lucem. *Joannes Amarbachius*, Civis *Basiliensis*, vir doctus & integerrimus, anno præterito omnes divi AUGUSTINI Libros, quotquot invenire potuit in quindecim Voluminibus satis emendatè impressit. Simili diligentiâ formis excussit omnia Opera Sanctorum HIERONYMI & AMBROSII, impressurus etiam de novo Divi Papæ GREGORII Opuscula, quorum aliqua malè, aliqua vero nunquam fuerint impressa, &c. Ex *Herbipoli*, decimâ sextâ die mensis *Augusti*, anno Christianorum millesimo quingentesimo septimo.

Ad gloriam Impressoriæ artis hæc refert Michaël Mettaire, suis in *Annalibus Typographicis*, *tomo* 2. *parte* 2. *pag.* 215. & 216.

XXIV.

JACOBUS DE REGIO, Italus, Carmelita Provinciæ Venetiarum, Doctor Theologus, Prior Provincialis Terræ Sanctæ, Vir linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritissimus, non magis eruditione, quàm prudentiâ & integritate vitæ laudabilis, Concionator, Orator, & Vates egregius,

moritur Venetiis anno Christi 1465. die 19. Augusti.

Scripsit *Quadragesimale notabile*: *Carmina*; *Orationes*, & *Epistolas*; sicoti dicunt Joannes Trithemius, *de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *pag. tomi secundi*: Arnoldus Bostius, *de viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*, *cap.* 38. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag* 37. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 355. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 169. Eum citat in *Tabula Bibliothecæ Neapolit.* Nicolaus Toppi.

XXV.

JACOBUS DE SOMMA-VILLA, natione Belga, Doctor Theologus Parisiensis, vir moribus & doctrinâ præcellens, è Flandria à GAILLARDO RUSÉ, supremæ Curiæ Parlamenti Senatore, Philippo Bourgoin & Joanne Raulin, Monachis Cluniacensibus, per Legatum Apostolicum ad reformationem Conventuum deputatis, invitatus & evocatus fuit in partem hujusce Curiæ & Provinciæ, pro Conventu Carmelitarum Parisiensium: & ad eum extat Epistola Roulini, in qua sic de studio Parisiensi.

„Ubi, quæso, meliùs propagare valebis vineam „Carmeli quàm Parisio, ubi ex omni natione quæ „sub cœlo est, confluunt homines eruditi; ubi mellis „& lacti uberrima coagula & doctrinarum fluenta „facillimè comparantur: ubi petra Christus abundè „fudit rivos butyri. An tibi deerit gladius verbi ad „dividendos, mæsticandosque ipsius bolos, ne de te „dicatur apud nos illud vulgatum proverbium: Qui „in Flandriam tendit sine gladio, perdit multos „morcellos de butyro.

Hæc referuntur in historia Universitatis Parisiensis, *tomo* 5. *pag.* 885. Cùm autem Raulinus, anno 1502. reformationi Monachorum Cluniacensium operam daret Parisiis, noster Sommavillæus tunc temporis floruisse censendus est: Quem tamen facilè crederem eumdem esse ac Jacobum Flamingum, qui post obitum Bernardini Landuccii anno 1523. defunctì, de Vicariatu Ordinis Carmelitani Generali decertasse cum Heliodoro Ptolomæo perhibetur in Bulla Clementis VII. *Decet Romanum Pontificem*, Romæ data 1525. Idibus Januarii, quæ prodiit *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 20. *& seqq.*

XXVI.

JACOBUS VALLY, Atrebatensis, Carmelita, Doctor Theologus Parisiensis, anno 1594. renuntiatus, deindè Provinciæ Belgicæ primus Prior Provincialis: Vir ob vitæ integritatem, rerum gerendarum prudentiam, literarum peritiam, exactamque Religiosæ disciplinæ observantiam, maximâ apud omnes, dum vixit, in æstimatione habitus; Concionator per Belgium celebris, devixit ibi anno 1600. relictis Gallicè *Sermonibus Quadragesimalibus*, *per Adventum*, *Dominicalibus*, *& Festivitatibus*; prout legitur in relatione Belgica *Ms.* quam citat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 169.

XXVII.

JACOBUS DE VENETIIS, Carmelita, eximiâ pietate, & eruditione conspicuus, Episcopus Evellonensis, in patria mortuus, sepulturam accepit in Ecclesia sui Ordinis, inscripto ad lapidem sequenti Epitaphio:

D. O. M.

HIC SEPULTUS VENERABILIS PATER ET DOMINUS D. FRATER † JACOBUS DE VENETIIS, ORDINIS BEATÆ MARIÆ DE CARMELO, EPISCOPUS EVELLONENSIS, QUI OBIIT ANNO DOMINI M. CCCXLV. DIE PENULTIMA OCTOBRIS.

Quibus *Operibus scriptis* suam probavit eruditionem, non indicant qui de illo loquuntur, Petrus Lucius, in *Bibliotheca Carmelitana*, *pag.* 82. Leonardus Priolus, in *Præfatione* ad Lectorem præfixa ad Opus *Michaëlis de Bononia*, *super Sententias*: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1345. *num.* 6. *pag.* 581. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 4. *Speculi Carmelit. pag.* 930. *num.* 3256.

XXVIII.

JACOBUS DE VERNANT, persona cujus plura edidit Opera P. BONAVENTURA A S. ANNA, Carmelita Provinciæ Turoniæ alumnus, tametsi cum inter Patres Societatis-Jesu collocaverit Adrianus Baillet. In seculo noster Bonaventura à S. Anna nuncupatur BONAVENTURA D'HEREDIE, in Oppido *Oudon*, Diœceseos Nannetensis in Armorica natus, apud Carmelitas Rhedonenses professionem dixit, anno 1629. die 21. Novembris. Emenso studiorum Philosophiæ & Theologiæ studio, Canonici Juris notitiæ operam privatim navavit. Anno 1638. die 28. Decembris Æditus Aurelianensis: anno 1641. Secretarius ejusdem Conventûs, die 3. Augusti fuit institutus: Quod officium idem sex annis interruptum, resumpsit ibidem ab anno 1647. die 22. Augusti, ad annum 1651. die 14. Septembris. Decessit è vita Nannetis, apoplexiæ morbo correptus, die 2. Aprilis. Ejus Opera Gallicè inscribuntur,

1. *La défense de l'autorité de Notre Saint Pere le Pape, de Nos Seigneurs les Cardinaux, les Archevêques; & de l'employ des Religieux Mendians, contre les erreurs de ce temps.* A Mets, 1654. *in*-4°. Turbamenta hujus Operis occasione excitata, & ejus damnationem legere poteris apud Illustriss. Dom. D. Jacobum Benigum Bossuet, in Opere inscripto: *Defensio Declarationis celeberrimæ, quam de Potestate Ecclesiastica sanxit Clerus Gallicanus*, *tomo* 2. *parte* 2. *Lib. X. cap.* 27. *pag.* 115. Apud Illustrissimum Dom. D. Carolum Duplessis d'Argentré, Tutelensem Episcopum, in Opere inscripto: *Collectio judiciorum*, &c. *tomo* 3. *pag.* 100.—133. Apud Ludovicum Ellies Dupin, in Opere Gallicè inscripto: *Histoire Ecclesiastique du dix-septiéme siécle*, *tom.* 3. *pag.* 254.—345. Apud Hyacinthum Robillard d'Avrigny, Societatis-Jesu Presbyterum, io Opere Gallicè inscripto: *Mémoires Chronologiques & Dogmatiques*, &c. *tomo* 2. *pag.* 443. & 458.

Adversùs Librum Jacobi de Vernant, scripserunt Antonius Faure, Lemovix, Doctor Theologus Parisiensis, anno 1658. die 9. Septembris renuntiatus, in Libro inscripto: *Censura sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, in Librum cui titulus est: La Défense de l'Autorité de Notre S. Pere le Pape, &c. operâ & studio quorumdam Theologorum Parisiensium.* Parisiis, apud Guillelmum Desprez, 1665. *in*-4°. Ibidem alibi *in*-8°. & *in*-12. Joannes Launoyus, in *Epistola* ad eumdem *Antonium Faure*,

J.

de Infallibiliate Papæ, *pag.* 32. Edit. *in*-8°. Ludovicus Maræsius, Gallice *Marais*, Doctor Theologus Parisiensis, in duobus *Sermonibus*, quos ad Comitia Generalia Academiæ Parisiensis habuit die 8. Octobris 1664. & die 8. Octobris 1666. Gallico sermone dictis, in quibus Jacobum Vernantum ceu violatæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ reum exhibuit. Hi sermones prodierunt ad calcem *Censuræ sacræ Facultatis*, *mox citatæ*. Parisiis, apud Guillelmum Desptez, 1665. *in*-4°. Antonius Arnaldus, Doctor Sorbonicus, in Libello Gallicè inscripto : (Notas has Petto Nicolle adjudicat Dominus Goujet) *Remarques sur la Balle d'Alexandre VII. contre les Censures de Sorbonne*, &c. A Munster, 1656. *in*-4°. Suppresso Autoris nomine. Jacobus Boisteau, Doctor Theologus Parisiensis, in Opere Gallicè inscripro : *Considérations respectueuses sur la Bulle de Notre S. P. le Pape Alexandre VII. contre la Faculté de Théologie de Paric.* Simul prodierunt cum præcedentibus Notis. A Munster, 1656. *in*-12. & alibì, suppresso pariter nomine Autoris. Stephanus Guerry, Pictaviensis Parochus, Benedictus Pays, Lugdunensis, & Franciscus Bonichon, Andegavensis Parochus, Oratorianus Presbyter, in variis Tractatibus, ubì de *Missa Parochiali*, Gallicè scriptis.

2. *La Doctrine ancienne des Théologiens de la Faculté de Paris*, *opposée à la Censure*, *par la même Faculté*, *sur le livre de l'Autorité de Notre S. P. le Pape*, *contre les erreurs de ce tems.* 1666. absque nomine urbis & Bibliopolæ, *in*-8°. Item 1666. *in*-8°. Prodiit posteà Lovanii, apud Pertum Sassen 1669. ad calcem præfati Operis : *La défense de l'Autorité de Notre S. P. le Pape*, *&c. in*-4°. Edit. 3.

Pagina primâ hujus Operis, declarat Jacobus Vernantus se intendere nihil detrahere gloriæ, auctoritati successorum Apostolorum. » Mei Magistri » sunt, *inquit*, & Judices quos Christus ad regi» men Ecclesiæ statuit, & quos Spiritus Sanctus » posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Neque in » mente habui lædere honorem Parochis debitum, » quos scio valdè utiles & necessarios Operarios esse in Ecclesia.

Paginâ quintâ, animadvertendum proponit se nihil dixisse, ex quo concludere quis possit ad solum Papam pertinere, non ad Concilia, definire infallibiliter disputationes ad fidem pertinentes. Id unum negante Authore de *l'Abbregé de l'Illusion Théologique*, quo propognavit infallibilem auctoritatem soli competere Ecclesiæ congregatæ. Assertionem autem suam Vernantius probat testimoniis Doctorum Sorbonicorum, Maucleri, *Lib. IV. parte 2. de Monarchia Ecclesiastica*, *cap.* 4. *col.* 446. Duvallii, *tract. de Rom. Pontif. parte* 2. *quæst.* 2. *fol.* 757. Bailii, *tract. de triplici verbo Dei*, *&c.* Adducit insuper Censuram à sacra Facultate latam anno 1644. adversùs Propositiones excerptas è libro, *le Pacifique véritable*, Theophili Bracher, Domini de la Millerière, docentis in dubiis fidei consulenda esse Consilia Universalia, in quibus solis se manifestat & declarat Consensus unanimis. *Hæ propositiones*, inquit Censura Sorbonica, in *quantùm infallibilitatem Ecclesiæ.* Idem, *tomo* 3. *pag.* 19. *in nullo alio statu*, *quàm in Concilio Œcumenico congregato tribuunt*, *temerariæ sunt*, *& ipsi Ecclesiæ injuriosæ & hæreticæ.*

Post varia suarum opinionum probamina, Vernantius tandem devenit ad Opus Gallicè inscriptum : *Recueil de diverses pièces concernant les Censures de la Faculté de Theologie de Paris*, *sur la Hierarchie de l'Eglise*, *& sur la Morale Chrétienne*, *&c.* A Munster, chez Bernard Reasfeld, 1666. *in*-12. in quo continentur *Notæ Arnaldi*, & *Considerationes venerabundæ Jacobi Boisleau.* Jam in Præfatione notaverat hunc libellum damnatum fuisse Sententiâ Supremi Senatûs Parisiensis, die 19. Maii 1666. Verùm ad paginam 366. hæc notat in considerationibus venerabundis Jacobi Boisleau, *art.* 1. *pag.* 122. *lin.* 15. » Si cette maxime étoit véritable, » qu'il faut obéir en tout à Notre S. P. le Pape, » lorsqu'il parle avec les marques de son autori» té, la parole de Jesus-Christ qui nous enseigne » que les portes de l'enfer ne prévaudront jamais » contre l'Eglise. « Ibidem, *art.* 4. *pag.* 129. *lineâ* » *ultimâ.* » C'est une preuve manifeste de la préci» pitation avec laquelle a été faite, sans disputer, » sans examiner, sans même avoir lû les Censures » de la Faculté ! « Ibidem, *art.* 1. *pag.* 123. *lineâ* 6. » Cette Bulle est injuste, remplie de nullité, elle » autorise des Hérésies manifestes. « Ibidem, *art.* 5. *pag.* 132. *lin.* » La passion a fait succomber le Pa» pe Alexandre VII. « Ibidem, *art.* 9. *pag.* 140. *lin.* 22. » Les Papes mêmes ont abandonné les er» reurs, quand les Docteurs de la Faculté les ont » condamnées.

In notis Arnaldi seu Nicollii hæc animadvertit, *art.* 5. *pag.* 100. *lin.* 20. » Le Pape Alexandre VII. » a attendu bien témérairement l'inspiration de » Dieu. « Ibidem, *pag.* 104. *art.* 9. *lin.* 8. » Non» seulement la Bulle est téméraire, présomptueuse » & scandaleuse; mais ce n'est point un exces de » dire qu'on la peut avec raison accuser & condam» ner d'hérésie. « Ibidem, *art.* 7. *pag.* 101. *lineâ penè ultimâ.* » Cette Bulle est appuyée sur des prin» cipes manifestement hérétiques. « Ibidem, *art.* 12. *pag.* 105. *lineâ* 29. » C'est avec raison qu'on accu» seroit cette Bulle d'hérésie. » Ibidem, *art.* 13. *pag.* 106. *lin.* 12. » La Cour Romaine aura assez de peine » à garantir la mémoire du Pape Alexandre VII. » comme celle du Pape Honoré. « Ibidem, *art.* 13. *pag.* 107. *lin.* 7. » Le Pape Alexandre VII. non» seulement ne condamna pas l'erreur, mais il dé» fend de la condamner. « Ibidem, *art.* 15. *pag.* 108. *lin.* 14. » Les erreurs que le Pape authorise » par sa Bulle sont des erreurs séditieuses. « Ibidem, *art.* 23. *pag.* 115. *lin.* 18. » Les Maximes approu» vées dans la Bulle du Pape, sont notoirement » abominables.

3. *Réponse Chrétienne du sieur de Vernant*, *à l'idée de l'Eglise naissante*, *au livre de la Messe Paroissiale*, par Monsieur Guerry, Curé à Poitiers : *Et au cayer faussement intitulé : La défense de la vérité* ; par M. Louis Marais, Docteur de la Faculté de Paris, *en ce que l'Auteur à écrit de l'autorité de Notre S. P. le Pape.* A Metz 1667. absque nomine Typographi, *in*-8°.

Vernantus statim animadvertit Opusculum Gallicè inscriptum : *L'idée de l'Eglise naissante*, nihil aliud esse ferè quàm traductionem *Epistolæ de Origine Parochiarum*, editæ anno 1660. à Joanne Fronteau, Canonico Regulari S. Augustini, è Congregatione S. Genovefæ. Responsio huic data tractatui, continet *paginas* 210. Posteà Vernantus respondet Libro Dom. Stephani Guerry, *de Missâ Parochiali* ; & *pag.* 213. animadvertit quod hic Dom. Guerry, æquè ac Dom. Benedictus Picys, Parochus S. Nicetii Lugdunensis, & Dom. Franciscus Bonichon, Vicarius perpetuus S. Michaelis Andegavensis, sua desumpsit argumenta è Libro Latinè inscripto : *Parocophilus.* A *paginâ* 265. incipit Vernantus respondere Sermonibus Dom. Ludovici Marais, quorum secundus Gallicè inscribitur : *La défense de la vérité* ; & *pag.* 275. contendit & notat doctrinam Dom. Marais, convenire omninò erroribus Edmun-

di Richer, *de Ecclesiasticâ & politicâ potestate*, *pag.* 14. *num.* 8.

4. *La mauvaise foi des Jansenistes dans la traduction des Passages de S. Augustin*; suppresso Authoris nomine. Id operis adjudicatur Jacobo de Vernant, in *Tabulâ universali Scriptorum Ecclesiasticorum*, *tomo* 2. *pag.* 2383. Meminerit autem Lector quod, nondum Ejus Opera suis Carmelitis fuerint Superioribus probata, quin & Provinciales & Definitores Provinciæ Turoniæ Rhedonibus anno 1659. die 11. Maii, in Congregatione annuâ coadunati, Decretum istud tulerunt.

» Cum ab aliquot annis scripta Typis, pro de-
» fensione Privilegiorum Regularium, maximas
» excitent turbas; idque pari Ecclesiæ & ipsis quæ
» defenduntur Privilegiis præjudicet; uti patet ex
» Decreto sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ
» Inquisitionis, nuper emanato super istis Controver-
» siis: districtè prohibemus omnibus & singulis nos-
» tris Religiosis cujuscumque conditionis existant,
» ne quicquam imprimis curent de hac materiâ, sinè
» facultate R. P. Generalis, & deindè Provincia-
» lis, servatis servandis; sub pœnis in nostris Cons-
» titutionibus, *parte* 1. *Cap.* 24. *num.* 15. Datum
» & actum in nostro Conventu Rhedonensi, die
» undecimâ Maii, anno 1659. sic subsignatum: F.
» Valentinus à S. Armagillo, Provincialis. F. Cons-
» tantius a Cruce, &c. Jacobum Vernant in suo *Theatro Pseudonymorum* collocavit Vincentius Placcius, *pag.* 605. *num.* 280. sed quis fuerit iste Vernant, Placcium latuit. Inscius illum Adrianus Baillet posuit inter Scriptores Societatis Jesu, *tomo* 2. *de Judiciis Eruditorum*, *Cap.* 31. *num.* 112. *pag.* 76. Edit. *in*-4°. vel *pag.* 137. Edit. *in*-8°. Quem errorem exscripsit Petrus Bayle, in *Dictionario Critico*, verbo ALEGAMBE, *Not.* C. Correxit autem Laurentius Jodocus le Clerc, in Opere Gallicè inscripto: *Lettre critique sur le Dictionnaire de Bayle*, *pag.* 45. hunc secutus est vir clariss. Dom. N. Joly, in Opere Gallicè inscripto: *Remarques critiques sur le Dictionnaire de Bayle*, *in-fol.* 1748. *pag.* 100.

Non hìc omittendum quod ipse Jacobus Vernantus reprehendit in Marsil *Sermone de Veritatis defensione*, *pag.* 27. ubi dicitur: *On ne peut donc sans un attentat horrible soustraire aucun Chrétien, pas même le Pape, à la puissance & à la Jurisdiction de l'Eglise, à moins de vouloir qu'il renonce à la qualité de* MINISTRE DE L'EGLISE. Vernantus autem *in Responsis Christianis*, *pag.* 271. *notat* Doctrinam Sacræ Facultatis esse, quod summus Pontifex est extrà Concilium Generale infallibilis, accedente consensu Ecclesiæ; ut constat ex Articulis sex, quos eadem Sacra Facultas obtulit Regi Christianissimo LUDOVICO XIV. die 11. Maii 1663. Deindè *pag.* 302. Marsilium admonet Vernantus, ut majori veneratione loquatur de Papâ, non simpliciter, sed cum honorifico additamento, *Ministrum* aut *filium Ecclesiæ* vocitans; quià nominatur à Sacra Facultate Parisiensi, *summus Pontifex*, in Decreto anni 1542. die 18. Januarii: *summus Pontifex, cui omnes Christiani parere tenentur*, in Decreto anni 1543. die 10 Martii: *sub Christo Caput est Papa, cui Christiani omnes debent obedientiam*, in Decreto anni 1561. die 18. Junii.

XXIX.

JACOBUS JOANNIS, Teutonicus, est Exscriptor & Amanuensis cujusdam Libelli sic Inscripti:

ISIDORI, *Hispalensis Episcopi*, *Libellus*, *quem è diversis PP. opusculis collegit in sacræ Scripturæ libros aliquot.*

Exscriptus est hic codex, & absolutus à Jacobo Joannis Alamanno Crucennacensi, Ordinis Fr. B. M. V. de Monte Carmelo, ex Exemplaribus satis fidis, Matthiæ Inclyti Regis Hungariæ & Bohemiæ, anno Incarnationis Domini 1490. Kal. Aprilis.

Ita refert Domnus Bernardus de Montfaucon, in Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum, *tomo* 1. *pag.* 287. *col.* 2. *num.* XVIII. ubi animadvertit hunc Codicem manuscriptum asservari in *Laurentiana Medicea Bibliotheca*, *Pluteo XXI.*

XXX.

JACOBUS WEMMERS, Belga, *Antuerpiæ*, die 21. Octobris, an. 1598. ex GISBERTO WEMMERS, & MARIA HANOTEL, Catholicis, & honestis conjugibus natus, Antuerpiæ Tyrocinium Carmelitanum aggressus est anno 1616. die 22. Septembris. Anno sequenti, ad diem 25. Septembris ibidem vota publicè dixit. Bonas literas, & exoticas linguas extra Claustra addiscere intentus, haud pœnitendum studiorum fructum reportavit, cum Magisterii lauream pro meritis fuerit assecutus, atque *Lexicon Æthiopium*, unà *cum Institutionibus Grammaticis* ejusdem linguæ, primus in lucem ediderit.

Notus propterea in Urbe, & probatus Sacræ Patrum Congregationi *de propagandâ Fide* nuncupatæ, Præfectus Æthiopicæ Missionis, currente anno 1640. instituitur Quinquennio posteà circiter elapso, anno 1645. die 24. Aprilis electus est Episcopus *Mempheos* vulgò *Cairi*, simulque Vicarius Apostolicus in partibus Æthiopiæ. Inauguratus est Romæ in Templo Sanctæ Mariæ Transpontinæ, dum ibi sui Ordinis Comitia generalia celebrantur, Feriâ 2. Pentecostes, quæ die 5. Junii tunc incidit. Sacrum Consecrationis ritum celebravit Fr. Hieronymus Domin, Epicopus Cajetanus, professione itidem Carmelita. Post hæc Jacobus diù in urbe commorari, muneri sibi injuncto minùs æquum arbitratus, intempestivè Româ egreditur, Neapolim profecturus, atque subindè in Orientem. verùm citiùs ad occasum pervenit. Expertus fuit namque fatalem Neapolitani tractûs aërem: Infirmatus enim apud suos sodales, in majori Carmelo Neapolitano, Spiritum Deo reddidit, mortem oppetens, qui sua in vita pius, & cunctis amabilis extitit. Sepulturam in templo ejusdem Cœnobii accepit ubi Epitaphium istud legitur:

D. O. M.

ILLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS
DOM. FR. † JACOBUS WEMMERS,
ANTUERPIENSIS CARMELITA,
MEMPHEOS EPISCOPUS,
SCIENTIIS, MORIBUS-QUE PRÆCLARUS;
GREGEM ARDENS MAXIMA,
ARDORES MINIMI FACIT ÆSTIVOS:
PRO ÆGYPTO CŒLUM APPELLIT;
ET QUI ECCLESIÆ MULTA SCRIPSIT,
HUIC ECCLESIÆ ADSCRIPSIT OSSA
XII. KALENDAS SEPTEMBRIS,
ANNO DOMINI M. DCXLV.

Primus,

1°.

J.

1°. *Lexicon Æthiopicum*; seu *Latino-Æthiopicum* edidit.

Primus,

2°. *Grammaticam*, seu *Institutiones Grammaticas ejusdem linguæ* dedit: Quæ duo Opera ad propagandam Fidem, sumptibus S. Congregationis Romæ fuerunt edita, *in-4°.* anno 1638. ab *Athanasio Kirchero*, Soc. Jesu presbytero: ab *Abrahamo Ecchellensi* Maronita, Syriacarum & Arabicarum Litterarum *Romæ* publico Lectore; & à *Sacerdotibus Æthiopibus*, in urbe ad Sanctum Stephanum agentibus, vehementer laudata simul cum ipso illorum Operum Authore laudato.

3°. *Bullas* quasdam *Romanorum Pontificum*, è Latino in Ethiopicum vertit, ab ipso Ludovico Jacob, teste oculato, laudatas.

Jacobi Wemmers encomia celebrant Aubertus Miræus, sivè potius illius Continuator & Nepos Illustriss. Dom. posteà Episcopus Antuerpiensis, Aubertus Vanden Eede, *Lib. de Scriptoribus seculi XVII. Cap. CCXV.* Hippolytus Marraccius, in *Bibliothecâ Marianâ*, verbo Zara Jacob. Philippus Labbe, in *Nova Bibliotheca Manuscriptorum Librorum*, *pag.* 240. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 169. Daniel à Virgine Maria, *in Vinea Carmeli*, *pag.* 522. *num.* 932. Ibid. *pag.* 581. *num.* 1040. Idem Daniel, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 930. *num.* 3257. Vir Clariss. Dom. Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 544. Successor Jacobi Wemmers in Episcopatu Mempheos fuit, Franciscus Suarez ob Villegas, Carmelita, de quo super. *pag.* 517.

XXXI.

JACOBUS VILHETI, (seu) VILLETI, Avenionensis, sacræ Theologiæ Professor Parisiensis, Sententiarum & Bibliorum in Capitulo Carmelitarum Generali, Bononiæ in Æmilia, anno Domini 1411. celebrato ordinatus, Doctor verò anno 1420. renuntiatus, Definitor, ac Provincialis Provinciæ; quo in Præfecturæ officio interfuit Comitiis Generalibus Astæ in Subalpinis, anno 1440. in quo designatur Procurator Generalis pro Concilio Generali; ut ibidem dicitur, pro tempore futuro. Cabilone Ambarrorum ad Ararim, anno 1444. ubi constitutus Procurator Generalis, Romæ anno 1447. & Avenione Cavarum ad Rhodanum, anno 1451. celebratis: Quo anno vocatur etiam totius Ordinis Vicarius Generalis; quo munere fungens, missus est ad Concilium Basileense; sicut evincitur ex Capitulo Generali Cabilonensi, anno 1444. celebrato: in quo inter taxas numeratur centum ducati dandi Magistro Jacobo Villeto, pro expensis factis in Basilica pro uno anno cum dimidio; porro ipse Villetus scripsit,

1. *In Libros quosdam sacræ Scripturæ, Commentaria*: quorum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 1222. *lineâ secundâ.*

In IV. Libros Sententiarum Commentaria; ex unius Ludovici Jacob fide.

Joannem Villeti commendant *Catalogus Mss. Doctorum Parisiensium Carmelitarum*, ab anno 1270. ad annum 1664. *collectos* ex Tabulis Academiæ Parisiensis, & ex Monumentis Mss. Collegii Carmelitarum Maubertini: *Instrumentum Ms. Joannis Faci*, anno 1451. die 2. Novembris comprobatum, & in Archivio Carmelitarum Avenionensium asservatum; cujus Apographum R. P. Angelus Leblanc, Prior Avenionensis Carmeli, anno 1638. communicavit Ludovico Jacob, qui illud inseruit suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Mss. pag.* 170. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1455. *num.* 9. *pag.* 888.

XXXII.

JAIMUS MONTAGNES, Carmelita, Provinciæ Aragoniæ alumnus, præfuit Cœnobio oppidi *Onda* in Regno Valentiæ Prior, necnon Calaritano Monasterio in Sardinia, totiusque Insulæ Vicarius Generalis, anno M. DLXIX. creatus; ut constat ex Regestis Joannis-Baptistæ Rubei, Prioris Generalis. Scripsit Jaimus Hispano sermone:

Espejo de bien vivir; Tratado de aiudar à bien morir. Valentiæ, apud Joannem Navarrum, 1565. *in-4°.* Item Matriti, apud Franciscum Sanchez, anno 1573. *in-8°.* Item Barcinone, 1576. *in-8°.* & 1608. Item Pampelone 1611. *in-8°.*

Hæc habet Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 470. & *tomo* 2. *pag.* 304.

XXXIII.

JANUARIUS MILONE, Neapolitanus, Carmelita, *plura Exercitia devota* collegit, & Typis Neapolitanis mandavit, anno 1708. *in-12.* inquit Elias de Amato, in *Schedis Mss.* è Monte Altino ad nos Aureliam directis, anno 1748.

XXXIV.

JESUALDUS GUARNERIUS, natione Siculus, patriâ Catanensis, Provinciæ reformatæ primi Instituti Carmelita, & Conventus Montis sancti de Urbe Vicarius, ubi obiit die 7. Novembris 1649. Scripsit Latinè, *Deplorationes sacras animæ pœnitentis.* Romæ, 1643. *in-16.* sicuti legitur *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1072. *num.* 3738.

XXXV.

IGNATIUS À S. ANTONIO, (Joseph) Carmelita Discalceatus, Gallo-Belga, ex illustrissima familia Toparcharum *de Rebec* oriundus, laudatusque ad tomum 12. Spicilegii Acheriani, velut longè eruditissimus, antiquarum rerum peritissimus, circà annum 1671. *Antonini Placentini* qualecunque *Itinerarium*, suâ manu transcriptum Tornaco Antuerpiam ad R. P. Danielem Papebrochium misit; ab eo quærens, quid tandem de Autore sentiat, qui ipsius judicio neque posset fuisse tam antiquus, quàm præfert *S. Antonini Martyris Placentini*, titulus: neque videretur tam novus, quàm suggerebat tertia, quartave à principio linea, ubi legebatur *Antoninus in quibus locis per Regnum conatus est ire*, intelligendo *Regnum Neapolitanum*, per quod ab Urbe Placentina usque ad extremam Italiam, iter alioqui erat ituro in Orientem. Regnum enim, aiebat, hoc sensu sumitur pro magna Græcia, seu reliqua post Romam Italia; & sic primùm appellari cœpit seculo XII. Necesse est autem uno ut minimùm seculo citiùs scriptum *Itinerarium* fuisse, cum nulla mentio uspiam fiat Latinorum, qui in Syria eo tempore essent, vel aliquandò fuissent, nulla etiam in Carmelo alicujus Monasterii.

Respondit R. P. Daniel Papebrochius: Censeo se decimi vel undecimi seculi scriptum istud videri tum ex styli barbarie, tum ex aliis adjunctis, seu pseudi-pigraphis: idque non tantum quia se *Antonini Martyris* socium facit, & illum qui miles fuit, transformat in Presbiterum vel Monachum, *Patrem Antoninum*, appellando *cap.* 34. Sed maximè quia se dicit socium itineris, quod non potuit nisi somnians fecisse. Quo fit, ut taceat de cele-

I.

brioribus, quæ in Terra sancta fuerunt, & adhuc erant tunc Monasteriis, puta Sabæ, Charitonis, Euthymii, Gerasimi, Theodosii, Calamonis, Chozebis; de aliis verò nonnisi incerta quædam & sæpè fabulosa percurrens, nihil nos docere posset circà statum Monasticum in Oriente, pro illo quo vixit & scripsit seculo, quantomcunque dilato.

Hæc præfatus Papebrochius, *in Notis super Antonini Placentini Itinerarium*, quod præfigitur *tomo* 2. *Actorum Sanctorum* mensis Maii, *pag.* 18. *num.* 61.

XXXVI.

IGNATIUS BAGNATI, Carmelita Provinciæ, *S. Mariæ à Vita*, Neapolitanus, Verbi Divini Præco facundissimus, plurimisque in Ecclesiis celeberrimis cum plausu & maximo fructu auditus, res Mathematicas tam eruditè callebat, ut suæ quarto vigesimo ætatis anno in certamine disputationis per concursum ordinatæ, publicam in Academia Neapolitana Cathedram Matheseos obtinuerit. Absoluto Officii Prioris in Cœnobio Sancti Martini de Montibus Romæ triennio, Neapolim rediit; ubi vivebat anno Christi 1726. Sed ætatis suæ anno nono post sexagesimum super additis mensibus sex defunctus, postquam scripsisset Latinè Opus quod inscribitur:

Vera Mundi ætas, à Fratre Ignatio Bagnati, Ordinis Carmelitarum, sacræ Theologiæ Doctore & Magistro, definita & demonstrata; curâ & diligentiâ auditoris ejus Fr. Andreæ Mariæ Coscioni, Provinciæ S. Mariæ à Vita, Magistri Exprovincialis in lucem editâ; ac Eminentiss. & Reverendiss. Dom. D. JOSEPHO SPINELLO, S. R. E. Cardinali, Archiepisc. Neapolitano, inscripta. Neapoli, 1742. ex Typographia Blasiana. Hoc Opus posthumum calculis refertum accuratis, tria continet puncta. Primum, quod Christus Dominus mortuus sit, die 3. Aprilis, anno ætatis suæ trigesimo tertio. Secundum, quod Æra communis Christiana sit vera, verissima, & inemendabilis. Tertium, quod anni, qui à Creatione Mundi ad Christi nativitatem fluxere, fuerint quater mille octoginta & menses novem.

Hæc Romæ Aureliam missis ad nos Schedis MSS. scribebat R. P. Timotheus Bergerot, die 17. Septembris 1748. & die 4. Februarii 1749.

XXXVII.

IGNATIUS A S. FRANCISCO, Leodiensis, in seculo ABRAHAM nuncupatus, Carmelita Provinciæ Franciæ alumnus, Prior Cœnobium Leodiensis textit anno 1668. electus. Edidit suo vulgari idiomate,

1. *Responsionem Catholicam adversùs sermonem Henrici Chrouet, Heterodoxi, Ministri Ulnensis.* Leodii, apud Balduinum Bronkart, anno 1655. *in*-8°.

2. *S. Alberti vitam Mss.* in Bibliotheca Carmelitarum Leodiensium asservatam.

3. *S. Josephum Filium David, Patrem Christi, & Patronum Christianorum.* Tribus partibus distinctum; MS. ibidem asservatum; teste Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana MS. pag.* 170. ubi hæc ab ipso Autore se didicisse asserit, in *Scheda MS.* ibi affixa.

XXXVIII.

IGNATIUS A JESU, natione Italus, Carmelita Excalceatus, Missionarius Apostolicus in Oriente, Vicarius Carmelitarum Excalceatorum, *Bassoræ* Sabæorum in Arabia felice ad fluvium Tygris & Euphratis ostia: Vir admirandæ virtutis, & singularis pietatis, qui Zelo verè Apostolico propagandæ Fidei in Oriente se conferens, in vinea Domini ingentibus & continuis laboribus indefessus Athleta extitit: complures illarum Gentium ad Fidem Catholicam perduxit. Linguarum Orientalium peritissimus, scripsit,

1. *Narrationem originis Rituum & errorum Christianorum Sancti Joannis.* Romæ, Typis sacræ Congregationis de propaganda fide, anno 1652. *in*-8°.

2. *Adversus XXXIV. Errores Christianorum S. Joannis.* Ibidem, & in eodem Libro.

Ignatium à Jesu commendant Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annalibus Carmelit. Excalceat. Galliæ, Lib. II. cap.* 118. *pag.* 620. ubi vocatur Vicarius Tripolitanus, & Montis-Libani. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. I. Itineris Orientalis, cap.* 2. & *Lib. VI. cap.* 7. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo MS. Carmelitarum Excalceatorum Scriptorum*, quo usus fuit Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmel. MS. pag.* 170. Daniel, in *Spec. Carmel. pag.* 1128.

XXXIX.

IGNATIUS JOSEPH A JESU MARIA, natione Picardus, in seculo JACOBUS SAMSON nuncupatus, *Abbavillæ* anno 1596. natus die 10. Februarii, inter Carmelitas Discalceatos in Parisiensi Cœnobio tyrocinium suscepit anno 1618. Priore CLEMENTE A S. MARIA, (vide Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ, *pag.* 406.) & Magistro Novitiorum ALEXANDRO A S. FRANCISCO. Vide *super pag.* 310. die 3. Novembris. Emenso studiorum Philosophiæ & Theologiæ curriculo, ad sacros promotus Ordines, tres post annos à Superioribus ad Confessiones audiendas & Conciones habendas adjunctus fuit. Deindè Lemovicum missus, Colloquiis Ven. Matr. ISABELLÆ AB ANGELIS usus est. Parisios redux, Supprior constituitur, & indè in Conventu Charentonensi Magister Novitiorum, ut quod idem officium Tolosæ exercendum destinatur. Joannis Evangelistæ à SS. Sacramento, Galliarum Provincialis, Comes individuus, Coenventuum Abbavillensis & Ambianensis annis 1640. & 1648. fundationis primus promotor & Vicarius extitit. Obiit senex *Charentoni*, Regularis observatoriæ rigidissimos custos, die 19. Augusti, anno 1665. Vir vario scientiarum genere ornatissimus, ac Linguarum Grecæ & Latinæ peritissimus, in volvendis Historiis sacris, præsertim Sanctorum vitis & Actis perscrutandis, valdè occupatus. Plura edidit Opera, quorum tituli hi sunt:

1. *Narratio fundationis Conventûs S. Joseph Parisiensis, Carmelitarum Excalceat. quæ anno* 1639. *in-folio* Gallicè prodiit in 2. Editione Antiquitatum Civitatis Parisiensis, anno ut suprà.

2. *Vie de S. Maur-des-Fossés, avec les Antiquités de cette Abbaye*: Hoc est Latinè: *Vita S. Mauri Abbatis*, duobus Libris distincta: in quibus agitur de *Antiquitate* Ordinis S. Benedicti: De vita Sancta primorum Benedictinorum Galliæ: De Erectione primi eorum Monasterii Glanofolii in territorio Andegavensi: De Abbatiâ *S. Mauri de fossatis*, propè Parisios; de ejus Privilegiis & beneficiis ab eâ dependentibus: De Abbatibus tam Regularibus, quàm Commendatariis ab anno 645. usque ad annum 1640. De Miraculis antiquis & recentibus S. Mauri: Historia fundationis Capellæ B. V. Mariæ de Miraculis nuncupatæ. Parisiis, apud Petrum de Bresche, 1640. *in*-8°. Hujus vitæ Gallicè scriptæ

I.

meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 251. *num.* 5403.

3. *Histoire Ecclésiastique de la Ville d'Abbeville, & de l'Archidiaconné de Pontieu, au Diocèse d'Amiens.* Hoc est Latinè: *Histor. Eccl. Urbis Abbavillæ, & Archidiaconatûs Pontivensis, in Diœcesi Ambianensi.* Parisiis, apud Franciscum Pellicanum, 1646. *in*-4°. Hæc Historia citatur, in *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 300. *num* 420. & in *Bibliotheca Histor. Galliæ*, *pag.* 71. *num.* 1615.

4. *Relatio virtutum piissimi viri Domini Antonii Leclet de la Forêt, in Curia Parlamenti Parisiensis Advocati.* Parisiis, apud Ludovicum Boulanger, anno 1647. *in* 8°. Gallicè. Huic Advocato fuerat Ignatius à Confessionibus pœnitentiæ Sacramenti.

5. *Vita Vener. Matr.* GABRIELÆ A JESU MARIA, *Fundatricis Monialium Ordinis S. Francisci de Paula in Gallia.* Parisiis apud Pellicanum, 1646. Gallicè *in*-8°.

6. *Martyrium V. P. Dionysii à Nativitate, cognomento* BERTHELOT, *Neustrii, Hunflorii, & Fratris Redempti à Cruce, Lusitani, Carmelitarum Excalceatarum, apud Achem in India, pro fide Jesu Christi, occisi jussu Regis Mahometani.* Parisiis, apud Franciscum Pellicanum, anno 1648. *in*-8°. Gallicè.

7. *Vita B. Bernardi Abbavillæi, primi Abbatis, & Fundatoris Monasterii SS. Trinitatis de Tironia, Ordinis S. Benedicti, Diœcesis Carnotensis.* Parisiis, apud Sebastianum Huré 1649. Gallicè. Quam R. P. Simon Martin, Parisinus, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paulâ, inter vitas Sanctorum, die 16. Aprilis posuit. *in-folio.*

8. *Histoire Généalogique des Comtes de Pontieu, & des Majeurs d'Abbeville: où sont rapportés les Priviléges que les Rois leur ont donnés, leurs actions héroïques, leurs Armoiries, & ce qui c'est passé de plus remarquable durant leur Magistrature, dans le Païs de Ponthieu & de Vimeux, tant dans l'Etat Ecclesiastique, qu'en l'Etat Politique; depuis l'an* 1083. *jusqu'en* 1657. *avec les Hommes Illustres qui y sont nés, & qui y sont morts:* Par J. D. J. M. C. D. *in-folio.* A Paris, chez François Clousier, 1657. Hæc Historia Genealogica citatur à P. Jacobo Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 739. *num.* 14488. & *pag.* 856. *num.* 16706. Ubi notatur quod aptiùs *Historia Chronologica* vocanda esset, utpotè quæ seriem temporum servat.

9. *Historia Ecclesiastica Diœcesis Ambianensis.* Ms. *in-folio.* Gallicè.

10. *Vitæ Sanctorum ejusdem Diœcesis Ambianensis.* Mss. Gallicè. *in*-4°.

11. *Historia Sancta Comitum Pontiviensium.* Ms. Gallicè. *in-folio.*

12. *Acta Septuaginta quatuor Episcoporum Diœcesis Ambianensis*, Mss. Gallicè.

13. *Exhortationes de virtutibus ad Novitios*, duobus tomis comprehensæ, Mss. Gallicè. *in*-4°.

14. *De viris illustribus Carmelitarum Excalceatorum, qui obierunt in Conventu S. Joseph Parisiensis*, Liber Ms. Latinè, *in*-4°.

15. *Chronicon Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, ab anno* 1610. *usque ad nostra tempora*, Ms. Latinè.

16. *Compendium virtutum heroïcarum & vitæ Ven. Alexandri Ubaldini à S. Francisco, Romani, Carmelitæ Excalceati*, Ms. Latinè.

17. *Vita Vener. P. Andreæ à Jesu Mariâ Boulanger, Abbavillensis Carmelitæ Excalceati*; Quâ usus est Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ, Lib. I. cap.* 78. *pag.* 203.

18. *De laudibus Deiparæ Virg. Mariæ, Tractatum* Ms. Græcè.

Hunc Catalogum ipse Author Ignatius charissimo suo amico subministravit Ludovico Jacob, qui illum inseruit suæ *Bibliothecæ Carmelitanæ Ms. pag.* 171. De Ignatio nostro Nicolai Samson nepote, perhonorificè locuti sunt Ludovicus Bail, in *Theologia affectiva*: Hilarion à Costa, in *Elogio Gabrielæ à Jesu Maria*: Simon Martinus, in *Vitis Sanctorum*: Jacobus Doublet, in Libris *de S. Dionysio, de S. Stephano, & de S. Magdalena*: Philippus Labbe, in *Tabulis Geographicis*: Joannes-Baptista Souhet, in *Notis ad Vitam S. Bernardi, Abbatis Tironensis*: Gabriel Nodæus, in *Dialogo Politico*: Arturus à Monasterio, in *Neustria pia*: Ludovicus de la Forest Provençal, in *vita Antonii Leclerc de la Forest*; quæ citatur apud Jacobum Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 64. *num.* 1475. Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*: Nicolaus Lenglet du Fresnoy, in *Methodo ad Historiam*, *tomo* 4. *pag.* 195. Petrus Bayle, in *Dictionario Critico*, Verbo SAMSON. Joannes Bollandus, in *Commentario prævio vitæ S. Gervini, Abbatis Centulensis, die* 3. *Martii*: Petrus à S. Romualdo, *tomo* 2. *Diarii Chronico-Historici, die* 11. *Septembris.* Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ.* Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 209.

XL.

IGNATIUS A S. JOANNE, Polonus, Carmelita Discalceatus, edidit Polonico idiomate *Commentaria in Epistolas S. Teresiæ*, anno 1672. *in*-4°. quorum meminit Martialis a S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 209. & 384.

XLI.

IGNATIUS A S. JOANNE EVANGELISTA, natione Ruthænus, Carmelita Discalceatus, è Prussiâ oriundus, vir optimis & sanctissimis moribus clarus, pietate, religione, sacris ac humanissimis Literis insignis, scripsit circà annum 1650.

1. *Vitam P.* ANDREÆ *à* JESU, *Sarmatæ, Carmelitæ Discalceati.*

2. *Vitam P.* NICOLAI *à* JESU, *Poloni, ejusdem Ordinis.*

3. *Vitam P. à* PURIFICATIONE, *Poloni, ejusdem Ordinis.*

4. *Vitam P.* HIERONYMI *à S.* HYACINTHO, *Poloni, ejusdem Ordinis.*

5. *Vitam P.* VINCENTII *à S.* STANISLAO, *Poloni, ejusdem Ordinis.*

6. *Vitam* CHRISTIANÆ *à S.* MICHAELE, *Belgæ, Fundatricis Monialium Teresianarum in Poloniâ, Virginis Sanctitate, & prodigiis illustris*: cujus Corpus adhuc incorruptum perseverat, quod suavissimum emittit odorem; & ipsa Virgo sæpè gloriosa post mortem apparuit.

7. *Vita* DOROTHEÆ *à S.* MARIÂ, *Leopoliensis, Carmelitanæ Discalceatæ.*

8. *Vitam* AGNETIS *à SS.* TRINITATE, *Carmelitanæ Excalceatæ*, quæ & ipsa post mortem sæpiùs visa est gloriâ coruscans.

9. *Annales Provinciæ Poloniæ Carmelitarum Excalceatorum.*

IGNATIUM à S. JOANNE EVANGELISTA laudant Isidorus à S. Josepho, Belga, *in vita Ven. P. Joannis à Jesu Mariâ*, Carmelitarum Excalceatorum Præpositi Generalis: Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Ms. Authorum Carmelitarum Excalcea-*

torum, quo accepto Ludovicus Jacob usus est in suâ *Bibliothecâ Carmelitanâ Mss. pag.* 172. faciliè crederem hunc Ignatium à S. Joanne Evangelistâ, eumdem esse atque Ignatium à S. Joanne, Commentatorem Epistolarum S. Teresiæ: uterque Polonus, uterque rerum Asceticarum, uterque medio seculo aut inclinante decimo septimo seculo vitam gessit, &c.

XLII.

IGNATIUS A MATRE DEI, Carmelita Excalceatus, *Parisiis* professus anno 1632. die 2. Februarii, Sacræ Theologiæ Lector, Ambianensis anno 1638. Prior electus & alibi pluries, Definitor anno 1664. posteà Vicarius Provincialis, obiit *Charentoni*, die 10. Martii, 1684. ætatis suæ anno 71. Scripsit,

1. *Tractatum de Gratiâ, contrà Jansenium & ejus Discipulos, tribus tomis in-*4°. contentum, & *pagg.* 2912. juxtà Decretum à suis PP. Carmelitis Excalceatis, Charentoni congregatis, latum anno 1646. die 20. Aprilis, teste R. P. Ludovico à S. Teresiâ, *in Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, Lib. II. Cap. 67. pag.* 475. Undè non mirum quod Ludovicus de Sancto Amore, in suo *Diario, parte 5. Cap. IX. pag. 286. lin. ult.* supponat Dom. Joannem-Jacobum Olier, Seminarii San-Sulpitiani Parisiensis Fundatorem, ad Patres Carmelitas Excalceatos Parisienses, anno 1652. adiisse eis suasurum ut adversùs quinque Propositiones subscriberent, sed hos RR. Patres id ei denegasse.

2. *Annotationes in Acta Apostolorum, in Epistolas Canonicas, & in Apocalypsim:* Quæ cum Tractatu præcedenti servantur *Mss.* in Conventu Rothomagensi Carmelitar. Excalceat.

Ignatium à Matre Dei commendant Ludovicus à S. Teresiâ, *in Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ, Lib. II. Cap. CXI. pag.* 593. *& Cap. CLXX. pag.* 787. Martialis à S. Joanne Baptistâ, *in Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 787.

XLIII.

IGNATIUS A S. PETRO, Carmelita Belga, Vir pietate singulari clarus, in lucem edidit *vitam S. Caroli Borromæi*: eamque tam annographicè, quàm Chronologicè discussit in solemni ejusdem Sancti Jubilæo. Brugis, an. 1684. *in*-4°.

Devotionis cujus originem fuisse natam Lectorem meminerit ex eo quòd S. Carolus Borromæus, Ordinis Carmelitarum Protector, institutus fuerit apud Sedem Apostolicam à Pio IV. anno 1563. die 5. Maii, dum Cardinalis titulo S. Martini in Montibus Diaconus tantum esset: quam & Ecclesiam in urbe insignem ad ipsos Carmelitas pertinentem, notabiliter instauravit Carolus & decoravit perpulchro laqueari (aliter dicitur *Testudo & Camera*) adhuc extante: ubi insignia, seu stemma ejus solitum, hoc est *humilitas*, & desuper Corona.

Defuncto quidem S. Carolo, Protector Ordinis successit Philippus Cardinalis Boncompagnus, anno 1573. die 5. Februarii, sed in S. Carolum devotio æquè ac in S. Eliam & in S. Josephum accrevit specialis, ita ut tanquam Protectorem Reformationis in Belgio, & strictioris observantiæ tutamen colerent, atque ad ejus honorem erigerentur altaria in primariis Conventibus, & sub ejus Invocatione instituerentur Confraternitates; præsertim hac occasione.

Anno salutis humanæ 1636. pestilentiæ facibus ardens *Bruxella* ingemiscebat, & etiam aliæ pleræque Belgii Civitates semi-ustæ spectaculum præbebant doloris. Quia verò S. Caroli pastoralis sollicitudo, dum viveret, peste laborantibus mirificè fuit patrocinata, firmâ fiduciâ de meritis & efficaci intercessione illius, consilium incidit P. Livino, tum Carmelitarum Bruxellensium Priori, erigendi Confraternitatem, titulo S. Caroli Borromæi. Consilium & pium votum approbavit Illustriss. Dom. Jacobus Boanen, Mechliniensis Archiepiscopus, & Confraternitatem erexit per literas authenticas: quibus consequentibus præscribuntur Regulæ servandæ sodalibus; quorum numero sua nomina mox dederunt primi, ipse Illustriss. Jacobus, & alii hini Reverendissimi Episcopi, Engelbertus Namurcensis, & Cornelius Jansenius Yprensis; necnon Reverendiss. Richardus Pauli Stravius, tùm Pro-Nuncius Apostolicus, deindè Dionysiensis, ac Suffraganeus Leodiensis.

Istorum Exempla secuti sunt Proceres multi, cum præcipuâ Belgii nobilitate, & aliis tum Ecclesiasticis, tum secularibus quàm plurimis. Mirum dictu, quàm festinanter S. Caroli patrocinium senserit *Bruxella*: subito enim cessare cœpit pestis, donec brevi ab eâ omninò libera esset, & inter circumvicinas urbes minùs populatas, incontaminata tam perstitit annis ferè duodecim. Cum verò anno 1648. rursus vehementer excandesceret eadem pestilentiæ lues, & in dies augesceret, idem Illustriss. Dom. Boanen indixit solemnitatem in Ecclesia Carmelitana ad Altare dictæ Confraternitatis, indéque Processionem generalem: & mox fatale incendium minui cœptum sit, ut brevi omninò extinctum fuerit, & Bruxellæ ab eo immunis reddita. Propterea idem Archiepiscopus in gratiarum actionem, Missam in eadem Ecclesia solemnem cantavit, assistente Serenissimo Archiduce Leopoldo, Belgii Gubernatore, cum aliis Belgii Principibus, & urbis Proceribus.

Pervolante Belgium famâ tanti beneficii, eadem S. Caroli Confraternitas erecta fuit in pluribus aliis primariis Civitatibus, ac imprimis *Gandavi*, anno 1646. die 3. Septembris: *Valencennis*, eodem anno: *Brugis*, anno 1647, die 5. Maii: *Ypris*, eodem anno 4. Novembris: *Antuerpiæ*, anno 1657. die 22. Octobris, in Ecclesiâ Carmelitanâ, ad instar aliarum Belgii Civitatum; sicuti fusiùs refert Daniel à Virgine Mariâ, in *Vineâ Carmeli, pag* 316. *num.* 603. Idem, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 752. *num.* 3594. *& seqq.* Mentionem autem Ignatii à S. Petro facit R. P. Illuminatus à S. Spiritu, in *Schedis Mss.* ad nos Bruxellâ Aurelium missis die 13. Augusti 1741.

XLIV.

IGNATIUS SPINOLA, Genuensis, Carmelita Discalceatus, seculo decimo septimo pietate & doctrinâ illustris: *Relationem* scripsit *de Maria à Sole* dictâ, miraculis in urbe celebri; ut refert Guillelmus Gumppenberg, in *Idea Atlantis Mariani*, teste Augustino Oldoino, in *Athenæo Ligustico, pag.* 279.

XLV.

IDELPHONSUS A JESU MARIA, aliis Alphonsus, cognomento Ribera & Sandoval, natione Castellanus, patriâ Villaregiùs, Diœcesis Toletanæ, natus anno 1565. Alphonso Cello de Ribera, & Joanna de Guzman, Fundatrice Conventûs Conchensis, Monialium Teresianarum, anno 1588. nobilissimis parentibus: Isabellæ Cellæ de Guzman, posteà S. Josephi Carmelitanæ Excalceatæ Frater; Carmelita Excalceatus *Pastranæ* anno 1587. professus Conventualis Segobiensis, deinde Pompeiopolitanus, bis Provincialis Novæ Castellæ; primus etiam Superior deserti *Bolariæ* 1592. postremo bis *Pastranæ*, annis scilicet 1606,

I.

1606. & 1619. omnium votis, Præpositus Generalis suæ Hispanicæ Congregationis: Vir sanè magnus, integritate vitæ conspicuus, summâ prudentiâ & animi moderatione præditus, Religionis Carmelitanæ cultor insignis, ac præclarum musarum decus ac jubar, migravit ad Dominum ocolis captus, *Compluti*, anno salutis 1638. In Collegio S. Cyrilli. Scripsit varia erudita opera, quorum tituli sunt,

1. *Epistola ad Provinciales, Definitores, & Priores Carmelitas Excalceatos Congregationis Hispanicæ, de Prælatorum dignitate, excellentia, electione, differentia, obligatione, dotibus & virtutibus necessoriis.* Comploti, 1621. *in*-4°. Hispanicè.

2. *Utilis gubernandi Methodus Regularium Prælatorum, uno suprà sexaginta Consilio complectens.* Antuerpiæ, apud Verdussen, 1643. Hispanicè *in*-4°.

3. *Doctrina Religiosorum, in quatuor partes diviso.* Matriti, apud Alphonsum Martinum, Baleoca, 1613. *in*-4°. Ad Joannem Garsiam Millinum, S. R. E. Cardinalem, & Ordinis Carmelitarum Protectorem. Hispanicè.

4. *De Periculis & remediis perfectionis & pacie Religiosæ, tomi duo:* Quorum primus extitit excusus Compluti, apud Joannem de Orduna, 1625. *in*-4°. posteà Barcinone, ab authore recognitus, & accessione multâ locupletatus, anno 1636. & 1638. *in*-4°. Hispanicè. Tandem Neapoli, Italicè traductus juxtà priorem editionem Complutensem, 1650. Interprete Optato à S. Carolo, Carmelitâ Discalceato. Secundus autem prodiit Barcinone, 1638. *in*-4°. Hispanicè. Totum opus prodiit Gallicè anno 1645. apud Wedre, *in*-4°.

5. *De Ordine servando in Comitiis Generalibus & Provincialibus; & de quibusdam mediis, quibus Definitores, aliique Prælati Superiores Congregationis Carmelitarum Excalceatorum, debent usi pro conservatione suæ Congregationis.* Ursecæ, per Dominicum Ecclesiam, 1622. *in*-4°. Hispanicè.

6. *De Cœnobiis Novitiorum institutioni destinatis, atque de illorum electione, ac educatione, Tractatus.* Ursecæ, 1623. Hispanicè. *in*-4°.

7. *De Modo in novorum Cœnobiorum receptione observando, as de convenienti Religiosorum in eis numero, Tractatus.* Ursecæ, 1623. Hispanicè, *in*-4°.

8. *De Electionibus & Reelectionibus Prælatorum, atque de eorum commodis & incommodis, Tractatus.* Ibidem, 1623. Hispanicè, *in*-4°.

9. *De Convenientiâ quæ competit Congregationi Hispanicæ Carmelitarum Excalceatorum, ut Provinciales & Priores eligantur in Capitulo Generali:* Ibid. 1623. Hispanice, *in*-4°.

10. *De Damnis quæ sequuntur in Religionibus, ubi officium Superioris Generalis nonnisi triennio durat.* Ursecæ, per Dominicum Ecclesiam, 1623. Hispanicè, *in*-4°.

11. *Epistolæ tres ad suos Religiosos, suasque Moniales.* Compluti, 1621 *in*-4°. Hispanicè.

12. *De Quibusdam loquendi modis, qui solent virtutem & obedientiam destruere, & de illorum remediis.* Compluti, 1624. Hispanice, *in*-4°. Ex quo idiomate in Gallicum vertit Gerardus à S. N. Belga, Carmelita Discalceatus. Idem Opus videtur esse cum eo, quod *num.* 4. citatur.

13. *De Monialium Regimine dissertatio.* Ursecæ, 1623. Hispanicè, *in*-4°.

14. *Compendium Diplomatum ac Privilegiorum Carmelitis Excalceatis, per summos Pontifices & Principes concessorum.* Ursecæ, 1623. *in*-4°.

15. *Ordinarium sive Ceremoniale Carmelitarum Excalceatorum, Usibus antiquis suæ Religionis conforme, cum Epistola & Prologo ad Cæremonias Ecclesiæ exactè peragendas.* Matriti, per Michaelem Serranum de Vargas, 1668. *in*-16. Hispanicè.

IOSEPHONSUM A JESU MARIA commendant Cyprianus à S. Mariâ, in *Thesauro Carmelitico:* Michael Munoz, in *Propugnaculo Eliæ:* Franciscus à S. Mariâ, in *Historia Generali Congregationis Hispanicæ, Lib. II. cap.* 33. & 44. *Ibidem, Lib. V. cap.* 36. *Ibid. Lib. VIII. cap.* 59. & 60. Laurentius à Cruce, in *Relatione deserti Bolurcæ:* Philippus Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum, pag.* 75. Antonius Teisserius, in *Catalogo Authorum, pag.* 154. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VII. Compendii Historiæ Carmelitanæ, cap.* 12. Daniel a Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag.* 597. *num.* 1067. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Ms. Authorum Carmelitarum Excalceatorum:* quo usus est Ludovicus Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 172. Alios vide super. *pag.* 33.

XLVI.

INNOCENTIUS A S. ANDREA, patriâ *Tofallensis*, in Navarræ Regno, inter Carmelitas Discalceatos Pastranæ professus, Monasterii Sancti *Montis Calvarii* Fundator atque Collegii *Biociensis*, unà cum S. JOANNE à CRUCE primarius Erector, cum Superiorum jussu in Bæticam Superiorem fuisset coaptatus, in Monasterium *Granatense* se recepit, ubi anno 1620. migravit ad Cœlum. Scripsit

Tres Tratodos de la Oracion mental: De la mortificacion; del hombre interior, qui sub alio nomine sunt editi, anno 1617.

INNOCENTIUM à S. ANDREA memorant Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana, tomo* 2. *pag.* 675. Anastasius à S. Teresiâ, in *Bibliotheca Ms. Authorum Congregationis Hispanæ, pag.* 30. Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Biblioth. Carmelit. Excalceatorum, pag.* 213.

XLVII.

INNOCENTIUS BALDUS, natione Italus, patriâ Bononiensis, Mantuanæ Congregationis Carmelita, Doctor Theologus Collegiatus Academiæ Bononiensis, ac suæ Congregationis Procurator Generalis & Definitor. Scripsit circà annum 1595.

1. Ad Joannem-Baptistam Campegium, Episcopum Majoricensem, *Carmen.*

2. *Orationem Romæ habitam*, & ibi editam anno 1594. *in*-4°.

3. *Orationes Funebres varias, Bononiæ habitas.*

4. *Opuscula varia*, Italice edita: Quæ quondam vidit Bononiæ Ludovicus Jacob, anno 1640. in *Musæo* Petri Thomæ Sarraceni, Carmelitæ.

INNOCENTIUM hunc commendant Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico:* Joannes Pasqualius Alidosius, in *Catalogo Doctorum Bononiensium:* Joannes-Antonius Bumaldus, in *Bibliotheca Bononiensi:* Cyrillus Penneet, in *Gymnasio Carmelitico Ms. ad annum* 1595. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 173.

XLXIII.

INNOCENTIUS A S. VINCENTIO, Carmelita Excalceatus, Provinciæ Mediolanensis Præpositus, ad suos scripsit *Epistolam Pastoralem* circà annum 16. In qua ostendit, quantum ad divinum amorem in cordibus nostris accendendum conducat debita ergà Superiores & reverentia & obedientia. Prodiit anno 1671. *in Collectione Mediolanensi, parte* 2. *pag.* 302. & *seqq.* Sicuti legitur, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 214.

J.

XLIX.

INNOCENZA DELLA SS. INCARNATIONE, in seculo CAMILLA BARBERINI nuncupata, Fratris URBANI VIII. Summi Pontificis Filia, Florentiæ nata, Carmelitanam Vestem induit anno ætatis suæ 15. & Christi 1613. die 27. Octobris, in Monasterio S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZI, ubi postquam Prioratum egisset, Urbanus VIII. eam assumpsit in Priorissam Monasterii, quod Romæ recens extrui fecerat, sub titulo SS. INCARNATIONIS, vulgò dicti BARBERINNARUM. Indè ad fundationem Monasterii DI MONTE ROTANDO, distantis Româ XII. M. pass. in Sabinensi Diœcesi, perrexit, & in Urbem deinceps reversa, volavit ad cœlos anno Christi 1666. die 26. Martii, ætatis suæ 67. cum quinque mensibus & undecim diebus. Scripsit Italicè

Constitutiones, ex antiquis Carmelitanis & ex Sancti Francisci Salesii Statutis conflatas, paginis 610. contentas, & Romæ apud Angelum Bernabi editas anno 1658. *in-8°.*

De his loquens Eminentiss. Dom. Carolus Barberinus, S. R. E. Diaconus Cardinalis S. Cæsarii, Monasterii SS. Incarnationis Verbi Divini de Urbe, apud Sedem Apostolicam Protector, ait in *Bullario Carmelitarum, tom. 2. pag.* 522.

» *Constitutiones*, pro spirituali ac temporali regi- » mine Monasterii & Monialium *Sanctissimæ Incar-* » *nationis* Verbi Divini, Ordinis Sanctæ Mariæ de » Monte Carmelo, labore, atque studio R. M. INNO- » CENTIÆ BARBERINÆ, prædicti Monasterii Funda- » tricis compositas, elaboratas, atque in ordinem » digestas, earumdem Constitutionum seriem lectio- » ni, examini, atque judicio probatorum Virorum » demandavimus. Cum igitur horum fide digno testi- » monio Nobis cognitum, compertumque sit illas..... » Decretis Sacri Concilii Tridentini, & regularibus » ejusdem Ordinis antiquioribus Institutis nullatenùs » adversari, sed valdè consentaneas esse, & apprimè » accommodatas: Nos auctoritate Apostolicâ, quâ » fungimur, easdem Constitutiones... confirmamus » & approbamus... In quorum fidem, &c. die 22. » Decembris, anno Dominicæ Incarnationis 1657.

L.

JOACHIMUS A S. ANNA, Carmelita Discalceatus, patriâ Mediolanensis, piissimè vivens, piissimè quoque mortuus est Mediolani, anno 1697. postquam edidisset Opera, quorum inscriptiones sunt,

1. *Mystica Anatomia sacratissimi nominis Deiparæ Virginis Mariæ, sub omnium Scientiarum & creaturarum, Angelicarum & Humanarum, operoso Compendio, ad repræsentandas prærogativas perfectionis & dignitatis almæ Dei genitricis.* Venetiis, 1690. *in-folio.*

2. *Mirabilis excellentia, sivè Grammaticæ, Theologicæ, Anagrammaticæ Versiones, & divina Attributa, augustissimi Nominis Jesu.* Venetiis, anno 1692. *in-folio.*

3. *De Interpretatione Sacrarum Vocum, ex Sanctorum Patrum, Ecclesiæque Doctorum variis Sententiis, continens Literas A. & B. Collectio.* Venetiis, 1685. Alios reliquit tomos decem de eâdem materiâ, usque ad complementum totius Alphabeti; teste Authore *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 214.

LI.

JOACHIMUS A JESU MARIA, Neapolitanus, in seculo dictus ANDREAS GALLUCCIO, anno 1604. die 30. Novembris natus, inter Carmelitas Excalceatos professus Neapoli 1627. die 21. Martii; Præpositus Generalis in Comitiis Romæ habitis electus est anno 1653. die 1. Maii: Visitavit Provinciam Lugdunensem, erexit Pedemontanam & alteram Commitatûs Burgundiæ. Obiit Neapoli, anno 1656. die 29. Julii. Edidit

Epistolam Pastoralem: in quâ ponderat quanti momenti sint Carmelitis Excalceatis quatuor Monita à S. Teresiâ data, pro conservatione & incremento illorum Reformationis. Romæ anno 1654. *in-8°.* Latinè. Prodiit etiam in *Collectione* similium Epistolarum *Mediolanensi, anno* 1671. *parte* 1. *pag.* 211. *& seqq.*

JOACHIMUM A JESU MARIA commendant Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annal. Carmelit. Galliæ, Lib. II. cap.* 100. *pag.* 566. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 174. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Discalceatorum, pag.* 214.

LII.

JOACHIMUS A S. MARIA, Mediolani natus die 4. Novembris, anno 1525. in sacris undis nuncupatus FRANCISCUS GARBICELLUS, Carmelitas inter Excalceatos professionem emisit, anno 1645. die 22. Septembris. Quantùm in literis emicuerit satis demonstrant ejus Opera: Ast quod plus est, Deo Religionique ita eodem tempore sedulò inservit, ut si justum elogium ei texere aliquis cogitaret, integras vix paginas implere posset. Mirum hinc haud dubiè videbitur, quod ille in Confessionibus audiendis patientissimus, in Chori Psalmodia nunquam ultimus, sacrisque Meditationibus protrahendis impensè addictus, tot ingenii sui monumenta posteris relinquere potuerit; etsi quoque corporis mole non exiguâ præpediretur: ita ut Conciones suas Quadragesimales quater elaboratas, nunquam recitare ei datum fuerit. Inter alias ipsius virtutes illuxit humilitas, ob quam dignitates omnes suæ Religionis ei oblatas constanter respuit, donec meritorum, annorumque plenus obdormivit in Domino, anno Salutis nostræ 1697. die 21. Novembris. Hæc ipsum reddunt immortalem:

» 1. Mirabiles Excellentiæ, sive Grammaticæ, » Theologicæ, Anagrammaticæ Versiones, & Divi- » na Attributa Augustissimi Nominis Jesu: Ad Re- » verendiss. Honorium ab Assumptione B. V. Mariæ, » Præpositum Generalem, Ordinis FF. Carmelita- » rum Excalceatorum. Mediolani, apud Carolum » Antonium Malatestam, *in-folio* 1691.

» 2. Mystica Anatomia sacratissimi Nominis » Dei-paræ Virginis Mariæ, sub omnium scientia- » rum, & Creaturarum Angelicarum & Humana- » rum, Cœlestium & sublunarium operoso Compen- » dio, ad repræsentandas prærogativas & perfectio- » nes, maximasque virtutes, & dignitates Almæ Dei » Genitricis exposita. Venetiis, apud Brigontium, » 1690. *in-folio.*

» 3. De Interpretatione sacrarum vocum, ex » Divinis Literis. Opus ex Doctrinis Sanctorum Pa- » trum, Sententiisque Ecclesiæ Doctorum concinna- » tum, Etymologiarum, & rerum Naturalium In- » vestigatoribus, Philosophis, Theologis, Mysticæ » Sapientiæ Speculatoribus, sacræ Scripturæ studio- » sis, denique Verbi Dei Præconibus, ad intelligen- » da Scripturarum arcana conscriptus. Volumen pri- » mum Eminentiss. & Reverendiss. S. R. E. Cardi- » nali DD. Gregorio Barbadico, Episcopo Patavino, » dicatum. Mediolani, ex Typographia Ludovici » Montiæ, per Carolum Fredericum Gaillardum, » 1685. *in-folio.*

» 4. Reliqua hujus magni Operis Volumina XXII. » extant MSS. *in-folio* penes suos, in Bibliotheca

J.

» Conventûs Mediolanensis, cum Approbationibus, » Indicibusque prælo parata.

» 5. Vita della serva di Dio Francesca del » Santissimo Sagramento, Carmelitana Scalza, » nel Convento di S. Giuseppe di Pamplona, data » già alle Stampe in Spagnolo da D. Michele-Bap- » tista di Lanuza, Cavagliere di S. Giacomo, è del » supremo Consiglio d'Aragona, &c. Tradotta in » Lingua Italiana, e dedicata al Sig. Cunte Bar- » tholomeo Arese, Regente del supremo Consiglio » d'Italia, Presidente dell' Excellentill. Senato di » Milano, &c. In Milano, da Federigo Agnelli, » 1673. *in*-4°.

» 6. Origine della Congregazione de Carmelitani » Scalzi, separata da quella di Spagna, con suo » Capo Generale distinto, ed indipendente da quello » di Spagna, e da quello de Carmelitani dell' Os- » servanza, formata dal Pontefice Clemente VIII. » con facoltà destendersi per tutto il Mondo) ecce » tuata la Spagna) e si descrive ampia mente la fun- » dazione del Convento, e Chiesa di Milano sotto » il titulo S. Carolo, coll introduzione d'essi Car- » melitani Scalzi in Milano, nell' anno 1614. *Ms.* » *in*-4°. prælo paratus Codex extat ibidem.

» 7. Assonti di diverse materie predicabili, e mo- » rali per animare i fideli all' amore della virtù, e » fuga dal vizio: ou vero, Discorsi morali, eruditi, » e fruttuosi *Mss. in*-4°. Ibidem.

» 8. Historia della fundazione de Conventi della » Provincia de Carmelitani Scalzi di Lombardia, sotto » il titolo di S. Angelo Martire, in cui si parla di » quasi tutti li fundati fino al suo tempo; compren- » dendo allora la Provincia Lombarda anche lo Saro » Venero. *Ms. in*-4°. Ibidem.

» 9. Vita del Ven. Fra Diego di Giesu, tra- » dotta dallo Spagnoln nell' Italiano. Milano, presso » l'Agnelli, 1674. *in*-4°.

» 10. Circinus proportionalis Georgii Galche- » mayr, ab Eusebio Blanco, ejusdem Ordinis, Lati- » nitate donatus, ut superiùs verbo, Eusebius à Spi- » ritu Sancto diximus, à Joachimo nostro Garbicello » à S. Maria in Italicum conversus, & prælo paratus. » *Ms.* Ibidem.

» 11. Conciones pro integris quatuor temporibus » Quadragesimalibus recitandis, compositæ *Mss.* ibi- » dem.

» 12. Elogia plura sacra, in quibus ingenium » Autoris mirificè illucescit, & inter ipsa celebran- » tur ea quæ publicè exposita fuerunt occasione fe- » stivitatis à suis Sodalibus habitæ Mediolani, anno » 1675. pro Beatificatione Fr. Joannis a Cruce, » ipsius Congregationis Carmelitarum Excalceatorum.

» 13. Declarationes Decretorum Sacræ Congre- » gationis Concilii Tridentini ab anno 1573. ad sua » usque tempora. *Mss. VI. vol. in-folio* comprehen- » sæ: Ibidem asservatæ.

» 14. Lettere della Santa Madre di Giesu, com- » mentate da Monsignor di Palafox, tradotte dall' » Idioma Castillano nella Lingua Italiana. *Mss. tom.* » 2. *in-folio.* Ibidem custoditæ.

Joachimum Garbicellum a S. Maria celebrant Philippus Picinellus, in *Athenæo virorum Litteratorum Mediolanensium*, *pag.* 175. Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 668. *num.* 834. & *pag.* 1993. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 214.

LIII.

JOANNA DE RHEGIO, in seculo Æmilia nuncupata, ab Urbe, in qua nata circà annum 1438. parentes habuit pios & modestos, Simonem, & Catharinam Scopelli. Infantiâ excesserat, cum deliberatura de solvendis seculi involucris, & Monastico induendo habitu secum ageret, sed ad grandiusculæ jam ætatis incrementum adulta, & optimis ditata desideriis, Sanctæ Mariæ sacram Vestem in Religione B. Virginis Mariæ de Monte Carmelo suscipiendam maturiùs cogitavit. Carmelitæ quidem Viri Monasterium in *Rhegio Lepido* ab anno 1384. fundatum incolebant; Monialium autem sacrarum nullum ejusdem Ordinis Cœnobium extabat erectum. Joanna nequaquam segnis à loco, ad Monasterium apto, quiescebat, bono suo exemplo ad Deo famulandum alias Virgines succendens, Monasticisque castris sociare sibi satagens.

Quæ mente conceperat generosi animi Virgo, implere vehementer optabat, congruum scilicet reperire locum Monasterio construendo; & ecce divinitùs inspirata mulier vidua ejusdem civitatis, se, duas filias, domumque propriam in Vicinia *S. Petri*, alias *Castelli*, nunc *de M..ti* dicti sitam, obtulit, firmiter statuens sub castris Joannæ Virginis viriliter militare: quibus eas hæc reapsè aggregavit, ingenti perfusa gaudio. Mater & filiæ ad domum reversæ, quatuor annorum spatio, in unitate Spiritûs, virtutum exercitio solerter incubuerunt, Monasterio construendo sedulo necessaria præparantes, cum incredibili omnium Civitatis incolarum applausu & lætitiâ.

Ancilla autem Christi adjecit oculum ad quamdam *S. Bernardi* Ecclesiam, cum hortulo, & domo à S. Petri porta modicum semota, quam *Fratres Humiles* tunc temporis occupabant. Anno indè 1484. Romanæ Ecclesiæ Innocentio VIII. sedem tenente, antè hac Carmelitarum Protectore, per civitatem Rhegiensem pertransivit *Humilium Fratrum* Generalis, Romam petiturus; qui ad Christophori Zoboli Regiani, Episcopi Comachiensis instantiam, præfatam habitationem concessit. Quapropter anno 1485. Monasterii primordia construi cœperunt, sub titulo *Mariæ de Populo*, cui Joanna præfecta suas Moniales sacras pissimè rexit, civium subsidio & maximè Christophori Zoboli Rhegiani semper subnixas, ad annum usque 1491. quo sanctam efflavit animam die 9. Julii, ætatis suæ 63.

In Monasterio sepultum ejus corpus, integrum & incorruptum fuit anno 1493. repertum, suavissimum flagrans odorem, per Reverendiss. Bonum Franciscum Arlotti, Rhegiensium Antistitem, qui peracto Missæ sacrificio, cum solemni processione, Pontificalibus infulis exornatus, sanctum illud corpus reverenter sublatum, & in loco Sancto ad hoc disposito collocari fecit, in sinistro videlicet Altaris cornu: ubi integrum illibatumque adhuc quiescit, subtilissimo coopertum velo, & hoc ejus est Epitaphium:

D. O. M.

Hic decus, & famæ pars maxima Carmelitarum,
Corpore felici Virgo JOANNA *jacet.*
Cœlesti gaudens ut Spiritus integer aulâ,
Sic non consumptis ossibus alma caro est.
Gaudeat exultans his concio tota Sororum,
Lætetur propriâ scupea prole domus.
Lætitiæ voces populus sub sidera jactet
Rhegius, hac divâ Virgine lætus agat.
Sis bona, sis felix cunctis sanctissima Virgo;
Sisque memor nostri vocibus ante Deum.

J.

Scripsit Joanna Scopelli de Rhegio quædam Opuscula, titulo isto notata:

1. *Tunica Gloriosæ Virginis Mariæ.* Formola hæc erat deprecandi B. Virginem Dei-param, quam Joanna recitabat, qoandò supernæ gratiæ munus aliquod suscipere prætendebat. Scilicet quindecies mille *Ave Maria* recitabat, & unum quodque centesimum recitatiooe *Salve Regina* coronabat: Quibus dictis septies quoque *Ave Maris Stella*, totidemque *O Gloriosa Domina.*

2. *Oratio devota ad Deum Patrem*, quam Joanna orans pro se & suis dicere solebat.

3. *Monita Spiritualia*, quæ Joanna moritura suis Monialibus dedit.

4. *Testamentum*, quod Joanna condidit, & in quo inter præcipua cætera, unum, charitatem nimirùm seriò commendavit: ad quam communiter exercendam, filiarum suarum devotas mentes accendit, & tanquam tramitem amplectendum proposuit, &c. Hæc Opuscula Typis Italicis & Latinis prodierunt in ejus vita, utroque idiomate edita. Nam

Vitam Joannæ Scopelli de Rhegio edidit Italicè Benedictus Mutti Rheglanus, Venetiis, anno 1601. Hanc autem Latinitate donavit Segerus Pauli, Carmelita Coloniensis, & Daniel à Virgine Maria, Typis Antuerpiensibus cusam transtulit in *tomum* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 542—548. *in-folio.* post Joannem-Baptistam de Lezana, *tomo* 4. *Annal. Carmelit. ab anno* 1428. *ad annum* 1493. Eandem quoque scripsit post Benedictum Gononus, Ordinis Cœlestinorum Monachus, in *Chronico SS. Dei-paræ sub anno* 1428. sed compendiosam æquè ac alii Scriptores, qui celeberrimam nostræ Joannæ mentionem referunt, scilicet

Philippus Ferrarius, in *Catalogo Sanctorum*, *ad diem* IX. Julii, ubi vitam ejus excusam Mediolani, anno 1617. Arturus Monasteriensis Recollectus, in *Martyrologio fœmineo ad diem* 28. *Martii.* Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 534. *num.* 997. Petrus-Thomas Saracenus, in *Menologio Carmelitarum*, *pag.* 409. Josephus Andres, Societatis-Jesu, in Collegio Cæsar-Augustano, Primariæ Cathedræ Theologiæ Moderator, in *Decore Carmeli*, *pag.* 397. *num.* 301.

R. P. Joannes Pinius, Societatis-Jesu, Presbyter Theologus, *ad diem* 9. *Julii*, *tomo* 2. *pag.* 720. *Actor. Sanctor.* in Notis præviis ad B. Joannam, Virg. Carmelitanam, *num.* 3. hæc habet. » Exemplar habemus anno 1612. Venetiis impressum. Ejusdem anni exemplar præluxit P. Segero-Pauli, Carmelitæ Coloniensi, qui Latinam vitam, abs se conscriptam, accepit ex Italica; omissis quibusdam, quæ verbosè adornarat prædictus Mutti, pauculis etiam de suo additis, ut comperi ex utriusque vitæ collatione.

L I V.

JOANNA A S. SPIRITU, Burdigalensis, JOANNIS DE BERNET. Senatoris, & BEATRICIS DE CHIMBAUT, illustrissimorum parentum filia, anno 1611. die 7. Januarii Carmelitana Excalceata, prima Novitia eum aliis tribus Virginibus à FRANCISCO DESCOUBLEAUX S. R. Ecclesiæ Cardinali DE SOURDIS, Archiepiscopo Burdigalensi vestita, posteà ejusdem Cœnobii Præfecta; exquo quidem S. Josephi Monasterio ad Conventum Assumptionis fuit translata, jubente D. BERULLIO, qui eam suspicatus est de propensione ad regimen Carmelitarum Excalceatorum subeundum. Quod ut verè assequeretur, in Lotharingiam profecta, Conventûs Mussipontani habitationem accepit anno 1625. & in novo Monasterio mortem oppetiit anno 1632. die 7. Januarii.

Jussu sui Directoris scripsit *Relationem de propriâ vitâ.* Quâ usus est Ludovicus à S. Teresiâ, in *Annalibus Carmelitarum Excalceatorum Galliæ*, *Lib. I. cap.* 103. *pag.* 277. *& seqq.* Eumdem consule, *pag.* 221—229. Philippum à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, *parte* 3. *pag.* 56. *col.* 2. *lin.* 19. Ludovicum Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 174. ad Schedulam Ms. ibi affixam.

L V.

JOANNES ÆGIDIUS, Gallus Carmelita, circà annum 1379. scripsit, in *Apocalypsim*; si fidem dabis Joanni Balæo, de *Scriptoribus Angliæ*, *Cent. XIII. pag.* 172. ubi non assignat nec locum nec ætatem, nec dignitatem hujus Carmelitæ. Undè Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 174. suspicatur errasse Joannem Balæum, & Loco JOANNIS ÆGIDII, legendum esse JOANNEM ELINUM, natione Anglum Carmelitam, qui scripsit in Apocalypsim.

L V I.

JOANNES A S. AGNETE, Catalanus; Carmelita Excalceatus; vir eximiæ pietatis, de cujus officina sex tomi *in-folio* prodierunt, Hispanè prænotati.

Fidei Christianæ miracula in gratiam SS. Trinitatis: Qui Mss. asservantur in Cœnobio Dertusensi, sicuti legitur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 214.

L V I I.

JOANNES DE AHUMADA MENDOZA, Hispanus, ex illustri S. Teresiæ familiâ natus, Carmelita, Lector Theologiæ primarius in Complutensi sodalium domo, studiorumque Moderator, cum quo sæpius Romæ Ludovicus Jacob versatus est anno 1638. & qui posteà Neapoli vixit ad annum 1643. quod edidit

Sermones para los Domingos y Ferias principales de la Quaresma, *tomo* 1. Neapoli, apud Camillum Cavallium, 1641. *in-4°.* Prout scribit Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 476. & Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 174.

L V I I I.

JOANNES ALCAYDE, Hispanus, Carmelita Theologus & Poeta, edidit de *Immaculatâ Conceptione Poema.* Hispali, 1616. *in-4°.* Quod idem forsan (nisi *alterum* fecerit) legitur in Libro R. P. Joannis de las Ruelas, Carmelitæ, *de Pulchritudine corporali Virginis Mariæ*; edito Hispali, 1621. *in-4°.*

De Joanne Alcaidâ loquuntur Joannes de las Ruelas, *Libro citato.* Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis*: Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 174.

L I X.

JOANNES ALDEBURGUS, Flander Carmelita, moltâ scientiâ præclarus, Philosophiæ Professor, circà annum 1556. Scripsit

1. *De Formalitatibus*, Lib. I.
2. *De Syllogismorum sufficientiâ*, Lib. I.
3. *De Sensu & Sensata*, Lib. II. & *Alia.*

Ita referunt Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 387. Valerius Andreas, & Joannes-Franciscus

Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 562. Antonius Sanderus, *de Scriptoribus Flandriæ*, & *tomo* 1. *Flandriæ Illustratæ*: Antonius Cassanatos, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 399. ubi in testem perperàm adducit Arnoldum Bostium, qui vivere desiit anno 1499. vel Aldeburgus senior anno 1556. dicendus est Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 174.

L X.

JOANNES DE ALERIO, natione Occitanus, patriâ Tolosanus, Doctor Theologus ac Professor Parisiensis, in Magistrum Priorem Generalem sui Ordinis Carmelitani, ad Comitia Montispessuli habita die Pentecostes, anno 1321. electus est, licet absens, cum Guido de Perpiniano, ad Episcopatum Majoricensem assumptus fuisset. Tria Capitula Generalia celebravit Alerius, Barcinonense, anno 1324. in quo decretum fuit ut *Salve Regina* diceretur in fine omnium horarum, &c. Albiense, anno 1327. in quo Provinciæ Germaniæ Superioris & inferioris conjunctæ & unitæ fuerunt sub Provinciali Siberto de Beka, cum à Burdigalensi Capitulo 1318. divisæ fuissent. Valencennense, anno 1330. in quo ipse Joannes Alerius officium resignavit, & posteà Tolosam se recepit, & ibi ultimum diem clausit in Domino, ac pace bonâ, post duodecim annos, scilicet anno 1342. die vigesimâ tertiâ Novembris. Scripsit,

1. *In Ecclesiasticum Lecturam notabilem*: cujus meminerunt Sixtus Senensis, Lib. IV. *Bibliothecæ Sanctæ*: Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 601. *col.* 1. *D.*

2. *In IV. Libros Sententiarum*, *Commentaria.*

3. *In Artes Liberales*, Lib. I.

4. *In Artes Humaniores*, Lib. I. *Et alia Plura.*

Peculiarem affectum amoris erga hunc Reverendissimum Patrem, Ordo Carmelitanus demonstravit: dum post resignationem Generalatûs ab ipso factam Valencennis anno 1330. in eodem Capitulo, & in sequenti Nemausensi anno 1333. pro Vestiario ipsius, de communibus Ordinis expensis provisionem fecit. Laudant eum insuper Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 571. Symphorianus Champerius, *de Viris Illustribus Galliæ*: Bartholomæus Bertrandus, *de Gestis Tolosanarum*: Bartholomæus Chassanæus, *parte* 12. *Catalogi Gloriæ Mundi*: Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali*, *pag.* 381. Joannes Rioche, in *Compendio Historiarum.* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Claudius Robertus, in *Catalogo Generalium Carmelitarum*: Hippolytus Marracius, in *Bibliotheca Mariana*: Jacobus de Plebe, in *Indice Authorum Carmelitarum*: Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 130.

E Carmelitis, Joannes Grossi, in *Viridario*, *parte* 1. *Clavi* 2. Arnoldus Bostius, *Lib. de Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*: Joannes Palæonydorus, in *Fasciculo*, *Lib. III. cap.* 11. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 37. & *in Commentario Carmelitico.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium Carmelitarum*, *ad annum* 1321. & *seqq. pag.* 523—576. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 175. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 551. *num.* 950. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 284.

Inter beneficia & privilegia, quibus Ordinem suum Alerius à summis Pontificibus decorari vidit, non omittendus est transitus JOANNIS BUC, ab Ordine Carthusiano, ad Ordinem Carmelitarum; perindè ac si ad arctiorem transivisset. Rationem verò hanc affert Benedictus XII. Quià sola mendicitas, quæ magis propinqua est Virtutibus, multis de causis & rationibus, facit Ordines Mendicantium arctiores, & ipsorum Mendicantium Ordinum Professores reputari perfectiores, quàm alii Religiosi, redditus & possessiones in communi habentes existant. Hæc Constitutio Benedicti XII. quæ data est Avenione, secundo Nonas Novembris, Pontificatûs ejus anno primo, scilicet anno 1335. die 4. Novembris, Incipit: *Omnis Natura*: *tomo* 1. *Bullarum Carmelit. pag.* 70. 71.

Ad Generalis Joannis de Alerio tempora BULLA SABBATINA refertur, ideò dicta, quia in ea Joannes XXII. narrat sibi deprecanti B. V. Mariam apparuisse; Papatum & Victoriam de adversario promisisse, eâ tamen lege, ut Carmelitarum Ordinem confirmaret, necnon indulgentiam intrantibus Ordinem, seu Confraternitatem indulgeret; & adjutorium ejusdem Dei Matris Sabbato post eorum mortem. Hæc Bulla dicitur data Avenione, tertiâ die Martii, Pontificatûs ejus anno sexto, scilicet 1322. Prodiit, *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 61. & 62. ex Hyppolito Marraccio, in *Pontificibus Marianis*, Romæ impressis apud Franciscum Caballum, anno 1642.

Eruditi Viri, Joannes Launoyus, Natalis Alexander, Joannes-Baptista Thiers, & alii Bullam hanc impugnant. Quia Bullæ hujus stylus stylo cæterorum Joannis XXII. Diplomatum planè dissimilis; annorum datæ Bullæ discrepantia apud Carmelitas Scriptores, qui ipsam referunt; varia Revelationis à B. Virgine Joanni XXII. factæ narratio in variis exemplaribus; absurditas & repugnantia verborum, quæ Cœlorum Reginæ affinguntur, quæ JOANNEM Vicarium filii sui appellat, & ipsum nihilominùs se facturam Papam pollicetur; vocis *Mercurii*, nequaquam Ecclesiasticæ pro Feriâ quartâ usurpatio: silentium Auctorum qui pro Joanne XXII. contrà Ludovicum Bavarum scripserunt; silentium omnium, qui Pontificum vitas scripserunt; silentium item præcipuorum Ordinis Carmelitici Scriptorum, Philippi Riboti, in Libris de Institutione & peculiaribus gestis Carmelitarum; Joannis Chimetensis, in speculo Historiali declarativo statûs Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo; & in speculo Ordinis: Joannis Grossi; in Viridario, Thomæ Waldensis, *tomo* de sacramentalibus, iis in Capitibus ubi de Religiosorum Vestibus, & de suffragiorum Ordinis participatione differit, Authoris Compendii Historiæ & Jurium Ordinis: Promissio absurda salutis æternæ, quam B. Virgo fecisse supponitur iis omnibus qui Carmelitarum Ordinem ingressi fuerint, aut Scapulare gestaverint: Descensus fictitius B. Virginis in purgatorium, sabbato primo post obitum Confratrum & sororum sacri sodalitii Scapularis, ut eos à pœnis liberet.

Hæc argumenta tam infirma visa fuêre ac debilia R. P. Theophilo Raynaudo, ut diceret miseratione potiùs quàm confutatione dignum esse, quod primum urgent Adversarii de dissimili hujus, & aliarum Bullarum initio. Nam in voluminibus Pontificiorum Diplomatum, plurima sunt quorum Initia in nullo alio Diplomate reperiuntur. Gregorius VII. ei Constitutioni quæ Henricum IV. exauctoravit, illud initium ex abrupto præfixit. *B. Petre, Apostolorum Princeps, inclina quæsumus pias aures tuas nobis.*

2°. Varietas in numero annorum adscripto Bullæ irrepsit Librariorum oscitantiâ, ut sæpè alibi contingere animadvertit Hieronymus, *Epist.* olim 28. nunc 52. ad Licinium.

J.

3°. Quid importat varietas in extimo verborum cortice, dummodò sensus sit idem? eodem summo jure anxiè cavillandi circà voces discrepantes, æquè agi posset adversùs veritatem multarum scripturarum, quas Christus & Apostoli allegarunt; eodem semper sensu: sed cum variatione aliqua in minutiis, aut in cortice vocabuli: Potuit ea in vocibus variatio accidere ex eo quod aliquis non nactus exemplar autographum, vel apographum Bullæ Joannis: aut pertæsus eam ad longum exscribere, sensum repræsentavit Compendio; vel, ut aliquid in speciem obscurum, efferret clariùs, adhibuit brevem paraphrasim; undè vocum nonulla varietas, salvâ veritate, cui soli est prospiciendum.

4°. Dissensio de tempore observatæ Joanni visionis, non spectat Bullam, sed Authores eam referentes: Qui ex variis causis potuerunt in diversa abire, circà illud adjunctum, salvâ Bullæ & visionis veritate quoad substantiam. 5°. Appellatio Vicarii & promissio Papatûs notant mendum Librarii, non Virginis locutionem. 6°. Nomenclatura diei *Mercurii* potest ipsi Joanni adjudicari, non eidem B. Virgini. Pro usu recepto, Joannes appellando Feriam quartam, diem *Mercurii*, potuit absque noxa adhibere eam vocem, ad exprimendum quod audiverat eâ die. Apud S. Justinum, in *Apolog.* 2. *Cap.* 16, *Dies Dominicus* nominatur *Dius Solis*; & à Tertuliano, in *Apologet. Cap.* 16. eadem appellatio; qui etiam nullà Religiona tangitur, diem sabbati nominando *Diem Saturni*. Sanctus autem Clemens Alexandrinus, *Lib. VII. strom.* tametsi vocaret *Diem quartum & sextum quos dicimus Mercurii ac Veneris*; ne tamen surdis caneret, subjunxit interpretationem verbis illis: *Dicitur autem, ille quidem Mercurii, hic verò Veneris*; non quidem à falsis Numinibus, sed à Planetis. Concilia ipsa Spiritu Sancto afflata, indicentia futuram sessionem præstituto certo die, voces receptas, *Lunæ*, *Martis*, *Mercurii*, &c. absque scrupulo adhibuerunt; ut videre est in Concilio Constantiensi, Florentino, Lateranensi ultimo, ac Tridentino. 7°. Silentium Authorum parùm apposité objicitur. Inprimis, quià non erant adducendæ, quæ facilè negata essent: & alterius quàm Joannis, cujus causa agebatur, testificatione confirmari nequivissent. Deindè ab auctoritate negativa argumentari, ludicrum est, & ab ipsis rudimentariis dialecticis contemnitur. Quo eodem modo, evanescit argumentum ex silentio quorumdam ævi nostri Historicorum.

Suppetunt nihilominùs benè multi Autores *Joanni* vel æquales, vel suppares, qui restentur de promisso Dei-paræ facto in ea visione objecta *Joanni*. Ita enim eo tempore Guillelmus Sanvilliacus, *Lib. de Patronatu Virgineo*, & Joannes Bachontorpe, tractatu *de Ordine Carmelitarum*; ambo Synchroni *Joannis XXII.* Nec multum ab eo aberrant Guillelmus Bewefu, Lib. *de Dei-paræ miraculis*, conscripto anno 1386. & Joannes Hornebius, Lib. *de Misericordia B. Virginis*, quem edidit 1375. & Thomas Lombe, qui anno 1387. exaravit librum cui titulus: *Magna memoria in generationes futuras.* Hi omnes adeò æquales aut vicini *Joanni*, qui obiit anno 1234. explicatissimè. referunt apparitionem Dei-paræ: & allocutionem Joannis, continentem disertè promissionem, de qua agimus. De silentio aliorum Carmelitarum, qui in objectionem adducuntur, vide infer. *pag.* 759. *tom.* 2.

8°. Scapulare Marianum est ex Dei-paræ instituto signum salutis, & nota prædestinationis; quatenùs gestatio Scapularis ejusmodi, tessera est, singularis protectionis B. Virginis, affuturæ sodalibus, & conciliaturæ media gratiæ singularia, quibus & securiùs serventur mandata, & tutiùs ad optatum finem beatitudinis pertingatur. Non plus dicitur, cum asseritur gestationem Scapularis esse *signum salutis, & pignus*, vel notam prædestinationis, equidem non video. Octonarius Beatitudinis numerus ab Andrea Vega, assumitur pro octuplici notâ prædestinationis, & æternæ salutis à Christo proposita. Itaque pauper spiritu, ac mitis, & persecutionem patiens propter justitiam, pronuntiantur futuri in fine compotes gratiæ, & immunes ab æterno incendio, supponendo semper, quod communia omnibus mandata servaverint. Quam multa alia dicuntur juxtà scripturas habere vim justificandi, & salvandi, quæ tamen vim illam supponuntur suam exertura, si cætera adsint, ex natura rei, vel ex divino instituto necessaria? Sic Rom. 3. dicitur, *Arbitramur hominem justificari per Fidem.* Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.* Tob. 12. *Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata.* Jacob. 1. *Insitum verbum potest salvare animas vestras.* Hæc & alia id genus, passim in scripturis leguntur: neque tamen (ut benè notavit Bellarminus) ullus est qui indè colligat solam Fidem, aut Eleemosynam: vel solum verbum, justificare aut salvare, aut à morte æterna eripere, absque aliis ad eumdem finem requisitis. Sed scriptura sic loquens, vult tantum significare, prædicta habere vim suam ad illum finem; & eum (quod ad se attinet) advehere, si cætera non desint.

9°. Cur hanc suam subventionem B. Virgo voluerit sabbato alligare, non est nostrum quærere, quia non est nostrum leges ei præfigere: aut præscribere, quid, aut quandò clientibus suis præstare debeat. Congruè tamen delegit Sabbatum, tanquam diem ipsius cultui dicatam ut pateſiat fidelibus, quanti sit piè venerari Dei-param: cujus quodcunque festum, etiam minimum (quale est quod Sabbato peragitur) adeò gratiosum apud Deum, & tantâ largitate ergà animas Purgatorii illustratur. Revera verba Dei-paræ à Joanne relata fuerunt, quod saltem in primo sint liberandæ animæ; ita ut ad summum sint illucusque hæsuræ in Purgatorio: Quod tamen nonobstaret, quominùs anima quæ antè Sabbatum esset expiata, liberaretur.

10°. Sub annum 1565. *Salmantiæ* & *Hispali*, efferbuere motus adversùs auxilium ab B. V. Mariâ præstandum Sodalibus, in Purgatorio cxtantibus, donec quatuor gravissimorum Theologorum judicio, sedata est procella. Denuò sub annum 1612. excitante tempestate Inquisitore *Avenionensi*, motus *Romam* pervenêre, ubi totis viribus à partiariis Inquisitoris, tentata est dejectio de antiqua hujus favoris possessione. Sed, ut jam animadvertimus *super. pag.* 49. & 50. PAULO V. imperante ventis & mari, facta est tranquillitas magna. Nam in suo decreto summus Pontifex sic intellexit descensum B. Virginis in Purgatorium, ut ipsius B. Virginis verba sint explicanda eo sensu, quod Sodalibus & Clientibus suis subveniendum illis est à B. Virgine, præcipuè in Sabbato, quia dies illa extat Virgini festiva: uti jam explicuerat Gregorius XIII. in Diplomate *ut laudes*, dato anno 1577. die 18. Septembris.

Anno 1635. die primâ mensis Junii, in Comitiis Sorbonicis, cum honorandi Magistri Hieronymus Pareut, & Hieronymus Bachelier, juxtà Provinciam sibi à sacra Facultate demandatam retulissent nonnulla animadversione digna fuisse à se deprehensa in Libello Gallicè inscripto: *Abregé des Priviléges & Indulgences de la Confrairie du S. Scapulaire de Notre-Dame du Mont-Carmel, ensemble quelques Miracles faits en faveur du même S. Scapulaire:* die decimâ quintâ ejusdem mensis, ad Comitia sacræ

Facultatis in Aula Collegii Sorbonæ, accessit secretioris Consilii Regis Ostiarius, qui significavit Decretum Consistorii Regis circa negotium Censuræ Libelli Confraternitatis Scapularis Carmelitarum, cujus judicium sibi Consilium Regis, auditis testibus, reservabat.

In Rothomagensi Diœcesi eâdem Scapularis Confraternitate pluribus displicente, facta est contentio, quibusdam impugnantibus, aliis vindicantibus hanc devotam Sodalitatem. Hæc inter Illustrissimus Rothomagensis Antistes, suarum esse partium reatus dissidentes componere, ac disputationi lucem afferre: Quò efficaciùs id præstaret, quid sentirent ea de re Sorbonici Doctores, voluit exploratum. Antistitis Illustrissimi Dom. D. FRANCISCI DE HARLAY voto satisfaciunt Sorbonici: Examen quæstionis selecti octo è celeberrimis suscipiunt. Qui visis Bullis, omnibusque pensatis, die 19. Augusti, anno 1648. licitam Confraternitatis erectionem, & erectæ quidem Confirmationem declararunt: *Indulgentiam* verò *Sabbatinam*, juxtà tenorem decreti PAULI V. publicandam, & asserendam censuerunt; ipso fatente R. P. Natali Alexandro, *Dissert. XI. in Hist. Eccl. Sec. XIV. art. 2.*

LXI.

JOANNES ALPHONSUS SOLIS, Hispanus Salmanticensis, nobilissimo genere, ex PETRO ALPHONSO DE SOLIS, & MARIA FELICE DE MENOOÇA, parentibus procreatus; hæres utriusque, & Caput familiæ, atque Dynasta oppidorum *Retortilo*, & *la Gransa*, uxorem duxit, ex eaque prolem suscepit. Mortuâ Conjuge, jam variis disciplinis ipse instructus, relicto seculo, ad Claustrum Carmelitarum in patria confugiens, ibi Tyrocinium posuit, & professionem emisit die 21. Januarii, anno 1615. in manibus Ven. Mag. PETRI CORNEJO, Carmelitæ. Post susceptum Religionis Statum, studiis atque concionibus se totum dedit, usquè adeò iis excultus, ut etiam ex tempore verba è suggestu faceret. Ad hæc, factæ Theologiæ Magister institutus, suæ Provinciæ Definitor, & Conventûs Abulensis Prior extitit; quo sanè munere distentus erat, dum à PHILIPPO IV. Rege Catholico, in Antistitem nominatus est.

Igitur die primâ Septembris, anno 1636. creatus est Episcopus *Portu-divitensis* in America, sub Metropoli Dominicopolitana, XIII. in ordine Antistes illius Ecclesiæ, quæ vulgo *S. Joannes de Portu-divite* nuncupatur. Consecrationis munus in eadem Regione suscepit per manus FACUNDI DE TORRES, Archiepiscopi Dominicopolitani, Assistentibus Decano & Archidiacono Ecclesiæ S. Dominici. Quo tempore Sedem Portûs-divitis tenuit, Indorum plusquam decem millia Sacramentis Baptismatis, & Confirmationis abluit, inunxit, copiosis per universam Diœcesim Eleemosynis distributis. Postquam verò ad annos quatuor officium pastorale exercuit; in eadem Urbe Portûs-divitis, Spiritum Creatori reddidit, sepultus in Templo Cathedrali; ad cornu dextrum Summi Altaris: ubi sequens legitur Epitaphium.

D. O. M.

DD. F. † JOANNES ILDEPHONSUS DE SOLIS,

FELICIORIS SECULI VIGIL,

TOTO VIRTUTUM CUMULO NITIDIS, EXEMPLAR,

HUJUS URBIS PRÆSUL SINE EXEMPLO,

DIE 19. APRILIS, ANNO 1641,

OBIIT PRORANOUS:

CUJUS IN MEMORIAM

LAPIDEM HUNC DURATURUM MINUS

SOBRINUS D. IGNATIUS DE LA MOTA

SARMIENTO, DICAVIT.

Scripsit Joannes noster Alphonsus de Solis, *Concionem Beatissimæ Virginis*; quam in *Conceptionis* ejus *solemnitate* habuit apud Franciscanos. Prodiit Salmanticæ, annno 1619 *in-4°*.

2. *Conciones* alias *Mariales*, seu *de Festis & laudibus B. V. Mariæ*, Lib. I.

3. *Conciones* alias *Quadragesimales, de Tempore, & de Sanctis*, Lib. III.

4. *Soliloquia Spiritualia*, Lib. I.

JOANNEM ALPHONSUM DE SOLIS laudant Ægidius Gonçales, in *Theatro Ecclesiarum Americæ Indico*, *pag.* 292. & 294. Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*, & in *Antistibus Marianis*. Petrus de Alva, in *Militia Conceptionis Immaculatæ*: Franciscus Bonæ Spei, in *Visione Eliæ*: Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli Mss.* Ludoviçus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 175. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 930. *num.* 3259.

LXII.

JOANNES ALBERTUS A S. JOSEPHO, Panormitanus, Carmelita Excalceatus, in seculo dictus JOSEPH PASQUALE, ex nobilibus MATTHÆO & LAUREA genitoribus ortus, in eadem *Panormi* civitate in Conventu *S. Isidori* Vestem religiosam induit, anno 1637. die 19. Martii, & anno sequenti professionem emisit. In Religiosæ vitæ limine totum se addixit, divinæ Contemplationis exercitio, in arcanis Mysticæ Theologiæ, & animabus in viam Salutis dirigendis, omnibus Superior. In Magistrum Novitiorum pluries electus, incredibili zelo, prudentiâ, magnis adhuc exemplo, ad perfectionis tramitem trahebat, in regulari observantia præstantissimus, ac omnibus virtutibus insignis. *Matritum* ad expedienda quædam Provinciæ suæ negotia missus, ibi meritis clarus, vitam cum morte commutavit, anno 1678. Edidit Italico sermone,

1. *Spirito dell' attioni della vita humana.* Panormi, apud Petrum de Isola 1651. *in-8°*.

2. *La Pieta Palermitana per ajuto de Moribundi.* Ibidem, apud Petrum Camagnam; anno 1672. *in-12.*

Hunc Joannem Albertum laudant Antoninus Mongitor, in *Bibliotheca Sicula*, *pag.* 314. & Martialis à S. Joanne-Baptistâ, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 252.

LXIII.

JOANNES ANASTASIUS DE ARAÑA, Navarrus, Pampilonensis, Carmelitarum Ordinem in patria urbe professus, Philosophiam Sodales docuit, indeque tam ibi, quàm *Cæsar-Augustæ* sacram Theologiæ scientiam, laureâ hujus Facultatis ornatus. Definitor fuit Aragoniæ Provinciæ, obiitque Rector designatus Collegii *S. Joseph*, Regiæ istius urbis; immaturâ morte præreptus XIX. Maii M. DCLXIII.

Scripta reliquit, *Summulas Morales*; duabus partibus: quæ editæ sunt anno 1667. apud Joannem de Ibar: teste Nicolao Antonio, *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ*, *pag.* 479.

LXIV.

JOANNES A S. ANDREA, Hispanus, Carmelita Excalceatus, Prior *Guadalajarræ*, scripsit circà annum 1642. *Relationem de sacris Imaginibus B. V. Mariæ Guadalajarræ.* Quâ potitus est Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 2. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ, Lib. VI. cap.* 42. Sicut animadvertit Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Mss. pag.* 175.

LXV.

JOANNES ANDREAS CENTURIONUS, Carmelita Excalceatus, Genuâ oriundus, vir singulari virtute, pluribusque scientiis præditus, floruit seculo decimo septimo, quo typis dedit *Literas aliquas eruditas*, inquit Augustinus Oldoinus, in *Athenæo, pag.* 296. & 445. ubi designatur Frater germanus sororis PAULÆ MARIÆ A JESU, Carmelitæ Monialis Excalceatæ.

LXVI.

JOANNES ANDREAS A CRUCE, Panormitanus, Excalceatus, in seculo dictus NICOLAUS RUSCIANUS, JOANNIS ANDREÆ RUSCIANI, utriusque Juris Doctoris, & ANTONIÆ filius, ibi natus est anno 1640. & in Conventu S. Isidori Tyrocinium est anno 1656. amplexus, atque anno sequenti Institutum Nudipedum Carmelitarum amplexus. In Regulari observantia nemini secundus: Magister Novitiorum, posteà Theologiam docuit, Plurium Conventuum regimen Prior habuit: Quod officium Catanæ exercens, obiit anno 1681. die 16. Augusti. Edidit Italico Sermone,

1. *La Pace combattuta, o vero la tranquillità di Catania conturbata da i vomiti di Mongibello, successa lagrimevole dell' inondatione del fuoco del Monte, Etna scappato alle falde di detto Monte à di* 11. *di Marzo dell' anno* 1669. Panormi, apud Petrum de Isola, anno 1670. *in*-12.

2. *Il secolo di ferro reso d'oro dalla vita, è virtù esemplari della Ven. suor Geltruda di Giesu Maria, Maltese Carmelitana Scalza.* Romæ apud Mancinum, anno 1671. *in*-4°. Suppresso nomine Auctoris.

De isto Joanne Andrea loquuntur Antonius Mongitor, in *Bibliotheca Sicula, pag.* 317. & Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 252.

LXVII.

JOANNES ANDREAS SECABOS, (Balæo SERABONUS) natione Italus, patriâ Veronensis, Carmelita, Doctor Theologus Bononiensis, ac Poeta laureatus, in *Parisiorum Lutetiâ primus bonas literas docuit*, prout loquitur Josias Simlerus; Vir utique Secabos, propter eximiam omnium scientiarum notitiam, & ob virtutis, atque probitatis laudem conspicuus: Concionator & Orator elegantissimus, scripsit circà annum 1490.

1. *Orationes coràm summo Pontifice habitas.* Lib. I. Ms. olim apud Joannem Balæum servato.

2. *Epistolas Rhetoricas*, Lib. I.

3. *Morales eruditiones*, Lib. I.

De Joanne-Andreâ Secabos laudes non tacent Robertus Gaguinus, in *Epistolis*: Joannes Balæus, *Cent. XIII. pag.* 164. Petrus Angelus Spera, *Lib. III. de Nobilitate Professorum Grammaticæ & humanitatis utriusque linguæ.* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium, ad ann.* 1489. *num.* 6. *pag.* 972. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 167. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliotheca Gesneriana*: Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1008. *num.* 3078.

LXVIII.

JOANNES A S. ANGELO, natione Hispanus, patriâ Andujarensis, aut Velecianus, Eremi de Monte Sancto de Peñuela professus, Carmelita Excalceatus, Theologus, Prior Jaennensis, vel Glennensis, & Velez Malacensis; posteà Definitor Generalis. Vir pœnitentiæ, solitudinis, virtutis & literarum amantissimus, decessit sanctissimè in Monasterio Ecijensi Provinciæ Bæticæ, anno 1625. postquam scripsisset excellens Opus prænotatum

Examen Spiritûs, Lib. I.

De illo Joanne mentionem habent Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 2. *Historia Generalis Reformationis S. Teresiæ, Lib. I. cap.* 18. *pag.* 96. & *Lib. VI. cap.* 25. Hieronymus à S. Josepho, *Lib. V. Vitæ Ven. P. Joannis à Cruce, cap.* 1. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 176. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 214.

LXIX.

JOANNES A S. ANGELO, alter Carmelita Excalceatus, natione Bæticus, patriâ *Villanovanus*, primus Prior Perpinianensis in Ruscinone, anno Domini 1589. constitutus, Prædicator Apostolicus: Vir cujus summa virtus, singularis ingenii fœcunditas & sana eruditio, æternam apud Hispanos laudem pepererunt; ex hàc vitâ migravit *Baeza*, anno post Christum natum 1628. postquam *Sermones* edidisset.

Joannis hujus meminerunt Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 2. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ, Lib. VIII. cap.* 19. *num.* 4. & Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 176.

LXX.

JOANNES A S. ANGELO, Carmelita Hispanus, partes Michaëlis Aiguani sustinuit adversùs Michaëlem Ximenium Barraconem, qui edidit opus quod inscribitur: *Dissertatio comparativa, in quâ Petrum Berchoriam verum esse authorem Commentarii in Psalmos*, nomine Incogniti editos, *disputat.* Matriti, anno 1720. *in*-8°. Undè & hæc Dissertatio istum primarium titulum habet: *Michaëlis Ximenii Barranconis Incongnitus per se cognitus.* Petrus iste Berchorius fuit natione Gallus, patriâ Pictaviensis, Prior S. Eligii Parisiensis, qui obiit anno 1345.

Ast Joannes à S. Angelo Commentarios illos Michaëli Aiguano Bononiensi, sui Ordinis Priori Generali, vindicat in Opere quod inscribitur: *Dissertatio Apologetica pro Incognito per se cognito.* Matriti, 1721. *in*-4°. De quâ Dissertatione loquuntur Acta Eruditorum, *tomo X. Supplem. pag.* 281. Et Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 1. *pag.* 718.

Replicuit ejusdem *Michaëlis Ximenii Barranconis Incognitus apertiùs cognitus.* Matriti, 1722. *in*-8°. Et *Conclusio allegationis in lite super certitudine Auctoris Incogniti in Psalmos.* Sive supplementum duplicis Tractatûs pro Petro Berchorio. Matriti, 1728. *in*-8°. Quibus non obstantibus, Joannes-Albertus Fabricius Commentarios illos adjudicat Michaëli Aiguano, Bononiensi Carmelitæ,

tomo

J.

tomo 5. *Bibliothecæ mediæ & infimæ Latinitatis*, *pag.* 122. & 728. Necnon Casimirus Oudin, *tomo* 4. *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *pag.* 137.

LXXI.

JOANNES ANGELUS, natione Longobardus, patriâ Brixiensis, Carmelita Congregationis Mantuanæ, edidit Latino sermone *Orationem de Sancto* PETRO THOMA, Carmelitâ, Constantinopolitano Patriarchâ, quam anno 1640. vidit in Italia *editam* Ludovicus Jacob, id testatus in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 176.

LXXII.

JOANNES A S. ANNA, natione Lusitanus, Conventûs *Conimbricæ* filius, regularis observantiæ Zelator fidelissimus, & suæ Provinciæ Portugalliæ Præfectus: JULIO II. *Libellum supplicem* obtulit cum Gundisalvo, Ulyssiponensis domûs Priore, ne Molendinæ relictæ, huic Conventui per Nuñium *Alvarum Pereira*, Comestabilem, alienari unquam permitterentur. Annuit eorum supplicationibus Pontifex Maximus per Apostolicum Diploma, anno 1507. die 8. Octobris; quod *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum* legitur, *pag.* 434. Ipse autem Joannes de S. Anna, obiisse feliciissimus septuagenario major perhibetur, anno Christi 1522. apud Alegreum Casfanatum, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 388.

LXXIII.

JOANNES A S. ANNA, natione Hispanus, patriâ Sotocanus, Diœcesis Conchenensis, Carmelita Excalceatus, *Penuelæ* Novitius, Vicarius Malacensis. Vir vitæ integritate, prudentiâ & cœlestibus donis conspicuus, scripsit *Relationem de fundatione Monasterii S. Andreæ Malacensis*, *Carmelitarum Excalceatarum*, anno 1584. erecti, quâ usi sunt Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 2. *Historiæ Reformationis S. Teresiæ*, *Lib. VI. cap.* 14. 31. & *seqq.* Necnon ibidem, *Lib. VIII. cap. XI.* Hieronymus à S. Joseph, in *vita Vener. P. Joannis à Cruce*, *Lib. IV. cap.* 9. 10. & *seqq.* teste Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag* 176.

LXXIV.

JOANNES A S. ANNA, alter Carmelita Excalceatus, Biacensi Collegio Scriptoræ sacræ Professor ad annum 1727. pietate ac eruditione clarus, ad Discipulos sacris Literis imbuendos elucubravit,

1. *Tractatum Isagogicum Scripturæ sacræ*, prælo subjiciendum.

2. *Chronicon Sacro-Biblicum*, *totius Scripturæ sacræ Historicum*, Mss.

3. *Deutero-Prædicamenta Biblica.* Mss.

Hæc referuntur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 215.

LXXV.

JOANNES AB ANNUNCIATIONE, Hispanus, in seculo dictus JOANNES LLANES-CAMPOMANES, in civitate Ovetensi, Nobilibus parentibus ortus, *Vallisoleti* Professionem Religiosam inter Carmelitas Excalceatos emisit, in quâ à pueritia ênituit, & cum ætate crevit devotio & candor animi. Salmanticensis Collegii Moderator & Rector, semel iterùm Definitor Generalis, communi totius Congregationis applausu, ad Præpositi Generalis culmen evectus est. À Doctioribus, ac imprimis ab Eminentiss. Cardinali D'AGUIRRE, sæpè consultus, in suo Collegio Salmanticensi extremum diem clausit, sexagenario major, anno 1701. Opera ejus sequuntur,

1. *Cursus Philosophicus Collegii Complutensis*, *ad clariorem formam redactus.* Quatuor tomis, *in*-4°. editus Lugduni. Et tomum quintum de Cœlo & Meteoris.

2. *Cursûs Theologici Salmanticensis* tomum tertium, *de Gratia Habituali.* Quartum, *de Gratia Actuali*, *justificatione & merito.* Quintum, *de Fide & Spe.* Sextum, *de Charitate & Statu Religioso.* Septimum & octavum, *de Incarnatione.* Nonum, *de Sacramentis in communi & Eucharistia.* Decimum, *de Pœnitentia.* Omnes *in-folio.*

3. *Promptuarium Carmelitarum.* Hispanè. Matriti, 1699. duobus tomis, *in*-4°.

4. *Epistola Pastoralis* ad totam Congregationem. Matriti, 1697. Hispanè, in plura Capita distincta. Hæc leguntur in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 215. æquè ac

5. *Epistola Pastoralis* altera *ad Moniales*; in qua doctissimè interpretatur Tractatum S. Teresiæ, de *modo visitandi Monasteria Monialium.* Matriti, 1699. Hispanè.

6. *Monita ad Religiosos suos.* Matriti, 1698. Hispanè, *in*-4°. de quibus omnibus consulenda est *Historia Generalis Congregationis Hispanæ*, *Carmelitarum Excalceatorum*, *tomo* 6. *Lib. XXVI. cap.* 29.

LXXVI.

JOANNES-ANTONIUS BOVIUS, natione Italus, regione Lævus, patriâ Novariensis, Asteolis professione religiosâ Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, & suos inter Sodales Regens Mediolani, Neapoli, & Romæ; atque in Urbis Collegio Sapientiæ publicus Metaphisicæ Professor, sacræ Congregationis *Indicis* Consultor: necnon alterius de *Auxiliis* nuncupatæ, die 13. Martii, 1598. renunciatus à Clemente VIII.

Provincialis etiam titularis fuit Provinciæ Angliæ, hic vir *Theologus insignis*, *omnique scientiarum genere arnatus*, ut loquitur Ferdinandus Ughellus, cum partes Ludovici Molinæ in Congregationibus de *Auxiliis* strenuè propognasset, & de Immunitate Ecclesiastica in Venetos stylum strinxisset, à PAULO V. intuitu virtutum & laborum pro Romana Ecclesia exanthlatorum, Episcopatu Melphitano ornatus est die 29. Januarii, in Regno Neapolitano. Consecratus fuit die 11. Februarii, anno eodem 1607. seditque quindecim annis & septem mensibus, morte sublatus die 12. Augusti 1622. Cadaver ejus in Cathedrali humatum quiescit cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

† JOANNI-ANTONIO BOVIO,

CARMELITÆ, EPISCOPO MELPHITENSI;

MAGNO S. TH. MAGISTRO,

SUI ORDINIS SPLENDORI,

ROMANÆ ECCLESIÆ AUCTORITATIS

ACERRIMO VINDICI:

VERBO, ET EXEMPLO OMNIBUS PERSPICUO,

IN GREGIS VIGILANTIA,

AC PAUPERUM, ET VITIIS EVELLENDIS

SOLERTISSIMO PRÆSULI BENE MERENTI C. FF.

OBIIT PRID. IDUS AUGUSTI M. DCXXII.

Zzzz

J.

Scripta ejus titulo vocitantur,

1. Ad primum examen Libri Molinæ de Concordia, *septem scripta:* In quibus omnibus, Molinæ propositiones ab errore vindicat, easque saltem ut probabiles defendere nititur. Citantur apud R. P. Jacobum Hyacinthum Serry, Dominicanum Religiosum, in *Historia Congregationum de Auxiliis, Lib. III. cap.* 3. *pag.* 163.

2. *Epistola ad Paulum V.* summum Pontificem, *qua suam de finiendâ Auxiliorum Controversiâ, sententiam dicit.* Antuerpiæ, 1709. in *Appendice Historiæ Congregationum de Auxiliis*, jam citatæ, *in folio, num. XIV. pag.* 14. *& seqq.*

3. *Idea Bullæ, jussu Pauli V. Pontificis Maximi, meditata, pro finiendâ Auxiliorum Controversiâ.* Antuerpiæ, *in Appendice Historiæ Congregationum de Auxiliis*, citatæ, *pag.* 152. *& seqq.* Citatur apud R. P. Annatum, S. J. Presbyterum, in *Informatione de quinque Propositionibus, pag.* 66. *num.* 59.

4. *Ad Censuram Pauli V. contrà Remp. Venetam Annotationes*, sex partibus distinctæ. Romæ, apud Guillelmum Facciotum, 1606. *in*-4°. Italicè. Deinde Coloniæ, anno 1607. apud Bernardum Gualtherum. De illâ loquuntur Fr. Fulgentius, *in vita Fr. Pauli Servitæ, pag.* 93. Edit. Gall. Aubertus Miræus, *de Scriptoribus seculi XVI. Cap. CXLIII.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Pontificia, pag.* 351. Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula Universali scriptorum Ecclesiasticorum seculi XVII. pag.* 1602. Idem Dupinus, in *Historia Ecclesiastica seculi XVII. Gallicè* edita, *tomo* 1. *pag.* 268. Philippus Dubois, in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 172. *num.* 1054. cum Inscriptione Operis nativa ista & propria. *Risposta di Gio Ant. Bovio alle Considerationi del P. Paolo V. de Venetia sopra le Censure di Paolo V.* In Roma, G. Facciotto, 1606. *in*-4°.

5. *Epistola ad Paulum Rocca, Carmeli Mediolanensis Priorem, adversùs Epistolas quas serenissimus Venetorum Dux & Senatus ad populum suæ Reip. scripserunt.* Romæ 1606. Italice. Hanc citat Ludovicus Ellies Dupin, in *Historia Ecclesiastica seculi XVII. tomo* 1. *pag.* 268.

6. *In Universam Philosophiam Commentaria Mss.* Quæ Romæ vidit Ludovicus Jacob, in Bibliotheca Carmelitarum S. Mariæ Transpontinæ.

7. *De speculorum admirabili virtute*, Tractatus Ms. Ibidem.

8. *Opera Theologica Joannis de Bacconne, Carmelitæ, Notis* illustravit.

9. Ex Hispanico in Italicum idioma vertit *Disciplinam Regularem* P. Hieronymi Gratiani, & Henrico Silvio, Ordinis Carmelitani Priori Generali, dicavit. Venetiis, 1600. *in*-8°. ut notavimus, *pag.* 649. *num.* 30.

Joannem-Antonium Bovium commendant Ferdinandus Ughellus, *tomo* 2. *Italiæ Sacræ.* Janus Nicius Erithræus, in *Pinacotheca Imaginum Illustrium Virorum, parte* 1. *pag.* 113. Emmanuel Thesaurus, in *Oratione funebri Bovii*, dicta Neapoli, anno 1622. die 15. Septembris, ibidemque posteà edita 1623. cujus meminit Andreas Rossotti, in *Syllabo Scriptorum Pedemontii, pag.* 186. Jacobus-Augustus Thuanus, *Lib. V. pag.* 137. Historiarum. Antonius Possevinus, in *Appendice tomi primi Apparatûs sacri.* Joannes Molanus, in *Bibliotheca Materiarum.* Petrus à S. Josepho, *tomo* 1. *Theologiæ Temporis, Cap.* 5. Idem in, *Concordia suavi humanæ Libertatis, Disput.* 5. Gabriel de Henao, in *Eventilationibus de scientiâ mediâ; Eventilatione* 3. *num.* 13. Aubertus Miræus, de *Scriptoribus Ecclesiasticis seculi XVII. Cap.* 193. N. Davrigny, in *Memoriis Chronologicis & Dogmaticis*, Gallicè editis, *tomo* 1. *pag.* 81.

E Carmelitis, Emmanuel Roman, *de Scriptoribus Ordinis Carmelitarum:* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 481. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelitarum, pag.* 78. Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VI. Compendii Historiæ Carmelitanæ, Cap.* 10. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 177. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag.* 518. *num.* 925. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 931. *num.* 3260. Ibidem, *pag.* 1072. *num.* 3739.

Indè judicet R. P. Jacobus-Hyacinthus Serry, utrùm effuso absque partium studio dixerit in Historia Congregationum de Auxiliis, *Lib. IV. Cap. XXXI. pag.* 634. *Joannem-Antonium Bovium, minùs eruditum extitisse.* Non ità censebant, quos hactenus adduximus Auctores: Non Ferdinandus Ughellus, cujus verba dedimus: Non R. P. Fulgentius Brixiensis, in *vita R. P. Pauli Sarpi*, unum Bovium judicantis dignum, cui responsum daretur. Non Aubertus Miræus, *Cap. CXIII. citato*, asserens, quod » Gravi de Divinæ Gratiæ Auxiliis Do» minicanos inter & Soc. Jesu Patres ortâ lite, » cum Clementis VIII. voluntas propenso in Do» minicanorum sententiam animo ferri videretur, Bo» vius magis quàm quisquam alius, ejus properan» tis cursum retinuit, stititque rationibus multis, » ne pro Dominicanis sententiam diceret. Si minùs doctus fuit Bovius, cur arbitratus est Cardinalis Madrutius, suffragium istiùs Censoris dignum esse sua propriâ Confutatione, sicut ipse R. P. Serry animadvertit, *Lib. II. Cap.* 5. *pag.* 165.

LXXVII.

JOANNES ANTONIUS DARIUS, Neapolitanus Carmelita, qui à *Lezanâ* vocatur Dominicus, ejusdem Academiæ Doctor Theologus anno 1548. renuntiatus, ac in magno Conventu Professor: Vir exquisitâ eruditione, mirâ ingenii facilitate; & præclarâ virtute præditus, necnon concionatoriâ eloquentiâ illustris, decessit in Monasterio *S. Mariæ de Paradiso Pausilipi*, ad mare, in suburbio Neapoleos, anno 1569. ibique sepultus cum sequenti Epitaphio.

D. O. M.
ANTONIO DARIO,
NEAPOLITANO, CARMELITÆ:
QUI DE RESURRECTIONE MORTIS COGITANS,
HOC IN CHRISTO JESU
IMMORTALEM VITAM BEATAM EXPECTAT.
FR. CYPRIANUS NEAPOLITANUS,
FIDELEM OB AMICITIAM,
P. A. D. M. LXIX.

Ejus Opera inscribuntur,

1. *Sermo in Psalmum LXXXXIV.* Benedixisti Domine terram nostram.

2. *Sermones incompleti super septem Psalmos Pœnitentiales.*

3. *Quadragesimalia duo.*

4. *Sermones à die Omnium Sanctorum usque ad diem Purificationis B. V. Mariæ:* Quos jubente & præsente R. P. Generali, Magistro Nicolao Audetho, prædicavit in Ecclesia Carmelitarum, Italicè.

5. *Sermonum Libros duos*: Quos Manuscriptos Italice vidit Ludovicus Jacob Romæ, *in-folio*, in Bibliotheca Carmelitarum S. Mariæ Transpontinæ.

6. *De vitâ Religiosâ* sub diversis Capitulis, ad *Moniales Libellas*, Italicè.

7. *Descriptio vulgaris Civitatis Neapolis*, & *Provinciæ Terræ Laboris*, *tùm circà notabilia ædificia*, *Murorum*, *Castrorum*, *Templorum & Palatiorum*; *quam circà præclaros omnes*, *qui ex iisdem Civitatibus sunt oriundi*; *circà Corpora & Reliquias Sanctorum*, *homines illustres*, *Doctores titulatos cujascunque Facultatis & gradûs &c. circà digna*, *quæ in ipsis Civitatibus continentur tempore præsenti*; *circà eorum Insignia*, *Tribunaliaque*, *&c.*

8. *Additiones ad Librum Joannis Trithemii*, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quas propriâ manu scripsit Romæ, anno suæ ætatis 45. Religionis 30. Doctoratûs 14. & Christi 1559. Quæ MSS. asservantur Romæ, in Bibliotheca Carmelitana S. Mariæ Transpontinæ.

Joannem-Antonium Datium commendant Franciscus Sixtus, in *Tesseradecade Genealogiæ Jesu-Christi*, *Decade* 4. *cap.* 197. Philocalus Caputus, in *Monte Carmelo*, *Discursu* 5. Joannes-Baptista de Lezanâ, *tomo* 4. *Annalium*, *ad annum* 1269. *num.* 4. *pag.* 397. *lineâ* 16. ubi vocatur Dominicus. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 178. Philippus Labbe, in *Bibliotheca Bibliothecarum*, *pag.* 209. Antonius Teisserius, in *Catalogo Auctorum & Bibliothecarum*, *pag.* 159. Cæsar-Antonius, in *Neapoli sacra*, *pag.* 665.

LXXVIII.

JOANNES ANTONIUS FIORITUS, Lucensis Carmelita, sacræ Theologiæ Magister, & Secretarius Prioris Generalis, scripsit Italicè *Relationem Festivitatis pro Canonizatione S. Magd. de Pazzis.* Cremonæ, apud Carmelitas peractæ. Ibid. anno 1670. *in-4°.* sicuti legitur *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1071. *num.* 3739.

LXXIX.

JOANNES ANTONIUS GUISSANUS, natione Longobardus, patriâ Cremonensis, Carmelita, Doctor Theologus, ac diversis in Collegiis Professor: Vir non solùm Linguarum Grecæ & Latinæ peritissimus, sed etiam variarum Scientiarum cognitione, & Religionis præstantiâ clarus, Philosophus & Theologus eximius; necnon prædicandæ Evangelicæ veritatis munere imprimis conspicuus. Scripsit circà annum 1631.

1. *Sermones Quadragesimales*, *Mariales*, & *de Sanctis.*

2. *Tractatus Theologicos*, *de Incarnatione*, *de SS. Trinitate & de Angelis.*

3. *Casuum Conscientiæ Lectaram.*

4. *In universam Aristotelis Philosophiam*, *Commentaria.*

5. *Carmina quadam* tum *Latina*, tum *Italica.*

Joannem-Antonium Guissanum laudant Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Petrus de Alva, in *Militia Conceptionis Immaculatæ*: Franciscus bonæ Spei, in *Visione Eliæ*: Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 178.

LXXX.

JOANNES ANTONIUS PAUCERIUS, Mediolanensis Carmelita, S. Theologiæ Magister & Doctor, necnon Lombardiæ Provincialis, atque Ordinis sui Secretarius Generalis, de Hispanico in Italicum idioma transtulit ingens Opus, novem voluminibus distributum *in-4°.* nuncupatum *Sacgliarino Cristiano Josephi de Barthia*, Antistitis Mediolani, anno 1720. teste Patre Elia de Amato, in *Schedis Mss.* an. 1748.

LXXXI.

JOANNES ANTONIUS PERROTTUS, Dolianensis in *Salutiarum* Marchionatu, Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, necnon in Academia Taurinensi sacrarum Scripturarum publicus Interpres; Juvenali Ancinæ, Fossanensi è Congregatione Oratorii de Urbe Presbytero, Episcopo Salutiarum, vitæ Sanctitate & eruditione celeberrimo, summâ conjunctus familiaritate; cujus & virtutem & pietatem imitari studuit, & cui S. Bernardos apparuisse refertur. Vir doctissimus, & domesticis & externis non litteratæ dumtaxat, sed eminentis etiam religionis gratiâ summè charus, & in veneratione habitus: Verum pauperum solatium, afflictorum refugium, atque commune dubitantibus oraculum. Cum esset Linguæ Hebraicæ peritissimus, Hebræos sæpè convicit, & hæreticos ad fidem Catholicam perduxit. Tandem fato cessit *Augustæ-Taurinorum*, anno 1611. Italico Sermone Opera illius Inscribuntur,

1. *Heroglifico narratione del felicissimo Principio Della Casa di Savoia.*

2. *Il' Compendio della vita B. Madre* Teresia del Giesu, *Fondatrice de i frati*, *è Monache Scalze Carmelitane.* Taurini, anno 1611.

3. *Panegirico nella promotione al Cardinalato del Serenissima Principe* Mauritio de Savoia.

4. *La Cabala Santa.*

5. *Sermoni della Santa Sindone.*

6. *Il Testamento di Tobia.*

7. *Il Hieroglifico sopra l'Imagine di S. Antonio*, *Abbate.*

8. *Trattato della Solitudine*; prænotavit, *Il Solitario.*

9. *Theologicârum quæstionum Via.*

10. *Quæstiones Controversiarum.*

11. *Declarationes sacræ Scripturæ secundùm sensum Hebraicæ Linguæ.*

12. *Vita S. Basilii Magni.*

13. *Admonitiones S. Teresiæ*, Italicè; adjectâ *Epistolâ.*

14. *Vita præconia gloriosissima*, Italicè.

15. *Epistolarum*, Lib. I.

Hunc Perrottum celebrant Andreas Rossotti, in *Syllabo Scriptorum Pedemontis*, *pag.* 349. Augustinus Biscarretus, apud Ludovicum Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*, *Mss. pag.* 178. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 899. *col.* 2. *B.*

LXXXII.

JOANNES-ANTONIUS PHILIPPINUS, Civis Romanus, Ordinem Carmelitarum ab ineunte ætate amplexus est *Florentiæ* atque professus. Ticini operam dat Philosophiæ: illinc pergit in Hispaniam, obi Theologiam duobus annis tum *Oscæ*, tùm *Cæsar-Augustæ* audit: posteà in Italiam redit, ac *Neapoli* & *Romæ* studiis Theologicis coronidem imponit, laureâque Doctorali insignitur. Primus ludum aperit Philosophiæ in Carmelo *Prænestino*, à Sebastiano Fantono, ejusdem urbis Cive, Ordinis Priore Generali, magnis sumptibus erecto & fundato. Indè *Romam* accersitur, fitque Prior Conventûs SS. Sylvestri & Martini in Montibus;

quem ferè collapsum & dirutum propriis impensis instauravit, & exornavit; sed inprimis Ecclesiam à S. Carolo (Vide super. *pag.* 710.) Borromæo decoratam mirificè ampliavit, quæ modò cum pulcherrimis Urbis Templis de elegantià & ornatu contendit.

Sacros hosce labores Urbanus VIII. perpetuà dicti Monasterii præfecturà Apostolico diplomate, compensavit, voluitque ut Philippinus noster esset perpetuos *SS. Sylvestri & Martini* Prior. Hanc Basilicam Innocentius X. anno 1649. die 26. Octobris, pro singulari, quo Philippum affecto prosequebatur, invisit, totumque Conventum perlustravit. Romanam Provinciam moderatus est Provincialis Philippinus, qui in eo munere Cœnobium *S. Juliani* Martyris ad *Trophæa Marii* in Montibus Esquilinis ruens restauravit. Anno 1642. fuit socius R. Theodori Stratii, & Alberti Massarii; Priorum Generalium: Examinator Magistrorum in sacra Theologia: Theologus etiam serenissimi Ducis Mantuæ, Caroli de Gonzaga III. qui ejus doctrinam, cæterasque dotes eximias, hoc titulo, voluit cohonestare.

Anno 1647. sub Hyppolitò Sisoldo, Vicario Generali, Procurator totius Ordinis negotia tractavit, ex Brevi Apostolico Innocentii X. Paulò post Commissarius Generalis, postremò in Comitiis Œcumenicis, Romæ habitis 1648. præsente & assistente Mario, S. R. E. Cardinali, Ginetto, Ordinis Protectore, omnium consenso & applausu eligitur in Priorem Generalem. Quo in Officio ita se prudenter sapienterque gessit, ut strictioris observantiæ, quam in plerasqoe Ordinis Provincias, summis laboribus, sed exitu felicissimo, mirificè propagavit, parens merito audivit. Galliæ, Belgii, & inferioris Germaniæ Provincias, maximo eum fructu perlustravit; eaque Decreta edidit, qoæ omnium cùm Regni Gallici, tùm Belgicæ ditionis, & postea Polonici statûs admirationem elicuerunt.

Vir suavissimi vultûs, parvæ staturæ; candidissimi pectoris, animi excelsi, & ad ardua nati: ingenii perspicassicimi, & ad dirimenda dissidia felicissimi, eloquentiæ non vulgaris: gratiæ apud Urbanum VIII. Innocentium X. & Alexandrum VII. Romanos Pontifices, Reges, Principes, aliosqoe Magnates, à quibus amabatur juxtà & colebatur quàm maximè; paterni ergà subditos affectûs, & quod præcipuum est, præclaræ ergà Deum pietatis. Pretiosa ejos memoria hactenùs in mente Carmelitarum Provinciæ Turoniæ altè defixa permansit, ex quo præfuit Præsidens eorum Capitulo Provinciali, anno 1651. die primà Septembris habito Turonibus, in quo Gremiales cuncti juri suo Provincialem eligendi renuntiantes, Reverendiss. ejus paternitatem deprecati sunt ipsum nominare; quæ reipsà in Provincialem nominavit & instituit R. P. Danielem a S. Joseph, San-Maclovienscm. Romæ habitis Comitiis Generalibus, anno 1654. Successorem habuit R. P. Mag. Marium Venturinum; ipse verò in Conventum S. Martini secessit, ubi in triennium superstes, corpus deposuit, mortuus anno 1657. die 7. Augusti. Visitur ejus Depositum eleganti formà ac marmore, atque subjecto Epitaphio ornatum.

D. O. M.

JOANNES-ANTONIUS PHILIPPINUS,

Romanus, totius Ordinis Carmeli

Generalis et Dux:

Ecclesiæ huius ornator et gloria.

Utriusque Amor et Desiderium:

Omnibus Exemplum.

Obiit die vii. Augusti m. dclvii.

Scripta ejus tum Italico, tum Latino sermone exarata inscribuntur,

1. *La vita di B. Franco Senese:* Quam olim à R. P. M. Gregorio Lombardello, Ordinis Prædicatorum Doctore Theologo, compositam Philippinus R. P. M. Angelo Alberto Pirovano, Carmeli antiquioris Mediolanensis Priori, dicavit. Romæ, 1624. *in*-4°. apud Guillelmum Facciotum.

2. *La vita, e molti de Miracoli di S. Angelo Martire, Gerosolimitano Carmelita.* Romæ, 1640. *in*-8°. Hanc vitam Gallico sermone donavit R. P. M. Claudius Perrier, Carmelita, Doctor Theologus Tolosanus; Lugduni, apud Petrum Bailly, 1643. *in*-8°. Vertit etiam Gallicè R. P. Michaël à S. Spiritu, Carmelita Provinciæ Turoniæ alumnus. Parisiis, 1651. apud Sebastianum Huré, *in*-8°. Italicam autem Philippini laudarunt R. P. Daniel Papebrochius, in *Actis Sanctorum, toma 2. mensis Maii, pag.* 58. *num.* 10. & R. P. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 5. *Speculi Carmelitani, pag.* 350. *num.* 1239.

3. *Ristreto di tutto quello, che appartiene all' antichita, e Venerazione della Chiesa de Santi Silvestro, è Martino de Monte di Roma.* Romæ, Typis Andreæ Fey, 1639. *in*-4°. Hanc descriptionem dicavit Francisco Cardinali Barberino. Ad capur 18. hujus descriptionis, *pag.* 94. *& seqq.* loquitur de Ecclesia S. Juliani contiguà, quam asserit datam fuisse S. Angelo, Carmelitæ Martyri, ab Honorio III. anno 1219. adeò ut prima dehinc fuerit Carmelitarum in urbe habitatio.

4. *Epistola Encyclica*, seu *Circularis* & Pastoralis, *ad omnes Ordinis Carmelitarum Provincias, de Reformationis progressu.* Romæ, die secundâ Augusti, 1649. *in*-4°. Hujus fragmenta nonnulla dedimus *super. pag.* 182. Et ferè integra legitur in *Vinea Carmeli, pag.* 356 *&* 357.

5. *Decreta varia collecta, sive Articuli XXVIII. pro introducenda, conservanda, & promovenda strictiori Observantia in Conventibus & Provinciis Ordinis Carmelitarum, nondum totaliter Reformatis, quæ in dies reformantur.* Romæ, 1648. *in*-4°. Et iterùm prodierunt Romæ 1718. *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 642. *& seqq.* Asservantur etiam Mss. inter Acta publica Provinciarum Ordinis Carmelitani communia. Articuli hi dati sunt Romæ, die 29. Septembris 1648.

6. *Epistola Pastoralis ad universas Religiosos & Moniales Conventuum Reformatorum, atque in dies reformandorum*, sibi subditos; quâ illos monet quod » cum Constitutiones strictioris Observantiæ pro » Conventibus reformatis & reformandis appro- » batæ ab *Innocentio X.* & editæ anno 1646. non » essent conformes Originali, sed permulta in iis » citrà legitimam auctoritatem addita & omissa, spe- » cialem commissionem dederit RR. PP. Provinciali » Urbano ab Ascensione, ac Definitoribus Pro- » vinciæ Turoniæ perlegendi, & ad veritatem Ori- » ginalis conformandi dictas Constitutiones, ut posteà » Typis mandatæ, ad Provincias Ordinis transmitti » possent: quodque acceperit præfatas Constitutio- » nes exactè & fideliter repurgatas ab omni errore, » modò penitùs conformes esse Originali: ideóque » jubet eas transmitti ad dictos Conventus. Data hæc est Epistola Romæ, die 3. Octobris, 1650. Prodiit autem ad calcem dictarum Constitutionum, sæpiùs posteà editarum.

7.

J.

7. *Epitaphium* GREGORII CANALII, Prioris Generalis, quod retulimus, *super. pag.* 319.

8. *Inscriptiones nonnullæ:* Quæ leguntur in Monasteriis S. Juliani & SS. Sylvestri & Martiol in Montibus Romæ.

9. *De Officio & Auctoritate Reverendissimi Prioris Generalis.* Declaratio, quæ ad calcem Constitutionum prædictarum, Typis mandari jubetur. Romæ, die 20. Junii 1650.

10. *Breviarium, Diurnale, Horoariæ preces & Missale* typis mandari jubentur ejus ordinatione. Breviarium autem *in-8°.* majori seu *in-4°.* minori; & Diurnale *in-24.* edita sunt Parisiis anno 1653. sumptibus Simeonis Piget.

Joannem-Antonium Philippinum laodibus commendant Urbanus VIII. & Innocentius X. uti legere est, *tomo* 2. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 494. & 641. Paulus Aringhus, *tomo* 2. *Romæ subterraneæ*, *Lib. IV. cap.* 44. Joseph Maria Suarez, Episcopus Vasionensis, *Lib. II. Prænestes antiqua*, *pag.* 272. Joannes Bollandus, *die* 17. *Martii*, *pag.* 512. Prosper Mandosius, in *Bibliotheca Romana*, *Cent. IV. num.* 81. *pag.* 262. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 2. & 3. *Annalium.* Philippus à SS. Trinitate, in *Compendio Historia Carmelitana*, *Lib. VI. cap.* 5. Ludovicus à S. Teresiâ, in *successione Elia*, *cap.* 262. *pag.* 600. Irenæus à S. Jacobo, de *singulari Virginis protectione*, *cap.* 4. §. 2. *num.* 7. *pag.* 135. Franciscus Bonæ Spei, in *Epistola nuncupatoria præfixa Commentariis suæ Philosophiæ:* Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 542. *num.* 977. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1072. *num.* 3740. Ludovicus Jacob, qui sub ejus obedientiâ vixit Romæ annis 1638. 1639. & 1640. in Monasterio S. Martini, *Lib. II. Bibliothecæ Pontificiæ*, *pag.* 352. Idem, in *Bibliotheca Carmelitana*, *Mf. pag.* 179. Ubi ejus Sententiam confirmat de Ecclesia S. Juliani, data S. Angelo & Carmelitis ibi habitanda; quæ hauddubiè Opinio displicere debet R. P. Danieli Papebrochio, asserenti in Appendice ad *tomum* 2. Maii, *pag.* 842. *num.* 17. nullos Carmelitarum Conventus in partibus Occidentalibus antè annum M. CCXXX. fundatos fuisse; Donatio enim ista Basilicæ S. Juliani, Carmelitis concessæ, facta est circà annum 1229. & 1220. juxtà Sententiam P. Ludovici Jacob, in sua *Bibliotheca Carmelitana Mf.* quam ipse Papebrochius eodem tomo secundo Mensis Aprilis, *pag.* 712. *num.* 15. vocat *præstantissimum opus, quod libenter ipse prælo daret, ne pereat, aut in alicujus manus deveniat, qui alienos sibi Labores supponens, ea omnia adjiciat, quæ penitùs noluit alter attingere.* Ita tamen firmiter Ludovicus Jacob adhæsit opinioni de Ecclesia S. Juliani, concessa Carmelitis ab Honorio III. anno 1220. ut ipsius Philippini Verba Italica repetat, in *Catalogo Mf. Conventuum Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 223.

LXXXIII.

JOANNES DE AQUA VETERI, Ultrajectinæ ditionis oppido, vulgò *Oudewater*, aliàs *Paleonydorus*, Carmelita Mechliniensis, anno 1456. die 8. Aprilis Professus, quem in illud Cœnobium JOANNES SORETH miserat, JOANNES DE PLATEA loci Prior, Zelator Vitæ Regularis, habitu Sanctæ Religionis induerat annò præcedenti 1455. mensis Aprilis die sextâ, quæ fuit tertia dies Paschalis Festivitatis, ut ipse narrat Palæonydorus *Lib. III. cap.* 14. & *cap. seqq.* 15. notat quod anno 1492. aut 1493. » Joannes Trithemius, Abbas Sphanhemen» sis, insignem Librum de Ordinis Carmelitarum an» tiquitate, titulo, & laude, insignibusque & illus» tribus Viris conscripsit, qui Dei Ecclesiam illustra» runt. Quem Librum Religiosus Pater Sacræ Theo» logiæ Lector, Joannes Lapicida, Coloniensis, Prior » Conventûs Crucenanensis, impressuræ commen» davit anno Domini M. CCCCXCIV.

Pro defensione etiam sui Ordinis, non pauca Volumina edidit ipse Palæonydorus, quibus notior factus est *Fasciculus*, cujus Capita duo mox citavimus, *Tripartitus.* Congruè quidem dicitur *Fasciculus;* quià in eo, ceu fasciculo succinctè digestæ sunt præcipuæ Historiæ Carmelitanæ. Additur *Tripartitus;* quia dispertitus in tres partes: Seu *Libellos.* Quorum primus, de *Instituti Prophetici Eliani Carmelitani Origine, propagatione, & continuatâ successione usque ad Christi Salvatoris adventum. Secundus, de processu Ordinis hujus in novo Testamento usquè post annum Christi millesimum centesimum. Tertius, de Ordinis Instauratione post annum millesimum centesimum transmigratione in Europam, inibi propagatione, ac variis eventibus, & successione Priorum Generalium.*

Liber primus oppletus est plurimorum SS. Patrum & interpretum testimoniis, quæ ad probandam Eliæ & ejus discipulorum vitam Solitariam, communemque conducunt, qualia referuntur infer. *tomo* 2. *pag.* 65. 66. *& seqq.* Liber secundus abundat Historiis sublestæ admodum fidei, inter quas occurrit *cap.* 1. Sigeberti, Gemblacensis Monachi: *Hist. Jerosolymitana*, » ignota Sixto Senensi, Conrado Gesnero, Josiæ » Simlero, Auberto Miræo, Gerardo Vossio, Roberto » Bellarmino, Philippo Labbe; Guillelmo Cave, » Casimiro Oudino, Ludovico Ellies Dupino, qui » omnes Catalogum operum ejus texuerunt. Sed nec » alicujus Sigisberti Historiam Hierosolymitanam » venerunt uspiam, qui compilarunt ingens illud » opus, ex Authoribus coævis, undiquè conquisitis, » quod inscribitur: Gesta Dei per Francos, sivè » Orientalium expeditionum & Regni Francorum » Hierosolymitani Historia inclusivè usque ad Ma» rinum Sanutum, Seculi XIV. Scriptorem, loquitur » R. P. Daniel Papebrochius, in *Historia Chrono» logico Patriarcharum Hierosolymitanorum*, » quæ præfixa *tomo* 3. Maii, *per L. num.* 209. Cætera quæ spectant Joannem de Aquâ Veteri, vide infer. Verbo: JOANNES DE OUDEWATER, & *tomo* 2. *pag.* 65. & 138.

LXXXIV.

JOANNES DE AQUIS, Catalanus, Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor; vir cujus eximia relligio, summa eruditio, & præclara ingenii fœcunditas, æternam apud suos Consodales laudem meruerunt: *profundum doctrinæ mare, cui tanta fuit eloquentia, quod solebat omnibus dicere:* Pete quid vis, omnia sunt parata; *ut alter Paulus scientiâ infusè plenus, scripsit* circà annum 1390. *In Evangelium S. Matthæi Expositionem.*

2. *In Libros IV. Sententiarum Commentaria:* teste Joanne Falcone, *in Chronico Carmelitico*, quod citat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 180.

LXXXV.

JOANNES DE ARENA, aliàs BOMELIUS, natione Batavus, professione Carmelita Coloniensis: prima sua studia Philosophica & Theologica cœpit & prosecutus est in eodem Coloniensi Carmelo, ab anno 1517. Lector Philosophiæ, anno 1520. in Conventu Trajectensi. Anno 1525. Prior Waldessensis: Ab anno 1529. Prior & Lector principalis Cœnobii Ultrajectensis usque ad annum 1540.

inclusivè. Anno 1539. promovetur Doctor in Academiâ Coloniensi; & deinceps Conventûs Trajectensis seu Ultrajectensis Prior & Regens. Fuit autem Joannes ultrajectini Carmelitani Monasterii ad *S. Catharinæ* Ecclesiam siti, Prior ultimus, ac primus translati ad Ecclesiam parochialem *S. Nicolai*, in media Civitate, cum *S. Catharinæ* Cœnobium esset in suburbio seu circà mœnia Civitatis situm.

Cum Enim Carolus V. Imperator, Belgii totius Princeps, cui ab Henrico Batavo, Civitatis Episcopo, & ditionis Ultrajectensis, dominium temporale traditum fuerat, accedente non solùm regionis totius, verùm etiam Romani Pontificis Clementis VII. consensu; volens civitatem contrà hostium incursus firmare & munire: Locum, in quo erat Monasterium Carmelitarum, cum *S. Catharinæ* templo, ad hoc apprimè commodum arbitrabatur, ideòque ejus loco Ordini præsentavit Ecclesiam *S. Nicolai*, in civitate Parochialem, cum suis proventibus & redditibus; & insuper septem florenorum millia, quibus novus Carmelus juxtà dictam Ecclesiam ædificaretur. Quâ conditione acceptâ sub initium Provincialatûs Theodorici de Gouda circà annum 1528. Cæsareæ Majestati suum *Catharineum* Conventum cesserunt & resignarunt Carmelitæ, pro munienda civitate destruendum; & novum circà Ecclesiam *S. Nicolai* extruere cœperunt.

Anno 1542. die primâ Martii, Joannes de Arena electus est Episcopus Basilitanus, & assumptos Suffraganeus Metensis, ac deindè Virdunensis: Vir morum elegantiâ, vitæ integritate, & literis clarus. Moritur *Coloniæ*, & apud suos Fratres ibidem sepelitur, anno 1549. postquam scripsisset,

1. *In Libros IV. Sententiarum, Commentaria Mss.*

2. *Adversùs Librum Lutheri, de Captivitate Babylonica, Ms.*

Joannem de Arena memorant Acta Consistorialia Pauli III. *ad annum* 1542. & 1549. Ægidius Gelenius, de *Coloniæ Agrippinæ magnitudine*, *Lib. III. Syntagm.* 43. §. 3. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1198. *pag.* 143. Everardus Bihlicus, in *suis Epistolis*: Jacobus Milendunk, in *Relatione Ms. de Episcopis Germaniæ, Carmelitis.* Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 931. *num.* 3261.

LXXXVI.

Joannes de Arundine, Vernaculè van Riedt, natione Belga, Carmeli Brugensis alumnus, Doctor Theologus ac Professor Parisiensis, Lectorque Mechliniensis, Priorque ab anno 1469. ad annum 1474. Primum tamen Monasterii Ultrajectini, quod ædificari cœpit anno 1568. Priorem certò constat fuisse. Anteà fuerat socius R. P. Joannis Soreth, Siciliam visitantis circà annum 1459. Qui cum in itinere Joannem de Arundine pertimescentem ne à Barbaris & Pyratis caperetur: Quid *reformidas*, inquiebat ei humillimus Prior Generalis: *Nempè quòd capiemur uterque? Tu quidem Regi futurus eris ob tuas dotes gratiosissimus æquè ac charissimus: ego verò, seu vile mancipium in miseram servitutem abducendus.*

Joannes de Arundine anno 1494. Idibus Februarii ab Alexandro VI. Episcopus electus est Usbitensis, ac Suffraganeus, Vicariusque in Pontificalibus Davidis à Burgundia, & Frederici, Marchionis Badensis, successivè Episcoporum Trajectensium ad Rhenum: Vir in Scripturis divinis eruditus, secullque Ecclesiastes summus. Obiit Ultrajecti anno 1497. mensis Julii, die xiii. sepultus in Choro Templi quondam Carmelitarum, dein Equitum Rhodiensium, cum duplici Epitaphio, altero in Sarcophago, quod etiamnum ibi legitur; scilicet ad parietem:

D. O. M.

Anno Domini 1497. mensis Julii, die 13. obiit R. in Christo Pater & Dominus Dom. † *JOANNES DE ARUNDINE, sacræ Paginæ Professor, Ord. Fratrum B. Mariæ Carm. Episcopus Usbitensis, & Reverendiss. in Christo Patrum ac Illustriss. Principum ac Dominorum* Davidis de Burgundia & Frederici, *Marchionis Badensis, successivè Episcoporum Traject. in Pontificalibus Vicarius, sub hoc saxo sepultus.*

In Sarcophago Lapide.

D. O. M.

Conditur sub hoc saxo Corpus incomparabilis Viri; † *JOANNIS DE ARUNDINE, Brugensis, hujus Conventûs primi Prioris, sacræ Paginæ Professoris præclari, Episcopi Usbitensis, ac Suffraganei Trajectensis, qui obiit anno 1497. 13. Julii. Quiescat in pace.*

Scripsit,

1. *In Librum Sapientiæ, lecturam notabilem.*
2. *In Epistolam Pauli ad Romanos, Commentarium.*
3. *In Psalmum*, Beati Immaculati, *Sermones.*
4. *Sermones de tempore & de Sanctis.*
5. *Dialogum Episcopi de Religione, Ecclesia, & Cæremoniis*: Interlocutoribus Rutheno, Polono, Germano, & Latino.

De Joanne Arundineo perhonorificè loquuntur Bullæ Alexandri VI. *ad ann.* 1492. & 1494. Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 907. Idem, *de Luminaribus Germaniæ, cap.* 250. Guillelmus Eiseingreinius, in *Catalogo Testium veritatis*: Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca Universali, pag.* 384. Joannes Rioche, in *Compendio Historiarum*: Sixtus Senensis, *Lib.* 4. *Bibliothecæ sanctæ*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Antonius Sanderus, de *Scriptoribus Flandriæ*: Idem, *tomo* 1. *Flandriæ illustratæ*, *Lib.* 3. *cap.* 5. Andreas Scottus, in *Catalogo Interpretum sacræ Scripturæ*: Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra*, *pag.* 423. 445. & 547. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 617. *col. B.* Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 389. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 565. Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis.*

E Carmelitis, Walterus de Terra nova, in *vita Joannis Soreth*, *cap.* 6. Arnoldus Bostius, *Lib. de Viris Illustribus Ordin. Carmelit. cap. ult.* Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 38. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1490. & 1496. *pag.* 974. & 993. Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Eliæ*, *cap.* 250. *pag.* 572. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 367. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*

Mſ. pag. 180. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli, pag.* 504. *num.* 905. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 932. *num.* 3262. Ibidem, *pag.* 1307. *num.* 2925.

Joannem de Arundine alterum Carmelitam Bruxellenſem, defunctum anno 1458. circà Feſtum S. Mauri, Abbatis, innuunt & aſſignant *Necrologium Carmeliticum Bruxellenſe*, à Petro Lucio Carmelita *conditum* : R. P. Seraphinus à Jeſu Maria, P. Danielis à Virgine Maria Provincialis tum, ſcilicet anno 1663. Aſſiſtens, in *Epiſtola data ad Ludovicum Jacob*, qui eam in teſtimonium adducit in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 181.

LXXXVII.

JOANNES AB ASSUMPTIONE, Hiſpanus, Carmelita Excalceatus, Prior Metaronenſis, Provinciæ Cataloniæ in Diœceſi Barcinonenſi : Quod quidem Monaſterium fundatum eſt anno 1588. liberalitate Doctoris Joannis de Palau, Curati, ſeu Paſtoris & Parochi ejuſdem loci. Scripſit *Relationem de virtutibus Carmelitarum Excalceatorum* hujus *Cœnobii Mataronenſis* : quâ uſus eſt Franciſcus à S. Maria, *tomo* 2. *Hiſtoriæ Reformationis S. Tereſiæ, Lib. VIII. cap.* 3. ut animadvertit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 181.

Alter ejoſdem nominis Joannes ab Assumptione, Italus, patriâ Eugubinus, Carmelita Excalceatus, Italicæ Congregationis alumnus, miſſus in Perſidem anno 1604. cum aliis primis Miſſionariis Apoſtolicis, obiit in Carcere *Saracinæ*, in Regno Moſcovitarum, circà annum 1606.

LXXXVIII.

JOANNES AUGUSTINUS à S. ANGELO, Genuenſis, Carmelita Excalceatus, Definitor Generalis Congregationis Italicæ, ac Provinciæ Avenionenſis Viſitator, ſcripſit circà annum 1643. *De Dictionibus Hebraïcis* librum; cujus meminerunt Iſidorus à S. Joſepho, in *Vita Ven. Joannis à Jeſu Mariâ, Præpoſiti Generalis* : Idem, *tomo* 1. *Annal. Congregationis Italicæ, Lib. II. Cap.* 7. & Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 182.

LXXXIX.

JOANNES AUGUSTINUS à NATIVITATE, illuſtri ex familiâ Senenſi *Tartagliâ* ortus, literis humanioribus, ac Philoſophiâ feliciter emenſis, cum quartum Theologiæ annum percurreret, mundum relinquere cogitans, R. P. Jo. de Lugo probante, Excalceatorum prælegit religionem eâdem die, quæ ad lauream, publicas Theſes, Urbis univerſæ plauſu defenderat, anno 1631. die 8. Sept. Profeſſione emiſsâ anno ſequenti, Lector Sacræ Theologiæ in Seminario *S. Pauli*, deindè in Collegio *S. Mariæ de Victoriâ* Miſſionarios Sodales edocuit fidei controverſias. In ſua Provinciâ Definitor, Prior, Provincialis, ac Definitor Generalis extitit. Ab Innocentio X. in numerum Cenſorum adlectus anno 1652. ad Janſenii doctrinam expendendam. Decreverat urbem relinquere, ſed ab eodem ſummo Pontifice retentus, inter Qualificatores Inquiſitionis; deindè ab Alexandro VII. munere Conſultoris Congregationis Rituum decoratus eſt. Anno 1670. apoplexiæ morbo correptus, jamque morti proximus, ac ſacro oleo inunctus, Medicorum ope liberatus, biennio ſupervixit, mortis adeò memor, ut eam omni horâ præſtolaretur. Anno 1672. redeunte anniverſario ſuæ Profeſſionis, die 8. Septembris obiit *Romæ*. Scripſit,

1. *Volumen Concionum*, in-4°.

2. *Animadverſiones in quinque Propoſitiones è Libris Cornelii Janſenii, Epiſcopi Yprenſis, de Gratiâ excerptas.* Quæ leguntur editæ cum tredecim Theologorum ſelectorum Suffragiis, ſeu votis ſummo Pontifici Innocentio X. Scripto traditis : Anno 1654. in-4°. Prodierunt etiam anno 1662. *in-folio* ad Calcem *Diarii, per Ludovicum de S. Amore*, Gallicè ſcripti, *pag.* 174. & *ſeqq.* Prodierunt etiam *in-8°.* ad Calcem Litterarum Provincialium Lodovici Montaltii, editarum Coloniæ 1658. *pag.* 571. & alibi paſſim.

Joannem-Auguſtinum à Nativitate Tartaglia memorant dictus Ludovicus de Sancto Amore, in ſuo *Diario, pag.* 325. 357. 364. & 461. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 181. Martialis à S. Joanne-Baptiſta, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum, pag.* 253.

XC.

JOANNES AUGUSTINUS A S. PAULO; Mediolanenſis, in ſeculo Joannes-Augustinus Beatarellus nuncupatus, Carmelitis Excalceatis nomen dedit anno ſuæ ætatis decimo quinto. Emiſsâ profeſſione, totus pietati atque literis dedit, adeò ut in Poetam, Oratorem, atque Theologum ex integro evaſerit. Philoſophiam necnon Theologiam *Bononiæ* ac *Cremonæ* ſummo cum plauſu docuit, varioſque Conventus, Patrium, Bononienſem atque Parmenſem prudentiſſimè rexit. Definitor etiam extitit Lombardiæ Provinciæ, atque Viſitatoris Generalis munus in regionibus Pedemontii, Burgundiæ atque Germaniæ exercuit; & ſummâ cum laude in Vicarium Generalem totius Regni Poloniæ aſſumptus & nominatus fuit.

Notatu dignum eſt, quod Carolus II. Britanniæ Rex, dum *Coloniæ* moraretur, apud Patres Carmelitas Excalceatos prandio donatus, convivam voluit habere Patrem Beatarellum, & à quodam Regis Secretario latinâ Oratione laudatum : Ille verò ex improviſo Orationem inintegrum ſummâ eruditione in laudem Regis, omnium circumſtantium admiratione, convertit. Merita illius optimè cognoverunt Ferdinandus III. Romanorum Imperator, Cardinalis Farnesius, necnon innumeri alii viri, dignitate ac virtute præſtantiſſimi, à quibus & à ſuis ſodalibus honores, laudeſque quàm plurimas obtinuit, uſque dum mors ipſum eripuit Cracoviæ anno 1661. Ejus Opera inedita quæ Mſſ. ſervantur apud ſuos ſodales in Conventu S. Caroli Mediolanenſi, inſcribuntur,

1. *Commentaria in Pſalmos primum & quinquageſimum.*
2. *Currus Ezechielis.*
3. *Commentaria in Epiſtolam ad Hebræos.* Hæc tria commemorat Jacobus Lelong, in *Bibliotheca ſacra, pag.* 636. *col.* 1. *E.*
4. *In Dionyſium Areopagitam, Obſervationes.*
5. *Clavis in Opera D. Bernardi.*
6. *In quoddam Opuſculum D. Bonaventuræ.*
7. *Tractatus de Sancta Anna.*
8. *De Privilegiis Regularium.*
9. *Abecedarium Morale.*
10. *Decades variæ.*
11. *Tractatus de Legibus.*
12. *Tractatus de Donatione ſpirituali.*
13. *Conſilia Moralia.*
14. *Conciones in Adventu.*
15. *Conciones Quadrageſimales.*
16. *Conciones in Feſtis totius anni.*

17. *Quadragesimale de Sancta Eucharistia.*

18. *Commentaria in totam Summam Theologicam S. Thomæ.*

19. *Commentaria in universam Philosophiam Aristotelis.*

20. *Apologia pro habitu Carmelitico.*

De Joanne Augustino Bertarello loquuntur breviter Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 254. fusè Philippos Picinellus, in *Athenæo Virorum Litteratorum Mediolanensium*, *pag.* 254. fusiùs Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 145. *num.* 203. Ejus Effigies apud suos cernitur Mediolani cum hac Epigraphe.

D. O. M.

VENERABILIS P. F. JO. AUGUSTINUS A S. PAULO,

CARMELITA DISCALCEATUS,

DOCTRINA AC PRUDENTIA CLARUS:

PRIOR SÆPE SÆPIUS,

GENERALIS VISITATOR.

OCCUBUIT IN POLONIA VICARIUS GENERALIS;

CUJUS VITA

SICUT CETERIS FUIT SACRA VIRTUTIBUS,

ITA MORS FUIT CHARITATIS

ET OBEDIENTIÆ VICTIMA.

OBIIT CRACOVIÆ, ANNO ÆTATIS SUÆ XLIX.

DIE XXI. APRILIS M. DCLX.

XCI.

JOANNES AUGUSTINUS A S. TERESIA, in seculo dictus HERMANNUS WELSINGINUS, natione Germanus, Carmelitæ Antiquioris regularis observantiæ sequax, inferioris Germaniæ alumnus, edidit *Nomognosticon Juris universi.* Coloniæ, apud Jodocum Kalcoven, anno 1662. *in-8°.* sicuti refert Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 181.

XCII.

JOANNES AUGUSTINUS A S. PAULO, in seculo nuncupatus BERTARELLUS, Carmelita Discalceatus Mediolanensis, obiit anno 1661. postquam scripsisset *in aliquot Psalmos Commentaria*, quæ pronotantur *Currus Ezechielis*; necnon in *Epistolam ad Hebræos*, *Commentaria*: Quæ omnia MSS. asservantur Mediolani, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*; teste Jacobo Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 636. *col.* 1. *D.* & Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Biblioth. Carmelit. Excalceat. pag.* 254. consule *columnam præcedentem* 741.

XCIII.

JOANNES AVONIUS, natione Anglus, patriâ Northamptoniensis, Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Mathematicos suo ævo nulli secundus, Concionator celebris, & insignis Musarum cultor, obiit Nortamptonæ, anno Christi 1350. postquam scripsisset,

1. *Calendarium Ecclesiasticum*, in quo deinceps in perpetuum facilè videri poterant & intelligi quotannis omnia Festa mobilia, immobilia, cœlestia, Lunæ varietates, & quælibet mutationes, denique omnia quæ ad ordinandum Ecclesiasticum Officium secundùm diversas totius anni solemnitates spectant. Quod Commentariis illustravit Richardus Maidstonus Carmelita, de quo *infer. pag.* 682. *tomi secundi.*

2. *Annulus Philosophicus*, *qui Almanaci perpetui* vices supplere potuit: Ab Opere præcedentium differt, nisi nomine tenus.

3. *De Rebus Mathematicis*, Liber singularis.

4. *De variis Concionibus*, Liber alter.

De Joanne Avonio laudes habent Joannes, Pitseus & Balæus, de *Scriptoribus Angliæ*: Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesneriana*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Joannes-Baptista de Lezana, in *Annal. tomo* 4. *ad an.* 1350. *num.* 6. *pag.* 598. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 297. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 182. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1116. *num.* 3946.

XCIV.

JOANNES DE BACONE, seu BACONTHORPIUS, natione Anglus, ex *Baconthorpa*, pago vili agri Nordovelgiensis oriundus, *Doctor resolutus* dictus, ab ineunte ætate Carmelitis Cœnobii Nigeriensis, seu Blaenclensis propè Walsinghamiam se adjunxit, à quibus *Oxonium* primùm, deindè *Lutetiam* missus, Juris utriusque & sacræ Theologiæ laureas adeptus est; tantam insuper famam consecutus, ut *Averroistarum* princeps vulgo haberetur. *Erat quidem ut alter Zachæus, staturâ pusillus, sed ingenio magnus; ut mirum sit in tam exili corpusculo tantas habitasse virtutes, & naturam in tantillo homuncione, tam sublime collocasse ingenium*, inquit Pitseus: » Tam ingentia scripsit Volumina, » ut corpus non tulisset, quod ingenium prætulerat. » Nam si moles Librorum ejus, composita Sarcinæ, » Authoris humeris imposita fuisset, homulum sine » dubio comprimere sufficisset. Ex illo Ordine (quan» tum doctissimorum Carmelitarum ferax Anglia) » vix huic unquam produxit parem, imo vix Orbis » Christianus illâ ætate doctiorem. Nemo doctiùs » confundebat Judæos; nemo solidiùs Christi » veritatem dilucidabat; nemo manifestiùs Anti» Christi falsitatem & imposturas detegebat, suisque » coloribus depingebat; nemo subtiliùs difficiles nodos » solvebat; nemo obscura sacræ Scripturæ loca ex» planabat, & sensus reconditos, & arcana mysteria » dilucidiùs aperiebat.

Anno 1327. in Comitiis Generalibus Albiæ celebratis, & anno 1330. in Capitulo Generali Valencennensi Provincialis Angliæ nominatur Joannes noster *de Baconstop*: Et in Nemausensi anno 1333. Qui post quartum annum sui Provincialatûs Romam; ut super gravissimis de Matrimonio Quæstionibus suam proferret Sententiam. Ubi cùm nimium authoritati Pontificiæ, inquit *Henricus Warthon*, circà enervandas dispensationibus leges de Matrimonio divinas illa tribuisset; erroris admonitus Joannes Bacco, rei veritatem diligentiùs investigavit, culpam agnovit, palinodiam modestè cecinit: Pontificem in gradibus consanguinitatis lege divinâ prohibitis dispensare non posse confessus est. Post Italiam & Galliam peragratam, Londinum reversus, ibi vitam mortalem cum immortali commutavit, anno 1346. Erroneè Trithemius dixit eum claruisse anno 1350. Ejus sunt,

OPERA EDITA:

1. *In Libros IV. Magistri Sententiarum*, *Commentaria.* incipiunt: *Utrum ad habendam supernaturalem.* Prodierunt Parisiis *in-folio*, apud Goyot du Marchand 1484. curâ & studio Magistri Bertrandi

J.

trandi Stephani, Provinciæ Toroniæ Carmelitæ alumni, cum Præfatione Mag. Francisci de Medicis, Carmelitæ, ad R. P. Mag. Laurentium Borellum, Provinciæ Narbonæ Provincialem. Prodierunt etiam Lugduni eodem anno *in-folio*, *tomis quatuor*, die 1. Januarii. Prodierunt Medionali, anno 1511. Venetiis, anno 1527. Et Cremonæ anno 1618. *in-folio*, emendata per R. P. Mag. Joannem-Chrysostomum Marascum, Sacræ Theologiæ Doctorem & Professorem. Hanc Editionem appellat, *Bibliotheca Telleriana*, *pag.* 39. *num.* 97.

2. *Quæstiones Quodlibetales*: Cremonæ, 1518. ad calcem operis præcedentis *in-folio*; & in eadem *Bibliotheca Telleriana*, *pag. ead. num.* 98.

3. *Compendium Legis Christi*, simul cum mox citatis *Quodlibetis*, prodiit Venetiis, anno 1527: *in-folio*.

4. *Expositio Analagica Regulæ Carmelitanæ.* Lib. I. Incipit: *Cujuslibet Religionis titulus*, &c. Prodiit Venetiis, anno 1507. *in-folio*, in *Speculo Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 51. & *seqq.* Prodiit Parisiis, anno 1625. *in-4°.* apud Josephum Cottereau, cum *Commentariis Joannis Sorethii in Regulam Carmelitarum*, studio R. P. Leonis à S. Joanne. Prodiit Antuerpiæ, anno 1662. Typis Jacobi Meursii, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 36. & *seqq. in-4°.* Prodiit iterùm Antuerpiæ *in-folio*, anno 1680. Typis Michaelis Knobbari, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 687. *num.* 2606. & *seqq.*

5. *Compendium Historiarum & jurium pro defensione Institutionis, confirmationis, & intitulationis Ordinis B. Virginis Mariæ de Monte Carmeli.* Lib. I. Incipit: *Beatus Bernardus in quodam Sermone*, &c. Prodiit Venetiis *in-folio*, anno 1507. in *Speculo Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 57. & *seqq.* Prodiit iterùm *in-folio* Antuerpiæ, anno 1680. *tomo* 1. *speculi Carmeli*, *pag.* 160. *num.* 715. & *seqq.*

6. *Tractatus de Institutione Ordinis Carmelitani, ad Venerationem Beatæ Virginis Dei-paræ.* Prodiit Venetiis *in-folio*, anno 1507. in *speculo Ordinis Carmelitarum* jam citato. Prodiit Antuerpiæ, *in-4°.* anno 1662. in *Vinea Carmeli*, *pag.* 42. & *seqq.* Prodiit iterùm Antuerpiæ, sed *in-folio*, anno 1680. *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 164. *num.* 727. & *seqq.* Incipit: *In primis attende quod Beata Maria.*

OPERA MANUSCRIPTA, hactenùs servata.

Opera Manuscripta duplicis sunt generis: alia enim nusquam inedita; alia Typis aliquandò sunt impressa, qualia sunt mox designata. Inedita MSS.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebriorum ejusdem Regni Bibliothecarum, quarum *Catalogi* typis editi prodierunt Oxonii, è Theatro Sheldoniano, an. 1698. 2. vol. *in-folio* quos citat Casimirus Oudinus, *tomo* 3. *Commentarior. de Scriptor. Ecclesiasticis*, *pag.* 2700.

1. Codice 6555. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri, *Codice* 185. *Joannes Bacondorpe super Librum primum Posteriorum.*

2. Ibidem Codice 6656. in MSS. Codicibus ejusdem Theyeri, *Codice* 286. *num.* 2. *Joannes Bacondorp super Ecclesiam*, & *Librum Sapientiæ.*

3. Inter MSS. Codices Universitatis Cantabrigensis, *Codice* 538. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis: *Classe* 25. *Serie tertiâ*, *Codice* 13. *Postilla Joannis Baconthorp*, dubio procul, in Evangelia quæ legebantur per annum; inquit Casimirus Oudinus, *tomo* 3. *Commentariorum de Scriptoribus seculi XIV.* *pag.* 909.

4. *In Evangelium Matthæi, Commentaria*: Quæ citat Michael de Bononia, in *Ps.* 48. *versu ultimo*, *pag.* 572. Edit. Lugd. 1673. Et quæ reipsà servantur, in Bibliotheca antiquiorum Carmelitarum S. Pauli Ferrariæ; teste Basilio Angussola, in Præfatione dicti Michaelis de Bononia, Commentariis in Psalmos præfixa, *pag.* 2. *lin.* 14.

5. *In Epistolas ad Romanos, ad Corinthios* 1. & 2. *usque ad Galatas & ad Hebræos, Lectura.* Servatur Parisiis, apud Carmelitas Collegii seu Majoris Conventûs Maubertini; sicuti refert post Augustinum Biscarretum, Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. pag.* 585. Cujus quidem Codicis in fine hæc leguntur: *Lectura Rev. Magistri Joannis Bachonis, Angli Ordinis Carmelitarum, Magistri in sacra Pagina egregii Parisiensis, quam condidit super prædictas Pauli Parisiis.*

6. *De Conceptione Beatæ Virginis Mariæ*, Lib. I. Servatur Semuri in Burgundia, apud Carmelitas; ubi simul conjunctus est iste liber cum tractatu *de Conceptione B. V. Mariæ*, Francisci Martini, de quo *super pag.* 505. Baconis autem liber hunc habet titulum: *Ego Frater JOANNES BACCONIS, Magister indignus in Sac. Pagina, Ordinis Fratrum Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, in hoc Tractatu de Sanctissima prima Nativitate, seu Conceptione Beatæ Mariæ, per decem particulas procedere intendo.* In fine verò hæc talis est nota: *Explicit Tractatus brevis de Conceptione Virginis Matris Dei, compilatus per Fratrem JOANNEM BACCONIS, Magistrum in Sac. Paginâ*, &c. Et *hoc opus scripsit in principio suæ Laureæ, postquam scripsisset in Epistolam ad Romanos.*

7. *Abbreviationes summæ de Civitate Dei D. Augustini.* Asservantur Parisiis in Bibliotheca Monasterii S. Victoris, Canonicorum Regularium S. Augustini: *in-folio.* Et forsan eæ sunt quæ *Bachonis Carmelitæ, quædam*, in eadem Bibliotheca extare asseverat R. P. Dom. Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tom.* 2. *pag.* 1369. *col.* 2. D. *sub litera* B. Easdem Abbreviationes Augustinus Biscarretus quondam vidit Parisiis in Bibliotheca Collegii Maubertini, in membrano folio, quas credebat manu Authoris scriptas: in quibus tempore est signatum, *Opus Bacconthorp*; uti legere est apud Lezanam, *tomo* 4. *pag.* 585.

8. *Philosophia Baconis. Cod. memb. seculi XIV.* Asservatur in Bibliotheca Monasterii Sancti Petri Corbeiensis: sicuti refert Domnus Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tomo* 2. *pag.* 1407. *col.* B. *Sub Literâ H.* §. 8.

9. *De Multiplicatione specierum*, Lib. I. Incipit: *Species multiplicata ad medium.* Asservatur Florentiæ, in Bibliotheca Dominicanorum S. Marci; ubi eas vidit Ludovicus Jacob, anno 1640. Ejusdem tituli opus de *Multiplicatione Specierum*, asservari in Collegio Sanctæ Trinitatis apud Dublinum, testatur jam memoratus Domnus Bernardus de Montfaucon, in eâdem *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tomo* 1. *pag.* 691. *col.* 1. *num.* 7. Sed incorrectè Joannem Bacconis Minoritam vocat seculo XIII. anno 1284. defunctum: Cujus Operum Catalogum dedit Casimirus Oudinus *tomo* 3. Commentariorum de Scriptoribus Ecclesiasticis, *pag.* 190. & *seqq.* ubi reipsà dictum Opus de *Multiplicatione specierum* in Collegio Dublinensi asservatum adjudicat Rogerio Baccouis, à quo ad Joannem Bacconis transtulisse videtur Ludovicus Jacob.

OPERA MANUSCRIPTA, simul & edita.

1. *In Libros IV. Magistri Sententiarum, Com-*

mentaria, inter Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, extant loco citato, *Codice* 8194. in Manuscriptis Theologicis Jacobeæ Bibliothecæ, *Codice* 572. Item inter Manuscriptos Codices Universitatis Cantabrigiensis, *Codice* 538. Item in Bibliotheca S. Victoris Parisiensis, sicuti testatur Domnus Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum*, *tomo* 2. *pag.* 1372. *col.* 2. *B.*

2. *Speculum* sive *Tractatus de Institutione Ordinis Carmelitarum*, inter MSS. Codices Bibliothecæ Bodlejanæ extat *Codice* 1174. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi, olim Cantuariensis Archiepiscopi, *Litera G. Codice* 9. *num.* 11. Item Mechliniæ, in Bibliotheca antiquiorum Carmelitarum.

3. *Compendium Historiarum & Jurium, pro defensione Institutionis & confirmationis Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli*: extat Lipsiæ inter Manuscriptos Codices Collegii Principum Minoris, qui in Paulina nova Bibliotheca, unà cùm impressis reponuntur; sicuti legitur *pag.* 420. *Codice* 71. *num.* 10. Catalogi Manuscriptorum. Codicum hujus Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis; quem edidit Joachimus Fellerus, hujus Academiæ Bibliothecarius, anno 1686. Lipsiæ, *in-16.* Extat etiam Mechliniæ, in Bibliotheca Carmelitarum antiquiorum.

4. *Expositio Analogica Regulæ Carmelitanæ.* Extat Mechliniæ apud antiquiores Carmelitas; sicuti asseverat Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 160. *num.* 714. animadvertens tres istos tractatus MSS. quos postremos appellavimus, correctiùs quàm in antiquo speculo Ordinis Carmelitarum, excuso Venetiis, anno Domini 1507. asservari in vetusto MS. præfati Conventûs Mechliniensis, exarato per Joannem Oudewater, seu de Aqua Veteri, seu Palæonydorum, anno 1489.

Alia O P E R A *fortè deperdita.*

Præter allatas hactenùs elucubrationes, alia sunt Opera quæ primariâ divisione reduci possunt ad triplicem classem: Alia enim sunt in sacram Scripturam Commentaria; alia Theologica, alia Philosophica: verùm Theologica subdividi possunt in Scholastica, Polemica & Moralia, & Juridica.

In sacram Scripturam C O M M E N T A R I A.

1. *In Genesim*, Lib. I. Incipit: *Tria debent in universitate rerum attendi.*

2. *In Exodum*, Lib. I. Incipit: *Hic incipit secunda pars ante legem.*

3. *In Leviticum*, Lib. I. Incipit: *Liber iste vocatur Hebraicè, Vaijera.*

4. *In Numeros*, Lib. I. Incipit: *In Postilla, quam feci super Matthæum.*

5. *In Deuteronomium*, Lib. I. Incipit: *Hic ultimus Liber dividitur in tres.*

6. *In Josue*, Lib. I. Incipit: *Factum est post mortem Moysi, servi Domini.*

7. *In Judicum*, Lib. I. Incipit: *Judicum Liber Hebraicè dicitur Scaphetim.*

8. *In Ruth*, Lib. I. Incipit: *In diebus unius Judicis, quandò.*

9. *In Libros Regum*, Lib. IV. Incipiunt: *Fuit vir unus, &c. In hoc primo.*

10. *In Paralipomenon*, Lib. II. Incip. *Adam, Seth, Enos &c. Repetitio.*

11. *In Esdram & Nehemiam*, Lib. IV. Incipiunt: *In anno primo Cyri, Regis Persorum.*

12. *In Tobiam*, Lib. I. Incipit: *Tobias ex Tribu & Civitate Nephtali.*

13. *In Judith*, Lib. I. Incipit: *Apud Hebræos Liber Judith secundum.*

14. *In Esther*, Lib. I. Incipit: *In diebus Assueri qui regnavit.*

15. *In Job*, Lib. I. Incipit: *Materia hujus Libri duplex est.*

16. *In Psalterium*, Lib. I. Incipit: *Beatus qui custodit verba Prophetiæ.*

17. *In Proverbia Salomonis*, Lib. I. Incipit: *Parabolæ Salomonis, filii David.*

18. *In Ecclesiasten*, Lib. I. Incipit: *Verba Ecclesiastis*, &c. *In hoc Libro.*

19. *In Cantica Canticorum*, Lib. I. Incipit: *Osculetur me osculo oris sui.*

20. *In Librum Sapientiæ*, Lib. I. Incipit: *Diligite justitiam qui judicatis.*

21. *In Ecclesiasticum*, Lib. I. Incipit: *Omnis sapientia à Domino Deo est.*

22. *In Isayam*, Lib. I. Incipit: *Visio Isayæ*, &c. *Exponendo.*

23. *In Jeremiam*, Lib. I. Incipit: *Verba Jeremiæ*, &c. *Postquam.*

24. *In ejusdem Threnos*, Lib. I. Incipit: *Lamentationes Jeremiæ post Capt.*

25. *In Baruch*, Lib. I. Incipit: *Libellus iste qui Baruch nomine.*

26. *In Ezechielem*, Lib. I. Incipit: *Factum est in tricesimo anno.*

27. *In Danielem*, Lib. I. Incipit: *Anno tertio Regni Joachim, Regis Judæ.*

28. *In duodecim Prophetas Minores*, Lib. XII. Incip. *Sciendum est primos hos duodecim.*

29. *In Machabæos*, Lib. I. Incipit: *Machabæorum Libri juxtà Hieronymum.*

30. *In Evangelium S. Matth.* Lib. I. Incipit: *Dicit Prologus Paulus ad Hebræos.*
Hi Commentarii differunt ab aliis, qui incipiunt: *Matthæus qui & levi.*

31. *In Evangelium S. Marci*, Lib. I. Incipit: *Passio Christi intelligitur cum Leo.*

32. *In Evangelium S. Lucæ*, Lib. I. Incipit: *Hic Prologus dividitur in quatuor.*

33. *In S. Lucam Postilla*, Lib. I. Incipit: *Mons Sina non conjungi Hieron.*

34. *In Evangelium S. Joannis*, Lib. I. Incipit: *Joannes Evangelista in hoc Prologo.*

35. *In D. Paulum ad Romanos*, Lib. I. Incipit: *Christus factus est ex semine David.* Hos Commentarios asservari MSS. Parisiis, in Bibliotheca Carmelitarum Collegii Maubertini, asserit Ludovicus Jacob; & horum meminit ipse Joannes Bacco, ad calcem sui tractatûs de *Conceptione B. V. Mariæ*, ut monuimus ad *pag.* 745. *num.* 6.

36. *Ad Corinthios*, Lib. II. Incipiunt, *Ostenso in Epistola ad Romanos. Ibid. MSS.*

37. *Ad Galatas*, Lib. I. Incipit: *In hac Epistola ad Galatas, ibid. MS.*

38. *Ad Ephesios*, Lib. I. Incipit: *Ad intelligendum hujus Epistolæ.*

39. *Ad Philippenses*, Lib. I. Incipit: *Ostensa superiùs in Postilla quam feci.*

40. *Ad Colossenses*, Lib. I. Incipit: *Paulus, Apostolus Jesu-Christi.*

41. *Ad Timotheum*, Lib. II. Incipiunt: *Moyses dixit: Tremebundus sum.*

42. *Ad Thessalonicenses*, Lib. II. Incipiunt: *Epistola hæc prima.*

43. *Ad Titum*, Lib. I. Incipit: *Titum instituit Apostolus de suo.*

44. *Ad Hebræos*, Lib. I. Incipit: *In Epistola ad Hebræos probatur.* De his Commentariis mentio facta est *super pag.* 745. *num.* 5.

45. *Ad Philemonem*, Lib. I. Incipit: *familiares Philemoni literas.*

J.

46. *In Acta Apostolarum*, Lib. IV. Incipiunt: *Sanctus Evangelista Lucas, in.*

47. *In Apocalypsim S. Joannis*, Lib. I. Incipit: *Apocalypsis Jesu Christi.*

48. *In Epistolas Canaaicas*, Lib. VII. Incipiont: *de Cultura cælestium praecept.*

Horum Commentariorum generatim & partim eorum quæ ad Novum Testamentum spectant, meminit Jacobus Lelong, io *Bibliotheca sacra*, *pag.* 622. *Col.* 1. *A.* post. Sixtum Senensem, *Lib. IV. Bibliotheca Sanctæ.*

Theologica Polemica.

1. *De Adventu Messiæ*, Lib. I. Incipit, *An ex scripturis Veteris Testamenti. Citatur* apod R. P. Dom. Augustinum Calmet, in *Bibliotheca sacra*, *pag. XCIII.* quæ præfixa est *tamo I. Dictionar. Bibliorum.*

2. *Coacordia Christi & Prophetarum*, Lib. I. Incipit: *Miracula quæ refert Matthæus.*

3. *De Judæorum perfidiâ*, Lib. I. Incipit: *Judæi an credere debeant prædicat.*

4. *Rationes contrà Judæos*, Lib. I. Incipit: *utrùm in scriptura Canonica Judæi.*

5. *Contrà Joannem de Poliaco*, Lib. I.

6. *De Dominio Christi*, Lib. I.

7. *De Christi paupertate*, Lib. I. Duos hos Tractatus Bachonius scripsit adversùs hostes Romani Pontificis Joannis XXII. ot notat Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1327. *pag.* 547.

8. *De Beatorum visione*, Lib. I. contrà Joannem XXII. Inquit Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 1. *pag.* 434.

9. *Quod in Cælo sit localis laus.* Libri duo. Hi Libri scripti sunt ob opinionem illam, quæ Joannis XXII. Romani Pontificis nomine, ab aliquibus Theologis tenebatur; de Dei visione videlicet & fruitione, non nisi post diem Judicii animabus sanctorum futura. Nam inter Carmelitas, qui huic opinioni contrarium propugnatunt Parisiis, partes præcipuas tenebat Joannes Bacco; sicut animadvertit Lezana, *toma* 4. *ad annum* 1333. *num.* 3. *pag.* 555.

10. *Contrà Magicas Artes.* Lib. I.

11. *Contrà superstitiones*, Lib. I.

12. *Contrà vanitates seculi*, Lib. I.

13. *Contrà Idololatriam*, Lib. I.

14. *De Sphæra judiciali*, Lib. I.

15. *De Astrorum scientia.*

Theologica Scholastica.

Præter Commentaria & Quodlibeta, à Georgio Draudio summè laudata in *Bibliotheca classica*, *pag.* 1475. quoad Editionem Joannis Chrysostomi Marascæ Venetiis, anno 1615. *in-folio* datam;

1. *Quæstianes ordinariæ*, Lib. I. Incipit: *Cam ex Scripturis sacris colligi possit.*

2. *Placita Thrologica*, Lib. I. Incipit: *Utrùm solâ fide sit tenendum animam.*

3. *Determinationes Theologicæ*, Lib. I. Incipit: *in Scriptara Canonica.*

4. *De cessatione Legaliam*, Lib. I. Incipit: *Lex Christi statim post Passionem.*

5. *De Fide & Baptismo*, Lib. I.

6. *De Æternitate Dei*, Lib. I.

7. *Annotationes in D. Augustini Libros XV. De Trinitate.* Incip. *Lecturus hæc quæ de Trinitate.*

8. *Annotationes in S. Anselmi Librum de Incarnatione Christi.* Incip. *Anselmus in hoc Libro.*

9. *Annotationes* in S. Anselmi Librum: *Cur Deus Homo?* Incip. *Prima particula qualiter.*

Theologica Moralia.

1. *Regula Christianæ Fidei*: Lib. I. Incipit: *Prima Regula tocius Christianæ Fidei.*

2. *De Præceptis & Consiliis*, Lib. I. Incipit: *Præcepta continet Lex Christiana.*

3. *Compendium vitæ Christianæ*, Lib. I. Incipit: *Ordinavit in me Charitatem.*

4. *De Peccatis & remediis*, Lib. I. Incipit: *Peccatum rationabiliter Christus.*

5. *De Perfectione Justitiæ*, Lib. I. Incipit: *Utrùm Christus & Apostoli.*

6. *De Sanctificatione Festorum*, Lib. I. incipit: *Universit præsens documentum.*

Theologica Canonica.

1. *Canones Pontificum*, Lib. I.

2. *De non ducenda Fratris relicta*, Lib. I. Incipit: *De non ducenda fratria* palinodiam canens, qui Pontificis Romani Auctoritati in cancellandis divinis de matrimonio legibus, nimium anteà tribuerat; teste Lelando, *pag.* 350. ot asserit Fabricius, io *Bibl. cit. pag.* 434. *cit.*

3. *De Jurisdictione Claustralium*, Lib. I.

4. *De Judicio Generali*, Lib. I. Incipit: *Judicium de peccatis Christus constit.*

5. Ad hanc classem vel ad præcedentem revocari possunt; *De Dignitate Ecclesiæ*, Lib. I.

6. *Sermonum Libri duo*, qui incipiunt: *Rationabiliter Lex Christi per.*

7. *Sermonum Liber alter* qui incipit: *Lex Christiana timorem docet.*

8. *Sermones Quadragesimales*, Lib. I.

9. *De Ordine* suo *Carmelitano*, Lib I. Incipit: *Omnibus Christi Fidelibus in Domino.* Cum Liber seu Tractatus iste nondum apparuerit, inde certè nihil trahere possunt Carmelitæ; rectè tamen conjicere possunt in eo quidquam contineri nihil contrarium iis quæ proferontur in tribus aliis ejusdem Bacconis Operibus editis. Porrò in eo quod inscribitur; *Compendium Historiarum & Jurium*, &c. *cap.* 2. dicit Bacconius: » Ordo Carmeli tantâ fulget antiquitate, quod de hoc in Jure non extet » memoria ... *In prima* insuper *Constitutione* dicti » Ordinis, *edita ab antiquo*, invenitur à tempore » Eliæ & Elisæi, Prophetarum Montem Carmelum » inhabitantium, contemplativi in eodem monte » successerunt. *Constitutio* autem *hæc ab antiquo* edita, & quæ *prima* vocatur, non videtur alia esse à Constitutionibus S. Brocardi: quas tamen anno M. CCCXX. antiquiores noo esse existimat R. P. Daniel Papebrochius, in Historia Chronologica Episcoporum Hierosolymitanorum, *Parergo* 3. *pag* 7. *præfixa*, *tomo* 3. mensis Maii: Preterea in *Tractatu de Institutione Ordinis Carmelitarum*, *cap.* 1. Joannes Bacconius ait:

» Pro veneratione quoque Beatæ Mariæ in ejus » Carmelo continuanda, orta est Fratrum de Carmelo Religio. Veneratio enim quæ fit in locis Sanctorum, ipsis Sanctis sub Deo attribuitur; ot de » veneratione Dedicationis: *De Consecrat. dist.* 3. » *cap. Pronuntiando.* Sed licet omnes salvandi tempore Prophetarum Filium Beatæ Mariæ venturum » venerati sint, secundùm Augustinum in Epistola » vigesima nona ad Deo gratias. Fratres tamen de » Carmelo tempore Eliæ & Elisæi venturum venerantes in Carmelo Beatæ Mariæ Religionem suam » incæperunt; ut habetur in Historia de Antiquitate Ordinis. » Historia autem ista de Antiquitate Ordinis est Liber *de Institutione Monachorum in Lege veteri*: Quam tamen affirmat R. P. Daniel Papebrochius, *loco citato*, *pag. V. num.* 20. *Parergo* 2.

J.

Joannis Palæonydori ætatem, id est, seculum Christi XV. non superare. Quamvis *inser. pag. XXI. num.* 93. *Parergo* 6. concedat hunc Librum » eo» dem circiter tempore scriptum fuisse, quo Guil» lelmus de Sanvico vixit, id est, sub finem Seculi » XIII. quandò erat jam sesqui-Seculum elapsum ab » initio Ordinis sub Bertholdo cœpti, tempusque suf» ficiens intereesserat ad majorem antiquitatem com» miniscendam, & persuadendam vulgo, de rebus » peregrina audire & credere amanti. « Cujus è numero ne ipse quidem Joannes Bacconius exturbandus erit.

PHILOSOPHICA.

1. *In Prædicamenta Aristotelis*, Lib. III. Incip. *Circà Librum Prædicament. prim.*

2. *In Perihermenias*, Lib. II. Incipiunt: *In hoc primo Perihermeniarum.*

3. *In Aristotelis Priora*, Lib. II. Incip. *Primum quidem oportet constituere.*

4. *In Aristotelis Posteriora*, Lib. II. Incip. *Omnis doctrina & omnis disciplina.*

5. *In Aristotelis Topica*, Lib. IV. Incipiont, *Propositum quidem negotii est.*

6. *In Elenchos*, Lib. II. Incip. *De Sophisticis autem Elenchis.*

7. *De Sophismatibus*, Lib. I. Incipit: *Cum aliqui secundùm ejus entitatem.*

8. *In Physicam*, Lib. VIII. Incipiunt: *Quoniam intelligere & scire.*

9. *In Aristotelem de Anima*, Lib. III. Incip. *Intentia mea est secundùm verba tit.*

10. *Quæstianes de Animæ potentiis*, Lib. I. Incipit: *utrùm potentiæ Animæ realiter.*

11. *In Meteora*, Lib. IV. Incip. *De Primis*, &c. *docet hic Liber.*

12. *De Cælo & Mundo*, Lib. IV. Incipiunt: *Philosophus hic suam de Cœlo.*

13. *De Generatione & Corruptione*, Lib. Incip. *Tractatus de Generatione.*

14. *De sensu & sensato*, Lib. II. Incipiunt: *Quaniam autem de animâ secundùm.*

15. *De sensu & sensibili*, Lib. II.

16. *De Motu Animalium*, Lib. I. Incipit: *Secundùm Philosophum tert. Physic.*

17. *De Memoriâ & Reminiscentiâ*, Lib. II. Incip. *Reliquorum autem pr. est Cons.*

18. *De somna & Vigiliâ*, Lib. II. Incip. *Considerandum est hoc de somno.*

De Vitæ longitudine & brevitate, Lib. II. Incip. *De ea autem quod est esse.*

20. *In Politica Aristotelis*, Lib. VIII.

21. *In Ethica*, Lib. X. Incipiunt: *Ut dicit Commentator in Prologo.* Ad Joannem Thoresbium, Cancellarium Angliæ, Archiepiscopum Cantuariensem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyterum Cardinalem, inquit Ludovicus Jacob? Sed id obstat Chronologiæ & Historiæ: Historiæ quidem, quià Joannes Thoresbius fuit Eboracensis Archiepiscopus: Chronologiæ: quia Joannes Thoresbius Cardinalis, obiit anno 1474. Bacchonius anno 1346.

22. *In Metaphysicam*, Lib. XII. Incipiunt: *Est enim mea intentio in hoc Opere.*

Laudant JOANNEM BACCONEM, Trithemius, *Lib. de Scriptor. Eccl. cap.* 615. Everardus Rolewinck, in *Fasciculo Temporum*: Jacobus-Philippus Foresta Bergomensis, in *Supplementa Chronicorum*: Conradus Gesneros, in *Bibliatheca universali*, *pag.* 386. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*: Alphonsus Ciacconius, in *Benedicto XII.* Robertus Bellarminus, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. ad annum* 1040. Philippus Labbe, in *Dissertatiane Historica de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *pag.* 535. Aubertus Miræus, in *Auctario de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 486. Georgios Matthias Konigius, in *Bibliotheca veteri & nova*, *pag.* 77. Henricus Warton, in *Appendice ad Historiam Literariam Guillelmi Cave*, *pag.* 18. Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ*: Nicolaus Harpsfeldius, in *Historia Ecclesiastica Anglicana*, *sec. XIV. pag.* 547. Ludovicus Thomassin, in Opere Gallicè inscripto: *Mémoires sur la Grace. Memor.* 2. *pag.* 142. Theophilus Raynaudus, in *Scapulari Partheno-Carmelitico*, *parte* 1. *cap.* 4. §. 3. *pag.* 102. Gabriel Naudæus, in *Apalogia* de Illustribus Viris, Magiæ falsò postularis, *cap.* 17. *pag.* 356. &c.

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 38. Joan. Bap. de Lezana, *tomo* 4. *Annal. pagg.* 545. 556. 583. &c. Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, *parte* 1. *pag.* 174. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 294. & 327. Ubi perperàm distingoit Joannem Baconthorpium à Joanne Baccone. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Auctuario*, *cap.* 7. Auberti Miræi, *de Origine & Incrementis Ordin. Carmelitar. pag.* 218. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 182—186. Cyrilius Penneck, in *Gymnasio Carmelitico*, *Ms. ad annum* 1346. Daniel à Virgioe Mariâ, in *Vinea Carmeli*, *pag.* 499. *num.* 892. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1116. *num.* 3946. & alii plurimi, quibus haud dubiè præstat Laorentius Burellus, Carmelita Divionensis, & Episcopus Sistaricensis, *Lib. de Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*, his Carminibus, quæ refert Joannes Balæus, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*, *Cent. V. cap.* 1.

Anglia me genuit, JOANNEM quisque vocabat:
Et de Baccone nomine notus eram.
Cum cuperem sacro è fonte haurire liquores,
Parisios petii plena fluenta lares.
Illic quod studium potuit, quod cura laborque,
Prateritum ingenio nil volui esse meo;
Nam num sacra fuit tantum mihi pagina curâ
Pontificum Canones sed placuère mihi.
Quatuor exposui vulgata Volumina Petri;
Sed magis in Quarto mens mea fixa fuit.
Scripsi & Ephemeridet, qua vos Quolibeta vocatis:
Tum vetus atque novum clarius esse dedi.
Ethica nec nostris sine scriptis lentas omisi:
In Metaphysicis stat labor ipse meus:
Inque Animæ libros scriptis; tum multa notavi,
Augustine, tuâ rursùs in Urbe Dei.
Nec qua de Trino simul uno scripta dedisti,
Sum passus scriptis illa carere meis.
Anselmum exposui, dum scripto quæritat ille,
Cur Deus è Sanctâ Virgine factus homo?
Et dum describit, quo pacto è Virgine Verbum
Assumpsit Carnem, sedulus exposui.
Pauperiem Christi scripsi, & quis jure tenere
Has possit fluxas Pastor ovilis opes.
Historiam breviter tetigi, quâ candidus Ordo
Noster, ab Excelsâ sit Genitrice Dei.
Tum mea Judæi senserunt vulnera cæci;
Tum scripsi, ut Virgo concipit atque parit.
Scripsi alios multos, quos non te candide Lector;

Pœniteat

Pœniteat studii, si semel ipse legas.
Et tandem in prima terra post facta quievi:
Dulcius est patrium quod tegit ossa solum.
Post, jacui tamquam per tempora longa sepultus:
Omnia sic tempus innovat atque fugat.
FRANCISCUS MEDICUS, sed Religionis alumnus,
Vivere me rursùs, & mea scripta dedis:
Nam mea formari per multa volumina fecis;
Causa fuit doctum quod legat ore virum.
Debeo multa viro, tum debeo multa legenti,
Multa & tu debes, dogmata quisquis amas:
Quare age qui colitis Carmeli munia Montis:
Vellera gestantes candidiora nive.
Si mihi Confratres estis: si qua ordine juncti:
Solvite fraterna munera grata mihi.
Quod datis externis: mihi quæso solvite fini,
Quam reliqui à vobis non ego plura peto.
Jam mihi viventi & scandenti pulpita rursùs:
Noscite quis sermo dulcis in ore sonet.
Nan ego vos multâ verborum ambage fatigem,
Ut reliqui: luce clarius ipsi loquor.
Sed quod non placeat vobis monumenta priorum,
Quidquid & à vestra religione fluit.
An latet ad finem mundi qui Virginis ordo
Firmus habet sanctam continuare fidem:
Sic quondam Christus veteri concessit Eliæ;
Cum sua detexit lumina monte Tabor.
Ista viris sanctis pandit Sanctissima Virgo,
Cujus nil dictis certius esse potest.
Ut fuit Elisæus quondam sectatus Eliam,
Sic decet & patrum vos monumenta sequi.

Alexander Minutianus, Leonardi Vegii Mediolanensis Typographi, Socer, in Epistola dedicatoria ad Jafredum, Regii Senatûs Insubriensis Præsidem, quæ præfigitur Commentariis Joannis Bachonis, in Magistrum Sententiarum, editis Mediolani, anno 1511. die 17. Februarii, impensis R. P. Petri Terassæ, Prioris Generalis Carmelitarum, hæc habet: *Venerandi Patres, MICHAEL DE BONONIA, & JOANNES BACCO, Anglicus: Alter in suis positis mitis, æquabilis & temperatus, vel mediocriter docto ad Theologiæ penetralia fores reserat: Hic verò subtilis & vehemens disputator, vestigiis quæ semel firmat, constantissimè insistit; adversariumque semper urget, & acerrimè divexat.* Mantuanus autem Carmelita, in eumdem Joannem Bachonem hæc canit, pro eâdem Editione Mediolanensi.

Quis Liber in lucem nuper qui venit ab umbris?
Hic est Carmeli gloria magna BACO.
Nemo magis mentem cognovit Averoïs. Istum
Si sequeris, fies alter Aristoteles.
Iste tenebrosi damnat vestigia Scoti:
Et per sacra novis it documenta viis.
Hunc habeant quibus est sapientia grata: redundat
Istius in sacris Fontibus omne Sophos.

Hieronymus autem Serazoni, Physicus Mediolanensis, eumdem in finem aiebat:

Non opus est Opus hoc magnum tibi dicere sacrum
Vel fore vel mirum dicere non opus est.

Non opus est Opus hoc resolutum dicere, & omni
Doctrinâ fultum dicere non opus est.
Hoc opus est tantum solo tibi dicere verbo
Divini hoc prægnans esse Bachonis opus.
Nam magnum, sacrum, resolutum, & undique mirum
Auctoris sonat hoc omne Bachonis Opus.

Ipse Joannes Bacho, in Lib. II. *Sentent. Dist.* 19. *Quæst.* 1. *art.* 2. de Sententia Godefredi Cornubiensis Carmelitæ asserentis, quod instante ratione recta in particulari, non potest contravenire; quia quamdiù stat ratio in sua rectitudine, necesse est voluntatem consentire: Ait: » Iste intellectus, » ut videtur, propriè est omninò contra Articulos » Parisienses. Dicit enim Articulus centesimus vigesimus nonus; quod manente passione & scientiâ » in particulari in actu, non potest voluntas agere » contrà eam. *Error.* Deindè rationes Godefredi refellit & addit. Sed hoc est contrà Articulum 131. » Quod voluntate existente in tali dispositione, in » qua nata est moveri, & movente in tali dispositione, quâ natum sit movere, impossibile est voluntatem non velle. *Error.* Suas postquam rationes dedit, tandem addit. Nec aliquis faciat sibi » conscientiam, quod liceat opinari contrà Articulos: Quia Episcopus Parisiensis suspendebat Sententiam ex consensu Magistrorum, Anno Domini » millesimo tricentesimo vigesimo quarto: ut licitè » possint disputari & opinari de Articulis factis contrà » Sanctum Thomam. Quia etsi Articuli, qui sunt » de libertate voluntatis, non fuerunt facti contrà » eum: Ipse enim tenet (ut patet in suis libris) » quod voluntas est magis libera quàm intellectus. De iisdem Articulis loquitur tum in *Lib. III. Sentent. dist.* 15. *Quæst.* 1. *Contrà est Articulus* 124. & *dist.* 29.

Qui quidem Articuli à STEPHANO TEMPIER, & quibusdam Magistris damnati sunt anno 1276. aut 1277. Sed hæc damnatio posteà scilicet anno 1326. suspensa seu recognita fuit & revisa ab STEPHANO DE BORRETO, Episcopo itidem Parisiensi. Vide *Biblioth. PP. Paris.* tomo 4. *pag.* 11: 43. Cæsarem Egassium Duboulai, *Histor. Universit. Paris.* *tomo* 3. *pag.* 433. & *seqq.* Claudium Fleury, in *Histor. Eccles.* tomo 18. *Lib. LXXXVII. num.* 41 *pag.* 268. & *seqq.* Illustriss. Dom. Carolum Duplessis d'Argentrée, in *Collectione Judiciorum de novis erroribus*, *tomo* 1. *pag.* 175—226. Gerardum Dubois, in *Historia Ecclesiæ Parisiensis*, *tomo* 2. *pag.* 501. & 601. A. Touron Dominicanum, in *vita S. Thomæ Aquinatis*, *pag.* 640. & *seqq.*

XCV.

DISSERTATIO

de Vita & Scriptis JOANNIS BALÆI.

JOANNES BALÆUS, natione Anglus, patriâ Sudovilgius, in *Covi* seu *Coviæ* pago, tribus à *Sutholdio* milliariis, quinque à *Dunvico*, in *Suffolciæ* Comitatu, parentibus HENRICO ac MARGARITA natus est (*a*) anno Domini 1495. die 21. Novembris. Ab eis numerosâ prole gravatis, in Carmelo Nordovicensi puer duodecim annorum traditus est instituendus; ubi professione factâ posteà (*b*) *Catabrigiæ in Jesu Collegio* studuit, & in omni scientiarum genere excelluit: sed Sermonibus *Thomæ Wenworthii* delusus, ad Protestantem religionem transiit anno 1530. (*c*)

(*a*) Balæ. *Centur. VIII. cap.* 55. *in Appendice* JOANNIS TONNEYS, *pag.* 63. *lineâ* 4.
(*b*) Thomas Fullerus, *de præclaris Angliæ viris.*
(*c*) Balæus, *Cent. VIII. cap.* 100. *pag.* 702.

J.

uxorem nomine DOROTHEAM accepit; & Crux hinc staftim secuta est, quæ illum diu non deseruit. Nam exutus fortunis omnibus, ex concione ad Tribunalia trahebatur: *Eboraci* primùm, sub *Lea*, *Londini* posteà sub *Stolkisleyò*: sed Thomas Cromwelus, qui Regi Angliæ Henrico VIII. ab intimis erat, ob editas Comœdias, illum semper liberavit. Post cujus mortem, quæ contigit anno 1540. die 29. Julii, Balæus in Germaniam aufugit, ubi octennio mansit exul.

Ab Eduardo VI. revocatus, in Episcopum *Ossoriensem Dublinii* sacratus est die Februarii secundâ, anno (juxtà stylum Anglicanum) 1552. Ibì cum nondum sex menses sedisset, *Mariâ* regnum adeptâ, profugere coactus, *Dublinii* aliquamdiu delituit, sed è portu solvens, sub Festum *Sancti Michaëlis*, 1553. à *Piratis* captus est & venditus; Lytro tamen soluto, *Basileam* in Helvetia profectus est; undè post qoinquennium, regnante ELIZABETHA, in Angliam reversus, & præbendâ in Ecclesia Cantuariensi contentus, sedem suam non curavit. *Vir magis eruditus quàm prudens*: (d) pronior ad multa scribenda, *quàm* aptior ad sapienter *gubernandum*; *quippè qui proprios* affectus moderari non poterat, cujusque verum cognomen censebatur Biliosus Balæus. Excessit è vita *Cantuariæ* M. D. LXIII. mense Novembri, annos natus 68. & in Ecclesia Cathedrali ibidem sepultus est. Opera edidit quàm plurima, tam Latinâ Linguâ quàm Vernaculâ, quorum *Catalogum* ipse in Libro suo de *Scriptoribus Britanniæ* sigillatim recenset; videlicet

SCRIPTA in Ecclesia Catbolica Latina Opera:

1. *Fasciculus ex omnibus*, Lib. III. Incip. *Religionis hujus initia & progressus.*
2. *Scriptores ab Helia*, Lib. II. Incip. *Præsens Catalogus paucos admodùm.*
3. *Scriptores à Bertholdo*, Lib. VI. Incip. *Cæterarum militantis Ecclesiæ, vel.*
4. *Additiones ad Trithemium*, Lib. I. Incipit: *venit tandem ad nostra lectio.*
5. *Collectiones Germanicæ*, Lib. I. Incipit: *Ex Historiarum Magistro habetur.*
6. *Collectiones Gallicæ*, Lib. I. Incipit: *Doctori Marco de Furno Carmel.*
7. *Collectiones Anglicæ*, Lib. I. Incipit: *Theodoricus Wagenigh, Germanus.*
8. *Varia doctorum virorum*, Lib. I. Incipit: *Oratio Martini Personæ Itali, rhe.*
9. *Catalogus Generalium*, Lib. I. Incipit: *Bertholdus Lemovicarum Aquitaniæ.*
10. *Spirituale bellum*, Lib. I. Incipit: *Fortis armatus custodit atrium.*
11. *Castellum Pacis*, Lib. I. Incipit: *In omnibus exhibeamus nosmet.*
12. *Conciones pueriles*, Lib. I. Incip. *Misit Saül apparitores, qui rape.*
13. *Ad Hulliensem Synodum*, Lib. I. Incipit: *Introduxi vos in terram Carmeli.*
14. *Ad quasquam Quæstiones*, Lib. I. Incipit: *In Scholastici certaminis medio.*
15. *Appendices ad Palæonydorum*, Lib. I. Incipit: *Post stragem, quam vocant Babyloni.*
16. *Historia Patronatùs*, Lib. I. Incipit: *Hæc est illa nubecula, quam per.*
17. *Historia Simonis Angli*, Lib. I. Incipit: *Sublimatus in Pastorem gregis.*
18. *Historia Franchi Senensis*, Lib. I. Incipit: *Franchus, invictissimus miles.*
19. *Historia divi Brocardi*, Lib. I. Incipit: *Hostis antiqui invalidus conatus.*
20. *In Præfationem Fastorum Mans.* Lib. I. Incipit: *Quod ad Cæsarem Ovidius Naso.*

SCRIPTA extrà Ecclesiam Catholicam Latina.

21. *Angelorum Heliades*, Lib. II. Incip. *Quo patriam gentem adornes, doct.*
22. *Brytanniæ Scriptores*, Lib. XII. Incip. *Magnum Dei Opt. Max. beneficium.*
23. *In Waldeni tres tomos*, Lib. III. Incip. *Abagarus rex Gessimarum in Edis.*
24. *In fasciculum Zizaniorum ejusdem* Lib. I. Incipit: *Abominatio desolationis, à Daniele.*
25. *In Polydori inventiones rerum*, Lib. I. Incipit: *Aeromanticæ divinationis origo.*
26. *In Joannis Textoris officium*, Lib. I. Incipit: *Absorpti terræ homines sunt.*
27. *In Catalogum Capgravi*, Lib. I. Incipit: *Abendoniæ Monasterium fundatur.*
28. *In vitas Pontificum Barnes*, Lib. I. Incipit: *Abbates, ordines dare permittuntur.*
29. *Epitome Lelandi, de viris illust.* Lib. I. Incipit: *Post diutinas atque assiduas.*
30. *Acta Romanorum Pontificum*, Lib. VII. Incip. *Exordiens Romanorum Pontificum acta.*

Comœdiæ sub vario metro compositæ, & alia id generis scripta:

31. *Vita Divi Joannis-Baptistæ*, Lib. XIV. Incip. *Ab Aaron Sacerdote primam orig.*
32. *De Christo duodenni*, Comœd. Incip. *Magna causa nos urges ad hanc.*
33. *De Baptismo & tentatione*, Comœd. II. Incip. *Priusquàm natus est adhuc essem, &c.*
34. *De Lazaro resuscitato*, Comœd. I. Incip. *Genitus à Patre cælesti Filius.*
35. *De consilio Pontificum*, Comœd. I. Incip. *Pontificiam adeptus dignitatem.*
36. *De Simone Leproso*, Comœd. I. Incip. *Protoplastum Adamum variis incon.*
37. *De Cæna Dom. & pedum lotione*, Comœd. I. Incip. *Expedit modò ut vobis omnia conf.*
38. *De Passione Christi*, Comœd. II. Incip. *Tempus nunc instat, quo singu.*
39. *De Sepultura & Resurrectione.* Comœd. II. Incip. *Astrorum conditor & Moderator.*
40. *Super utroque Regis conjugio*, Lib. II. Incip. *Facta eorum facta quæ regnarunt.*
41. *De Sectis Papisticis*, Lib. II. Incip. *Perpendat Christianus Lector*, in.
42. *Ergà Momos & Zoïlos*, Lib. II. Incip. *Ex debito vos salutarem*, nisi.
43. *Proditiones Papistarum*, Lib. II. Incip. *Eo anno vos congregatas.*
44. *Contrà adulterantes Dei Verbum*, Lib. I. Incipit: *Omnia per Verbum Dei creata.*
45. *De Joanne Anglorum Rege*, Lib. II. Incip. *Quum Deus æterno beneficio.*
46. *De imposturis Joannis Beckheti*, Lib. I. Incipit: *Si ab origine mundi consideretis.*
47. *De magnis Dei promissionibus*, Lib. I. Incipit: *Si emolumentum aliquod advenire.*
48. *De prædicatione Joannis*, Lib. I. Incipit: *Christi regnum jam nunc florere incipit.*
49. *De Christi tentatione*, Lib. I. Incipit: *Post suum Baptismum, Christus Dei.*
50. *Corruptiones legum divinarum*, Lib. I. Incip. *In omni republica præferri leges.*
51. *Amoris imago*, Lib. I. Incipit: *Amoris describendi causa, hunc con.*

(d) Fullerus, *loco citato.*

J.

52. *Pammachii tragœdiarum translatio*, Lib. IV. Incip. *Quid adferamus, si vacas cog.*

ALII LIBRI in prosa, & in Brytannico Sermone scripti.

53. *In Apocalypsim Joannis*, Lib. III. Incip. *Tam necessaria, Christiane Lector.*

54. *Adversùs Impostorem standicium*, Lib. I. Incipit: *Duplici prœmio dignum hominem illum.*

55. *Contrà jurandi consuetudinem*, Lib. I. Incipit: *In vinea Domini, charissime Frater.*

56. *Homo peccati, contrà Bonerum*, Lib. II. Incip. *A mundi origine auditum non est.*

57. *Mysterium iniquitatis*, Lib. I. Incipit: *Clarum est illis, dilecte in Domino.*

58. *Contrà Antichristos*, Lib. I. Incipit: *Amico in Christi professione sing.*

59. *Certamen Joannis Oldecastelli*, Lib. I. Incipit: *In prosanis veterum Oratorum ac.*

60. *Acta cœlitum Anglicorum*, Lib. IV. Incip. *Gildas antiquus Brytannorum Histo.*

61. *Dialogi quidam*, Lib. I. Incipit: *Quoniam suâ bonitate constituit me.*

62. *Cantiones Christianæ*, Lib. I. Incipit: *Psallite Domino Fideles omnes.*

63. *Contrà Baalis sacrificulos*, Lib. I. Incipit: *Prodeant Papicolarum sacrifici, &.*

64. *Apologia pro Barnes*, Lib. I. Incipit: *Furibundus quidam atque insanus Pap.*

65. *Pro Grayo contrà, Smithum*, Lib. I. Incipit: *Licet faber ex cognomine sis.*

66. *Contrà suasionem Papisticam*, Lib. I. Incipit: *Quilibet nugator ac Sycophanta.*

67. *Super Annæ Askeuve martyrio*, Lib. I. Incipit: *Inter cætera officia peculiaria.*

68. *Ad Elizabetham regis filiam*, Lib. I. Incipit: *Plures erant, Illustrissima Domina.*

69. *Contrà Cleri cælibatum*, Lib. I. Incipit: *Paucis ab hinc mensibus, easn.*

70. *Super itineraria Lelandi*, Lib. I. Incipit: *Inter omnes Nationes, quas.*

71. *De veris Hæreticis*, Lib. I. Incipit: *Laboriosum esses, Christiane Lector.*

72. *Locupletatia Apocalypseos*, Lib. I. Incipit: *A condito seculo, præclarissime Dux.*

73. *Expostulationes in Papistam*, Lib. I. Incipit: *Perpendens in tua dominatione.*

74. *In Mantuanum de morte*, Lib. I. Incipit: *Ad justam petitionem amici cujusdam.*

75. *Missa crapulosorum*, Lib. I. Incipit: *Ex Urbe Nordovicensi redeundo Londinum.*

76. *Contrà Missam Papisticam*, Lib. I.

77. *De vocatione ad Episcopatum*, Lib. I.

78. *Contrà Boneri articulos*, Lib. I.

79. *Super obitu Lutheri*, Lib. I.

80. *Confessio Joannis Lamberti*, Lib. I.

81. *Hebdomada coràm Deo*, Lib. I.

82. *Facetiæ & joci plurimi*, Lib. I.

83. *Epitome Chronicorum*, Lib. VII. citatur apud Jacobum Frisium, in *Bibliotheca pag.* 404.

84. *De bello Wiclefi contrà Papistas*, Lib. I. Ibidem recensetur.

85. *Episcoporum Alchoranum*, Lib. I. ibidem enumeratur.

86. *Apologia Sebaldi Heyden*, contrà Salve Regina, cum *Epistola Joannis Pomerani ad Anglos*, prout ibidem scribit Jacobus Frisius, *pag.* 405. *col.* 1. à Balæo ex Latino in Anglicum idioma traducta.

87. *Examinatio Guilhelmi Thorpei* ab Episcopis Anglis circà annum 1407. facta, ex Anglico Sermone in Latinum translata, teste eodem Joanne-Jacobo Frisio, ibidem.

88. *Examen recitationum D. Nicolai Selneceeri de Libro Concordiæ*, collectum in Academia Lipsica. Edita fuit hæc Collectio Neostadi, 1582. *in*-4°. prout legitur apud Georgium Draudium, in *Bibliotheca Classica*, *pag.* 166. Sive sicuti *pag.* 142. Neapoli Nemetum, per Matthæum Harnisch. *in*-4°. 1582. Quod & aliis vocibus enuntiat præfatus Joannes-Jacobus Frisius, in jam memorata Bibliotheca, *pag.* 834. *Joannes Balæus*, inquit, *Theologiæ Studiosus, collegit examen recitationum D. Nicolai Selneceeri de Libro Concordiæ, admonitionem Neustadianam luculenter confirmantium, in gratiam doctrinæ Christianæ studiosorum in Academia Lipsica, & aliorum piæ concordiæ amantium, & edidit Neapoli, anno* 1582.

89. *Romanorum Pontificum Acta*, inquit Georgius Draudius, in *Bibliotheca Classica*, (*) *pag.* 1228. ex Joannis Balæi majore Catalogo Anglicorum Scriptorum desumpta, & in tres classes, Libros verò septem divisa. Francof. 1567. *in*-8°. Idem Draudius, ibidem, *pag.* 1233. ait: Scriptores duo Anglici, coætanei ac conterranei, de vitiis Pontificum Romanorum, videlicet Robertus Barns & Joannes Balæus, Quos à tenebris vindicavit, & usque ad Paulum V. hodie regnantem continuavit Joannes Bart, Lydius Francofurtensis, minister Verbi Dei Veteraquini. Ambstel. apud Henr. Laur. *in*-8°. 1615.

90. *Tricolumnium Angliæ*, à Gervasio Tilberiensi compositum, edi curavit; sicut ipse Balæus testatur *Cent.* 3. *cap* 58. in *Appendice*, *pag.* 250. dicens: » Ex quodam hujus Gervasii dialogo, libel» lus quidam est à nobis temporibus juventutis nostræ » editus, de tripartita regni Angliæ Historia, sub » Illustrissimo Anglorum rege Henrico II. Quem quia » per tres columnas digessimus, duximus *Tricolum*» *nium* posse appellari. In prima quidem, de Eccle» siæ Anglicanæ negotiis plurimis, & de nonnullis » rescriptis Romanæ Sedis. In secunda verò, de in» signibus prædicti Regis gestis, quæ fidem huma» nam excedunt. In tertia autem, de pluribus ne» gotiis, tam publicis quàm familiaribus, necnon » & Curiæ judiciis agitur. Hic si fortè in manus » tuas inciderit, cave ne te effugiat. Utilis enim esse » poterit futuris temporibus, & jucundus his, qui » de Regni statu sub prædicto Principe solliciti fue» rint, &c. « Hujus Auctoris & Operis celebrem habet mentionem Casimirus Oudinus, in *Commentariis de Scriptor. Ecclesf. tom.* 3. *pag.* 2. & 3.

91. *Votariorum Anglicorum*, *Lib. I.* De quo ipse Balæus, *Cent.* 3. *cap.* 35. *in Appendice*, *pag.* 233. Loquens de iis quæ fiebant Friderico Cæsari Barbarossæ per Alexandrum III. & de coronatione Henrici per Cælestinum III. addit: *Quæ omnia videbuntur in secundo votariorum nostrorum, si Dominus concesserit vitam.*

92. *Sententiæ aliquot graviores apud Joannem Baconthorpium selectæ*, de quibus ipse Balæus, *Cent. V. cap.* 1. *pag.* 385. ait: *Inveni Sententias aliquot graviores apud illum, quàm apud omnes ejus temporis Scriptores. Et eas, ut fragmenta quædam pietatis ejus collegi: quæ tamen apud Hybernos periisse timeo.*

93. *Visitationes centum Monasteriorum utriusque sexûs, & octodecim Collegiorum Sacerdotalium, per Commissarios regios facta*; de quibus ipse Balæus, *Cent. VIII. cap. LXXV. in Appendice* 4. ad Christophorum Seyniarmaynum, *pag.* 665. hæc habet: » Anno Domini 1535. Monachorum sectas

(*) Biblioth. Class. Edit. Francofurti, 1625. *pag.* 1654. *in*-4°. cui adjungitur Bibliotheca Exotica, sive Catalogus Officialis, &c. *pag.* 310.

J.

» Antichristi, æternæ proditionis filii, creaturæ, in » Anglia, scilicet Monachi (ut illic vocantur) Ca- » nonici, Fraterculi, & Moniales... cœnobiis me- » ritò sunt ejecti. Apud me ad præsens sunt visita- » tiones centum Monasteriorum utriusque sexûs, & » octodecim Collegiorum Sacerdotalium, per Com- » missarios regios, Ricardum Layton, Legum doc- » torem, Thomam Bedill, Archidiaconum Cornu- » biensem, & Thomam Bertheletum, Notarium » factæ & collectæ... Liber vocatur *Breviarium com- » pertorum in Monasteriis, Conventibus, Collegiis, » &c.*.. Hæc non ideò prædictis adjunxi, ut pro » Historica narratione dignis habeantur: Sed ut ex » his sciatur, quod meritò sint ex suis claustris pulsi.

Balæi mentionem habet Bibliotheca Britannico-Hybernica, sive de Scriptoribus qui in Anglia, Scotia & Hibernia ad seculi decimi septimi initium floruerunt, literarum ordine juxtà familiarum nomina dispositis; Commentarius à Thoma Tanner, Episcopo S. Asaph, collectus & editus à Davide Wilkins, Theologiæ professore, & Oxoniensi Canonico, *in-folio*, *pag.* 788. Londini, apud Guilhelmum Bowyer, impensis societatis erectæ ad progressum Litterarum 1748. Cujus in præfatione Joannes Balæus refertur plurimis injuriis & calumniis affecisse Papas, Episcopos, Ecclesiasticos viros & Monachos; sicuti, legitur in *Parisiensi virorum eruditorum Diario ad annum 1749. mense Septembris*, *pag.* 592. *in-4°*.

De eodem Balæo scribit Montacutus, in *Apparat. prim. sect.* 83. quod *impotentis linguæ & calami plerumque scriptor, sed in multis non rejectitius.*

Thomas Fullerus *de præclaris Angliæ Viris*: Balæus proprios affectus moderari non poterat, cujusque verum cognomen censebatur *Biliosus Balæus.*

Valerius Andreas, in *Præfat. Bibliothecæ Belgicæ*: Joannes Balæus, homo impius quidem, nominari quidem hoc loco vel ideò potuit, ut quis è sordibus gemmas legat.

Joannes Pitseus, *De Scriptoribus Angliæ*: Joannes Balæus *Lelandi* Catalogum non tam prolixè auxit, quàm prodigiosè depravavit. Omnia namque fœdissimus scurra, mendaciis & calumniis replevit, & opus *Lelandi* politissimum, pollutissimo stylo turpiter conspurcavit.

Joannes Gerardus Vossius, *De Historicis Latinis*, *Lib. I. cap.* 32. *pag.* 170. Aiunt Elvanum Avalonium doctrinam ab Apostolorum discipulis acceptam Britannis prædicasse, Librumque scripsisse de origine Ecclesiæ Britannicæ: De quibus fides esto penes Balæum. Multum enim metuo, ne, ut in plerisque aliis antiquioris ævi Scriptoribus ita hac etiam parte fucum faciat Lectori. Ibidem, *Lib. II. cap.* 16. *pag.* 223. Unum scio, in priorum seculorum Scriptoribus non rarò Balæi fidem claudicare.

Undè mirum non est quod Balæus inter Hæreticos primæ Classis Romano Indice numeretur. Extans de Scriptoribus Angliæ & Scotiæ Centuriæ XIV. ad annum usque 1558. progredientes tomis duobus, inscriptæ Elizabethæ Reginæ Angliæ. Basileæ, apud Joannem Oporinum anno 1559. *in-folio*, pro iteratis typis. Consule etiam Thomam Pope-Blount, in *Censura Authorum*, *pag.* 684.

Daniel autem Georgius Morhofius, in suo *Polyhistore*, *tomo* 1. *Lib. I. cap.* 18. *pag.* 205. *num.* 42. Edit 3. Lubec an. 1732. hæc habet de Anglicis Catalogorum Scriptoribus. » Quoad vetera attinet, » præter *Joannem Balæum*, cujus extant Centuriæ » virorum illustrium Angliæ, & compilatorem ejus » *Joh. Pitseum*, ... & quemdam *Eduardum Leigh*... » neminem habemus... Balæum plerique non bonâ » fide in recensione sua versatum judicant.

Michaël Maittaireus, in *Annalibus Topographicis*, *tomo* 2. *pag.* 677. *Lit. F* postquàm recensuit Hieronymi Balbi, Episcopi Curcensis, ad Clementem VII. *de rebus Turcicis* Librum, Romæ anno 1526. editum *in-4°*. typis F. Minitii Calvi, addit: *Huic libro præmitti oportere alterum de Fortitudine conjicio ex Balæi ad Ferdinandum Hispaniarum Principem, Epistola.*

XCVI.

JOANNES BALLISTARIUS, vulgari appellatione BALLESTER, Catalanus origine, Balearis autem domo, ex oppido *Campos* dicto, Majoricensis Insulæ Carmelitarum Castra secutus in Capitulo Generali Tolosano, anno 1351. ordinatus fuit ad legendum Sententias Parisiis pro quarto anno, & sacra Biblia pro tertio. Et in Capitulo Generali Perpiniacensi, anno 1354. Lector Sententiarum in eadem Academia pro primo anno destinatus; in qua gradu Baccalaureatûs tantùm fruebatur, quandò post mortem Petri Raymundi, in Comitiis Generalibus Burdigalæ celebratis, anno 1358. die 8. Septembris, in Priorem Generalem assomptus est.

Capitula quatuor ipse Generalia celebravit. Primum, Treviris, die sacro Pentecostes, anno 1362. habitum: in quo concessa est Facultas à Definitoribus Priori Generali, ut posset novas Constitutiones facere; & addita sunt multa, ad rubricas generales Constitutionum, seu Statutorum Generalium Ordinis jampridem à Petro Raymundo, supremo Moderatore, in unum collectas. Secundum, In Montis-Albani Monasterio, die Pentecostes, anno 1366. adunatum, in quo committitur Generali, ut possit facere omnia quæcumque facere poterant; exceptis absolotionibus & institutionibus Provincialibus, liberè & sine culpa; revocatione & ordinatione ad gradum Theologiæ in studio Parisiensi, ac apertione Sigilli communis Ordinis. Tertium, anno 1369. die 20. Maii sacro Pentecostes, in Conventu Montis-Pessulani congregatum: in quo Priori Generali commissum fuit ut Conventibus permissionem dare posset vendendi Libros inutiles vel duplicatos; ita dumtaxat quod pretium eorum pro expensis ædificationis Ecclesiæ applicaretur. Tertiom, coadunatum, anno 1372. die 16. Maii, Festo Pentecostes, in Monasterio Aquarum Sextiarum, in quo decretum fuit ut quicunque Fratres obtinerent aliquam gratiam à Priore Generali vel Provinciali, sub quocunque verborum tenore, copiam illius gratiæ tenerentur dare Priori Provinciali, vel locali, aut eorum Vicariis, sub pœna perditionis gratiarum. Paulò antè hujus Synodi celebrationem, sive die 11. Maii, Gregorius XI. ad omnes Gremiales scripsit, ut procederent ad Ordinis reformationem, orarent pro ipso Papa, necnon pro pace & libertate Ecclesiæ; & simul Indulgentias Quadragenarum trium. Literæ Apostolicæ, quæ incipiunt: *Ordinis vestri*, datæ sunt apud Pontem Sorgiæ, Avenionensis Diœcesis, quinto Idus Maii; Pontificatûs ejus secundo; id est Maii 1372.

Non his solummodò Carmelus illustratus est, Joanne Balistario clavum tenente; verùm & aliis admodùm gloriosis eventibus, qui quanto in honore Sacer B. V. Mariæ Ordo esset apud summos Pontifices, Antistites, Præsules, Principes, & omnium Ordinum Proceres, demonstrant Carmelitæ, tum pietate, tum scientiâ clariores, qui eâ tempestate claruerunt.

Iliis profectò annumerandus noster ipse Joannes Balistarius, qui obiit, atque sepultus fuit in Cœnobio Majoricensis Urbis, sub hoc Epitaphio.

D.

J.

D. O. M.

HIC JACET REVERENDISSIMUS MAGISTER IN SACRA THEOLOGIA, GENERALIS ORDINIS VIRGINIS MARIÆ DE CARMELO

FR. JOANNES BALISTARIUS.

OBIIT ULTIMA DIE MENSIS SEPTEMBRIS, ANNO M. CCCLXXXIV.

Hujus Epitaphii novitatem sequioris seculi suspicari quis posset, ex eo quod in Comitiis Generalibus Bononiæ celebratis, anno 1411. primùm titulus *Reverendissimi* Patris Priori Generali Joanni Grossi apparet concessus. Præterea Joannes Balistarius appellatur in sacra Theologia *Magister*: Quo etiam titolo decoratur in Capitulo Trevirensi, anno 1362. Ast dubium latet utrùm in aliqua Academia, an in Consilio Ordinis tantùm fuerit renuntiatus: sicut ipse ex Mandato Apostolico Urbani V. talem Magisterii gradum Bernardo Olerio Carmelitæ, Parisiensi Professori concessit anno 1363. Verùm in Capitulo Monspeliensi, anno 1369. *Reverendi Patris* tantùm titulo decoratus est Joannes Balistarius; cujus socius nominatur dictus Bernardus Olerius, in Capitulo Trevirensi jam memorato, anno 1362. celebrato.

BALISTARII SCRIPTA:

1. *Super libros Sententiarum*, Libri IV.

2. *Constitutiones sui Ordinis*, Libris duobus. Neque enim solummodò Librum Statutorum per Prædecessorem suum Petrum Raimundum compilavit, confirmavit, & ad diversa Capitula reduxit & promulgavit: verùm & iis multa addidit, quæ ad majorem ipsorum explicationem & observantiam digna visa sunt, in Comitiis Trevirensibus, anno 1362. sicuti exhibet Codex Ms. Ordinis *fol. 6.* qui ab anno 1318. diligenter exhibet Capitula Generalia, & simpliciter nuncupatur *Liber Ordinis.* Attamen R. Magister Gregorius Canalius, in *Præfatione ad Constitutiones Ordinis Carmelitici* ab ipso Romæ editas, anno 1625. *pag.* 2. Constitutiones nostri Magistri Joannis Balistarii adjudicat, anno 1369. Codex Ms. asservari creditur in Bibliotheca Vaticana, *Cod.* 3991. sub hoc titulo: *Constitutiones Ord. B. Mariæ de Monte Carmelo, per Belisarium congestæ;* & ita citantur in *Bibliotheca Bibliothecarum Mss. tom.* 1. *pag.* 114. *B.* 1.

3. *Decretum* quoddam *circà Definitores Generales.* In Capitulo enim Montis Pessulani, anno 1369. habito, primùm ex novemdecim Provinciis, quæ tunc in Ordine numerabantur, octodecim Definitores Generales (nam Siciliæ nullus fuit) recensentur; quorum aliqui diversi sunt à Provincialibus earumdem Provinciarum, qui posteà ibi referuntur; alii verò non ita, cùm usque ad hoc tempus in Capitulis Generalibus præcedentibus non alii numerentur Definitores, nisi Provinciales. Quod prudentiâ & Decreto quodam Joannis Balistarii factum fuisse credimus, ut in Generalibus Comitiis Definitores diversi essent à Provincialibus; nisi forsan ipsi Provinciales à suis Provinciis in Definitores eligerentur, prout modo etiam in usu Religionis Carmelitanæ conspicitur; inquit Lezana, *tomo* 4. *pag.* 667.

4. *Sermones varii*, duobus Libris.

5. *De Bello forti Militantis Ecclesiæ, & Anti-Christa ipsam impugnante*, Lib. I. Opus insigne istud Gregorio XI. transmisit; teste Trithemio, *cap.*

646. *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Hinc meritò animadvertitur Joannes Balæus in Catalogo Scriptorum Britanniæ, *Cent. V.* in *Append.* 2. ad Guillelmum de Pagula dicens, hunc nostrum Joannem Balistarium inter Hæreticos reponi à Papistis. Noster enim Balistarius diversus est à Joanne Balistario, qui in Indice Romano, *pag.* 145. reponitur inter Authores Hæreticos primæ Classis.

6. *Libelli Supplices*, quos & suo & sui Ordinis nomine obtulit *Summis Pontificibus.* Tres reperiuntur sive potiùs nominantur ad Innocentium VI. Decem ad Urbanum V. & duo ad Gregorium XI. uti legere est in *Bullario Carmelitarum*, *tomo* 1. *pagg.* 107. 110. 111. 113. 116. 118. 127. 128. 131. 132. & 594. Hos enim designat hæc loquendi formula, quâ utuntur Summi Pontifices in suis Literis seu Brevibus Apostolicis: *vestris in hac parte supplicationibus inclinati:* vel *exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat*, &c.

JOANNEM BALISTARIUM laudibus celebrant Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 646. Wernerus Rolewinch, in *fasciculo Temporum:* Jacobus-Philippus Foresta Bergomensis, in *supplemento Chronicorum:* Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca Universali, pag.* 386. *verso folio.* Raphael Volaterranus, in *Antropologia:* Renatus Chopinus, in *Monastico:* Abrahamus Bzovius, in *Annalibus Ecclesiasticis ad annum* 1340. *seu* 1430. Andreas Schottus, in *Bibliotheca Hispanica:* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro:* Valerius Andreas, in *Catalogo Scriptorum Hispaniæ:* Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca veteri Hispania, tomo* 2. *pag.* 114. *num.* 311. Ludovicus Ellies Dupin, in *Tabula Universali de Scriptoribus Ecclesiasticis, tomo* 1. *pag.* 757.

E Carmelitis Joannes Grossi, in *Viridario parte* 1. *clavi* 2. *cap.* 16. Arnoldus Bostius, *Lib. de Viris Illustribus Ord. Carmelit. cap.* 17. Joannes Palæonydorus, in *fasciculo tripartito, Lib. III. cap.* 11. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 40. ubi notat quod Joannes Balistarius Constitutiones Ordinis primus omnium in Libellum seu Ordinem redegit, anno Domini 1369. ut colligitur ex variis exemplaris excussis & Manuscriptis. Joannes Caffardus, in *Præfatione ad Constitutiones* Ordinis editas anno 1586. idem affirmat. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 295. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. ab anno* 1358. *ad annum* 1374. *pag.* 619—684. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 187. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli, pag.* 532. *num.* 953. Idem, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1078. *num.* 3775. *&c.*

XCVII.

JOANNES BAMPTONIUS, seu BAMPTONUS, natione Anglus, Carmelita Cantabrigiensis, ibidemque Doctor Theologus & Professor: Vir acutissimi ingenii, & qui perscrutandis Aristotelicis subtilitatibus, nec parùm nec inutiliter desudavit, circà annum 1341. scribens,

1. *Quæstiones octo de veritate propositionum.* Lib. I. Incipit: *Quæro de veritate istius quæstionis.*

2. *Lecturas Sholasticas in Theologia*, Lib. I.

De illo agunt Joannes Lelandus, Pitseus, de *Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate* 14. *num.* 558. Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Angliæ*, sub hoc *anno* 1341. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Lezana, *tomo* 4. *pag.* 571. *num.* 4. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 187. *&c.*

J.

XCVIII.

JOANNES-BAPTISTA APIENUS, in loco *Castini* sub Albensi Diœcesi natus, Religionem in Carmelitam professione solemni ascitus, die 14. Maii 1674. edidit Italicè Opusculum, *Della Miracolosa origine della Vergine Sanctissima di Racconiæ.* Ita scribebat anno 1748. in Schedis Mss. R. P. Timotheus Bergerot.

XCIX.

JOANNES-BAPTISTA, *Pinciæ* natus in Castellâ Veteri, ex Nobilibus Familiis de *Campo redondo & Rio*, institutum Carmelitarum Excalceatorum amplexus; ooo is tamen est Joannes-Baptista, qui Generalibus interfuit Comitiis Cremonæ, anno 1593. celebratis, Procurator totius suæ Congregationis, quæ tum ab antiquo Ordine divisa fuit sub hac conditione, » ut dicta Congregatio Discalceatorum, » vel ejus Superiores omnino in perpetuum non » præsumerent accipere loca vel Conventus hujus » Religionis, etiam sponte à Civitatibus, vel Prin» cipibus, vel quibuscunque aliàs ex eis exhibenda, » vel offerenda: Quod si contrarium aliquandò ipsos » fecisse compertum foret, nulla esset, & irrita ista » concessio, & nullum jus omninò acquisitum eis » intelligeretur. Ipse verò noster Joannes-Baptista in Comitiis Generalibus Pastranæ celebratis, anno 1643. Præpositum in Generalem Congregationis Hispanicæ S. Teresiæ fuit electus. Vitam autem cum morte commutavit, anno 1649. eminentis virtutis & præclaræ doctrinæ famâ conspicuus. Edidit Hispano idiomate valdè à suis Sodalibus laudatam.

Carta a los Religiosos del Carmen Descalzo; pro eorum scilicet instructione ac observantiæ regularis incremento, quæ edita fuit Matriti; ioquit Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 675. & 676. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 188. ubi dicit eum patriâ Sotiensem, Diœcesis Osmensis.

C.

JOANNES-BAPTISTA, Carmelita Discalceatus, cognomento DE RONDA, Bæticus, ad distinctionem Joannis præcedentis & aliorum, natus est in oppido *Ronda* Diœcesis Malacensis ex BARTHOLOMÆO SANCHEZ, & BEATRICE DE ASTORGA, piis & honestis parentibus. *Pastranæ* emisit suam Religiosam professionem, anno 1568. die 25. Julii. Ob suam eximiam virtutem, statim ad officia Monastica assumitur. Fuit Prior *Malacæ*, *Mancanares* & aliorum Conventuum. Anno 1585. titulo Prioris *Malacæ* astitit Ulyssiponensi Capitulo Provinciali, ibique Definitor quartus eligitur, & pauló post Vicarius Provincialis Castellæ-Novæ creatur permanenter. Anno 1588. in primo Generali Capitulo Matritensi inter sex Definitores, quartus eligitur: Similiter, anno 1590. in secundo Generali Capitulo Matritensi, creatur quintus Definitor: Anno 1591. in tertio Generali Capitulo Matritensi eligitur Provincialis Castellæ-Novæ. Quo titulo simul atque Procuratoris Generalis *Romam* mittitur, & adfuit anno 1593. Cremonensibus Generalibus Comitiis; in quibus totius suæ Congregationis Discalceatæ nomine obtulit R. JOANNI-STEPHANO CHIZZOLÆ & Definitorio Generali, *Memoriale pro separatione obtinenda cum aptis rationibus*: Quibus subscripserunt utræque Partes. Obiit autem anno 1594. sicuti refert Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli*, *parte* 2. *pag.* 62. *lin.* 7. De illo etiam loquuntur Franciscus à S. Maria, *tom.* 2. *Histor. Reformat. S. Teresiæ*, *Lib. VIII. cap.* 38. *& seqq.* Ludovicus à S. Teresia, in *successione Eliæ*, *cap.* 278. 279. *pag.* 644. 648. *lin.* 8. 24.

CI.

JOANNES-BAPTISTA CAFFARDUS, natione Italus, Senensis ubique nuncupatur; quia in oppido *Civitella* sub *Senarum* ditione ortum habuit. Anno 1548. ad studia exercenda destinatus est Conventui Senensi, cujus erat alumnus, per Capitulum Generale Venetum; cum *Patavii* priùs disciplinis literariis priùs vacasset, & posteà sacris ibidem fuit instructus scientiis, quarum & Doctoralem lauream obtinuit. In Capitulo Generali *Romæ* celebrato anno 1564. erat secundus socius Provinciæ Tusciæ, tum *Magistri* nomine insignitus, verùm etiam in his Comitiis & deputatus inter Auditores causarum Ordinis sui civilium, & Regens *Florentini* Monasterii institutus. Quo quidem munere functus fuit, *Pisis*, *Senis*, atque in Archigymnasio Romano Sapientiæ.

Priorem quoque Florentinum gessit, & Senensem sub anno 1572. Præfecturam autem Provinciæ suæ Tusciæ anno 1574. accepit, ad quam confirmatus est suum usque complendum Triennium in Generali Cœtu *Placentiæ* habito an. 1575. ubi Thesibus JACOBI RAIMUNDI DE GAVIO, Carmelitæ, præfuit; & in Lectorem Theologiæ pro Senensi Cœnobio proclamatus. Ast assumpto in Vigiliensem Episcopum JOANNE-BAPTISTA SURITANO, Carmeliticæ familiæ Generali Procuratore, anno 1576. CAFFARDUS ad id muneris suffectus. Urbem die 5. mensis Octobris ingressus est: & JOANNE-BAPTISTA RUBEO, totius Carmeli Superiore Generali defuncto post mediam noctem diei quartæ Septembris, ineunte die quintâ, an. 1578. ipse à GREGORIO XII. Vicarius Generalis sub die nonâ mensis Octobris nominatus, anno 1580. Synodum Carmelitanam, præside PHILIPPO BONCOMPAGNO, Cardinali, totius Ordinis Protectore, universalem habuit die festo Pentecostes, in Urbe Roma, quâ totâ plaudente, in Priorem Generalem adlectus fuit.

Eodem scilicet anno 1580. ipsa Pentecostes Vigilia, quâ Romæ Generalia Comitia habebantur pro novo Ordinis Primate nostro creando, omnia in Belgio lamentis & querimoniis complevit Hæretica lues. Etenim stipendiario milite clam conducto, omnia (Carmelitarum dumtaxat excepto) Bruxellensis Civitatis Monasteria, Templa, aliaque loca pia divino cultui dicata diripiebantur, spoliabantur. Eorum Cultores trahebantur, trudebantur, mille miseriis, mille ignominiis afficiebantur: nulla sexûs, ætatis nulla ratio habebatur. Soli Carmelitæ in tanta debachatione Hæreticorum militum, foribus apertis oratores, nihil mali perpessi sunt. Quid in causa fuisse dicemus? Certè voluntas Dei abyssus multa. Nimis enim indignum fuisset, si, cum omnis ferè Carmeli Religio eo die in Urbe orbis Capite congregata, deque novo Carmeli Vineæ Pastore lætata, Bruxellensis Carmeliticus Cœtus tanto animi dolore afficeretur.

In aliis tamen Civitatibus Belgii afficiebatur. Nam anno eodem 1580. die 9. Aprilis, Geusii, quorum DUX TEMPLIUS seu TEMPELIUS, & socii Hæretici Angli invaserunt, & interceperunt Mechliniam, Ecclesiam, & Claustra diruerunt, Religiosos duos, quorum unus erat JOANNES DE HONOT, Supprior, & alter PETRUS LUPUS, Prior, trucidarunt: Suppellectili omni, Clenodiis, Cimeliis, Libris direptis, ac Religiosis omnibus Civitate pulsis. Jam anteà anno scilicet 1578. die 12. Februarii per eosdem

J.

rebelles Hæreticos Gueusios nominatissimum Monialium Ordinis Carmelitani Monasterium prope *Vilvordiam*, nuncupatum *Divæ Consolatricis*, exustum fuerat. Die 20. Aprilis, Cœnobium *S. Joannis-Baptistæ* prope *Angiam*, (quinque Leucis à Bruxellis dissitum) flammis traditum, & penitùs absumptum. Fuerant illo etiam tempore ad terram prostrata, templum & Cœnobium Gerardi-montibus. Antuerpiæ, concessa Calvinistis Templa Jesuitarum, Minoritarum, Dominicanorum & D. Andreæ, relicto Catholicis Choro; Martinistis vero templum D. Georgii, & Carmelitarum. Mense Maio Gandavense Cœnobium eorumdem Carmelitarum ab Hæreticis spoliatum. Die 8. Octobris è Brugensi Civitate omnes Religiosi expulsi, absumpti Libri, & perantiqua documenta Yprensis Conventûs, cùm Ecclesia solo adæquata erant pro Civitatis conversatione.

Anno 1579. die primâ Januarii, Carmeli *Brugensis* Claves traditæ fuerant Calvinianis Ministris. Die 28. Maii, *Antuerpiâ* pulsi Canonici & Religiosi, ac Monasteria expoliata. Ab eo anno exules Religiosi Carmelitæ, plures obierunt: & quidem Ven. GUILLELMUS VANDERIUS Prior, afflictus pro grege suo, cui succurrere nequibat, proficiscens Coloniam, ex hac vitâ migravit die tertiâ Decembris. Aliquanto post ADRIANUS MEBANUS in Carmelo Antuerpiensi laudabiliter functus officiis Supprioris & Procuratoris, ab Hæreticis captus, & malè tractatus, indè contractâ infirmitate, vivere desiit Coloniæ. Venerabilis P. HENRICUS, Concionator strenuus, etiam sub idem tempus ab Hæreticis ad arborem ligatus, brachio confracto, ac glande bombardæ trajectus, & semivivus relictus, posteà tamen sanatus est: Verùm aliquot post annis, civitate Yprensi Regi Catholico redditâ, Neaportano deserviens termino, rursùs in Hæreticorum manus lapsus, graviter vulneratus ab iis, obiit.

Bruxellæ Carmelitani Patres, inediâ vexati, persecutione attriti, fastidio victi, Conventum, Urbemque deserere statuerant; in illumque finem singulis Viaticum erat distributum, & abitionis dies jam decretus: Cum R. P. LAURENTII CUPERI, inibi Prioris hortatione, obfirmatis animis, se domoque sua Deiparæ Matri commendatis, remanserunt. Utque securiùs remanere possent, pactum ineunt cum TEMPELI ministrorum præcipuo ARNOLDO VANDER PERREN, qui Conventum, Templumque ab omni flagitiosorum incursu, & direptione tueretur. Coacti tamen Carmelitæ anteriorem Ecclesiæ suæ partem dictis Hæreticis cedere; Chorum ab eâ parte separarunt ducto muro; & sejunxerunt quantùm poterant locum in quo ipsi Deum rogarent, à loco in quo Hæresis suas preces funderet. Verùm non hic finis. Qui enim Ecclesiam sic intraverant, Conventum immunem relinquere non volebant. Quapropter non multò post alius mœroris cumulus invasit, immò oppressit. Anno etenim 1581. die 23. Aprilis, post innumeras illatas injurias, in perpetuum exilium acti sunt Carmelitæ, pœnâ capitis renitentibus ire, & audentibus redire propositâ.

Quadriennio exularunt hi Religiosi: Sed dedit his quoque finem ipse Deus qui fine caret. Bruxella namque anno 1585. die 19. mensis Martii, longo Marte belloque domita, fame tam corporali quàm spirituali plusquàm saturnina pressa, sibi consulens, suæque saluti prospiciens, hos, quibus anteà igni & aqua interdixerat, patulis brachiis, & ambabus (ut aiunt) manibus excepit; Hæresim abjuravit, Hæreticos expulit, Deo religionem, Regi fidem promisit, templa prophanata expiavit, diruta erexit, amplissimis donis ditavit. In Italia pacatè quidem, sed non otiosè suum interim Ordinem Caffardus regebat. Nova etenim Monasteria acquisivit, incommoda commodioribus commutavit, Commissarios in Hispaniam Angelum Salazar & Hieronymum Hurtado misit; Carmelitis Discalceatis primam Provinciam anno 1580. adjudicari consensit, & anno 1587. Vicarium Generalem eisdem concedi assensus est. Anno 1584. Congregationi Albiensi postrema dedit. Anno 1585. suos in novam Transpontinam induxit. Anno 1586 post obitum Cardinalis Philippi Buoncompagni, Protectorem Ordinis sui, Dominicum Cardinalem Pinelium obtinuit. Anno 1587. Timotheum Bernardum suum Procuratorem Generalem ad Insulas Naulenses promotum conspexit. Anno 1588. Constitutionem Sixti V. & illius declarationem circà receptionem illegitimorum & criminosorum hominum accepit. Anno 1589. Decreta pro reformandis Galliæ Provinciis recognovit. Anno 1590. confirmationem unionis loci & Ecclesiæ *S. Restitutæ*, in *Insula Ischiæ*, postulavit, & ab eodem summo Pontifice recepit. Anno 1591. Moderationem duarum Constitutionum Sixti V. super receptione illegitimorum in quocunque Ordine Regulari, datam à Gregorio XIV. vidit, audivit, & legit. Vir tandem motum integritate, prudentiâ, religione & doctrinâ percelebris, quatuor summis Pontificibus charus, Henrico III. Francorum Regi Christianissimo, desideratus: Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico, benè probatus: Principibus & Proceribus Italiæ Siciliæque optimè notus, plenus dierum atque virtutibus, annum agens circiter sexagesimum secundum, post innumeros terrâ marique exantlatos labores, ad syderea loca evolavit die tertiâ mensis Aprilis, anno 1592. sepultus Senis.

Ad syderea loca evolavit *Senis*, ineunte anno 1592. non die 3. Aprilis, sicuti legitur apud Petrum Lucium, in *Carmelitana Bibliotheca fol.* 41. apud Augustinum Biscaretum in *suis Palmitibus vineæ Carmeli fol.* 100. *verso*, & in *Libro* papyraceo communi *Ordinis Transpontino Ms. fol.* 231. Nam in eadem Transpontina Bibliotheca servatæ schedæ autographæ Mss. anno præfato 1592. exaratæ die vigesimâ sextâ Januarii, exhibent expensas pro CAFFARDI nostri tumulo magnifico factas. Atque simul proferuntur aliæ Schedulæ autographæ Manuscriptæ per totum mensem Februarium ejusdem anni 1592. in quibus fit memoria R. P CAFFARDI, nuper defuncti; & idem testatur Ludovicus Perez de Castro, Carmelita, sacræ Theologiæ Professor, in primo suo de rebus Carmelitanis *Codice Ms.* quem eadem Bibliotheca Transpontina servat, *fol.* 222.

Intellectâ hujus viri morte, magnâ ubique funeris pompâ parentatum est, multæque næniæ tumulo affixæ, & à diversis alienæ Professionis Theologis habitæ Orationes Funebres. Carmelitæ certè Florentini in hisce non postremi fuêre; Verùm convocato universorum Collegio, magna cum solemnitate animæ illius in ferias persolverunt. Orationem Funebrem habuit eruditissimus Vir R. M. Joan. Bapt. Irriguus, Ordinis August. Erem. tunc temporis Conventûs Florentini, posteà Bononiensis Regens & Professor eximius. Complures etiam eruditi viri feretro Epitaphia affixerunt, quorum unus Laurentius Bartholoctius à Fighino, hoc dedit;

D. O. M.

CAFFARDO lacrymas Carmeli verticis omnis
Incola nunc spargat, spargat & inde Rosas.
Necnôn ad tumulum pia verba ac Thurea grana

Afferat, & Myrrhis mortua membra riget.
Quod cineri præstet melius, quod gratius optet
Est nihil; hic tali dignus honore rogus.
Hujus flent obitum Graiæ, Latinæque Camænæ:
Ingenio clarus, clarus & eloquio.
Hujus si numeres Heroïca facta, vel amplas
Virtutes: omnes hunc superasse feres.
Mors superat, felix anima ast super æthera fertur.
Altiùs, at tumulo Carmina bina damus:
Hic BAPTISTA *jacet Caffardus, clara propago,*
Cui pietas, probitas, relligioque fuit.

Petrus Ipse Lucius inter nœnias, quas in hujus optimi viri mortem cecinit, typisque tradidit, hoc Epitaphium in sua Carmelitana Bibliotheca reliquit:

D. O. M.

Quid premit iste lapis? CAFFARDI *membra; sepulchro*
Clauditur & virtus? Non; nitida astra tenet.

Joannis-Baptistæ Caffardi ad suos Carmelitas Apostrophe per eumdem Laurentium Bertholoctium à Sighino, virum probum & eruditum.

Jam lacrymis tandem, lacrymis jam parcite Fratres:
Sitque modus vestræ tristitiæ & lacrymis.
Vivo modò felix, & visû perfruor: at vos
Mortis jura manent; post Deus astra dabit.
Nunc genus æterni, non enarrabile, Christi
Detecta aspiciunt lumina: nostra quidem
Huc charitas ardens duxit, spes certa futuri:
Me Regni ac pariter religiosa Fides.
Quare agite, O fratres, pia gaudia pectore ab imo
Fundite supremo ac prospera vota Deo.

SCRIPTA JOANNIS-BAPTISTÆ CAFFARDI:

1. *In IV. Libros Sententiarum Commentaria* Mss. *Senis* asservata. Latinè.

2. *Conciones Quadragesimales*, Italicè scriptæ, quas Petrus Lucius ibidem servatas Mss. vidit, & doctissimas asseruit.

3. *Constitutiones Ordinis Carmelitarum*, quas in meliorem formam redegit, & ad normam Sancti Concilii Tridentini exaratas, in unum volumen Latinè fecit edi Romæ, apud Franciscum Zannetum, anno 1586 *in-4°.*

4°. *Decreta in solemni Congregationis Mantuanæ Visitatione* data. Florentiæ, apud Tossium, anno 1582. *in-8°.* Latinè.

5. *Ordinazioni per le Monache Carmelitane*; Italicè. Florentiæ, apud eumdem Tossium, anno 1582. *in-4°.*

6. *Missale, Breviarium, & Diurnale*, &c.

7. *Libelli supplices plurimi*, quos &c.

Suum insuper Monasterium Senense pulcherrimo Refectorio, Claustro, Cisternâ & Dormitorio constructis, honorificentissimum reddidit, Bibliothecamque instauravit, aliisque pulcherrimis reparationibus decoravit & auxit.

JOANNEM-BAPTISTAM CAFFARDUM laudant summi Pontifices Gregorius XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. in suis Diplomatibus, quæ videri possunt in *Bullario Carmelitarum, tomo 2. pag.* 198--260. Dominicus Cardinalis Pinelli, in Confirmatione Decretorum pro reformandis Galliæ Provinciis, anno 1589. promulgatorum; uti legere est eodem *tomo 2. pag.* 254. Inicus Cardinalis de Aragona, in Diplomate *pro fundatione Conventûs Tarentini*, quod *eodem tomo 2. pag.* 201. legitur. Gregorius Canalius, Carmelitarum Prior Generalis, in *Præfatione* ad suas ejusdem *Ordinis Constitutiones, pag.* 4. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro, tomo* 1. *pag.* 821. Jacobus Raimundus à Gavio, in *Oratione de optimo Pastoris officio, de qua super. pag.* 689. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 41. Ludovicus à S. Teresiâ, in *Successione Eliæ, pag.* 594. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 189. Daniel à Virgine Mariâ, in *Vinea Carmeli, pag.* 539. *num.* 709. Idem, *tomo 2. pag.* 1068. *num.* 3708. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 415. Isidorus à S. Joseph, *tomo 1. Annal. Carmelit. Excalceat. Congregat. Italicæ, cap.* 13. Leo a S. Joanne-Baptistâ, in *Typo seu Pictura vestis Religiosæ, pag.* 125. &c.

CII.

JOANNES-BAPTISTA DE CATHANEIS, natione Italus, patriâ & professione Carmelitanâ Venetus, Doctor Theologus, Prior Veronæ, Patavii & Venetiarum: deinde Provinciæ ejusdem Venetæ Præfectus, patrio suo Cœnobio plurimos reliquit Libros pro Librariâ, Casulas quinque, Planetasque de serico Sacristiæ, unum Velum; & annuos Monasterio Ducatos quatuordecim; & multa alia bona. Obiit Venetiis anno Christi 1532. die 24. Junii. Sæpè vocatus BAPTISTA CATANEUS; quo nomine habet singularem articulum *super. pag.* 215. & 216. Sed addenda huic articulo quæ sequuntur.

1. *Carmina de certo Turcarum adventu, nec credito Joannis-Baptistæ Cathanei, Mss.* Citantur in Inventario Librorum editorum & Manuscriptorum contrà Turcas, quod Legitur in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, sub literâ C. Sicuti refert R. P. Domnus Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum, tomo 1. pag.* 571. *col.* 2. *lin.* 8.

2. *Joannis-Baptistæ Catanei Carmina de certo Turcarum adventu non tamen credito, cum exhortatione ad arma in eos suscipienda*, excusa *in-4°.* Incertum à quo, ubi, aut quando, certè tempore Leonis X. Pont. Ibid. sub Literâ I. & apud eumdem Dom. de Montfaucon, eod. *tomo 1. pag.* 577. *col.* 2. *Lit. E.*

Præter Authores qui superiùs laudarunt Baptistam Cataneum, occurrit R. P. Magister Leonardus Priolus, Venetus, de quo *infer. pag.* 247. *tom.* 2. in *Instrumento, Ms.* quod anno 1640. Mense Maio commodavit Ludovico Jacob, Venetiis tùm commoranti; qui & illud citat in suo Catalogo Ms. Conventuum Ordinis Carmelitarum, *pag.* 267. *in-folio.* Joannes quoque Lezana in testem advocat Baptistam Venetum, *tomo 4. Annal. ad ann.* 1473. *num.* 3. *pag.* 933.

CIII.

JOANNES-BAPTISTA CHARMES, ex Lotharingiâ oriundus, sed in Alvernia superiori natus Aurilliaci, anno 1702. die 26. Augusti, parentibus JOANNE-BAPTISTA CHARMES, Causarum patrono, & JOANNA SEZIEYS, in ea Urbe Prosapia & eorum

eorum familia ab anno 1300. constitutâ. Albiensi in Cœnobio vestem Carmelitanam induit anno 1719. die 24. Martii postquam humanioribus literis operam navasset in patria. Accepto novo Religionis Tyrocinio, novum & nomen accepit, vocatus GERALDUS AB INCARNATIONE. Emissâ professione anno 1720. ad Conventum de Mortuo mari (Gallicè de *Mortemart*) missus, biennio Philosophiæ, & per annum Theologiæ studuit. Annis 1723. & 1724. Cursum Theologiæ adimplevit in Lemovicensi, Monasterio. Posteà Lector Philosophiæ pro secularibus in Plaudiensi Cœnobio institutus est: Deindè suos sodales Theologiam edocuit triennio in Lemovicensi, & tribus annis in Albiensi Conventibus. Lemovicensis Vicarius Prior; mortuo Priore; & in Capitulo Figeacensi Provinciali Orationem Latinam habuit. Aurilliacense Cœnobium Prior rexit, Deinceps Definitor, & in Monasterio de *Mari Mortuo* simul atque Frater ejus germanus JOSEPHUS CHARMES Theologiam docuerunt. Quo etiam tempore à sua Provincia deputatus JOANNES-BAPTISTA ad concertandum pro Cathedrâ Theologiæ Cadurcensi, lauream priùs Doctoralem in Academia Bituricensi anno 1738. adeptus est: Mortuo autem R. P. Alberto Leroy Parisiis, in Collegio Maubertino, jure filiationis monasticæ illic decoratur, & anno 1743. Gradum Baccalaureatùs in sacra Facultate Parisiensi resumpsit, & anno 1745. Licentiatùs cursum inchoavit. Et 29. Aprilis an. 1748. lauream Doctoralem est adeptus Parisiis.

Scripsit,

1. *Orationem Panegyricam Ordinis Carmelitarum*, habitam anno 1736. in Comitiis Provinciæ Aquitaniæ celebratis Figeaci. Latinè.

2. *Instrumentum memoriale*; Gallicè: *Mémoire pour Messire ANNE-CLAUDE LEBAS DUPLESSIS, ci-devant Conseiller au Parlement de Paris.* Parisiis 1742. apud N. Thiboust, *in-folio*, *pag.* 18. Hic vir Clariss. Dom. Lebas, cogentibus parentibus, in statum Ecclesiasticum inductus, ad Ordinem Subdiaconatùs quem bis & ter exercuerat, promotus fuerat. Mortuis parentibus, à Sede Apostolicâ dispensationem postulavit; sed repulsam passus, ad supremam Parisiensem Curiam evocavit suam causam dijudicandam, & ibi expositâ verâ coactione, Liber à sacro impedimento exivit.

3. *De Carmelitarum Provinciæ Aquitaniæ Commentarios*, Gallicè: *in-4°.* scriptos, Parisiis Aureliam ad nos missos anno 1735. die 5. Novembris, *pag.* 17. Provincia Aquitaniæ in Ordine nona, in Galliis tertia, Provincialem Priorem habebat in Comitiis Montis pessulani anno 1287. celebratis die 22. Julii ARNALDUM CAILLAU. Ab anno 1358. quo Provincia Vasconiæ ab ea excisa fuisse videtur, tredecim Monasteria continet.

C I V.

JOANNES-BAPTISTA CIRON, sæpè SIRON, ex illustri prosapiâ natus in oppido *Ponte-Cironi* Diœcesis Albiensis, amplissimo & nobili Domino CIRON CREMAUR, In Senatu Tolosæ Præsidi, Consanguineus: Provinciæ Aquitaniæ Carmelita, MARTIALIS A CONCEPTIONE nomine illic vocatus; vir corpore quidem exiguus, sed ingenio pollens & quàm-maximus, annis quadraginta Theologiam Cathedraticus Professor edocuit in Academia Cadurcensi, quam & sua perratâ eruditione illustravit.

Hanc quidem Cathedram, suadente R. P. URBANO AB ASCENSIONE, Carmelitâ Turoniæ Provinciæ alumno Exprovinciali, & Reformationis in Provinciâ Aquitaniæ promotore, deseruerant Carmelitæ, quam

posteà tenuerunt Reverendi Patres Ordinis SS. Trinitatis, usque ad annum 1677. Quo R. P. *Le Blanc*, Cadurcensis Carmelita, in Quæstoria *Montis-Albani* jurisdictione Tribuni filius, suis Religiosis Superioribus exposuit scientiam à pietate minime abhorrere, imò magnum esse pietatis quæstum cum sufficientiâ, indecorum autem valdè suæ Provinciæ, si Reverendos Patres Trinitarios diutiùs relinqueret injustos Possessores Cathedræ Theologicæ, quæ ab antiquo jure adjudicata fuerat Ordini Carmelitico. Litem igitur movit apud sapientissimos Academiæ Cadurcensis Proceres & Magistros, à quibus causam plenè obtinuit, & in Professorem Theologum ipse fuit electus; à suis deinde Sodalibus in Provincialem assumptus, homo maximi pretii & dotibus exquisitis ornatissimus.

In Cathedra Theologica successorem habuit nostrum CIRONUM, qui varios hactenùs in prædicta Academia edoceri solitos tractatus evulgavit. *Dissertationem* etiam de *Pane Azimo*, Typis paratam Parisiis misit; sed morte præventus ineditam reliquit, quæ *Ms.* asservatur in Bibliotheca Parisiensi Collegii Maubertini; teste R. P. Joanne-Baptista Charmes, in *Schedis Mss.* ad nos missis. Testimoniumque R. P. Cirono perhibet R. P. Thomas, Provinciæ Aquitaniæ Carmelita, sacræ Theologiæ Professor, ad Capitulum Generale Romæ, anno 1744. socius deputatus, & hodie Prior Cœnobii S. Antonini Carmelitarum, in *Scheda Ms.* ad nos missa, anno 1745. die 16. Maii. Cætera quæ pertinent ad R. P. CIRONUM, vide *infer. pag.* 362. *tom.* 2. verbo MARTIALIS A CONCEPTIONE.

C V.

JOANNES-BAPTISTA DURATIUS, Carmelita Genuensis, in Theologia doctissimus, qui anno 1622. affectus diuturno morbo, migravit è vita, longiori quidem vita dignissimus, nisi melior illum excepisset. Reliquit,

1. *Silvam conceptuum prædicabilium*, Ms.

2. *Sanctam Rosannam*, Comœdiam spiritualem Ms.

Hæc referunt Raphael Sopranus, in *Catalogo Scriptorum Ligurum*, Genuæ typis dato, anno 1664. & Augustinus Oldoinus, in *Athenæo Ligustico*, edito Perusiæ, anno 1680. *pag.* 318.

C V I.

JOANNES-BAPTISTA A S. EUPHROSINA, in seculo ARI nuncupatus, R. P. Prioris Generalis ARI ex fratre nepos, Taurini natus, anno 1667. inter Carmelitas professus die 2. Junii, anno 1688. è sacris Confessionibus Monialium S. Benedicti Astæ, bis Provinciæ Pedemontanæ Prior Provincialis, Linguâ Italicâ *Davidicos Psalmos* est commentatus; & Mss. asservantur Taurini in Bibliotheca Carmelitarum antiquiorum; teste R. P. Timotheo Bergeror, in Schedis Mss. anni 1748.

C V I I.

JOANNES-BAPTISTA FORMENTUS, Mediolanensis, Carmelitarum Ordinem Congregationis Mantuanæ ingressus, sub optimorum disciplina Præceptorum, Philosophicas primùm, mox Theologicas Quæstiones diligentissime scrutatus, magnam sibi eruditionem comparavit. Sacras quoque Conciones fervidissima facundia habere consueverat, quibus non modicum fidelium numerum ad meliorem vitam traduxit. Testatur quæ fuerit tanti viri do proximorum salute sollicitudo, Cœnobium, quod

Bononiæ condidit ; ut ibi mulieres quæ corpore quæstum fecissent, pœnitentiâ ductæ ad bonam frugem rediissent, alerentur. Conventûs *S. Joannis ad Concham* renunciatus Præsul, illum egregiè gubernavit: Quod etiam in Mantuano præstitit. Anno quoque 1661. universæ Congregationis suæ Vicarius Generalis electus fuit. Post illud munus optimè gestum, *Mediolanum* se recepit, ubi studiis tantùm sibique vivens, ad suæ annum ætatis 64. pervenit. Obiit à Christi Salvatoris ortu, anno 1585. Plurima post se relinquens Opera, quæ sunt :

1. *Disputationes de Pœnitentia*, Mss. *pagg.* 500. *Codex*, *in-4°.*

2. *Quæstiones in secundam secundæ D. Thomæ*, duobus contentæ tomis Mss. *in-4°.* Quorum primus est *paginarum* 486. secundus, *paginarum* 492.

3. *De Justitia & Jure.* Ms. Codex, *in-4°. paginarum* 492.

4. *Quæstiones variæ disputatæ.* Codex *in-4°.* justæ molis.

5. *In Philosophiam Moralem Aristotelis Commentaria*, duobus tomis Mss. contenta, quorum primus *in-4°.* continet paginas 400. & secundus similiter *in-4°.* complectitur totidem paginas 400.

Quadragesimale Ms. magnæ molis: Hæc omnia servantur in Bibliotheca S. Joannis ad Concham.

7. *Concio habita de S. Maria Magdalena*, *in templo S. Petronii Bononiæ*, quâ populum hortatus est, ut mulierum pœnitentium Cœnobium erigeretur. Ad quam alludebat Clemens Maria Felina, canens :

In terram ecce bonam frumentum decidit illud ;

Num Claustri spicam Concio sola parit.

Joannem-Baptistam Formentum celebrant Petrus Lucius, in *Catalogo Vicariorum Generalium Congregationis Mantuanæ* : M. Antonius Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 402. Philippus Picinellus, in *Athenæo virorum Litteratorum Mediolanensium*, *pag.* 279. Clemens-Maria Felina, in *Musæo Congregationis Mantuanæ*, *pag.* 52. Carolus Vaghus, in *Commentario Fratrum & Sororum illustrium* ejusdem *Congregationis Mantuanæ*, *pag.* 332. Philippus Argelatus, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 638. *num.* 716.

CVIII.

JOANNES-BAPTISTA GUILIOU, ANTONII GUILIOU filius, in villa *Dufraisse*, ad Parochiam *d'Ailly*, Diœcesis Claromontensis, tribus milliaribus ab oppido *Plauxensi* dissitâ, in superiori Alvernia natus. Natum tamen in Pago *S. Simonis* propè Aorillacum, Diœcesis *S. Flori*, in Alvernia itidem superiori eum arbitratur R. P. *Joannes-Baptista Charmes*. Noster GUILLIOU, peractis humaniorum literarum studiis in Collegio PP. Societatis-Jesu Moriacensi, vestem Carmelitarum in Conventu Plauxensi induit ; ubi & nomine VALENTINUS A S. JOANNE vocari cœpit. Emenso Philosophiæ & Theologiæ studio, ad utramque suos Sodales disciplinam edocendum diù detentus, in omnes suæ Aquitaniæ Provinciæ dignitates, exceptâ Provincialatûs Præfecturâ deindè avolavit.

Anno 1687. postulante serenissimo VICTORE AMEDÆO FRANCISCO Principe Sabaudiæ Duce, monente Rege Christianissimo LUDOVICO XIV. & jubente PAULO GOMBALDO A S. IGNATIO, Carmelitarum Priore Generali, missus est in Provinciam Pedemontanam, in qua Reformationis causâ promovendæ, Visitationi singulorum Conventuum accuratè & diligenter incubuit, eorum statum in spiritualibus & temporalibus recensens, cui disciplinæ regularis in ista Provincia propè modum extinctæ prompto, salutarique remedio subveniendum comprobavit. Verùm nimiis Regionis caloribus lacessitus, suam in Provinciam rediit, & in Conventum Mortui Maris secessit, in quo integrum Theologiæ cursum, quem juniores Theologi Sodales deinceps discerent, elaborandum R. Priore Generali incitante susceperat, morte sanctissimâ præventus, anno MAGNI VALENTINI nomine apud suos Sodales relicto, & hactenùs servato. Scripsit,

1°. *Relationem de statu spirituali & temporali Conventuum Provinciæ Carmelitarum Pedemontanæ*, ad Eminentiss. Palutium de Alteriis, Cardinalem Ordinis Protectorem *missam* : Cujus ipse Cardinalis meminit in *Decreto* dato Romæ, anno 1686. die 28. Januarii, sicuti legere est in *Bullario Carmelitarum*, *tomo* 2. *pag.* 640. *col.* 2. *lin.* 21.

2°. *Varios Theologiæ Tractatus*, quos morte præventus incompletos reliquit *Manuscriptos*, & in Bibliotheca Conventûs Rupefucaldensis servatos. In hoc enim Cœnobio illum obiisse asserit R. P. Joannes-Baptista Charmes, in *Schedis Mss. ad nos missis* : Sed in Monasterio Mortui Maris scribit ad nos R. P. Petrus Thomas, In *Epistola* ad nos data, anno 1745. die 16. Maii.

Alter VALENTINUS ejusdem Provinciæ Aquitaniæ Carmelita, P. ANDREÆ consanguineus, simul & Aurilliacensis patriâ, absolutis in Collegio Mabbertino Parisiensi studiis, variis in Conventibus Prior, Cœnobium Mortui Maris gerebat, anno 1721. & biennio subsequente. Sed in medio cursu sistit, mortalis hujus vitæ viam commutans cum cœlesti patriâ, anno 1736. cùm *Universæ Theologiæ plurimos Tractatus* inchoasset.

CIX.

JOANNES-BAPTISTA FERLITUS, natione Siculus, patriâ Panormitanus, Doctor Theologus, & quondam Lector Logicæ Disciplinæ in almo Pisarum Collegio, Provinciæ Angliæ Prior Provincialis, ac Regi Catholico Philippo II. à Consiliis & Rebus Theologicis : Vir singularis probitatis, excellentis ingenii, parisque eruditionis famâ celebris, atque vario scientiarum genere excultus. Floruit circà annum 1592. scribens

Lucubrationes Theologicas & Philosophicas.

Id testantur Petrus Lucius, in *Appendice ad Carmelitanam Bibliothecam*, *fol.* 82. *versu*, *lin.* 19. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 442. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico* : Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 189. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Ordinis Carmelit. pag.* 78.

C X.

JOANNES-BAPTISTA GRANELLUS, natione Italus, patriâ Mantuanus, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis ; si fides manebit penès Joannem-Mariam Pensa ; tametsi de eo nihil intersit Catalogo Ms. Doctorum Parisiensium Carmelitarum, ab anno 1270. ad annum 1664. ex Tabulis Academiæ Parisiensis, & ex Instrumentis Collegii Maubertini collecto. Ter fuit suæ Congregationis Mantuanæ Vicarius Generalis, annis scilicet 1523. Burcognani, 1529. S. Felicis in Ripetiâ, Salodii celebratæ. Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono, Nicolaus Ridolfi, Leonis Summi Pontificis X. nepos, Sanctæ Mariæ in Cosmedin, S. R. E. Diaconus Cardinalis, totius Ordinis Carmelitarum Protector, misit ordinationes nonnullas, quas etiam anno 1539.

die 29. Novembris renovavit, & ad nostrum Granellum direxit; cui etiam Granello & suæ Congregationis Fratribus ut concederetur Ecclesia S. Mariæ Florentiæ, scripsit ad Archiepiscopum Florentinum Paulus Romanus Pontifex, anno 1550. die 28. Octobris. Scripsit Granellus,

1. *In secundum Librum Sententiarum Commentaria*, quæ MSS. servantur Mantuæ in Bibliotheca Carmelitarum.

2. *Indicem homiliarum Petri Traversini*, Carmelitæ; teste Petro Lucio, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 73.

Granellum celebrant Petrus Lucius, *ibidem*: Joannes-Maria Pensa, in *Theatro Virorum illustrium Carmelitarum Conventûs Mantuæ*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 398. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 189. Carolus Vaghus, in *suo Commentario*, *pag.* 205.

CXI.

JOANNES-BAPTITA GUARGUANTUS, natione Italus, patriâ Socinas, Carmelita Mantuanæ Congregationis alumnus, Definitor & sæpiùs in ejus Conventibus Prior, Theologus Doctor & Professor Bononiensis, scripsit seu edidit,

1. *Orationem Angeli*, *Bergomensis Carmelitæ*: Cui præfixit *Epistolam nuncupatoriam* ad Joannem Hieronymum Albanum, S. R. E. Cardinalem. Bononiæ, anno 1574. *in-8°.*

2. *Relationem de Conventibus Carmelitarum Congregationis Mantuanæ Ms.* Quam sæpiùs citat Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1347. *num.* 7. *pag.* 587. 588. Item, *ad ann.* 1481. *num.* 5. *pag.* 953. ubi notat quod

Magister Baptista Guarguantus dum de suo Soncinensi Cœnobio agit pro anno 1468. extructam fuisse parvam ædiculam B. Virginis dicatam, ait: Episcopi Cremonensis auctoritate, posteà verò JOANNIS GALEATII, Ducis Mediolanensis, de anno 1481. possessionem Carmelitis confirmatam, indulgentiis decoratam perpetuis, Ecclesiam ab ALEXANDRO VI. an. 1501. eamque consecratam sub anno 1528. Plura etiam de Privilegiis huic Ecclesiæ concessis à Gregorio XIII. anno 1583. loquitur, quæ probant nostrum Guarguantum floruisse anno saltem 1584. & non tantùm anno 1574. ut loquitur Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*, *Ms. pag.* 189. Fratrem habuit nomine CORNELIUM GUARGUANTUM, Mantuæ defunctum, anno 1602. ut diximus, *pag.* 336. Carolus Vaghus, in *suo Commentario*, *pag.* 355.

CXII.

JOANNES-BAPTISTA DE LEZANA, editus fuit *Matriti*, die Novembris XXIII. anni M. DLXXXVI. Ibidem anno 1602. Ordinis Carmelitarum Sacramentum dixit. *Toleti*, Philosophiæ studiis, uti Salmanticæ cùm domi sub *Celsdonio de Sanctis*, Carmelitâ, tum in gymnasio sub *Joanne Marquez*, Augustiniano, & Compluti sub *Ludovico Montesino*, clarissimis harum Academiarum Professoribus, Theologiæ vacavit. *In Vallis-mauri* juxtà *Matritum*, oppido docuit jam ipse alios Aristotelem, *Toletique & Compluti* Sanctum Thomam; *Toleti* quidem nactus eximium sanctitate virum Michaelem Fontanum, cujus ad exemplum visus fuit semper mores religiosos, & Sapientiæ doctrinam componere. In eadem Toletana domo studiorum, & aliquando sodalium Præfecturam gessit.

Undè *Romam* venit anno 1625. ad Comitia Generalia; nec ab eâ toto vitæ spatio discessit, Præfectus studiorum & ibi ad S. Mariæ Transpontinæ Cœnobium, ac Theologiæ simul præceptor, verùm in hac Urbe perfectæ gloriæ theatrum adeptus. Inter tot enim Ecclesiasticæ hujus supremæ Curiæ sydera sivè doctrinæ, sivè prudentiæ, sive morum integritatis fulgore clarum, conspicuumque versari, præcipuoque apud omnes ordines loco haberi, maximè virum intrà claustra degentem, remotumque ab Aulæ ambitu & jactatione, res quidem est paucis hominibus, iisque illustrioris cujusdam virtutis, commendatione ornatis, concessa.

Interim socium egit quinque aut sex Priorum sui Ordinis Generalium, continuato sibi ab his honore, ex quo semel visus fuit ornare ipsum potiusquàm ab eo ornamentum accipere; idque mactus titulo cùm Saxoniæ, tùm Angliæ, tùm Terræ Sanctæ Provincialis præfecti. A summis Pontificibus URBANO VIII. in Consultorem S. Congregationis, quam *Indicis* vocant, & INNOCENTIO X. ejus, quæ à *sacris Ritibus* cognomentum habet, propter insignem doctrinam fuit coaptatus, & ab ALEXANDRO VII. creatus tandem motu proprio, ut vocant, anno M. DCLVIII. Generalis in Urbe totius familiæ Procurator: ascendissetque ad supremam illius Præfecturam, jam ab anno M. DCXLV. tantum si exorari potuisset, ut rem sollicitantibus assensum commendasset.

Præterea in Gymnasio Sapientiæ Romanæ totos sexdecim annos docendæ Metaphysicæ inter tot occupationes locum fecit. In hoc certè homine Sapientia & pietas, doctrinæ excellentia, & modestiæ ac prudentiæ dotes sic æqualiter, maximèque floruerunt, ut neutrâ harum virtutum alteri concedente ad formandum omnes, veluti datâ operâ, virum undique clarissimum conspiraverint. Castissimus, abstinentissimus fuit, quod macies corporis satis prodebat ossibus tantùm, pelleque veluti constantis. Quod tamen frequenti flagellatione atque aliis asperitatibus castigare nunquam destitit: Choro, Cellæ, ac studiis domi suæ, foris autem exercitio munerum suorum assiduus & intentus; B. V. Mariæ cultor insignis obiit Romæ, ingenti bonorum omnium ac Literatorum dispendio & mœrore, nec sinè egregiâ quâdam laudatione, virtutum exemplar posteris futurum: vitæ piissimæ ac religiosissimæ transactæ die XXIX. Martii, anni M. DCLIX. ætatis suæ LXXIII.

Hactenùs verba sunt Nicolai Antonii, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 490. & 492. Quibus non dissimilia sunt ea quæ R. P. Godefridus Henschenius, Societatis Jesu Sacerdos eruditissimus, in Præfatione Libri vitæ S. Petri Thomasii, Patriarchæ Constantinopolit. secundis curis ab eo editæ Antuerpiæ anno 1659. ubì hæc leguntur:

» Eximius Pater Joannes-Baptista de Lezana ....
» (quæ præcipua scriptoris laus est) quas aliis pro-
» posuit S. Thomasii virtutes, suis ipse moribus, &
» vitâ religiosâ expressit. Fuit uterque & S. Petrus
» & P. Lezana Ordinem Carmelitarum professus,
» sacræ Theologiæ Doctor, Procurator Ordinis Ge-
» neralis, ac Pontificius Orator. Libris editis uter-
» que excelluit, iisque Dei-paræ Virginis Mariæ
» (cujus uterque eximius extitit cultor) Immacula-
» tam Conceptionem propugnavit. Fuit S. Petrus
» eximius Doctor Parisiensis, ac primus è fundato-
» ribus Theologicorum apud Bononienses studio-
» rum: & Doctor excellens Lezana, in Archigym-
» nasio Romano publicus Sapientiæ divinæ Lector,
» scriptis Theologicis, Juridicis, Historicis, Asce-
» ticis clarus. S. Thomasius pro Terrâ Sanctâ recu-
» perandâ Legatus Apostolicus: venerandus Pater
» Lezana, ejusdem Terræ Sanctæ (in qua Ordo Car-

» melitanus olim exortus est) Provincialis compluries nominatus. Idem multorum Generalium Assistens & socius : atque ad illam supremam dignitatem, ut Generalis Ordinis universi crearetur, multorum votis, suffragiisque expetitus. Quæ omnia S. Petrus in Ordine minimè obivit : quippè jam antè à summis Pontificibus ad Episcopalem, Archiepiscopalem, Patriarchalem Thronos exaltatus. Fuit Doctor Lezana Controversiis Regularium dirimendis occupatus, à Sede Apostolicâ constitutus sacræ Congregationis Indicis Consultor, & Beneficiorum Examinator perpetuus. Ab eadem Sede S. Petrus ad Principes, Reges, Imperatores Nuncius missus, & pacem sæpiùs inter dissidentes composuit, & Imperatorem Constantinopolitanum ad concordiam cum Ecclesia Romana ineundam, à Schismate reduxit, ac perpetuus fuit hæreticæ pravitatis Inquisitor Generalis.

» Sed dum utriusque res gestas ex *Parallelis* conferre meditor, Literis Romà ad nos datis intelligimus eximium Lezanam, habitum hactenùs Romæ inter primarios viros ingenio & vità conspicuos, nec minori æstimatione religiosæ virtutis, vità functum esse. Ita indè nostræ societatis Sacerdos scribebat, paucis multa complexus : ut, quam meritis & intercessione B. Petri Thomæ sperarat Lezana salutem animæ suæ, ac vitam æternam, consecutus videatur ; & ipso quidem, quo hinc migravit, Festo S. Bertholdi, primi Latinorum Ordinis Generalis : à cujus exordio tomum ultimum Annalium fuerat auspicatus.

» At quam lectu jucundum foret, si quis diù usus optimi Patris Lezanæ convictu, ipsius ac S. Petri eximias mentis exercitationes conferret, assiduam utriusque inter tot occupationes in precibus ad Deum fundendis, ac Divino Officio peragendo pietatem utriusque accuratam disciplinæ Monasticæ curam, ac sollicitudinem, quam edito de ea Libro testeram suæ virtutis posteris reliquit Lezana. Piè existimandum, translatum ad felicissimam S. Petri Thomasii, aliorumque Cœlitum Societatem Lezanam, dierum ac bonorum operum plenum, utpotè septuagenario jampridem majorem. Hoc evicit sensus judiciumque Sanctissimi Pontificis Alexandri VII. quem ferunt, intellectâ ejus morte, qui Dominicâ præcedente coràm illo peroraret, & statim posteà magnâ cathari fluxione correptus, sexto sui morbi die, post omnium Sacramentorum susceptionem præmunitus decesserat, sæpiùs ingeminasse, *Patrem Lezanam virum sanctum fuisse.*

OPERA R. P. JOANNIS-BAPTISTÆ LEZANÆ.

1. *Apologeticus Liber pro Immaculata Dei-paræ Virginis Conceptione.* Matriti, apud viduam Alphonsi Martini, 1616. *in-4°.* Laudat hunc Librum Ferdinandus de Salazar, in Opere suo ejusdem argumenti, *cap. 10. num. 7. pag. 69.*

2. *De Regularium Reformatione*, seu, *de Disciplina Religiosa ad normam & exemplar SS. Patrum & Monachorum. Opus totum ferè ex Patribus compactum.* Romæ, apud Andream Phocum, seu Feum, 1627. Atque iterùm apud eumdem, anno 1641. *in-4°.* Coloniæ autem, anno 1629. *in-12.* Quarto Romæ, Typis ejusdem Fei, anno 1646. *in-4°.* Quinto Lugduni, 1655. insertus *Quæstionibus Regularibus*, volumine primo, *pagg.* 177. Librum eumdem Gallico idiomate donavit Jacobus Brousse, Albertus, Canonicus S. Honorati Parisiensis, qui id ipsum affirmavit R. P. Ludovico Jacob Carmelitæ, die 16. Februarii, anno 1668. Utrùm verò ista versio Gallica Typis tradita, compertum non habeo.

3. *Summa Quæstionum Regularium, seu de casibus conscientiæ ad personas Regulares utriusque sexûs valdè spectantibus*; tomis quinque *in-4°.* Quorum

Primus tomus Romæ prodiit primùm, anno 1637. apud Hæredes Guillelmi Facioti, *in-4°.* Iterùm auctior, anno 1634. Venetiis, *in-4°.* apud Franciscum Babam, & Duaci, 1646.

Secundus Tomus Romæ primùm, anno 1637. ex officina Vitalis Mascardi. Venetiis, apud Franciscum Babam, anno 1640.

Tertius tomus Romæ, ex officina ejusdem Mascardi, anno 1641.

Quartus & tertius tomus, Venetiis, anno 1551. sed quartus separatim Romæ, anno 1644.

Quintus, super Mare magnum Ordinum Prædicatorum, Minorum, Carmelitarum, cum ipsorum regula, Servitarum, &c. Romæ, anno 1647. apud Andream Phocum. Venetiis, apud Babam, anno 1653. *in-folio* : ubi & recusi sunt quatuor alii priores tomi, apud Juntas, anno 1659. *in-folio.* Hujus summæ editio Lugdunensis prodiit, anno 1655. quatuor tomis distincta, *in-folio.*

4. *Columna immobilis*, & *Turris Davidica*, *seu de Angelicæ, Apostolicæ & miraculosæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris de Columna, Cæsar-Augustanæ, perpetua Cathedralitate.* Braciani, apud Jacobum Phocum, anno 1655. *in-4°.* Iterùm Lugduni, apud Philippum Borde & socios, anno 1656 *in-4°.*

5. *Turris Davidica, Dissertatio* : nempè altera super eodem argumento. Romæ, apud Andræam Phocum, eodem anno 1656. *in-4°.* Quæ duo inserta sunt editioni Lugdunensi *Consultorum*, de quibus mox dicturi sumus.

6. *Consulta varia Theologica*, & *juridica*, & *Regularia.* Venetiis, apud Franciscum Babam, anno 1656. *in-folio. Consulta* quidem ex tertia parte auctiora quàm in priori editione Veneta : itemque Tractatum de *Disciplina Religiosa*, de qua superius *num.* 2. Inter hæc autem, præcipuè attendenda occurrunt,

Prima Consulta de conditionibus requisitis ad Canonizationem seu Beatificationem Sanctorum.

Secunda, de Sanctis Religionum non canonizatis, &c.

Tertia, de Officio S. Eliæ Prophetæ. De quo nonnulla exscripsit Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. *speculi Carmelitani, pag.* 44. *num.* 167. Ibidem, *pag.* 584. *num.* 2054.

Quarto, de comminante se infamaturum aliquam Religionem.

Quinta, de Meretricio, an in Republica permittendo.

Sexta, de Opinione singulari unius Doctoris ; an tenenda.

Septima, de Columnâ immobili, &c. Cujus mentio facta est paulò superiùs *num.* 4.

Octava, de Matrimonio cujusdam Principis Catholici cum fœmina Hæretica.

Nona, de singularissimo Petri Papatu in Ecclesiam, D. Paulo Apostolo etiam excluso.

7. *Appanagium, seu de quodam prætenso testamento serenissimi Principis* PHILIBERTI A SABAUDIA, *& hærede in ipso instituto, pro serenissima Infante* MARIA A SABAUDIA, *Theologica Consultatio.* Bracciani, an. 1654. *in-4°.* seu Romæ, apud Jacobum Phœum, *Consultis Juridicis*, &c. jam id Opus immixtum fuit in editione Lugdunensi.

8. *Maria Patrona, sive de singulari sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ patrocinio & patronatu in sibi devotos.* Romæ, anno 1648. *in-4°.* apud Vitalem Mascardum ; & *cum appendice* quadam, Bruxellis, Typis Joannis Mommartii, anno 1651. *in-12.* quam

J.

quam Carmelitæ Bruxellenses dedicarunt Serenissimo Principi CAROLO III. Duci Lotharingiæ. Compendium autem *Mariæ Patronæ* inseruit Daniel à Virgine Mariâ, *tomo primo speculi Carmelitani*, *pag.* 434. *num.* 1719. *& seqq. in-folio.*

9. *Hispanicè, vida de la Bienaventurada y estatica Virgen Maria Magdalena de Pazzi, Florentina, monja Carmelita, beatificada por la Santidad de Urbana VIII.* ex Italico idiomate per eum translata. Romæ apud Vitalem Mascardum, anno 1648. *in-4°.* Atque iterum Cæsar-Augustæ, apud Joaonem de Ybar, anno 1650. *in-4°.*

10. *Summa Theologiæ sacræ*, *tribus* tomis contenta.

Primus, toti Primæ S. Thomæ Aquinatis responder parti, Romæ editus anno 1651. apud Vitalem Mascardum, *in-folio.*

Secundus, toti Primæ secundæ. Romæ, apud Jacobum Phœum, 1654. *in-folio.*

Tertius, continet tractatus de *Fide*, *Spe*, *& Charitate*, *Prudentiâ*, *Fortitudine*, *Temperantiâ*, *& Gratiâ gratis data.* Romæ, apud Jacobum Phœum, an. 1658. *in-folio.*

11. *Annalium sacri, Prophetici & Eliani Ordinis B. V. Mariæ de Monte-Carmeli, ab Eliâ primo ipsius Patriarcha, usque ad Christum servatorem, &c.* Tomus primus ad Cardinalem Marium Ginettum, Ordinis Carmelitarum Protectorem. Romæ, ex Typographiâ Vitalis Mascardi anno 1645. *in-folio.* Hunc tomum approbarunt Antonius Marinatius, Provincialis Carmelitarum Daciæ, & in Romanæ Sapientiæ Gymnasio Professor Theologiæ Moralis: Justinus ab Epiphania, Provinciæ Turoniæ alumnus Carmelita, Theologus, & ejusdem Provinciæ Procurator: Melchior Inchofer, Societatis Jesu Sacerdos, asserens quod » R. P. Lezana » pluribus aliis ingenii, & doctrinæ sanæ, solidæ» que munimentis, publico bono jam pridem cla» rus, in iis sit semper sui similis; in hoc prætereà » ob variam & reconditam sacrorum, eruditionem, » se ipso major est, nihil ut in medium afferat, » quod in Historiæ genere, aut ex sacra scriptura, » Sanctorumque Patrum placitis certum non sit, » aut Doctorum catholicè sentientium opinione re» ceptum, aut denique inoffenso pede accuratè li» bratum.

12. *Annales ejusdem Ordinis, &c. tomus secundus à Christo & Joanne-Baptistâ usque ad Joannem XLIV. Patriarcham Hyerasolimitanum.* Ad R. P. Mag. Joannem-Antonium Philippinum, totius Ordinis Carmelitarum Priorem Generalem. Romæ, anno 1550. apud eumdem Mascardum, *in-folio.*

13. *Annales ejusdem Ordinis, &c. tomus 3. à Joanne XLIV. Patriarcha Hierosolimitano & S. Basilio usquè ad S. Bertholdum, primum Priorem Generalem Latinum.* Ad Alexandrum VII. Pontificem Maximum. Romæ; anno 1653. apud eumdem Mascardum, *in-folio.*

14. *Annales ejusdem Ordinis, &c. tomus 4. à tempore S. Bertholdi usque ad ortum S. Teresiæ: id est ab anno 1141. ad annum 1515.* Ad Flavium Cardinalem Ghisium, Alexandri VII. ex fratre nepotem. Romæ, apud Jacobum Phœum, anno 1656. *in-folio.*

Hic tomus est in quo, ad annum 1171. *num.* 7. *pag.* 71. Lezana loquens de Carmelitis qui scripserunt Regulam Alberti eis datam fuisse eo anno 1171. ait: » sed quænam ansam præbuerunt doctis multis » Religionis Scriptoribus, qui errori prædicto sub» scripserunt? Sanè si dicere licuisset, inscitiæ tem» porum Chronologiæ rem adscriberem. Nam de » tempore, quo Albertus Vercellensis Regulæ nostræ » Autor ad Hierosolymitanam Sedem assumptus est, » oblivio penitùs apud nostrates ex Syria ob Bar» barorum rabiem ejectos, extabat.... Undè, qui » prædictam Innocentii Bullam cum Regulæ data » subscribunt, nedum corrigendi, sed expungendi » sunt: cum quod in Registro non extat, in exem» plari apponere non vereantur. Idem Judicium esto » de alia Bulla Honorii, in qua Regula etiam cum » prædicta Commentitia data conspicitur.

Quibus Lezanæ verbis attentis, R. P. Papebrochius *tomo* 1. mensis Aprilis, in Prologomenis ad vitam S. Alberti Patriarchæ Hierosolymitani, die 8. *cap. num.* 75. addit: *Quam censuram, ut plurium similium imposturarum auctoribus partim jam convictis, partim deinceps convincendis applicent alii, per me licet: Utinam exempla non uno doctus Lezana, cautiorem se gessisset, in novis narrationibus recipiendis fortassis superfluum duxisset, implere tres tomos ab Elia ad Bertholdum de rebus ad Ordinem suum (saltem ut est Ordo distinctus ab aliis Eremiticis) nihil, ut perparùm attinentibus.*

OPERA MANUSCRIPTA:

15. *Annales sacri, Prophetici, & Eliani Ordinis Beatiss. Virg. Mariæ de Monte Carmeli, &c. Tomus quintus*, quem morte præventus Autor non absolvit, & inchoatum legit Romæ, anno 1639. Ludovicus Jacob, beneficio ipsius Lezanæ.

16. Apologia pro S. Dei Propheta Elia ab Ecclesia invocando, & ejus Officio Canonico à Sede Apostolica concesso: Ad Sanctiss. Dom. Nostr. Urbanum VIII. Apologiam istam propriâ manu excripsit Romæ, anno 1639. Ludovicus Jacob ex ipsius autographo, & posteà in Galliis commodavit R. P. Dorotheo à S. Renato, Carmelitæ Provinciæ Turoniæ alumno, qui eâ usus est in suis Gallicè editis *Commentariis Theologicis in Libros Regum*, *tomo* 1. *Quæst.* 10. *sect.* 111. *pag.* 217. & 218.

17. *Informatio pro Revelatione Beatiss. Virg. Mariæ, factâ B. Simoni Stockio, Ordinis Carmelitarum Generali.* Asservatur Manuscripta Romæ, in Bibliotheca Carmelitarum S. Mariæ Transpontinæ: ex qua colligi potest utrùm diversa sit ab ea Relatione, quæ inserta est, *tomo* 4. *Annalium*, *à pag.* 330. *ad paginam* 344.

18. *De Monachatu S. Joannis-Baptistæ in Carmelo, Tractatus.* Insertus videtur *tomo* 2. *Annalium.*

19. *Epigrammata pro Festis, Feriisque S. Virginis Teresiæ.*

20. *De Auxiliis Gratiæ*, Dissertatio prælo parata, sed ab Innocentio X. suspensa, anno 1653. die 20. Martii; sicuti legitur in *Diaria Ludovici de sancto Amore*, circà *negotium quinque propositionum edito*, *pag.* 424. *col.* 1. *lin.* 1.

21. *Votum circà recentiores propositiones*, in negotio quinque propositionum Jansenii *super additas*, anno 1653. die 13. Aprilis; prout refertur in *eodem Diario*, *pag.* 427. *col.* 2. *lin.* 23.

22. *Vita B. Mariæ Magdalenæ de Pazzi, Carmelitæ Florentinæ.* Hispanicè.

23. *Oraculum B. Cyrilli Eremitæ Montis Carmeli, cum expositione Abbatis Joachim, & mutuis utriusque Epistolis, ex duplici exemplari Bibliothecæ Vaticanæ extracta, cum aliis collata, emendata, & marginalibus notis illustrata.* Ad Cardinalem Franciscum Barberium. Dubitat Nicolaus Antonius utrùm illud Opus fuerit editum; sed partim prodiit & sparsim insertum est *tomo* 4. *Annalium Carmelitarum*, ubì hujus varia adfert, & exponit, ac jam implera esse declarat Lezana.

Videri poterit ad annum 1266. *num.* 4. Ad annum

J.

1276. *num.* 3. ubì *de Imperii Græcarum defectione ab Ecclesia Romana.* Ad annum 1283. *num.* 2. & 3. ubì *de Regibus Siciliæ & Neapolis.* Ad annum 1305. *num.* 2. Ad annum 1328. *num.* 2. *de magna Ecclesiæ calamitate, quæ contigit circà illa tempora.* Ad annum 1336. *num.* 5. Ad annum 1378. *num.* 2. 3. & 4. ubi *de perniciciosissimo Schismate* à S. Cyrillo prædicto. Ad annum 1500. *num.* 2. ubì *de CAROLO V. & gestis ejus.*

Non ita sentiebat R. P. Daniel Papebrochius, in Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum, quæ præfixa est tomo tertio Maii, *pag.* 51. *num.* 213. scribens: » suspecta nobis est, » tum Epistola ejusdem (Cyrilli) ad Abbatem Joa» chim, quà petit interpretationem Oraculi sibi per » Angelum traditi, tum responsio ejusdem ad jam » dictum Cyrillum hoc exordio: *Stellæ manenti in » ordine Sanctitatis, in formula honestatis, in nidu» lo parcitatis, orbem opacum, deformem, squali» dum virtutibus illustranti, moribus informanti, » exemplis ornanti, Cyrillò Presbytero in Monte » Carmelo* &c. Quæ Joachimi stylum, ex ejus ope» ribus cognoscendum, nullatenùs sapiunt, neque » congruunt sanctæ simplicitati; ut de ipso, quod » ad Cyrillum delatum dicitur oraculo, nihil pro» nuntiem. Suspicio autem R. P. Papebrochii elevanda est testimoniis Autorum fide dignorum, quos laudavimus *super pag.* 658. & 659.

Joannem-Baptistam de Lezana laudibus extollont Summi Pontifices Urbanus VIII. Innocentius X. & Alexander VII. in Diplomatibus quæ leguntur in *Bullario Carmelitarum, tomo* 2. *pag.* 494. 497. & 525. Leo Allatius, in *Apibus urbanis, pag.* Hippolytus Marraccius, in *vindicatione S. Catharinæ Senensis, cap.* 9. Odericus Raynaldus, *tomo* 16. *Annal. Ecclesiastic. an.* 1366. *num.* 17. Lucas Wadingus, in *vita S. Petri Thomæ:* Ferdinandus Quirinus de Salazar, in *tract. de Conceptione B. V. Mariæ, cap. X. num.* 7. Joannes Eusebius Nierembergius, in *Parthenicis Marianis, parte* 4. Joannes Martinez de Prado, Dominicanus, in *Moralibus Opusculis.* Theophylus Raynaudus, in *Scapulari Parthenico-Carmelitico, parte* 1. *cap.* 4. *pag.* 71. & 103. Franciscus Macedo, in *Diatriba de adventu S. Jacobi in Hispaniam*... Aubertus Miræus, in *seculi XVII. Bibliotheca Ecclesiastica, cap.* 196. Petrus Scherlogus, in *Explanatione historica de Sponso humano, sect.* 3. *num.* 16. Bruno Chassaing, in *Privilegiis Regularium:* Joannes Tamayo Salazar, in *Præfatione Martyrologii Hispani.* Franciscus Pellizzarius, in *Tractatu de Monialibus.* Augustinus Barbosa, de *Officio & Potestate Episcopi.* Petrus Joffredus, in *Nicæa civitate, sacris monumentis illustrata:* Joannes-Baptista Cancellotus, in *Annalibus Marianis, tomo* 1. *Anno Virginis Mariæ LXIV. num.* 3. Antonius Gabata, in *vita Innocentii X. sub finem.* Julius Clemens Scoti, in *animadversionum Opusculis, cap.* 5. quod Lezanæ dicavit Melchior Inchoffer, in *Approbatione* prævia, *tomo* 1. Annalium Ordinis Carmelitarum. Messanenses cives, grati memoriæ tanti viri à quo propugnatam *Divæ Virginis laudatam Epistolam* recordabantur, integro et *Carminum libello*, qui excusus fuit in ea urbe, parentaverunt: Joannes Bollandus, in *vita S. Cyrilli:* Ludovicus de sancto Amore, in *Diario* Gallicè edito, *circà negotium quinque Propositionum, pagg.* 195. *col.* 2. *pag.* 324. *col.* 1. 418. *col.* 2. 424. *col.* 1. & 427. *col.* 2.

E Carmelitis, Gregorius Canalius, in *Præfatione ad Constitutiones Ordinis* editas, anno 1625. Albertus Massarius, in *Approbatione primi tomi Annalium* 1643. Joannes-Antonius Philippinus, in *Approbatione*, seu *facultate imprimendi tertium tomum, anno* 1652. Marius Venturinus, in *facultate imprimendi tomum quartum, anno* 1655. Mathæus Orlandus, in *Epistola Encyclica*, ad universos Ordinis Carmelitarum Religiosos *scripta, anno* 1670. *die* 16. *Septembris.* Hi quinque fuerunt hujus Ordinis supremi Moderatores. Sequuntur alii plurimi parem P. Lezanæ laudem conferentes, inter quos non omittendi Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 180. & *seqq.* Irenæus à S. Jacobo, in *Tractatu Theologico, de singulari Immaculatæ Virginis protectione, cap.* 3. §. 3. *pag.* 228. 562. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 507. Dorotheus à S. Renato, in Commentariis super Libros Regum, *tomo* 2. *pag.* 224. 294. 538. 597. 640. 657. 669. 865. 896. 938. &c. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 2000. *num.* 3500. Ibidem, *pag.* 1078. *num.* 3775. Collegium Salmanticense, *Tract. de peccatis, Disput.* 15. *num.* 524. Dominicus à SS. Trinitate, in *Bibliotheca Theologica, Sect.* 4. *cap.* 3. Isidorus à S. Joseph, *tom.* 1. *Annal. Carmelit. Excalceat. Congregat. Ital. cap.* 13. Vide *inferiùs tomo* 2. *pag.* 821.

CXIII.

JOANNES-BAPTISTA MAGNETUS, natione Subalpinus, patrià Vercellensis, Doctor Theologus, ac Philosophiæ in Conventu Carmelitico Astæ Pompeïæ apud Ligures ad Tanarum Fluvium Professor, vir Literis clarus, Concionator celebris, circà annum 1612. scribens,

1. *Orationem* habitam *Alexandriæ della paglia*, in Capitulo Provinciali Lombardiæ.
2. *Sermones Quadragesimales*, & *de Sanctis.*
3. *Summarium Miraculorum B. V. Mariæ de Monte Carmelo.* Neapoli.

De illo loquuntur Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli:* Lodovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 191. facile crederem eumdem esse cum eo qui dicitur

CXIV.

JOANNES-MARIA BLANCUS, Vercellensis Carmelita, Doctor Theologus, & divini verbi Annunciator. In pluribus & celebrioribus Italiæ urbibus summa cum laude Conciones habuit circà annum 1590. & præcipuè Mediolani. Scripsit *Sermonum Volumen* unum, teste Andreà Rossotti, in *Syllabo Scriptorum Pedemontii, pag.* 372.

CXV.

JOANNES-BAPTISTA MANNUS, natione Siculus, Carmelita Drepanitanus, vir doctrinâ, morumque innocentià clarus. Cœnobium Drepanitanum laudabiliter rexit, ubì vitam traduxit regulari viro dignam; & ob egregias virtutes, quibus ornatus affulsit, magnâ apud omnes æstimatione valuit. Numeris omnibus absolutus, Drepani fato cessit 25. Novembris, anno 1646. In Ecclesià Cœnobii Drepanitani sepultus jacet his Carminibus laudatus.

Hic subsunt Manno Venerabilis ossa JOANNIS,

Quem Drepanum genuit, Virginis ordo tulit.

Edidit Italicè. *Brieve Descritione dell' Effigie della Gloriosissima Sempre Vergine Madre di Dio Signora Nostra, e del modo, che fù trasferita, e poste nel Venerabile Convento detto dell' Annuntiata dè Padri Carmelitani Suori delle mura della invictissima Città*

di Trapani. Panormi, apud Decium Cyrillum, anno 1634. *in*-8°. Ad Theodorum Stratium, Ordinis Carmelitarum Priorem Generalem, nuncupata. De qua vide quæ diximus, *supra pag.* 254.

Joannis Mannus mentionem habent Hippolytus, in *Bibliotheca Mariana*, *parte* 1. *pag.* 755. Vincentius Nobilis, in *Thesauro abscondito*, *cap.* 23. *pag.* 775. & *cap.* 24. *pag.* 803. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1230. *pag.* 271. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana*, *Mf. pag.* 226. Daniel à VirgineMariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 1078. *num* 3740. Antoninus Mongitor, in *Bibliotheca Sicula*, *pag.* 374.

CXVI.

JOANNES-BAPTISTA REMENDADO, ob egregiam negotiorum componendorum dexteritatem cognominatus, in seculo JOANNES HERNANDEZ dictus, natione Hispanus, patriâ *Pedratensis*, Carmelita Excalceatus, *Pastranæ* anno Christi 1575. professus, postea Prior, deindè Provinciæ Castellæ Veteris, quæ S. Eliæ titulo decoratur, Vicarius Provincialis, & Definitor suæ nascentis Congregationis anno 1587. electus; tum anno sequenti 1588. prædictæ Provinciæ Castellæ Veteris Præfectus: Vir ob morum candorem, vitæ puritatem, judiciique maturitatem, consilii prudentiam, regiminis experientiam, religionis sanctitatem, ac eruditionis famam valdè commendabilis. Obiit *Pintiæ* seu *Vallisoleti*, cum magna sanctitatis opinione anno 1600.

Noster Joannes-Baptista, simulque Blasius à S. Alberto, Cœnobii Medinæ de *Rio-Seco* Præfectus, & Thomas à Jesu Mariâ, ædis Hermenegildo Martyri sacræ, Matritensis sub-præfectus, jussu Nicolai Doria à Jesu Mariâ, Vicarii Generalis, anno M. DXC. habiti apud Matritum Conventus conscripserunt

La Instruccian de Novicios Descalços de la Virgen Maria de Monte Carmelo. Matriti, anno 1591. *in*-8°. sicuti refert Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 437.

Joannis-Baptistæ de Remendado honorificam habent mentionem Franciscus à S. Mariâ, *tomo* 1. *Historiæ Reformationis* S. Teresiæ. *tomo* 1. *Lib. IV. cap.* 13. §. 7. & *tomo* 7. *Lib. VIII. cap.* 38. Hieronymus à S. Joseph, *tomo* 1. *ejusdem Historiæ*. Idem, in *Vita Joannis à Cruce*. Philippus à SS. Trinitate, in *vita Joannis de Ronda*, quæ prodiit in *Decore Carmeli*, *parte* 2. *pag.* 62. *lin.* 43. Joannes Caramuel, in *Vita Dominici à Jesu Maria*: Ludovicus à S. Teresiâ, in *Successione Eliæ*, *cap.* 278. *pag.* 645. *lin.* 10. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Scheda Mf.* quam citat Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf.* ad Schedam Mf. affixam *pag.* 191.

CXVII.

DISSERTATIO

De Vita & Scriptis JOANNIS-BAPTISTÆ RUBEI.

JOANNES-BAPTISTA DE RUBEIS, ex nobili & illustri familiâ satus, *Ravennæ* ortum accepit anno 1507. die 4. Octobris, horâ 10. min. 15. post meridiem, inquit (*a*) FRANCISCUS JUNCTINI, in *Commentariis super Claudii Ptolemæi judiciis Astrorum*. Admodùm juvenis, in patrio monasterio vestem induit RUBEUS Carmelitanam: nam anno 1524. in Capitolo Venetii celebrato, Rubeus à Priore Generali NICOLAO AUDET in Conventum *Senensem* studiis vacaturus, destinatus fuit; die ultimâ Maii 1534. Lector Biblicus (ut loquebantur) institutus, die 17. Octobris 1536. Baccalaureatûs gradum ab eodem (*b*) Reverendissimo Patre accepit, in Monasterio *Patavino*, Professor Theologiam legebat anno 1542. atque Magister anno 1547. vocatus in literis præfati AUDETI, qui *Romam* eum negotiorum Ordinis Actorem misit; ubi adeo claruit doctrinâ, ut à PAULO III. summo Pontifice in Archigymnasio *Sapientiæ* Lector publicus fuerit nominatus, teste Hieronymo Rubeo, in *Histor. Ravennat. Lib. IX. sub eod. an.* 1547.

Fuit enim JOANNES noster eruditissimus Theologus, Philosophus celebris, linguarum Græcæ, Latinæ, Italicæ, Hispanæ peritus, Sermone disertus, stylo duriori delectatus; (*bb*) Cæsarem scilicet aut Titum Livium, quam Ciceronem Latinè visus est magis exprimere. Multa erudite conscripsit Theologica, in diversis Collegiis speculativas scientias publicè docuit, plurimosque insignes habuit discipulos; nec sibi minorem comparavit famam ex facundis ad populum habitis concionibus. JACOBO SADOLETO, Cardinali fuit à rebus Theologicis necnon à Consiliis: sacri Concilii Tridentini Consultor, PII IV. ad Ferrariæ Ducem Legatos, & NICOLAO AUDET mortuo, Florentiæ die 7. Decembris, Vicarius (*c*) Generalis ab eodem summo Pontifice die 16. ejusdem mensis Decembris 1562. institutus. Obtinuit hujus Papæ nepotem S. CAROLUM BORROMÆUM (*d*) Cardinalem, in sui Ordinis Protectorem; quo Præside in Comitiis Romæ celebratis die Pentecostes anno 1564. ipse ad supremum Familiæ Carmelitanæ moderamen assumptus est Prior Generalis, diè 21. Maii in Conventu S. Martini.

Quantâ sollicitudine honorem suæ sodalitatis promoverit, gesta probant in Italia, Sicilia, Lusitania, Hispania & Gallia. Verus (*e*) *Transpontinam* Cœnobium in civitate *Leonina* constructum, quod pro fortificatione, struendisque aggeribus Arcis *S. Angeli* dirui & solo adæquari jusserat Pius IV. ad civitatem *Piam*, ejusdem Pontificis nomine dictam, translatum ædificare cœpit: (*f*) *Mantuanam Congregationem* justos ad limites adstrinxit: Moniales (*g*) *Florentinas* Carmelitanas jure suo visitavit: Cœnobii (*h*) *Cellani* in Marsicana Diœcesi fundationem promovit: fundationem Conventûs in Terra (*i*) *Hierocarni*, Diœcesis Melitensis, accepit: Capellaniam (*k*) *SS. Simonis & Judæ* in Ecclesia oppidi (*l*) Montiscalerii, Diœcesis Taurinensis, perpetuo uniri curavit Carmelitico Cœnobio ejusdem loci: Curam parochialis Ecclesiæ *S. Agathæ*, (*m*) in Regione Transtiberina sitæ, transferri ad Ecclesiam parochialem *S. Chrysogoni* fecit; & Ecclesiam *S. Hilarii* (*n*) Casalensis incorporari Carmelo novo hujus civitatis.

Apostolici (*o*) Visitatoris & Commissarii munere decoratus à summis Pontificibus Pio IV. anno 1565. die Martii, & Pio V. anno 1566. die 24. Februarii (juxtà stylum Romanum) Lusitaniam & Hispaniam visitavit. In Lusitania quidem *Olisipone*

[*a*] Junctin. *tomo* 1. *pag.* 326. & *tom.* 2. *pag.* 1162.

[*b*] Registrum Audeti, *Mf. fol.* 29.
[*bb*] Petrus Lucius, in *Carmelitana Biblioth. pag.* 42.
[*c*] Bullar. Carmelitar. *tom.* 2. *pag.* 124.
[*d*] Ibid. *pag.* 129.
[*e*] Ibid. *pag.* 137. & 138.
[*f*] Ibidem, *pag.* 163. & 177.
[*g*] Ibid. *pag.* 132.
[*h*] Ibid. *pag.* 175.
[*i*] Ibid. *pag.* 280.
[*k*] Ibid. *pag.* 181.
[*l*] Ibid. *pag.* 186.
[*m*] Ibid. *pag.* 127.
[*n*] Ibid. *pag.* 134.
[*o*] Ibid. *pag.* 134. & 143.

J.

ſub Quintu Kalendas Januarii concionem Catalano Sermone dixit coràm Rege, Reginaque & Regni Proceribus, in Templo Metropolitano; quod intrà & alteram Kalendis Januarii an. 1567. concionem idiomate eodem habuit apud Oliſiponenſes Equites, magno plauſu omnium. Jam in Hiſpaniam perrexerat anno 1566. ubi à PHILIPPO II. Rege Catholico benignè acceptus, Capitulum Provinciale *Hiſpali*, quo ducenti & amplius Carmelitæ convenerant, die vigeſimâ Septembris celebravit, & *Conſtitutiones* ibi promulgavit, atque JOANNEM QUIROS in Provincialem eligi curavit. Ex Bætica in Caſtellam veterem tranſiens, alia Comitia Provincialia, io quibus ALPHONSUS GONZALES ad ſuæ Provinciæ præfecturam aſſumptus fuit, coëgit.

Anno 1567. *Abulam* pervenit, ubi antiquiores Carmelitæ Monaſterium ab anno 1378. obtinuerant, Moniales autem antiquioris Inſtituti Carmelitanæ Cœnobium alterum ab anno 1513. illuſtrabant, interquas profeſſa *S. Tereſia*, majoris perfectionis cupida, alium Conventum juxtà Regulam S. Alberti, Patriarchæ Hieroſolymitani primitivam, reformatum, conſtrui fecerat, ex licentiâ recèns acceptâ die 17. Julii à Pio IV. 1565. In iſtud Cœnobium ſub nomine *S. Joſephi* dicatum, Rubeus à præfatâ S. Virgine rogatus, adiit: cujus prudentiam & ſanctimoniam, quam aliorum relatu pridem, præſens autem experientiâ noverat, lætabundos intuens, ac ferventiſſimum pro animarum ſalote demirans digitum Dei huic adeſſe certò cognovit, iocœpta probavit; & ad Sancti Spiritûs opus perficiendum, vires, animum, favorem, literaſque patentes ſub die 27. Aprilis eidem conceſſit ampliſſimas, quibus facultatem tribuit dilectæ ſuæ filiæ Tereſiæ, nova Monialium Ordinis in Caſtellæ Regno Monaſteria fundandi, juxtà primitivæ Regulæ obſervantiam, ſob obedientiâ tamen immediatâ Priorum Generalium, pro tempore exiſtentium. Novas etiam literas, ad idem intentum, die 18. Maii ejuſdem anni 1567. & iterùm Româ miſſas anno 1571. dedit; quibus, & aliis ad eamdem Virginis Epiſtolis familiaribus miſſis licentiam concedebat de Monaſteriis Monialium faciendis, & ſub obedientiæ præcepto, ut illis incumberet, jubebat. At verò de virorum Cœnobiis erigendis, qui rem novitate plenam, & tumultibus expoſitam judicabat, pro illo tempore licentiam dare RUBEUS diſtulit: ſed eodem anno 1567. tandem die 10. Auguſti Barchinone datis eidem Tereſiæ literis, præbuit facultatem duorum Monaſteriorum pro viris Carmelitis ædificandorum, cum aſſenſu tamen Prioris Provincialis.

Ex Hiſpaniis in Gallias advenire cogitabat *Rubeus:* Sed heu quot & quantas aſpexiſſet calamitates! Quot & quanta mœroris objecta! Tunc enim temporis in Provincia Turonia (ut nihil de aliis ejuſdem Regni Provinciis dicam) deſolati & devaſtati ſunt Conventus, Aurelianenſis, Vivonenſis, Juliodunenſis, Alnenſis, Rupellenſis; necnoo plurimi Carmelitæ morte crudeli perierunt, quorum alii globulis igniris vibrati, alii gladio truncati, alii in mare demerſi, alii in puteum injecti, alii ad collum ſolo & in terra defoſſi, atque lapidibus obruti, alii arboribus ſuſpenſi ſunt ab Hæreticis Calvinianis. Tot inter mala Rubeo prodeſſe quid potuiſſent & valuiſſent Literæ commendatitiæ à Pio V. ad (*p*) Carolum IX. Regem Chriſtianiſſimum, & ad ſopremi Senatûs Pariſienſis Proceres directæ?

Anno 1568. *Ravennam* in patriam revertitur, obi magnâ ſuorum civium gratulatione accipitur; & quamvis multis Ordinis negotiis impeditus, hortante tamen Magiſtratu, in Æde *Urſina* concionatus eſt coràm innumerabili hominum, tùm advenarum, qui Concilii gratiâ Provincialis anno 1569. à JULIO FELTRIO DE ROVERA, Cardinali Ravennate Archiepiſcopo celebrati, advenerant; tum Ravennatium ſuorum multitudine. Monaſterium etiam ſuum *S. Joannis-Baptiſtæ* titulo inſignitum reſarcivit, in meliorem formam reduxit, ejuſque agrorum culturam, & cœtera ornamenta, atque commoda non omiſit.

Romam properavit ad juſſionem Pii V. qui divinos veteris Teſtamenti Libros ad vulgatam Editionem perficiendam recudendos meditabatur, & ad hanc operam intereſſe cupiebat noſtrum *Rubeum* cum *M. Antonio Amulio* Veneto, *Guillelmoque Sirleto* Calabro, & aliis viris ſapientiâ & eruditione præſtantibus. A ſummo Pontifice benignè acceptus, atque ſummis laudibus exornatus de ſui eximia regiminis prudentia, & tempeſtivo de Religionis promovendæ ſtudio. Mortuo S. Pio V. die 1. Maii an. 1572. à Gregorio XIII. (*q*) PHILIPPUM BON-COMPAGNON, Cardinalem, in Ordinis ſui Protectorem, propter liberam ab hoc munere abdicationem & dimiſſionem S. Caroli Borromæi, anno 1573. Idibus Februarii. Anno 1574. die 3. Novembris, eidem RUBEO præfatus Pontifex Maximus (*r*) conceſſit, declaravit & confirmavit juriſdictionem & authoritatem in Congregationem Mantuanam, quam reapsè noſter Prior Generalis anno 1575. viſitavit, poſtquam Œcumenica die 22. Maii Comitia celebraſſet in Monaſterio Lombardiæ Placentino. Anno 1577. die 15. Septembris ab eodem Papa obtinuit ut Altare B. Mariæ Virginis in Eccleſia Carmeli Ravennæ eſſet privilegiatum ter in hebdomada, ad inſtar Altaris S. Gregorii de Urbe. Anno eodem 1577. (*ſ*) die 18. Septembris accepit confirmationem (*t*) Indulgentiarum Ordini Carmelitico conceſſarum. Tandem plenus dierum & bonorum operum, mortalem vitam ſolvit *Romæ*, die 5. Septembris, & ſepultus eſt in Monaſterio *SS. Silveſtri & Martini de Montibus*, ſub tumba marmorea, cum effigie ipſius & gentilitiis ſtemmatibus expreſſis, hoc addito Epitaphio.

D. O. M.

FRATRI JOANNI-BAPTISTÆ RUBEO,

RAVENNATI, CARMEL. ORDINIS GENERALI:

GENERE, MORIBUS ET DOCTRINA CLARISSIMO:

QUI ORDINEM SUUM ANNOS XVI. REXIT,

ET PRIVILEGIIS A GREGORIO XIII.

PONT. MAX. IMPETRATIS, ILLUSTRAVIT.

VIXIT ANNOS LXXI.

OBIIT AN. M. DLXXVII. III. NONAS SEPTEMBRIS.

Errore laborat hoc Epitaphium, quoad mortis diem. Rubeus enim obiit Nonis Septembris, ſicuti legitur in *Libro communi* Ordinis Carmelitici Mſ. *fol.* 159. Annus autem ætatis non accuratè numeratus eſt à Franciſco Junctino, in ſuis Commentariis ad Ptolomæi de Aſtrorum judiciis, *Librum III. cap.* 12. *pag.* 326. ubi nativitatem Joannis-Baptiſtæ Rubei aſſignat ad diem 4. Octobris, horâ 10. min. 15. poſt meridiem, anno 1507. & tamen hæc loquitur:

(*p*) Bullar. Carmelit. tom. 2. pag. 170.

(*q*) Ibidem, *pag.* 172.
(*r*) Ibid. *pag.* 177.
(*ſ*) Ibidem, *pag.* 193.
(*t*) Ibidem, *pag.* 194.

Oblata

J.

»Oblata mihi fuit hæc Nativitas ab ipſomet »Doctore in ſacra Theologia, cùm eſſet Romæ »ab adverſariis ſuis afflictus, anno 1547. & cùm »fuiſſet Prædicator famoius, inculpatus fuit de hæ- »reſi: & ego dixi ex ejus geneſi, quod evaderet de »illo periculo, & perveniret ad dignitatem ſupre- »mam ſuæ ſacræ religionis Carmelitanæ. Quod id »evenit. Nam cum mortuus eſſet, anno 1563. Frater »Nicolaus Audet Cyprius Generalis Prior totius »Ordinis, in locum demortui electus eſt iſte Joannes- »Baptiſta. Hora verò mortis ejus fuit, cùm horoſ- »copus Hileeb pervenit per directionem ad Saturni »Corpus domini octavæ domûs, qui erat vitæ in- »terfector. Et ſic in anno ætatis ſuæ 70. cum morte »vitam commutavit. Et cum hæc quis rectè conſi- »deraverit, videbit principia noſtra eſſe veriſſima, »videlicet quod non omnes, qui habent planetas ſub »terra, ſunt brevioris vitæ.

Econtrà ipſe aſſero vana eſſe artis Aſtrologicæ principia, ſi Joannes-Baptiſta Rubeus obierit anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo primo fermè abſoluto. Nam anno 1507. die 4. Octobris natus, è vivis ceſſit, anno 1578. Nonis Septembris antè auroram, id eſt poſt mediam noctem diei quartæ Septembris, ineunte die quintà.

Joannis-Baptistæ Rubei Scripta:

1. *In Epiſtolum D. Pauli ad Galatas, Commentaria*, quorum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca ſacra, pag.* 935. *col.* 1. B.

2. *In Magiſtrum Sententiarum* Commmentarii, Lib. IV.

3. *Conſulta* ſeu *Conſilia & Reſponſa Eccleſiaſtica* ſuper dubiis quibuſdam propoſitis circà Officia divina, & alios conſcientiæ caſus. Horum Gabriel de Sobra, in ſua Bibliotheca, edita Placentiæ, anno 1608. meminit.

4. *Conciones Quadrageſimales & aliæ Mſſ.*

5. *Orationes habitæ in Sacello Summorum Pontificum*, Mſſ.

6. *Concluſiones aliquot ſubtiliores, ex Quodlibeto Michaëlis de Bononia* Carmelitani, *collectæ ſuper quartum Librum Sententiarum.*

7. *Scholia ad Opera Thomæ Waldenſis edita* cum ejuſdem Operum tribus tomis. Venetiis, apud Zilettum, anno 1571. *in-folio.* Hæc Editio citatur in *Bibliotheca Telleriana: pag.* 44. *num.* 310.

8. *In Ariſtotelis Libros præſertim* 5. & 6. *Phyſicorum Commentarii Mſſ.*

9. *Conſtitutiones pro Hiſpaniarum provinciis*, anno 1566. in Comitiis Hiſpalenſibus promulgatæ, quæ laudantur in Hiſtoria Generali Reformationis S. Tereſiæ, *tomo* 1. *Lib. III. cap.* 4. necnon in ſucceſſione Eliæ Gallicè edita, *cap.* 266. *pag.* 609.

10. *Breviarium Carmelitarum*, curà & labore Fr. Mag. Jacobi Maiſtret, Doctoris Pariſienſis Carmelitæ, recognitum edi curavit. Lugduni, anno 1574. & 1575. In quo quidem Breviario formula profeſſionis religionis Carmelitæ unam edicit Obedientiam Deo vovendam, omiſſis aliis duobus votis, prout animadvertimus in Diſſertatione prævia §. 1. *num.* 44. *ſect.* 9. *pag.* 80. *Mſ. &* §. 4. *num.* 76. *pag.* 126. necnon in præſenti Bibliotheca Carmelitana, verbo: Jacobus Maistret, *num.* 10. *pag.* 692. *& tom.* 2. *pag.* 38. 39.

11. *Variæ ad varios* homines illuſtres & ad ſuos ſubditos atque ſubditas Carmelitas, *Epiſtolæ:* quarum una celebris eſt ad S. Tereſiam ſcripta, die 27. Aprilis 1567. quà facultatem huic ſanctiſſimæ Virgini concedit ad Cœnobia Monialium Reformatorum erigenda, ſignificans quod ipſe Rubeus voluiſſet *tot Monaſteria ab ea conſtrui, quot in capite pilos haberet;* ſicut enuntiat Franciſcus de Ribera, in *vita S. Tereſiæ, Lib. II. cap.* 6. Hæc autem Epiſtola Latinè prodiit in Hiſtoria Generali Carmelitarum Excalceatorum, *Lib. III. cap.* 3. Nec minùs celebris altera Epiſtola Barcinone, die 10. Auguſti, anno eodem 1567. ad eamdem Virginem data, quà licentiam tribuit pro duobus virorum Carmelitarum reformatorum ædificandis Monaſteriis.

11. *Supplicatio Generalis Carmelitarum ad Illuſtriſſimos ac Reverendiſſimos Dominos Cardinales*, pro tumultibus ſedandis Patrum Congregationis Albienſis adversùs Galliarum Carmelitas, & ipſum Priorem Generalem ſedandis. Supplicationem reperimus inter Schedas Manuſcriptas P. *Ludovici Jacob;* & eam acceperat à ſuo Philoſophiæ condiſcipulo R. P. *Paulo Lombard* Lugdunenſi, Provinciæ Narbonenſis Provinciali, & majoris Conventûs Pariſienſis Priore, atque Commiſſario Generali, anno 1657. Primis autem typis donabimus eam in *Prævia Diſſertatione hujus Bibliothecæ.* Annum autem ſi a nobis ſciſciteris, quo illam dixerit Rubeus, conjectamus ideò dictam fuiſſe coràm Illuſtriſſ. Cardinalibus, anno 1571. noſter *Rubeus* Capitulum Generale Pariſiis celebrandum ſibi proponens; nam & Literas ad Chriſtianiſſimum Galliarum Regem Carolum IX. & alias ad Regios Præſidentes & Conſiliarios Curiæ Parlamenti Pariſienſis commendatitias accepit à Summo Pontifice Pio V. (*a*) die 28. Januarii 1571. verùm ad Gallias properans, mortuo Romano Pontifice, Romam redire coactus eſt: Capitulum tamen Nationale Pariſiis celebratum; eſt cui præfuerunt nomine Prioris Reverendiſſimi *Rubei*, RR. PP. *Bartholomæus à S. Spiritu*, Narbonæ Provincialis, & *Jacobus Maiſtret*, Prior Lugdunenſis, Commiſſarii Generales & Apoſtolici. Iidem, finitis Comitiis Nationalibus, ex ſpeciali ejoſdem *Rubei* commiſſione condiderunt die SS. Trinitatis primà Junii, præfato anno 1572. Statuta pro ſtudio & regimine ſtudentium in Carmelo Pariſienſi ſervanda; quæ reperiuntur primis etiam typis edita, in *Diſſertatione* jam memorata.

13. Inter Opera noſtri Joannis-Baptiſtæ Rubei recenſeri poſſunt *Libelli Supplices*, quos ſummis Pontificibus Pio IV. Pio V. & Gregorio XIII. obtulit; & quorum memoria profertur in Bullarii Carmelitarum, tomo ſecundo, *à pagina* 124. *ad paginam* 198. Ab eo enim fuit oblatus.

Primus, Pio IV. pro facultate viſitandi ac reformandi Ordinem, die 21. Januarii 1563. *pag.* 124.

Secundus, Indulgentias ad obtinendas plenarias tempore Capituli Generalis Romæ celebrandi, anno 1563. *pag.* 125.

Tertius, pro S. Carolo Borromæo habendo in Protectorem Ordinis, die 5. Maii 1563. *pag* 126.

Quartus, ad obtinendam facultatem promovendi quindecim fratres ad Magiſterium, & Lauream Doctoralem: die 25. Maii 1564. *pag.* 126.

Quintus, ad jus ſuum Viſitationis exercendum in Monaſteriis Monialium Annunciationis, & B. Mariæ de Angelis Civitatis Florentinæ, die primà Martii 1565. *pag.* 132.

Sextus, Pio V. oblatus fuit ad facultatem obtinendam conſtruendi novam Eccleſiam, & Conventum in Burgo Sancti Petri, quibus is Pontifex attribuat omnia privilegia & jura quæ ſpectabant ad antiquam Eccleſiam & Domum S. Mariæ Tranſpontinæ, die 18. Februarii, 1566. *pag.* 141.

Septimus, ad obtinendam facultatem imponendi taxam quinque ducatorum pro quolibet centenario, pro conſtructione novæ Eccleſiæ S. Mariæ Tranſpon-

[*a*] Bullarium Carmelit. *tomo* 2. *pag.* 171.

J.

tinæ; eodem anno 1566. die 22. Februarii, *pag.* 165.

Octavus, Gregorio XIII. oblatus petebat ut Philippus Cardinalis Boncompagnus constitueretur Protector Ordinis, post liberam S. Caroli dimissionem; die 5. Februarii, anno 1573. *pag.* 172.

Nonus, postulabat licentiam fundandi Conventum Celani in Diœcesi Marsicana Castri, juxtà votum & desiderium Indici à Piccolominibus Ducis Almafitensis, & juxtà voluntatem Silviæ illius viduæ: die 13. Aprilis 1573. *pag.* 175.

Decimus, inquirebat humiliter & postulabat, ut Mulieres ingredi possent Claustrum Conventûs Drepanensis in omnibus solemnitatibus B. Mariæ Virginis: die 20. Aprilis, 1573. *pag.* 176.

Undecimus, ad declarandam jurisdictionem & autoritatem Prioris Generalis in Congregationem Mantuanam: die 3. Novembris, 1574. *pag.* 177.

Duodecimus, petebat confirmationem Literarum Pii V. circà Fratres incorrigibiles, die 28. Januarii, 176. *pag.* 188.

Decimus-tertius, postulabat, ut liceret Fratribus & Monialibus Ord. Carmel. bona stabilia, seu quasi stabilia pro commoditare vel utilitate Conventuum alienare, sub conditionibus nonnullis illic appositis: die 3. Februarii, 1576. *pag. ead.* 188. *& seqq.*

Decimus-quartus, precabatur ut Altare B. Mariæ Virginis in Ecclesia Conventûs Ravennæ foret perpetuò privilegiatum ad instar Altaris Sancti Gregorii de Urbe: die 15. Septembris, 1577. *pag.* 193.

Decimus-quintus, deposcebat confirmationem Indulgentiarum Ordini Carmelitico concessarum: die 18. Septembris 1577. *pag.* 194. *& seqq.*

Commendant egregiè JOANNEM-BAPTISTAM RUBEUM Summi Pontifices Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. in Diplomatibus superiùs laudatis. Sancta Maria, *Lib.* fundationum; *cap.* 2. vocat eum *Insignem Dei famulam, discretione ac sapientiâ præstantem, virum admodùm illustrem in Ordine, & judicio pollentem.* Joannes de Pallafox, Oxomiensis Episcopus, in Notis ad Epistolam 13. S. Teresiæ, *num.* 2. iisdem vocibus utitur, illum vocans *insignem Dei Servum, & ergà S. Teresiam magno affectu studiosam.* Antonius Dominicus Salentinus, Siculus, Ordinis Eremitarum S. Augustini, in *Oratione Funebri* nostri *Rubei*, Venetiis, anno 1579. Latinè editâ. Hieronymus Rubeus ejusdem ex fratre Nepos, *Lib. X. Historiæ Ravennæ*, cum laude editæ, *anno* 1580. & alibi pluries *in-folio.* Aubertus Miræus, de *Scriptoribus Ecclesiasticis seculi XVI. cap.* 113. *pag.* 190. Edit. Joan. Alberti Fabricii, Hamburgen. 1713. *in-folio.* Michael de Marillac, in Libro Gallicè inscripto, *De l'Erection & Institution des Religieuses de Notre-Dame du Mont-Carmel en France, selon la Reformation de Sainte Terese*, &c. in-8°. *Paris.* 1627. Vincentius Carrarus, in Libro Italicè inscripto: *Istoria de Rossi Parmigiani. In Ravenna*, 1683. *in-4°.* ubi legitur quòd noster Joannes-Baptista patrem habuit Dominicum Rubeum ex antiquissima Rubea Parmensi familia, ex Comitibus S. Secund. Ranotus Picus, Ducis Parmæ Secretarius, in *Appendice ad Catalogum Doctorum Parmensium.* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro, tom.* 1. *pag.* 813. Petrus à S. Romualdo, in *Diario Chronologico-Historico*, Gallicè scripto, *tom.* 2. *ad diem* 5. *Septembris.*

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 42. Augustinus Biscarrettus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli Mss. fol.* 102. Joannes-Antonius Philippinus, in *Descriptione Ecclesiæ SS. Silvestri & Martini de Montibus.* Franciscus Maria, in *Historia Generali Reformationis S. Teresiæ, tomo* 1. *Lib. III. cap.* 2. *& seqq.* Franciscus Turchus, seu Turchius, Tervisanus, qui Antonii Dominici Salentini *Orationem parentalem de* nostro *Rubeo* Romæ habitam apud S. Martinum de Montibus VIII. Idus Septembres 1578. edi curavit *Latinè.* Venetiis, anno 1579. *in-4°.* apud Guerras Fratres. Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Eliæ* Gallicè edita, *cap.* 260. *pag.* 594. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 404. Irenæus à S. Jacobo, in *Tractatu de singulari Virginis Immaculata Protectione, pag.* 18. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mss. pag.* 191. Daniel à Virgine Maria, in *Vinea Carmeli, pag.* 518. *num.* 369. Idem, *tomo secundo Speculi Carmelitani, pag.* 679. *num.* 326. *& seqq.* Ibidem, *pag.* 977. *num.* 3431. Ibidem, 1068. *num.* 3709. Lodovicus Perez de Castro, de *rebus Carmelitanis, Codice* 1. *Mss. fol.* 218. *& seqq.*

Iis omnibus addi possent Didacus de Yepes, ex Ordine Hieronymiano, ad Sedem Turasionensem assumptus Episcopus, in *Vida de la Madre Teresa de Jesu.* Matriti 1599. *in-4°. &* 1614. Quam transtulit Gallicè Cyprianus à Nativitate Virginis, ediditque Parisiis, anno 1643. *in-4°. Lib. II. cap.* 14. Gabriel de Sora, in sua *Bibliotheca* Placentiæ, 1608. edita. Hieronymus Fabri, in Libro Italicè inscripto: *Memorie sacre di Ravenna.* Venetiis, anno 1664. edito *in-4°.* Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra, pag.* 555. Paris. edit. 1618 *in-8°.* Eruditissimus Dominus Goujet, Canonicus S. Jacobi de Xenodochio Parisiensis, in *Supplemento Dictionnarii Moreriani*, Gallicè edito, anno 1735. *tomo* 2. *pag.* 242. lineâ 13. *Lit.* RUBEUS.

CXVIII.

JOANNES-BAPTISTA SORIANUS, aliàs SURIANUS, patriâ & professione Carmelitanâ Neapolitanus, Sacræ Theologiæ Doctor, insignis Concionator, in Gymnasio Sapientiæ Romanæ Professor, & totius Ordinis Carmelitarum Procurator, anno 1576. Quo quidem anno die 25. Augusti fuit institutus Episcopus in Regno Neapolitano *Vigiliensis*, à GREGORIO XIII. Cujus præceptor quondam extiterat. Obiit *Baruli*, (vulgò *Barletta*) die 25. Junii 1582. Ibique in Ecclesia sui Ordinis Carmelitani sepultus jacet. Scripsit,

1. *In Symbolum Apostolorum*, Lib. I.
2. *In Orationem Dominicam*, Lib. I.
3. *Libellum supplicem* Gregorio XIII. pro Indulgentiâ obtinendâ, quâ Altare S. Gregorii in Ecclesia Carmeli majoris Neapolitani esset privilegiatum ter in Hebdomada, ad instar Altaris S. Gregorii de Urbe. Votis Soriani annuit Pontifex Maximus per Bullam an. 1576. datam die 19. Septembris, quæ incipit: *Salvatoris Domini nostri:* sicuti legere est, in *Bullaria Carmelitarum, tomo* 2. *pag.* 190. *&* 191.
4. Scripsit *Librum* ad instar *Summæ*, qui inscribitur *Corona.* Quia tamen è vivis excessit, antequàm cuderetur, sub alterius nomine, post ejus mortem evulgatus est; sicuti testatur de eo Philocalus Caputus, in suo *Monte Carmelo*, inquit R. P. Andreas Gargii in *Schedis Mss.* ad nos Aureliam Neapoli *missis* anno 1747.

De Joanne-Baptistâ Suriano honorificè loquuntur, dictus Rom. Pontifex Gregorius XIII. in *Bulla mox citata.* Ferdinandus Ughellus, *tomo* 7. *Italiæ Sacræ*, ubi erronèe scribit Surianum obiisse anno 1583. Cui errori alterum addidit Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana, Mss. pag.* 193. dicens Surianum sepultum in sua Cathedrali Ecclesia fuisse. Franciscus Sixtus, in *Tesseredecade Genealogiæ Christi, Decade* 4. *cap.* 191. Philocalus Caputus,

in *Monte Carmelo*, *Discursu* 5. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico*: Daniel a Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 932. *num.* 3264. Lezana, *tom.* 4. *Annal. pag.* 379. *lin.* 5.

CXIX.

JOANNES-BAPTISTA SPINOLA, natione Italus, Genuensis patriâ, ex Patricia familia natus, Doctor Theologus, ter Carmeli Genuensis Prior, Provinciæ Saxoniæ Præfectus, TIMOTHEI BERARDI in hora Ligustica *Maulani* Episcopi, ex Ordine Carmelitano assumpti, Vicarius Generalis, & ibidem S. Officii Consultorum Præfectus, scripsit circa annum 1606.

1. *De Relatione elevandi mentem ad Deum*; sivè de *Oratione Mentali*, Lib I.

2. *Lucubrationes Theologicas.*

3. *Tractatus Philosophicos.*

De Joanne-Baptista Spinola loquuntur Franciscus Voersius, in *Vita Henrici Sylvii.* Idem, in *Thesauro Spirituali Carmelitano*, *pag.* 224. Josephus Falco, in *Chronico Carmelitico*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 462. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 193. Paulus ab Omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptor. Carmelit. pag.* 78.

CXX.

JOANNES-BAPTISTA PISACANUS, Neapolitanus Carmelita de Observantiâ, *Sanctæ Mariæ de vitâ* Cœnobii alumnus, Philosophiæ & Theologiæ Magister, scripsit circà annum 1650. *Philosophiam ad sensum Bacconis*; quæ *Ms.* servatur in dicti Conventûs Bibliotheca; teste Nicolao Toppi, in *Bibliotheca Neapolitana*, *pag.* 140.

CXXI.

JOANNES-BAPTISTA VENTAJA OI SIVIOLIA, seu patriâ Hispalensis, natione Hispanus, Theologiam in Carmelo Florentino edocuit, & post rigorosum examen die 27. Junii, anno 1670. laureatus est; & anno 1693. Universitati ejusdem Civitatis fuit aggregatus: Examinatorque Synodalis, Theologus Magni Tusciæ Ducis COSMÆ III. apud quem & apud Proceres tum ob summam vitæ integritatem, tum ob egregium animi candorem, insigni famâ prævaluit, & benevolentiâ. Linguam Hispanam, aliasque scientias edocuit Serenissimum Etruriæ Principem FERDINANDUM. Morbo tandem diuturno afflictus, mortem oppetiit Florentiæ, anno Christi 1699. die 20. Februarii, ætatis suæ 70.

Varios Theologiæ Speculativæ Tractatus Ms. reliquit, quos dictavit in studio Florentino, necnon in Seminario *Vici de Morte*: sicuti restatur Discipulus ejus Lucas Josephus Cerracchinus, in Fastis Theologicis Universitatis Florentinæ, *pag.* 533.

CXXII.

JOANNES-BAPTISTA DE URSINIS, seu à JESU MARIA, in seculo VIRGINIUS dictus, Romæ ex URSINA Ducum BRACHIANI familia natus; primùm Eques Melitensis; posteà Carmelita Excalceatus; perspicacissimi ingenii vir, ac Divinarum Scripturarum cognitione nobilissimus, probatissimis quoque moribus, & magnâ humilitatis, disciplinæque opinione insignis; filius hic VIRGINII DE URSINIS, Ducis de Bracciano, & FOLVIÆ PERRETTI, quæ proneptis fuit SIXTI QUINTI, Obiit *Romæ* anno 1647. postquam scripsisset,

1. *Tractatum de Oratione*, Ms.

2. *Tractatum de vitâ Solitariâ*, *Ms.* Quæ duo Opera Romæ asservantur in Conventu Sanctæ Mariæ de Scalâ Transtiberinæ, inquit Prosper Mandosius, in *Bibliotheca Romana*, *Centur. IV. num.* 67. *pag.* 253. & 254.

CXXIII.

JOANNES-BAPTISTA DE LA FAURIE, (AGATANGELUS) Burdigalensis Carmelita, Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & in Alma Universitate Burdigalensi Antecessor Regius, suæ Provinciæ Vasconiæ ter Præfectus anno 1745. *Schedas nonnullas manuscriptas* octo & quinquaginta paginis *in*-4°. contentas ad nos Aureliam Burdigalâ mitti curavit anno 1742. die 17. Aprilis, cum variis interdùm Literis summâ urbanitate referris. Schedas autem Manuscriptas tria potissimùm opplent. Primum, separatio Provinciæ Vasconiæ à Provinciâ Aquitaniæ. Secundum, Reformatio hujus Vasconiæ Provinciæ. Tertium, Illustriores quidam ejusdem Provinciæ Religiosi Carmelitæ.

1°. Provinciam Vasconiam Provinciæ Aquitaniæ olim unitam probat Instrumentum Carmelitarum Baionensium, anno 1354. signatum, in quo Fr. Bernardus de la Peyre, totius Vasconiæ & Aquitaniæ Prior Provincialis, approbat Confraternitatem B. V. Mariæ de Monte Carmelo, fundatam in dicto Conventu Baionensi. Ab Aquitanâ autem separata fuit in Comitiis Generalibus Burdigalæ celebratis anno 1358. sicuti restatur alterum Instrumentum in Archivæo Carmelitarum Burdigalensium, inquo referuntur Acta hujus separationis, Provincialium Series Vasconiæ Provinciæ Priorum, qui hac dignitate decorati, Capitulis Generalibus inter fuerunt usque ad annum M. DCLXXXVI.

2°. Reformatio Provinciæ Vasconiæ inchoata fuisse videtur, anno 1636. in Congregatione annuâ Langonensi, cujus Definitores R. P. Theodorum Stratium rogarunt, ut Constitutiones ab Urbano VIII. approbatas mittere eis dignaretur, qui Constitutiones Cadurci editas anno sequenti 1637. illis dimisit.

3°. Carmelitarum Vasconiæ Provinciæ septemdecim Conventus aut Hospitia possidet.

4°. Conventus Burdigalensis titulo illustratur, nempè Universitate Biturigum Viviscorum, ab EUGENIO IV. fundata; ad quem JOANNES SAYUS, Provinciæ Tolosanæ Carmelita, in omni scientiarum genere instructus & Theologiæ Professor, delegatus fuit à Civitate Burdigalensi, ut erectionem Universitatis Burdegalensis ad instar Academiæ Tolosanæ obtineret. Quod & præstitit sicuti patet ex Diplomate Apostolico dato anno Domini 1441. Septimo Idus Junii, anno Pontificatûs *Eugenii IV.* secundo. Quod confirmatum fuit à Rege Christianissimo LUDOVICO XI. per Literas patentes datas Burdigalæ anno Domini 1442. & Regni 12. Ab eo tempore congregatur semper in dicto Conventu Carmelitano præfata Universitas Burdegalensis, ad Actus suos gerendos solemnes, tùm sacro-sanctum Sacrificium celebrandum, tùm Electiones habendas, tùm deliberationes agendas, tùm gradus Academicos concedendos & suscipiendos. Ibi Theologiæ Schola solummodò tenetur, à Professoribus, quorum unus Carmelita, unus Dominicanus, unus Augustinianus, unus Sacerdos Secularis, seu Regii Antecessores; P. Jesuitâ in suo Gymnasio Profitente & docente.

CXXIV.

JOANNES BARATHUS, natione Hannonius in Belgio, Carmelita Valencennensis, Doctor Theologus Parisiensis, circà annum 1430. re-

J.

nuntiatus, & Professor: singulari vir pietate & divinarum atque humanarum rerum cognitione suprà modum excultus. Multa pius homo, ejus ætatis Clero, Prælatis, ac Monachis objiciebat, & quod statim essent eorum ob prava facta in opprobrium & subsannationem, ac derisum Gentibus seu Hæreticis, dandi ex scripturis prædixit; quoniam Deus, inquiebat, spernit eos, qui hominibus placent. Interfuit Concilio Basileensi, ex Decreto Capituli Generalis Ravespergæ, in Provincia Germaniæ superioris celebrari; obi sui *ingenii apparuit facunditas, doctrinæ soliditas, atque in omnibus dexteritas; mira prudentia & eruditio*, teste Biscarreto. Barathus scripsit,

1. *De Revelatione Divinarum Scripturarum*, Lib. I.
2. *In Divum Paulum ad Hebræos*, Lib. I.
3. *De sacrarum Scripturarum utilitate*, Lib. I.
4. *In Apocalypsim B. Joannis Postillam*, Lib. I.
5. *In Laudem Canonis sacri*, Lib. I. Horum Operum meminit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag. 624. col. 2. E.*
6. *In Magistrum Sententiarum*, Lib. IV.
7. *Determinationes Theologicas*, Lib. I.
8. *Præconia sacræ Voluntatis*, Lib. I.
9. *Introitum Sententiarum*, Lib. I.
10. *De Malis sui Temporis*, Lib. I.
11. *Collationes Synodales*, Lib. I.
12. *Quadragesimale*, Lib. I.
13. *Quæstiones ordinarias.*
14. *Compendium Thomæ Waldensis*, Lib. I.

De Joanne Baratho agunt Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Britanniæ, Cent. VII.* in *Appendice* post Thomam Waldensem, *cap.* 84. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis, pag.* 389. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica, pag.* 574. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Philippus Brassæus, in *Originibus Cœnobiorum Hannoniæ.*

E Carmelitis, Liber Ms. Ordinis Carmelit. *fol.* 36. *cit.* apud Lezanam, *tomo 4. ad ann.* 1426. *num. 4. pag.* 806. *& ad ann.* 1434. *num. 3. pag.* 834. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 334. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana, Ms. pag.* 193. Ludovicus à S. Teresiâ, in *Successione Eliæ, cap.* 147. *pag.* 563. Daniel à Virgne Mariâ, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1107. *num.* 3925. *&c.*

CXXV.

JOANNES BARETTUS, Balæo BAROETUS, natione Anglus, Carmelita Linnensis in Comitatu Norfolcensi, Doctor Theologus Cantabrigiensis: Vir ondequaque doctissimus, & religionis Catholicæ tenacissimus. *Difficillimis in Anglia Ecclesiæ Catholicæ temporibus*, inquit Pitseus., *laborarunt multùm homines perversi, ut hunc Doctorem perverterent: Quorum aliqui gloriabantur id sese fecisse, ut in fide saltem mutaret. Quam Calumniam ille, uti par erat, molestè ferens, tùm in publicis Concionibus, tùm etiam in Libris eos mendacii non semel redarguit.* Florebat anno 1556. scribens,

1. *In D. Paulum Annotationes*, Lib. I. Incipit: *Paulus autem binomius*, &c.
2. *In Primam Joannis Epistolam Canonicam*, Lib. I. Incipit: *Qui in re Theologica.*
3. *Reformationes Joannis Trissæ*, Carmelitæ, Lib. I. Incipit: *Radulphus Alemannus de pro.*
4. *Orationes ad Clerum*, Lib. I. Incipit: *Etsi fides totius Ecclesiæ*, &c.
5. *Ad Wathsomum, Hæreticum incarceratum, Epistolam*: Incipit: *Etsi liberæ quas*, &c.
6. *Homilias*, Lib. I. Anglicè.
7. *Alia non pauca.*

De Joanne Baretto loquuntur Joannes Lelandus, Pitseus & Balæus, de *Scriptoribus Angliæ.* Emmanuel Romans, *de Scriptoribus Ordinis Carmelit.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 398. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana, Ms. pag.* 194. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1116. *num.* 3946. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag. 625. col. 2. A.*

CXXVI.

JOANNES BARNINGHAMUS, Anglus, Gippeswicensis, Carmelita, Oxonii & Parisiis Literis navans, utrobique Theologici Magisterii dignitatem suscepisse refertur à Joanne Lelando. Hunc ab ingenii felicitate, & à miro in disceptationibus acumine, sivè argumenta urgeret sua, sivè solveret aliena, commendatum prædicat Pitseus. Obiit anno 1438. in suo Cœnobio Gippeswicensi, ubi erat Prior, senio confectus, die 22. Januarii. Scripta ejus potissimùm numerantur,

1. *Lecturæ sacræ*, Lib. I.
2. *Conciones sacræ*, Lib. I.
3. *In Magistrum Sententiarum*, Lib. IV. Incipiunt: *Quis enim novit sensum Domini?*
4. *De horrore peccati Commentariolum*, Lib. I. Incipit: *Notandum quod peccatum.*
5. *Quodlibeta Theologica*, Lib. I. Incipit: *Amore languens sponsus Jesu.*
6. *Quæstiones ordinariæ*, Lib. I. Incipit: *Utrùm Lex vetus fuerit Patribus.*

De Joanne Barninghamo laudes dicunt Joannes Lelandus à Pitseo relatus, de *Illustribus Angliæ Scriptoribus, Ætate 15. num.* 831. Joannes Balæus, *ibidem.* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Possevinus, in *Apparatu sacro*: Guillelmus Eiseingrenius, in *Catalogo testium veritatis.* Arnoldus Bostius, *de Viris Illustr. Ordin. Carmelit. cap.* 37. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo 4. an.* 1449. *num. 5. pag.* 870. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelit. Ms. pag.* 194. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 348. Petrus Lucius, in *Bibliotheca, pag.* 43. 44. Antonius à Wood, in *Historia Universitatis Oxoniensis, pag.* 104.

CXXVII.

JOANNES A S. BASILIO, in seculo dictus MONTORO, Hispanus, in oppido *Lopera* Provinciæ Bæticæ natus, Carmelita excalceatus, Hispali professus: Novitiorum Magister, necnon magni nominis Theologus, Hebraicæ Linguæ peritissimus, obiit Corellæ in Regno Navarræ, anno Domini 1617. postquam Hebræo idiomate in *Hispanam Linguam vertisset mirabiliter plurima*; sicuti testantur Franciscus à S. Mariâ, *tomo 1. Historiæ Reformat. S. Teresiæ, pag.* 242. Hieronymus à S. Joseph, *tomo 1. Reformationis ejusdem.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 195. Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Biblioth. Carmelit. Discalceat. pag.* 216.

CXXVIII.

JOANNES BATUS, Anglus, Eboracensis Carmelita, & ibidem Prior: Vir prudens & eruditus, Philosophus non infimi subsellii, Theologus insignis, Græcarum etiam disciplinarum non imperitus,

peritus, Oxonii diù studuit, & ibi Doctorum Catalogo adscriptus, Orator elegans, & Concionator eximius, mortalitatis exuvias nostræ deposuit Eboraci, anno 1429. die 26. Januarii: Opera ejus inscribuntur,

1. *Encomium Philosophiæ*, Lib. I. Incipit: *Mirabilis facta est scientia tua.*

2. *Pro introitu* vel *introductione Scientiarum*, Lib. I. Incipit: *Prænobilis arbiter aulæ.*

3. *Replicationes argumentorum*, Lib. I. Incipit: *Vitis florida cœli in regali.*

4. *Sermones per annum*, Lib. I. Incipit: *Non vituperetur ministerium nost.*

5. *De Assumptione B. V. Mariæ*, Lib. I.

6. *Determinationes*, Lib. I.

7. *Collationes Synodales*, Lib. I.

8. *De constructione partium Orationis*, Lib. I.

9. *Ad Clerum Oxoniensem*, Lib. I. Incipit: *Cooperatores sumus veritatis.*

10. *Compendium Logicæ.* Lib. I. Incipit: *Quia de dictis in Logica.*

11. *Super Porphyrii Universalia*, Lib. I. Incipit: *Pro notitia Universalium.*

12. *Super Aristotelis Prædicamenta*, Lib. I. Incipit: *circa Libros Prædicamentorum.*

13. *In sex Principia Gilberti Porretani*, Lib. I. Incipit: *Iste Liber intitulatus, sex Principia.*

14. *Quæstiones de Anima*, Lib. I. Incipit: *Quæritur utrùm intellectus agens.*

De Joanne Bato agunt Lelandus, *cap.* 525. Pitseus, *pag.* 614. Balæus, *Cent. VII. cap.* 79. *De Scriptoribus Angliæ*: Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*: Jacobus de Plebe, in *Indice de Scriptoribus Carmelitis*: Guillelmus Eiseingrenius, in *Catalogo testium veritatis*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 824. Hippolytus Marraccius, in *Bibliotheca Mariana*: Petrus Angelus Spera, *Lib. de Nobilitate Professorum Grammaticæ & Humanitatis utriusque Linguæ.* Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 152. & 153.

CXXIX.

JOANNES BAWR, Germanus, Carmelita Wormatiensis, Theologus non contemnendus, cujus memoria inscribitur in *Catalogo Ms.* quorumdam Scriptorum Carmelitarum Germanorum ad Ludovicum Jacob transmisso, quem ille sub hoc nomine refert in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 196. Sed in quo tamen Catalogo non explanantur tituli Operum hujus JOANNIS BAWR; cujus memoria redibit verbo, JOANNES GRAVERIUS, *infer. pag.* 7... nisi forsan idem extet atque JOANNES GAUVER, de quo *infer. pag.* 7...

CXXX.

JOANNES BEETZ, vel BETHZ, aut BETHS, sive BEITHZ, seu BERIZ, provinciâ Brabantinus, patriâ Thenensis, Laureâ sacræ Theologiæ Doctor Coloniensis, anno 1458. die 28. Junii decoratus, posteà in Academia Lovaniensi aggregatus. Anno 1460. in Capitulo Provinciali eligitur primus Provinciæ Definitor, atque etiam Prior, & Regens Conventûs Carmelitani Bruxellensis, usque ad annum 1468. Defuncto GODEFRIDO DE LOX, anno 1468. primo è Carmelitis qui Theologiæ Cathedram tenuerit in Academia Lovaniensi, ipse BEETZIUS ordinatur Regens Collegii & Studii Carmelitani Lovaniensis, usque ad annum 1476. quo obiit, sacræ paginæ Professor eximius, Regens ordinarius in Theologica Facultate Lovanii.

Ejus memoria in *Libro Ms. Ordinis* Carmelitani reperitur ad Capitulum Generale Bruxellense, anno 1462. ubi Definitor Provinciæ Germaniæ Inferioris nominatur: Vir sanè magnæ religionis & virtutis, Theologus excellens, Philosophus subtilis, Concionator insignis, ingenio acer, vitâ præclarus, & Disputator egregius, occubuit *Thenis*, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, die decimâ septimâ Julii, ibique in Choro sui Conventûs, sub insigni lapide sepulchrali adhuc existente, sepultus est cum inscriptione, quam habent & referunt diversam Swertius & Valerius Andreas, atque Joannes-Franciscus-Foppens, ab ea quam edidit Daniel à Virgine Maria, & quam hìc repræsentamus.

D. O. M.

HIC JACET INHUMATUS

VENERABILIS PATER MAGISTER

JOANNES DE BEETHZ,

SACRÆ PAGINÆ PROFESSOR EXIMIUS;

REGENS, AC ORDINARIE LEGENS

IN THEOLOGICA FACULTATE LOVANII;

QUI OBIIT M. CCCCLXXVI.

XVII. DIE MENSIS JULII.

CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

Scripta ejus sunt,

1. *In Epistolam D. Pauli ad Romanos Commentaria*, Lib. I. quorum meminerunt Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliothecæ Sanctæ*: Fabianus Justinianus, *Lib. III. de scriptura sacra*, *pag.* 547. Guillelmus Crowæus, in *Elencho Scriptorum*, *pag.* 196. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 632.

Præceptorium divinæ Legis, seu in Decalogum Commentaria, *Lib. X.* Opus egregium & permagnificum, cujus exemplar servatur Mechliniæ in Libraria Fratrum Carmelitarum, inquit Arnoldus Bostius, Carmelita & coætanus & conterraneus. Prodiit hoc Præceptorium Lovanii, anno 1486. apud Ægidium Haerstrantem, *in-folio.* Servatur Ms. in Bibliotheca Publica Augustæ-Vindelicorum. Hunc Tractatum citat & paginam 69. illius nominat Henricus à S. Ignatio, in *Ethica Amoris*, *tom.* 1. *Lib. II. cap.* 17. *num.* 181. *pag.* 753. *col.* 1. Atque verba capitis 5. ejusdem Tractatûs recitat, *tomo* 3. *Lib. V. cap.* 140. §. 3. *num.* 1475. *pag.* 430. *col.* 2. & *cap.* 141. §. 6. *num.* 1617. *pag.* 450. *col.* 2.

3. *De Sacramento Altaris*, Lib. I.

4. *Quodlibeta* Lovanii habita, Lib. I.

5. *Sermones de tempore*, Lib. I.

6. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.

7. *De vitio Proprietatis*, Lib. I.

8. *Votum* seu Suffragium *circa dicta Petri de Rivo de futuris contingentibus*, quod edi curavit Illustriss. Dom. Carolus Dupiessis D'Argentrée, in *Collectione judiciorum de novis Erroribus*, *tomo* 1. *parte* 2. *pag.* 268.

JOANNEM BEETZ commendant Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 842. Idem, *Lib. de Scriptoribus Germaniæ*, *cap.* 209. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali*, *pag.* 388. *folio verso.* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 826. Andreas Schottus, in *Catalogo Interpretum sacræ scripturæ*, *cap.*8. Valerius Andreas, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.*457. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*,

J.

Primum, *Jesus Amabilis :* Quâ ratione piè & utiliter Puer Jesus sit coiendus.

Secundum, *Calendarium Sanctorum Ordinis Carmelitarum.*

Tertium, *Mundus Carmeli Marianus.* Tria hæc simul typis excusa sunt Staubingæ, anno 1666. *in*-8°. sicuti testatur Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 1103. *num.* 3909.

CXXXV.

JOANNES-BERTHUS, natione Armoricus Brito, ex oppido *Montis Relaxati* seu *Morlæi*, in Diœcesi Leonensi sivè Paulopolensi oriundus, Carmelita Provinciæ Turoniæ, nuper à Provinciâ Franciæ separatæ, alumnus : Vir in divinis scripturis versatissimus. Quod quidem comprobatur ex ejos *Commentariis super Evangelia Lib. IV.* quos Philippus à S. Jacobo, Hispanus Carmelita, Opus incomparabile appellat circà annum 1392. elaboratom. Nonnulli Authores eumdem putaverunt cum IVONE BERCH, Anglo Carmelita, qui è Syriâ in Angliam anno 1240. à Nobiliss. JOANNE VESCI, Equite, reductus, primum in eo Regno Eremitorium Carmelit. construxit, sicuti dicemus *tomo* 2. *pag.* 212.

Joannem Berthum commendat Philippus à S. Jacobo, in *Catalogo Illustr. Carmelitarum.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 320. ubi eum perperam vocat *Moncalierensem*, & *Provinciæ Lombardiæ* alumnum. Columbanus à Nostrâ Dominâ de Monte Carmelo, in *Encomio brevi Ms. Carmelitarum Illustrium Provinciæ Taroniæ*, *pag.* 2.

CXXXVI.

JOANNES BASTONUS, aliàs BESTONUS, natione Anglus, patriâ & professione Carmelitanà Linnensis, Doctor Theologus Cantabrigiensis, disputator vehemens, Concionator facundissimus; ità ut sois in Concionibus clarè dilucidéque aperire soieret quadruplicem sacræ scripturæ sensum. Missus est Orator ad Concilium *Senis* celebratum, anno 1423. è Civitate *Papiensi* ob pestem grassantem translatum die 22. Junii, & Senis die 22. Augusti inchoatum; in quo honoratissimam Legationem laudabiliter obivit *Bastonus*; in suam posteà patriam reversus & Linnæ anno 1428. defunctus. Illius Opera inscribuntur :

1. *Lectura sacræ scripturæ*, Lib. I. De quibus Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 1211.
2. *Sermones in Evangelia*, Lib. I. Incipit : *Erunt signa in Sole & Luna.*
3. *Sermones in Epistolas Apostolorum*, Lib. I.
4. *Compendiam Theologiæ Maralis*, Lib. I. Incipit : *Cum finis nostri laboris in vita.*
5. *De virtutibus & viis oppositis*, Lib. I. Ms. quondam apud Joannem Balæum.
6. *Qaustiones ordinariæ*, Lib. I. Incipit : *Reverendi Magistri juxtà consuetudinem.*
7. *Super universalia Roberti Halcoth.* Minuritæ, Lib. I. Incipit : *Singulare dupliciter accipitur.*
8. *Rudimenta Logices*, Lib. I.
9. *Epistolæ ad diversos*, Lib. II.

Joannem Bastoourn commendant Thumas Waldensis, in *suis Epistolis :* Alanus Lynensis, in Lib. *de vario scripturæ sensu :* Petrus Lucios, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 43. Joannes-Baptista de Lezana, *ad ann.* 1423. *num.* 1. & *ad ann.* 1428. *num.* 6. *pag.* 799. & 812. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 335. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 197. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelit. pag.* 1116. *num* 3946.

Exteri scriptores præcipui, Joannes Pitseus, *de Illustribus Angliæ Scriptoribus. Ætate XV. num.* 787. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ :* Jacobus de Plebe, in *Indice Scriptorum Carmelitarum :* Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 2. *pag.* 824. Abraham Bzovius, *ad ann.* 1423. *num.* 5. Henricus Spondanus, *ad ann.* 1413. *num.* 2. Nicolaus Harpsfeld, in *Hist. Ecclesf. Angliæ.*

CXXXVII.

JOANNES BEVERLAIUS, natione Anglus, ab Oppido *Beverlaio*, Diœcesis Eboracensis sic denominatus, Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor, & Professor Oxoniensis, magnam ingenii doctrinæque famam apud omnes consecutus, floruit circà annum 1390. scribens,

1. *In Magistram Sententiarum*, *Libros IV.* Qui incipiunt : *Utrùm anima separata.* Extant Mss. hæ Quæstiones Oxouiæ, io Collegio Reginæ.
2. *Disputationes ordinarias*, Lib. I. Extant ibidem Mss.

Eum laudant Joannes Lelandus, Pitseus, & Balæus de *Scriptoribus Angliæ :* Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ.* Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1391. *num.* 4. *pag.* 712. Cassanatus, in *Paradiso Carmelitani Decoris*, *pag.* 318. ubi corruptè illum vocat BEAERLAIUM. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 197.

CXXXVIII.

JOANNES LEBLANC, Cadurcensis Carmelita, Provinciæ Aquitaniæ alumnus, imò & Præfectus, ex illustri familia natus; sacræ Theologiæ Professor, qoin & Theologiæ Cathedræ tenendæ jus in Academia Cadurcensi restitui curavit suis Sodalibus Carmelitis, litem movens & causam, ex Sententiâ Procerum Academicorum obtinens, adversùs Reverendos Patres Trinitarios, eamdem Cathedram jamdudùm servantes, ut monuimus *super. pag.* 769.

CXXXIX.

JOANNES BLOXAMUS, Anglus, in Carmelo Cestrensi professus, sacræ Theologiæ Doctor & Prælector Oxoniensis. Vir pius, prudens, eruditus, & omni tùm divinâ, tum humanâ Philosophiâ versatissimus. Propter virtutes exploratas, & animi miram moderationem, atque constantiam, à suis electus est per Angliam Provincialis. Deindè ad omnia Monasteria soi Ordinis in Scotia & Hibernia destinatus Visitator. Proximus, ut videtur, post Joannem Baconthorpium Provincialis, munus in Anglia laudabiliter obivit duobus annis cum dimidio.

Cum autem esset penè in sua juventute, Eduardo II. charissimus, & propter exploratam probitatem in ætate provectiori Regi Eduardo III. notissimus, in rebus difficillimis non semel, tum in Scotiam, tum Hiberniam honoratissimas habuit Legationes. In quibus dum versaretur, nonquam qooad fieri potuit, Ordinis negotia neglexit; imò per illas occasiones multùm promovit. Io Hibernia, super quorumdam abusuum reformatione, Primores convocavit ad locum qui dicitur *Atrium Dei :* ubi suâ prudentiâ & autoritate multa utiliter correxit, & feliciter emendavit. Oxonii tandem mortuus & sepultus est circà annum à Virgineo Partu 1334. Scripta ejus inscribuntur :

Facultate Parisiensi Theologus. Doctor anno 1610. renuntiatus, Philosophiæ ac Theologiæ in Collegio Generali Maubertino Professor, Provinciæ Franciæ Superior Provincialis, necnon in diversis Galliarum Provinciis Commissarius Generalis, decessit Rhemis senio confectus, anno 1652.

Scripsit,

1. *Lecturas Logicales*, Lib. II. quas utrasque Parisiis perlegit, teste M. Antonio Alegreo Cassanato, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 484. undè Ludovicus Jacobus transtulit in suam *Bibliothecam Carmelitanam Mss.* Mentionem ejusdem Joannis Bourgoin habet Hugo à S. Francisco, in *vita Philippi Thibault*, *cap.* 20. *pag.* 156. ubi notatur quod anno 1618. primâ vice Prioris munus gereret in Conventu Maubertino.

CXLVI.

JOANNES BRAMMARTIUS, vernaculè Brammaert, à Cassanato Brammartus, à Possevino Brammart, a Lezana Bramant dictus, patriâ Aquisgranensis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus, & secularis Philosophiæ, juxtà consuetudinem Scholasticorum illius temporis enucleator celeberrimus, ingenio & eloquio clarus, in declamandis sermonibus Concionator egregius, Doctor Theologus Parisiensis, in Capitulo Generali Bambergensi, anno 1385. Prior Provincialis Germaniæ inferioris, & Definitor Generalis, ac iterùm in Comitiis Generalibus Francofordiæ, anno 1393. celebratis nominatus. In Capitulis autem Brixiensi, anno 1387. Placentino, 1396. & Silvarum, 1399. Provincialis ejusdem Provinciæ adhuc dicitur.

Coloniæ quid præstiterit Joannes Brammartius circà Universitatis, seu Theologiæ Facultatis institutionem, legitur in Libris hujus Universitatis, necnon in Diariis Provinciæ Carmelitarum Germaniæ inferioris, ubi hæc leguntur. » Joannes Brammart, Doctor Parisiensis, Allemaniæ inferioris Prior Pro- » vincialis, fuit unus ex primis Auctoribus novæ » Academiæ, sive Universitatis Coloniensis circà » annum 1388. institutæ per tredecim Doctores Sor- » bonicos : inter quos fuere quinque ex Regulari- » bus, scilicet ex Ordine Carmelitano Mag. Joannes » Brammart, acto Provincialis, & Magister Simon » de Spira, Regens Studii Carmeli Coloniensis.... » Cui Universitati, anno 1391. Conventus Colo- » niensis, cum omnibus suis personis, præsentibus » & futuris, incorporatur in die Conceptionis Im- » maculatæ Virginis 8. die mensis Decembris, com- » parentibus in refectorio Fratrum Ordinis B. Mariæ » Virginis de Monte Carmeli, domûs Coloniensis, » horâ vesperarum, D. Rectore, & Universitate » Coloniensis Studii, necnon Fr. Joanne de Raude, » de Mediolano, Magistro Generali dicti Ordinis, » Fr. Joanne Brammart Provinciali, Simone de Spi- » ra, Magistris in Theologia, ac Priore, totoque » Conventu dictæ domûs præfati Ordinis.

» Instat etiam apud eamdem Universitatem præ- » fatus Magister Joannes Provincialis, & Magister » Simon, quatenùs de cætero omnes sermones La- » tini, ad Clerum Universitatis faciendi in festivi- » tatibus B. Mariæ Virginis, vel saltem in quatuor » ejus festis, debeant fieri in eodem Conventu dum- » taxat : Quod eadem Universitas hìc concessit, & » ordinavit : sicque per duo fermè secula, hujusmodi » Collationes, & sermones habiti sunt in professis » B. Virginis conceptæ, natæ, purificatæ & assum- » ptæ. Ex quibus modo unicus in Vigilia Assumptio- » nis, adhuc est in usu : per quem sermonem habi- » tum Orator supplet unam responsionem Theologi- » cam in Schola, publicè, pro Gradu Licentiæ adi- » piscendæ, faciendam. In eodem Conventu Coloniensi Joannes Brammart moritur, sepultus anno Domini 1407. postquam scripsisset,

1. *In Magistrum Sententiarum Commentaria Libris IV.* quos Parisiis complevit, anno Domini 1380. inquit Trithemius, in *Lib. de Scriptoribus Ordinis Carmelitici*, qui promulgatur *tomo* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 899. *num.* 3097. Hoc Brammartii Opus, incipit : *Verbum Domini super Joannem.*

2. *Sermones varios*, Lib. I.

3. *Varias Quæstiones*, *nempè de SS. Trinitate : De veritatibus Theologiæ : De Visione Dei : De Beatitudine Animæ : De Deo in se : De Paradiso Terrestri : De Mundo : De Adventu Christi contrà Hebræos : De sancto Sacrificio Missæ : De suffragiis pro defunctis.* Quas Quæstiones *Mss.* asservari in Bibliotheca Carmelitarum Florentinâ affirmat Augustinus Biscarreros.

Joannem Brammart laudant Trithemius, loco citato ; necnon *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap.* 628. atque de *Scriptoribus Germaniæ*, *cap.* 147. Guillelmus Eiseingrenius, in *Catalogo testium veritatis* : Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali* : Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 828. Jacobus Auzolinus Peyreus, in *sancta Chronologia* : Joannes Rioche, in *Compendio Historiarum* : Bartholomæus Fizen, in *floribus Ecclesiæ Leodiensis* ; Valerius Andræas Desselius, in *Bibliotheca Belgica* : Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 400. Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *tomo* 1. *pag.* 589. ubi animadvertit Joannem Brammart a Senato Coloniensi Romam delegatum fuisse, ut ab Urbano VI. Pontifice Maximo Privilegia, doctosque ad restituendam Universitatem viros impetraret. Quod vallè convenit Relationi, quæ habetur in Libris Universitatis Coloniensis, & in Libris Provinciæ Carmelitanæ Allemaniæ inferioris, ubi legitur quod primi Auctores hujus Academiæ, *petitâ & obtentâ Bullâ ab Urbano VI. datâ Pontificatûs sui anno undecimo, qui erat annus Christi* 1388. *anno sequenti* 1389. *die* 5. *Januarii, in Vigilia Epiphaniæ Domini, hujusmodi Universitatis solemne fecère initium : primâ lectione Academicâ habitâ super verbis Isayæ :* Surge illuminare Jerusalem : quia venit lumen tuum. Ita Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 970. *num.* 3408. Omitto Lezanam ad *annum* 1407. *pag.* 763. 764. Cassanatum, *pag.* 327. Petrum Lucium, in *Biblioth. Carmelit. pag.* 44. Joannem Palæonydorum, in *Fasciculo tripartito*, *Lib. III. cap.* 12.

CXLVII.

JOANNES BRISELOTUS, vernaculè Briselot : Cassanato Brixillotus, aliis Brixilitus, aliis Brisselottus, Valencenois seu Valentianæ in Comitatu Hanonniæ, è parentibus egenis natus, per peritiam à pueritia experitam paulisper vel potiùs paulatim nobilitatus est. Namque juvenis artibus liberalibus intendens, præ inopia & candelarum defectu, in plateis ad lampades aut lucernas Dei-paræ Imaginibus appensas studere solitus, ab ea dicitur visus animari cœlitùs, & impelli ad studiorum labores fuisse, spe gloriæ futuræ. Quibus solerter eruditus, Carmeli Valencenensis incolis innotescens, eorum sodalitio cooptatus, ultimam Linguæ Latinæ, Græcæ, etiam Hebraicæ lineam, limamque comparavit.

Doctor Thologus Parisiensis, anno Domini 1502. Laureatus ac Professor : dein electus Prior Carmeli Valencenensis, Caroli V. Cæsaris à Confessionibus & Consiliis fuit ; cujus liberalitate Abbas S.

Petri Altimontensis, Ordinis S. Benedicti, anno 1508. die 8. Aprilis constitutus, postquam anno præcedenti fuisset electus Episcopus Beritensis, io partibus Infidelium, & institutus Soffraganeus Cameracensis, ut posset exercere Pontificalia in Urbe & Diœcesi Cameracensi. Qua in dignitate Pontificalia constitutus, *capiens ut Capella sanctæ Crucis propè Mechliniam, quæ valgariter Bruyne-Crays nuncupatur, Cameracensis Diœcesis, debitis ac congruis frequentaretur honoribas, & à Christi fidelibus jugiter visitaretur*, Christi fidelibus verè contritis, confessis, & Capellam istam visitantibus, Festis S. Crucis, & quibosdam aliis, concessit *Indulgentiam XI. dierum*; sicuti constat ex ejus Decreto *dato Mechliniæ, anno 1511. in Februario.*

Eodem anno, infrà Octavam Dedicationis Ecclesiæ Antuerpiensis Carmelitanæ, in Septembri, consecravit ejusdem magnificum Chorum: & anno 1517. die 4. Junii consecravit Capellam cum Altari, juxtà introitum Conventûs sitam.

Eodem anno 1517. in Cameracensi Suffraganeatu illi suffectus fuit AORIANOS ARNOLOI, Carmelita Brugensis; quia BRISELOTOS ipse promotos fuit ad Ecclesiam Arborensem, Metropolitanam in Sardinia, die Mercurii 23. Decembris, propter quam & die Veneris, 29. Januarii, anno sequenti 1518. Pallium accepit à LEONE X. Pontifice Maximo. Verùm, cum magis necessarius Belgio videretur, ad eam Italiæ Infulam ounquam appulit, Vicario Archiepiscopali usus Magistro JOANNE FABRI, Presbytero, ad S. Germanum in Montibus Canonico. Dein, annuentibus LEONE X. Pontifice, ac CAROLO V. Cæsare, Archiepiscopatom hunc (solo contentus titulo) cessit, reservatis sibi medietate fructuum ejusdem mensæ, & collatione beneficiorum, & denominatione Archiepiscopi, die Lunæ, 16. Aprilis, 1520.

Quo anoo die XI. Septembris obiit vir in omni disciplinarum genere peritissimus Joannes Briselotus, & Concionator celeberrimus: Qui, ob profundam eruditionem, & præclaras animi dotes, omnibus viris Literatis, præsertim DESIDERIO ERASMO, Roterodamo, Literarum ocelio, unicè charus, qui io Epistola quadam BRISELOTUM vocat *anum è luminaribus Ecclesiæ*. Ipse, inquam, Briselotus ætate provectus, morteque subitaneâ oppressus, occubuit in Abbatia Altimontensi, ubi corpus ejus terræ mandatum fuit: Cor verò & intestina in Choro Ecclesiæ Carmelitanæ Valencennensis, juxtà altare condita sunt in marmore sepulchrali; cui ferè eadem, quæ in sepulchro Altimontensis Ecclesiæ, insculpta sunt, nempè

D. O. M.

HIC IACET R. D. D.

† JOANNES BRISELOT, THEOLOGIÆ

QUONDAM PARISIENSIS DOCTOR,

CAMERACENSIS DIŒCESIS

SOFFRAGANEUS, AC ABBAS ALTIMONTENSIS:

QUI SUB CAROLO V. CÆSARE,

ARCHIEPISCOPATUM ARBORENSEM,

REGNIQUE SARDINIÆ PRIMATUM ADEPTUS,

CONSILIARIUS, CONFESSORQUE.

ANNO M. DXX. SEPTEMBRIS XX.

POST CARMELI HUJUS

REGIMEN TERMINAVIT.

Orate pro eo.

Errorem irrepsisse in hoc Epitaphium patet ex eo qood dicitur *Primas Sardiniæ*; cum Primatus hujus Insulæ pertineat ad Ecclesiam Archiepiscopalem *Calaritanam*. Errore altero laborat idem Epitaphium circà diem obitûs Joannis Briselot, qoem rectiùs designat alterum Epitaphium, quod in Abbatiâ Altimontensi legitur suprà portam Sacristiæ.

D. O. M.

Hic jacet R. in Christo Dom. † *JOANNES BRISELOT, sacræ Theologiæ Professor, Dei gratiâ Arborensis Archiepiscopus, ac hujus Cœnobii Abbas, atque Serenissimi Imperatoris CAROLI V. Confessor: qui obiit anno Dom. vigesimo suprà millesimum quingentesimum: mensis verò Septembris die undecimâ, circà quintam post mediam noctem. Orate pro eo.*

Deficit nihilominus secundum istud Epitaphium in eo quod nihil dicat de professione Carmelitica, quam annis ætatis suæ prioribus sustinuit JOANNES BRISELOT.

Quoad istam vitæ illius primævæ conditionem, rectè legitur in Catalogo ac serie Abbatum Altimontensium: *JOANNES BRISELOT, Carmelita, Doctor Sorbonicus, Prior S. Salvii, Imperatoris CAROLI V. à Confessionibus & secretis Consiliis, Suffraganeus Cameracensis, Episcopus Beritensis, Archiepiscopus Arborensis, Sardiniæ Primas, hujus Monasterii Abbas, Præpositusque S. Georgii de Hanzines. Obiit Altimontii undecimâ Septembris, anno* 1520.

Ludovicus Jacob, io *Bibliotheca Carmelitana, Mf. pag.* 199. dixit Joannem Briselot Montibus Hannoniæ natum; idem edidit in *Bibliotheca Belgica* Joannes-Franciscus Foppens, *pag.* 591. Atrebatinum scripsit eum Cassanatus, *pag.* 381. Ast *Ephemerides Carmeli Valencenensis* expressè denotant: *Reverendissimus Pater atque Dominus JOANNES BRISELOTUS, Valencenis ab egenis parentibus ortus, &c.* Consequenter refertur quod in Calice argenteo eidem Conventui Valencenensi legato insculptum est: *JOANNES, Arborensis Archiepiscopus, necnon Abbas Altimontensis.* Hæc omnia ferè singula sunt excerpta è *secundo tomo speculi Carmelitani, pag.* 933. & 934. *num.* 3269. & 3270. Videamus quæ sint Briseloti scripta:

1. *In sacram Scripturam Commentaria*, Lib. I. Citantur à Cassanato, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 381. à Ludovico Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mf. pag.* 199. à Jacobo Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag.* 651. *col.* 2. *E.* ubi testem appellat Franciscum Swertium. At Swertius, in *Athenis Belgicis, pag.* 401. tacet omnimodè do illis Commentariis; Præterea Jacobus Lelong BRISELOTUM appellat *Montensem*; sed Swertius genericè *Hannonium* denominat: satiùs laudasset Possevinum.
2. *Lectura Sententiarum*, Lib. IV.
3. *In Psalmos Pœnitentiales.*
4. *De Eucharistia*, Lib. II.
5. *De Oratione assiduâ*, Lib. I.
6. *Orationes ad Clerum XL.* Si fides detur *Bibliothecæ Carmelitanæ*: Ludovicus Jacob, Orationes autem XI. tantum, si credamus Joanni-Francisco Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, ubi Briseloti elucubrationes has qoinque solummodò citat ex Valerio Andreâ, tametsi nondum editas.

7\. *De humanis sensibus*, Lib. I.
8\. *Imogo Pœnitentiæ*, Lib. I.
9\. *De morte inevitabili*, Lib. II.
10\. *Impedimenta resipiscentiæ*, Lib. I.
11\. *De Causarum Advocatis*, Lib. I.
12\. *De vitiis Adalatorum*, Lib. I.
13\. *De Blasphemiâ ia Deum*, Lib. I.
14\. *De Proximorum detractione*, Lib. I.
15\. *Adversùs derisores bonarum*, Lib. I.
16\. *Adversùs peccata*, Lib. I.
17\. *De Adventu Christi in carnem*, Lib. I.
18\. *Quadragesimalia duo*, Lib. II.
19\. *Sermones de Tempore*, Lib. I.
20\. *Sermanes de Sanctis*, Lib. I.
21\. *Collationes triginta feriales*, Lib. I.
22\. *Epistola ad diversos*, Lib. I.

Ubi hæc Opera asserventur vel edita, vel Manuscripta, nemo dixit eorum qui laudant Briselotum: putà Philippus Brassorius, in *Originibus omniam Hannoniæ Cœnobiorum:* Possevinus, in *Apparatu sacra, toma* 1. *pag.* 828. Fabianus Justinianus, *Lib. III. de sacra scriptura:* Hippolytus Marracius, in *Bibliotheca Mariana:* Petrus de Alva, in *Militia Immaculatæ Conceptionis:* Joannes Balæus, *tomo* 2. *Illustrium Scriptorum:* Claudius Robertus, *tomo* 4. *Galliæ Christianæ.* Joannes-Baptista Lezana, *ad annum* 1505. *pag.* 1017. *num.* 4. ubi animadvertitur Petrum Terasse, supremum Ordinis Carmelitici Generalem & Moderatorem, concessisse licentiam Fratri *Quiata de Ladris*, inserviendi Revereodissimo Domino Briselotto, Beritensi Episcopo: & ut, quamdiu mansurus esset in Conventu Valencenarum, locum haberet, & vocem activam & passivam. Mitto alios domesticos testes.

CXLVIII.

JOANNES BRUNIUS, vulgò DE BRUYNE, natione Belga, patriâ Bruxellensis, Gandavensis, ibidemque Prior Conventûs anno 1467. sacræ Theologiæ Licentiatus ac Professor: Vir morum & doctrinæ ornamentis clarus, mirificisque ingenii dotibus excellens, obiit Bruxellis, anno Domini 1450. in die SS. Sacramenti, sicuti legitur io Necrologio Bruxellensium Carmelitarum. Scripsit autem,

1\. *Commentaria in Ecclesiasticum*, Lib. I. vel *in Ecclesiasten*, si audiantur Alegreus Cassanatus, & Jacobus Lelong, qui ultimus assignat duos Libros: sed Swertius, Foppens, & Jacob dicunt, in *Ecclesiasticum*, Lib I. Possevinus breviatim, in *Ecclesiast.*

2\. *In Epistolas D. Pauli Commentaria, Lib. II.* prout designant Swertius & Jacob: sed iodeterminate loquuntur Possevinus & Lelong: Unum vero tantum assignat Cassanatus.

3\. *In Magistrum Sententiarum, Lib. IV.* juxtà Cassanatum & Ludovicum Jacob: alii autem numerum Librorum tacent penitùs.

De Joanne Bruyno, seu Brunio loquuntur Valerius Andreas, in *Bibliotheca Belgica:* Franciscus Swertius, In *Athenis Belgicis, pag.* 402. Fabianus Justinianus, *Lib. III. de sacrâ scripturâ:* Possevinus *tomo* 1. *Apparatûs sacri, pag.* 829. Joannes-Franciscus Foppens, io *Bibliotheca Belgica, tomo* 1. *pag.* 594. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag.* 654. *col.* 2. *E.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 200. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ:* Daniel à Virgine Mariâ, *pag.* 1107. *col.* 2. *num.* 3925. Alegreus autem Cassanatus, io *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 357. testem appellat non Arnoldum Bostium, sed Possevinum, & quemdam *Arnolphum, de viris illustribus Belgiæ* Scriptorem: Denique Joannes-Baptista Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1249. *pag.* 320.

CXLIX.

JOANNES BUC Vota solemnia in celeberrimo Carthusiano Ordine emiserat, antequam Ordinem Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo fuisset ingressus. Sed cum nequiret certis ex causis legitimis io ipso Carthusiensi Ordine remanere, ad Sedem Apostolicam accessit pro remedio salutari, & à Gaucelino Episcopo Albanensi, Pœnitentiariæ Romanæ curam gerente, obtinuit Literas in forma solita, quod de dicto Carthusiensi Ordine posset ad alium arctiorem Ordinem se transferre: tumque apud Sedem ipsam personaliter constitutus, ad Ordinem Carmelitarum intravit; & in eo professionem emisit.

Verumtamen quidam huic conscientiam fecerunt, quod ipse Ordo Carthusiensis esset strictior quàm dictus Ordo Carmelitarum: Sed periti responderunt, quod quamvis Professores prædicti Ordinis Carthusiensis, qui redditus & possessiones obtinent in communi, habeant diversas cæremonias silentii, solitudinis & abstinentiæ; sola tamen Mendicitas, quæ magis propinqua est virtutibus, multis de causis, & rationibus, facit Ordines Mendicantium arctiores, & ipsorum Mendicantium Ordinum Professores reputari perfectiores, quàm alii Religiosi io quibus redditus & possessiones in communi existant.

Unde Benedictus XII. summus Pontifex, de concilio hujusmodi Peritorum, Literas Apostolicas die 4. Novembris, anno M. CCCXXXV. dicto Joanni Buc dedit: quarum vigore posset (ut desiderabat) in dicto Carmelitarum Ordine permanere; quidquid Æmuli adversùs eum obloquerentur, atque labia detractionis aperirent.

Joannes Buc scripsit *plurimos Libellos supplices*, quorum hactenùs mentionem fecimus, tum ad suum è Carthusiensi egressum, tum ad suum in Carmelitarum ingressum legitimè obtinendum, tum ad suæ emergentes conscientiæ scrupulos tutò certéque levandos; sicuti legitur *tomo* 1. *Bullarii Carmelitarum, pag.* 70. & 71. Ubi notatur Autographum Literarum Apostolicarum Benedicti XII. asservari in Conventu Carmelitarum antiquiorum Avenionensi; Epigraphum autem authenticum Romæ in Archivio Ordinis Carmelitici, quod extat in Monasterio S. Mariæ Transpontinæ.

Hinc viderit Auctor octavæ vitæ Benedicti XII. scribens quod hic summus Pontifex Ordines *Mendicantes suprà modum per facti evidentiam exosos habebat. Paucos vel nullos de ipsis Ordinibus promovebat. Dissensiones eorum libenter audiebat.* Apud Baluz, io *Vitis Paparum Avenionens. tomo* 1. *pag.* 241. Et Auctor vitæ secundæ, *ibid. pag.* 218. 219. *Nisi mors eum, prout Domino placuit, prævenisset, cæteros Mendicantium Ordines, velut habetur, in pluribus negligentia deformes sua justa judicii similiter reformasset.* Nam, ut alios ex Ordine Carmelitas omittamus ad Infulas assumptos,

Novimus Richardum Quye, Anglum, anno 1340. Episcopum Clonensem in Hibernia sub Archiepiscopatu Casselensi. Novimus Jacobum de Venetiis, anno eodem 1340. Episcopum Evelonensem seu Ebolensem. Novimus Petrum de Casa, Episcopum Vasionensem io Gallia, die 7. Decemb. 1341. cujus institutionis Bulla ab ipso Benedicto data legitur in *Bullario Carmelit. toma* 1. *pag.* 569. Alias novimus eum Pontificem Carmelitis permisisse, ut vetus Monasterium Perusinum an-

no 1296. fundatum in locum aptiorem ejusdem Civitatis transferrent, de eo datis Literis Apostolicis die 2. Augusti 1545. ejus Pontificatûs anno primo, prout in eodem *Bullar. Carmelit. tomo* 1. legitur *pag.* 70. Iis etiam eod. die & anno Facultatem dedit dimittendi locum extrà Civitatem Urbevetanam, & alium recipiendi in eadem Civitate, sicut ibidem legitur, *pag.* 560.

Benedictum in Carmelitici Ordinis Religiosos Benedictum indè facile concluderem; ast eum ideò fuisse Carmelitam non assererem. Petrus quidem Lucius, ut hanc Sententiam confirmet, affert auctoritatem Catalogi Theologorum Universitatis Tolosanæ, ubi istum recenseri ait inter Carmelitas, & Epitaphium Sepulchro ejus, ut testatur *Claudius de Ville*, in Libro heroicorum Epitaphiorum secundo adscriptum, quod sic habet: *Hic jacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Cassinus aluit, Vaticanus coronavit.* Verùm hæ probationes nullius momenti esse videntur viro antiquitatum scrutatori diligentissimo Stephano Baluzio, loco citato, *pag.* 796. 797.

» Catalogus enim Theologorum Tolosanorum » non ostenditur; & licet ostenderetur, adhuc tamen » superesset investigandum an scriptus foret ævo Be» nedicti, & à quâ manu. Quoad Epitaphium verò, » merum commentum est, in quo nihil veri. Præ» tereà certum est illud Sepulchro ejus adscriptum » non fuisse. Adde testimonium Ipsius Benedicti, » qui in Literis quas in exordio sui pontificatûs scrip» sit ad Cistercienses, testatur se ab adolescentia sua » sustulisse jugum ejusdem Ordinis, & in eo juven» tutis suæ tempora peregisse, ejusque effectum fuis» se alumnum. Confirmatur illud ex *secunda & quin»ta vita* ejusdem *Benedicti*, in quibus scriptum est, » *pag.* 213. 229. eum tempore pubertatis suæ ingres» sum esse Monasterium Bolbonense, Cisterciensis » Ordinis, & ibidem fecisse professionem; & ex » Nicolao Speciali *Lib. VIII. cap.* 5. qui ait eum » fuisse nutritum in Ordine Cisterciensis, *quem Cis»terciensis Ordo nutriverat.* Denique non fuit factus » magister in Theologia in Academia Tolosana, » sed in Parisiensi, ut legitur in *quinta ipsius vita*, » *pag.* 229. Ex quibus argumentis simul collectis » colligi videtur certò posse eum admodùm juvenem » fuisse monachum Cisterciensem, adeóque non fuis» se Carmelitam » diu, & nisi cum primos juventutis artus gereret, & in humili fortuna constitutus, vestem Carmelitanam (pro more illorum temporum) gestaret, primis disciplinarum rudimentis educandus, prout indicant hæc verba: *Quem Carmelus protulit.*

C L.

JOANNES BYRDUS, natione Anglus, patriâ Conventriensis, Theologus Oxoniensis, trigesimus secundus & ultimus in eo Regno Provincialis Carmelitarum. Ob conciones quasdam, inquit Balæus, quas anno Domini 1537. contrà Primatum Rom. Pontificis, coràm Illustrissimo Rege HENRICO VIII. ac Regni primoribus fecit, illum idem Periceusem, Bangorensem, ac tum demùm Cestriensem Episcopum regiâ autoritate constituit. Ad Catholicam Ecclesiam rediisse fertur, & anno 1556. in sua Sede Cestrensi quietè obiisse, anno secundo Catholicissimæ Reginæ MARIÆ, HENRICI VIII. Filiæ.

Scripsit,

1. *Lectiones in Paulum*, Lib. I.
2. *De Fide justificante*, Lib. I.
3. *Humilias eruditas*, Lib. I.
4. *Epicedium ab ipso in quemdam Edmundum, prosâ editum aliquandò vidi*; inquit præmemoratus Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Britanniæ, Centur. IX. cap.* 70. Joannis Byrdi mentionem quoque facit Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. ad annum* 1240. *pag.* 297. Bis electus est in Provincialem: scilicet, anno 1516. & præfuit tum annis tribus, successoremque habuit Robertum Lestery: post quem iterùm electus est Joannes Byrdus, anno 1522. & rexit annis sexdecim.

C L I.

JOANNES CAMPENSIS, vernaculè CAMPEN, vel DE CAMPEN, aliàs CAMPANUS, apud Frisios Carmelita Philosophus, Theologus insignis circà annum 1404. Scripsit,

1. *In Magistrum Sententiarum*, Lib. IV.
2. *Summulas Artium.*
3. *Quodlibetarum aptat.*

Hæc Joannes Campensis opera referunt Possevinus, *tomo* 2. *Apparatûs sacri*, *pag.* 831. Alegreus Cassanatas, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 325. Valerius Andræas, in *Bibliotheca Belgica*: Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 406. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 1107. *col.* 2. *num.* 3925. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 173. Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *tomo* 1. *pag. ultimâ*, *seu* 600. ubi testem appellat Bibliothecam Tigurinam, ex Joanne Grosso, Carmelita Tolosano, qui viridarium Institutionis & progressus ejusdem Ordinis scripsisse dicitur.

Verùm ipse ut dicam quid sentiam: in illo *viridario Joannis Grossi*; sicut editum est, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *a pag.* 131. *ad paginam* 144. Nec una quidem vox habetur de *Joanne Campensi*, qui coætaneus fuit *Joanne Grosso*. At æque fatendum, quod *viridarii* hujus vetusta exemplaria, quæ passim hinc inde extant *Mss.* non convenire omnino cum illo *viridario* quod *Venetiis* fuit typis editum, *anno* 1507. ad finem *Speculi Ordinis Carmelitici*. Manuscripta continent plura quam illic impressum. Quod autem *Antuerpiæ*, *anno* 1680. promulgatum fuit in *tomo* 1. recentioris *Speculi ejusdem Ordinis*, à Daniele Carmelita, illud *viridarium* desumptum est ex *Mss.* exemplaribus, tum *Mechliniensi* exarato anno Christi 1484. per Joannem *Oudewater*, aliàs *Palæonydarum*, tum ex *Bruxellensi*, in vetusto Codice *Ms.* inter se, & cum *Veneto* impresso collatis.

C L I I.

JOANNES DE CAMPO LONGO, natione Catalanus, Perpiniacensis patriâ, ibi inter Carmelitas ascitus, Philosophiæ & studium ita promovit, ut lauream Magisterii promeritus sit utriusque; Concionator etiam evasit adeò facundus & egregius, ut ob ingentem ejus doctrinam, morum integritatem, animi candorem, & divinam sapientiam à *Martino V.* Institutus fuerit Episcopus *Ussellensis*, seu *Usellensis*, *Usellipolitanus* in Sardinia, die 14. Maii 1421. prout legitur in *Actis Consistorialibus ejusdem Pontificis*. Scripsit,

1. *In Magistrum Sententiarum*, Lib. IV. *Commentaria.*
2. *Conciones de Tempore, de Sanctis, & de Quadragesima.*

Mentionem ejus habent Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 246. Lezana, *tomo* 4. *pag.* 201. sed perperàm vocant eum Episcopum Elnensem, & pejus ad annum 1331. remittit Cassanatus: Quo tempore Guido Perpiniacensis sedebat

I.

J.

Episcopos Einensis, rectiùs loquitur Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 934. *num.* 3271.

CLIII.

JOANNES CAMPSCENUS, aliàs CAMPSENUS, CAMPSCONENSIS, CAMPESCEN, CAMSCEN, CAMSCON, corruptè CANSCON, natione Anglus, Vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus, atque secularis Philosophiæ non ignarus, ingenio præstans, & clarus eloquio, Concionator ad populum præcellens, floruit anno 1341. postquam scripsisset,

1. *Sermones de Tempore*, Lib. I.
2. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.

Joannem Campsenum commemorant Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Eccles. cap.* 695. Joannes Pitseus, *Lib. de Scriptoribus Angliæ*, *ætate* 14. *num.* 519. Antonius Possevinus, *tomo* 1. *Apparatûs sacri*, *pag.* 831. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 189. Joannes-Baptista Lezana, *ad annum* 1341. *pag.* 531. *num* 5. Petrus Lucius, In *Bibliotheca Carmelitana*: Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca Latina mediæ & infimæ Latinatis*, *tomo* 1. *pag.* 174.

CLIV.

JOANNES CARTHENIUS, vulgò CARTIGNY, aliàs CARTÊNIUS, natione Belga, provinciâ Hanno, Sacramento religiosorum votorum Valencenensis Carmelita, indè verò Conventui Bruxellensi affiliationi addictus, sacræ Theologiæ Doctor, in Capitulo Provinciali Mechliniæ celebrato anno 1554. Dominicâ sextâ post Trinitatem instituitur Regens Studii Carmelitarum Bruxcliensium, quibus postquàm Prior præfuisset, Professionis vices ibidem annis multis studii Theologici gessit. Intereà Provinciæ Definitor semel & iterùm electus, anno 1564. interfuit Capitulo Generali Romæ in Conventu *S. Martini in Montibus* celebrato, primus socius *Joannis Maieri*, Provincialis à Provincia delegatus.

Vir Hebraicæ, & Latinæ Linguæ insigniter eruditus, cum Valencenis & in ejus territorio eruditissimas per Quadragesimam haberet Conciones, à quibusdam æmulis delatus fuit, tamquam minùs rectè de nonnullis sentiens; & ideo Bruxellas, velut In exilium missus. Verùm detectâ malevolorum falsâ calumniâ, ad præfata munia dimissus, & habitus inter primarios tunc temporis in Ordine viros; adeò ut etiam Illustriss. D. Archiepiscopi Cameracensis, Theologus & intimus fuerit Consiliarius assumptus.

Quæ quidem præcipua distinctio in causa fuit cur anno 1565. die 21. Julii, Festo S. Mariæ Magdalenæ, concionem habuerit in Concilio Cameracensi. Suspicionis ergò vitio non levi laborant Annales Hannoniæ, anno 1539. asserentes *Carthenium* publicè abjurare in Ecclesia *sanctæ Waldetrudis Montibus* jussum fuisse hæretica dogmata, quæ antè hac in Academia Lovaniensi propugnarat: eumque carceris perpetuâ pœnâ condemnatum. Obiit *Cameraci*, anno 1580. præsente & lugente viro clarissimo Dom. MARTINO VANOEN ZANOE Canonico, testimonium ferente de ejus assiduo studio, & piâ vitâ. Illius etenim studii monumenta sunt,

1. *Paraphrasis in septem Psalmos Pœnitentiales*, Verbis Elegiacis. Lib. I. Asservatur Ms. in publica Bibliotheca Ecclesiæ Tornacensis.

2. *In Apocalypsim S. Joannis Commentaria*, Lib. I. Quorum meminit Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra*, *pag.* 570. Jacobus Lelong, in *Bibliatheca sacra*, *pag.* 669.

3. *In Epistolas aliquot D. Pauli.* Antuerp. 1558. *Tom. I.*

4. *De quatuor hominis Novissimis*, scilicet, de Morte, de supremo Judicio, de Pœnis inferni, & Gaudiis Paradisi. Antuerpiæ, anno 1558. apud Joannem Bellerum; unà cum Ludovico Granatensi, & Ægidio Topiario, de eadem re 1. vol. *in* 16.

5. *Oratio habita in Concilio Cameracensi*, anno 1565. Extat ad calcem ejusdem Concilii, necnon *tom.* 15. *Conciliorum* Collectionis Labbeanæ, *pag.* 225.

6. *Le Voyage du Chevalier Errant*: id est Latinè: Itinerarium Equitis Errantis, à Luca Bellero versum in sermonem Latinum, sed nuspiam editum. Gallico tamen idiomate citatur à viro clariss. Dom. Nicolao Lengiet Dufresnoy, In Opere Anonymo Gallicè inscripto: *La Bibliotheque des Romans*, *tom.* 2. *pag.* 172. *lin.* 5. ubì Joannes Carthenius malè vocatur DOMINICANUS.

7. Gallicis Rithmis donavit *Orationem parænetican Agapeti*, Constantinopolitanæ Ecclesiæ, anno 527. Diaconi, quâ Justinianum Imperatorem monet, quomodò in Imperio se gerere debeat. *Codex Ms.* asservatur in Regia ad S. Laurentium Bibliotheca.

Joannem Carthenium laudant Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 824. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 408. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 606. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliatheca*, *pag.* 45. Lezana, *tomo* 4. *ad annum* 1149. *pag.* 320. *lin.* penè *ult.* Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 5107. *num.* 3926. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 416. & 431. ubì duos in viros dividit unum Carmelitam.

CLV.

JOANNES CENSIER, natione Gallus, patriâ Andegavensis, Carmelita Provinciæ Turoniæ alumnus, sacræ Theologiæ Magister, electus est Episcopus Veriensis sub Metropoli Thessalonicensi, & institutus Suffraganeus, ad exercitia Pontificalia in civitate & Diœcesi Andegavensi, die 25. Martii, anno 1518. sicuti colligitur ex *Actis Consistorialibus Leonis X.* & ex *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 934. *num.* 3272. ubi & CORRETIER BRITO subvocatur. Quid autem scripserit, minimè indicatur, neque indicavit P. Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, qui de illo mentionem habet in suo *Encomio brevi Ms. virorum Illustrium Carmelitarum Provinciæ Turoniæ.*

CLVI.

JOANNES CHELMESTONUS, vulgò CHELMESTON, natione Anglus, patriâ Eboracensis, Doctor Oxoniensis, ejusque Academiæ Professor publicus, sive ut loquuntur, Cathedraticus, inculpatæ vitæ vir, perspicacis ingenii & magnæ doctrinæ: à Gerardo de Bononiâ, Priore Generali, in inferiorem Germaniam missus fuit ut ibì doceret: Quod fecit post annum 1298. Bruxellis & alibi. Quare suis lectionibus & disputationibus, multis aliis literariis exercitationibus celebre comparavit nomen circà annum 1300. scribens,

1. *Determinationes Theologicas*, Lib. I. Incipit: *Utrùm peccata venialia.*

2. *Lectaras Scholasticas*, Lib. I. Incipit: *Utrùm Spiritus Sanctus distingui.*

4. *Sermonum & Collationum*, Lib. I. Quæ omnia quondam servabantur Mss. Norduwici.

Joannem Chelvestenum celebrant Pitseus, *Lib. de Illust. Scriptoribus Angliæ*, *pag.* 372. Gobelinus

Persona, *Lib. de Pœnitentiis*: Joannes Balæus, *Cent. IV. Cap.* 57. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca media & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 181. Joannes de Vineta, in *Chronico*, *cap.* 5. Augustinus Biscarrerus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*, *Lit. J.* Emmanuel Romans, in *Elucidationibus Ord. Carmelit. fol.* 107. *pag.* 2. Lezana *ad annum* 1290. *num.* 10. *pag.* 453. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 116. *col.* 2.

CLVII.

JOANNES CHERECATUS, natione Italus, patriâ Vincentinus, Carmelita Provinciæ Venetæ alumnus; completis Patavii studiis, ibidem Magistri laureâ decoratus est, Provinciam suam rexit Præfectus; deindè totius Ordinis Procurator Generalis, inter primarios sacræ Tridentinæ Synodi Theologos, selectissimis suis concionibus celebris apud omnes; PHILIBERTI BABOO DE LA BOURDAISIERE, Illustrissimi & Reverendiss. Episcopi Antissiodorensis & Cardinalis, cessationem de quibusdam bonis & locis quæ DIOMEDES CARAFFA, Episcopus Ariamensis & Cardinalis, testamento reliquerat FF. Carmelitis Conventûs S. Martini in Montibus, & in litem versabantur, recepit nomine totius Ordinis, & & speciatim nomine FF. ejusdem Conventûs die 20. Martii 1566. uti legere est in *Bullario Carmelitarum*, *tomo* 2. *pag.* 145.

Ubi dictus Magister JOANNES-JACOBUS CHERECATUS procuratorio præfato nomine agnoscens dictum Illustriss. & Reverendiss. D. Cardinalem DE LA BOURDAISIERE, amplissimum de Religione Carmelitana optimè meritum, obsequiis dignissimum ob ejus virtutis præstantiam, beneficentiam, dignitatem, sponte, & ex sua liberalitate, omni animi propensione pollicitus fuit, se obligavit, pollicetur, & se oblig at dicto Illustrissimo & amplissimo D. Cardinali, donec Ecclesiæ *S. Martini* titulo fuerit insignitus, quoties illustrissima dominatio voluerit, & sibi libuerit ad *Stantias* Latinè idem ac Gallicè: *Appartemens*. In illo instrumento enumeratas se recipere, & proficisci, & in eis conquiescere, omni reverentiâ, oti amplissimum Cardinalem & non alio nomine, neque aliter benignissimè acceptare, &c.

Joseph Falconius conjectat Joannem Jacobum Cherecatum nonnulla rei literariæ Opera posteris reliquisse, sed librorum titulos non enuntiat in suo libro *de Illustribus Viris Ordinis Carmelit.* neque alii, qui de eo mentionem fecerunt Scriptores, putà Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 49. *folio verso.* Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1371. *num.* 4. *pag.* 672. Index Theologorum qui adfuerunt Concilio Tridentino: Cyrillus Penneci, in *Gymnasio Carmelitarum ad annum* 1567. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mss. Procuratorum Generalium Ordinis Carmelitarum*.

CLVIII.

JOANNES CHERON, natione Gallus, provinciâ Vasco, inclinante seculo decimo sexto natus est *Burdegalæ*, ubi sacramento professionis Carmelitanæ se devinxit; & post studia Parisiis peracta, Doctoris Theologi lauream, in patria Academia fuit assecutus. Vir pietatis, eruditionis & prudentiæ dotibus praclarus, Juris præsertim Canonici scientiâ præditus, & Mysticâ Theologiâ illustratus, ab Episcopis, Abbatibus, Præsulibus, & hominibus Clericis sæpè consultus: in verbo Dei potens, & Christianâ dives fide comitate, promeruit ut anno 1629. *Marmandæ* cives in Aginnensi Diœcesi Carmelitas petierint, quibus Monasterium sua in Urbe fundaverunt de assensu Illustriss. Dom. DE GALAS, Aginensis Episcopi.

Joannes Cheron pluries Prior, Definitor, suæ ter Provinciæ Præfecturâ potitus, reformationem adeò quæsivit & exoptavit atque strictioris observantiæ zelotes promovit, ut eum R. Prior Generalis Theodorus Stratius Commissarium elegerit ad eam inducendam, fovendam, firmandam & stabiliendam, potissimùm in Conventibus Burdigalensi, Jonzaceosi, Langonensi, & Castilionensi; in quibus sedulò servarentur Statuta, Decretaque tunc Manuscripta reformationis Rhedonensis. Anno 1648. Româ, ubi Comitiis Generalibus interfuerat, rediens, à Barbaris suprà mare captus, Tunicium ductus est cum socio; & ibi vinculis, aliisque captivorum miseriis ambo addicti; donec pecuniis ex unoquoque Provinciæ Cœnobio collectis, quibus & aliæ quorumdam fidelium additæ fuerant eleemosinæ, soluti sunt captivitate.

Quam ampliùs ut sublevaret R. P. Marius Venturinus, diplomate speciali dato die 6. Julii, anno 1654. Provincialem Vasconiæ instituit Joannem Cheronum ad quadriennium, pro testanda ejus observantiæ regula, pro zelo professionis Monasticæ servato, atque pro meritis personæ adjudicandis. Hac autem nominatione commotos dum cerneret animos Joannes Cheronus, forti & humili atque lubentissimâ voluntate suo plenè cessit juri. Anno Domini 1665. Arcam argenteam miro elaboratam artificio, atque auro & lapidibus ornatam pretiosis confici curavit, in quam venerandas S. Simonis Stockii reliquias, ex auctoritate Alexandri VII. & ex facultate Illustriss. Archiepiscopi Burdegalensis, atque ex mandato R. P. Hieronymi Ari, Conventum Burdegalensem actu visitantis, è vetusta & lignea Arca transtulit. Anno 1672. ceu Vasconiæ Ex-præfectus subscripsit in literis autographis, quæ Romam Burdegalâ missæ fuerunt in testimonium miraculi patrati tutamine & ad præsentiam S. Scapularis, in gratiam amplissimi Senatoris Burdigalensis illud gestientis; uti videre est *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 427. *num.* 1535. Opera Joannis Cheron inscribuntur,

1. *De Auctoritate Episcoporum.* Burdigalæ, 1640. *in-8°.*

2. *Privilegiati scapularis, & visionis S. Simonis Stockii. Vindiciæ*, an. 1642. Burdigalæ *in-8°.* apud Perrum Ducoq, *pag.* 192. Dissertatio hæc prodiit adversùs duplicem eruditissimi Viri Domini Joannis Delaunoy Doctoris, Parisiensem Dissertationem, de Viso Simonis Stockii, & de Bulla Sabbatina tractantem, editam Remis-Dorocortorum, sub nomine falso. Lugduni-Batavorum, ex officina Elzeviriana, anno 1642. *in-8°.* Auctore quidem inscio, imò & reprobante, *inprimis quod nonnulla contineret paulò duriora, quæ priùs tolli, vel certè leniri voluisset Launoyus: Deindè, quod fatis accuratè perpensa nondum essent omnia, quæ ab initio sub Calamum venerant*, inquit idem Launoius, in *Præfatione ad secundam Editionem* ejusdem Dissertationis, *pag.* 3. & 4.

Plerisque Carmelitis equidem amarulentior visus est Stylus nostri Joannis Cheron *Vindiciarum*: bonæ namque causæ tuendæ disceptantium modestia non officit, nec opus est veritati patrocinio (asperiorum verborum.) Quod non impedivit quin Reverendissimus & Illustrissimus Dom. Aubertus Vanden Eede, Auberti Miræi nepos, Canonicus & Scholasticus Cathedralis Antuerpiensis, dein Archidiaconus, atque VII. Antuerpiensium Episcopus edi curaret anno 1649. sui Avunculi Bibliothecam Ecclesiasticam de Auctoribus seculi XVII. Cujus cap. CCXXXIII. dicitur quod *Joannes Cheron Gallus, Ord. Carmelita, repressit quorumdam sciolorum te-*

merariam audaciam, contrà S. Simonis Stock *revelationem & sacri Scapularis gestationem scribentium.*

3. *Examen Theologiæ Mysticæ.* Gallicè : *Examen de la Théologie Mystique : Qui fait voir la différence des Lumières Divines de celles qui ne le sont pas, &c.* Paris. apud Edmundum Couterot 1657. *in-8°. pag.* 490. Rectam hujus Examinis doctrinam probavit R. P. Honoratus à S. Mariâ, Carmelita Excalceatus, adversùs spuriam ejus expositionem; sicuti monuimus *super pag.* 614. *num.* 4.

4. *Relatio de Provincia Vasconiæ Carmelitana*, Romam missa; & anno 1656. inserta *tomo* 4. Annalium Ordinis Carmelitarum, *pag.* 621. *& seqq. Sed moderanda tamen quoad id quod in ea dicitur de antiquitate Conventûs Burdegalensis*, inquit ipse Lezana, *ibidem pag.* 624. *lineâ ultimâ.* Nam Conventus Burdegalensis Carmelitarum tribus vicibus constructus est, intrà tamen ambitum ejusdem Parochiæ, quæ dicitur S. Eulaliæ Virginis & Martyris : Primò fundatus fuit non anno Domini M.C. Voti facti, in honorem B. M. Virginis de Monte Carmelo, per Illustrem Dom. de la Lande, eo fine ut Victoriam obtineret contrà gigantem seu hominem proceræ staturæ, qui ex parte inimicorum Burdegalam obsidentium, ad singulare certamen cum aliquo Burdegalensi ineundum, destinatus erat, ut de summa belli disceptaret. Obtentâ victoriâ ope Deiparæ, Conventum Carmelitarum extruxit, sicut affirmat Joannes Cheron, in *dicta Relatione*, & in *vindiciis sacri Scapularis*, *pag.* 74. Secundò : Alius ejusdem familiæ Gagliardus de Lalande, è loco qui etiamnum appellatur vernacule *Carme-Vieil*, Latinè Vetus Carmelus, transtulit anno 1264. in locum quem etiamnum habitant Carmelitæ; sicuti probant Literæ Apostolicæ Clementis IV. litem finientes, quam FF. Minoritæ apud Sedem Apostolicam moverat adversùs Carmelitas qui dicto anno 1264. *se transtulerunt* in locum nimis propinquum Cœnobio FF. Franciscanorum, contrà decreta summorum Pontificum statuentium trecentarum Cannarum inter duo Monasteria Mendicantium. Tandem tertiò extructus fuit dictus Conventus anno Domini M. CCCCXCVII. liberalitate D. Catharinæ de Lalande. Undè patet R. P. Danielem Papebrochium, *tomo* 3. Mensis Maii, in Historia Chronologica Patriarcharum Hierosolymitanorum, *pag. LXVIII. num.* 266. nonnullos decurtasse annos, quando dixit, *forsassis anno M°. CCLXVII. non M. CCXVIII. adductos Burdegalam Carmelitas.*

Joannem Cheron laudant non Joannes de Launoy, in *Præfatione ad suam dissertationem de Scapulari*, *pag.* 4. non Joannes Petrus in suis Memoriis, *tomo* 32. *pag.* 101. sed Aubertus Miræus, in sua *Bibliotheca de Scriptoribus Ecclesiasticis seculi XVII. cap.* 233. Tussanus Richardus à S. Andrea, Provincialis Carmelitarum Vasconiæ, in *Schedis Mss.* quas Daniel à Virgine Mariâ citat, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1090. *num.* 3341. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annalium ad ann.* 1322. *pag.* 533. *num.* 15. Irenæus à S. Jacobo, *de singulari Immaculatæ Virginis protectione*, *pag.* 128. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 481. & 482. tametsi ab ipso Joanne Cheron multùm vapulans, in *Privilegiati Scapularis vindiciis*, *pag.* 35. dicente quod » nec mirum » quod Marcus-Antonius de Cassanate, homo pius » magis quàm Antiquarius erraverit. Et *pag.* 105. » F. Marcum Anton. de Caza usque quoque laudare » non possum, quod illud indignantis Juvenalis dic» tum assecutus,

Aude aliquid,

Si vis esse aliquid.

» Hæc verba citat Theophilus Raynaudus, in *Sca-* » *pulari Partheno-Carmelitico*, *cap.* 4. §. 3. *pag.* 70.

» Aliena apographa Typorum mendis fœdata in » vulgi se tulerit, quorum liber subiturus Judicium; » malim tamen viri boni, recti, simplicis, ac Deum » timentis indiscretam prudentiam, quàm stultitiam » loquacem appellare. Ac sicut multa non multùm » loquenti non parco; ità plenam Sententiam loqui » volenti, quicquam detrahi nolim. « R. P. Agatangelus-Joannes-Baptista de la Fautie, celebrem mentionem Joannis Cheron habet in *Schedis Mss.* Burdigala Aureliam ad nos missis anno 1742. die 17. Aprilis.

CLIX.

JOANNES DE CHINIVETO, aliàs de CHIMINETO, vel de CIMINETO, vel corruptè de CLINETO; & sæpiùs de CIMINSTHO, Gallus natione, Conventûs Metensis alumnus Carmelita, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis & Professor : vir in divinis scripturis studiosus, & multùm eruditus, ingenio præstans, & clarus eloquio, declamator Sermonum popularium egregius, floruisse dicitur anno 1340. & ejus Opera inscribuntur :

1. *Speculum Institutionis Ordinis Carmelitarum.* Quod prodiit Venetiis, anno 1507. *in-folio.* in Volumine *speculum Ordinis* itidem nuncupato, *fol.* 49. *pag.* 3. sic Incipit : *filii Sanctarum estis, Fratres, hujus Sanctæ Religionis professores, cujus fundamentum in montibus Sanctis.* Compendium hujus Tractatûs & brevem conspectum dedit Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 206. *num.* 886. & 887. Codicem verò Manuscriptum laudat Dom. Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Mss. tomo* 2. *pag.* 1281. *B.*

2. *Speculum Historiale declarativum Statûs Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ genitricis Dei de Monte Carmeli.* Citatur ab eruditissimo simul & in omni scientiarum atque disciplinarum genere versatissimo Dom. Joanne Delaunoy, in Dissertatione *de viso Simonis Stockii*, *cap.* 2. *num.* 2. ubi animadvertit in *utroque speculo de visa Simonis Stockii nihil conspici.* Ast clarissimus vir quoad Autorem posterioris hujus speculi Historialis nescivit eum esse Joannem de Malinis, de quo *infer. pag.* 29. *tomo* 2. Quamvis edicere potuisset à Joanne Palæonydoro in Epistola prævia ad P. Rumoldum Laupach. Verùm hi Authores ambo & alii, quorum silentium frustrà memoratur, scripsêre quidem apologias pro Carmelitis, sed de Rebus eo tempore agitatis, nempè de Ordinis antiquitate, confirmatione, habitu, hæreditaria successione, &c. Quæ antiquiorum debebant confirmari testimonio, aut jurium momentis, non recenti divinitùs Scapularis beneficio, ex quo nulla controversiæ afferri lux poterat, inquit Irenæus à S. Jacobo, in Tractatu Theologico de *singulari Virginis Immaculatæ Protectione*, *cap.* 1. §. 9. *pag.* 42. & 43.

3. *Sermones de Tempore, de Sanctis*, & *de Quadragesima*; Et alia.

Joannem de Cimineto laudant Trithemius, *Lib. II. de laudibus Carmelitarum* : Possevinus, in *Apparata sacro*, *tomo* 1. *pag.* 836. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ*, *Gesnerianæ* : Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli* : Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1336. *num.* 3. *pag.* 563. ubi notatur quod Joannes de Chimeneto, Lector Sententiarum Parisiensis in Comitiis Generalibus Bruxellæ huc anno celebratis. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 413. ubi perperam

scribit eum floruisse anno 1575. Trithemium nihilominùs confutare volens anno 1511. defunctum. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 44. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1. *speculi Carmelit. pag.* 206. *num.* 885. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 183.

CLX.

JOANNES DE CAMPO REDONDO & RIO, *Pinciæ* natus, in Castella veteri, ex his memoratis duabus familiis satus, Carmelitarum Excalceatorum decimus Generalis Præfectus anno 1643. Pastranæ electus, nomine JOANNAS-BAPTISTA, suo in sodalitio vocatus, de quo jam fuit actum *super. pag.* 714. & 715. ubi animadvertimus quod hic vir eminentis virtutis & præclaræ doctrinæ famâ conspicuus vitam cum morte commutavit anno 1649. postquam edidisset Hispano idiomate valde à suis Sodalibus laudatam Epistolam Pastoralem, quam indigitat Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tom.* 2. *pag.* 675. Eum etiam laudat Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Eliæ*, *cap.* 279. *pag.* 648. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 188. ubi dicit eum patriâ Soriensem, Diœcesis Osmensis: Philippus à SS. Trinitate, *Lib. VII. Compendii Historiæ Carmelitanæ*, *cap.* 12. Auctor vitæ Francisci a S. Mariâ, §. 2. *num.* 5.

CLXI.

DISSERTATIO

De Vita & Scriptis JOANNIS CRESTONI.

JOANNES CRESTONUS, aliàs CHRESTONUS, vel CRASTONUS, vel CHRASTONUS, & corrupte GROSLOTTUS, ab urbe Placentia, in qua natus est, sæpissime Monachus PLACENTINUS nuncupatus: de quo Petrus Lucius in *Bibliotheca Carmelitana*, *fol.* 53. *verso*, scribebat anno 1593. *Extat apud me Epistola quædam de hoc viro admodùm R. Mag. Josephi à Falconibus, qui asserit etiamnum parentes & affines Placentiæ superesse.* Joannes Placentinus, inquit Trithemius in Carmelitana Bibliotheca, vir undecunque doctissimus, Theologus & Rhetor celeberrimus, ingenio promptus, & disertus eloquio, Græcæ ac Latinæ linguæ peritissimus.

At de illo fusiùs & accuratiùs loquitur vir clariss. & peritiss. Dom. Josephus-Antonius Saxius Mediolanensis, Collegii SS. Ambrosii & Caroli oblatus Sacerdos, necnon Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus, in Historia Typographico-Literaria Mediolanensi, *pag. CLXVII.* ad annum M. CCCCLXXV. ubi hæc leguntur:

» Neque dimittendum reor insalutatum *Johan» nem Monachum Placentinum*, cujus diligentissimi » labores tot nobis emolumenta in Re Literaria pe» perêre. Præclaram memoriam, quam de illo pos» teris prodidit Trithemius, suæ Carmelitanæ Bi» bliothecæ inseruit Petrus Lucius.... Hinc disci» mus non incongruum esse, usque ad extremos » seculi XV. annos, PLACENTINI hujus vitam pro» ductam opinari, cum anno M. CCCCXCII. Tri» themius hæc scriberet.

» Multò tamen anteà, singularis doctrinæ famam » Joannes PLACENTINUS sibi jam comparaverat. » Video *Masellum Veniam Beneventanum*, cum no» vam Operum S. Ambrosii collectionem edendam » Mediolani adornaret, in dubiis rebus ad Mona» chum hunc tamquam ad Oraculum confugisse. » Hærebat anceps Masellus num Liber ille sanctissi» mi Antistitis nostri, qui passim *Hexameros* appella» tur, inscribendus potiùs esset *Hexaëmeron*, cum » secundo è aspirato: atque hanc postremam vocem » amplectens, rationem reddit in prævia Epistola » (*pag.* 53. Florent. 1593. edita) ad Ambrosium » Coranum, Eremitariæ Religionis S. Augustini Ge» neralem Vicarium, inquiens: *cum de illa dubita» rem, virum & Latinarum & Græcarum Litterarum » peritissimum Johannem Placentinum Monachum » consului, ab eoque, quæ infrà subnectam perdidici.*

» Sanè eamdem inscriptionem Exaemeron in no» va S. Ambrosii Operum editione Maurini Mona» chi retinuere. Quo anno in lucem prodierit hic » Maselli labor, colligi ex Codice impresso, qui om» ni caret adnotatione temporis, loci, & Typogra» phi. Cum tamen dicatus sit AMBROSIO CORANO » seu DE CORA; cui anno tantum M. CCCCLXXVI. » demandatum fuit munus Generalis Vicarii, qui» que in ea dignitate diu non perstitit, sequenti » anno in Generalem Ministrum delectus; quemad» modùm ad eos annos refert Aloysius Torellus, » in *seculis Augustinianis*; manifestum sit tempus » editionis Mediolanensis; simulque elucet, quanta » etiam per illam ætatem opinione doctrinæ flore» ret Monachus PLACENTINUS.

» Familiæ cognomen siluere Scriptores, cœno» biticæ tantùm vitæ titulum ejus nomini addentes. » Memoratus Lucius conjecturæ locum fecit inquiens, » se non abhorrere ab eorum opinione, qui asserunt » hunc JOANNEM PLACENTINUM eumdem esse, qui » ab aliis vocatur Jo. CRESTONUS. Mihi pro certo » est hoc illi verè cognomen fuisse. Siquidem Joseph » Falconus, & ipse patriâ Placentinus, in suis Car» melitani Ordinis Chronicis Italice scriptis, & Pla» centiæ editis (anno 1595.) de illo agens, inter » illustres Carmelitanos Doctores, CRASTONÆ fa» miliæ hunc Joannem adscribit. Idem confirmatum » videmus testimonio Bonacursi Pisani, in epistola » præfixa Lexico Græco-Latino, eodem Monacho » Interprete utens in Græcis Libris, quos Latinè » redditos in lucem edebat, hæc clarè scribit: *Oblatus » nobis est Frater Joannes Crastonus, Placentinus » Carmelitanus.*

» Qua in urbe studia coluerit, quove Præceptore » tantùm profecerit CRASTONUS in utriusque linguæ » tum Græcæ, tum Latinæ peritia, indicatum mi» nimè reperi. Id certè in peculiarem ejusdem glo» riam vergit, quod Philelphus neminem præter » seipsum in literis præcipuè Græcis præstantem » existimans, Joannem Crastonum summè commen» daverit, teste Bonacursio, qui hæc scripsit in epi» stola vocabularium Latino-Græcum. *Non mediocri » laude mihi dignus visus est vir profectò, vel ipsius » Philelphi sententiâ, cui neminem antepono, & » eruditus & eloquens in primis Joannes Monachus » PLACENTINUS.*

Nobilius monumentum est, quod de hujus viri celebritate impressum reliquit *Jacobus Crucius* seu *Crucejus* Bononiensis. Etenim cum Græci Callimachi Hymnos in exametros versus transtulisset, dicans eosdem Magnifico & Nobilissimo Equiti Galeatio Vicecomiti, prope finem Epistolæ ita loquitur: *Cæterùm cum ipse mecum reputo, cum quibus ista contulerim, Demetrio scilicet ac Jano Placentino Monacho, viris nunquam satis laudatis, eosque hæc nostra probasse, his veluti præsidiis munitus, livorem facilè dispicio.* Portò non modica hæc laus est, quod Joannem Placentinum, parem doctrinâ Crucejus fecerit *Demetrio Calcondylæ*, qui in Græcia natus, insignem per ea tempora in utraque lingua præstantiæ famam adeptus est. Antiqua ista editio, nullo anni, urbis & Typographi indicio signata, in Ambrosiana Bibliotheca servatur.......

» Joannis

» Joannis Monachi Placentini nomen magni fecit etiam Baptista Mantuanus, ad eum dirigens Elegiam Libri tertii silvarum (*a*) penè ultimam, venustate atque eruditione refertam, cujus hoc est initium :

Vade Calestani visure cacumina montis :
Vade bono auspicio, sed meliore redi, &c.

Calestanus mons ab urbe Parmensi sex-decim mille passibus distat, ad flumen Parmam assurgens, salubertimo aere atque loci amœnitate jucundissimos.

OPERA JOANNIS CRESTONI.

1°. Ad Ludovicum Donatum, Episcopum Bergomensem, è Græco Psalterium de verbo ad verbum propriissimè transtulit. Quod Opus, inquit Trithemius, nemo digne laudare sufficit, in quo Græcam translationem præmisit Literis Græcis, & suam subnectit Latinis. Psalterium typis excusum est Mediolani anno 1481. *in-folio* die XX. Septembris ; & servatur in Bibliotheca Fratr. (*b*) Carmelit. Florentinorum, ut asserit Petrus Lucius, in *Bibliothecæ Carmelitana, pag.* 53. *reversa :* De quo sic loqoitur Michael Maittaireus in *Annalibus Typographicis, tomo* 1. *pag.* 146.

» JOANNES CRESTONUS, Placentinus Monachus... Psalterium *Græcè* & *Latinè* impressum anno 1481. *in*-4°. Lodovico Donato, Episcopo Bergomensi, nuncupavit. Tunc primùm pars Bibliorum Græcorum aliqua imprimi cœpta, primumque specimen in Græcis, uti anteà in *Latinis*, à Psalterio sumptum. Tunc primum textus Græcus cum interpretatione *Latinâ* sociatus est, ut *Græcarum* Litterarum rudiores (quales erant illis temporibus adhuc plerique) usu crebro paulatim exerciti perdiscerent tandem hac magis familiari duce & comite ignotiori illi assuescere. Monacho illi *Placentino* justissimæ à posteris debentur gratiæ, qui otium & horas tam benè collocaverit; suas etiam quas meruit, gratias habuisset Typographus, nisi maluisset suum nomen taceri. At quia Mediolani Editio prodiit, exiit forsan à *Dionysii Paravisini* prelo, qui ibidem *Lascaris* Grammaticam anno 1476. *Græcè* emiserat. Laudem si non parem, saltem proximam, post *Germaniam*, sibi jure vindicare potest *Italia*. Moguntiæ Ars primùm inventa fuit & tentata; sed *Latinas* solus excoluit Litteras : necdum enim *Græcas* sciebant perfectè Typographi, ... donec tam arduum Typographiæ opificium numeris omnibus absolutum ad umbilicum perduceret Mediolani anno 1476. *Dionysius Paravisinus.*

Quid huic Psalterio edendo contulerit ipse Crestonus explicat in Epistola Nuncupatoria ad Ludovicum Donatum, Episcopum Bergomensem, quam typis novis donavit memoratus Dominus Josephus Antonius *Laxius*, inter Epistolas, quæ Libris editis Mediolani primo Typographiæ seculo olim præfixæ, nunc iterum recusæ sunt ad calcem suæ *Historiæ Typographico-Literariæ Mediolanensis, pag. CCCCLXXX.* Hæc autem Crestoni Epistola ante Psalterium Græco-Latinum præfixa, talis est :

JOANNES PLACENTINUS Reverendo Patri & Domino D. † *LUDOVICO DONATO, Episcopo Bergomensi, S P. D.*

» PSALTERII, quod Græcè melos David Regis & Prophetæ inscribitur, hanc novam emendationem tuis auspiciis, consultissime Antistes, quamvis dubium mihi non erat, plerosque criminaturos, vel saltem admiraturos, aggredi non dubitavi. Compertum namque mihi est, hujus nostræ ætatis Theologorum gregem insultaturum, subsannaturumque, tamquam qui ea, quæ à Divo Hieronymo, & ab septuaginta Interpretibus lucubrata fuerint, attingere ausus sim. Sed mens mihi conscia recti horum leveis accusationeis, te patrono & vindice, facilè contempserit : cujus candidissimum, & nobilissimum pectus, nullius livor occupavit. Illos quoque si Augustini Libros de Doctrina Christiana aliquando legissent, mihi æquiores fore non dubitarem : Censet enim vir ille non Theologiæ modo, verùm & cæterarum Artium & Græcè & Latinè peritissimus, nostra exemplaria, quæ ex Græco fonte emanarint, non aliter ad unguem corrigi posse, nisi illorum inspectis prototypis.

» Audiant itaque Theologi, si qui me excusaturi sunt, quid Augustinus Libro secundo prædicti voluminis præcipiat, si quid emendandum fuerit. *Contra ignota*, inquit, *signa, magnum remedium est linguarum cognitio.* Et idcircò Latinæ linguæ homines, quos nunc erudiendos suscepimus, duobus aliis opus habent ad cognitionem Scripturarum, Hebræâ & Græcâ; ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam ambiguitatem attulerit Latinorum infinita varietas. Divus insuper Hieronymus nonne multos errores septuaginta Interpretum culpâ ob verborum ambiguitatem admissos, ad sua tempora durasse queritur? Et quia jam per universum penè orbem ea exemplaria legebantur, vix aliter reperiri? Dicant reperiri? Dicant mihi Theologi hujus temporis quænam sit Hieronymi, si norunt, interpretatio? Quid irrident? Nonne respondent? Est ea, cui ipsius præpositas vides Præfationes. Pace vestrâ, ô Theologi, dixisse velim : Hieronymum ipsi negligentiæ, aut imperitiæ accusatis. Non est, Præsul integerrime, & eruditissime, hujus præfatiunculæ, enumerare, quot loca depravata deprehenderim in utroque Testamento; quorum etsi nonnulla Librariorum vitio facta sint, sane multa sunt Interpretum, quæ cum exemplaria, quæ Hieronymi dicantur, invaserit, quia defendi nequeunt, ego Hieronymi inficior.

» Quid ergo? Liberè fateor, nos nescire, quæ sit Hieronymi interpretatio. Locus est in Epistola Pauli ad Hebræos, capite decimo : *Hostiam & oblationem noluisti : corpus autem aptasti mihi.* Idem est in Psalmo tricesimo nono, sed non *corpus*, sed *aures* habent exemplaria Latina, quæ Hieronymi dicuntur. Psalterium verò, quo Mediolanensis Ecclesia utitur, *Corpus* habet, necnon omnia Græca exemplaria, quæ ipse plurima vidi. Non est mihi consectaneum, Hieronymum illum non vidisse, quæ ego homuntio imperitus tam facile animadverterit. Nisi Græcum antícimenon esset, quo argui loca depravata possunt, vererer criminatorum jacula.

» Quid si Græca depravata essent? Omnia, quorquot videre potui, conveniunt, unum duntaxat locum Psalmo centesimo primo, ut inveni, reliquit. *Viduam* qui Latini ubi legunt, Græci omnes *teram*, id est *prædam*. Exemplaria Græca mutare ausus non sum; nec pro *tera viduam* interpretari potui. Sed suspicor Interpretes illusos. nam inter *teram* & *Keram* id est *prædam* & *viduam*, una tantùm Litera, id est *T.* & *K.* discrimen facit. Cum ergò me inter duas Symplegadas angi viderem, elegi quod nec Græci nec Latini carperent. Qui itaque *viduam* maluerint, in Græco *K.* præponant, ubi *Scheram* invenient. Qui prædam *teram*, & in Latino *prædam* ascribant.

(*a*) *Tomo* 3. *pag.* 292. Edit. Antuerp. 1576. *in*-8°.
(*b*) Hæc Editio *in-folio*. 1481. citatur in *Bibliotheca Telleriana, pag.* 2. *num.* 58.

J.

» Incredibile penè est quomodo in transferendis Libris verborum nimiâ similitudine, non in Hagiographis tantùm, verùm etiam in Poematis, Historicis, & reliquis operibus. Rufus Festus cum Dionysii-Alexandrini periegesin transferret, *Durantem* genus dixit, cum *Mosynum* dicendum esset. Si quis hac in re mihi minus fidei habet, Cosmographiæ peritos consulat: an sciant, ubi terrarum sint *Durasei?* Strabonis septimo, & eo non multarum Tibiarum Urbem, quam ridicula interpretatio. Tibi *arvum* pro *Collium* dixit; ea enim urbs montuosa est.

» Sunt & innumera alia depravata apud omnes penè Latinos Auctores, item & sacros Codices, quæ si aliquando requiem studiis meis impetraro, quam tuis modo auspiciis spero, in animum emendare induxi, tibique talium studioso, & qui omnia virtuti & musis postponas, dicare: Qui & unus mihi visus es dignus, cui hanc novam emendationem Psalterii inscriberem, tamquam veritatis scrutatori, & stomachanti ob Religionis studium, tot errores divina volumina invasisse.

» Quod autem ad Psalterium attinet, quia longum & molestum esset omnia emendata enumerare, ea deprehendere facilè est, si eum aliis exemplaribus conferantur. Circiter septuaginta loca correximus, Græcam veritatem secuti. Verba, quæ deerant, suis locis addidimus. Unum te, Præsul memorande, ignorare nolo: Psalterium, quod Ambrosianum dicitur, in paucis, imò in nullis à Græco discrepare. Cantica, quæ sex sunt, omninò Græcis similia, nostris omnino dissimilia. Propterea Hieronymi ea potius dicenda est translatio, ut vir quidam fide non indignus mihi affirmavit. Quis enim mentis compos, eum virum, qui ab ipsis incunabulis inter Grammaticos & Rethores educatus sit, adeò ut nihil tam acutum sit, quod non viderit, non vidisse Psalmo VIII. *si mei non fuerint dominati*; quod ego *Dominata* transtuli, non ad *Delicta* referatur: Si quis diligenter tenem Psalmi cum sensu observare voluerit. Joannis ultimo capitulo: *Ambulabas ubi volebas.* Quæ ratio Grammaticos id permisit? At Augustinus Homiliâ quintâ in Epistolam Joannis: *Quo volebas*, dixit. Sanè hac in re non minus Hieronymus Augustino advertisset. Quid de versiculo Psalmi octogesimi & sexti: quem translatio, quam Hieronymi ferunt: *Numquid Sion dicet:* exemplaria Græca *meter*, idest, *Mater*, legunt; & Psalterium Mediolanensis Ecclesiæ *Mater Sion.* Quod si qui nec Græcis nec Ambrosianis codicibus credunt, legant Sermonem Augustini, qui recitatur juxtà Breviarium Curiæ Romanæ, in Solemnitate *Hypopantes Domini*, vel ut vulgò dicitur *Purificationis Virginis:* Is enim primæ lectionis matutinæ initio ait: *Sic olim prædictum est, Mater Sion dicet.* Sed qui transtulit (venia quidem danda est) *meti*, id est *numquid*, non *meter* id est, *Mater*, videre visus est. Quod vel ipsi Græcorum elementis imbuti intelligere possunt.

» Nec omninò audiendi, imò acerrimè refellendi sunt Theologi, qui, ut illorum verbis utar, dicunt: Scriptura Sancta non est subjecta Grammaticæ. Fateor; nam præest, quia dignior, quippe quæ ex Sancto Spiritu est qui *scientiam habet vocis*, ut ait Salomon. Hoc non censuit Augustinus, qui vult consummatos Theologos Hebraida & Hellenida dialectos non ignorare. Grammatices tropos, Schemata, rethorices argumenta callere; qui & ipse cum cæteris priscis, verisque Theologis in suis operibus disertissimus in eloquentia, & in Sententiis acutissimus, & in ratione loquendi inoffensissimus est. Interdum tamen Græcas constructiones in sacris Literis, quæ priùs à Græcis scriptæ sunt, inveniri; ut: *vado piscari: expugna nocentes me;* & multa id genus non inficior.

» Fecit hoc & Maro noster, ut in Georgicon secundo: *Tempus equi fumantia solvere colla*, Latinè sanè *tempus solvendi* dicendum est. Fecit & ipse in hoc Psalterio; non tamen ut Græcis Schematis uterer, sed ut Græcè dicere volentibus morem gererem, verbum verbo reddidi. Quod ignorantes ad illud ineptissimum confugiunt: scriptura sacra non est subjecta Grammaticæ. Quibus respondeo: non suæ. Sed ut, Præsul præstantissime, dicendi finem faciam, non fortè prolixitate displiceam: ubi addidimus, quod deerat, vel emendavimus, quod depravatum fuerat; errorum causas, & rationes emendationis coràm Dominationi tuæ reddemus. Alii facilè, si cum veteri translatione conferre nostram voluerint, omnia deprehendere poterunt.

De hac Epistola necnon de Psalterio Græco Joannis Crestoni hæc habet vir peritissimus R. P. Jacobus Lelong, Oratoriani Sodalitii Berulliani presbyter, in syllabo omnium sacræ Scripturæ Editionum & Versionum, *cap. 3. sect. 5: pag. 198. B. Bibliotheca sacra.*

» Psalterium Græcè *cum versione Latina, vel potiùs recognitione* Joannis Crestoni, Placentini Monachi. Præmissa est ejus epistola ad Ludov. Donatum, Episcopum Bergomensem, In-folio. *Ad calcem legitur:* Impressum Mediolani, 1481. die 20. Septembris. *Primus ex Libris sacris Græcè mandatus typis.*

» *Ex Epistola dedicatoria:* Circiter septuaginta loca correximus Græcam veritatem secuti. Verba quæ deerant suis locis addidimus. Unum te, Præsul memorande, ignorare nolo: Psalterium quod Ambrosianum dicitur in paucis imo in nullis à Græco discrepare. . . . feci & ipse in hoc Psalterio: non tamen ut Græcis Schematis uterer; sed ut Græcè discere volentibus morem gererem, verbum verbo reddidi. Breviùs hæc repetit, *col* 552. E.

Clarissimus autem Dominus Saxius in sua Historia Typographico-Literaria, quæ tomo primo Bibliothecæ Mediolanensis præmittitur, mentem suam sic reponit, *pag.* 168.

» Enumeratum vidimus à Trithemio inter Opera Joannis Crastoni Monachi, Psalterium è Græco in Latinam linguam accuratissimè traductum. Hujus exemplar unum vidi Mediolani impressum, anno 1481. præviamque Epistolam ad Ludovicum Donatum, Episcopum Bergomensem, transcripsi, ad calcem præsentis Historiæ recudendam. In ea adnotantur quàmplùrima emendata, quæ in Psalterium à S. Hieronymo è Græco in Latinum conversum, audaciâ sciolorum irrepserant; simulque inseritur præclara laus Ecclesiæ Ambrosianæ, quod nempè in Canonicis Horis Psalterio utatur sincero, & quàm maximè Græcis Codicibus consentiente.

» Torsit non parùm ingenia vocum diversitas, quibus Psalmi Davidici, qui à nobis recitantur, à Romanis dissentiunt. Putavere aliqui Ambrosianos Mystas uti Versione LXX. Interpretum: Alii in ea fuere opinione, Psalterium nostrum ex Versione, quæ *Italica* vocabatur, quamque antè S. Hieronymum universa Latina Ecclesia usurpabat, fuisse desumptum; atque in hæc tempora continuatum.

» Id animadvertere sibi visus est Galesinius, conscium que per Epistolam fecit Sanctum Carolum

J.

» Bortomæum. Joannes Craſtonus alteram Senten-
» tentiam protulit, ſcilicet in Eccleſia Ambroſiana
» retentam fuiſſe genuinam S. Hieronymi tranſla-
» tionem : Ita enim ad Bergomenſem Epiſcopum
» ſcribit : *Unum te, Præſul memorande, ignorare*
» *nolo : Pſalterium, quod Ambroſianum dicitur, in*
» *paucis imò in nullis à Græco diſcrepare. Cantica,*
» *quæ ſex ſunt, omninò Græcis ſimilia, noſtris om-*
» *ninò diſſimilia. Propterea Hieronymi eo potiùs di-*
» *cenda eſt tranſlatio, ut vir quidam fide non indignus*
» *mihi affirmavit.*

» Quid in hac re decernendum ſit, non vacat
» expendere. Interim... veriſimilior mihi ea opi-
» nio videtur, quam Auguſtinus Calmetus protulit
» *tomo* 2. in Pſalmos, diſſertationem inſtituens in
» *illorum* vulgatam, *pag.* 30. *Edit. in-4°.* Loquens
» namque ſub initium *pag.* 25. de Verſione *Itala,*
» ſeu *Italica,* quæ ante S. Hieronymum communis
» erat in Eccleſia, quamque veterem nunc appella-
» mus, inquit, *pog.* 22. *Quod conitur Pſalteriam*
» *in Eccleſia Mediolanenſi, nec vulgatæ noſtræ,*
» *nec veteri Italicæ congruit : ſed verſio eſt alio, od*
» *Romanam magis, quam ad vulgotam accedens.*

» Quis autem Auctor fuerit antiquæ hujus verſio-
» nis, quâ utitur Eccleſia Ambroſiana, indicare non
» licet; eum S. Auguſtinus, *Lib. II. de Doctr. Chriſt.*
» *cap* 2. apud eumdem Calmet (*in fine paginæ* 31.
» *citatus*) iſta ſcribat : *Qui Scripturas ex Hebræo*
» *Lingua in Græcam verterunt, numerari poſſunt;*
» *Latini Interpretes nullo modo.* Idem Clariſſ. Dom.
Saxius, in Nota quam affixit & appoſuit ad finem
paginæ 491. ubi deſcribitur Epiſtola Joannis Creſtoni
ad Ludovicum Donatum, Epiſcopum, iterùm affir-
mat ſe à propoſita ejuſdem Creſtoni opinione cum
Auguſtino Calmeto recedendum putare. At de his
ſatis, ad alia Opera recenſenda properemus.

Secundo:

» Joannes Crastonus, Placentinus Carmelita-
» nus, Auctor Lexici Gr. Lat. quod edidit Bonus
» Accurſius Piſanus, dicavitque Joanni-Franciſco
» Turriano, Ducali Quæſtori, *impreſſum* Mutinæ,
» anno 1499. tertio decimo Kalendas Novembres,
» *in ædibus Dionyſii Bertochi Bonon. ſubterraneis*
» *in-folio.* Hæc leguntur apud Michaelem Maittereum,
in *Annalibus Typographicis, pag.* 363.

Verùm illud Lexicon typis paulò antiquioribus
cuſum agnoſcit Joannes-Albertus Fabricius, in *Bi-*
bliotheca Græca, tomo 10. *pag.* 73. necnon in *Bi-*
bliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo 4. *pag.*
383. & 345. » Inter Lexica Græco-Latina recen-
» tiorum Scriptorum, *inquit,* ratione temporis quo
» in lucem edita eſt illius lucubratio, familiam du-
» cit Joannes Craſtonus, Placentinus, Carmelitanus,
» cujus vocabuliſta Græcorum-Latinus primùm pro-
» diit Regii Lepidi, anno 1497. *in-8°.* Quæ editio
» in Leidenſi Bibliotheca publica aſſervatur... Habeo
» & ipſe Lexicon ejuſmodi Græco-Latinum peran-
» tiquum, editum *in-folio :* Sed in quo titulus deeſt,
» neque extrema pagina 455. locum aut tempus de-
» notat : Quod *ἀαγήρ* eos *intangibilis, ἄαπτος, in-*
» *tangibilis, vel cui nocere quis nequeat,* &c

De eodem Lexico Daniel Georgius Morhoſius, in
Polyhiſtore Literario, tomo primo, Lib. IV. cap.
8. *num.* 1. *pag.* 806. Edit. 3. Lubecæ, 1732. *in-*
4°. hæc profert :

» Omnium primus, qui, poſt renatas è veteri
» lethargo literas, Lexico Græco-Latino conficien-
» do manus admovit, Jo. Crestonus, ſeu, ut alii
» vocant, Crastonus fuit, Placentinus, Italus na-
» tione, Carmelita & Doctor Papienſis. Hic enim
» circà annum Domini 1480. & ſequentes clarus,
» atque, ob eruditionem, referente Simlero in Bi-
» bliotheca, à Guil. Tardivo, Bono Accurſio, Franc.
» Philelpho & Ptolem. Spagnolo commendatus,
» præter Grammaticam Græcam, *Lexicon* quoque
» *Græco-Latinum* ſcripſit, Venetiis, 1492. editum.
» Uti verò tum infantiis adhuc renaſcentium Lite-
» rarum ætas extitit, ita non adeò mirandum, ſi
» poſt complures in eo deprehenſos errores, varii
» ad illud Opus accurandum aut ſupplendum acceſ-
» ſerint : Quod quidem non adeò accuratè factum
» Henricus Stephanus, in epiſtola de ſtatu ſuæ Ty-
» pographiæ his verbis peſtringit :

» *Iis, quæ circumferuntur, Lexicis Græco-Latinis*
» *primam impoſuit manum Monachus quidam Fr. Jo.*
» *Craſtonus, Placentinus, Carmelitanus : ſed, quum*
» *is jejunis expoſitionibus* (*in quibus vernaculo etiam*
» *ſermone interdum, id eſt Italico, utitur*) *conten-*
» *tus fuiſſet perfunctoriè item conſtructiones verborum*
» *indicaſſet, nullos Autorum locos proferens, ex qui-*
» *bus illa pariter & ſignificationes cognoſci poſſent,*
» *multa poſteà certatim multa, hinc inde ſine ullo*
» *delectu ac judicio excerpta inſeruerunt : donec tan-*
» *dem, indoctis Typographis de augenda Lexicorum*
» *mole inter ſe certantibus, & præmia iis, qui id*
» *præſtarent, proponentibus, quæ jejunæ, &, ſi ita*
» *loqui liceat, macilentæ anteà erant expoſitiones,*
» *adeò pingues & craſſæ redditæ ſunt, ut in illis nihil*
» *aliud, quàm Boeticam ſuam, agnoſcamus.* Nimi-
» rùm ſugillat Stephanus, quæ ſub variorum Auto-
» rum nomine Lexica ſæpiùs, variato ſemper habi-
» tu, recuſa & recocta, Baſileæ ſunt.

Tertio:

Extat ejuſdem Creſtoni vocabularium Latino-
Græcum, *volumen minus,* inquit Trithemius, *ubi*
Latinum Græco præponitur. Et Petrus Lucius addit :
Vidimus utrumque Lexicon Typis excuſum; & in
muſæo meo Bruxellenſi Autorem habeo impreſſum,
qui ex utroque non rarò citat teſtimonia.

In Annalibus Typographicis Michaelis Maittai-
rei, *tomo* 1. *pag.* 348. hæc leguntur ad annum 1497.
ſine urbis & Typographi notitia indicata : *Joannis*
Carmelitani Lexicon Latino Græcum, in-4°. de quo
Dom. Bernardus de Montfaucon, in *Diario Itali-*
co, pag. 311. ait quod *nomen Autoris manuſcri-*
ptum eſt. Et in Bibliotheca Bibliothecarum Manu-
ſcriptorum, loquens de Codicibus qui in Bibliothe-
ca Neapolitana S. Joannis de Carbonara Auguſti-
nianorum aſſervantur, ait *pag.* 232. lineis ultimis :

Joannis Carmelitani Lexicon Latino-Græcum,
in-4°. cuſum, anno 1487. *nomen Autoris, manu-*
ſcriptum eſt.

Quarto:

Constant. Laſcaris Compendium 8. Orationis
partium Græc. Lat. Joanne Monacho Placentino
Interprete. Mediolani, 1480. *in-4°.* Ita Annales
Typographici, *tom.* 1. *pag.* 158.

Laſcaris Grammaticâ Græcâ interpretatâ per Joan-
nem Monachum Placentinum : Vicentiæ per Leo-
nardum de Baſilea, anno 1488. decimo octavo Ka-
lend. Julii, *in-4°.* In iiſdem Annalibus Typogra-
phicis, *pag.* 208. ejuſdem tomi primi. Hæc editio
aſſervatur Pariſiis, in *Bibliotheca Mazarina,* teſte
viro Dom. Andrea Chevillier, in Opere Gallicè in-
ſcripto : *L'Origine de l'Imprimerie de Paris, pag.*
236.

Laſcaris Compendium 8. orationis partium, Joan-
ne Monacho Placentino Interprete, Venetiis, 1494.
in-4°. Ita tomo primo Annalium Typographico-
rum, *pag.* 339. Aſt ſecundo tomo, *pag.* 51. *Notâ* D.
hæc habet Michael Maittaireus : *Aldus* Manutius,

J.

anno 1494. *primum tantum Librum excuderat, antea à Joanne Placentino, Latinè versum; posteà verò secundum & tertium cum sua versione addidit.* Vide *pag.* 49.

De prima autem editione Mediolanensi, anno 1480. *in*-4°. sic habet idem Maittereus, *tom.* 1. *pag.* 146. » Latini jam ex omni penè facultate & » scientiâ Libri in eruditorum manus per plurimas » passim Europæ partes Typographicæ Artis auxilio » venerunt. Græca autem Lingua non adeò frequen- » tabatur; nec à prima Artis origine usque ad an- » num 1480. ullus Liber mihi occurrit integer eo » sermone excusus præter Lascaris Grammaticam, » anno 1476. Eandem, anno 1480. rursùs edidit, » sed versione Latinâ instructam, Joannes Crestonus » Placentinus Monachus... At quia Mediolani Edi- » tio prodiit, exiit forsan à Dionysii Paravisini » prælo, qui ibidem Lascaris Grammaticam, anno » 1476. Græcè emiserat. Idem fuerat de Dionysio Paravisino, *ibidem pag.* 83.

Quinto:

Quando verò, inquit jam memoratus vir clariss. Dom Josephus-Antonius Saxius, in *Historia Typographico-Literaria Mediolanensi*, *pag.* 164. Hunc Monachum (Joannem Crastonum) poetica etiam laude claruisse Trithemius affirmat. Censeo Inopportunum non esse Epigramma ejusdem subjungere, quod in fronte prælaudati Libri, quem Jacobus Crucius seu Crucejus Bononiensis, edidit: Græci Callymachi Hymnos in exametros versus transferens, sic jacet.

Janus Monachus Placentinus,
in Hymnos Callimachi.

Carmina Battiadæ laudes complexa Deorum
Perlege, Callimache, perlege Lector opus.
Sed quis de Lybiæ nostras advexerit oras
Nosse cupis, non est dicere difficile.
Non genus Autoris, patriam, nomenque docebo,
Nec facient longas carmina nostra moras.
Crux genus Autoris, patria est Felsina, Jacobus
Nomen; habes Lector candide, quidquid ames.

Græca quidem Callimachi Editio majusculis literis, quam *Florentinam* vocat Henricus Stephanus, in *Poët. Heroic.* 1566. 2. *tom. pag.* 467. & *Callimach.* 1577. *pag.* 106. vulgata est operâ & labore Joannis Lascaris; teste Maittaireo, in *Annal. Typographicis*, *pag.* 286. *tomi primi*; atque his verbis exprimitur, *pag.* 382. *Callimachus Græcè*, in-4°. inter Libros anni, loci & Typographi indicio destitutos, & forsan antè 1495. prodiit. Verum

Callimachi Cyrenæi Hymni à Jacoba Crucio Bononiensi Latinitate metricâ donati, cum ejusdem notis: impressi per Benedictum Hectoris, Bononiæ, 1509. *in* 4°. primùm inspiciuntur *tomo* 2. *Annal. Typograph. pag.* 201. laudati.

Alia Editio, quæ ad nostrum Crestonum non pertinet, *Callimachi Hymni cum Scholiis nunc primùm editis, & Sententiis ex diversis Poëtis, Oratoribus & Philosophis collectæ, non antè excusæ;* Græcè: apud Hieronym. Froben, & Nicol. Episcop. Basileæ, 1532. *in*-4°. citatur in eisdem *Annal. Typograph. tomo* 2. *parte* 2. *pag.* 775. Ubi animadvertit Maittaireus, *Notâ* C. quod Scholia, quæ primùm edita hic jactantur, anteà seorsim prodierunt sine anno, sed eodem (ut ipsi ex characteris formâ constat) tempore, quo Callimachi Hymni Litteris majusculis. Vide *ibid. pag.* 402. *Notâ* D.

Sexto:

» Epistolas, & plures & elegantes ad diversos » composuit Joannes Crestonus, inquit Trithemius. » Alia quoque multa scripsisse dicitur, quæ ad no- » titiam meam non venerunt. claruit sub Innocen- » tio VIII. & credo eum adhuc vivere anno 1492.

In Collectione superiùs citata Epistolarum, quæ ad calcem Historiæ Typographicæ-Literariæ reponuntur, hæc *pag.* 543. edita est Boni Accursii Pisani, prout jam ante Lexicon Græco-Latinum circà annum 1480. editum.

Bonus Accursius Pisanus, viro Literatissimo, ac gravissimo Joanni-Francisco Turriano, Ducali Quæstori, salutem plurimam dicit.

» Nemo potest, meâ sententiâ, satis eruditus existimari apud nostros homines, ubi cognitionem » Græcæ Literaturæ ignoraverit. At etiam scire quo- » modo quisquam possit, ubi significata, ubi pro- » prietatem, ubi differentias, ubi ipsam etiam ver- » borum constitutionem non perfectè tenuerit. Fateor » equidem, cum alios quosdam, tum *Constantinum* » *Lascarin* nostrum illum de significatis verborum » pulcherrima præcepta tradidisse: defecisse autem » in quibusdam, etsi admodùm paucis; quoniam non » omninò calleret Latinitatem; verùm modò post » illum, oblatus nobis est Frater Joannes Cras- » tonus, Placentinus Carmelitanus, vir profectò » meâ sententiâ, cum Græcè atque Latinè peritissi- » mus, tum moribus excoltus gravissimis atque san- » ctissimis, in cujus ore nullum mendacium inest, » nulla vanitas. Is cum intelligeret, quæ Latino ser- » moni necessaria admodùm essent, vidissetque à » Constantino Lascari, & ab aliis quibusdam » in medium elata forent, non dicam inconsideratè, » sed minùs eleganter & propriè, voluit pro sua » bonitate tanto errori occurrere, & ea omnia emen- » dare, quæ emendatè ac dilucidè tradita judicasset.

» Primum igitur ordinem adhibuit Alphabeti, quò » faciliùs rectâ quâdam serie, quod quisque verbum » desiderasset id ei non esset inventu difficile. Et quo- » niam alia nomina crescunt in genitivo, alia verò » non decrescunt, in iis quoque ordinem servavit. » Nam habitâ ratione genitivorum, non difficulter » alii item casus in notitiam veniunt: & quibus » Latini carent, articulos etiam nominibus addidit; » quibus cognitis, mira diluciditas in nominibus se- » quatur necesse est. De verbis quoque duo præcepta » protulit: alterum de futuri, & præteriti perfecti » formatione; alterum de constructione. Nam de » constructione ipsa, quam perpauci norunt, præ- » cepta tradidit uberrima & optima; ut quibus quo- » que verbum construatur, facile dinosci possint.

» Ad temporum autem formationem, eum ser- » vavit ordinem, ut futuri potissimùm edoceat cano- » nes: quia id tempus perfacilè cætera creet. Para- » cimeni quoque, id est præteriti perfecti tradit for- » mationem: quoniam admodùm varia, diversa- » que reperitur ejus temporis conditio, propter » quædam plurima anomala verba, quæ contrà com- » munem temporum formationem diversas conso- » nantes accipiunt, quæ ipsa temporum formatio » ad participia etiam transit eodem ordine.

» Et ne Literarum multitudo tædium pariat, pau- » cis Literis tempora notantur; & per tempus fu- » turum quod mellon dicitur à Græcis, *m* solum » scribitur: per tempus præteritum perfectum, vi- » delicet paracimenon, *π* item scribitur; per *meson*, » hoc

» hoc est per medium *mes.* Per verbum autem activum, *acti:* per passivum, *pas:* per neutrum, » *neu:* per commune, *com:* per deponens, *depo.* » Et quanquam tum CONSTANTINUS vir sententiâ » meâ doctissimus, tum etiam alii nonnulli eruditissimi viri in his rebus versati sunt; onus tamen » frater JOANNES hic Carmelitanus, & diligentior » fuit & copiosior: quod aliorum pace à me dictum » velim existimari.

» Quare, ut communi omnium utilitati consulerem, hunc ordinem mihi servandum judicavi. Quod » eò feci & diligentiùs & libentiùs, Joannes Francisce vir doctissime: quoniam essem arbitratus, » me tibi viro gravissimo ac literatissimo futuram » rem admodùm gratam, si tuâ causâ atque beneficio, ingenui adolescentes Literarum Græcarum » cupidi, vel sine alio præceptore, per hujusmodi » vocabulorum præcepta in viros doctissimos fuerint evasuri. Ego autem operam dedi, ut hæc » præcepta ita, ut dixi, in ordinem redacta imprimerentur, quo non solùm in hac felicissima Patria, » sed per universam Italiam nomen tuum, quod per » se splendidissimum est, diffunderetur; omnesque » tibi agerent gratias immortales, cujus ductu atque » auspiciis tanta utilitas unicuique esset oblata.

CLXII.

JOANNES CHRYSOSTOMUS MARASCA, natione Italus, patriâ Cremonensis, Carmelita Provinciæ Lombardiæ alumnus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor, Operum Joannis Bachonis Carmelitæ Illustrator sedulus & accuratus: quippéqui hujus Doctoris nomine resoluti *Commentaria super Magistrum Sententiarum*, denuò recognita, necnon *Quodlibeta* edi curavit Cremonæ, anno 1618. apud Marc. Ant. Belpieri 2. vol. *in-folio;* sicuti jam animadvertimus *super. pag.* 744. & priùs dixerunt alii Autores citati, *pag.* 750. & iis addendus Georgius Draudius, in *Bibliotheca Classica*, *pag.* 1475. Edit. Francofurt. 1625. *in-4°.*

CLXIII.

JOANNES CHRYSOSTOMUS A S. MATTHÆO, Belga, in seculo dictus JOANNES HUSTIN, doctrinâ ac pietate insignis, Sacerdos aliquot annis Leodii Philosophiam docuit, posteà Carmelitarum Excalceatorum institutum professus est Bruxellis, anno 1621. die 23. Septembris. Cum Lovanii Philosophiam ac Theologiam docuisset, aliaque Ordinis munia subiisset, Romam à Superioribus evocatus, Episcopatum Aspahamensem in Perside Carmelitis Discalceatis addictum, & ab Urbano VIII. oblatum, invictâ humilitate recusavit. Missus Constantinopolim, inter Barbaros Angelicam vitam duxit. In suam Provinciam redux, Prioris ac Definitoris officiis functus, piè obiit Bruxellis, die 21. Februarii, anno 1652.

E Belgico idiomate in Gallicum sermonem transtulit *vitam Vener. Matr. MARGARITÆ A MATRE DEI*, Monasterii Bruxellensis Monialis Teresianæ, anno 1646. die 11. Martii defunctæ; cui fuit aliquandò à sacris Confessionibus.

Joannem hunc citant Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1134. Martialis à S. Joanne Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. pag.* 255. & 282. Clariss. Dom. Joannes-Franciscus Foppens, in *Biblioth. Belgica*, *pag.* 615.

CLXIV.

JOANNES CHRYSOSTOMUS A S. PAULO, natione Italus, Carmelita Excalceatus Provinciæ Romanæ alumnus, à CLEMENTE XI. Pontifice

Maximo in Angliam missus sub nomine EQUITIS S. PAULI, prudenter suâ negotiatione expletâ, dum Romam rediret, benignè à LUDOVICO XIV. exceptus, morbo tabefactus, obiit Parisiis.

De Præsentia Dei Opus posthumum Thomæ à Jesu, Hispani Carmelitæ Discalceati, in Italicum idioma transtulit, ac Eminentiss. Cardinali D'ESTRÉES dicavit. Romæ, anno 1685. *in-12.* sicut asserit Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitar. Excalceat. pag.* 256. & 418.

CLXV.

JOANNES A CHRISTO, sive potiùs JOANNES DE JESU-CHRISTO, Aquitanus, in seculo dictus JOANNES LABADIE, in oppido Burgensi natus ex JOANNE LABADIE, sub-Centurione, & N. COIBOT, anno 1610. Burdigalæ in Collegio PP. Societatis-Jesu operam humanioribus Literis egregiam & gloriosam egit, adeò ut iis Patribus aggregari fuerit promeritus; neque ab illis quasi invitis non potuerit discedere, & eorum Societatem deserere, anno 1639. quindecim annis postquam in eam ingressus fuisset. Indè concionibus Verbi Divini addictus, plurimas in Diœceses pravam suam spargere doctrinam tentavit: sed ubique falsis ejus dogmatibus detectis, clam aufugit in Eremum *Gravillæ*, quam in Diœcesi Vasatensi R. P. ANDRÆAS BLANCHARD, Carmelita nuper erexerat, in qua Regulam *S. Alberti* accuratè ulla sine mitigatione servarent Eremitæ. Anno 1649. circà Festum omnium Sanctorum, perbenignè ibì acceptus Joannes Labadie, ipse sub nomine JOANNIS A JESU-CHRISTO Eremiticam trabeam propriâ manu, nemine illam conferente induit. Non diu cunctatus est quin hos seduxerit, & alios alterius Instituti Eremitas Aginnenses, quos ad se accersitos sufflatu insignivit, eis tanquam duodecim Apostolis Spiritum Sanctum promittens, sicut ipse Spiritum *Christi* & *Joannis-Baptistæ* habere se jactitans.

Illum autem insequente Illustriss. Dom. SAMUELE MARTINEAU, Vasatensi Episcopo, Illustriss. Dom. HENRICI LITOLPHI-MARONI Successore, Carmelitano indutus habitu Asello, insedit, & è Gravillana Eremo secessit, & è sui loco recessùs *Epistolam* scripsit ad suos Eremitas, quâ eis præcipiebat, ut P. ANDRÆAM BLANCHARD, à Præsule restitutum, deponerent; Patrem verò SYLVESTRUM in Superiorem revocarent. Hæc *Epistola* & *Diarium* quod in Eremo Gravillæ scripsit de *sua vita* & de *suis circà Fidem Catholicam Sententiis*, ab Antonio Sabrè citatis, videntur huic nostro Catalogo sola inscribenda. Ab anno enim 1650. JOANNES LABADIE professionem Carmelitanam & Fidem Catholicam deseruit, sectam *Labadistarum* distinctam Pseudo-mysticorum variis in Protestantium regionibus, civitatibus, oppidis, & villis erexit, & *Altenachii* in Ducatu *Holsatiæ*, inter manus eruditissimæ sed fanaticæ MARIÆ SCHURMAN occubuit, anno 1674. post multiplicem & variegatam personam actam in Gallia & Hollandia, de qua agunt Autores citati *super. pag.* 72. & 188.

CLXVI.

JOANNES DE CLARAVO, sive DE CLARA-VALLE, ex quo Cataloniæ oppido, sibi patrio, mutuatus nomen creditur. Attamen ANDRÆAS BOSCH ex Catalanis *Clara* vocat, undè aliis CLARANUS, CLAIRANUS, corruptè CLARABUS vocatus JOANNES. Carmelitarum Ordinem assumpsit in Provincia Provinciæ, antequam in hanc & Narbonensem divideretur; Monspeliique creatus Doctor

Theologus, in hujus urbis studio generali primus (primarium intelligo Professorem) Lector fuit VI. Kal. Januar. 1320. Anno sequenti Comitiis Provincialibus ibidem habitis 1321. præfuit; ubi & primus Provinciæ Narbonensis electus est Præfectus. Quo quidem administrato per triennium, non diu post, scilicet anno 1327. à JOANNE PAPA XXIII. assumptus fuisse in Ecclesiæ Bossensis, quæ in Sardinia est, ad Pontificium dicitur; atque in hac Sede diem estremum anno 1340. clausisse. Bosoensem in Dalmatia sub Archiepiscopo Coloczienſi in Hungaria, minus rectè vocant Episcopum Gesnerus, Possevinus, Lezana, & alii. Scripsit,

1. *In Magistrum Sententiarum Libris IV. Commentaria.*

2. *Lecturas alias Theologicas, Libris duobus.*

3. *Sermones* Libris tribus coram Summis Pontificibus sui temporis Avenione habitos.

Joannem de Claravo laudant Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali*, sive potiùs Josias Simlerus, in *Epitome hujus Bibliothecæ*. Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Britanniæ, Cent. IV. in Appendice ad Robertum Baston*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 859. Valerius Andreas, in *Catalogo Scriptorum Britanniæ*. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca veteri Hispana*, *tomo* 2. *pag.* 107. *num.* 262. Daniel à Virgine Maria, *tomo secundo Speculi Carmelit. pag.* 934. *num.* 3273. Ibid. *pag.* 1078. *num.* 3775. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1318. *num.* 3. *pag.* 544. ubi animadvertit quod in Capitulo Generali Albiæ celebrato, anno 1325. Joannes de Claravo suis literis postulavit ut ipsi restituerentur omnia quæ hactenùs perdiderat, quare illic decretum fuit omnia illa restitui; non verò Libros, & alia quæ habebat ad usum, ut ad suam Ecclesiam Bossensem ea deferret: sed quod Generalia Comitia illi denegarunt, Literis Apostolicis id obtinuit.

CLXVII.

JOANNES CLIPSTONUS, natione Anglus, Cœnobii Nortlinghamensis alumnus, nutricem in bonarum artium studiis habuit Academiam Cantabrigiensem, ubi sacræ Theologiæ primùm Doctor, deinde Professor constitutus, sacras ibi Scripturas multo tempore docuit, & divina mysteria cum laude, & pari fructu in publico auditorio discipulis aperiebat. Erat enim linguæ promptæ, politi sermonis, subtilis ingenii, solidi judicii, elegans Poeta, Orator disertus, facundus Concionator; & quod omnium caput est, à progressu in literas nunquam disjunxit, aut separavit virtutis cultum, seu Religionis amorem. Obiit Nortlinghamiæ, circà annum 1378. Ejus Opera sunt,

1. *Expositionum Bibliorum*, Lib. I.
2. *Exempla sacræ Scripturæ*, Lib. I.
3. *In varios sacros textus*, Libri plures.
4. *In Joannem Postilla*, Lib. I.

Horum mentionem habent Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra*, *pag.* 360. & 529. atque Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 679. *col.* 1. *C.*

5. *In Magistrum Sententiarum*, *Quæstiones*: Lib. IV.
6. *Disceptationes Scholasticæ*, Lib. I.
7. *Sermones per Adventum*, Lib. I.
8. *Sermones Hyemales*, Lib. I.
9. *Sermones Æstivales*, Lib. I.
10. *Sermones de Proprio Sanctorum*, Lib. I.
11. *Sermones de Communi Sanctorum*, Lib. I.

Joannem Clipstonum commendant Joannes Pitseus & Balæus, in *Catalogo Scriptorum Angliæ*: Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 859. Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad annum* 1378. *num.* 5. *pag.* 696. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 1116. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 312. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca media & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 185. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli.*

CLXVIII.

JOANNES COLLEIUS, aliàs COLLÆUS, vulgò COLLEY, natione Anglus, Doncastrensis io Comitatu Eboracensi Cœnobii alumnus; quem pietas & scientia tum suis contemporaneis, tum etiam posteris commendarunt. Erat enim in Latina lingua elegans, in Concionibus facundus, & rerum cœlestium contemplationi deditus impensè circà annum 1440. scripsit Latinè ac eruditè,

1. *De Passione Christi*, Lib. I.
2. *De laudibus Apostolorum*, Lib. I.

Hunc Librum citat P. Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Pontificia*, *Lib. II. pag.* 360.

3. *Sermones*, Lib. I.
4. *Epistolas ad Diversos*, Lib. I.

De Joanne Colleio loquuntur Joannes Pitseus, Lelandus & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ*: Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 861. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Cyrillus Pennect, in *Gymnasio Ms. Carmelitico ad ann.* 1439. Lezana, *ad eumd. ann.* 1439. *num.* 4. *pag.* 851. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 1116. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 344. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca media & infima Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 187.

CLXIX.

JOANNES DE CONDETO, aliàs à CONDATO, natione Belga, Provinciâ Hanno, Cœnobii Valencennensis Carmelita, Theologus celebris, in Comitiis Generalibus Podiensibus anno 1379. Brugis habito deputatur ibidem Lector Sententiarum pro tertio anno, & Bibliorum pro primo anno. Scripsit,

1. *In Canonicam Epistolam S. Joannis*, *Commentaria.* Quorum meminerunt Fabianus Justinianus, *Lib. III. de scriptura sacra*, *pag.* 568. & Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 795.
2. *Lecturam in Libros IV. Sententiarum.*
3. *Sermones de Tempore*, Lib. I.
4. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.

Ita de illo referunt Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 861. Fabricius Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 413. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *pag.* 619. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca media & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 188. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 312. Lezana, *ad annum* 1379. *num.* 11. *pag.* 702. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1108. *num.* 3926.

CLXX.

JOANNES CONSOBRINUS, aliàs SOBRINUS, vulgò SOBRINHO, Ulissipone natus, Ordini Carmelitarum in Conventu patrio aggregatus, Provinciæ Lusitaniæ Præfecturam accepit anno 1456. Deiparæ Virginis devotioni singulariter de-

J.

ditus, Immaculatam ejus Conceptionem egregiè propugnavit: sic acris, subtilis, & resoluti ingenii in disputationibus apparebat, ut propterea *magni Magistri* nomen consecutus, in actibus Scholasticis magna in reverentia ab omnibus haberetur: sic sui à Concionatoribus seculi colebatur, ut cum præsens adesset, nonnisi ab ipso petitâ veniâ quandoque sermo fieret.

Charus valdè fuit Alphonso V. Portugalliæ Regi, à quo aliquando in Conventu visitatus, ipsius animæ negotia pertractabat: nec propterea aulam sectari, aut ab ipso dignitatem aliquam accipere voluit. Cum pro Ecclesiâ Catholicâ piissimos latratus ederet, à Lupis, circà caulas gregis Christiani frementibus, (Hæreticis) intoxicatus, *Ulissipone* spiritum emisit anno circiter 1475. Illum ex nobili SORRINHORUM & COELHOS stirpe natum sepelierunt in Ecclesiâ sui Ordinis, sub pulpito ubi Evangelium cantatur, & sub nigro lapide æneis Literis inscripto. Non expendo quâ certitudine Trithemius, Cardosus, & alii scriptores dixerint Consobrinum in Angliam perexisse, ibique in Oxoniensi Academiâ Literis operam dedisse, posteà in Italico Bononiæ Civitatis Gymnasio Theologum Doctorem creatum, atque in patriâ Præceptorem fuisse ALPHONSI V. & genitricis ejus EDUARDI Literas ad eos docendos. Scripsit,

1. Tripartitum tractatum utilissimum *de justitiâ commutativâ, Arte campsoriâ, ac Alearum ludo.* Prodiit in-8°. ex officinâ Parisiensis Guidonis, aliàs Gedlonis Mercatoris, (Gallicè Guyot du Marchand) in campo Gaithardi anno M. CDLXXXVI. si fides dabitur Georgio Cardoso; sed verè anno M. CDXCVI. Nam Guyot du Marchand in Typographum Parisiensem cooptatus fuit anno M. CDLXXXIX. ut notant Joannes Delacaille, *pag.* 66. & Andreas Chevillier, *pag. 57. de Arte Typographicâ Parisiensi*, Gallicè editâ.

2. *Sermones varios*, quos typis mandatos prodiisse, audiisse se è quibusdam putat Nicolaus Antonius.

3. *Super Aristotelem, lucubrationes quasdam.*

4. Francisci Mayronis *Conflatile* redegit in Compendium. *Conflatile* autem Mayronis Minoritæ anno 1320. celeberrimi, nihil aliud est quàm *Opus Logicam.*

5. *De Conceptione Deiparæ Virginis, Immaculatâ*, Tractatum.

6. Vernaculè ad Eduardum Regem discipulum: *O Regimento de oavir con perfecçao ò sancto sacrificio da Missa.* Hoc est, *Instructionem ad perfectè audiendam Sacrum.*

7. *Alias* etiam scripsisse fertur, quæ in Bibliotheca Carmelitarum antiquiorum Ulissiponensium servari dicuntur.

Hunc Consobrinum commendant Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Eccles. cap.* 867. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro, tomo* 1. *pag.* 861. Andreas Schottus, in *Bibliotheca Hispana.* Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Britanniæ, Cent. VIII.* In *Appendice ad Joannem Ergon.* Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca veteri Hispana, tomo* 2. *pag.* 227. *num.* 896. Georgius Cardosus, in *Hagiologio Lusitano, ad diem XI. Januarii.* Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 4. *pag.* 189.

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliothecâ, folia* 44. *verso.* Didacus Coria, in *Chronica Carmelitarum, Lib. XII. cap.* 3. Simon Coelhus, in *Chronica ejusdem Ordinis:* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 360. Joannes Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1470. *num.* 4. & *ad ann.* 1475. *num.* 4. *pag.* 922. & 936. Philippus à SS. Trinitate, in *Decore Carmeli Religiosi, parte* 1. *pag.* 173. Daniel à Virgine Maria, in *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 980. *num.* 3480.

CLXXI.

JOANNES DE LA COURT, Brabantinus, Antuerpiensis Carmelita, anno 1591. professus, sacræ Theologiæ Doctor, vigesimus Prior Antuerpiæ continuatus, usque ad obitum illum Conventum duodecim annis texit, memoriam sui relinquens in benedictione; tum ob augustam Ecclesiæ anterioris fabricam, quam & inchoavit, ad fastigium perduxit; tum ob alia haud minora Conventui præstita. Contagiosâ lue Militibus infectis subveniens ex charitate, ipse correptus decessit Antuerpiæ, anno 1622. die 10. Decembris. Flandrico idiomate tria Opera dedit & Typis mandavit,

1. *Historiam originis & successionis Ordinis Carmelitarum, à S. Propheta Elia.*

2. *Vindicias*, Libri de Institutione primorum Monachorum per Joannem XLIV. Patriarcham.

3. *Vitam S. OSWALDI, Regis Angliæ.* Antuerpiæ, anno 1615. *in*-8°. Silent de illa vita Biographi Belgæ, *tomo* 2. Augusti ad diem 5. *pag.* 83. ubi vitam S. Oswaldi scribunt.

De illo mentionem habent Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1493. *num.* 3. *pag.* 983. *lin.* 21. sed præsertim Daniel à Virgine Maria, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani, pag.* 323. *num.* 1324. Ibidem, *tomo* 2. *pag.* 1109. *num.* 3936.

CLXXII.

JOANNES CRESSÆUS, aliàs CRESEIUS, CRESSE, vulgò CRESSEY, natione Anglus, Monasterii *S. Botulphi*, in Comitatu Lincolniensi alumnus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, patrii Conventûs Prior electus, cœpit de edendo aliquo sui tum ingenii, tum doctrinæ specimine cogitare: & quoniam in B. Virginem Dei-param speciali ferebatur affectu, scripsit circà annum 1450.

1. *De laudibus assumptæ Mariæ*, librum unum.

2. *Homilias per annum*, Libro uno.

Illum commemorant Joannes Lelandus, Pitseus, & Balæus, *de Scriptoribus Angliæ:* Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 4. *pag.* 191. Possevinus, in *Apparatu sacro:* Alegreus Cassanatus, In *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 349. Lezana, *ad ann.* 1450. *num.* 5. *pag.* 875. Daniel a Virgine Maria, *tomo* 2 *Speculi Carmelitani, pag.* 1116.

CLXXIII.

S. JOANNES A CRUCE, *Hontiberi* in Hispania natus est anno 1543. ex parentibus GONSALVO DE YEPEZ & CATHARINA ALVAREZ. Instructus humanioribus Literis, & emenso Philosophiæ cursu, Carmelitarum habitum *Metymnæ* in Cœnobio *S. Annæ* suscepit, anno 1563. sub nomine JOANNIS A S. MATTHIA. Anno sequenti, ætatis suæ vigesimo secundo, professionem emisit, & anno 1567. primum Missæ sacrificium obtulit, peracto Salmanticæ Theologico studio. Perfectioris vitæ desiderio æstuans, & S. Teresiæ consiliis adhærens, Durvellum tuguriolum petivit, anno 1568. ubi cujusdam Cœnobii formâ extructâ, die 28. Novembris vota renovavit cum promissione servandi Regulam ab INNOCENTIO IV. mitigatam; qua in renovatione socios habuit ANTONIUM DE HEREDIA, qui

Antonius a Jasu, & Fr. Joaaphum a Jesu, qui Fi. Josepn a Christo vocari cœpit, & ipse Joannes a S. Matthia vocatus est Joannas a Cruce; quem Suppriorem hujus pusilli gregis constituit Alpnonsus Gonzales, Provincialis, Priorem verò Antonium à Jesu, & Sacristam atque Ostiatium Fr. Josephum à Christo.

Anno 1569. die 11. Junii Conventu *Durvellœo* ad oppidum *Mazera* translato, Joannes hanc vitæ perfectionem egit quam in noviiiatu Pastranensi (eodem anno 1569. die 13. cessit in usum Carmelitarum Excalceatorum) anno sequenti, mense Octobris Magister Novitiorum electus, introducere cœpit. Exeunte anno eodem 1570. à Patie Balthazaro de Jesu, Priore, missus est *Complutum* ad fundandum, regendumque ibi recens Cœnobium: in paucos vix menses transegerat anni 1571. eum *Pastranam* revocatus ad nimium Angeli a S. Gabriele Magistri Novitiorum zelum temperandum & moderatione æquiore conducendum; & inde anno 1572. instante S. Priorissa Teresia, Monialium *Abulensium* Conventûs *Incarnationis* Confessarius eum P. Germano a Cruce eligitur, atque tantam illuc introduxit regularem observantiam, ut solo habitu hæ antiquiores Carmelitanæ à Teresianis recenter Reformatis in Conventu S. Joseph commorantibus, in eadem civitate Abulensi, differre viderentur.

Interim Almansium & alia Cœnobia in Congregatione Carmelitarum Excalceatorum, ultrà & extrà facultatem à R. Joanne-Baptista Rubeo datam, de duobus solummodò ædificandis Conventibus quotidiè construebantur. Quare in Capitulo Generali *Placentiæ* celebrato anno 1575. Quo & desierat jam ab anno jurisdictio & facultas Commissariorum Apostolicorum à Pio V. data in Carmelitas Hispaniæ visitandos, statutum fuerat ut magnâ diligentiâ ii Reformati inspicerentur. Hinc novam adversùs sodalitatem exoritur tempestas, à qua ut sese Carmelitæ Discalceati tuerentur, anno Domini 1576. Priores Manzerensis, Pastranus, Complutensis, Granatensis, Pignuelanus, Hispalensis, Almadoüarensis, Altomirensis, & de Roda simul convenerunt, die 8. Augusti in Monasterium Almadoüarense, cui & ipse Joannes, Confessarius Monialium Incarnationis Abulensium interfuit.

In illis Comitiis electi sunt Definitores, quorum primus institutus fuit Antonius a Jesu: omnium autem Superior pro ista reformata Congregatione, Hieronymus Grattanus fuerit constitutus à Reverendiss. Dom. Nicolao Hormanst, in Hispaniis Nuncio Apostolico; cujus post obitum, qui mense Maio, anno 1577. contigit, Philippus Saga ejus ad munus Nuncii Apostolici exercendum Successor, Hieronymum Gratianum destituit, duos in Sodalitatem Excalceatorum Carmelitarum reformatam Commissarios instituit, *Suarezium* & *Didacum Coria*, qui hac de re Hieronymum Gratianum in Conventu Pastranensi certiorem reddunt. Anno 1577. die 9. Octobris Antonius de Jesu, tamquam primus Definitor *Almadoüaram* convocat Synodum, in qua & ipse Præfectus eligitur, & media quibus novella Congregatio sustinenda sit discutiuntur. Animus Nuncii exasperatur, mitigatis Carmelitis, Excalceatos Literis datis subjicit, & renuentibus excommunicationem minatur; firmiores Reformationis columnas, ex quo S. Teresia iterùm Priorissa fuerat Monialium *Incarnationis* electa, concutit: Ipse Joannes a Cruce in carcerem violenter truditur, in quo per novem menses Toleri dura multa pertulit. Indè liberatus cum aliis Superioribus, anno 1578. communi consilio deliberato ut imminentibus malis obviare possit. Sedatâ tandem post duos circiter annos tempestate illâ, fundationem Conventûs Biatiensis in Diœcesi Gienensi, Superiorum mandato aggreditur, & die 14. Junii 1579. concludit.

In *Pegnuelæ* ac *Calvarii* Cœnobiis Superior ad tantam Sanctitatis apicem evexit Religiosos, ut hæresibus alibi ingruentibus, sævientibusque, vigorem Monasticæ & rigorem disciplinæ mirarentur omnes restitutum. Anno 1580. die 22. Junii, Gregorius XII. Constitutione Apostolicâ primam Carmelitarum Excalceatorum Pruvinciam in Hispania erexit, sub obedientia quidem Prioris antiquiorum Carmelitarum Generalis, sed sub exemptione ab aliis Prioribus Provincialibus. Anno 1581. die 3. Martii, congregato Compluti Capitulo, ad hujus Constitutionis receptionem, Joannes cum aliis Superioribus interfuit, & non multò post eligitur Prior Conventûs Granatensis: cujus munere decoratus, Comitia Ulyssiponensia, anno 1585. die 10. Maii adiit, & in eis Definitor secundus fuit electus; & Hieronymi Gratiani, qui ab anno 1581. Præfecturam Congregationis tenuerat, expulsionem prædixit.

Abseus Nicolaus a Jesu Marta, cognomento d'Oria, in his Comitiis electus in Provincialem, postquam ex Italia rediisset, ubi *Genuæ* Conventum fundaverat, Capitulum *Pastranæ* eodem anno, die 17. Octob. celebravit in quo Congregationem Excalceat. quatuor in Vicariatus divisit, quos cuilibet Definitori sigillatim assignavit; & ideò Joannes à Cruce Vicarius Provincialis *Bœticæ* constituitur. Anno 1587. *Pinciæ* celebratâ Synodo, Prior Conventûs Granatensis secundò eligitur. Ast Nicolaus Provincialis ita effecit apud Regem Catholicum Philippum II. ut eo postulante Sixtus V. anno eodem 1587. die 10. Julii Constitutionem ediderit, quâ Carmelitæ Discalceati Vicarium Generalem sibi possint eligere, sub obedientia Prioris Generalis totius Ordinis. Quapropter anno 1588. die 19. Junii Generalia Matriti fuerunt habita Comitia, in quibus idem Nicolaus in Vicarium Generalem, & noster Joannes in primum Definitorem Generalem assumptus est simul, & in Priorem Segoviensem.

In hoc Segoviensi Conventu hoc mirabile huic contigit: Orabat coràm imagine pictâ Christi Crucem bajulantis: ipsum sibi dicentem audit: *Joannes, quid vis pro laboribus?* Cui respondit: *Domine, pati & contemni pro te.* Voti compos brevi efficitur; nam anno 1591. die 1. Junii in Capitulo Matritensi adeò iniquæ adversùs eum cogitationes factæ sunt, ut vel expelleretur à sua Congregatione; vel prætextu Missionis Indicæ formandæ, tam longè exul ab Hispania fieret, ut nomen ejus non memoraretur ampliùs; undè Provincialis Indiarum Occidentalium instituitur, & reipsâ sine officio dimittitur, quorumdam invidorum æmulatione. Aliarum autem persecutionum hæc origo fuit: Quorumdam consilio, Moniales Teresianæ Apostolicum Breve impetrarunt, quo ab ordinariis Superioribus dictæ Congregationis eximebantur, victuræ tamen sub uno Generali Commissario ex eadem sodalitate assumendo. Quædam insuper immutata fuerant in Constitutionibus à S. Terasia scriptis, & à P. Hieronymo Gratiano, Provinciali, approbatis; & hæ mutationes à Nicolao, Vicario Generali, anno 1590. factæ, iisdem Monialibus ita displicebant, ut admittere nullatenùs vellent. Sed, quia nonnullis earum à Confessionibus erat addictus Joannes a Cruca, quem & omnes primum universim Commissarium petierant, indè est, quod tanquam hujus consilii conscius, & infidelis religioni cœpit haberi, & Superiorum aliquot murmurationi patere.

Ab omni officio immunis Joannes, obtentâ licentiâ, in solitarium *Rupecula* Conventum in Provincia Bætica,

Bætica, mense Julio, ubi mira vixit in Sanctitate, perfectus in omnium exercitio virtutum. Die autem decimâ Augosti P. DIDACUS EVANGELISTA, Definitor Generalis, deputatur Commissarius negotii, extrà quod non pertimescit adversùs JOANNEM tentare informationem, cui parùm erat affectus, cùm aliàs Venerabilis Pater ipsum prætextu concionum inobservantiam repressisset. Reclamarunt statim & Religiosi & Moniales: obstitit & ipse R. P. NICOLAUS, Generalis Vicarius: animadvertit etiam vindex Deus; nam & JOANNE Vate atque prædicente, Commissarius moritur in itinere, & mortuus defertur *Granatam*.

Acutâ febri corripitur *Joannes*, quam aliquamdiu dissimulat; sed debilitatus, decidit in lectum; & tibiâ dexterâ acri humorum materiâ inflammatur. Quamvis ANTONIUS A JESU, Provincialis, optionem illi dedisset petendi Conventum *Biacensem* aut *Ubetensem*, ut in alterutra civitate curationem sibi posset accersere; & multi suaderent eligere *Biacensem*, quem fundaverat, ubi notus erat; & cujus Prior ipsum tanquam filius venerabatur: prætulit tamen *Ubetensem* Conventum pauperem, cujus Prior à Commissario præmemorato præventus, parùm ei erat affectus. Ubetæ igitur à Religiosis benignè acceptus, tumorem tibiæ per quinque ora in modum Crucis formata patientissimè tulit, mortem lætabundus expectans, quæ in principio Sabbati, die 14. Decembris, anno Domini 1591. ætatis 49. professionis religiosæ 28. Reformationis autem 23. contigit. Virum miraculis insignem *Beatum* declaravit CLEMENS X. die 21. Aprilis, anno 1675. Et in *Sanctorum* numerum retulit BENEDICTUS XIII. die 26. Decembris, anno 1726. Scripta ejus hæc sunt Hispano idiomate,

1. *Subida del Monte Carmelo*: seu Latinè, *de Ascensu Montis Carmeli*; Libris tribus: sequiturque ejusdem argumenti & excellentiæ.

2. *Noche obscura del Alma*: sive Latinè: *De obscura Nocte Animæ*: Libris duobus: sive de muniendа undique via ad perfectam Spiritûs cum Deo unionem.

3. *Llama de Amor viva*, nuncupatum opusculum, seu Latinè: *Viva Amoris flamma*.

4. *Cantico espiritual entre la Alma y Christo su esposo con su declaracion*; sive Latine: *Canticum spirituale inter animam & sponsum ejus Christum; cum ejus explicatione*.

Matriti hæc simul apud Heredes viduæ P. de Madrigal, anno 1629. in-4°. priusque Barcinone, apud Cormellas, 1619. in-4°. De aliis Editionibus & versionibus fusè tractat Martialis à S. Joanne-Baptista, in *Bibliotheca Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 228. sicut & de *nonnullis Opusculis*, quorum nullam habet mentionem Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 518.

CLXXIV.

JOANNES A CRUCE, triplex Carmelita Excalceatus recensetur alius, & quartus.

Primus, elucubravit Hispane, anno 1618. Librum inscriptum: *Nox obscura Sensûs & Spiritûs*: Asservatur in Toletano Cœnobio, teste Anastasio à S. Teresia, quem citat Martialis, loco mox citato.

Secundus, Catalanus, reliquit in Conventu Barcinonensi *Librum Moralem & Asceticum*.

Tertius, Nobilissimâ stirpe progenitus, in difficilioribus negotiis tractandis solertissimus, ac prudentissimus, Principibus ac Magnatibus acceptissimus, extremum diem solvit Neapoli, anno 1720. & Opera dedit quæ titulo insigniuntur.

Quartus, Burdigalensis perhibetur in *Decore Carmeli Religiosi*, *parte* 3. *pag.* 99. cujus opera dicuntur:

1. *Reflexiones super quinque verba D. Pauli, ad benè vivendum & moriendum; exposita secundùm doctrinam D. Thomæ & Teresiæ*. Italicè, tomis V. in-4°. Neapoli, anno 1681.

2. *Vita V. Servi Dei ALOYSII A JESU, Carmelitæ Discalceati*. Hispanè & Italicè. Neapoli, anno 1671. in-12.

3. *Lumen vivis exemplo mortuorum* à Francisca de SS Sacramento scriptum, ex Hispano in Italicum idioma transtulit, & edidit anno....

4. *Tubam Ezechielis*; sive Epistolam Pastoralem Illustriss. Dom. de Palafox, in *hæc verba Ezechielis* 38. V. 17. *fili hominis, Speculatorem dedite domui Israël*, &c. Ex Hispano in Italicum idioma vertit & Neapoli edidit anno 1679. in-8°.

CLXXV.

JOANNES A CRUCE, in seculo dictus JOANNES WEISS, natione Ubius, patriâ Coloniensis, insigni pietate præditus, cum esset præclari ingenii, optimæ indolis, magnæque spei, mittitur ex decreto Provinciæ, cum obedientia R. P. THEODORI STRATII, Prioris Generalis, anno 1633. in Provinciam Turonensem Galliarum, ut ibidem reformationis & strictioris observantiæ Tyrocinia poneret, ejusdem methodum suis Germanis Sodalibus aliquando traditurus. Quem in finem anno 1638. redux in Provinciam suam, præficitur junioribus Carmelitis tum Novitiis, tum recens Professis Magister in Conventu Coloniensi. Unde spes magna erat, præfatam reformationem in Germaniam suaviter, absque ullo externo subsidio, aliquandò introductum iri. Ast Parca ei invidit: Consummatus enim in brevi, anno 1642. die 20. mensis Augusti, ætatis suæ 32. febri correptus, *Coloniæ* moritur, magno totius Provinciæ luctu. Scripsit,

1. *Carmina Latina ad P. Joannem Seinerum*, Carmelitam; quæ præfiguntur Operibus Guidonis de Perpiniano, editis Coloniæ, *in-folio*, anno 1631.

2. *Collectanea nonnulla*, quæ ad Provincias Germaniæ & Galliæ Ordinis Carmelitarum spectant. Servantur *Manuscripta* in Bibliotheca Coloniensi Carmelitarum antiquiorum.

Joannem hunc à Cruce commendant Millendonck, in *Schedis Mss.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Ms pag.* 155. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1012. *num.* 2535. Leo à Sancto Joanne-Baptista, in *Descriptione Observantiæ Rhedonensis*, *cap.* 8. *pag.* 49.

CLXXVI.

JOANNES CUISSOT, natione Gallus, regione Borbonius, Provinciæ Narbonæ Carmelita, in Alma Facultate Parisiensi Doctor Theologus, in suo patrio Conventu Prior & Commissarius Generalis; Conventumque Vesontionem rexit Prior, atque suæ Provinciæ Definitor. Anno 1653. institutus Regi Christianissimo LUDOVICO XIV. à Consiliis & concionibus; à quo & Episcopus *S. Flori* in Arverniа nominatus. Qua de causa Episcopalia Vestimenta cum cæteris Episcopalis Capellæ paramentis sibi confici curavit, Joannes noster quæ in Conventu Molinensi etiamnum asservantur. Ast æmulorum livore, & prætensâ Reformationis stabiliendæ deturbatione, ad Monasterium gratis dimissus est, & Molinis postea Borboniorum demortuus, senio plenus, post annum 1677. Edidit Gallico idiomate,

1. *L'Oraison Funebre de* CONSTANCE DE

J.

Beaufrémont, Abbesse de S. Menou dans le Diocèse de Bourges. A Moulins, 1637. *in-8°.* Citatur hæc Oratio funebris à Jacobo Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 287. *num* 6805.

2. *L'Ame criminelle aux piede de Jesus, présentée aux Pêcheurs affligés & moribonds.* En trois Livres. A Lyon, chez Pierre Bachellu, 1651. *in-8°.*

3. *L'Horloge de l'Ame criminelle; où bien des Saints Noms de* JESUS, MARIE & JOSEPH. A Lyon.

4. *Alia Opera* quæ refert Ludovicus Jacob, in *Descriptione Provinciæ Narbonæ*, *cap.* 4. De Joanne Cuissot loquuntur etiam honorificè Andræas à S. Nicolao, in *Schedis Mss.* quas citat Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1090. *num.* 3842. R. P. Philippus Chaudeau à S. Claudio, in *Schedis Mss.* ad nos Aureliam Lugduno missis, anno 1741. die 2. Julii.

CLXXVII.

JOANNES CURRIFEX, natione Germanus, patriâ Spirensis, sacræ Theologiæ Magister, edidit *Catalogum Sanctorum & virorum Illustrium aliquot Ordinis Carmelitar.* Spiræ, anno 1510. *in-8°.* Hujus meminerunt Joannes-Baptista de Lezana, in *Tract. de Virgine Patrona*, *cap.* 4. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 522. *num.* 2095. Ibidem, *tomo* 2. *pag.* 1097. *num.* 3885.

CLXXVIII.

JOANNES DEMOPHYLAX, aliis DIOPHYLAX, (quasi *populi custodem*, *aut Dei defensorem* dixeris) natione Belga, Gandensis Carmelita, Theologus, ad Poësim natus: Vir ingenii profunditate cum magnis comparandus: In quæstionibus Scholasticis, Physicis ac Theologicis, eruditionis eximiæ. Obiit Lugduni, anno Christi 1528. ætatis verò 26. Poëmata ejus sunt,

1. *Christo mathia.* Carmen laboriosum, constans acrostichis perpetuis. Gandavi, *in-4°.*
2. *Fornax Chaldaica*, Lib. I.
3. *Catachresis Israëlitica*, Lib. I.
4. *Laus lucis*, Lib. I.
5. *Erotema Religionis.*
6. *Oda de Christi Natalitio*, Lib. I.
7. *De Beata Virgine.*
8. *De Flandriâ Carmen.*
9. *Epigrammata quædam.*
10. *Epistolæ ad Diversos.* Quæ omnia simul typis edita prodierunt Lugduni, anno 1527. cum Authoris effigie; sicuti referunt Possevinus, *in Apparata Sacro*, *tom.* 1. *pag.* 866. Franciscus Sweertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 418. Valerius Andreas & Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliothecâ Belgicâ*, *pag.* 627. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 390. Daniel à Virgine Mariâ, *tom.* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1108. *num.* 3927.

CLXXIX.

JOANNES DE DEO, Majoricensis natu & professione Carmelitanâ, sacræ Theologiæ Magister, Conventûs patrii Prior, & studii Regens, electus est Archiepiscopus Tarsensis in Ciliciâ, duodecimo kalendas Junii, 1474. & Suffraganeus ad hæc institutus in partia Diœcesi Majoricensi, quam pro Episcopo N. Avellaneda usque ad annum 1496. gubernavit, quo & ipse obiit die 15. Maii, & in Carmelo Majoricensi sepultus. Scripsit,

1. *In Magistrum Sententiarum Lib. IV. Commentaria.*
2. *Quodlibeta Theologica.*

De illo mentionem habent *Acta Consistorialia* Sixti IV. Regesta *Bullarum Innocentii VIII.* & *Alexandri VI.* Vincentius Mut, in *Historia Majoricarum*, *tom.* 2. *Lib. II. cap.* 6. Ibid. *Lib. XII. cap.* 12. Lezana, *tom.* 4. *ad annum* 1321. *num.* 8. *pag.* 524. Daniel à Virgine Mariâ, *tom. spec. Carmelit. pag.* 935. *num.* 3274.

CLXXX.

JOANNES DOMINICUS LUCCHESIUS, venerabilis servus Dei, continuæ orationi deditus, & ad summam evectus contemplationem, ortum ducens in terra *Piscariæ*, ditionis Lucensis, Religionem Carmelitanam in Congregatione Mantuana professus est, & *Viterbii* obiit in Pervigilio S. Josephi, die 18. Martii 1714. plurimis relictis piis Opusculis Mss. quæ approbata fuerunt ex Decreto sacræ Congregationis Rituum, die quintâ Decembris 1733. & à summo Pontifice Benedicto XIV. die undecimâ ejusdem mensis & anni; necnon relata in summarium additionale informationis super signatura commissionis introductionis causæ ad ejusdem Joannis Dominici Lucchesii Beatificationem & Canonizationem, Romæ anno 1734. editum, ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Primum Manuscriptum, est liberculus incipiens: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.*

Secundum, incipit: *Atti d'amor di Dio*: seu Latinè: *Acta amoris Dei.*

Tertium, incipit: *Deh Giesu, compita anime amanti*, Latinè: *O Jesu, Anima vere amantis.*

Quartum, continetur paginis septuaginta quinque, quarum primâ sic incipit: N. † R. *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite.*

Quintum, paginarum cartæ latarum 17. in reliquis autem verò non ejusdem formæ, sic incipit: *Cantana che fà l'anima nell' intima unione con Dio del B. Giovani della Croce*: sive Latinè: *Cantatio quam anima facit in intima unione cum Deo, à Beato Joanne à Cruce, composita.*

Sextum, paginis sex contentum incipit: *Modo di fare l'Oratione mentale di santa Teresa Virg. Carmelit.* seu Latinè: *Modus faciendæ Orationis mentalis S. Teresiæ, &c.*

Septimum, tribus paginis comprehensum incipit: *Dies iræ, dies illa: Piangete anime pie*: seu Latinè: *Planctus animarum piarum.*

Octavum, foliorum viginti sic incipit: *Della contemplatione eminente è servitiva.*

Novum, paginis septuaginta quinque compositum sic incipit: *Opera della nostra redentione fatta da Gesu Christo.*

Decimum, paginis centum & octo elaboratum incipit: *Dottrina ricopiata dall' opere di san Francesca di Sales, dal B. Gio. della Croce, è dal B. Enrica Sasone, per chi veramente vole, è desidera esser sequace di Gesu Christo.* Id est Latinè: *Doctrina collecta ex Operibus S. Francisci Salesii, B. Joannis à Cruce, & B. Henrici Susonis; pro eo homine qui verè vult & desiderat sequi Jesum Christum.*

Undecimum, *Epistolæ* 84. & *undecim Biglieti*: seu Epistolæ 84. & Schedulæ undecim variis personis scriptæ.

Duodecimum, *viginti alia Opuscula pietatis ordinatim scripta.*

Hæc nobis Aureliam Româ scribebat R. P. Timotheus Bergerot, Assistens Carmelitarum Generalis, in *Schedis Mss.* datis die 4. Februarii, anno 1749.

CLXXXI.

JOANNES DUSSELDORPIUS, aliis DUSELDORFIUS, vernaculè DUSSELDORP, cognomento FRITAG, Latinè FRITAGUS, natione Teutonicus, Moguntinensis Carmelita, Doctor eruditione Theologicâ clarus, in Divinis Scripturis studiosus, & quod piis hominibus pluris habendum, Regularis disciplinæ custos; Prior fuit Conventûs Argentinensis, ubi & mortuus & sepultus est, anno 1494. suum posteris gloriosum relinquens nomen, per opera seu in elucubrationibus plurimis, quarum nonnullas à se visas fuisse asserit *Trithemius*. Sic autem inscribuntur:

1. *De Observantiâ Dierum Festorum*, Lib. I.
2. *Itinerarium Terræ Sanctæ, quam ipse lustravit*, Lib. I.
3. *Sermones varii de tempore, & de Sanctis.*

Joannem Dusseldorp commendant Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Eccl. cap.* 960. Et fusiùs *Lib. de Viris Illustribus Ord. Carmelit.* Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 4. *pag.* 205. Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis, pag.* 422. Petrus Lucius, *in Carmelitanâ Bibliothecâ, fol.* 45. *verso.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 369. & 370. Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1494. *num.* 7. *pag.* 989. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 900. *num.* 3101. & *pag.* 1097. *num.* 3885.

CLXXXII.

JOANNES DE S. EADMUNDO, ideò dictus, quia ad fanum *S. Edmonds Bury*, oppidulum Angliæ in Suffolcia Provincia fortè natus, in Cœnobio *Gippesuvicensi* vulgo *Spswick*, quod oppidum est ejusdem Provinciæ ad fluvium *Orwel*, professus est Ordinem Carmelitarum; ubi & claruit circà annum 1350. lectione & meditatione sacrarum Scripturarum exercitatissimus Qui etsi plura scripsisse dicatur; unum tantummodò reperitur *Commentarium in Evangelium S. Lucæ*, quod laudat Joannes Pitseus, *Lib. de Scriptoribus Angliæ, ætate* 14. *num* 569. Joannes Lelandus, *Ibid. cap.* 445. Quos secuti sunt Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 297. Lezana, *ad annum* 1350. *num.* 5. *pag.* 598. Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 4. *pag.* 211. Jacobus Lelong, in *Bibl. sacra, pag.* 796. ubi eum vixisse dicit anno 1450.

CLXXXIII.

JOANNES DE EBORACO, Anglus Carmelita, Oxoniensis Doctor, & sacræ Theologiæ publicus Professor, circà annum 1390. scripsit,

1. *Præconia sacræ Scripturæ*, Lib. I.
2. *Lecturas in Genesim*, Lib. I.
3. *Expositiones ordinarias*, præter *alia* pretio digna quæ MSS. in Bibliotheca Norwicensi Carmelitarum quondam servabantur, teste Joanne Pitseo, quem citant Alegreus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 319. Daniel à Virgine, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani, pag.* 1117. *num.* 3946. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 4. *pag.* 205. Quanquam facilè crederem Joannem hunc de EBORACO seu EBORACENSEM esse eumdem atque Joannem BEVERLAIUM, ab oppido suo Beverlaio *Agri Eboracensis*, Carmelitam dictum, *de quo super. pag.* 797.

CLXXXIV.

JOANNES ELINUS aliàs HELINUS, natione Anglus, patriâ Norfolcensis, Carmelita Cœnobii Linnensis alumnus, sacræ Theologiæ Cantabrigiensis; vit meritam ob Sanctitatis opinionem eruditioni conjunctam ac morum suavitati, magni per Angliam nominis: Londinensis Prior electus, sanctè prudenterque regendo, & ad populum frequenter concionando, multùm profecit; & de eo primus conceptam opinionem auxit, imò virtutibus longè superavit. Assiduus in meditatione Mysteriorum, quæ in Apocalypsi S. Joannis exhibentur, quosdam adaptavit eo quo potuit modo imagines, quibus hæreses arcanæ adumbrarentur; adjunxitque simul iis Commentarios, ut illa Secreta divina, & à Doctis intellectu perciperentur, & à simplicioribus per oculos viderentur, enuntiata per Commentarios, & repræsentata per icones. Obiisse anno Christi 1379. refertur Londini, & ibi sepultus. Scripta ejus dicuntur,

1. *In Apocalypsim S. Joannis Commentaria*, Lib. I.
2. *Lecturæ sacrarum Scripturarum*, Lib. I.
3. *Quodlibeticæ Quæstiones*, Lib. I.
4. *Conciones plurimæ*, Lib. I.

Joannem Elinum laudant Joannes Lelandus, Pitseus, & Baiæus, *de Scriptoribus Angliæ*; Harpsfeldius, *Hist. Eccles. Angliæ*: Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra, pag.* 711. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis, tomo* 4. *pag.* 207. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 312. Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1379. *num.* 12. *pag.* 702. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1042. *num.* 3613. &c.

CLXXXV.

JOANNES EMMANUEL, EDUARDI, Portugalliæ Regis Filius, NONNII ALVAREZII PEREIRÆ exemplum secutus, vitam religiosam in Carmelo Ulissiponensi amplexatus est an. 1441. Provincialis illius Provinciæ institutus fuit à R. P. Jo. FACI, Priore Generali, cui id erat commissum in Comitiis Generalibus Astæ in Lombardia celebratis anno 1440. Veniens autem Romam EMMANUEL, institutus Episcopus Tiberiadensis, sed nondum consecratus transfertur ad Ecclesiam Ceptensem in Africâ, post obitum AYMARI XIII. Kalendas Augusti, anno 1443. Verùm post obitum LUDOVICI, provisus est Episcopus Egitanensis XVII. Kalendas Februarii, anno 1459. à Pio II. *Egita* seu potius *Igædita* Urbs in Portugallia, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Emeritensi, vulgo *Idanha à Velha*, nunc oppidulum in Beira Provincia; & ei successit in dignitate Episcopali *Guarda*, cui adjacet Castrum *Idanha à Nueva* quod *Igædita* seu *Egitanova* dici potest,

Emmanuel Alfonso Quinto, Portugalliæ Regi adeò summè charus, ut ob sua matura consilia, senilemque prudentiam admirationi esset Regi, cui semper & Curiæ aderat, & Regio præficeretur Sacello, nobilissimis eo tempore Sacerdotibus, electissimisque cantoribus, ultrà quàm dici potest exornato. Claustrum antiquum in Carmelo Ulissiponensi, cujus Prior aliquandò fuerat, reparari seu construi fecit. Sed cum Carmelitanæ regimen Provinciæ retinere affectaret, & negotiis Ordinis se se plus æquo ingereret; cum ipse longè magis impotens & minus sufficiens evasisset ad administrationem suæ Egitaniensis Ecclesiæ, ad quam regendam Coadjutor ei datus fuisset, anno 1476. die 31 Octobris, Sixtus IV. Apostolicis Litteris prohibuit ne ulteriùs Provincialatûs officium exerceret. Quo quidem anno obiisse creditur, & in Capitulo Generali Brixiæ celebrato anno 1478. revocantur omnes gratiæ & privilegia concessa per M. Episcopum Egitanien-

J.

ſem, fratribus Carmelitis Provinciæ Portugalliæ; & ordinatur Provinciali Aragoniæ, ut ergà dictam Provinciam vices Generalis haberet.

De Joanne Emmanuele loquntur Liber *Proviſionum Eugenii IV. & Bulla ejuſdem* ſummi Pontificis, *pro* Roberto, electo Epiſcopo Tiberiadenſi: *Liber proviſionum Pii II. fol.* 140. Sixtus Quartus, in conſtitutione *cunctorum*, quæ prodiit *tom.* 1. *Bullarii Carmelitarum*, *pag.* 318. Rodericus de Cunha, *in Hiſtoria Bracharenſi*, *parte* 2. *cap.* 57. *num.* 9. Lezana ad *ann.* 1441. *num.* 4. *pag.* 947. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 1. *ſpeculi Carmelitani*, *pag.* 935. *num.* 3275.

Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca veteri Hiſpana*, *pag.* 125. *num.* 396. *tomi ſecundi*, ubi ſic legitur: « Joannes Emmanuel, Eduardi Regis Portugalliæ filius, Carmelitarum ſodalis, qui anno » 1641. præfectus datus fuit tùm Ulyſſiponenſi » domo, tum Provinciæ cum Vicarii Generalis titulo: factus quoque primus Africæ Epiſcopus, » necnon Guardienſis, & Archicapellanus regius, » ſcripſiſſeqoe dicitur atque edidiſſe: *A regrade » viver en pax:* ſive *Regulam in pace vivendi*, & » alia. Vitam ejus à Georgio Cochim, ejuſdem familiæ Doctore Theologo, ſcriptam Romæ habet » amicus noſter ac doctiſſimus magiſter Fr. Ludovicus Perez de Caſtro, S. Mariæ Tranſpontinæ » Regens, ab Emmanuele de Reſurrectione, Auguſtiniano nudipede, dono acceptam. » Confusè refert eadem Alegreus Caſſanatus, in *Parad. Carmelit. decoris*, *pag.* 353.

CLXXXVI.

JOANNES ENDERERIUS, natione Germanus, patriâ & profeſſione Carmelitanâ Dunkelſpiclenſis, ſecundus *S. Mariæ in Urticeto* Heilpruneoſis Cœnobii *fontis ſalutis* in Diœceſi Herbipolenſi Prior: vir gravis induſtriæ, & indefeſſi laboris, Religionis & Fidei Sacræ candidus amator & zelator ignitus, virtute clarus, & pietate notus, Hæreticorum maſtix verbo, & incus opere, floruiſſe narratur anno 1450. ſcribens *libros duos* quibus ineſt titulus:

AUTHENTICA FIDES ECCLESIÆ variis argumentis clipeata.

Ita Mareus Antonius, Alegreus Caſſanatus, in *Paradiſo Carmelitici decoris*, *pag.* 351. poſt Joannem Trithemium, in *tract de miraculis Imaginis B. V. Mariæ in Urticeto*; cojus hiſtoria refertur in *vineâ Carmeli*, *pag.* 184. *num.* 550. *& ſeq. & tomo* 1. *ſpeculi Carmelit. pag.* 660. *num.* 2520. Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1448. *num.* 6. *pag.* 870. Ludovicus Jacob, in *Catalogo Mſ. Monaſterior. Ord. Carmelit. pag.* 104.

CLXXXVII.

JOANNES EVANGELISTA A SS. SACRAMENTO, Carmelita Excalceatus, Patriâ Romanus, & in Conventu S. Mariæ de Victoria defunctus, ſcripſit opuſculum, quod Romæ editum eſt Italicè anno 1688. *in-quarto*, quod inſcribitur: *Pro juvandis morti proximis*; ſicut legitur in *Bibliothecâ Carmelitarum Excalceatorum*, *pag.* 256.

CLXXXVIII.

JOANNES EVANGELISTA A S. MARIA, Carmelita Excalceatus, Gallus, *Foreneiaci*, Diœceſis Malleacenſis, anno 1601. die 26. Januarii natus, Pariſiis, in Conventu S. Joſeph die primâ Maii profeſſionem emiſit, vir obedientiâ clarus, & mortificatione illuſtris, nec minùs eruditione celebris, ſacram edocens Theologiam, *Theſes* propugnavit *Burdegalæ*, & edidit, in quibus ſingula verba ſententiis ex D. Thomâ deſomptis innitebantur. Ibidem denatus eſt anno 1641. die 7. Martii, eidem S. Thomæ conſecrato; ſicuti notat Ludovicus à S. Tereſia, in *Annal. Carmelit. Excalceat. Galliæ*, *Lib. II. Cap.* 14. *pag.* 386.

CLXXXIX.

JOANNES FACI, Natione Gallus, Carmelita Monaſterii Avenionenſis alumnus, item Prior & Sacræ Theologiæ Profeſſor, aſſumpto ad Sedem Meſſilienſem Bartholomæo Roqoalio, Priore Generali, illi ſuffectus eſt anno 1431. ab Eugenio IV. & in Cominiis Generalibus *Raveſpergæ* celebratis anno 1434. die ſolito Pentecoſtes electus; quamvis Synodus Baſileenſis Provincialem Germaniæ Superioris, Vicarium Generalem Ordinis nominaſſet Simonem Rizer, Sacræ Theologiæ Lectorem; ſi fides dabitur Joanoi Baptiſtæ Lezanæ, in ſuis Annalibus. Nam quædam ejuſdem ſummi Pontificis Bulla profertur anoo 1433. die 5. Septembris datâ, quâ *Natalis de Venetiis*, Sacræ Theologiæ Magiſter Carmelita, deputatur *Vicarius Generalis dicti Ordinis*, *donec per ipſum Capitulum de ipſo Generali Priore canonicè proviſum fuerit.*

Quomodò io altera Bulla anno 1432. die 15. Februarii datâ, Romanus Pontifex ad poſtulationem Joannis Faci, & Provincialium & Clauſtialium Priorum, & univerſorum Fratrum Ordinis Carmelitarum concedit mitigationem illorum Regulæ circà Carnium abſtinentiam & Jejuniorum obſervantiam? Suo autem in munere Joannes tantâ non ſolum totius ſui Ordinis laude, ſed omnium penè admiratione ſe geſſit, ut per quindecim annos ſaltem continuos, nullus eidem in eadem Præfectura fuerit ſuffectus. *Romæ* præſertim ejus ſumma virtus enituit; unde præmemorato Eugenio IV. maximè charus fuit, a quo primo ſedis ejus anno mitigationem (ut mox dicebamus) quamdam Regulæ Carmelitanæ obtinuit, atque Privilegium, quo totius Ordinis Carmelitarum Præfectus, Provincialis & Cœnobiorum Priores, eamdem in ſuos Religioſos haberent autoritatem, quam es officio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Minores Pœnitentiarii habent in Curia Romana. Eodem anno ſcilicet 1439. die ſecundâ Aprilis, cum eſſet *Baſileæ* ad Synodum Generalem, ſubſcripſit literis patentibus concordiæ & pacis, quam inter ſe inierunt quatuor Ordinom Mendicantium, Reverendiſſ. Patres Generales; nempè Bartholomæos Texerius, Prædicatorum; Guillelmus de Casali, Minorum; Gerardus de Arimino, Eremitarum S. Auguſtini; & noſter Joannes Phaci, Carmelitarum.

Hic Belgii partes peragravit anno 1436. ſua Monaſteria viſitans; Interque Conventus Hacalemenſis in Hollandia ſuſcepit cum cum decenti comitiva, æquè ac Fratres & civitatis Rectores; quemadmodùm & ipſe Henricus VI. Angliæ Rex poſteà, ſcilicet anno 1442. die 10. Junii eumdem ſui Regni Cœnobia viſitantem accepit in protectionem, tuitionem & defenſionem ſpeciales. Tria quidem Comitia Generalia diverſis io locis convocavit Joannes: Primâ quidem io Aſtenſi Æmiliæ Cœnobio, anno 1440. ſecunda in Monaſterio Cabilonenſi ad Ararim, anno 1444. Tertia denique *Romæ* anno 1444. in Palatio *Sanctæ Mariæ Majoris.* Repreſſit Colonienſium Fratrum Rebellionem, Congregationem Mantuanam

Manttuanam approbavit, cujus & primum Vicarium nominavit JOANNEM LAPPI Florentinum, atque nonnullos correxit Fratres, qui prætextu Generalis Conſilii Baſileenſis, à verâ obedientiâ ſeſe ſubtraxerant, quibus faces præbebat PETRUS DE GELVIAS, Provincialis Alemaniæ inferioris.

In quibus tam multa pietatis, fortitudinis, & prudentiæ dedit teſtimonia, ut in demortui MICHAELIS DE BOLLARIIS, ſedem Regienſem ſub Metropoli Aquenſi, anno 1450. decimo ſeptimo Kalendas Aprilis à NICOLAO V. aſſumptus fuerit. Nec tamen ſpiritualibus Beneficiis tantùm ſuum Ordinem cumulare, ſed temporalibus etiam ædificiis illuſtrare maximè curavit. Multa enim in ſuo toto Ordine, ſed præſertim in proprio Avenionenſi Monaſterio, ubi primùm ſecularis habitum & nomen exuerat, pietatis & liberalitatis monumenta reliquit: inter quæ maximum Æs Campanum in Pontificii Galerii formam confectum, quod adhuc æris fuſilis opificibus admirationi eſt. Labrum etiam æneum prægrande, quod aſſervandæ luſtralis aquæ in dicti Cœnobii Baſilicæ ingreſſu adhuc viſui eſt. Plurimarum quoquè ad Sacra Myſteria, & Miniſteria peragenda veſtium ſupellectilium: multa denique ædificia in eodem Cœnobio, quæ Gentilitiis ejus Stemmatibus fulgent, à fundamentis excitavit. Illud autem ſui in Ordinem ſtudii monumentum non omittendum, quod à ſummo Pontifice petierit & obtinuerit facultatem recitandi horas Canonicas juxtà ritum Ordinis Carmelitarum, & recipiendi in Capellanum unum ex Fratribus ejuſdem Ordinis.

Vix dum ſedem ipſam Regienſem aſcenderat, cum litem emergentem inter ipſum, & Capitulum Regienſe, honoris & reverentiæ causâ honoraria ſententia, electis utrinque Arbitris, ſopivit anno ſedis primo 1450. Anno autem ſui Pontificii ſeptimo interfuit & ſubſcripſit Synodo Provinciali, quam PETRUS FLUSSATENSIS ſeu DE FUXO, Epiſcopus Albanenſis, S. R. E. Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus Avenionenſis, ibidem convocavit. Anno 1460. & die 6. Auguſti, cum Capitulo præpoſito, & Sacriſta Regienſi pro Sacriſtiæ fructibus exortas controverſias, tranſactione abſolvit. At cum viſitationis munus Domino Epiſcopo jure ipſo incumbat, illudque propriis ſumptibus obire parnon ſit, dictæ viſitationi pretium quoddam conſtituit, aut cibariorum pro Domino Epiſcopo, & ejus neceſſario competentem exhibitionem. Obiit anno 1464. die 22. Decembris, & in ſua Eccleſia ſepultua Cathedrali, Familiæ illius, quæ adhuc ſuperſtes apud Aquas-Sextias commoratur, Gentilitiæ Stemmata hac notâ diſtincta viſuntur: *Arca aurea faſcia cerulea, tribus roſis argenteis æquali ſpatio diſtincta.* Sed priuſquam noſter Joannes Faci ad ſui Generalatum Ordinis proveheretur, deſignatus fuerat Lector Biblicus pro Conventu Toloſano in Capitulo Generali Montis-peſſulano anno 1520. Regens Avenione in Capitulo Generali Appamienſi 1425. Definitor & Provincialis ejuſdem Provinciæ in Capitulo Generali Nannetenſi anno 1430. In Capitulo Raveſpergenſi anno 434. Deputatus eſt ad Concilium Baſileenſe cum ſociis, quales fuerunt Natalis de Venetia, Simon. Rizer, Thomas de Avis, Joannes Kenengallus, Hieronymus de Caſtellacio, & Hermannus de Nuſſiâ, atque Joannes Barach. Joannes Faci ſcripſit,

1. *In Sacræ Scriptura locos nonnullos Commentaria, quæ dictavit Toloſæ.*

2. *In Magiſtrum ſententiarum Libris IV. Commentaria quæ Avenione dictavit.*

3. *Conſtitutiones Ordinis corrigendas commiſit Jacobo de Pelagatis, in Capitulo Cabillonenſi* 1444

4. *Sententiam Juridicam adversùs Petrum de Novâ Eccleſiâ, Joannem de Nuſiâ, & alios* Provinciæ Germaniæ inferiores Fratres latam, & ab Eugenio IV. confirmatam anno 1442. die 10. Julii.

5. *Libellum ſupplicem pro mitigatione Regulæ* oblatum Eugenio IV. & admiſſum anno 1446. die 18. Martii, *pro correctione quorumdam Fratrum*, qui prætextu generalis Concilii Baſileenſis, à verâ obedientiâ ſeſe ſubtraxerunt, prout legitur *tom. 1. Bullar. Carmelitarum, pag. 207.*

6. *Libellum ſupplicem* alium *Nicolao V.* oblatum, & ab eo admiſſum anno 1450. die 21. Novembris, ut poſſet recitare horas Canonicas, juxtà ritum Ordinis Carmelitarum, tametſi Regienſis Epiſcopus eſſet, atque recipere in Capellanum unum ex Fratribus ejuſdem Ordinis. *Ibidem, pag. 223.*

7. *Inſtrumentum pacti conventi* quod inter ſeſe mutuo tranſegerunt Joannes Faci, & Joannes Soteth, Prior Generalis, in Comitiis generalibus Avenione habitis anno 1451. *die 7 Junii*; uti ſub obſcurè commemorat Lezana ad eumd. *annum, num. 4. pag.* 877. & paulo clariùs dicemus inferiùs, *tomo 2. pag.* 99. Apographum hujus Inſtrumenti aſſervatur Avenione in Archivæo Carmelitarum antiquiorum.

9. *Statutum* in Capitulo Generali Cabillonenſi anno 1444. promulgatum, *quo Cœnobia Poloniæ & Bohemiæ applicantur*; ſicuti legitur in Libro Ordinis, *fol.* 40. *&* 41. apud Lezanam citato ad ann. eumd. 1444. *num. 3. pag.* 862. Quo quidem ſenſo iſtud decretum ſit intelligendum neſcire me fateor; nam in Capitulis Generalibus ſequentibus, Avenionenſi 1451. Pariſienſe 1456. non apparent Provinciales Bohemiæ & Poloniæ; aſt in Comitiis Broxellenſibus 1462. conſpiciuntur: attamen hæc propoſitio generalis ſi adeò reſtingatur ut ſenſus ſit quædam Cœnobia Poloniæ & Bohemiæ detracta fuiſſe ad conflandam Provinciam Saxoniæ, tùm ſtatutum exurget ad ſignificandam hanc Saxoniæ Provinciam in Ordine Carmelitico recens natam.

1. *Libellum ſupplicem* ſcripſit, aut ſuo ſaltem Chirographo munivit, quem Generales Ordinum quatuor Mendicantium Priores anno 1442. obtulerunt Eugenio IV. circà controverſiam quam adversùs Doctores Univerſitatis Pariſienſis, *de promovendis Religioſis Mendicantibus ad Gradus Scholaſticos.* Horum petitio continebat, » quod licet juxtà anti» quas & laudabiles dudum etiam à tanto tempore, » cujus contrarii non exiſtit memoria, in Facultate » Theologiæ Univerſitatis ſtudii Pariſienſis incon» cuſsè obſervatas conſuetudines, ſinguli dictorum » Ordinum Fratres, qui pro felici dicti ſtudii Theo» logiæ continuatione, & ſalutari conſummatione, » per Generalia cujuſcumque ex dictis Ordinibus » Capitula, vel per ſuos Generales, aut eorum Vi» carios, ſeu alios ad id ſufficientem poteſtatem » habentes, ad Univerſitatem Pariſienſem miſſi, & » ad legendum Bibliam publicè deputati, & aſſignati » fuerunt, ſi per Deputatos Facultatis Theologiæ » dictæ Univerſitatis ad hoc reperti fuerint ſuffi» cientes, ſolutis Juribus ejuſdem Facultatis, ſine » morâ alicujus præcedentis temporis ad legendum » Bibliam publicè hujuſmodi ab eâdem Facultate ad» miſſi & recepti, ſivè acceptati fuiſſent, necnon » illi, qui ſimili modo ad legendum ſententias de» putati fuerunt, ſine alicujus de præcedentis tem» poris requiſitione, ſine Bibliæ lecturâ, ſine cur» ſibus, & abſque ullâ ipſorum curſuum perſolu» tione, ab ipſâ Facultate ad legendum ſententias » ſivè Librum ſententiarum admiſſi extiterant; & » poſtquam dicti Fratres Baccalaurei formati in dicta » Theologia facti fuerant, quilibet ex eiſdem Or» dinibus Regens, unum ex dictis Baccalaureis pro

» obtinendâ sententiâ in dicta Theologia, Cancellario Ecclesiæ Parisiensis præsentare consuevit; ipseque Baccalaureus sic præsentatus, ad immediatam sequentem tunc sententiam, licet etiam statuti temporis, videlicet quinque annorum, dum tamen bis de ordinario respondisset, spatium non complevisset, protinùs admissi extitissent, & ex præmissis plurimi dictorum Ordinum Fratres in eâdem Theologiâ legendo & disputando multipliciter profecerunt, ac plura exindè Deo grata, & hominibus accepta bona successerunt. Tamen ex multis annis citrà, nonnulli ex Facultate Theologiæ Universitatis hujusmodi, dictis Fratribus, ac Ordinibus, eorumque utilitati se opponentes, ità fecerunt, ut eis exindè multa dispendia provenire noscantur. Pro parte Generalium & Fratrum prædictorum summo Pontifici fuit humiliter supplicatum, ut super iis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaretur. » Quod & perfecit, atque juxtà hanc supplicationem absolvit Eugenius IV. die 30. Martii, dicto anno M. CCCCXLII. per Bullam quæ incipit: *Ad urgendam Divinæ scientiæ*. tomo. 1. Bullar. Carmelit. *pag.* 599.

Joannis Faci celebrem habent memoriam Eugenius IV. & Nicolaus V. summi Pontifices, in Apostolicis Diplomatibus, quæ in eodem *tomo* 1. *Bullarii* legi possunt *pag.* 182. 201. 204. 207. & 223. Henricus VI. Rex Angliæ, in *Literis Regiis ad Proceres datis*, quæ leguntur ibid. *pag.* 619. & in *Actis publicis Angliæ*, *tom.* 2. *pag.* 9. Illostriss. Dom. Joseph Maria Soarez, *in Præfatione Mſ. ad Autographum Synodi Avenionensis*, *an.* 1457. *habita*. Simon Bartel, *in Histor. Chronolog. Præsulum Ecclesiæ Regiensis*. Sanmarthani, in *Gallia Christiana*, *tomo* 3. sub titulo *Episcop. Regiens.* Lezana, *tomo* 4. *Annal ad an.* 1431. 1453. & 1464. *pag.* 821. 882. & 905. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici decoris*, *pag.* 340. Daniel à Virgine Maria, in *Vineâ Carmeli*, *pag.* 534. *num.* 960.

C X C.

JOANNES FEYXOO DE VILLALOBOS, Natione Hispanus, Patriâ Toletanus, Sacræ Theologiæ Magister; in rebus gerendis dexteritate donatus maximâ; & in omni scientiarum genere versatissimus, ad supremam totius Ordinis Carmelitani Præfecturam promotus est *Romæ*, ad Generalia Comitia anno 1662. celebrata. Suo muneri fideliter intentus, omnem adhibuit & diligentiam & operam, ut Ordo Carmeliticus Observantiæ Regularis exercitiis, firmæ pietatis nitore, scientiarum splendore, studiorum fervore, Magistrorum meritis floresceret, præsertim in Italia & Hispania, atque Lusitania, quas Commissarii & Visitatoris Apostolici auctoritate, dignitateque insignitus lustravit, sanctionibus Religiosis expolivit, & sanctæ Inquisitionis decretis ditavit. A Serenissimo Rege Catholico Carolo II. non benignè solummodò, verùm etiam honorificè acceptus, confirmatione & continuatione prærogativæ Magnatum Hispaniæ pro se suisque successoribus Ordinis Prioribus Generalibus ditatus, nobilitatus & ab eo illostratus est, atque etiam posteà ad Gaditanam sub Hispalensi Metropoli sedem nominatus anno 1702. ubi devixit die 10. Februarii anno 1706. ætatis 63. scripsit,

1. *Decreta super studiis & collatione Graduum*, articulis decem contenta: quæ prodierunt Typis edita, & ab Innocentio XII. die 11. Octobris 1692. confirmata: sed postulante posteà R. Petro Thomâ Sanchez, Priore Generali, per summum Pontificem Clementem XI. abrogata die 25. Septembris 1711. uti legere est *in Bullario Carmelitarum*, *tomo* 2. *pag.* 650. & 690.

2. *Decreta pro reformatione Goyanensis in Brasilia Vicaria* anno 1695. die 27. Septemb. edita Matriti, & prodierunt in eodem Carmelitarum Bullario, *tomo* 2. *pag.* 663. & *seqq.* & confirmata ab Innocentio XII. die 11. Januarii 1696. *ut ibidem* legitur *pag.* 668.

3. *Comitiorum Generalium Romæ celebratorum anno* 1698. *Acta*, in quibus ad Priorem Generalem assumptus fuit R. Carolus Philibertus Pedemontanus, edi curavit; & posteà Hispaniam secessit, ubi duobus annis commoratus, ad sedem Gaditanam evectus est, ut diximus.

4. *Missalia*, *Breviaria*, & *Diurnalia Ordinis Carmelitarum* edi curavit Antuerpiæ, apud Franciscum Muller 1698.

Otiosus & iners minimè stetit ad Censuram quam adversùs tomos quatuordecim inscriptos: *Acta sanctorum*, tulit sancta Inquisitio Toletana, quæ sic habetur:

DECRETUM SANCTÆ INQUISITIONIS TOLETANÆ,

Ex Hispano Idiomate Latinè redditum.

» NOS INQUISITORES Apostolici, adversùs Hæreticam pravitatem & Apostasiam in Urbe, Regno, & Archiepiscopatu Toletano, necnon Jurisdictione Abulæ, Segoviæ, Seguntiæ, & in iis qui citrà sunt, portibus Authoritate Apostolicâ & ordinariâ &c. Omnibus & singulis cujuscumque gradûs, statûs, conditionis, præeminentiæ, dignitatis sint, sivè exempti, sivè non vicini, commorantesque hoc in oppido Toleti Cives, aliarumve Civitatum, Vicorum, cæterorumque præfatæ Jurisdictionis nostræ locorum Incolæ. Notum facimos rescivisse nos fuisse quospiam Typis mandatos ac evulgatos, quos omnes colligi & collectos omninò prohiberi jubemus. Sequentes ejosmodi sunt:

» Liber in-folio, primus secundus & tertius, cui titulus est: *Acta Sanctorum Martii*, editus Antuerpiæ apud Jacobum Meursiom, prior uterque Tomus anno 1668. posterior autem, anno 1684.

» Liber alter, primus, secundus, tertiusque tomus, qui inscribitur: *Acta Sanctorum Aprilis*, impressus Antuerpiæ apud Michaelem Knobbarum, anno 1675.

» Alius item liber primus, secundos, tertius, quartus, quintus, sestus, ac septimus tomus, inscriptus, *Acta Sanctorum Maii*: quique impressus Antuerpiæ est; primus quidem, secundus & tertius tomus, anno 1680. quartus & quintus, anno 1685. sextus demùm atque septimus, anno 1688.

» Liber iterùm alius cui titulus: *Propilæum ad Acta Sanctorum Martii*, Editionis Antuerpiensis, apud Michaelem Knobbarum, anno 1685. ut ex operis dedicatione patet, quorum omninò quatuor suprà decem Authores ipsi sunt Godefridus Henchinius, & Daniel Papebrochius, Societatis Jesu.

» Cum in iis verò propositiones habeantur erroneæ, hæreticæ, sapientes hæresim, in fide periculosæ: scandalosæ, piarum offensivæ aurium, schismaticæ, seditiosæ, temerariæ, audaces, præsumptuosæ, summis pluribus injuriæ Pontificibus, Sanctæ Sedi Apostolicæ, Sacræ Rituum Congregationi, Breviario, Martyrologioque Romanis; nimiumque quibusdam aliquorum eximiis Sanctorum virtutibus detrahentes: plurima item scripta, necnon contrà debita in Sanctis Patribus plurimis,

» ac in primis gravibus Ecclesiasticis Theologis reverentiam clausulæ. Quin etiam cum propositiones contineant, quæ statum lædunt Religiosum, Religiosos complures Ordines, Carmelitas maximè, ipsorumque Scriptores gravissimos; Nationes benè multas & Hispaniam præcipuè; plurimis item dogmatum, quæ Summi Pontifices & Ecclesia prohibuerunt ac damnaverunt utpotè edita notatis infamiâ ab Authoribus, sua ipsorum audacter doctrinæ fidentibus, ut eam, quæ Sanctorum est, & Ecclesiæ traditiones impugnent.

» Idcircò præcipimus, ne quis qualiscumque status, dignitatis, aut conditionis ille sit, asservet, legat, aut dictos vendat libros seu impressos, seu manuscriptos, seu præfatæ sint, seu alterias Editionis; vel typis eosdem mandet, emat, aut vertat denuò, sub ipsa Excommunicationis majoris latæ Sententiæ, ducentorumque ducatuum pœna solvendarum, qui Sancto attribuantur Officio; monemusque fore ut adversùs inobedientes procedatur. Mandamus insuper, ut ab illâ die, quâ nostrum hoc lectum Diploma fuerit, aut vobis quocumque modo notum, intrà sex subsequentes dies, & eos quidem peremptorios, afferatis, nobisque aut hujus Sancti Officii Commissariis, qui nostræ Jurisdictionis in locis consistunt, præfatos exhibeatis libros, quo id genus omnes ad nos deferant, eosque quos ab aliis haberi scieris & occultari renuntietis. Sin aliter & secus egeritis, ipsi nos ex nunc pro tunc, & ex tunc pro nunc ferimus ac promulgamus in vos vestrûmque singulum, contumaces atque nostro rebelles jussui (dictis repetitisque præfatis monitionibus Canonicis in jure præmissis) superiùs latam Excomunicationis majoris Sententiam; & eos ipsi vos habemus, qui prædictas tum censuras tum pœnas incurreritis. Commonemus porro adversùm vos, ut illæ mandentur executioni, & prout de jure videbitur, iri processum. In quorum fidem dari præcipimus, & ipsi nostrum Diploma damus, quod nostris nominibus, tum Sancti Officii Sigillo munitum, & ab uno à secreti Secretariis, in Tribunali Sancti Officii Inquisitionis Toletanæ, relatum die decimâ-quartâ Novembris, anno 1695. sic signatum:

D. ANDREAS DE SOTTO.

D. FRANC. OCHOA DE MENDAXOZ, &c.

D. HOZAMENDI.

Ex Mandato Sancti Officii Inquisitionis Toleti:

D. EMMANUEL OSSORIO, Secretarius.

Nullus auferat sub Excommunicationis pœnâ.

Similem Censuram tulerunt Inquisitiones Arragonæ, die 8. Novembris 1695. Matritensis, die 29. Novembris 1695. Castellanæ, die 23. Decembris 1695. & Lusitanæ, die 24. Januarii 1696. quo quidem diplomate ceu fulguris ictu percussi RR. Patres Hagiographi Belgæ, Libellum supplicem majori Hispaniarum Inquisitori obtulerunt, à quo expostularunt, ut & suis in deffensionibus audirentur, & opus eorum ad censoriam virgulam iterùm revocaretur. Die igitur tertiâ Augusti 1696. ab Inquisitione sacrâ Diploma obtinuerunt, quo P P. PAPEBROCHIUS, JANNINGUS, & BAERTUS sinerentur respondere censuris adversùs illorum opus latis; simulque traderetur eis epigraphum & index propositionum, quæ delatæ fuerant, & censorio judicio dignæ judicatæ. Quapropter R. P. Daniel Papebrochius singulis, quibus à P. Sebastiano insimulatus est, erroribus articulatim ad respondendum adductus est, in libro qui inscribitur: *Responsio ad exhibitionem errorum per R. P. Sebastianum à Sancto Paulo, anno 1693. Coloniæ evulgatam.* Antuerpiæ *in-4°.* tribus tomis, quorum primus prodiit anno 1696. secundus 1698. & tertius anno 1699.

Carmelitæ interim deffenderunt & propugnarunt decretum Inquisitionis Hispanæ: verùm instante Rege Catholico Carolo II. Innocentius XII. avocavit controversiam vertentem inter Patres Societatis Jesu, & Ordinem Carmelitarum, die 17. Junii 1696. illud decreturus, quod expedire in Domino judicaverit. Anno autem 1698. die 20. Novembris, decretum tulit, quo silentium perpetuum impositum fuit super primæva Institutione Ordinis Carmelitarum, illiusque successione à Sanctis Prophetis Eliâ & Elisæo. Demùm anno 1714. silentium suspendere, suamque à dictis Prophetis successionem sustinere permittere visus est Benedictus XIII. Carmelitis erigere meditantibus Romæ in Basilica S. Petri Statuam (*Sancto ELIÆ Fundatori suo, Religio Carmelitarum erexit*) ipsemet propriâ manu subscribens Pontifex Maximus, adeò ut *Carmelitis* etiam *tacentibus, lapides & marmora dicunt ELIAM Prophetam esse Carmelitarum Patrem & Fundatorem*; eodem anno inquiebat R. P. Eliseus Monsignani, Procurator Generalis, id Nuntii Literis mandans ad suos undequaque dispersos Fratres & Sodales.

CXCI.

JOANNES DE S. FIDE, alias SANCTAFIDENSIS, Patriâ Norfordiensis, Carmeli Burnhamiensis Prior, ac Professor Oxoniensis, vir egregius sanè tum animi, tum corporis dotibus præditus, & qui nihil reliquum fecerat ad summam in omni pietate & doctrina perfectionem. in communi victu candidus & sincerus; in Philosophia & Jurisprudentia optimè versatus; in sacris scripturis explicandis clarus & perspicaus; in concionibus ad populum eloquens & facundus; in fide Catholica promovenda fervidus & zelosus. Obiit & sepultus est die 18. Septembris 1359. in suo Monasterio Burnhamiensi. Scripsit,

1. *In Evangelium Sancti Mathæi Commentaria*, Lib. I.
2. *Directorium ejusdem operis*, Lib. I.
3. *Glossemata in Evangelium S. Joannis*, Lib. I.
4. *Annotationes in eamdem Epistolam S. Joannis*, Lib. I.
5. *Encomium S. Joannis*, Lib. I.
6. *Collationes, seu collectiones Scripturarum*, Lib. I.
7. *Lecturas Scripturarum*, Lib. I.
8. *Quæstiones disputatas*, Lib. I.
9. *Tabulam Juris*, Lib. I.
10. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.
11. *Sermones LXIII. de Tempore.*
12. *Loca contrarietatum quæ esse videntur*, Lib. I.
13. *Concordantias D. Thomæ.*
14. *Commentaria in Aristotelem, de Cœlo & Mundo*, Lib. II.
15. *Horum omnium Elenchum.*

Joannem Sanctafidensem commendant Joannes Lelandus, de *Scriptoribus Angliæ*, *cap.* 398. Joannes Balæus ibidem, *Cent. V. cap.* 90. Joannes Pitseus ibidem, *pag.* 482. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliotheca Gesneriana*: Possevinus, in *Apparatu sacro, tomo* 1. *pag.* 937. Sixtus Senensis, in *Bibliotheca sancta*, *Lib. IV.* Fabianus Justinianus, *Lib. III. de Scriptura sacra*, 487. & 529. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 944. E. Antonius à Vood, in *Historia Universitatis Oxoniensis*, *pag.*

103. Joannes-Albertus Fabricios, in *Bibliothica mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 379. Jacobus de Plebe, in *Indice Illustrium Scriptorum Carmelitarum.*

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 54. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 210. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1359. *num.* 4. *pag.* 627. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Caameli :* Cyrillus Penneck, in *Gymnasio Carmelitico Mſ. ad ann.* 1359. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1117. *&c.* Vide *tom.* 2. hujos Bibliothecæ, *pag.* seu *col.* 87.

CXCII.

JOANNES DE FLORENTIA, sive potiùs DE PRAGA, à sua patria sic denominatus, Carmeli Pragensis circà annum 1346. erecti alumnus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor, primus Bohemiæ Provinciæ Præfectus, anno 1411. in Comitiis Generalibus Bononiæ habitis institutus est, & posteà Eugenii IV. Summi Pontificis Pœnitentiarius, obiit Florentiæ, anno 1435. die 17. Septembris, postquam scripsisset,

1. *In Magistrum Sententiarum Commentaria*, *Libris IV.*
2. *Quæstiones disputatas.*
3. *Sermones de Tempore & de Sanctis.*

De Joanne Pragensi mentionem habent *Liber Mſ. Ordinis Carmelit. fol.* 27. Archivium Florentinorum Carmelitarum: Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli :* Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1435. *num.* 12. *pag.* 841.

CXCIII.

JOANNES DE LAS ROELAS, natione Hispanus, patriâ Hispalensis, Provinciæ Bæticæ alumnus, nobilitate sanguinis clarus, Ordinem Carmelitarum professus est : in quo studiorum cursum adeò solerter & accuratè complevit, ut Magistralem Theologiæ lauream fuerit adeptus. Propterea Doctor auditus optimæ literaturæ, & in Academicis quæstionibus versatissimus, atque Beatam insuper ergà Virginem Mariam tenerrimâ ferventissimâque devotione affectus. Vir prudens & actuosus, Prior domûs Hispalensis eligitur anno 1618. die 10. Junii, atque Collegio pariter Hispalensi, quod S. Alberti nomine insignitur, præfuit; atque Ecijensi seu Astygiensi Monasterio. Tandem magnâ sufferentiâ Jobæus vir, & prudentiæ parens, anno 1632. moritur septuagenario major, Hispali ad Bætim fluvium, postquam scripsisset Opus quod Hispanicè inscribitur :

De la Hermosura exterior de la Virgen Nuestra Señora. Id est Latinè : *De externa Pulchritudine Nostræ Dominæ* Virginis Mariæ. Hispali, anno 1621. *in*-4°. Huic Tractatui adjunguntur nonnulla Opera Hieronymi Gratiani à Matre Dei, Carmelitæ.

Joannem de Las Roelas commendant Hippolytus Maraccius, in *Bibliotheca Mariana :* Petrus de Alva, Lib. *de Militia Immaculatæ Conceptionis :* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 503. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tom.* 1. 590. *col.* 2. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli Mſſ. fol.* 131. *versa.* Ludovicus Jacob, in *Bibliotheca Carmelitana Mſ. pag.* 240. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1080. *num.* 3792. Ludovicus Perez de Castro, in suis *Collectaneis Mſſ. pag.* 41. *&* 73. *versâ.* Vide *tom.* 2. *pag.* 86.

CXCIV.

JOANNES FOLSHAMUS, Trithemio & Lucio JOLIAHAN, Nordwallus Anglus, Carmelita Norwicensis & decor, Cantabrigiæ Doctor Theologus, Provincialis Angliæ in Capitulo Generali Lugdunensi, anno 1342. & in Mediolanensi, anno 1345. Successit in hac Præfectura JOANNI POLSTEYUE. Vir in omni vita, (*verba sunt Pitsei*) studium virtutum & bonarum artium semper conjunxit, & pari procedens in utriusque passu, similes in utriusque fecit progressus. Aptus per doctrinam, ut alios instrueret in omni tum humanarum, tum divinarum rerum scientiâ; aptior per virtutem, ut suos erudiret in timore Dei, in morum integritate, omnique vitæ sanctimonia. Probè utique novit pietatem esse ad omnia utilem, multumque venerabatur charitatem, quæ ædificat, nec minùs verebatur scientiam, quæ inflat hâc Evangelicâ, imò Angelicâ vitæ perfectione in multis sui concitavit admirationem, non paucos allexit ad amorem, & suorum maximè conciliavit gratiam, qui eum sibi tanquam exemplar ad imitandum proposuerunt, in cujus vita & moribus, quasi in speculo, illum ad quem aspirabant, contemplati sunt religiosæ perfectionis eminentem gradum. Tandem Norwici extremum solvit diem, die 18. Aprilis, 1348. & ibidem apud suos Carmelitas Sodales appositus, cujus Opera vivam etiamnum habent memoriam.

1. *In aliquot Libros Salomonis Commentaria*, Lib. I.
2. *Flores ex S. Joanne Chrysostomo collecti*, Lib. I.
3. *Quæstiones Theologicæ*, Lib. I.
4. *Indices super S. Anselmum*, Lib. I.
5. *De Arte prædicandi*, Lib. I.
6. *Moralitatum rerum Liber unus.*
7. *De Matrimonio*, Lib. I.
8. *Collationes per annum*, Lib. I.
9. *Isagoge in Metaphysicam.*

Joannem Folshamum celebrant Joannes Pitseus, de *Illustribus viris Angliæ*, *ætate* 14. *num.* 549. post Joannem Lelandum, Joannes Balæus, in *Catalogo Scriptorum Angliæ.* Jacobus de Plebe, in *Indice Illustrium Scriptorum Carmelitarum.* Carolus Dufresne Ducange, in *Indice Autorum.* Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 876. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 214.

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 49. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 296. Lezana, *ad an.* 1348. *num.* 7. *pag.* 591. Daniel à Virgine Maria, *tomo* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1042. *num.* 3612. &c.

CXCV.

JOANNES-FRANCISCUS LUCINUS A SS. CONCEPTIONE, Mediolanensis, Carmelita Discalceatus, qui utrùm fuerit de Gente Lucina, ex qua PHILIPPUS LUCINUS, in *Collectione Archintea* profertur anno 1470. cum aliis Portæ Vercellinæ Mediolanensibus Incolis juramentum fidelitatis præstitisse Primogenito GALEACII MARIÆ SFORCIÆ, Vicecomitis Mediolani Ducis, candidè fatetur *Argelatus* se ignorare. Asserit autem *Picinellus* præfatum Joannem-Franciscum Lucinum suâ ætate vixisse anno 1663. ideóque Excalceatus Carmelita adhuc viventem ipsum videre atque tangere potuisse videtur. LUCINUS noster laudatur uti optimus S. Teresiæ Instituti cultor, spatio annorum triginta, & ei adjudicatur Opus inscriptum :

De

J.

De Immacalata Dei-para Canceptiane, Volumina tria *in-folio* distincta magnæ molis, *Mss.* quæ extabant apud suos Sodales in Bibliotheca Cœnubii Sancti Joannis - Baptistæ ad Concham, anno 1466. fundati. Cujus quidem Operis meminit Philippus Picinellus, in *Athenæo virorum literatorum Mediolanensium*, *pag.* 300. Illuc tamen cum so posteà contulisset Philippus Argelatus nihil invenit; imò nec quod Joannes-Franciscus Lucinus foisset inter mortales, nedum inter Carmelitas Excalceatos aliquis ei scivit indicare: sicuti testatur ipse orulatus hæc scribens, in *Bibliotheca Scriptorum Mediolanensium*, *pag.* 814. *num.* 900.

CXCVI.

JOANNES FRITAGUS, FRITAG, FRITAX, & FRITAGA, cognomento vocatus est JOANNES DUSSELDOAP, natione Teutonicus, patriâ Moguntinus, Carmeli Argentinensis Prior: Vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus, & Philosophiæ saecularis non ignarus: Theologicæ Facultatis celeberrimus Interpres, ingenio præstans & vità præclarus, dicitor *multa scribere*, *sed celare*, inquit Trithemius. Vidi quosdam ipsius Tractatus, quorum titulos nunc ad memoriam revocare non potuit. Vivit usque hodiè apud Argentinam sub Maximiliano Romanorum Rege Christianissimo: Anno Domini M. CCXCIV. Indictione duodecimâ. Hæc da Joanne Dusseldorp Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 960. Sed nihil habet de cognomine FRITAG, qood ipsi adjudicant Cassanatus, *pag.* 370. & Danial à Virgine Maria, *toma* 2. *Speculi Carmelit. pag.* 1097. *num.* 3885. Ast cætera consule *super. pag.* 836.

Præfatus Trithemios quondam scribebat cuidam Carmelitæ, de quo *super pag.* 542.

CXCVII.

JOANNES FUST, aliàs FUSTIGINUS, FUYSTIGNI, FUYSTGNI, FUSTGIN, natione Germanus, ex oppido *Crutzennach*, in Comitatu Spanhemensi; undè & JOANNES OR CRUTZENNACHO nonnunquam appellatur, quia & Cœnobii Crutzennachensis Carmelita fuit alumnus, atque ibidem Lector; & posteà Prior Argentinensis: Vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus, ingenio subtilis, & eloquio, dicitur obiisse anno 1374. Scripsit ad instructionem simplicium Prædicatorum, cum adhuc Lector esset in Conventu Crutzennacensi non spernenda Opuscula, quibus nomen soum ad notitiam posteritatis transmisit, è qnibus vidit Trithemius tantùm,

1. *Sermones de tempore*, Lib. I.
2. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.
3. *Sermones Feriales per Qaadragesimam*, Lib. I. Qoi Sermiones *Mss.* cum aliis operibus quondam asservabantur apud Carmelitas Crutzennacenses, eodem teste Trithemio; sed eitcà annum 1580. Conventus ille Provinciæ Germaniæ ademptus est, nobilibos quibusdam Lutheranis, expulsis Carmelitis, eumdem occupantibus, & horum Religiosorum familiaria bona vel igne combusta, vel manibus violentis abrepta fuerunt.

Joannem Fust celebrant Trithemios, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. Cap.* 655. Conradus Gesnerus, in *Bibliothecà Universali*, *pag.* 419. Possevinus, in *Apparata sacro*, *tomo* 1. *pag.* 878. Arnoldus Bostius, *Lib. de viris illustribus Ordinis Carmelitarum*, *Cap.* 25. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 310. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Spec. Carmelit. pag.* 1097. &c.

Tom. I.

CXCVIII.

JOANNES GAWER, aliquandò GANWER, GANTVER, GUTWER, GRAUVER, GAUVER, Natione Germanus, & ideò sæpè vocatus JOANNES TEUTONICUS, præsertim à *Jacobo-Philippo Foresti*, Bergomensi, Patriâ Moguntinus, & ejusdem Carmeli Lector, in Capitulo Generali 1434. *Ravespergæ* celebrato Baccalaureus, fuit ordinatus pro studio Coloniensi. Magister posteà egregius & concionator præcipuus, multum in Concilio Basileensi tum disserendo, tum disputando, clarus effulsit. Circà annum 1438. obiisse creditur, postquam scripsisset,

1. *In Exodum Commentaria*, Lib. I. incipit; *Lex pro communi utilieate.*
2. *Concordia Evangelistarum*, Lib. I. incipit: *Qaia misit Deus filium.*
3. *In Magistrum sententiarum*, *Lib. IV. Commentariorum.*
4. *Sermones de Tempore.*
5. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.
6. *Quadragesimale triplex*, incipit: *cam jejunatis*, *&c. sciend.*

De Joanne Gawer agunt Trithemius, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. Cap.* 793. Conrados Gesnerus, in *Bibliothecà Universali*, *pag.* 419. *folio versa.* Antonius Possevinus, *in Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 879. idem, in *Bibliotheca selecta*, *toma* 1. *pag.* 114. Jacobus Lelong, in *Bibliotheca sacra*, *pag.* 739. Fabianus Justinianus, *Lib. III. de scriptarâ sacrâ*, *pag.* 375. & 484. Sixtus Senensis, *Lib. IV. Bibliathecæ sanctæ*: Jacobus-Philippus Foresti, Bergomensis, in *supplementa Chronicorum ad ann.* 1438. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 220.

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 46. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 345. Augustinus Biscarretus, *in Palmitibus Vineæ Carmeli*: Joannes-Baptista de Lezana, *toma* 4. *ad ann.* 1437. *num.* 3. *pag.* 843. Daniel à Virgine Mariâ, *in Vinea Carmeli*, *pag.* 504. *num.* 903. Idem, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 1097. *num.* 3886. obi ex antiquis Provinciæ Germaniæ monumentis annotat ejus obitum Moguntiæ contigisse anno 1438. dia 27. Augusti. Vide *super. pag.* 7. Verbo JOANNES BAWR, & *pag. infer.*

CXCIX.

JOANNES GEES, aliàs GEESSE & latinè GEESSUS, Natione Anglus, Doctor Oxoniensis, cui pietas, probitas, & eruditio magnum genuere cognomen, Episeupus Lismorensis, & Waterfordiensis, sub Metropoli Casseliensi in Hibernia electus est die 22. Augusti anno 1409. sicuti constat ex Actibus consistorialibus ALEXANORI V. & ex Collectaneis Lucæ Wadingi. Ast propter turbulentissimam eorum temporum conditionem, Joannes Gees possessionem hujus sedis tune non iisse videtur; quià THOMAS COLAIUS, itidem Carmelita, sedem istam obrinuit anno 1414. Ipsa autem Joannes Gees dic 4. Decembris anno 1422. eo Episcopatu insignitus fuit; prout testantur Acta consistorialia MARTINI V. sed obiit ibidem scilicet Lismoræ anno 1425. die 22. Decembris.

Scripsit Libellum, cui titulus est: *Gloria Carmelitarum*; cujus meminerunt Joannes Pitseus, *Lib. de viris illustribus Angliæ*: Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 328. Paulus ab omnibus Sanctis, in *Catalogo Scriptorum Car-*

Ppppp

melitarum, *pag.* 80. & Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 936. *num.* 3278.

C C.

JOANNES GEELVELDE, sivè potiùs VAN-HEETVELDE, latinè A CALIDO CAMPO, Natione Brabantinus, anno 1482. natus è parentibus nobilitatis Bruxellensis, patre JONNA HEETVELDE & matre CATHARINA HALMALE. Adolescens se Deo dicavit in Carmelo *S. Joannis-Baptistæ*, propè *Angiam*, quinque leucis à Bruxellis dissitam. Anno 1516. in Actis Capituli Provincialis Germaniæ inferioris (sub qua tunc Conventus ille erat) decretum fuit, ut ad Doctoralem Gradum promoveretur, qui tunc erat Brugensis Prior. Anno 1520. 1521. & 1523. Sacræ Theologiæ Doctor, & Professor fuit in Carmelo Angiensi: & anno 1523. septimo Idus Januarii electus est Episcopus Granopolitanus in Mauritania, & Suffraganeus Trajectensis, & indè Vicarius Cameracensis in spiritualibus antè annum 1586. quo cœpit esse Suffraganeus ibi Adrianus Arnoldi, Carmelita; nec post annum 1541. quo alter Carmelita suffraganeatum eumdem Cameracensem gerere incœpit Martinus Cuperus. Scripsit Joannes Vanheetvelde,

1. *In Magistrum Sententiarum Libris IV. Commentario.*

2. *De Indulgentiis adversùs Lutherum*, *Libros duos.*

Joannem Van-heetvelde celebrant *Codex Mſ. Actaom Provincia* Carmelitarum Germaniæ inferioris: *Mooomenta Mſſ.* Carmeli Brugensis. *Acta Consistorialia* Adriani sexti: Daniel à Virgine Mariâ, *toma* 2. *speculi Carmelitani*, *pag.* 936. *num.* 3279.

C C I.

JOANNES GERBRANDUS DE LEIDIS, Natiooe Batavus, Patriâ Leydensis, Carmeli Harlemensis alumnus, cujus & Prior anno 1477. & Waldessensis anno 1579. fuit: Vir admodùm religiosus, & Sacris Literis non mediocriter instructus atque Philosophus acutus, Orator facundus, Historicus Scriptor celebris, Concionator non vulgaris, nec ulli Theologorum secundus; & quod maximè ad Religionis insitam spectat pietatem, Beatissimæ Virginis Mariæ servus devotissimus. Obiit anno 1504. sed non vixit anno 1417. sicuti perperàm scripsit Jacobus Lelong, in *Bibliotheca Historica Galliæ*, *pag.* 818. *nom.* 15806. Scripta Joannis Gerbrandi, inscribuntur:

1. *Postillo quadragesimolis*, Lib. I.
2. *De Possione Domini*, Lib. I.
3. *Sermones de tempare*, Lib. I.
4. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.
5. *Sermones Hyemoles*, Lib. I.
6. *Sermones Æstivoles*, Lib. I.
7. *Collationes Sonctorum*, Lib. I.
8. *De Festis Dei-paræ*, Lib. I.
9. *De B. Virg. doloribas*, Lib. I.
10. *Exemplo Beatæ Virgiois*, Lib. I.

11. *Chronicon Hollandensium*, *Libri decem à primâ Gentis origine*, *ad annam* 1470. Extat Mſ. in Bibliotheca Cottoniana sub effigie Vitellii, *Litera* E. *Codice* 6. *num.* 2.

12. *Chronicon Episcoporum Ultrajectensium & Comitom Hollondiæ*, anno 1466. vel 1470. inchoatum, & anno 1480. absolutum, ut testari videtur, *dum se huic lobori per decennium incubuisse* scribit. Prioris quidem *Chronici Hollandici*, sivè *Historiæ* Hollandeosium primæ mentionem facit expressam in Præfatione ad secundum *Chronicon Episcoparum Ultrajectensium & Comitum Hollondiæ*, quod iterato labore anno 1469. vel sequenti scribere aggressus est, ut ipse hujus operis principio ait iis verbis: *Quemadmodùm ego frater Joannes Leydensis*, *Ordinis Carmelitarum ex Harlem*, *dixi*, *declaravique*, *in Chronicis Hollandiæ per me compositis*, *in secanda divisiane per totam.* Ediderat ergo Chronicon Hollandiæ, sed secundis curis illud revocavit, dicens: *Sicque præsens opus revocat de facto & destroit Hollandensium Historias nomine meo olias intitulotos*, *quorum primi libri initium habet:* in principio sivè exordio hujus primi libri, duo possunt queri, &c. *Non enim nego istas Histarias per me esse compositas: sed quià posteà melius veritatem in dubiis reperi*, *& meliorem modum excogitavi*, *multòque plures historios inveni*, *ideò præsens novum opus inchoavi.* Ex his autem duobus chronicis jam inscribitur:

13. *Jaannis Gerbrandi Leydensis*, *Carmelitani*, *Chronicon Hollandiæ Camitum*, *& Episcoporum Ultrajectensium*, *ac de rebas domi forisque in Belgia præclarè gestis à S. Willebrodi temporibus*, *od annum* 1417. Francofurti, anno 1620. *in-fol.* typis Aubrianis, Editore Francisco Swertio. Perfecit equidem Gerbrandus hoc Chronicon Libris XXXII. post annom 1480: ut liquet ex Libro XXXII. *cap.* 28. Illud tamen definit in morte Guilielmi, Comitis Palatini, & Bavariæ Ducis, hoc nomine IV. Hollandiæ Comitis, qui anno 1417. die ultimâ Maii mortuus, scribitur Libro XXXII. *cap.* 27. Qun in anno Chronicon terminatur.

14. *Chronicon Egmondonum*, *sivè Aonales Regalium Abbatum Egmundensium*, quos hactenùs latitantes eruit, collegit, primus edidit, adjectis observationibus suis, *Antonius Matthæus*, Jurium in Academiâ Lugduno-Batava Antecessor, anno 1698. Lugduni-Batavorum, *in-4°.* apud Fredericum Haaring.

15. *De Origine & rebus gestis D D. de Brederode*, Liber Batavico Sermone capitula sex & septuaginta continens, quem edidit idem Antonius Matthæus anno 1698. Lugduni-Batavorum, inter *Analecta veteris Ævi*, *somo* 2. *in-4°. ò paginâ* 275. *ad* 427. cum notis aliquot, & *Appendice Actorom veterum*, usque ad *paginam* 504.

16. *Historio Ordinis Carmelitorum*, Libris decem distributa, eidem adjudicatur Joanni Gerbrando, à nonnullis Historicis Scriptoribus, inter quos annumerandus est Lezana: verùm Historia hæc aliud nihil est quàm *Speculum Historiole Ordiois Carmelitarum*, ab Arnaldo Bostio concinnatum circà annum Christi 1490. & à Joanne nostro Leydensi exscriptum anno 1494. prout ipse testatur sub finem codicis Mſ. qui extat in *Bibliotheca Astensi* Carmelitarum, teste Daniele à Virgine Maria, *tomo* 1. *specali Carmelitoni*, *pog.* 274. *nam.* 1130. undè fallitur Casimirus Oudinus, scribens Historiam Ordinis, quæ Gerbrando attribuitur, esse opos Philippi Riboti, Carmelitæ Hispani.

Joannem Gerbrandum memorant Theodoros Schrevelius, *Lib. VI. rerum Harlemensiam*, *pag.* 251. Marcus Zverius Boxhernius, in *Theotro urbium Hollaodiæ*, *pag.* 211. Joannes Meursius, in *Athenis Bataviois*, *cap.* 24. Franciscus Swertius, *in Athenis Belgicis*, *pog.* 427. Valerius Andræas, *in Bibliotheca Belgico*, *pag.* 605. Edit. 1643. Joannes Franciscus Foppens, in eadem *Bibliotheco Belgica*, *tamo* 2. *pog.* 645. Antonius Possevinus, io *Apporoto Socro*. *tomo* 1. *pog.* 883. Gerardus-Joannes Vossius, *de Histaricis Latiois*, *Lib. III. Cap. X. pog.* 642. Aubertus Miræus, in *Auctuario Bibliotheca Trithemii*, *cop.* 225. Casimirus Oudinus, in *Cammen-*

tariis de Scriptoribus Ecclesiasticis, *tomo* 3. *pag.* 2700. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 3. *pag.* 133. & 134. Joannes-Petrus Niceron, in suis *Commentariis* Gallicè editis: *Memoires paur servir*, &c. *tom.* 27. *pag.* 265.

E Carmelitis, Petrus Lucius, *in Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 46. *folia verso.* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici decaris*, *pag.* 372. Augustinos Biscarretos, in *Palmitibus vinæ Carmeli:* Cyrillus Peneĉt, in *Gymnasio Carmelitico Ms. ad ann.* 1504. Joannes-Baptista de Lezana, *tom.* 4. *Annal. ad ann.* 1505. *num.* 5. *pag.* 1015. Paulus ab omnibus Sanctis, in Auctuario, *ad cap.* 7. Auberti Miræi, *de Origine & Incrementis Ordinis Carmelitarum*, *pag.* 219. Daniel a Virgine Maria, *tomo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 274. *num.* 1130. ubi de speculo historiali Arnoldi Bostii hæc leguntur: » anno 1494. illud exscriptum fuit per Joannem Geerbrandum à Leydis, ut ipsemet testatur sub finem Voluminis istius, quod extat in Astensi Bibliotheca. » Exemplar alterum habemus in Belgio, in Cartophylacio Provinciæ Flandro-Belgicæ. » *ibid. pag.* 290. *num.* 1187. hæc leguntur: » in fine speculi hujus historialis annotatur Volumen istud completum (*scribendo* videlicet, non *componendo*) per manns Joannis Geerbrandi de Leyden anno 1491. » Ideò à nonnullis ipsi (*etiam Scriptari illustri*) attributum fuit. » Ibid. *pag.* 323. *num.* 1324. eadem reperuntur; sed fusius de Joanne Geerbrando agitur ibidem, *tomo* 2. *pag.* 1108. *num.* 3927.

CCII.

JOANNES A GHELA, Brabantiæ municipio exortus, sed magis ex nomine atque proprio cognomine notus, atque frequentius dictus JOANNES MAIERIUS, eum magna laude celebratus, Carmelita Thenensis Doctor Theologus, ex Priore Conventûs Bruxellensis, Provincialis inferioris Germaniæ, vir doctissimus, cui tanta inerat eloquentia, ut si græcè loquebatur, Demosthenem; latinè, Ciceronem credidisses, inquit Petrus Lucius, qui statim addit: » Hæc, Italiam ingressus, ex compluriom Italorum » relatione didici, præsertim admodùm Reverendi M. » Nicolai Aurifici, & Josephi à Falconibus, Prioris » Placentini longè dignissimi, qui hominem præsentes præsentem disserentem audivere & vidêre.

Maierios quidem interfuit Capitulo Generali Placentiæ celebrato anno 1575. ubi inter Disputationum accessores seu assistentes pro quæstionibus, si opus esset, extricaodis, primus ipse à Definitorio declaratos fuit, & in Provincialem secundò confirmatus; ut liberè posset eam visitare atque reformare: Eum tamen impedierunt mala temporum, & hæreticorum technæ. Nam in Necrologio antiquo Carmeli Antuerpiensis, quod est codex Ms. ex membranis compactus, hæc leguntur: » Anno 1580. die 7. Martii, tempore exilii, obiit in hoc Conventu Eximius Magister P. Joannes Maierius, olim X. Prior » hujus Conventûs, posteà Provincialis; sepultus est » in domo Capitulari.

De illo magnificè locuti sunt, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 49. *versâ:* Daniel à Virgine, *in Vinea Carmeli*, *pag.* 513. *num.* 920. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli Mss. folio* 121. Ludovicus Perex de Castro, in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. folio* 201. *verso.* Valerius Audreas, io *Typographia Belgica*, *pag.* 10. Hierooymus Chilinus, in *Theatro Virorum Litteratorum*, anno 1547. Italicè edito, cujus in *parte* 1. *pag.* 84. & 85. ait: *Davasi Giovanni Majeria Carmelitano à comporre bellissime opere, quali vanno attorno stampere cum grandissima laude, le sequenti &c.*

Scripta Joannis Maierii, & auctores alios, qui de illo scripserunt, reperies in *tomo* 2. hujus Bibliothecæ, *col.* 44. & 45. sed notandum quod hic Joannes Maierius longè distinguatur à Joanne Meyer, qui paulò senior floruit ad annum 1522. sicuti dictum est eodem *tom.* 2. *pag.* 143. verbo, JOANNES VILLICUS.

CCIII.

JOANNES GLUEL, Natione Germanus, de Aquisgranensi Civitate Imperiali oriundus, Carmeli Coloniensis regimen tenuit Prior: vir in divinis scripturis egregiè Doctus, & secularis literaturæ non ignarus, verbi divini Concionator suo tempore percelebris, obiit Coloniæ anno 1399. ubi inter monumenta sui ingenii reliquit,

1. *Quadragesimale*, Lib. I. Incipit: *Thesaurisate vobis*, &c.
2. *Sermones Dominicales per annum*, Lib. I.
3. *Sermons de Sanctis*, Lib. I.
4. *De Origine & profectu Ordinis sui* volumen, quod inscribi voluit: *Speculnm Carmelitarum*, Incipit: *Notandum hic de Origine*; sicut observat Joannes Palæonydorus, in Epistolâ dedicatoriâ ad Rumoldum Laupach, Francfordiensis Carmeli Priorem, quæ prodiit *tamo* 1. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 221. *num.* 936.

Joannem Gluel commendant Joannes Trithemios, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *cap.* 686. Conradus Gesneros, in *Bibliotheca Universali*, *pag.* 442. *folio verso.* Antonius Possevinus, io *Apparatu sacro*, *tamo* 1. *pag.* 888. Josias Simlerus, in *Epitame Bibliathecæ Gesnerianæ:* Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 430. Joannes-Franciscus Foppens, in *Bibliotheca Belgica*, *tomo* 2. *pag.* 647. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca mediæ & infimæ Latinitatis*, *pag.* 227. *tomi quarti.* Casimirus Oudin, *tomo* 3. *Commentariorum de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *pag* 1275. malè illum confundit cum Joaune Hildesheimensi.

E Carmelitis, Arnoldus Bostius, *Lib. de Viris Illustribus Ord. Carmelit. Cap.* 28. Joannes Palæonydorus, in *Epistola* dedicatoria ad *fascicnlum tripartitum præfixâ*: Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 47. Alegreus Cassananatus, in *Paradisa Carmelitici Decoris*, *pag.* 311. Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 1 *Speculi Carmelitani*, *pag.* 324. *num.* 1325. Philippus à S. Jacobo, io *Catalogo Illust. Carmelitar.* Paulus ab omnibus Sanctis, in *Auctuario ad Cap.* 7. Auberti Miræi, *de Origine & Incrementis Carmelit. pag.* 219.

CCIV.

JOANNES GOLDESTONUS, vel GLODESTONUS, GLODESTEIN, GOLDESTEIN, GLODSTON, GLODESTON, GODESTON, & CHRYSOLITUS, Natione Anglus, Patriâ Eboracensis, Carmelita, Sacræ Theologiæ primùm Doctor Parisiensis, deindè tom ibi, tum etiam aliquandò Oxoniæ publicus Professor; vir integritate morum, & exemplo bonæ vitæ conspicuus, utrâque Philosophiâ, divinâ scilicet & humanâ instructissimus, eloquio facundus, in judicando maturus, in sententiis gravis, in conclusionibus suis solidus & constans: claruit circà annum 1320. scribens opera titulis honestatis his,

1. *Moralitates in Psalterium*, Lib. I.
2. *Moralitas in S. Matthæum*, Lib. II.

J.

3. *In Evangelium S. Matthæi commentaria.*
4. *Moralitates in Evangeliam S. Joannis*, Lib. I.
5. *In Epistolam primam Canonicam S. Joannis*, Lib. I.
6. *Divisiones Sermonum*, Lib. I.
7. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.
8. *Sermones L. de tempore*, Lib. I.
9. *Collectaneorum Liber unus.*
10. *In Magistram Sententiarum*, Lib. IV.
51. *Disputationes Sententiarum*, Lib. I.
12. *Determinationes Theologicæ*, Lib. I.
13. *Quodlibeta varia*, Lib. II.
14. *Quæstiones ordinariæ*, Lib.
15. *Orationes ad Clerum.*

Joanoem Goldestonum laudibus commendant Joannes Pitseus, *de Illustribus Angliæ Scriptoribus*, *ætate* 14. Joannes Balæus, *ibidem. Cent.* Sixtus Senensis, *Lib.* IV. *Bibliotheca sancta*: Aotonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 889. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliotheca Gesneriana*: Fabianus Justioianus, *in Bibliotheca sacra*, *pag.* 747. *D.* Jacobus de plebe, in *Indice Illustrium Scriptorum Carmelitarum*: Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca media & infimæ Latinitatis*, *toma* 4. *pag.* 229.

E Carmelitis, Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca*, *pag.* 47. Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus vinæ Carmeli*: Emmanuel Roman, *in Elucidationibus Ordin. Carmelit.* Alegreus Cassanatus, *in Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 283. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. ad ann.* 1320. *num.* 1. *pag.* 521. Daniel à Virgine Mariâ, *toma* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1117. *num.* 3946. Antonius à Wood, in *Historia Universitatis Oxoniensis*, *pag.* 103.

C C V.

JOANNES GOLEIN, aliàs GOLEM, GOLAM, GOULAN, GOULAM, GOLIN, GOYLEYN, & HOLIN, Natione Gallus, Provinciâ Neustrius, in pago *Blainville*, aut *Blacqueville*, Rothomagensis Diœcesis, natus, in Carmelo Rothomagensi professionem emisit, ubì & posteà Prior extitit. Anno 1351. in Capitulo Generali Tolosano Lector Biblicus Parisiis, pro anno nono describitur: in Capitulo Generali Perpinianensi, anno 1354. lecturus Sententias Parisiis pro quarto, & Biblia pro tertio anno eligitur: anno 1357. in Capitulo Ferrariensi ordinatur ad legendum Sententias Parisiis pro anno primo, & in Comitiis Generalibus Aquensibus anno 5372. celebratis, Definitor suæ Provinciæ Franciæ secundùm Ordinis consuetudinem appellatur.

Inde Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis atque Professor, necnon in Cœnobio sui instituti Prior: Vir in divinis & secularibus versatissimus Literis, & Gallico sui temporis idiomate apprimè instructus, necnon rebus in agendis summâ dexteritate præditus, duabus fuit delegationibus decoratus, quarum posterior ei feliciter tametsi non cessit, magnam tamen & honorificam apud posteros famam peperit.

Anno scilicet 1381. orta est seditio Parisiis, ob subsidia, quæ ultrà modum exigebantur: seditio hæc *Malleatorum*, dicta Gallicè *des Maillotins*, propterea quod turbulenti Cives Malleas plumbeos ad expeditionem bellicam paratos in Ædibus Urbanis arripuerunt; & iis Exactores plurimos trucidarunt. At seditione Paululum placatâ, cum sibi timerent seditiosi, confugerunt ad Episcopum & ad Universitatem Parisiensem, ut apud Regem furentis populi vesaniam excusarent, flagitiisque veniam impetrarent. Orator ab Universitate delectus est M. JOANNES GOYLEYN, Doctor Theologus, Ordinis Carmelitarum. Cum autem mensis Martii die 13. Universitas & Episcopus apud Vicennas, obì Rex Christianissimus CAROLUS VI. hospitabatur, convenissent, Universitas prior admissa ad dicendum, honoratiorem semper locum tenuit, & propositionem primam M. JOANNES GOYLEYN habuit.

Anno autem 1391. BONIFACIUS IX. Legatos duos, PETRUM, Carthusiæ Astensis in Lombardiâ Priorem, & BARTHOLOMÆUM de Ravenna, item Carthusiæ Insulæ *Gorgonæ* Priorem, ad Regem Carolum misit, ut de unione Ecclesiæ cum eo tanquam cum Rege Christianissimo, cujus Majores tanto studio Religionem tutati fuerant, agerent. At CLEMENS VII. in sua obedientia dictus, veritus sibi cudi fabam istam, quanquam palàm asserebat se nihil ardentius percupere quàm ejusdem Ecclesiæ unionem, clam datis mandatis, misit JOANNEM GOULAM Parisios, ut largitione Indulgentiarum viam unionis dissuaderet, animosque in BONIFACIUM concitaret: sed sic causam deteriorem fecit, conversis ad Bonifacium animis: Ab Academiâ semotus, Graduum honoribus & emolumentis spoliatus, & multos labores perpessus, obiit Parisiis anno 1403. sepultusque apud suos Fratres in Capella Nostræ Dominæ *de Cydis*, sub Organis positâ. Sed posteà medium in Capitulum ossa ejus fuerunt translata, & sub lapide sepulchrali posita post annum 1440 cujus quidem lapidis sepulchralis in Limbis hoc Epitaphium legitur:

D. O. M.

Cy gist Frere JEAN GOULAIN, *Maître en Theologie, nay en Caulx à Blacqueville, vestu à Roüen: jadis Legat & Chapelain du Saint Siége Apostolique: qui ayant souffert plusieurs labeurs pour le bien de la Réligion & de toute la S. Eglise, trépassa l'an de grace* 1403.

Quæ verba Gallico sermone referuntur apud Jacobum du Breul, Ordinis S. Benedicti Monachum, in Historia Gallicè inscripta: *Le Théâtre des Antiquités de Paris*, 1612 *in-4°. pag.* 572. Dixi autem Ossa JOANNIS GOOLAIN translata fuisse medium in Capitulum post annum 1448. Quia Capitulum istud erectum fuit propriis impensis JOANNIS ROLIN, Burgundi, Civis & Episcopi Æduensis (cum anteà Archidiaconus & successivè Episcopus Cabillonensis fuisset) S. R. E. Cardinalis Presbyteri, tituli *S. Stephani in Cœlio Monte*, creati à NICOLAO V. die 20. Decembris, 1448. ubì ipsius die 22. Junii, 1483. defuncti spectatur Symbolum, *Deum time*; ac ejus effigies vestimentis Cardinalibus adornata, in tabella suprà Altare posita: ad cujus pedes visitur parva canis Leporaria, quæ ex ejus cibi vomitu nutriebatur; sicuti in ejus vita refertur. Joannes Golein scripsit,

1. *In Magistrum Sententiarum Commentaria*, Libris IV.
2. *Super Officia Missæ*, Lib. I. Incipit: *Cantate Domino Canticum*, &c.
3. *Quæstiones varias*, Lib. I.

Aliorum autem Autorum Opera nonnulla Gallico donavit idiomate, qualia sunt, 1°. *Le Rational des Divins Offices de Guillaume Durand, mis en François par Jean Holain, Provincial des Carmes.* Parisiis, apud Antonium Verard, anno 1504. *in-folio*; sicut asserit Joannes la Caille, in Opere Gallicè inscripto: *Histoire de l'Imprimerie & de la Librairie*

brairie, *Lib. II. pag. 63.* Codices autem *Manuscripti tres* asservantur Parisiis in Bibliotheca Regia, *num.* 6840. 7031. 7178. Et hujus in limine ipse Joannes Golein depingitur offerens Librum Christianissimo Regi Carolo V. & hujus iconem seu effigiem dedit eruditus Domnus Pater Bernardus de Montfaucon, Ordinis Sancti Benedicti Monachus, in Opere Gallicè inscripto: *Monumens de la Monarchie Françoise, tomo 3. pag. 36. Effigie LX.* & id observavit Petrus Lebrun, Oratorii Berulliani Sacerdos Parisiensis, in Opere Gallicè inscripto: *Explication Litterale, Historique & Dogmatique des priéres & des cérémonies de la Messe, tomo 4. parte 2. pag.* 113. Vide eumdem Bernardum de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Mss. tomò 2. pag. 785. D. & 789: D.* ubi Codices Mss. ejusdem Operis citantur.

2°. *Mss. Livre neuviéme des Chroniques: ou seconde partie de l'Histoire, depuis Constantin le Grand, jusqu'à Louis III. Roy de France, traduite par ordre de Charles V. Roy de France: par Jean Golein, de l'Ordre des Carmes.* Codex hic Ms. citatur à Jacobo Lelong, in *Bibliotheca Historica Franciæ, pag. 334. num. 6832.*

3°. *Le Livre de l'Infarmation des Princes, par Jean Golein.* Citatur hic Codex Ms. à Bernardo de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecarum Manuscriptorum, tomò 1. pag. 794. A. 2.* ubi non explicatur utrùm sit simplex versio, an vera elucubratio ab ipso Golein composita.

4°. *Les Chroniques de Guillaume, Evêque de Burgos, translatées par Jean Goulein.* Codex Ms. servatur in Bibliotheca Regis Angliæ, sicut profertur in *Catalogo* hujus *Bibliothecæ*, edito anno 1734. *in-4°.* teste eodem Pat. Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecar. Mss. citata tomo 1. pag. 633. C.*

5°. *Jean Golein: Translatio incerti cujusdam Tractatûs in Linguam Gallicam factus, anno 1369. jussu Caroli, Regis Francorum: in quo agitur de Pontificibus, de Imperatoribus, Regibus Galliæ, Comitibus Tolosanis, de Historia Conciliorum, de Missa, de Christi Discipulis, de Episcopis Lemovicensibus ac Tolosanis; & de Prioribus Ordinis de Grande-Monte.* Hic Codex Ms. servatur Romæ, in *Bibliotheca* Vaticana inter *Codices Mss. Bibliothecæ Reginæ Suéciæ, Cod. 757.* sicut refert Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothec. Mss. tomo 1. pag. 30. G.* Tractatus hic non alius videtur ab Opere quod citavimus *num.* 2. & dicitur *Le second tome de la Chronique translatée de Latin en François, par Maître Jean Golein. Ce Volume commence à Constantin le Grand & finit à Charles III. Roy de France, in-folio.* Ita Codex Ms. qui asservatur in Bibliotheca S. Vincentii Vesuntini; sicut ipse refertur in *Bibliotheca Bibliothecarum Mss. tomo 2. pag. 1190. A.* De quo sic loquitur Dom. Bernardus de Montfaucon, *ibid. pag. 1194. A. col. 2.*

» Le second tome des Chroniques Génerales tra»duites par M. Jean Golain, par ordre de Charles »V. Roy de France, *in-folio.* La Croix du Moine, »& du Verdier parlent de Jean Golain, mais au »nombre de ses traductions, ils ne mettent point »celle-cy, qui parle de tous les Royaumes de l'Europe.

Alii qui de Joanne Golein locuti sunt, Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap.* 650. Conradus Gesnerus, in *Bibliotheca universali, pag.* 423. Henricus Spondanus, *ad annum* 1392. *num.* 5. Guillelmus Eiseingrenius, *in Catalogo testium veritatis:* Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro, tomo 1. pag.* 889. Cæsar Egassius du Boulay, in *Historia Universitatis Parisiensis, tomo 4. pag.* 585. & 672. Ludovicus Maimbourg, in Opere Gallicè inscripto: *Histoire du grand Schisme d'Occident, ad annum* 1393. *pag.* 529. Franciscus Timoleo de Choisy, in *Hist. Ecclesiast., tomò 7. pag.* 239. Gabriel Daniel, in *Historia* Gallicè scripta, in *vita Caroli V. ad ann.* 1394. Jacobus Lenfant, in *Historia Concilii Pisani*, Gallicè scripta, *tomo 1. L. 1. art.* 54. Et his omnibus antiquior, atque Joanni Golein coævus, Anonymus Monachus Sao-Dionysianus, in *Chronica l. 13. cap.* 3. Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca media & infimæ Latinitatis, tomo 4. pag.* 230.

E Carmelitis, Arnoldus Bostius, *Lib. de viris Illustribus Ordinis Carmelitarum, cap.* 22. Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 47. folio verso: Augustinus Biscarretus, in *Palmitibus Vineæ Carmeli:* Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris, pag.* 392. ubi perperàm scribit Joannem Golein floruisse anno 1541. tempore Caroli V. Imperatoris: Joannes-Baptista de Lezana, *tomo 4. ad ann.* 1355. *num.* 4. & *ad ann.* 1392. *num.* 2. *pag.* 611. & 734. Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. pag.* 967. *num.* 3399. Ibidem, *pag.* 1086. *num.* 3810. *&c.*

CCVI.

JOANNES DE GOUDA, natione Belga, habitatione Teutonicus, Carmelita Hassius, sacræ Theologiæ Lector, Prior Conventum rexit Spangenbergensem, in Hassia inferiori, circà annum 1570. ab Hæreticis devastatum & dirutum. Scripsit circà annum 1480. præclarum quoddam Opus, titulo inscriptum:

Scutum Carmelitarum, ut asserunt Paulus ab omnibus Sanctis, ipse Germanus Carmelita Excalceatus, in *Auctuario ad caput* 7. Auberti Miræi, *de Origine & Incrementis Ordinis Carmelitarum, pag.* 219. & Daniel à Virgine Maria, *tomo 2. Speculi Carmelitani, pag.* 1097. *num.* 3886. Atque his longè antiquior Joannes Palæonydorus, in *Epistola ad Renoldum Laupach* scripta, anno Christi 1495. quinto Kalendas Martii. Undè jam *super. pag.* 588. conjecimus hunc JOANNEM Teutonicum DE GOUDA esse illum Carmelitam, quem GUIDONEM TEUTONICUM appellavit Michael à Fonte, Hispanus Carmelita, in suo *Compendio Historiali*, Toleti edito 1619.

CCVII.

JOANNES GRAVERIUS, quem malè distinguit à JOANNE GAUVER Petrus Lucius, in *Carmelitana Bibliotheca, pag.* 46. & 47. eumdem ipse adhuc existimarem esse atque JOANNEM BAWR, Germanum Carmelitam Wormatiensem, Theologum non contemnendum, cujus memoria inscribitur in *Catalogo Ms.* quorumdam Scriptorum Carmelitarum Germanorum ad Ludovicum Jacob transmisso, quem illic sub hoc nomine refert in *Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 196. Sed in quo tamen Catalogo non explanantur tituli Operum hujus JOANNIS BAWR, qui & idem fortè extitit & JOANNES GAUVER, de quo paulò *super. pag.* 624. & *pag.* 849.

CCVIII.

JOANNES GROSLOTIUS, natione Italus, patrià Placentinus, vir undecunque doctissimus, Theologus & Rhetor celeberrimus, Græcæ & Latinæ peritissimus, Carmelita Scriptor Vocabulista, sive Lexici Latini Græcique, sub Theodoro Gaza & Constantino Lascari, editique primùm Vicentiæ, anno 1483. deindè Regii Lepidi, anno 1497. inquit Joannes-Albertus Fabricius, in *Bibliotheca media*

J.

& infimæ Latinitatis, *tomo* 4. *pag.* 185. & 345. loquens de JOANNE CHRESTONO seu CRASTONO, qui idem est atque JOANNES GROSLOTIUS, vitiosè sic vocatus, de quo *superiùs pag.* 814. & 821.

» 1°. Joannes Crostonus, Placentinus Carmelita- » nus, Auctor Lexici Gr. Lat. quod edidit Bonus » Accursius Pisanus, dicavitque Joanni-Francisco » Turriano, Ducali Quæstori: impressum in ædibus » Dionysii Bertochi Bonon. subterraneis, tertio de- » cimo Kalendas Novembres 1499. Mutinæ, *in-fol.* sic Michaël Maittaire, in *Annalibus Typographicis*, *tomo* 1. *pag.* 363.

» 2°. Joannis Carmelitani Lexicon Latino-Græ- » cum, *in*-4°. cusum anno 1487. nomen Autoris, » manuscriptum est » inquit Dom. R. Bernardus de Montfaucon, in *Bibliotheca Bibliothecar. Mss. tom.* 1. *pag.* 232. *E.* Et in *Diario Italico*, *pag.* 321. *atque in Annalibus Typographicis*, *tom.* 1. *pag.* 348. ubi annotatur anno 1497. Cætera de Joanne Chrestono videnda sunt *super. pag.* 814. & *seqq.*

CCIX.

JOANNES GROSSI, natione Gallus, patriâ Tolosanus, Carmelitanâ professione Conventûs Appamiarum alumnus, insignis in Theologia Doctor: in regimine prudens: in solida pietatis & veræ fidei petra fundatus: pro magno Ecclesiæ schismate abolendo valde studiosus: apud omnes tum Hispanos, tum Gallos magnâ pollens auctoritate, cessione ac abdicatione RAIMUNDI AQUARII, electus fuit ad Generalem Ordinis sui Præfecturam in Perpinianensi Conventu, anno 1389. die 8. Septembris, à Patribus illic congregatis, qui Clementem VII. sequebantur; & eos in eadem Obedientia cum suis Provinciis per duos & viginti annos rexit.

Cum autem JOANNES XXIII. Matthæum de Bononia & Joannem Grossi, utrioque divisos Ordinis Carmelitici Generales, simul & Provinciales & alios Patres in unum vocasset Capitulum Bononiæ, anno 1411. Dominicâ secundâ die post Pascha, utroque Officium resignante, JOANNES GROSSI ab utraque parte unanimiter electus est, & MATTHÆUS DE BONONIA exemptus à cujusque inferioris Generali jurisdictione; quod etiam de Socio per eum eligendo idem decretum est.

Adfuerat Joannes Grossi Concilio Pisano, anno 1409. Adfuit & Romano in Basilica S. Petri, anno 1413. necnon Constantiensi, anno 1414. à quo facultate obtentâ, Capitulum Generale celebravit, anno 1416. in Conventu Balneolarum Provinciæ Narbonæ: Aliud Capitulum Generale habuit, anno 1425. die solito Pentecostes in Conventu Appamiensi Tolosanæ Provinciæ: Anno tandem 1430. Synodum Ordinis sui Generalem convocavit in Conventum Nannetensem, Provinciæ Turoniæ; ubi attentâ suâ ætate, corporisque & membrorum ponderatâ debilitate, liberè, ac sponte resignavit Generalatûs Officium: Quâ resignatione acceptatâ, BARTHOLOMÆUS DE ROQUALI unanimiter & concorditer ab omnibus ritè atque Canonicè in Generalem electus est.

Ex hac vita decessit JOANNES GROSSI Tolosæ-Tectosagum, anno Christi 1437. Vir suo de Ordine benè meritus, utpotè quem annos triginta & amplius sapientissimè gubernavit, & auxit Conventibus decem, quos in partibus Galliæ præsens ipse recepit, & duabus Provinciis, quarum una *Turoniæ* nuncupatur, quæ in partibus Franciæ, altera in partibus superioris Germaniæ, quæ Bohemiæ appellatur. Primus hic est Joannes Grossi, cui primùm titulus *Reverendissimi Patris* concessus est in Capitulo Bononiensi, anno 1411. Scripsit,

1. *Viridarium Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmelo*, Libris tribus, Venetiis, anno 1507. editum, *in-folio*, cum Speculo Carmelitarum Philippi Riboti. Item Antuerpiæ, anno 1680. cum Speculo Carmelitano Danielis à Virgine Maria, *tom.* 1. *pag.* 131. & *seqq.*

Ast Ms. olim in Anglia servabatur penès Joannem Balæum; nunc equidem Coloniæ, Frackofordiæ, Brusellis & Mechliniæ in Bibliothecis Carmelitarum, necnon Antuerpiæ apud Reverendos Patres Societatis Jesu: sed hi Manuscripti Codices plura continent quam editi: uti fusiùs explicatur inferiùs *tomo* 2. *pag.* 30. & 756.

2. *De viris Illustribus Ordinis Carmelitarum*, Lib. I. Ibidem.

3. *De Sanctis Ordinis Carmelitarum*, Lib. I. Ibidem. Nam & istud utrumque Opus non distinguitur à duobus posterioribus Libris *Viridarii.*

4. *Sermones varios*, *Lib. I.* quos citant Joannes Trithemius, *Lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap.* 680. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*, *pag.* 100. *folio verso*; Joannes-Jacobus Frisius, in *Epitome ejusdem Bibliothecæ*, *pag.* 448. *col.* 2. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro*, *tomo* 1. *pag.* 890.

5. *Quæstiones varias de sacris Scripturis*, *Lib. I.* Quas appellant Lezana ad annum 1425. *num.* 7. & Ludovicus Jacob, in *Biblioth. Carmelit. Ms. pag.* 217.

De Joanne Grossi, quem *Grossn* corruptè appellat Editor Dictionarii Moreriani, anno 1725. laudant Nicolaus Bertrandus, de *rebus & gestis Tolosanorum*; Symphorianus Champier, de *Illustribus Galliæ viris*: Bartholomæus Chassanæus, *parte* 12. *Catalogi gloriæ mundi*: Joannes Rioche, in *Compendio Historiæ Ecclesiasticæ*: Joannes Molanus, in *Bibliotheca Materiarum*: Claudius Robertus, in *Appendice ad Galliam Christianam*: Aubertus Miræus, in *Auctuario Bibliothecæ Ecclesiasticæ*, *cap.* 486. Theophilus Raynaud, in *Scapulari defenso.*

E Carmelitis, Arnoldus Bostius, *Lib. VII. Speculi Historialis*, *cap.* 48. Palæonydorus, in *Fasciculo tripartito*, *Lib. III. cap.* 15. & 14. Petrus Lucius, in *Bibliotheca Carmelitana*, *fol.* 47. & 48. Joannes-Baptista de Lezana, *tomo* 4. *Annal. Carmelit. ad annum* 1339. Ludovicus à S. Teresia, in *Successione Eliæ Prophetæ* Gallicè scripta, *cap.* 143. *pag.* 554.

His addi possent Ferdinandus Ughellus, *tomo* 3. *Italiæ sacræ*, *pag.* 565. Casimirus Oudinus, in *Commentariis de Scriptoribus Ecclesiasticis*, *tomo* 3. *pag.* 2255. &c.

CCX.

JOANNES GULDENER, Germanus, Carmelita Coloniensis, Doctor Theologus Parisiensis: Vir pietate, doctrinâque clarus, atque in sacris Literis eruditione celebris, Concionator suâ ætate non vulgaris, claruit anno 1540. mortuus tandem Bruxellæ, ibidemque sepultus. Scripsit,

1. *Collationes Feriales*, Lib. I.
2. *Sermones de tempore*, Lib. I.
3. *Sermones per Adventum*, Lib. I.
4. *Sermones Quadragesimales*, Lib. I.
5. *Sermones de Sanctis*, Lib. I.

De Joanne de Guldenerio mentionem habent Trissa, in *Catalogo Magistrorum Parisiensium Carmelitarum*: Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, *tom.* 1. *pag.* 891. Josias Simlerus, in *Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ*, *pag.* Franciscus Swertius, in *Athenis Belgicis*, *pag.* 435. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 288. Joannes-Baptista Lezana, *tomo* 4. *ad ann.* 1340. *pag.* 570.

J.

num. 4. Emmanuel Romans, *in Elucidat.* Daniel à Virgine Mariâ, *tomo* 2. *Speculi Carmelitani*, *pag.* 1108 *num.* 3958. Carolus du Cange, *in Catalogo Authorum:* qui præfigitur *tom.* 1. *Glossarii Latin. &c.* Albertus Fabricius, in *Bibliothecâ mediæ & infimæ Latinitatis*, *tomo* 4. *pag.* 334.

CCXI.

JOANNES GUTIEREZ DE LA MADALENA, Hispanus, natus Toleti in Carpetanis ad Tagum Fluvium, Carmelita, Doctor Theologus, Provinciæ suæ Castallanæ aliquandò Præfectus, quo munere insignitus, vitâ defunctus obiit anno 1579. Scripsit Hispanicè: *Vida de sancta Helena*: Matriti, apud Franciscum Sanchez, 1678. *in*-8o.

De quo sunt consulendi Nicolaus-Antonius, in *Bibliotheca Hispana*, *tomo* 1. *pag.* 541. Idelphonsus à matre Dei, in *Indice Ms. quorumdam Scriptorum Ordinis Carmelitarum;* Emmanuel Romani, in *Elucidationibus variis Ord. Carmelit.* Ludovicus Jacob, *in Bibliotheca Carmelitana Ms. pag.* 217. Alegreus Cassanatus, in *Paradiso Carmelitici Decoris*, *pag.* 431. ubi mortem GUTIERREZ anno 1588. perperam assignat.

Differt noster Gutierez à JOANNE GUTIERREZ DE EITREMERA, Ordinis Mercenariorum, qui edidit Matriti, 1614. Librum: *De las grandezas del Nombre de Jesu, in*-4°. id est: *De Magnitudinibus Nominis Jesu.* Vide Bibliothecam Hispanam, *pag. cit.* 541. *tomo* 1. *Bibliothecæ Hispanæ.*

FINIS TOMI PRIMI.

PROTESTATIO AUCTORIS,

Juxtà Decreta felic. recordat. URBANI VIII. & INNOCENTII XII.

CUM felicis recordationis Urbanus Papa VIII. die 13. Martii, anno 1625. in S. Congregatione S. R. & universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii 1634. quo inhibuit imprimi Libros hominum, qui sanctitate, seu Martyrii famâ celebres è vita migrarunt, gesta & miracula, vel revelationes, seu quæcunque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii; & quæ hactenùs sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii, 1631. sic declaravit, ut nimirùm non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea quæ cadunt super mores & opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantùm penès autorem.

Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi, observantiâ & reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu, quidquid in hac Bibliotheca Carmelitana & ejus Appendicibus, Dissertationibus, & Notis criticis refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ duntaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ nituntur.

Et cùm Innocentius Papa XII. per Decretum anno 1698. die 20. Novembris ediderit, quo perpetuum imposuit silentium super primæva institutione Ordinis Carmelitarum; & Sanctissimus Benedictus Papa XIII. anno 1725. titulum ad statuam Eliæ Prophetæ marmoream in Basilica S. Petri erectam Romæ apponendum, propriâ Pontificiâ manu hunc designaverit; Sancto ELIÆ, Fundatori suo, Religio Carmelitarum erexit.

Utrique Decreto, observantiâ & reverentiâ, quâ par est, insistendo, me haud alio sensu, quidquid huic Bibliothecæ ac ejus partibus aut appendicibus singulis inseritur, accipere, quàm quo solent ea, quæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sedis Apostolicæ approbationi consentire, & consonare intelliguntur, sic sanctè profiteor & sincerè protestor. Quidquid huic approbationi contrarium & oppositum reperiretur, tanquam nec scriptum nec dictum esset consentio, peto & vehementer postulo.

INDEX

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM ET COGNOMINUM

ANTIQUIORUM CARMELITARUM

Quorum fit mentio in priore Tomo BIBLIOTHECÆ CARMELITANÆ.

A.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
ADAMUS DE BODROMO, Germanus.	1350.	1
Adamus Hemlingtonus, Anglus.	1420.	1
Adamus Saxlinghamus, Anglus.	1350.	2
Adrianus Arnoldus, Belga.	1490.	2
Adrianus *Hecquet*, Belga.	1490.	2
Adrianus Sarembius, Polonus.	1616.	3
Ægidius *Crofeol*, Gallus.	1556.	4
Ægidius Faber, Bruxellensis.	1506.	5
Ægidius Fernandus, Hispanus.	1605.	6
Ægidius Honestus, Siculus.	1611.	6
Ægidia à S. Francisco (*du Ruflay*,) Armorica.	1647.	7
Ægidius Leondalicatus, Siculus.	1597.	8
Ægidius de Merica, Germanus.	1499.	8
Ægidius Richardus, Belga.	1540.	9
Ægidius Rossensis, Germanus.	1445.	10
Ægidius Scriaius, Siculus.	1589.	10
Alanus Beuclissus, Anglus.	1145.	11
Alanus Lynensis, Anglus.	1420.	13
Albertus à S. Ægidio, Armoricus Dolensis.	1670.	16
Albertus de Annuba, Beneventanus.	1700.	17
Albertus Barra, Neapolitanus.	1665.	17
Albertus Czepelius, Polonus.	1639.	18
Albertus Draga, seu Draco, Longobardus.	1606.	18
Albertus Siculus (S.), Drepanitanus.	1307.	18
Albertus de Ferias, Hispanus Bœticus	1545.	24
Albertus Joannis, Belga.	1496.	25
ALBERTUS MASSARIUS, Italus Medicinensis.	1643.	25
Albertus Lazarus, Romanus.	1675.	26
Albertus Nauclerus, Neapolitanus.	1571.	26
Albertus de Nussia, Germanus.	1425.	26
Albertus Polevitius, Polonus.	1657.	26
Albertus de Porceto, Germanus.	1443.	26
Albertus Scachinus, Italus Parmensis.	1676.	27
Albizus Azolinus, Italus Florentinus.	1428.	27
Alexander *Blanckart*, Germanus.	1555.	27
Alexander *Doria*, Italus Genuensis.	1647.	28
Alexander Kossinkius, Polonus.	1636.	30
Alexander-Maria Briantus, Mediolanensis.	1646.	32
Alexander Salicinus, Ferrariensis.	1563.	32
Alexander *Vander-Berghe* à S. Teresia, Belga.	1686.	32
Alexius Porrus, Mantuanus.	1609.	35
Alexius ab Assomptione, Parisinus.	1688.	34
ALOISIUS LAGHI, Italus Foro-Liviensis.	1752.	37
Aloisius *Pranes* à Nativitate Domini, Pedemontanus.	1739.	40
Aloisius Sadoc, Siculus Panormitanus.	1447.	40
Alphius Matthiolus, Siculus Alcamensis.	1620.	41
Alphonsus de *Alfama*, Ulissiponensis.	1438.	42
Alphonsus *Alvarez*, Hispanus.	1676.	43
Alphonsus Bohorquez, Hispanus.	1650.	44
Alphonsus Loarte, Hispanus Toletanus.	1619.	46
Alphonsus Moraler, Lusitanus.	1556.	48
Alphonsus Navarro, Bœticus.	1615.	48
Alphonsus Palaez, Hispanus.	1605.	50
Alphonsus Ramirez, Toletanus.	1651.	50
Alphonsus Sobrino, Hispalensis.	1628.	50
Alphonsus de Theramo, Anglus.	1451.	51
Alphonsus de Villalobos, Toletanus.	1570.	59
Amator Arrais de Mendoza, Lusitanus.	1600.	59
Ambrosius *Gardebose*, Tolosanus.	1712.	61
Ambrosius Roca de la Serna, Hispanus.	1649.	63
Ambrosius de Vallejo, Matritensis.	1635.	63
Anacletus *la Fontaine* à S. Joanne, Gallus Andinus.	1685.	64
Anastasius Cochelet, Gallus Campanus.	1624.	67
Anastasius Garcia, Hispanus Valentinus.	1628.	68
Anastasius Vives de Rocamora, Hispanus Valentinus.	1674.	69
Andreas Angelettus, Romanus.	1678.	69
Andreas Barzeski, Polonus.	1752.	70
Andreas Blanchard Claromontanus.	1661.	72
Andreas Bouttier, Claromontanus.	1643.	73-81
Andreas *Ferraro* à Castro, Messanensis.	1685.	73
Andreas de Confluentia, Trevirensis.	1476.	75
Andreas Corsinus (S.), Florentinus.	1373.	74
Andreas Lao, Siculus Catanensis.	1647.	79
Andreas *de Dienne*, Aurilliacensis.	1729.	80
Andreas Fesulanus à S. Teresia, Polonus.	1651.	81
Andreas Gargsi, Genuensis.	1752.	82
Andreas Haasius, Gedanensis.	1670.	82
Andreas de Lezana, Hispanus Toletanus.	1615.	87
Andreas de Lucha, Italus.	1418.	87
Andreas Mastellus, Neapolitanus.	1717.	88
Andreas de la Monacha, Italus Brondusinus.	1674.	92
Andreas à S. Nicolao, Lotharingus.	1715.	92
Andreas à S Petro Vasco, Condomensis.	1720.	95
Andreas Rasoi, Siculus.	1673.	96
Andreas Stengnart, Leodiensis.	1615.	97
Andreas Targetus, Italus Brixiensis.	1591.	98
Andreas Torres, Neapolitanus.	1629.	99
Andreas Vlasto, Appulus Nojanus.	1712.	99
Anellus Antignanus, Neapolitanus.	1639.	99
Angela (S.), (Bohema dicta), Sicula Siaccensis.	1516.	100
Angelus à S. Agnete, Gallus Quintinensis.	1643.	103
Angelus de Bergamo.	1574.	104
Angelinus de Augustinis, Florentinus.	1438.	104
Angelus *Blanc*, Sabaudus Rupeculensis.	1681.	105
Angelus Buccelinus, Italus Mantuanus.	1643.	106
ANGELUS DE CAMBOLAS, Tolosanus.	1716.	106
Angelus Capreolus, Italus Brixiensis.	1482.	107
Angelus *Castiglioni*, Mediolanensis.	1584.	108
Angelus Coradellus, Italus Brixiensis.	1530.	109
Angelus *Dalfau*, Catalanus.	1663.	110
Angelus *Dertanne*, Aquitanus Aurilliacensis.	1678.	110
Angelus *de Duccis*, Longobardus Brixiensis.	1507.	110
Angelus *Duffel*, Aquitanus Aurilliacensis.	1735.	110
Angelus Espin, Hispanus.	1663.	112
Angelus *Fardella*, Siculus Drepanitanus.	1650.	112
Angelus à S. Hilario, Metensis.	1664.	112
Angelus Hierosolymitanus (S.)	1150.	116
Angelus Matin à S. Cruce, Montiregalensis.	1671.	118
Angelus Merulus, Ticinensis.	1649.	118
Angelus Minecuccius, Italus Canepinæus.	1630.	119
ANGELUS MONSIGNANUS, Forojuliensis.	1697.	119
Angelus *de Nepotibus*, Taurinensis.	1653.	120
Angelus Palacius, Hispanus Pampelonensis.	1613.	120
Angelus *Berthaut* à Passione, Armoricus Ploërmelensis.	1614.	120
Angelus Pereira, Hispanus Conimbricensis.	1614.	122
Angelus Pius Chiappanus, Mediolanensis.	1664.	122
Angelus Robertus Laurentius, Bononiensis.	1638.	123
Angelus Rocco Appulus, Barensis.	1680.	124
Angelus *Rossi* seu Rubeus, Bergomensis.	1684.	124
Angelus Sagarro, Catalanus Barcinonensis.	1650.	125
Angelus de Salazar, Hispanus Castellanus.	1582.	125
Angelus Savorus, Genuensis.	1613.	126
Angelus Scamnus, Mediolanensis.	1613.	127
Angelus Spenel, Gallus Aniciensis seu Podiensis.	1658.	128
Anonyma Galla seu Armorica, Nannetensis.	1486.	136
Anonymus Burgundus, Semuriensis.	1410.	136
Anonymus, Augustanus.	1410.	137
Anonymus, Bononiensis.	1483.	137
Anonymus, Brugensis.	1487.	137
Anonymus, Claromontanus.	1570.	139
Anonymus, Gallus Tolosanus.	1716.	148
Anonymus, Italus Picenus.	1734.	149
Anonymus, Leodiensis.	1682.	149
Anonymus, Neapolitanus.	1452.	152
Anonymus, Parisiensis.	1697.	152
Anonymus, alter Parisiensis.	1528.	156
Anonymus, Patavinus.	1743.	157

INDEX ALPHABETICUS.

A.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
Anonymus, Syrius.	1109.	158
Anonymus, Venetus.	1470.	160.
Anonymus, Vercellensis.	1512.	160
Anonymus, Woitspergensis.	1724.	161
Anselmus à S. Carolo Armoricus, Brito.	1670.	161
Antonius à S. Agnete, Ferrariensis.	1486.	163
Antonius de Areraria. Bergomensis.	1523.	164
Antonius, Mediolanensis.	1461.	165
Antonius *Bienvenu*, Gallus Turonensis.	1585.	165
Antonius Bosius *de Novellaria*.	1705.	165
Antonius Breluqoe, Burgundus Semuriensis.	1591.	165
Antonius Corrosetus, Parisinus.	1568.	166
Antonius *Mangarda* à crucifixo, Taurinensis.	1671.	166
Antonius *Dario*, Neapolitanus.	1569.	167
Antonius *Ferrari*, Siculus Politiensis.	1617.	167
Antonius *de Fide*, Florentinus.	1433.	167
Antonius de Francis.	1478.	168
Antonius *Frizza*, Ligur Novariensis.	1613.	169
Antonius, Gerundensis Coadjutor Suffraganeus.	1330.	169
Antonius à Ganua, Italus.	1380.	170
Antonius ab Heredia, Hispanus Requensis.	1568.	170
ANTONIUS-JOSEPH-AMABILIS *FEYDEAU*, Gallus.	1741.	173
Antonius *Lanquier*, Attrebatensis.	1517.	174
Antonius *Lopez*, Lositanus.	1628.	174
Antonius *De Lor*, Occitanus.	1631.	175
Antonius *Maraver*, Hispanus Utriciensis.	1620.	175
Antonius Marinarius Senior, Italus.	1570.	176
Antonius Marinarius Junior, Legrottagliensis.	1624.	180
Antonius *Milanta*, Januensis.	1474.	181
Antonius *Olivan à Maldonado*, Cæsaraugustanus.	1681.	183
Antonius *de Piis* Senensis.	1455.	184
Antonius *De la Porte* à S. Martino Armoricus, Rhedonensis.	1650.	184
Antonius Rape, Flander.	1508.	186
Antonius Risius, vel *Riccius de Novellaria*, Regiensis.	1571.	186
Antonius *de Rovigo*, Ferrariensis.	1640.	187
Antonius *Roulin*, Bituricensis Gallus.	1604.	187
Antonius *Sabré*, Aquitanus Aginnensis.	1645.	187
Antonius *à Sagramena*, Hispanus Matritensis.	1623.	188
Antonius *Spata*, Siculus.	1693.	188
Antonius *Tabares* vel *Tovares*, Ulissiponensis.	1623.	189
Antonius *Vasquez de Espinosa*, Bœticus.	1630.	189
Antonius à Villaforte, Hispanus Complutensis.	1585.	190
Archangela *de Girlanis & de Trino*, Montiferratensis.	1494.	191
Archangiola Fortunata *Bona*, Neapolitana Capreensis.	1734.	191
Archangelus *Capellonus*, Genuensis.		192
Archangelus *Parissolu*, Genuensis.	15	192
Archangelus *Augustini*, Venetus.	1719.	192
Archangelus *Lanfranco*, Papiensis.	1565.	193
Archangelus à S. Michaele, Cremonensis.	1655.	195
Archangelus Michael Marie *Gervasi*, Neapolitanus.	1230.	195
Archangelus Paulius, Florentinus.	1636.	195
Archangelus à S. Luca, Rhedonensis.	1663.	196
Asiso, Anglus.	14 .	196
Arnaldus Landivisqueus, Aquitanus Condomiensis.	1525.	196
Arnoldus Anedelius *de Sonis*, Aquitanus.	1510.	196
Arnoldus de Austria, Teutonicus.	1400.	196
Arnoldus *de Bissalis*, Teutonicus.	1366.	197
Arnoldus à S. Carolo Belga, Mechliniensis.	1672.	198
Arnoldus *de Limone*, Narbonensis.	1466.	200
Arnoldus *de Tronca*, Tolosanus.	1362.	201
Augustinus Abarius, Petavinus.	1593.	201
Audomarus à S. Bertino, Belga.	1689.	203
Augustinus Biscaretius, Longobardus Cheriensis.	1639.	203
Augustinus Guardius, Mantuanus.	1621.	203
Augustinus *Nuñez del Gadillo*, Cordubensis.	1631.	204
Augustinus Schiaffinus, Genuensis.	1649.	205
Augustinus Suarez, Boeticus.	1573.	207
Augustinus *de Goazmoal* à Virgine Maria, Armoricus Leonensis.		208
Augustinus à SS. Sacramento, Armoricus Rhedonensis.	1625.	209
Aurelius Regious de Crema, Italus.	1593.	209
Austremius Farneranus, Italus.	1689.	209

AVERTANUS à S. Elie, natione Germanus, Patria Lutzenensis aliàs Luesensis, vel etiam Leontinus. *Lutza* enim seu *Lutzen* Germaniæ est oppidulum, in quo Carmelitanum Cœnobium erectum est anno 1349.

AVERTANUS in seculo dictus *FERDINANDUS AVER*, Provinciæ Alemaniæ superioris Carmelita; Vir Doctus, in agendo valde prudens & œconomus, variis in Cœnobiis Præfecturam gessit, & vergente anno 1670. in Comitiis Provinciis Herbipoli (Gallicè *Wirtzbourg*) celebratis, in Provincialem electus fuit. Conventum Strigoviensem in Silesia post hæreses & bella restauravit, eique Sundationem Garnieriani Cœnobii eadem in Silesia feliciter promovit. Obiit tandem in Patrio Carmelo, anno 1691. die 19. Novembris. Ejus Opera inscribuntur:

1. *Vita S. Alberti Drepanensis, Carmelitæ.*
2. *Nonnullæ Controversiæ adversùs Hæreticos.*
3. *Historia de miraculosa Imagine B Virginis Mariæ ad Urticas*, cui adjungitur

Translatio hujus Imaginis ab Heilbrunensi Civitate ad Carmelum Straubingarum in Bavariam, anno 1661. die 18. Maii.

Avertanum à S. Teresia commendat Ludovicus Perez à Castro, *Codice 3. Ms. de Viris Illustribus Ordinis Carmelitani, pag. 46. & 50.* Necnon in sua *Bibliotheca Carmelitana Ms. fol. 39.*

Historiam autem Imaginis Beatæ Virginis Mariæ in Urticeto juxtà Heilbrunnam Wirtzburgensis Diœcesis oppidum descripsit Joannes Trithemius *tribus Libris*: Quorum Libro II. cap. 5. & seqq. narrat constructionem Ecclesiæ, & fundationem Monasterii Heilbrunensis, quod & *Fons salutis* cognomine dictum, assensu Domini Gotfridi Herbipolensis traditum fuit Fratribus Carmelitis, & à Nicoleo V. confirmatum; & plurimis Indulgentiis posteà ditatum ab Innocentio VIII. anno 1486. die 26. Septembris, & ab Alexandro VI. anno 1496. die 15. Martii: uti videre est *tomo 1. Bullarii Carmelit. pag. 395. & 416.*

Ast in bellorum tumultibus isto celeberrimo Monasterio funditùs diruto, & Urbe Heilbrunniæ ad partes Hæreticorum translatâ, illorumque dominio subditâ, Imago præfata Straubingam translata fuit: De qua vide Vineam Carmeli, *pag. 285. num. 551.* & Speculum Carmelitarum, *tomo 1. pag. 660. num. 2510.*

B.

	An.	Pag.
BALDUINUS Leersius, Belga.	1484.	210
Balthazar *Limpo* senior, Lositanus.	1558.	211
Balthazar *Limpo* junior, Ulissiponensis.	1689.	214
Baptista Catanaus vel *de Cathaneis*, Venetus.	1592.	215
Baptista Panetius, Ferrariensis.	1497.	216
Baptista Ferrarius, Italus.	1525.	217
Baptista Spagnolus, Mantuanus.	1517.	217
Barnabas à S. Cæcilia, Armoricus Nannetensis.	1747.	240
Barnabas à S. Mathurino, Gallus Turonensis.	1705.	241
Bartholomæus *Dias de Enzinas*, Toletanus.	1642.	240
Balthazar Romaya, Coloniensis.	1620.	214
Bartholomæus Eiselim.	1616.	242
Bartholomæus *Fanti*, Mantuanus.	1490.	243
Bartholomæus de *Looysa*, Bœticus.	1616.	243
Bartholomæus *Campagnola*, Venetus.	1507.	244
Bartholomæus *Mases*, Euthruscus.	1588.	245
Bartholomæus *Mozzonus*, Mantuanus.	1692.	245
Bartholomæus *Peyro*, Perpinianensis.	1415.	246
Bartholomæus *Porthalingius*, Gallus Arelatensis.	1523.	246
Bartholomæus *De Raceoli*, Tolosanus.	1445.	246
Bartholomæus Ragusius, Siculus.	1581.	248
Bartholomæus de Sacca, Siculus.	1396.	249
Bartholomæus Sanzzius, Toletanus.	1623.	249
Bartholomæus Spiritus, Gallicè *Esprit*, Burgundus.	1590.	250
Bartholomæus Solciensis, Episcopus.	1330.	251
Bartholomæus *Vasquez*, Hispanus.	1664.	251
Bartholomæus *Viota*, Arrago.	1630.	251
Basilius Angussola, Cremonensis.	1608.	251
Basilius Cavaretta, Siculus Drepanitanus.	1608.	254
Basilius à S. Joanne, Andegavensis.	1670.	257
Basilius à S. Joseph, Armoricus Rhedonensis.	1701.	257
Beatrix *Di Gero Rodriguez*, Hispalensis.	1623.	261
Beatrix *Tinoco*, Hispalensis.	1622.	261
Bernardus de *Ambasia* seu *Areoli*, Gallus.	1379.	271
Bernardus *Aiguani* sive *Agrianus*, Bononiensis.	1386.	271
Bernardus à S. Magdalena, Andinus.	1669.	275
Bernardus de Montesa, Hispanus.	1471.	277
Bernardus de *Paredes*, Hispanus Toletanus.	1662.	282
Bernardus de Roma, Italus.	1406.	283
Bernardus du Serein, Pictaviensis.	1555.	284
Bernardus Tarbes, Occitanus.	1669.	284
Bertholdus (S.), Longobardus.	1121.	286
Bertrandus *Stephani*, Gallus.	1484.	290
Bertrandus vel Bernardus *Vasqurrius*, Italus.	1411.	290
Blasius *Hoycius Palatius*, Polonus.	1629.	294
Blasius Suanensis, Italus.	1119.	295
Blasius Sylvester, Italus.	1472.	296
Bonaventura *d'Heredie* à S. Anna, Nannetensis.	1667.	297
Bonaventura *de la Pelietata*, Ferrariensis.	1563.	298
Bonaventura Ginochi, Genuensis.	1628.	298
Bonifacius, Venetus.	1374.	299
Brocardus Billicus, Coloniensis.	1487.	300
Benedictus *Delzons*, Aquitanus Aurilliacensis.	1703.	262
Benedictus à S. Fide, Anglus Norvicensis.	1410.	262

INDEX ALPHABETICUS.

B.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
Benedictus *Gallus*.	1199.	263
Benedictus *Henriquez*, Hispanus.	1590.	263
Benedictus *Bans* à S. Joseph, Belga Neomagensis.	1716.	264
Benjamin *Chandeau* à S. Joanne, Gallus Cabillonensis.	1741.	265
Benedictus *Martin* à S. Martino, Burgundus Divionensis.	1638.	265
Benedictus *Perret* à S. Joseph, Occitanus.	1741.	264
Berengarius Tobias, Cæsaraugustanus.	1290.	266
Berengarius de Valle-Arenosa, Arrago.	1342.	266
Bernardinus Landuccius, Senensis.	1523.	267
Bernardinus *Sampsonus*, Neustrius Rothomagensis.	1439.	270
Bernardus *de Mansesa*, Hispanus Bilbilitanus.	1477.	277
BERNARDUS OLLERIUS, Catalanus.	1386.	278

	Floruit An.	Laudatur Pag.
Bernardus de Ambasia (*Aureoli.*)	1379.	271
Bernardus *de Roma*, Italus.	1406.	283
Bernardus *Tarbes*, Gallus Occitanus.	1284.	284
BERTHOLDUS *de Malesayda* (S.), Lemovicensis.	1186.	286
Bertrandus Fizalanus, Anglus.	1424.	289
Burgerius à Burgis, Coloniensis.	1452.	291
Blasius Lorinus.		294
Blasius Siculus.	1330.	295
Bonaventura *Ginachi*, Genuensis.	1628.	298
Bonifacius à S. Euphrasia, Armoricus Rhedonensis.		299
Borchardus *Farbin*, Grandensis.	1389.	300
BROCARDUS (S.), Hierosolymitanus.	1281.	300

C.

	An.	Pag.
CŒLESTINUS à S. Simone, Belga.	1676.	306
Cæsar Besadona, Venetus.	1607.	306
Camillus Ausilios, Neapolitanus.	1607.	308
Camillus Lomatius, Italus Melegnanus.	1575.	308
Camillus Visba, Italus seu Neapolitanus Tranensis.	1656.	308
Carmela *di Dane*, Catanensis.	1724.	309
Carminia Fati, Messanensis.	1717.	309
Carminius Philomarinus, Neapolitanus.	1564.	310
Carolus Freywilliger à S. Anastasio, Moguntinus.	1679.	310
Carolus à S. Benedicto, Gallus.	1720.	312
Carolus *Dubois*, Parisinus.	1624.	312
Carolus *Caporale*, Neapolitanus.	1718.	313
Carolus à S. Catharina, Gallus Pictaviensis.	1689.	313
Carolus de Boonia.	1416.	313
CAROLUS CORNACCIOLUS, Mediolanensis.	17	313
Carolus-Maria Gattus, Mantuanus.	1710.	315
CAROLUS PHILIBERTUS BARBARIUS, Pedemontanus.	1722.	316
Carolus Sernicola, Neapolitanus.	1714.	317
Carolus *Taurus*, Neapolitanus.	1652.	318
Celedonius à Sanctis, Castellanus.	1628.	322
Cherubinus Ferrarius, Mediolanensis.	1625.	322
Cherubinus Blanchius, Italus Bononiensis.	1584.	330
Cherubinus Grissonius, Italus Alexandrinus.	1595.	330
Cherubinus Serbonellos, Mantuanus.	1649.	330
Chrysostomus *Marasca*, Cremonensis.	1618.	331
Christianus Antuerpiensis, Belga.	1540.	332
Christophorus da Avendagno.	1628.	332
Christophorus de Assumptione, Hispanus.	1616.	333
Christophorus Craverius.	1580.	333
Christophorus da *Estava*, Hispalensis.	1620.	334
Christophorus de *Fassineto*, Genuensis.		334
Christophorus Frassinetus, Ligur.	1478.	335
Christophorus *Marquez*, Matritensis.	1622.	335
CHRISTOPHORUS MARTIONONUS, Italus Brixiensis.	1481.	340
Christophorus Rachettus, Mediolanensis.	1690.	341

	An.	Pag.
Christophorus *le Roy*, Aurelianensis aut Carnotensis.	1629.	341
Christophorus Silvestranus *Brenzonus*, Veronensis.	1648.	342
Christophorus à Tolero, Hispanus.	1588.	345
Christophorus Marinus, Calaber Crotoniates.	1613.	345
Claudius à Monte Martyrum, Parisiensis.	1549.	345
Claudius *Perrier*, Gallus Podiensis.	1652.	346
Claudius *Perrini*, Italus Parmensis.	1597.	346
Clemens Coppola, Neapolitanus.	1647.	346
Clemens Gherardinus, Parmensis.	1615.	347
Clemens-Maria *Felina*, Mantuanus.	168	347
Clemens Perozzola, Varcellensis.	1631.	348
Clemens Stratta, Astensis.	1680.	348
Columbanus à Nostra Domina de Monte Carmelo, Turonensis.	1732.	348
Conradus Aldendorpius, Trevirensis.	1413.	349
Conradus *ab Ansberg*, Coloniensis.	1433.	350
Conradus à S. Georgio, Germanus.	1302.	352
Conradus *ab Heyden*, Coloniensis.	1532.	352
Conradus Tremonius vel Ernestus, Germanus.	1419.	352
Constantinus Momoblius, Genuensis.	1628.	353
Cosmas Facellinus, Pisanos.	1632.	353
Cosmas *Devilliers* à S. Stephano, Parisiensis.	1752.	353
Cornelius Guargantus, Italus Socinas.	1602.	353
Cyrillus Candidus, Neapolitanus.	1629.	357
CIRILLUS (S.), Constantinopolitanus.	1224.	357
Cyrillus Faber, Gallicè *Lefevre*, Neustrius.	1619.	357
Cyrillus Garlandius, Anglus.	1450.	363
Cyrillus Giaimo, Neapolitanus.	1652.	364
Cyrillus *de Las Heras*, Hispanus.	1610.	364
Cyrillus *Marel*, Burgundo-Sequanus.	1678.	364
Cyrillus *Pennell*, à S. Paulo, Armoricus Leonensis.	1649.	365
Cyrillus Thermitanus, Siculus.	1694.	366
Cyrillus *Tipaldi*, Neapolitanus.	1700.	368
Cyrillus *Ximenez*, Barcinonensis.	1618.	368
Cyrillus *de Vica Nava*, Pedemontanus.	1523.	369

D.

	An.	Pag.
DAMASUS à S. Ludovico, Neustrius.	1684.	370
Damasus *Peyronnet*, Cadurcensis.	1730.	372
Damascenus ab Assumptione, Gallus Lozioiacensis.	1691.	370
Daniel *le Gouverneur* à S. Joseph, Armoricus Sanmacloviensis.	1666.	371.
Daniel *Bosch* à S. Petro, Brabantinus.	1719.	372
Daniel Petrodensis, Episcopus.	1337.	373
Daniel de *Wictherich*, Germanus.	1364.	373
Daniel *Audenaerde* à Virgine Maria, Belga.	1678.	375
David *Dubois*, vel Boysius, val Boschus, Anglus.	1450.	379
David Chirburius, Anglus.	1446.	380
David Esau da *Girolamis*, Florentinus.	1504.	380
David Gallus, Apulos.	1635.	381
David ab omnibus Sanctis, Germanus.	1701.	381
David Obugæus, Hibernus.	1320.	381
David *Waterson*, Anglus.	1524.	382
Degenhardo de *Dumeta*, Germanus.	1624.	382
De la Croix, Burguodus.	1666.	382
Desiderius *Buffet*, Gallus Campanus.	1603.	383
Desiderius *Mazzapica*, à S. Martino, Siculus.	1593.	384
Desiderius *Placa*, Siculus Catanensis.	1624.	385
Desiderius *Richard* Gallus, Andinus.	1607.	386
Didacus Ægidius, vulgò *Gil*, Ulissiponensis.	1335.	387
Didacus de Angulo, Bæticus.	1640.	387
Didacus à Casanate, Hispanus Turiasonensis.	1557.	388
Didacus *Henriquez*, Salmanticensis.	1596.	389
Didacus *de Lean*, Hispanus Utrariensis.	1619.	391
Didacus *Lopez*, Castellanus.	1642.	392
Didacus *Lozano*, Matritensis.	1672.	392
Didacus *Martinus de Caria Maldonado*, Utrariensis.	1619.	393
Didacus *Merino*, Hispanus Beaciensis.	1637.	394

	An.	Pag.
Didacus de *Noregna*, Lusitanus.	1616.	394
Didacus *Ramirez*, Toletanus.	1650.	395
Didacus *Sanchez de la Camera*, Castellanos.	1590.	
Didacus de Turegano Benavidez, Matritensis.	1655.	396
Didacus *Velasquez* à Corona, Castellanus.	1583.	396
Dietherus de Moguntia, Germanus.	1519.	396
Dionysius *Blasco*, Hispanos Utrillensis Arrago.	1671.	398
Dionysius *Gastellier*, Gallus Melodunensis.	1593.	399
Dionysius Holcanus, Anglus.	1466.	399
Dionysius *Jubero*, Aragonus Barbastrensis.	1612.	399
Dionysius *Perronet*, Gallus Melodunensis.	1609.	402
Dionysius Severinus, Neapolitanus.	1590.	403
Dionysius *Solerti*, Bergomensis.	1630.	404
Dionysius *Stephani*, Belga Thenensis.	1458.	404
Dominicus *Lefchart* à S. Alberto, Armoricus Filgericosis.	1634.	404
Dominicus-Antonius *Basile*, Apulus Cryptallensis.	1678.	407
Dominicus *Campanella*, Neapolitanus Putinianus.	1663.	407
Dominicus à S. Catharina, Armoricus Rhedonensis.	1669.	408
Dominicus de Cremona, Italus.	1409.	408
Dominicus *Donat*, Tolosanus.	1721.	409
Dominicus *Ruzzola*, Bilbilitanus.		413
Dominicus *Viranos*, à S. Maria, Astensis.	1665.	415
Dominicus Muggianus, Mediolanensis.	1669.	415
Dominicus *Van-der-Hoogen*, à Nativitate B. Virginis, Belga.	1722.	416
Dominicus *Provana*, Pedemontanus.	1603.	418
Dominicus *Rota*, Bononiensis.	1630.	419.
Donatianus *Bastard*, à S. Nicolao, Armoricus Rhedonensis.	1683.	411
Dorotheus *Henry* à S. Renato, Armoricus Rhedonensis.	1703.	413

E.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
EASTUS, Græcus.	1193.	414
Eberhardus, Billicus Coloniensis.	1557.	414
Eberardus, Teutonicus.	1611.	426
Eberhardus Maynardus, Moguntinus.	1403.	427
Edmundus *Matherot*, Burgundus Semuriensis.	1608.	416
Eduardus Domleius, *Dinlaius*, *Dinlejus*, Anglus.	1450.	427
Egheberthus, Scotus.	1628.	418
Elias de *Amato*, Calaber Montaltinus.	1748.	419
Elias *Astorini*, Italus Neapolitanus.	1703.	431
Elias Carnivalius, Longobardus.	1593.	431
Elias *Luna*, Siculus Drepanitanus.	1655.	433
Elias *Maruggi*, Apulus Nucerianus.	1651.	434
Elias *Del Re*, Barensis.	1733.	434
Elizabeta *Deaz de Ortega*, Toletana.	1681.	435
Eliseus *Bonettus* de Mediolano, Italus.	1669.	436
Eliseus *Garcias*, Arrago.	1700.	437.
Eliseus *Monsignani*, Italus ForoJuliensis.	1737.	438
Eliseus *Rusconus*, Pedemontanus Astensis.	1630.	440
Eliseus de *Signorellis*, Anconitanus.	1475.	441
Eliseus Vassallus, Neapolitanus Basilicatanus.	1643.	442
Eliseus Venturimus, Euthruscus.	1599.	442
EMILIUS JACOMELLI, Italus Medicinensis.	1687.	443
Emmanuel *de Goez*, Lusitanus.	1616.	444
Emmanuel *Cardoso*, Lusitanus Pacensis.	1636.	444
Emmanuel *Das Chagas*, seu De Plagis, Ulissiponensis.	1631.	445
Emmanuel *de Parades*, Castellanus.	1685.	447
Emmanuel *de Soto*, Hispanus.	1706.	447
Emmanuel *Roman*, Hispanus Pincianus.	1630.	447
Emmanuel *De Sa*, Olissiponensis.	1714.	447
Emmanuel *Tabarez* vel *Tavarez*, Lusitanus.	1589.	448
Emmanuel *Tabarez* junior, Lusitanus.	1656.	448
Evangelista de Giocondo (Cassandra) Florentina.	1625.	449
Erveus Scotus.	1300.	449
Eugenius Machbreu, Anglus.	1574.	451
Eugenius Montanus, Neapolitanus.	1565.	451
Eugenius Spellius seu Spinellius, Genuensis.	1599.	451
Eusebius à S. Joanne, Claromontanus Arvernus.	1738.	452
Eustachius Salodiensis, Brixiensis.	1685.	455
Eustachius de Tuno, Sabaudus.	1535.	455

F.

	An.	Pag.
FAUSTINUS Aicardus, Mediolanensis.	1616.	456
Felicianus à S. Magdalena, Armoricus Nannetensis.	1685.	457
Felix *Le Marie* à S. Arsenio, Nonnetensis ad suæ Provinciæ Turoniæ Præfecturam promotus est, anno 1751. die 28. Aprilis.	1752.	457
Felix *Bona Fides*, malè *Bonafires*, Panormitanus.	1681.	465
Felix Buy, Lugdunensis.	1687.	466
Felix-Maria *Sergio*, Calabra.	1717.	468
Ferdinandus *Del Barco*, Castellanus Abulensis.	1548.	469
Ferdinendus *de Medina*, Salmanticensis.	1615.	471
Ferdinandus Suarius, Toletanus.	1610.	473
Ferdinandus Suarez *del Castillo*, Toletanus.	1610.	473
FERDINANDUS TARTAGLIA, Italus Medicinensis.	1682.	473
Ferdinandus è S. Victore, Belga Bruxellensis.	1619.	474
Filocalus *Faraldus*, Neapolitanus.	1590.	474
Francisca *de Ambasia*, Pictaviensis.	1485.	475
Francisca *Cirillo* à Crucifixo, Neapolitana.	1732.	476
Franciscus à S. Angelo, Matritensis.	1608.	478
Franciscus *Lechat*, à S. Anna, Gallus Andinus.	1686.	479
Franciscus *de Aquirre*, Hispanus.	1616.	480
Franciscus *de Ayala*, Hispanus.	1613.	480
Franciscus Baccareus, Neapolitanus.	1564.	480
Franciscus *de Bachone*, Catalanus.	1372.	480
Franciscus *Berthet*, Bituricensis.	1667.	481
Franciscus *Crespin*, Bonæ Spei, Valencenneosis.	1677.	481
Franciscus *Brunantius*, vel *Brunaudus*, Sabaudus.	1495.	485
Franciscus *Buffet*, Divionensis Gallus.	1611.	485
Franciscus Castegna, Hispanus.	1612.	486
Franciscus *Thoumine* à Cruce, Andegavensis.	1625.	486
Franciscus *Sanchez* à Cruce, Toletanus.	1647.	487
Franciscus *Espinet*, Catalanus Perpinianensis.	1779.	489
Franciscus *de Espinosa*, Bœticus.	1616.	489
Francifcus-Hieronymus *Aymo* à S. Clemente Taurinensis.	1705.	490
Franciscus Hugo *Salvene*, Semuriensis Burgundus.	1660.	490
Franciscus à Jesu & Jodar, Hispalensis.	1634.	492
Franciscus *Beatus* à Jesu Maria, Malacitanus.	1710.	494
Franciscus *Irenæus*, Armoricus Rhedonensis.	1644.	494
Franciscus *Jandini*, Florentinus.	1590.	494
Franciscus *Latenay*, Tolosanus.	1732.	508
Franciscus Lavellus seu de Lavello, Neapolitanus.	1507.	502
Franciscus *Martini*, Catalanus.	1390.	505
Franciscus, Massiliensis.	1352.	506
Franciscus Mauritius *Passerone*, Taurinensis.	1677.	507
Franciscus de Medicis, Brixiensis.	1495.	507
Franciscus Michaelis, Siculus Drepanensis.	1592.	507
Franciscus Mondini, Venetus.	1677.	508
Franciscus Odieu, Aodinus.	1660.	509
Franciscus de Paz, vel à Pace, Salmanticensis.	1604.	510
Franciscus Parvus, Germanus Helfingerensis.	1530.	510
Franciscus-Paulus Quaranta, Apulus Cryptaliensis.	1608.	510
Franciscus Pelletier, Rhedonensis.	1504.	510
Franciscus Porel, Attrebatensis.	1613.	511
Franciscus Potier, Tusonensis.	1661.	511
Franciscus è Puero Jesu, Belga.	1667.	511
Franciscus de Roma, Neapolitanus.	1584.	511
Franciscus Romero, Vallisoletanus.	1635.	511
FRANCISCUS SCENNAPIECO, Romanus.	1676.	513
Franciscus Serranus, Barcinonensis.	1627.	515
Franciscus da Senis, Italus.	1375.	515
Franciscus Sixtus, Neapolitanus.	1573.	515
Franciscus Suarez de Villegas, Olissiponensis.	1664.	517
Franciscus à S. Teresia, Lusitanus.	1698.	517
Franciscus Turchus, Italus Tarvisinus.	1599.	520
Franciscus à Villa Forte, Castellanus.	1608.	521
Franciscus Voersius, Pedemontanus Cherafeensis.	1634.	513
Francus *de Senis* (B.), Grottensis.	1291.	514
Franciscus *de Zambersis*, Venetus.	1591.	525
Fridericus Stocherus, Germanus Straubingensis.	1368.	515
Fridericus *Wagner*, alias *Wagni*, Germanus.	1386.	516
Fulgentius *Henry* à S. Barbara, Armoricus Rhedonensis.	1677.	516

G.

	An.	Pag.
GAERR, Anglus.	1431.	519
Gabriel *de Aulon*, Hispanus.	1574.	529
Gabriel ab Annuntiatione, Armoricus.	1673.	519
Gabriel ab Annuntiatione, Belga, Germaniæ Reformator.	1665.	529
Gabriel Ferrus, Booniensis.	1646.	531
Gabriel à S. Joanne-Baptista, Belga.	1692.	531
Gabriel è S. Josepho, Armoricus.	1684.	531
Gabriel à S. Philippo, Gallus Pictaviensis.	1619.	532
Gabriel à S. Spiritu, Aquitanus.	1650.	533
Galcerandus *Cassaynch*, Hispanus Tarraconensis.	1537.	533
Galfridus Aleviantus, Anglus Eboracensis.	1340.	534
Gambaldus Paulus à S. Ignatio, Astensis.	1704.	535
Garsias, Arragonius.	1332.	535
Gaspar *Berus* aut *Bavus* aut *Venis*, Lovaniensis.	1579.	535
Gaspar Cortes, Arago Cæsaraugustanus.	1604.	536
Gaspar Cotta, Ulissiponensis.	1643.	536
Gaspara à S. M. Magdalena de Pazzis, Belga, dicta Bormani.	1716.	537
Gaspar Munsterus, Coloniensis.	1654.	538
GASPAR PIZZOLANTI, Siculus.	1782.	539
Georgius Colongue, Tolosanus.	1637.	544
Georgius Durandus, Hispanus.	1516.	544
Gaspar Dos Reis, Olissipoensis.		541
Gavinus Catayna, Sardus.	1676.	542
Gaudentius Robertus de Parma, Italus.	1695.	542
Genesius Rosanus, Mediolanensis.	1566.	543
Georgius de Nuvoforo, Coloniensis.	1390.	544
Georgius à Regina Cœlorum.	1660.	545
Georgius *Regnart*, Nannetensis.	1546.	545
Georgius Riplaius, Anglus.	1490.	545
Georgius Seraphinus, Lucensis.	1647.	547
Georgius Sebenicensis, Dalmata.	1676.	547
Georgius Vercellonius, Mediolanensis.	1709.	547
GERARDUS DE BONONIA, Italus.	1317.	548
Gerardus *de Castris*, Moguntinus.	1470.	550
Gerardus *ab Edam*, Batavus Halemensis.	1470.	551
Gerardus *Fayus* aut *Snyus*, Tolosanus.	1632.	551
Gerardus *Formau* vel Formæus, Attrebatensis.	1648.	552
Gerardus *Gerardi*, Antuerpiensis.	1632.	552
Gerardus *de Gisors*, Parisiensis.	1498.	553
Gerardus à Jesu Maria, Hispanus.	1649.	553
Gerardus *Emerac* à S. Joseph.	1625.	553
Gerardus *à Nazareth*, Galilæus.	1150.	554
Gerardus Terlinchus, Belga.	1500.	555
Germanus *Nepos*, Taurinensis.	1610.	556
Georgius *Petri*, Mechliniensis.	1613.	559
Giesulda *Giani Estrozzi*, Maria à S. Joseph, Florentina.	1716.	560

Gigus

G.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
Gigus de Francis, vel *Ugo de Prato*, Gallus.	1467.	561
Gilbertus *Crabe*, Scotus.	1521.	561
Gilbertus Deidonatus, Scotus.	1361.	561
Gilbertus, Norvicensis.	1270.	561
Gilbertus Urgalius, Hiberous.	1330.	561
Gislenus *Lucas*, Attrebatensis.	1644.	562
Gobelinus, Alemannus.	1303.	563
Godefridus *Candelarius*, Aquigranus.	1499.	564
Godefridus Cornubiensis, Anglus.	1340.	564
Godefridus *Greveray*, Belga Geldriensis.	1504.	565
Godefridus *Lor* aut *de Loe*, Mechliniensis.	1469.	565
Godeicalcus à Colonia, Germanus.	1373.	566
Gomesius, Hispanus.	1404.	567
Gotwinus Hœux seu Hexius, Ulissingensis.	1475.	567
Gratianus à S. Elia, Belga.	1666.	568
Grattanus de Villa Nova, Bilbilitanus.	1497.	569
Gregorius Albertus Varaje, Hispa. Valentinus.	1658.	570
GREGORIUS CANALIUS, Venetus.	1631.	571
Gregorius Candel, Hispanus.	1654.	571
Gregorius *Canonne* à S. Martino, Valencennensis.	1685.	574
Gregorius de Sebenico, Dalmata.	1665.	577
Gregorius Spinola, Italus.	1470.	577
Gualardus de Rupe, Tolosanus.	1469.	577
Gualterus Dissæus, Anglus Nurfolcensis.	1404.	578
Gualterus Heftonius, Anglus Lincolnensis.	1357.	579
Gualterus, Huntus, seu Venantius.	1478.	579
Gualterus Kellavus, Anglus Eboracensis.	1367.	581
Guido, Sodalis	1318.	581
GUIDO TERRENA, Perpinianensis.	1342.	581
Guido, Teutonicus.	1460.	588
Guillelmus Aleoconiensis, Neustrius.	1306.	858
Guillelmus *Badbius*, Anglus.	1380.	859
Guillelmus *Baguet*, Armoricus Nannetensis.	1615.	859
Guillelmus *Beckley*, Anglus.	1438.	590
Girolama *Costabile*, Neapolitana.	1733.	590
Gregorius *Aver* à S. Laurentio, Germanus.	1689.	590
Gregorius *Mustel*, Germanus.	1512.	591
Guillelmus *Bewfu*, Northamptoniensis.	1390.	591
Guillelmus *Byetre*, Norfolcensis.	1493.	591
Guillelmus *Blakeney*, Norfolcensis.	1490.	592
Guillelmus *Binhamus*, Anglus.	1381.	592
Guillelmus Califordius, Anglus Linnensis.	1380.	593
Guillelmus *Champchevrieux*, Gallus Aurelianensis.	1631.	594
Guillelmus *Chauffardi*, Gallus Rupellensis.	1411.	596
Guillelmus de S. Fide, Nurwicensis.	1372.	597
Guillelmus *De Fourbi*, Sabaudus Maurianensis.	1558.	698
Guillelmus *Gouloy*, Andegavensis.	1534.	698
Guillelmus *de Gabanrorio*, Tolosanus.	1490.	599
Guillelmus *Gregorius*, Scotus.	1527.	599
Guillelmus Genæus, seu *Viretus*, Anglus.	1470.	600
Guillelmus *Guerchois*, Rhedonensis.	1618.	600
Guillelmus *Quesnel*, Nannetensis.	1516.	600
Guillelmus Hanabergus, Anglus Londinensis.	1191.	601
Guillelmus Harficus, Anglus Burnhamiensis.	1410.	602
Guillelmus *de Hilderaiffe*, Antuerpiensis.	1411.	602
Guillelmus Lidlingtonus, Lincolniensis.	1310.	603
Guillelmus Lincolnius, Anglus.	1360.	603
Guillelmus Lubbenhamus, Anglus Conventriensis.	1361.	604
Guillelmus-Olivarius Gaudaire, Armoricus Ploermelensis.	1611.	604
Guillelmus *Pogham*, Cantuariensis.	1280.	605
Guillelmus *Poavel*, à S. Paulo.	1349.	605
Guillelmus *Quaplod*, Hibernus.	1381.	606
Guillelmus *Radinges*, Anglus Rathoniensis.	1312.	607
Guillelmus Sadacensis.	1378.	607
Guillelmus *de Sanvico*, Anglus Cantianus.	1291.	608
Guillelmus *de Sanvillaco*, Tolosanus.	1348.	613
Guillelmus Scubltingius, Coloniensis.	1637.	614
Guillelmus Staphilartus, Anglus Cantianus.	1456.	614
Guillelmus Starnefeldius, Cantianus.	1390.	615
Guillelmus Surfletus, Anglus Lincolniensis.	1466.	615
Guillelmus *Viretus*, Anglus.	1470.	615
Guillelmus *Wert*, Germanus Aquisgranensis.	1518.	616
Gundisalvus Munocius *Adalid*, Boeticus.	1619.	616
Gundisalvus *Ramirez*, Hispanus	1572.	617

H.

	An.	Pag.
HANNIBALDUS, Parisiensis.	1450.	617
Hardemannus de Wormatia, Germanus.	1473.	617
Heliodorus *Oldroandus*, Cremonensis.	1508.	617
Heliodorus *Sericus*, Drepanitanus.	1613.	618
Henricus de Andernaco, Teutonicus.	1390.	618
Henricus Angelus, Coloniensis.	1518.	618
Henricus de Aquila, Germanus.	1333.	619
Henricus *de Bergamo*, Longobardus.	1470.	620
Henricus *Bohic* aut *Bagch*, Germanus.	1360.	620
Henricus *de Brommelsheim*, Germanus.	1473.	621
Henricus *Bock*, Coloniensis.	1443.	621
Henricus *de Colonia*, Ubius.	1310.	622
Henricus *Dolendorpius*, Germanus.	1357.	623
Henricus *de Gorichen*, Coloniensis.	1460.	623
Henricus *de Hanna*, Anglus Norwicensis.	1299.	623
Henricus *de Hessa*, seu *Hosta*, Germanus.	1388.	624
Henricus *Hulst*, vel *Huzotz*, Belga.	1500.	625
Henricus à *S. Ignatio*, Belga Athensis.	1720.	625
Henricus Marienawensis, Saxo.	1473.	627
Henricus de Monte Thabor, Boppardiensis.	1415.	617
Henricus à Monte Carmelo, Ubius Coloniensis.	1668.	627
Henricus *Parcker*, Anglus Doncastriensis.	1470.	628
Henricus *Potin*, Rothomagensis.	1502.	628
Henricus Salart, Podiensis.	1659.	629
HENRICUS SILVIUS, Astensis.	1612.	629
Henricus Wichynghamus, Norwicensis.	1447.	631
Hermannus Mestorez, Coloniensis.	1489.	633
Hermannus Boye aut Boyc, Armoricus Leonensis.	1450.	634
Hieronimus Aleotus, Mediolanensis.	1590.	634
Hieronymus de Andrada, Hispanus.	1633.	635
HIERONYMUS ARI, Pedemontanus Astensis.	1667.	635
Hieronymus *Aymo*, Taurinensis.	1673.	636
Hieronymus Hermas *Bolsec*, Parisiensis in fide instabilis.	1581.	637
Hieronymus *de Britto*, Ulissiponensis.	1583.	639
Hieronymus Caruba, Siculus Pulitiensis.	1676.	640
Hieronymus de Casas, Cæsaraugustanus.	1456.	640
Hieronymus de Catania, Siculus.	1593.	641
Hieronymus *Domin*, Hispanus.	1650.	642
Hieronymus Gagliardus, Siculus, Narensis.	1590.	644
Hieronymus Ilapus, Neapolitanus.	1556.	652
Hieronymus, Mediolanensis.	1498.	652
Hieronymus-Michael Carmelus, *Trinitarius*.	1322.	653
Hieronymus *de Ochon*, Catalanus.	1410.	653
Hieronymus *Painellus*, Mantuanus.	1559.	654
Hieronymus *Pancorvo*, Hispanus Giennensis.	1643.	654
Hieronymus *Salvay*, Pedemontanus Astensis.	1629.	655
Hieronymus *Stella*, Genuensis.	1454.	655
Hilarius à S. Augustino, (*Arras*) Castellanus.	1653.	660
Honoratus à S. Maria, (*Vouzelle*) Lemovicensis.	1729.	661
Horatius Salicinus, Ferrariensis.	1582.	665
Hortensius-Maria *Mori*, de Parma.	1702.	666
Humbertus à *Costa*, Lugdunensis.	1480.	666
Humbertus Leonardus, Leodiensis.	1472.	666
Humbertus à Virgine, Gallus Andinus.	1686.	668
Hugo à S. Francisco, Andegavensis.	1667.	669
Hugo de S. Neoto, Anglus.	1340.	670
Hugo, Parisiensis.	1420.	670
Hugo *Salvene*, aut *Salart*, Podiensis.	1660.	670
Hugo, Scotus.	1341.	671
Hugo *de Verneco*, Narbonensis.	1340.	672
Hugo Virleius, Anglus Norwicensis.	1344.	671
Hugo Durand, Burgundus.	1576.	668
Hunfredus Nectonus, Anglus Norfolcensis.	1159.	673
Hyacinthus à Cruce (*Chaussé*), Turonensis.	1710.	674
Hyacinthus Duratzius, Polonus.	1612.	674
Hyacinthus à Sancto Joanne-Baptista (*Petit*), Trevirensis.	1728.	675

J.

	An.	Pag.
JACOBUS à S. Antonio (*Olimaert*) Bruxellensis.	1703.	676
Jacobus *Alberti*, Thuscus.	1426.	676
Jacobus à Brugis, *Masius* Flamingus.	1314.	679
Jacobus Calcus, Italus Laudensis.	1533.	679
Jacobus *Carreras*, Arago.	1716.	681
Jacobus *Cuperus* de Walbech, Belga.	1585.	681
Jacobus *Emans*, Coloniensis.	1666.	681
Jacobus Ferrarius de Regio, Italus.	1465.	688
Jacobus *de Gavio*, Genuensis.	1618.	689
Jacobus à Leocato (*la Lomia*), Siculus.	1596.	690
Jacobus *Maistret*, Burgundus Juliacensis.	1615.	691
Jacobus *Milendonck*, Germanus.	1677.	693
Jacobus de Pelagatis, Ferrariensis.	1463.	693
Jacobus Philippus, Germanus.	1495.	694
Jacobus à Passione Domini (*Waer Seyger*), Lovaniensis.	1726.	694

J.

	Floruit An.	Leguntur Pag.
Jecobus *Puteobonellus*, Mediolanenfis.	1475.	695
Jacobus *Rampont*, Lotharingus Metenfis.	1615.	696
Jacabus *Reimolanus*, Gandavenfis.	1508.	696
Jacabus *de Regio*, Iesius	1465.	698
Jacabus *de Somma-Villa*, Belga.	1501.	698
Jacobus *Vally*, Attrebatenfis.	1600.	698
Jacobus de Venetiis, Italus	1345.	698
Jacobus *de Vernant*, Armoricus Nannetenfis.	1652.	699
Jacobus *Wemmers*, Antuerpienfis.	1645.	703
Jacobus *Vilethi*, Avenionenfis.	1444	704
Jaimus *Mansagnes*, Arago.	1569.	705
Januarius Milone.	1708.	705
Jefualdus Guarnerius, Siculus Catanenfis.	1649.	705
Ignatius Bagnati, Neapolitanus.	1716.	706
Ignatius à S. Francifco, Leodienfis (Abraham.)	1668.	706
Ignatius à S. Petro, Leodienfis.	1684.	710
Innocentius Baldus, Bononienfis.	1595.	713
Innocenza della SS. Incarnatione, (Barberini), Florentina.	1666.	714
Juanna de Rhegio, Itala.	1491.	717
Joannes *Ægidius*, Gallus, vel Joannes *Elinus* Anglus.	1379.	719
Joannes *Alcaide*, Hifpanus.	1616.	719
Joannes Aldenburgus, Flander.	1556.	719
Joannes *de Abumada Menduza*, Hifpanus.	1643.	719
JOANNES DE ALEXIO.	1341.	720
Joannes Alphonfus Solis, Salmanticenfis.	1641.	724
Joannes Anaftafius de Arana, Pampilonenfis.	1663.	725
Joannes Andreas Secabos, vel Serabonus, Veronenfis.	1490.	726
Joannes à S. Angelo, Matritenfis.	1720.	727
Joannes Angelus, Brixienfis.	1640.	728
Joannes, à S. Anna, Lufitanus.	1521.	728
Joannes Antonius *Bovius*, Novarienfis.	1612.	729
Joannes Antonius *Darius*, Neapolitanus.	1569.	731
Joannes Antonius *Fioritus*, Lucenfis.	1670.	732
Joannes Antonius *Guiffanus*, Longobardus.	1631.	732
Joannes Antonius *Paucerius*, Mediolanenfis.	1710.	732
Joannes Antonius *Perrotus*, Italus Dolianenfis.	1621.	733
JOANNES ANTONIUS PHILIPPINUS, Romanus.	1657.	733
Joannes de Aqua Veteri, (Oudewater), Mechlinienfis.	1404.	736
Joannes de Aquis, Catalanus.	1390.	737
Joannes de Arenis, (Bornelius), Batavus.	1549.	737
Joannes de Arundine, (*Vanriede*), Brugenfis.	1497.	738
Joannes Auguftinus à S. Terefia, (Welfinginus) Germanus.	1662.	742
Joannes Avonius, Anglus.	1350.	742
Joannes de Bacone, Anglus.	1346.	743
Joannes Balæus, Anglus Sudovilgius, Apoftata.	1553.	753
JOANNES BALLISTARIUS, Majoricenfis.	1384.	759
Joannes Bamptonus, Cantabrigenfis.	1341.	761
Joan. Bapt. *Aptense*, Pedemontanus.	1674.	762
JOANNES BAPTISTA CASPARDUS, Senenfis.	1591.	763
Joan. Bapt de *Cathaneis*, Venetus.	1532.	767
Joan. Bapt. Charmea, Aquitanus.	1752.	767
Joan. Bap. *Ciron* vel *Siron*, Albienfis.	17	769
Joan. Bapt. *Duratius*, Genuenfis.	1612.	769
Joan. Bapt. à S. Euphrofyna, (*Ari*), Taurinenfis.	1688.	769
Joan. Bapt. *Furmantus*, Mediolanenfis.	1585.	769
Joan. Bapt. *Gutlion*, Claromontenfis.	1687.	770
Joan. Bapt. Ferlius, Panormitanus.	1591.	771
Joan Bapt. Granellus, Mantuanus.	1550.	771
Joan. Bapt. Guargantus fenior, Socinas.	1574.	772
Joan. Bapt. de Lezana, Matritenfis.	1659.	772
Joan. Bapt. Magnetus, Vercellenfis.	1612.	779
Joannes-Maria Blancus, Vercellenfis.	1590.	779
Joan. Bapt. Mannus, Drepanitanus.	1646.	779
JOANNES-BAPTISTA DE RUBEIS. Ravennas.	1577.	781
Joan. Bapt. Sorianus, Neapolitanus.	1582.	787
Joan. Bapt. *Spinola*, Genuenfis.	1606.	688
Joan Bapt. Pifacanus, Neapolitanus.	1650.	788
Joan. Bapt. *Ventajn*, Hifpalenfis.	1699.	788
Joan. Bapt. *de la Faurie*, Burdigalenfis.	1752.	789
Joannes Baratus, Valencannenfis.	1430.	789
Joannes *Barrettus*, Anglus Linnenfis.	1556.	790
Joannes Barninghamus, Anglus.	1438.	791
Joannes *Batus*, Anglus Eboracenfis.	1429.	667
Joannes *Bawr*, Wormatienfis.	1438.	768
Joannes *Beetz*, Brabantinus.	1476.	768

	Floruit An.	Leguntur Pag.
Joannes Bentzenreuterus, Germanus.	1499.	794
Joannes *Berneghem*, Anglus Gippefwicenfis.	1430.	795
Joonnes *Belhure*, Gallus Rupelienfis.	1400.	795
Joannes a S. Bernardo, Germanus.	1666.	795
Joannes Bettus Armoricus, Morlæus.	1291.	796
Joannes Baftonus, Anglus Linnenfis.	1418.	796
Jonnes Baverlaius, Anglus.	1390.	797
Joannes *le Blanc*, Cadurcenfis.	1677.	797
Joannes Bloxamus, Anglus Ceftrenfis.	1334.	797
Joannes *Benet*, Catalanus.	1664.	775
Joannes Botrellus, Anglus.	1409.	775
Joannes *Baueffel*, Armoricus Redonenfis.	1545.	775
Joannes *Caurdon*, Toronenfis.	1559.	775
Joannes *Bourgoin*, Gallus Rhemenfis.	1651.	775
Joannes *Brammaert*, Latinè Brammatius.	1407.	800
Joannes *Brifelot*, Valencennenfis.	1510.	801
Joannes *de Bruyne*, Latinè Brunius Bruxellenfis.	1450.	804
Joannes *Buc*, Avenionenfis.	1335.	805
Joannes *Byrdus*.	1556.	806
Joannes *Campen*, Frifius.	1404.	807
Joannes *de Campolongo*, Perpiniacenfis.	1421.	807
Joannes *Campfcenus* feu *Camfcon*, Anglus.	1341.	808
Joannes Carthenius feu *Cartigny*, Belga.	1580.	808
Joannes *Cenfier*, Gallus Andegavenfis.	1518.	809
Joannes *Chelmefton*, Anglus Eboracenfis.	1300.	809
Joannes Cherecatus, Italus Vicentinus.	1566.	810
Joannes Cheron, Burdigalenfis.	1671.	811
Joannes de Ciminero, Metenfis.	1340.	813
Joannes Creftonus, Placentinus.	1494.	814
Joannes de Jefu Chrifto, (Labadie) Aquitanus.	1649.	815
Joannes de Claravo feu de Claravalle, Catalanus.	1340.	815
Joannes Clipftonus, Anglus, Northinghamus.	1378.	826
Joannes Colleyus, Anglus Doncaftrenfis.	1440.	827
Joannes de Condero, Belga Hanno.	1379.	827
Joannes Confobrinus vel Sobrinho, Lufitanus.	1475.	827
Joannes de la Court, Antuerpienfis.	1621.	829
Joannes Crifleyus, Anglus.	1450.	829
Joannes à S. Mathia, (*Yepez*), *S. Joannes à Cruce*.	1558.	619
Joannes Cuiffot, Gallus Borbonius.	1677.	833
Joannes Currifex, Germanus Spirenfis.	1510.	834
Joanes Demophylax, Belga Gandavenfis.	1528.	834
Joannes de Deo, Majoricenfis.	1474.	834
Joannes Dominicus Luchefius, Lucenfis.	1733.	835
Joannes Dufseldorpius, (*Fruag.*) Moguntinus.	1494.	836
Joannes de S. Fadmundo, Anglus.	1350.	836
Joannes de Eboraco, Anglus.	1390.	836
Joannes Elinus vel Joannes Ægidius, Anglus.	1379.	836
Joannes Emmanuel, Lufitanus.	1477.	837
Joannes Endererius, Germanus.	1450.	838
JOANNES FACI, Avenionenfis.	1464.	839
JOANNES FEYXOO DE VILLALOBOS, Toletanus.	1702.	840
Joannes *de S. Fide*, Anglus Norfordienfis.	1359.	845
Joannes *de Florentin*, vel *de Praga*.	1435.	846
Joannes *de Las Roelas*, Hifpalenfis.	1632.	846
Joannes *Folfhamus*, aliàs *Joltahan*, Anglus.	1348.	847
Joannes *Frieng*, Moguntinus.	1494.	848
Joannes Fuft aliàs Fuftiginus, aliàs		
Joannes Fuyftigni, Fuytgni, aliàs		
Joannes Fuftgin Germanus, aliàs		
Joannes de Crutzennacho, Spanhemenfis.	1374.	848
Joannes Gawer, aliàs Ganwer aliàs		
Joannes Gantuer, Gutwer, aliàs		
Joannes Grauver, Teutonicus, Moguntinus.	1438.	849
Joannes *Gees* feu *Geeffe*, Latinè Geeffus, Anglus.	1425.	849
Joannes *Oeelvelde*, aut potius		850
Joannes *Vanheet-Velde*, Latinè *à Calido Campo*, Brabantinus.	1513.	
Joannes *Gerbrandus* de Leydis, Batavus.	1504.	850
Joannes a *Ghela*, Brabantinus, aliàs		851
Joannes *Maierus*, Thenenfis.	1580.	
Joannes *Gluel*, Aquifgranenfis.	1399.	853
Joannes Goldeftonus, Anglus Eboracenfis.	1320.	853
Joannes *Golein*, vel *Golam*, vel *Halim*, Neuftrius.	1403.	854
Joannes de *Gouda*, Haffius.	1480.	857
Joannes Graverius, aliàs *Bawr*, Vormatienfis.	1438.	857
Joannes *Graftotius*, feu Craftonus Florentinus.	1499.	857
JOANNES GROSSI, Tolofanus.	1437.	858
Joannes *Guldener*, Colonienfis.	1340.	859
Joannes *Gutierez de la Madalena*, Toletanus.	1579.	760

INDEX ALPHABETICUS

NOMINUM ET COGNOMINUM

EXCALCEATORUM CARMELITARUM

Quorum fit mentio in priore Tomo BIBLIOTHECÆ CARMELITANÆ.

A.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
AGATANGELUS à Jesu Maria, Genuensis.	1641.	10
Agatangelus à S. Teresia, Polonus.	1671.	11
Agnes à Jeso, Hispana.	1610.	11
Albertus *Mercter*, à S. Jacobo, Burgundus.	1673.	24
Albertus à Jesu Maria, Gallus Juliodunensis.	1649.	24
Alexander à Conceptione, Polonus.	1685.	18
Alexander *Ubaldinus*, à S. Francisco, Romanus.	1630.	18
Alexander *Vallota*, à S. Francisco, Mediolanensis.	1716.	29
Alexander à Jesu Maria, Polonus.	1679.	30
Alexius à Sancto Alberto, Genuensis.	1715.	33
Alexius *Labaras*, à S. Maria, Pedemontanus.	1723.	34
Alexius à Passione, Italus Tudertinus.	1674.	35
Alexius à Spiritu Sancto, Neapolitanus.	1664.	36
Aloisius Magalotti, à S. Joseph, Florentinus.	1869.	36
Alphonsus *Tamarit*, à S. Alberto, Hispanus.	1631.	42
Alphonsus ab Angelis, Hispanus.	1714.	43
Alphonsus à Conceptione, Hispanus.	1675.	44
Alphonsus à S. Hieronymo, Hispanus.	1669.	44
Alphonsus à S. Hilarione, Hispanus.	1641.	45
Alphonsus à Jesu Maria, Hispanus.	1638.	45
Alphonsus *Litta* à S. Augustino, Mediolanensis.	1718.	46
Alphonsus *Martinez* à Matre Dei, Hispanus.	1636.	47
Alphonsus à Matre Dei, Cremonensis.	1631.	47
Amantius à S. Rosa, Neapolitanus.	1623.	59
Amabilis *Fournier*, à S. Joseph, Tollensis.	1727.	59
Ambrosius *Salarius*, à S. Barbara, Mediolanensis.	1710.	61
Ambrosius Marianus, à S. Benedicto, Neapolitanus.	1594.	61
Anastasius à S. Teresia, Hispanus Malacitanus.	1728.	67
Andreas Lao, à Cruce, Siculus Catanensis.	1651.	79
Andreas ab Epiphania, Hispanus Cordubensis.	1701.	80
Andreas Fesulanus, à S. Teresia, Polonus.	1651.	81
Andreas à S. Gabriele, Belga	1668.	82
Andreas *Costagatus*, à S. Gregorio.	1659.	83
Andreas *Brzechffa*, à Jesu, Polonus.	1640.	83
Andreas à Jesu, Hispanus Granatensis.	1653.	84
Andreas *de Palafox*, à Jesu, Hispanus.	1701.	85
Andreas à S. Joanne-Baptista, Hispanus.	1650.	85
Andreas à Matre Dei, Hispanus.	1640.	91
Andreas à S. Michaele, Angelopolitanus.	1644.	91
Andreas à S. Teresia, Germanus.	1667.	98
Andreas à S. Teresia, Lusitanus.	1715.	98
Angelica *Guadagna*, Maria à Jesu, Florentina.	1643.	103
Angelus ab Annuntiatione, Belga Namurcensis.	1651.	104
Angelus aus Archangelus, à Rocca à S. Josepho, Italus.	1653.	104
Angelus à S. Gabriele, Hispanus Pastranus.	1571.	111
Angelus de Socino à Jesu Maria, Mediolanensis.	1625.	113
Angelus *Stampa* à Jesu Maria, Mediolanensis.	1635.	114
Angelus à S. Josepho, Germanus.	1642.	114
Angelus *la Brosse*, à S. Josepho, Tolosanus.	1697.	115
Angelus *Pantaleo Masar* à S. Josepho, Ligur.	1642.	117
Angelus *Cavinignanus* Maria, à Resurrectione, Panormitanus.	1672.	117
Angelus à S. Paulo, Hispanus.	1591.	122
Angelus à Præsentatione, Hispanus Granatensis.	1491.	123
Angelus à Purificatione, Hispanus Pastranus.	1591.	123
Angelus à S. Teresia, Polonus.	1689.	128
Angelus Benedictus, à S. Vincentio, Siculus.	1725.	128
Anna *Girault* ab Angelis, Parisina.	1664.	129
Anna *Peruxa* à S. Augustino, Vallisoletana.	1624.	129
Anna *Garcia* à S. Bartholomeo, Abulensis.	1626.	130
Anna Geltruda *Contera de Magistris*, Romana.	1714.	132
Anna *de Lobera* à Jesu, Hispana Methymnensis.	1621.	132
Anna *de Herera Menesez* à Jesu, Hispana.	1569.	134
Anna à SS. Sacramento, Burgunda Divionensis.	1638.	135
Anna *Centurio*, Maria à S. Teresia, Genuensis.	1654.	135
Anonyma, Hispana.	1610.	136
Anonyma Lusitana, Ulyssiponensis.	1631.	136
Anonymus Siculus, in Judaismum prolapsus.	1690.	140
Anonymus Ubius, sive Coloniensis.	1648.	158
Anselmus à S. Maria, Anglus.	1652.	163
Antonius à Conceptione, Hispanus Granatensis.		166
Antonius à Cruce, Hispanus Barcinonensis	1595.	166
Antonius à S. Dorothea, Boeticus.	1700.	167
Antonius ab Expectatione, Ulyssiponensis.	1719.	167
Antonius *ab Heredia* à Jeso, Hispanus Requensis.	1568.	170
Antonius à Jesu, Hispanus Valentinus.	1594.	172
Antonius à Jeso, Belga.	1637.	172
Antonius à Jesu, Lusitanus.	1648.	172
Antonius à Jesu, Hispanus Guadalaxaranus.	1698.	172
Antonius à Jesu Maria, Hispanus.	1644.	172
Antonius à Jesu Maria, Boeticus.	1646.	172
Antonius à Jesu Maria, Castellanus.	1680.	172
Antonius à Jesu Maria, Matritensis.	1670.	171
Antonius à Jesu Maria, Hispalensis.	1665.	173
Antonius ab Incarnatione, Hispanus Antiquarensis.	1683.	173
Antonius à S. Joanne-Baptista, Hispanus Burgensis.	1699.	173
Antonius à S. Maria, Castellanus.	1608.	175
Antonius à Matre Dei, Catalanus.	1618.	182
Antonius à S. Matthia, Celtiber.	1619.	182
Antonius à S. Nicolao, Neapolitanus.	1719.	183
Antonius à S. Spiritu, Lusitanus.	1677.	188
Antonius à S. Vincentio, Italus.	16 9.	190
Antonius-Franciscus à S. Jacobo, Papiensis.	1695.	190
Apollinaris à S. Cajetano, Neapolitanus.	1703.	191
Archangelus à S. Josepho, Genuensis.	1708.	196
Arnoldus à Jesu Maria, Polonus.	1681.	202
Arnoldus à SS. Petro & Paulo, Mediolanensis.	1722.	202
Arsenius à S. Antonio, Sabinus.	1703.	202
Arsenius à Præsentatione, Calaber.	1661.	202
Aspalamensis anonymus, fortè Dimas à Cruce.	1690.	202
Augustinus à Jesu Maria, Vallisoletanus.	1677.	204
Augustinus à S. Joseph, Boeticus.	1711.	204
Augustinus ab omnibus Sanctis, Italus.	1698.	206
Augustinus à Regibus, Hispanus.	1596.	206
Augustinus à Sanctis, Calaber.	1656.	207
Augustinus à S. Teresia.	1670.	207

B.

	An.	Pag.
BALTHAZAR à S. Catharina Senensi, Bononiensis.	1673.	211
Balthazar *Nieto* à Jesu, Estramadurensis.	1571.	211
Barnabas à S. Maria, Italus.	1705.	240
Bartholomæus ab Ascensione, Castellanus.	1714.	241
Bartholomæus *Sanchez* à S. Basilio, Carazenus.	1618.	241
Bartholomæus Maria à S. Carolo (*Bascias*), Mediolanensis.	1714.	243
Bartholomæus à Matre Dei (*De la Hoye*), Parisinus.	1611.	244
Bartholomæus à S. Philippo, Longobardus.	1636.	249
Bartholomæus à S. Teresia, Montalegrensis.	1722.	251
Basilius à S. Francisco, Lusitanus.	1654.	256
Basilius *Lefevre* à S. Lodovico, Italus Laudensis.	1714.	258
Bassianus à S. Francisco, Italus Laudensis.	1714.	259
Beatrix à Conceptione (*Dez Uniga Bejar*), Hispana.	1646.	160
Beda à S. Simone Stok (*Travers*), Exoniensis.	1696.	161
Benedictus à Jesu Christo (*Castellus*) Mediolanensis.	1638.	163
Benedictus à S. Ludovico, (*Gravelle*), Gallus Crepiacensis.	1661.	164
Benedictus Maria à Jesu Christo, Papiensis.	1666.	165
Benedictus à S. Martino, (*Martin*,) Divionensis.	1636.	165
Bernardina à Jesu (*Martinez*) Hispana Veacensis.	1616.	166

INDEX ALPHABETICUS.

B.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
Bernardinus à S. Angelo, Neapolitanus.	1722.	267
Bernardus à S. Catharina, Neapolitanus.	1713.	273
Bernardus à S. Clemente, Gallus Picardus.	1694.	273
Bernardus à S. Joseph (*Guerdon de Genouillac*) Burdigalensis.	1649.	273
Bernardus à Matre Dei, Complutensis.	1622.	276
Bernardus Maria de Jesu, Syracusanus.	1696.	276
Bernardus à S. Onuphrio (*Costagura*) Genuensis.	1652.	282
Bernardus à Regibus (*De Lape*), Siculus.	1690.	283
Blasius à S. Alberto, Toletanus.	1636.	292
Blasius ab Assumptione, Vasco.	1725.	293
Blasius à Conceptione, (*Bertrand Riquet*), Carnotensis.	1694.	293
Blasius à Purificatione, Romanus.	1705.	295
Bonaventura à S. Amabili, Burdigalensis.	1691.	296
Bonaventura à Matre Dei, Hispanus.	1630.	296
Bruno à S. Teresia, Sequano-Burgundus.	1658.	303
Bruno à S. Yvone (*D'Alam*), Crisopitensis.	1662.	303
Bussianus à S. Francisco, Laudensis.	1714.	305

C.

	An.	Pag.
CŒCILIA à Nativitate (*Sobrino*), Vallisoletana.	1646.	304
Cœlestinus à S. Liduvina, (*Golius*), Batavus.	1671.	385
Cæsarius Bonaventura, (*Bertius*) Batavus.	1662.	306
Cæsarius à S. Paula, Aquitanus Savagnaciensis.	1718.	307
Cæsarius à SS. Sacramento, Lotharingus.	1688.	307
Carolus-Aloisius à S. Alexio, Laudensis.	1699.	311
Carolus ab Assumptione, (*De Brias*), Belga.	1686.	311
Carolus (*Michaëlis Bebulci*) à S. Michaele, Mediolanensis.	1719.	315
Casilda à S. Angelo, Hispana Burgensis.	1592.	318
Casimirus à S. Dominico, Tranensis.	1670.	318
Casimirus à Leodiensis.	1720.	319
Cassianus à S. Elia (*Paravicinus*), Mediolanensis.	1670.	319
Catharina de Cardona, Neapolitana.	1577.	320
Catherina à Christo (*De Balmaseda*) Castellana.	1594.	320
Catharina à Christo, Hispana Abulensis.	1646.	320
Catharina à Jesu (*Sanchez de Sandoval*), Hispana.	1586.	321
Catharina à Jesu (*De Nicolas Lequen*), Burdigalensis.	1619.	322
Cherubinus à S. Joseph (*De Baria*), Lemovicensis.	1725.	324
Cherubinus à S. Maria (*De Veanes*), Gallus.	1648.	330
Christophorus à Jesu, Hispanus Giennensis.	1625.	334
Christophorus à S. Joseph, Burgensis.	1711.	334
Christophorus à Purificatione, Cantaber.	1620.	340
Claudius à Jesu, idem atque Philippus à Catharina Sancta, Sequano-Burgundus.	1630.	345
Clemens à S. Martino, Tutellensis.	1631.	347
Complutense Collegium.	1677.	349
Cosmas Maria à S. Hyacintho, Genuensis.	1631.	353
Cyprianus à S. Maria, (*Du Plouy*), Belga.	1653.	354
Cyprianus à Nativitate (*De Compans*) Parisinus.	1680.	355
Cyrillus à S. Francisco, Polonus.	1696.	363
Cyrillus à S. Maria (*Santarchangelus Crippa*), Mediolanensis.	1733.	365
Cyrillus à Passione (*De Laurens*), Castellodunensis.	1689.	366

D.

	An.	Pag.
DIDACUS à Conceptione, Hispanus Caravacensis.	1596.	388
Didacus à S. Jacobo, Bæticus Tuccitanus.	1725.	389
Didacus à Jesu *Sablanca*, Granatensis.	1621.	389
Didacus à Jesu Maria, Hispanus.	1665.	390
Didacus ab Incarnatione *Montagnez*, Hispanus.	1694.	390
Didacus ab Incarnatione, Castellanus.	1617.	391
Didacus ab Incarnatione, Hispanus Valderanus.	1624.	391
Didacus à S. Joseph, Hispanus Pincianus.	1621.	391
Didacus à S. Joseph, Complutensis.	1655.	391
Didacus à Præsentatione, Toletanus.	1660.	394
Dimas à Cruce *Tonellus*, Tuscus.	1639.	396
Dionysius à S. Andrea *Rizza*, Siculus.	1670.	397
Dionysius à Cruce, Hispanus.	1655.	398
Dionysius à S. Francisco, Belga.	1656.	398
Dionysius à S. Maria, Trevirensis.	1634.	400
Dionysius à Matre Dei, *De la Salagourde*, Aquitanus.	1622.	400
Dionysius à Nativitate, *Berthelot*, Neustrius.	1638.	401
Dominicus à S. Gabriele, Delphinas.	1674.	419
Dominicus à Jesu *Vigier*, Arvernus Auriliacensis.	1638.	419
Dominicus à Jesu Maria, *Ruzzola*, Tarraconensis.	1630.	413
Dominicus à Jesu Maria, *Romannelli*, Tarentinus.	1678.	414
Dominicus à Matre Dei, Hispanus.	1638.	415
Dominicus à S. Nicolao, (*Boch*), Belga.	1654.	417
Dominicus à Præsentatione, Hispanus.	1600.	417
Dominicus à S. Teresia, Castellanus.	1654.	419
Dominicus à SS. Trinitate, *Tandy*, Nivernensis.	1687.	420
Dositheus à S. Alexio, *Briard*, Parisinus.	1727.	422
Dositheus ab Angelis, *Bozzus*, Mediolanensis.	1640.	423

E.

	An.	Pag.
ELEAZARUS à S. Delphina, Arausicanus.	1694.	428
Eleonora à S. Bernardo, *Corbaria*, Leodiensis.	1639.	429
Elias à Cruce, Picardus.	1637.	432
Elias à Jesu, *Bretsher*, Anglus.	1652.	432
Elias à Jesu, *Casahate*, Turiasonensis.	1590.	433
Elias à S. Joan. Bapt. Mexicanus.	1605.	433
Elias à S. Martino, Gallus Illanensis.	1614.	434
Elias à S. Teresia, *Wils*, Antuerpiensis.	1640.	435
Elisæus à S. Bernardo, *Picolomineus*, Gallus.	1669.	436
Elisæus à S Joan. Bapt. Hispanus.	1701.	437
Elisæus à S. Joseph, Genuensis.	1629.	437
Elisæus à S. Maria, Polonus.	1652.	438
Elisæus à S. Michaele, *Peadewich*, Scotus.	1650.	438
Elisæus à S. Michaele, Lotharingus.	1660.	438
Elisæus à S. Paulino, Germanus.	1708.	440
Elisæus à S. Rosalia, *Rizza*, Panormitanus.	1706.	440
Emilianus à S. Joseph, Neapolitanus.	1670.	443
Emmanuel à S. Anastasio, Lusitanus.		444
Emmanuel à S. Bonaventura, Burgensis.	1710.	444
Emmanuel à Cruce, *Cellot*, Parisiensis.	1650.	444
Emmanuel à S. Hieronymo, Granatensis.	1719.	445
Emmanuel à Jesu Maria, *de Ambrosio*, Neapolitanus.	1691.	445
Emmanuel à Jesu Maria, Lusitanus.	1640.	446
Emmanuel à S. Joseph, Salernitanus.	1691.	446
Emmanuel à S. Teresia, Boeticus.	1620	448
Emmanuelle-Marie-Anne *de Aguilar*, Boëtica.	1708.	448
Ernestus a S. Josepho, Leodiensis.	1710.	449
Eugenius à S. Bernado, *à Monte*, Italus.	1655.	449
Eugenius à S. Josepho, Neapolit. Altiliensis.	1657.	450
Eugenius à S. Joseph, Barensis Altermurensis.	1668.	451
Eusebius à S. Ambrosio, Salisburgensis.	1696.	451
Eusebius ab Omnibus Sanctis, Romanus.	1730.	452
Eusebius à Spiritu Sancto, *Blancus*, Mediolan.	1725.	453
Eustachius à Conceptione Avenionensis.	1698.	453
Eustachius à S. Maria, Romanus.	1726.	453
Eustachius Romanus.	1636.	454

F.

	An.	Pag.
FABIANUS à S. Jacobo, Italus, Massensis.	1649.	456
Feliciana - Euphrasina à S. Josepho (à Sanctoro) Calaguritana.	1652.	456
Ferdinandus à Jesu, Hispanus Giennensis.	1644.	469
Ferdinandus à S. Joseph, Boeticus.	1710.	471
Ferdinandus à S. Maria (Martinez) Legionensis.	1631.	471
Ferdinandus à Resurrectione, Boeticus.	1595.	472
Florentius à S. Ægidio, Namurcensis.	1702.	474
Florianus à S. Spiritu, Germanus.	1665.	474
Francisca à SS. Sacramento (*de Binseva*) Pampelon.	1629.	476
Francisca à S. Spiritu, Divionensis.	1630.	477
Francisca à S. Teresia Tralagia, Lemovicensis.	1638.	477
Franciscus à S. Alberto Castellanus.	1718.	477
Franciscus Amedeus à B. Virgine, Pedemontanus.	1661.	477
Franciscus à S. Anna, Mediolanensis.	1640.	478
Franciscus à S. Anna, Salmanticensis.	1707.	478
Franciscus à Cruce, *Velesi*, Neapolitanus.	1668.	487
Franciscus à S. Cyrillo, Olissiponensis.	1637.	488
Franciscus à S. Elia, Legionensis.	1640.	488
Franciscus à S. Elia, Boeticus.	1670.	488

INDEX ALPHABETICUS.

A.

	Floruit An.	Laudatur Pag.
Franciſcus à Jeſu, *Ravaſcherius*, Genuenſis.	1647.	492
Franciſcus à Jeſu Maria, Burgenſis.	1677.	493
Franciſcus à Jeſu Maria, Malacitanus.	1720.	494
Franciſcus ab Incarnatione, Caſtellanus.	1724.	494
Franciſcus à S. Maria *de Pulgar & Sandoval*, Granatenſis.	1649.	502
Franciſcus à S. Maria, *Creſſe*, Pariſinus.	1691.	504
Franciſcus à S. Maria, Caſtellanus.	1676.	504
Franciſcus à Matre Dei, *Ruizi*, Matritenſis.	1616.	506
Franciſcus à Matre Dei, Caſtellanus.	1666.	506
Franciſcus Del Vino Jeſu, *Paſqual*, Toletanus.	1604.	508
Franciſcus à Præſentatione, Hiſpanus.	1695.	511
Franciſcus à Jeſu, *Indignus*, Conchenſis.	1601.	511
Franciſcus à SS. Sacramento, *Gazero*, Caſtellanus.	1608.	512
Franciſcus à SS. Sacramento, *Lacine*, Longobardus.	1653.	513
Franciſcus à S. Syro, Papienſis.	1715.	510
Franciſcus Maria à S. Ambroſio, Florentinus.	1727.	520
Franciſcus-Joſeph à S. Marguarita, Pariſienſis.	1728.	520
Franciſcus à S. Tereſia *de Coſta*, Uliſſiponenſis.	1698.	520
Franciſcus à Virgine Maria, Navarrus Pompeiopolit.	1614.	523
Franciſcus à S. Roſa, *Puteus*, Mediolanenſis.	1733.	525
Fulgentius *Gidonus*, à S. Joſepho, Mediolanenſis.	1685.	527

G.

	An.	Pag.
GABRIEL à S. Angelo, Hiſpanus.	1588.	528
Gabriel ab Aſſumptione, *Buenachilla*, Paſtranus.	1584.	528
Gabriel à Chriſto, Hiſpanus Biatienſis.	1645.	530
Gabriel à Cruce, *Lecomte*, Neuſtrius.	1697.	530
Gabriel à S. Joſeph, Paſtranus.	1690.	531
Gabriel à S. Joſeph, Græcienſis.	1637.	532
Gabriel à Matre Dei, Leonicenſis.	1661.	531
Gabriel à S. Vincentio, Longobardus.	1671.	533
Gaſpar à Jeſu Maria, Caſtellanus.	1609.	536
Gaſpar à S. Joſeph, Catalanus.	1730.	536
Gaſpar à S. Joſeph, Arago.	1598.	536
Gaſpar à S. Maria, Granatenſis.	1630.	537
Gaſpar à Matre Dei, Belga Tornacenſis.	1647.	537
Gaſpar ab Annuntiatione, *Doncker*, Bruxellenſis.	1691.	533
Gaſpar à S. Michaele, Genuenſis.	1654.	537
Gaſpar à S. Nicolao, Genuenſis.	1654.	539
Gaſpar à S. Petro, Granatenſis.	1588.	539
Gaſpar à Reſurrectione, Hiſpanus.	1615.	541
Gaſpar à SS. Sacramento, Lugdunenſis.	1683.	541
Gerardus à Sancto Joſeph, *Emerae*, Delphinas.	1664.	553
Germanus à Nativitate, Antiſſiodorenſis.	1617.	555
Germanus Philalethes Eupiſtinus, Belga.	1674.	556
Germanus à S. Vincentio, *Barbarati*, Panormitanus.	1684.	558
Germanus à S. Vincentio, Longobardus.	1631.	558
Gervaſius à S. Elia, *Bizozerus*, Mediolanenſis.	1696.	558
Geſualdus à S. Andrea, Neapolitanus.	1751.	560
Græcienſis Conventus in Stiria.	1681.	568
Gregorius à S. Franciſco, Hiſpalenſis.	1595.	570
Gregorius à S. Franciſco, Tuſcus.	1668.	573
Gregorius à Jeſu Maria.	1664.	573
Gregorius à S. Joſepho, *Metare*, Seguſianus.	1641.	573
Gregorius Nazianzenus. Hiſpalenſis.	1596.	575
Gregorius Nazianzenus, à S. Baſilio, *Lambertus Borbbonne*, Gallus Campanus.		596
Guillelmus à S. Joſepho, Colonienſis.	1629.	602

H.

	An.	Pag.
HERMANNUS à S. Barbara, Germanus.	1698.	633
Hermannus à S. Norberto, Belga Edamenſis.	1686.	633
Hieronymus à S. Carolo, Otomanus.	1666.	639
Hieronymus à Conceptione, Toletanus.	1663.	641
Hieronymus à Conceptione, Gaditanus.	1690.	641
Hieronymus à Cruce, Biacenſis.	1591.	641
Hieronymus à S. Eliſeo, Hiſpanus.	1600.	643
Hieronymus Euſebius à S. Anna, Ubius.	1643.	644
Hieronymus *Gratianus* à Matre Dei, Caſtellanus.	1614.	645
Hieronymus à S. Hyacintho, *Cyrus*, Polonus.	1647.	650
Hieronymus à S. Joſeph, *Eſquera de Roſas*, Celtiber.	1654.	651
Hieronymus à Matre Dei, Cæſarauguſtanus.	1661.	652
Hieronymus à S. Nicolao, Neapolitanus.	1697.	653
Hieronymus à S. Tereſia, Cremonenſis.	1691.	656
Hilarion à S. Urſula, Hannomontenſis.	1644.	657
Hilarius à S. Anaſtaſio, *Vachet*, Suevus.	1656.	658
Hilarius *Richard*, Neuſtrius.	1590.	660
Honoratus-Joſeph, *Brunet*, Petruſinus.		661
Honorius-ab Aſſumptione, *Guidetti*, Ligur.	1716.	665
Hyacinthus ab Aſſumptione, Delphinas.	1691.	673
Hyacinthus à Cruce, Gallus Bellovacenſis.	1631.	673

J.

	An.	Pag.
JACOBUS ab Aſcenſione, Santonenſis.	1716.	676
Jacobus à Purificatione, *Pruſkonski*, Polonus.	1632.	594
Ignatius à S. Antonio, *de Rebec*, Belga.	1671.	705
Ignatius Joſeph à Jeſu Maria, *Samſon*, Abbavillæus.	1665.	707
Ignatius à S. Joanne, Polonus.	1671.	709
Ignatius à S. Joanne-Evangeliſta, Ruthenus.	1650.	709
Ignatius à Jeſu, Italus.	1652.	707
Ignatius à Matre Dei, Pariſienſis.	1684.	710
Ildefonſus à Jeſu Maria, *Ribera & Sandoval.*	1638.	711
Ignatius *Spinola*, Genuenſis.		711
Innocentius à S. Andrea, Navarrus.	1680.	713
Innocentius à S. Vincentio, Mediolanenſis.	1665.	713
Joachimus à S. Anna, Mediolanenſis.	1697.	714
Joachimus à Jeſu Maria, *Galluccio*, Neapolitanus.	1656.	715
Joachimus à S. Maria, *Garbicellus*, Mediolanenſis.	1697.	715
Joanna à S. Spiritu, *De Chimbaut & Bernet*, Burdigalenſis.	1632.	714
Joannes à S. Agnete, Catalanus.		719
Joannes-Albertus à S. Joſepho, *Paſquale*, Panormitanus.	1678.	725
Joannes à S. Andrea, Hiſpanus.	1642.	726
Joannes-Andreas *Centurionus*, Genuenſis.	1635.	726
Joannes-Andreas à Cruce, *Ruſcianus.*	1681.	726
Joannes à S. Angelo, Hiſpanus Andujarenſis.	1625.	727
Joannes à S. Angelo, Bœticus.	1618.	727
Joannes à S. Anna, Hiſpanus Sotocanus.	1584.	728
Joannes à S. Anne, Biacenſis.	1717.	728
Joannes ab Annuntiatione, *Campomanes*, Vallisoletanus.	1701.	728
Joannes ab Aſſumptione, Hiſpanus Metaronenſis.	1588.	740
Joannes-Auguſtinus à S. Angelo, Genuenſis.	1643.	740
Joannes-Auguſtinus à Nativitate, *Tartaglia*, Senenſis.	1672.	740
Joannes-Auguſtinus à S. Paulo, *Bertarellus*, Mediolanenſis.	1661.	741
Joannes-Baptiſta, Pincianus.	1662.	761
Joannes-Baptiſta, *de Ronda*, Bœticus.	1594.	762
Joannes-Baptiſta, *Remendado Hermandez*, Pedracenſis.	1600.	786
Joannes-Baptiſta *de Urſinis*, à Jeſu Maria, Romanus.	1648.	787
Joannes à S. Baſilio, *Montoro*, Hiſpanus.	1617.	781
Joannes-Bonaventura à S. Joſeph, Hiſpanus Ubetenſis.	1717.	798
Joannes *de Campo Rotundo & Rio*, Caſtellanus.	1643.	794
Joannes-Chriſoſtomus à S. Matthæo, *Huſtin*, Belga.	1652.	824
Joannes-Chriſoſtomus à S. Paulo, Italus.	1685.	824
Joannes (S.) à Cruce, *de Yepez*, Hiſpanus.	1591.	829
Joannes à Cruce, Toletanus.	1618.	831
Joannes à Cruce, *Weiſſ*, Colonienſis.	1648.	833
Joannes à Cruce, Neapolitanus.	1720.	822
Joannes-Evangeliſta à SS. Sacramento, Romanus.	5688.	8·8
Joannes-Evangeliſta à S. Maria, Gallus.	1641.	838
Joannes-Franciſcus Lucinus à SS. Conceptione, Mediolanenſis.	1663.	847

FINIS.